UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor, Coordinatus, Seu Omnes ...

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

urn:nbn:de:hbz:466:1-76372

Visual Library

Th 57 52

G IX
5

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tor

R.P.D. ANTONINUS

DIANA

PANORMITANUS,

CLERICUS REGULARIS, DOCTOR CELEBERRIMUS,

Coram S.D.N. ALEXANDRO VII. Episcoporum Examinator,
& Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor,

COORDINATUS,

SEU OMNES

RESOLUTIONES MORALES,

EIUS IPSISSIMIS VERBIS AD PROPRIA LOCA,
& Materias fideliter dispositæ, ac distributæ.

EDITIO NOVISSIMA, ET AUCTA,

A quamplurimis quibus cæteræ scatebant erroribus purgatissima.

Cui de novo accessit Tomus Decimus, veluti Summa totius Operis, ad commodiorem faciliorémque Theologiæ Moralis Studiosorum usum;

PER V. P. MARTINUM DE ALCOLEA,

Monachum Carthusiensem ex Regali Cœnobio de Paulari.

TOMUS QUINTUS.



LUGDUNI,

Sumptib. JOANNIS-ANTONII HUGUETAN, & Soc.

M. DC. LXXX.

CUM APPROBATIONE ET PERMISSU.



SYLLABUS TRACTATUUM HUJUS TOMI QUINTI.

TRACT. I. DE Excommunicatione, atque de ejus Absolutione.

II. De Censura ob Percussionem Clerici, atque de ejus Absolutione.

III. De Suspensione.

IV. De Interdicto.

V. De Irregularitate, atque de ejus dispensatione.

VI. De Abortu juxta Bullas Sixti V. & Gregor. XIV. atque de Absolutione, & Dispensatione pro excommunicatione, & irregularitate illius agitur.

VII. De Symonia, atque de Datis, & Promissis super Bullam Gregor. XIII.

VIII. De Hæresi, & ejus Absolutione, atque de aliquibus aliis delictis pertinentibus ad Tribunal S. Inquisitionis.

IX. De Denuntiationibus faciendis ex Edicto DD. Inquisitorum, & signanter ex sollicitatione facta in Confessione.

X. De Officio, & Potestate DD. Inquisitorum.

XI. De Tortura in S. Officio, suspectis vehementer de hæresi inferenda.

XII. De Pœnis delictorum pertinentium ad Tribunal Sacræ Inquisitionis.

XIII. In quo continentur Decreta, & Constitutiones recentiorum Pontificum ad Tribunal Sacræ Inquisitionis spectantes.

LICEN

LICENTIA.

NOS Frater Joannes Prior Carthusiæ, ac totius Ordinis Carthusiensis Minister Generalis, concedimus facultatem V. P. D. Martino de Alcolea, Monacho Carthusiæ de Paulari, Professo, tradendi Typographo Dianam Coordinatum, seu Resolutiones Morales Reverendi Patris Antonini Dianæ, ad propria loca per eum distributas, & in plures Tomos digestas, ut typis mandentur, ac in lucem edantur, si ita videbitur iis, ad quos ea cura spectat ex sacro Concilio Tridentino, Pontificiisque ac regiis Decretis. Dummodò id fiat absque expensis & gravamine Domus, ac disciplinæ nostræ regularis detrimento. Datum Carthusiæ sub Chirographo ac Sigillo nostro 16. Maij 1658.

FR. JOANNES *Prior Carthusiæ.*

REGII PROCURATORIS CONSENSUS.

PRo Rege assentio, ut liceat JOAN. ANT. HUGUETAN, Bibliopolæ Lugdunensi, typis mandare R. P. ANTONINI DIANÆ Opera Coordinata per R. P. MART. ALCOLEAM, in decem Tomos distributa, concessis impetranti inhibitionibus ad quinquennium computandis, à die finitæ impressionis. Datum Lugduni 1. Decembris 1674.

VAGINAY.

PERMISSIO.

FIat juxta Conclusiones Procuratoris Regij, anno & die supradictis.

DESEVE.

Desiit excudi 3. Novembris 1679.



INDEX

INDEX

Tractatuum & Resolutionum huius Tomi Quinti.

Vltimus Numerus paginam indicat.

TRACTATVS I.

De Excommunicatione, atque de eius Absolutione. p.1.

AN Potestas ferendi censuras possit consuetudine, vel præscriptione acquiri? Idem dicendum est de potestate absolvendi ab excommunicatione per alium lata. Et an hæc potestas possit acquiri circa vnam censuram, & non circa aliam? Ex p.5.tr.9.res.42.ibid.

1. *An qui habet potestatem ferendi censuram, possit ea uti in sua causa?* Et notatur, quod etiam si nemo potest incidere in censuram à se ipso latam, possit tamen occasione censuræ à se latæ incidere in aliam censuram, quam alius tulerit, v.g. communicando cum eo, quem ipse excommunicaverit, quo modo celebrando in Ecclesia à se interdicta fiet irregularis. Ex p.9.tr.5.res.52.ibid.

2. *An in dubio, vtrum censura sit lata, vel ferenda, censenda sit tantum ferenda?* Et docetur, quod ut teneamur vitare excommunicatum, non sufficit dubium prudens denunciationis, sed requiritur notitia moraliter certa dictæ denunciationis. Ex p.4.tr.3.res.16.ibid.

3. *An in censura ferenda necessario requiratur monitio?* Et an quando excommunicatio fertur à Prælato non per modum iudicij, sed per modum defensionis ad defendendum ius proprium, requiratur monitio? Et an requiratur monitio ad valorem aliarum censurarum, ut suspensionis, irregularitatis, &c. Ex p.5.tr.9.res.18.p.2.

4. *An censura sine trina monitione non solum sit illicita, sed invalida?* Et in textu huius Resolutionis multa discuntur pro firmanda doctrina supradictæ quæstionis. Ex p.5.tr.9.res.19.p.3.

5. *An Declaratoria incursionis in censuras latas contra N. sit valida?* Et multa adducuntur pro defectu citationis in præsenti casu. Et infertur, quod ab incursione censurarum excusat ignorantia moraliter vincibilis; & in aliquibus casibus ignorantia crassa, & supina, dummodo non sit affectata. Et docetur ignorantiam probari posse per iuramentum; sed si iurare quis recusat, debet haberi pro excõmunicato, &c. Et asseritur Clericos, & Beneficiarios non amittere privilegium fori, etiam si se immisceant enormibus, & ineedant in habitu laicali, nisi prius ter moneantur, & præcedat declaratoria iudicis Ecclesiastici. Et multa alia pro firmanda doctrina supradictarum quæstionum adducuntur, & tota doctrina est valdè notanda. Ex part.10. tract. 12. & Miscel. 2. resolutione 4. ibid.

7. *An excommunicatio sit actus irretractabilis, seu irreparabilis ad ornatum Concilij Tridentini* sess.13. c.1. de reforma? Et explanantur, *quænam sint gravamina irreparabilia ex Declaratione Sacræ Congregationis, facto verbo cum Sanctissimo tunc Clem.VIII. à quibus subditus possit appellare à sententia interloquutoria, & decidi tur, quod sunt excommunicatio, suspensio, interdictum, tortura, carceratio, & alia huiusmodi, quæ continent factum, quod infectum esse non potest.* Ex p.9.tr.8. & Misc.3.r.21.p.6.

8. *An ad valorem censuræ requiratur contumacia respectu Ecclesiæ comminantis sub censura?* Et supponitur censuram maiorem, suspensionem, & interdictum non posse validè ferri, ac proinde non incurri nisi ob peccatum exterius inobedientiæ, & contumaciæ respectu Ecclesiæ. Et notatur, quod tripliciter contingit aliquem esse contumacem. Ex p.5.tr.9.res.55.p.7.

9. *An censura requirat actum consummatum?* Et ex doctrina huius quæstionis aliqui alij casus inferuntur, & explanantur pro praxi huius difficultatis. Ex p.5.tr.9.res.56.ibid.

10. *An lata excommunicatio reseruata contra perpetrantes homicidium, si quis, propinato iam alteri veneno, confiteatur illud, incidat in censuram, morte secuta, vel in casum reservatum?* Et in corpore huius Resolutionis aliqui alij casus à simili explanantur pro praxi supradictæ difficultatis. Ex p.8.tr.7. & Misc.res.85.p.8.

11. *An excommunicatio ferenda obliget ad peccatum mortale?* Et si suspensio, interdictum, & irregularitas pœnalis absolutè non proferantur, sed ferendæ sint, *an obligent etiam sub mortali?* Ex p.3.tr.6. & Misc.2.res.76. p.9.

12. *An aliqua præcepta, & mandata Episcoporum sub pœna excommunicationis obligent semper ad peccatum mortale?* Et an leges civiles nunquam obligent ad pœnam spiritualem, quamvis contineant pœnam grauem corporalem, si aliunde non sint prohibitæ iure naturali, aut divino? Ex p.5.tr.9.r.21.ibid.

13. *An excommunicatio minor possit fieri pro peccato veniali?* Et an peccatum veniale sit materia sufficiens excommunicationis minoris? Et an suspensio, & interdictum possit validè ferri ob peccatum veniale? Sed notatur, quod si contingat, ut præceptum Superioris sit de re levi, vel indifferenti in se, & tamen sit causa, & periculum inducat maioris mali, ut si Superior præcipiat, ne quis tali hora ambulet in tali loco sub pœna excommunicationis absolutè, quia præuidet, vel dubitat, quod aliquod grave malum sit euenturum, si quis transgrederetur hoc præceptum inobedientiæ, licèt sit de re levi in se, esset peccatum mortale, & per consequens ille esset excommunicatus excommunicatione maiori. Ex p.5.tr.9.r.47.ibid.

14. *An excommunicatio possit fieri pro peccato purè interno? Et an si desit aliqua conditio, per quam actus non indicetur perfectus, & consummatus, ut lex requirit, nunquam incurratur excommunicatio, nec censura?* Ex p.5. tr.9. ref.48. p.11.

15. *An actus, vel omissio externa, per quam feratur censura, debeat esse signum actus interni?* Ex p.5.tr.9.ref.49.p.11.

16. *An incurratur in excommunicationem, quando opus externum, cui annexa est excommunicatio, fuit solum veniale, sed internum mortale?* Ex p.5.tr.9.ref.41. ibid.

17. *An censura sententia lata sub forma distinctiva, v.g. præcipio hoc sub pœna excommunicationis, vel suspensionis, habeat effectum? Et an reus sub tali forma teneatur saltem ad alterutrum? Et an, qui sub hac forma censuram ferret, graviter peccaret?* Ex p.5.tr.9.ref.63. ibid.

18. *An censura possit fieri sub conditione? Et an appellatio post sententiam excommunicationis latam sub conditione, si fiat ante completam conditionem, suspendat excommunicationem? Sed difficultas est, an hac appellatio possit fieri toto tempore, quo conditio non est impleta, vel solum intra decem dies, ut fieri solet aliarum sententiarum appellatio? Et quid est dicendum, si pendente conditione iudex moriatur, vel reus forum mutet? Et tandem quæritur, an si conditio esset de futuro, & omnino impertinens, censura esset valida?* Ex p.5.tr.9.ref.64.p.12.

19. *An si pendente conditione, sub qua lata est excommunicatio, si creditor, v.g. terminum absolutionis à iudice latum proroget, & postea debitor non solvat, incurrat talem censuram? Et supponitur posse creditorem terminum prorogare. Sed difficultas est, si debitor non solvat in secundo termino, quid est faciendum?* Ex p.5.tr.9.ref.65.p.13.

20. *Fuit olim lata excommunicatio per vim, & metum, quæsierunt tunc à me, an fuerit nulla? Idem est dicendum de absolutione excommunicationis.* Ex p.5.tr.9.ref.69. ibid.

21. *An si iudex sit excommunicatus, validè alium excommunicet? Idem est dicendū de iudice suspenso, & nominatim denunciato, vel notorio percussore Clerici. Et quid dicendum est, si iudex excommunicatus, aut suspensus est occultus?* Ex p.5. tr.9.ref.50.ibid.

22. *An iudex excommunicatus toleratus validè alium excommunicet?* Ex p.5.tr.9.ref.135.p.14.

23. *An iudex excommunicatus toleratus possit validè exercere iurisdictionem? Et quid dicendum est, si talis sit excommunicatus denunciatus, & se transferat ad alium locum, ubi passim ignoratur, quod sit nominatim denunciatus, vel publicus Clerici percussor, & eligatur in iudicem, an illius acta valeant in favorem publicum? Et an collatio, seu electio facta à tali excommunicato valeat, &c.?* Ex p.5.tr.9.ref.109. ibid.

24. *An excommunicatus toleratus iudicium exercens peccet mortaliter? Et an secus dicendum sit de actibus aliis iudicialibus, v.g. Advocati, Procuratoris, actoris, testis, & similibus?* Ex p.5.tr.9.ref.131. ibid.

25. *An effectus excommunicationis quoad privationem usus iurisdictionis habeat locum in iudicio seculari excommunicato non tolerato? Et an subditi absolvantur ab obligatione obediendi Superioribus excommunicatis?* Ex p.5. tr.9.ref.108. p.15.

26. *An excommunicatus sit incapax officiorum iurisdictionis secularis. Et explanantur diversi casus pro præsentatione, collatione, acceptatione, optatione beneficij tempore, quo Collator, vel præsentatus est in excommunicatione.* Ex p.9. tr.8.& Misc.3.ref.34. ibid.

27. *An iniustè excommunicatus, v.g. ex causa præsumpta, secundum allegata, & probata, teneatur se abstinere à communione fidelium, & ab aliis actibus prohibitis? Et an in dicto casu, quamvis ad id teneatur ratione scandali, imoratione obedientiæ, non fiat irregularis celebrando, non solum quando in occulto celebrat, sed etiam quando in publico, & coram eis, quibus censura est nota, & innocentia incognita, &c.?* Ex p.5. tr.9. ref.27. p.16.

28. *An iniustè excommunicatus incurrat in pœnas iustè excommunicationis? Sed quid est dicendum de pœnis, quas incurrunt violantes censuras, de irregularitate celebrando Missam, in prædicta excommunicatione, de collatione & receptione beneficij; deferente suffragium, & similibus? Et difficultas consistit, si violat censuras in publico, an communicans cum tali excommunicato incurrat pœnas iuris impositas? Et adhuc illud dubium superest, an ab omnibus generalibus Ecclesiæ, à quibus excludantur excommunicati, excludatur supradictus excommunicatus?* p.5.tr.9.r.28.ibid.

29. *An excommunicatus nulliter teneatur abstinere à communione fidelium, & ab aliis prohibitis?* Ex p.5.tract.9. r.26.p.17.

30. *An qui probabiliter iudicat sententiam excommunicationis esse nullam, teneatur se abstinere, & vitare pœnas iuris?* Ex p.5.tr.9.ref.29.p.18.

31. *An excommunicatio liget, quando pro subdito adest opinio probabilis in contrarium; Et resolutio huius dubium pendet ex illa difficultate, an obedire debeat subditus Superiori præsipienti iuxta sententiam probabilem?* Et p.9.tr.9.& Misc.4.ref.46.alias 45.ibid.

32. *An si Episcopus prohibeat fortum sub pœna excommunicationis latæ sententia, furans incurrat excommunicationem, si inuincibiliter legem istam ignoret? Idem dicendum est, si excommunicatio lata sit à Pontifice. Et qua dicta sunt de excommunicatione dicenda etiam sunt de suspensione, interdicto, & irregularitate. Et quid est dicendum, aliquis, v.g. vouit non fornicari, vel ludere sub pœna tertium aureorum, si postea immemor voti fornicetur, ludat, &c. an teneatur solvere pœnam? Idem est, si dum fornicatur, memor sit voti, non autem pœnæ impositæ, etiam si esset pœna Castitatis, Religionis, peregrinationis Ierosolimanæ, &c. Idem est de eo, qui ex oblivione naturali omittit recitare Horas Canonicas, quod non teneatur restituere fructus.* Ex p.3.tr.6.& Misc.2.ref.41.p.10.

33. *An ignorantia vincibilis iuris, vel facti excuset ab incursione censurarum, & aliarum pœnarum, siue latæ sint à iure communi Papæ, sive à particulari Episcoporum? Et etiam explanatur, quænam dicatur ignorantia crassa, & supina; lata & vincibilis; vel ignorantia crassa, supina, & affectata.* Ex p.3.tr.5.& Misc.1.ref.13.p.11.

34. *An ignorātia non solum inuincibilis, sed etiam vincibilis excuset ab incursione censurarum siue facti, siue iuris, tam vniversalis, quam particularis sit? Et an ignorantia crassa, & supina nunquam excuset? Et an hac omnia habeant locum in suspensione, & interdicto; quamuis factum sit iuxta naturali, aut diuino damnatum; & pœna statuta sit ab Episcopo, vel à Summo Pontifice. Et notatur ignorantiam vincibilem facti impedire incursionem censuræ latæ contra eos, qui scienter aliquid fecerint, aut facere præsumpserint, aut contra eos, qui casu temerario aliquid fecerint, etiam quando est affectata, vel adeo crassa, ut moraliter censetur intentata, seu affectata.* Ex p.5.tr.9.ref.17.ibid.

35. *An ignorantia censuræ inuincibilis, qua est annexa casibus Pontificis, impediat peccatum?* Et an hac extendatur ad naturalem obliuionem, seu inuincibilem aduertentiam? Et an hoc idem dicendum sit de aliis censuris, suspensione, interdicto, & irregularitate, si tamen ignorantia non sit crassa, vel supina? Et docetur ignorantiam etiam vincibilem, dummodo non sit crassa, probabiliter excusare, ne aliquis incurrat pœnam legis, v.g. excommunicationem, irregularitatem, suspensionem, inhabilitatem ad officia, aut regularitatem, suspensionem, inhabilitatem ad officia, aut simoniæ, & alias pœnas graues. Ex p.9.tr.6.& Misc.1. ref.13.p.22.

36. *An excommunicatio lata contra scienter aliquid facientes, afficiat contrauenientes ex ignorantia affectata, siue latæ iuris, siue sit facti? Ex quo infertur legentes libros Haereticorum ignorantia affectata non incurrere excommunicationem latam in Bulla Cœna, qua fertur contra scienter legentes. Et iamque deducitur à fortiori non incurrere in contingentes. Et iamque deducitur à fortiori non incurrere in censuram, qui ignorantia crassa, siue sit iuris, siue sit facti, positu

tes,vel præsumentes facere. Ex p.3.t.6.& Misc.2.r.7.p.23.

37. *An incidat in censuram Bullæ Cœnæ, qui falsificat literas Apostolicas secundum mentem Pontificis? Et quid dicendum est de illo, qui integras literas fabricat? Sed si ponas aliquem nõ habuisse partem in falsificandis literis Apostolicis, sed illis uendi, postquam falsificatæ fuerint, quæritur, an sit hac censura excommunicatus? Idem est de eo, qui falsas impetrat literas. Et notatur defensores, & fautores falsificantium literas Apostolicas; imo illas per alios falsificantes non incurrere in censuram Bullæ Cœnæ, sed in censuram cap. ad falsariorum, quia censura huius capitis reservata non est.* Ex p.9.tr.7.& Misc.2.res.15.p.24.

38. *An censura, vel casus reservatus contra facientes falsum instrumentum, comprehendat falsificantes illud?* Ex p.8. tr.7.& Misc. res.82.p.25.

39. *An appellantes a Pontifice ad Concilium Generale actu existens incidant in censuram Bullæ Cœnæ? Et an consulentes appellare ad futurum Concilium in censuram Bullæ Cœnæ incidant? Et quid de præstantibus auxilium, aut favorem ad prædictam appellationem? Et docetur dictos consulentes in prædicto casu incurrere in excommunicationem reservatam latam à Pio II. in Bulla incipiente, Execrabilis, & confirmata à Iulio II. Sed maior difficultas superest, an appellãtes ab Ordinationibus Pontificiis, quatenus Princeps temporalis est, excommunicationi Bullæ Cœnæ subiiciantur?* Ex p.9.tr.7.& Misc.2.res.66.ibid.

40. *An appellantes à Papa ad Concilium Generale iam congregatum, & actu existens incidãt in censuram Bullæ Cœnæ? Et an ita appellantes saltem sint Sacrilegi, & male sentiant de Fide? Et an dans consilium ad supra dictã appellationem faciendam incurrant in dictam excommunicationem? Et notatur talem prohibitionem appellãdi comprehendere appellationem à sententia Papæ, in qua motus ira, vel aliqua alia animi perturbatione videatur committere iniustitiam.* Ex p.10.tr.11.& Misc.1.res.60.p.26.

41. *An extrahentes mercimony causa in magna quantitate frumentum, oleum, blada, legumina, & alia ex statu Ecclesiastico incidant in censuram Papæ reservatam? Et explanatur, quæ sit magna quantitas in prædicto casu. Et an si quis extraheret panem coctum, incidat in hanc censuram? Et quid, si extrahat farinam? Et an sub nomine olei comprehendantur oleæ, ex quibus ipsum conficitur?* Ex p.9.tr.8.& Misc.3.res.43.p.27.

42. *An in casu dubij possint Principes sine incursione censurarum Bullæ Cœnæ impedire, ne victualia extrahãtur ab eorum Regnis ad Romanam Curiam? Et notatur, quod in foro externo, si impedimentum præstatur à persona publica, præsumitur iusto titulo appositum esse, secus à persona privata.* Ex p.9.tr.7.& Misc.2. res. 17. p.28.

43. *An Piratæ, seu Cursarij non solum discurrentes per mare Pontificium, sed alia maria incidant in censuram Bullæ Cœnæ? Et an Piratæ in dictam censuram incurrant discurrentes per mare Pontificium, si nullam depræ dationem actu exerceant? Et quid, si cum intentione depræ dandi discurrant, si nullam depræ dandi actionem exerceant? Et quid tamen dicendum est, si casu semel navigantem depræ dantur? Et an depræ dantes Infidelium naves à Christianis assecuratas incidant in censuram?* Ex p.9.tract.7. & Misc.2.res.73.p. ibid.

44. *An qui per donationem, vel furtum accipit bona naufragantium ab alio accepta, incidat in censuram Bullæ Cœnæ? Et an, qui auxilium, consilium, mandatum, aut favorẽ præstant, vel ratum habent, ut bona naufragantium subripiantur, vel bona surrepta custodiunt, incidant in censuram Bilii Canonis? Et an si Christiani Piratæ naufragium faciunt, excommunicentur eorum bona subripientes? Et notatur quod qui subripit bona Christianorum, quæ in navibus Infidelium cum assecuratione illa reddendi certo loco, quomodocumque pereant, asportantur, non excommunicatur; si vero Christiani eadem obligatione Infidelium bona deferant, excommunicantur illa subripientes. Et aliqua alia adnotantur, quæ contingere possunt in prædictis naufragijs circa supra dicta, & circa alios diversos casus, & naufragia.* Ex p.9.tr.8.& Misc.3.res.36.p.29.

45. *An incidant in censurã Bullæ Cœnæ deferentes infidelibus pecunias, merces, & victualia, etiam belli tempore? Et an nuntius deferens Infidelibus literas, sciẽs continere revelationem secreti Reipublicæ Christianæ incurrat censuram Bullæ Cœnæ? Et quid est dicendum, si aliquis revelet secretum Reipublicæ Christianæ alicui fideli qui creditur revelaturus infidelibus, an iste incurrat in censuram Bullæ? Et an vendentes arma infidelibus in terris tamen Christianorum incidant in censuram Bullæ? Idem est, si vendãt quos certo sciũt ea ad infideles esse missuros. Quod idem dicendum erit de commutantibus arma pro armis, ut enses pro hastis, &c. Et an deferens prohibita quando aliter redimi captivi non possunt, excusentur à prædicta censura?* Ex part.9.tract.7.& Misc.2.res.16.p.31.

46. *An licitũ sit deferre arma infidelibus, si pecunia reportata sit Christianis utilior?* Ex p.5.tr.13.& Misc.1.r.15.p.32

47. *An deferre arma Hæreticis, & instrumenta bellica sit prohibitum ex Bulla Cœnæ? Et quid, si Hæretici sint publicè denunciati?* Ex p.5.tr.13.& Misc.1.res.14. ibid.

48. *An qui narrat consilia, v. g. Regis Catholici nostri cui Turcarum proditori, incidat in censuram Bullæ Cœnæ?* Ex p.5.tract.13.& Misc.1.res.13.ibid.

49. *Cum in regno sit magna penuria carnis & in pernicium reipublicæ frumentariæ in dies plura animalia macillentur, dubitatur, an sine metu excommunicationis liceat emere à Turcis supra dicta animalia, & cum illis alia victualia permutare? Et an commercium cum infidelibus non intelligatur tempore necessitatis? Et adducuntur multi Doctores pro explanatione, quando iure positivo sit licitum, vel prohibitum infidelibus mercimonia deferre.* Ex part.2.tr. 16.& Misc.2.res.34.alias 36.p.33.

50. *An pœna contra duellantes ipso facto incurrantur? Ex quo deducitur an publicus percussor Clerici sit vitandus ante sententiam iudicis declaratoriam?* Ex p.11.tract.8. & Misc.8.res.21. ibid.

51. *An Principes ad vitandum maiora mala possint in aliquo casu absque incursione censurarum permittere duellum?* Ex p.6.tract.6.& Misc.1.res.20.p.34.

52. *Notabilia quædam circa materiam Duelli. Et in textu huius Resolutionis 14. diversi casus adducuntur, & explanantur pro praxi ad incurrendam, vel non incurrendam excommunicationem propter duellum?* Ex p.3. tr. 6. & Misc.2.res.1.p.35.

53. *An si quis prouocet aliquem ad duellum; se conferens postea ad præfixum locum & præfixo tempore, ibique frustra expectato inimico discedens, incidat in censuram Bullæ Gregorij XIII? Et quid est dicendum, si aliquis offensus à N. illum prouocauit ad duellum ce.. in loco, &c. non tamen habebat animum pugnandi & certo sciebat pugnã non sequuturam, amici vtriusque hoc impedissent, an in tali casu incidat in excommunicationem prædictæ Bullæ? Et alij tres casus cursim attinguntur pro materia Duelli?* Ex p.2.tract.16.& Misc.2.res.53.alias 55.p.36.

54. *Vtrum Duellatores oblato & acceptato duello, incidant in excommunicationem, si pugna postea non sit sequuta?* Ex p.5.tract.14.& Misc.2.res.102. p.37.

55. *An in aliquo casu vir Nobilis possit sine peccato acceptare duellum?* Ex p.5.tract.14.& Misc.2.res.99.ibid.

56. *An liceat in aliquo casu acceptare duellum?* Ex p.10. tract.12.& Misc.2.res.54. alias 53.p.38.

57. *An prouocantes ad duellum teneantur è domo non exire, dum non componitur pax? Et quanam voluntate debeat prouocatus è domo in publicum exire?* Ex p.5.tract.13.& Misc.1.res.25.ibid.

58. *An si conuentio de pugnando facta sit in rixa, & inter conuentionem & pugnam intercedat tempus non incurratur in pœnas latas contra duellantes? Et notatur consulentem duellum non incurrere excommunicationem, si fecit quantum potuit reuocando consilium, licet nihil profecerit?* Ex p.6.tract.6.& Misc.1.res.21.p.39.

59. *An si accusator offerat duellũ purgativum, possit illud innocens acceptare ad tuenda bona temporalia? Et an ea*

quæ dicuntur de acceptatione certaminis purgativi, eamdem vim habeat in certamine non purgativo? Et an innocens possit criminatori offerre singulare certamen, quando alia ratione non potest se suaque tueri? Ex p.5.tr.13. & Misc.1.res.27. ibid.

60. An si quis dicat alicui, tecum pugnabo primo vice, quæ tibi per Vrbem obviam ero, incidat in pœnas Duelli? Ex p.5.tr.13. & Misc.1.res.59.p.40.

61. In Belgio quis aspexit Duellum nesciens esse prohibitum à Bullis Pontificiis sub pœna excommunicationis, quæsivit à me per literas, an in illam inciderit? Ex p.11.tr.6. & Misc.6.res.27.p.41.

62. An Spectatores Duelli incidant in excommunicationem? Et in corpore huius Resolutionis declaratur, qui sunt, qui ex iusta causa intersunt Duello, & non peccant, neque excommunicantur, ut v.g. aliquis famulus, aut amicus, Chirurgus, & Sacerdos suscepturus confessionem alicuius moribundi, &c. Ex part.5.tr.14.& Misc.2. res. 100. ibid.

63. An si quis cõmodet arma amico volenti duellare, incidat in excommunicationem? Ex p.5.tr.14.& Misc.2.r.101. p.42.

64. An sepelientes mortuum in Duello sint excommunicati? Et an sit necessaria sententia iudicis declaratoria, ne supradictus in Ecclesia sepeliatur? Et in §.ultimo huius Resolutionis, aliqui alij casus explanantur pro duello, sed iam omnes in hoc novo Ordine supra in Resolutionibus proximè præteritis sunt appositi, & discussi. Et tandem quæritur, an famuli tantum scribentes chartas provocantes ad duellum, & non deferentes eas incurrant in excommunicationem, &c. Ex p.7.tr.11.& Misc.2.res.44.ibid.

65. An si in ipso conflictu duelli sit aliquis vulneratus, & in eodem die, vel alio postea moriatur, privari debeat Ecclesiastica sepultura tanquam mortuus in excommunicationem Duelli? Ex p.2.tr.16.& Misc.2.res.52.alias 54.p.43

66. An si quis in Duello percussus lethaliter decidat in terram, & signa contritionis ostendat, sed ex defectu Confessarij non fecit confessionem, & mortuus est, possit sepeliri in loco sacro, vel censendum est, quod moriatur excommunicatus, & in peccato publico? Et quid, si moriatur unum, aut alterum diem post duellum? Et deducitur, quod si quis decidat ex facinoroso actu, si tamen in ultimo vitæ, seu puncto mortis ostendat signa contritionis, non debet privari Ecclesiastica sepultura. Et an pro illo, qui mortuus est in Duello (modo quo supra) cum signis contritionis, sepulto tamen extra Ecclesiam, & non in loco sacro, possit quis offerre Missam? Etiamque docetur, quod excommunicato non denunciato potest applicari Missa, si ostendat signa contritionis, aut si mortuus est in iis. Ex p.4.tr.4. & Misc. res.192.ibid.

67. An qui à Duello uno, vel altero die supervixerunt, aut etiam una hora, & confessi sunt, possint in loco sacro sepeliri? Et an Episcopus, si æquum iudicaverit, possit cum his contritis, & confessis dispensare, ut sepeliant eos in loco sacro, vel an possint in supradicto casu sepelire eos absque ulla Episcopi dispensatione? Ex p.5.tr.3.res.141. p.44.

68. In Iubilæo anni Sancti 1650. Romæ in conflictu Duelli, quis accepit vulnus lethale, ex quo post aliquos dies mortuus est, quæsierunt tunc à me, an privandus esset Ecclesiastica sepultura? Ex p.11.tr.6.& Misc.6.res.26.p.45.

69. An excommunicatus toleratus moriens sit privandus Ecclesiastica sepultura, si publicè innotuerit fuisse excommunicatum? Ex p.5.tr.3.res.140.p.46.

70. An sub prohibitione cap. Sacris, & Clem.1.de sepult. ne excommunicati sepeliantur in loco sacro, excludantur excommunicati tolerati? Et advertitur, quod non polluitur Ecclesia sepeliendo excommunicatum, nisi sit ille vitandus. Ex p.5.tr.9.resol.97. ibid.

71. Qui sunt illi, qui sepelientes excommunicatum in loco sacro incurrant excommunicationem? Et an qui excommunicatos, etiam Hæreticos notorios, sed nondum denunciatos in loco sacro sepeliunt, incurrat in excommunicationẽ? Et an locus sacer sepultura excommunicati, aut Hæretici nondum denunciati, violetur? Ex p.5.tr.9.res.98. ibid.

72. An Hæreticus non denunciatus possit absque incur[rere] excommunicationis in Ecclesia sepeliri? Et an hoc ex[tendatur] ad Hæreticorum fautores, & defensores? Et an [qui] cent, qui cum Hæreticis quibuscumque non denuncia[tis] mul orant, vel concionem sacram, aut Missam audiun[t]. Et an Ecclesia in qua sepelitur Hæreticus, (modo qu[o] pra) aut excommunicatus non denunciatus, remanea[t] luta? Et notatur, quod si aliquis reperiretur mortuus in [te]o, vel laqueo suspensus non est statim privandus Ec[cle]siastica sepultura. Et aliqua alia docentur, quæ contingere possint in supradictis casibus. Ex p.9.t.8.& Misc.3.tr.[...]

73. An Sacerdotes in domibus suis, audientes Lectur[am] vel medecinæ incidant in excommunicationem? Et quid [de] Regularibus? Et quid est dicendum, si supradicti [studen]t legibus civilibus in Scholis publicis, quatenus conducu[nt] vel possunt conducere ad notitiam Canonum? Et an [se] intelligatur in foro interiori, nam in foro exteriori [semper] præsumantur excommunicati? Et an Diaconi, & Subd[iaco]ni non comprehendantur sub dicta prohibitione, & [ex]communicatione, nisi sint Personatus? Ex p.3.tr.[...] Misc.1.res.27.p.48.

74. An si mandans, vel consulens revocet mandatum, [vel] consilium incurrat adhuc excommunicationem, si dictum hoc non obstante, committatur? Et quid, si revocatio [non] innotescat mandatario? Et quid est sentiendum de [ver]o laritate; & an teneatur restituere damna ex tali homi[ci]dio emersa? Et si mandans homicidium mortuus fuerit, [ne]quam mandatarius occideret, non contrahat excommu[ni]cationem, quæ solum ligat viventes, non autem defu[nc]tos? Ex p.5.tr.9. res.58. ibid.

75. An censura lata contra facientes comprehendat [man]dantes, aut consulentes? Et aliqua alia circa hoc notantur; & tandem advertitur, quod non ligatur excommunica[tus] ne, qui paratum occidere Clericum, consilii tantum per[se]cutere. Ex p.5.tr.9.res.57.p.49.

76. An licitum sit vendere Agnos Dei, & retinere illas sine incursione censurarum? Et an peccent laici, si absque contemptu eos tangant? Et an dicta excommunicatio sit Pontifici reservata? Ex p.3.tr.6.& Misc.2.res.12.ibid.

77. An furantes Reliquias præter peccatum aliquam excommunicationem incurrant? Et notatur, quod Romæ extat excommunicatio, ne Reliquiæ ex Vrbe extrahantur. Et decetur posse sine ullo peccato ab infidelibus Reliquias subtrahi. Et an licitum sit Christianis, & absque peccato [si]moniæ emere ab infidelibus Reliquias? Ex p.10.tr.14.& Misc.4.res.20.alias 18. p.50.

78. An alienatio Reliquiarum includatur in prohibitione Paulinæ de rebus Ecclesiæ non alienandis? Et explanatur particula præsumpserit, postea in dicta Extrav. Paulli 11. quæ denotat temeritatem & non comprehendit eum, qui bona fide ignoranter, aut imprudenter, sive inadvertenter facit aliquid contra dictam Extravagantem. Ex p.10.tr.14.& Misc.4.res.23.alias 21. ibid.

79. An Superiores possint in contractu licito absque solemnitate obligare bona Ecclesiæ sub hypotheca generali non obstante Paulina, & Decreto Vrb.VIII. Et an pecuniæ Cambiü, vel mutuo acceptæ cum solutione lucri cessantis, vel damni emergentis comprehendantur sub decreto Sacræ Congregationis & Paulinæ Ambitiosæ? Et an obligatio tantum fructus bonorum immobilium, & mobilia prætio possit Prælatus, & Capitulum Ecclesiæ, seu Monasterium absque solemnitate, quam iura ad alienationẽ bonorũ Ecclesiasticorum requirũt, pecuniam mutuo accipere? Et an hoc procedat, si mutuum sit acceptum absque villa obligatione aliquid pro eo solvẽdi, alioquin non posse fieri, etiam si tantum fructus, & mobilia, & non immobilia, & pretiosa obligentur? Ex p.10.tr.16.& Misc.6.res.53.p.51.

80. An bona Ecclesiastica legata, vel donata, ut possint alienari sine assensu Apostolico, & in proprios usus converti, possint, stante hoc, absque dicta solemnitate alienari? Et an quamvis permutatio bonorum Ecclesiasticorum maxime cum laicis sit iure prohibita, tamen permutatio cum [...]

Perquam,

ratore, & Principe patriæ sit permissa absque solemnitate promissa. Quæres Idem est cum Fundatore, sed solemnitate præmissa. Ex p.10.tr.16.& Misc.6.res.85.p.53.

81. An cogentes fœminas intrare in Monasterium educationis causa incidant in excommunicationem latam in Concilio Tridentino, sess.25.c.18. Et quid de peccato in quacunque opinione circa hoc? Et an si metu reverentiali, vel importunis precibus Parentes, vel alij suadeant puellæ intrare in Monasterium, incurrant in excommunicationem Concilij? Et notatur non incurrere hanc censuram illum, qui filiam relinquit hæredem cum pacto, vel aliquod Monasterium ingrediatur. Et multa alia explanantur pro supradictis casibus. Ex p.2.tr.15.& Misc.1. res.56.p.54.

82. An Pater incurrat excommunicationem Concilij Tridentini, sess.25. c.18. si cogat filiam impuberem intrare Monasterium? Et infertur filios impuberes sic à Parentibus in Religione oblatos non posse egredi sua voluntate ante annos pubertatis. Et notatur Parentes cogentes filiam etiam puberem intrare Monasterium non in ordine ad professionem, sed tantum, ut ibi educetur, donec nupui apta sit, non incurrere dictam excommunicationem Tridentini. Ex p.4.tr.4. & Misc. res.42. p.55.

83. An si quis insideret supra murum Monasterij Monialium, incideret in censuram? Et plura circa clausuram Monialium notantur. Et pro praxi quæritur, an si aliqua Monialis ascendat super tectum Monasterij, frangat clausuram? Et an detur parvitas materiæ in violatione clausuræ, tam respectu exitus, quam ingressus, vel respectu temporis? Et qua, & quanta sit parvitas materiæ in prædictis casibus? Ex p.11.tr.8.& Misc. 8. res.25. ibid.

84. Notabilia quædam circa prohibitionem colloquendi cum Monialibus. Et in textu huius Resolutionis decem casus adducuntur pro praxi, & exemplis prædictæ difficultatis. Et tandem superest hæc quæstio, an nimia frequentia Monasterij Monialium, absque legitima causa sit peccatum? Ex p.3.tr.2.res.48.p.57.

85. An ligentur excommuncatione accedentes ad Monasteria Monialium Regularibus subiecta, si Statutum Episcopi eorum censuras contra accedentes ad Monialium Monasteria? Et an incurrant in prædictam censuram latam per modum statuti contra loquentes cum Monialibus, quia colloquium fit in loco exempto? Ex p.5.tr.9.res.71.p.58.

86. An sæculares loquentes, & accedentes ad Moniales exemptas incidant in censuram ab Episcopo latam? Idem est de statuto contra ingredientes dicta Monasteria. Et quid, quando expresè non est vetitus accessus, vel aditus ad Moniales, sed tantum loquutio? Et docetur, quod non potest Episcopus Moniales exemptas colloquentes cum suis subditis punire. Et etiam advertitur quoad omnes leges Episcopales Regularium Monasteria esse loca exempta, non solum ratione personarum inhabitantium, sed etiam ratione loci per se, & ideo posse aliquem in loco exempto posito intra eamdem Diœcesim ipsius Episcopi laborare in diebus festivis de præcepto eiusdem Episcopi, & eius ieiunia non servare; & hoc idem dicendum est de allis Episcopalibus legibus. Ex p.10.tr.14.& Misc.4.res.50. alias 48. ibid.

87. An prohibitio contra colloquentes cum Monialibus affectat, etiamsi ipsa Monialis non respondeat? Et quid è contra, si audierit Monialem sibi loquentem, si ipse illi non respondeat? Et an peccet contra prohibitionem, qui loquitur cum Moniali per interpretem? Idem est dicendum de eo, qui de domo posita prope Monasterium loquitur cum Monialibus. Idem est de loquentibus cum Abbatissa. Idem de scribentibus ad illas. Idem de advenis, peregrinis, puellis, & puellis ante 14. annos, accedentibus ad colloquendum cum Monialibus. Et quid de declarante Monali aliquem casum conscientiæ? Et an Episcopi loquentes cum Monialibus includantur in Edictum Ordinarij illius loci contra colloquentes cum Monialibus? Et quid de Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, an includantur in prædicto casu, & Edicto, vel possint ad Monasteria Monialium accedere, & cum ipsis loqui? Et tandem deducitur, quod legis mens magis est attendenda, quam verba? Ex p.10.tr.14.& Misc. 4. res.51. alias 49. p.59.

88. An colloquentes cum Conversis Monialium incidant in censuras latas ab Episcopo, vel si sint Regulares in pœnas Decreti Sixti V. & Sacræ Congregationis? Et an loquentes cum Monialibus signis, aut nutibus, vel per intermediam personam, aut per scriptum, peccent, & incurrant pœnas? Ex p.10.tr.14.& Misc.4.res.53. alias 51.p.61.

89. An qui habuit licentiam indefinitam colloquendi cum Monialibus, possit sæpius cum illis loqui? Idem est dicendum de licentia ingrediendi Clausuram Monialium, data licentia indefinite. Et an quando quis habuit licentiam colloquendi cum Monialibus, & antequam ea utatur, Prælatus concedit licentiam generalem cuilibet colloquendi cum Monialibus tali die, iste possit colloqui bis in eodem die? Et cursim deducitur facultatem concessam Episcopo testandi non esse restringendam ad primam vicem. Ex p. 10.tr.14.& Misc.4.res.56.alias 54.p.62.

90. An Gregorij XIII. excommunicationem incurrant ingredientes Monasteria Monialium non prætextu licentiarum, sed absque ulla prorsus licentia, etiam ad malum finem? Et an lex quantumcumque pœnalis extendatur ex ratione identitatis ad casum similem? Ex p. 2. tr. 16. & Misc.6.res.30. alias 32.ibid.

91. An ingredientes Monialium Monasteria cum licentia, si tamen, finito ministerio multo sparto ibi morentur ob malum finem, non solum peccent mortaliter, sed etiam incurrant excommunicationem latam à Gregorio XIII. Et an in supra dicto motu proprio, & prohibitione Concilij Tridentini sess.25.c.5.de Regular. comprehendantur Reges, Regina, & Cardinales? Et an Religiosi habentes privilegium absolvendi à casibus Summo Pontifici reservatis, possint absolvere ab hac excommunicatione? Et an infantes nondum doli capaces possint in Monasteria Monialium admitti, nec sint inclusi in prohibitione Gregor. XIII. & Concilij Tridentini? Et notatur, quod Confessarius potest intrare Clausuram, non solum quando Regula confiteri præcipit, sed etiam quoties infirma dixerit se indigere Sacramento Pœnitentiæ; vel Prælatus in aliquo casu electionis Abbatissæ seu Priorissæ. Ex p.3. tr.2. res. 67.p.63.

92. An intrantes cum licentia Monasteria Monialium, si finito negotio ibi notabiliter commorentur incidant in censuras? Ex p.4.tr.4.& Misc. res.90. ibid.

93. An licentia ingrediendi Monasteria Monialium debeat esse in scriptis, etiam quoad forum conscientiæ? Ex p.3.tr. 2.res.129. ibid.

94. An cessante excommunicatione Papali, cesset etiam Episcopalis? Ex p.5.tr.9.res.70.p.64.

95. An Episcopi possint excommunicare Inquisitores, & è contra Inquisitores Episcopos? Ex p.5.tr.9.res.51.p.64.

96. An contra incendiarios sit lata aliqua censura? Et an sufficiat, ut dicta denunciatio fiat Edicto generali, vel an ab Episcopo sint excommunicandi; & si postea denuncientur tunc talis excommunicatio sit Papæ reservata? Et difficultas adhuc superest, an Episcopi teneantur sub aliqua pœna contra incendiarios excommunicationem ferre? Ex p. 9.tr.8.& Misc.3.res.10.ibid.

97. An Episcopus possit excommunicare subditum committentem delictum in Monasterio Regularium existente in sua Diœcesi? Et an Religiosi ubique terrarum possint à suis Superioribus ligari censuris, sive annexis statuto perpetuo sive præcepto? Ex p.5.tr.9.res.66.p.65.

98. An Episcopus possit citare subditum suum existentem in aliena Diœcesi? Et Episcopus possit iurisdictionem contentiosam exercere extra Diœcesim, quando causæ cognitio non vertitur, & effectus confertur in suam Diœcesim? Et negatur posse Episcopum sententiam excommunicationis ferre contra subditum suum existentẽ tamen in alieno territorio, etiam pro delictο cõmisso in suo territorio. Et quid dicendum

dicendum est, quando adsit privilegium, vel per consuetudinem; an possit in alieno territorio suos subditos citare, & in eos iurisdictionẽ exercere? Et an Prælati Regulares respectu suorum subditorum Regularium censeantur habere eorum mundum pro territorio, ita ut possint exercere iurisdictionem, & capere suos subditos in quocumque territorio sint etiam non implorato brachio iudicis secularis, vel Episcopi? Et an hoc locum habeat, ubi Prælati Regulares iurisdictionem cum territorio habeant? Ex p.5.tr.9.ref.34.ibid.

99. *An subditi incurrant excommunicationem latam per Statutum in Diœcesi, si contra illud agant extra Diœcesim, vel intra Diœcesim in loco exempto existentes? Sed maior difficultas est, quando censura lata est per sententiam. Et quid est dicendum, si delictum subditi perpetratur in Diœcesi; an in tali casu possit illum excommunicare, etiamsi extra Diœcesim commoretur? Et an pro delicto extra territorium commisso, si ad suam Diœcesim redeat, possit Episcopus subditum punire? Et infertur, quod non potest Episcopus præcipere Clerico peregrinaturo sub pœna suspensionis, ne ludat, nec arma prohibita ferat, nec di- ... Satrum, & similia in aliena Diœcesi.* Ex p.3. tr.5. & Misc.1.ref.74.p.67.

100. *An delinquentes extra territorium possint ligari lege, & Statuto? Et quæ differentia inveniatur in excommunicationem latam per sententiam, vel per modum Statuti? Et an quis contrahat censuram homicidio, & stupro impositam, si existens in suo territorio occideret existentem in alieno, vel si decepit in territorio virginem, & extrahit à territorio, & in alieno violavit?* Ex p.3.tract.6. & Misc. 2. ref.78.pag.68.

101. *An Episcopus possit excommunicare subditum existentem in alieno territorio, quando censura est annexa præcepto sive generali, sive speciali? Et an si censura lata sit per modum sententiæ sive particularis, sive generalis, liget proprios subditos extra proprium territorium peccantes? Et quid, si censura sit pro crimine, vel ratione delicti commissi in proprio territorio, & Episcopatu?* Ex p.5.tr.9.ref.32.ibid.

102. *An subditus Episcopi in alieno territorio ligetur censuris annexis præcepto, sive generali, sive speciali sui Episcopi? Et quid, si censura sit pro crimine, vel ratione delicti commissi in proprio Episcopatu? Et an si delictum sit inchoatum in proprio territorio, & consummatum in alieno, subditus incurrat censuram Statuti generalis sui Episcopi? Et si aliquis committat aliquod delictum in loco exempto intra proprium territorium Episcopi, an Episcopus possit cum censura ligare?* Ex p.5.tr.9.ref.37.p.69.

103. *An si delictum inchoatum sit in proprio territorio, & consummatum in alieno, tunc subditus incurrat censuram Statuti generalis sui Episcopi? Et an Episcopus per Statutum possit prohibere sub censura, ne Sacerdos subditus in aliena Diœcesi celebret, & similia?* Ex p.5.tr.9. ref.33. pag.70.

104. *An Episcopus existens extra suam Diœcesim possit excommunicare suum subditum, si res adeo manifesta sit, ut non requirat cognitionem causæ?* Ex p.5. tr.9. ref.35. ibid.

105. *An ratione delicti possit Episcopus excommunicare subditum alienum? Vbi etiam invenies aliud pulchrum dubium, nempe, an si Episcopus Panormitanus ferat excommunicationem contra scientes, quisnam fecerit tale furtum, & non manifestantes; si Petrus, v. g. originarius Diœcesis Montis Regalis perveniat ad Civitatem Panormi post latam hanc sententiam, & ibi acquirat domicilium, & cognoscat furem, & non manifestet, an ligabitur censura? Ex quo infertur, quod censura lata ab Episcopo per viam sententiæ generalis non ligat, nisi subditos ratione personæ, & domicilij, non autem eos, qui subditi non sunt, etiamsi intra eius territorium existant.* Ex p.5.tract. 9.ref.36.pag.73.

106. *An peregrini obligentur censuris locorum generali sententia, aut Statuto Decretis? Et ideo excommunicatio lata contra eos, qui sciunt aliquod furtum, seu delictum esse commissum, non ligat transeuntes advenas, & peregrinos.* Ex p.3.tr.5.& Misc.1.ref.73.ibid.

107. *An Collegium, vel Communitas possit excommunicari? Et quid est dicendum, si quilibet sigillatim excommunicetur; etiamsi omnes eius Collegij excommunicentur?* Ex p.5.tr.9.ref.38.ibid.

108. *An pueri statim post usum rationis teneantur confiteri, & pœnis? Et difficultas est de censuris latis à iure? Et an puer impubes occidens aliquem incurrat, & contrahat irregularitatem? Et an pueri, si in ea ætate ante usum rationis decedant, possint sepeliri in loco interdicto?* Ex p.3.tr.6.& Misc.2.ref.88.p.72.

109. *An impuberes incurrant excommunicationem latam v.g. ab Episcopo contra non observantes præceptum annuæ Confessionis, vel Communionis in Paschate?* Ex p. 4.tr.4.& Misc.ref.207.ibid.

110. *An pueri ante annos pubertatis incidant in excommunicationem latam tam à iure, quam ab homine? Et an ex vi monitorij teneantur impuberes revelare?* Ex p.5. tr.9.ref.46.ibid.

111. *An excommunicatus possit esse Tabellio, & eius instrumenta sint valida? Et an supradictus Tabellio peccet mortaliter exercens munus suum Tabellionis quantumcumque ab aliis requiratur, si sit excommunicatus non tolleratus, si se ingerat? Toleratus verò non peccet, si requiratur ab aliis?* Ex p.5.tr.9.ref.112.p.73.

112. *An excommunicatus possit esse testis, & eius testimonium sit validum? Quæritur etiam, quodnam peccatum committat, si excommunicatus sit testis in iudicium, vel extra? Et an supradicti excommunicati possint esse testes in causa matrimonij, ut & etiam in causa hæresis?* Ex p. 5.tr.9.ref.113.ibid.

113. *An excommunicatus possit esse Advocatus, aut Procurator? Et an matrimonium contractum per Procuratorem excommunicatum sit validum?* Ex p.5.tr.9.ref.114. pag.74.

114. *An excommunicatus possit esse Tutor, vel Curator? Et utrum validi sint contractus ab eis facti?* Ex p.5.tr.9. ref.115. ibid.

115. *An excommunicatus possit esse actor in iudicio? Et an sit peccatum mortale ex obiecto, si excommunicatus ius suum petat in iudicio?* Ex p.5.tr.9.ref.110.ibid.

116. *An excommunicatus vitandus possit petere à suo debitore suum creditum, & is ad id teneatur?* Ex p.5.tr.9. ref.130.p.75.

117. *An excommunicatus possit in iudicio respondere per scriptum, vel cogatur respondere per Procuratorem?* Ex p.5.tr.9.ref.111.ibid.

118. *An excommunicatus possit testari, & si aliquis instituat aliquem excommunicatum pro herede, testamentum sit validum? Et an in supradicto casu omnes contrahentes ad testamentum peccent?* Ex p.5.tr.9.ref.129.ibid.

119. *An excommunicati vitandi possint valide condere testamentum? Et quid, si talis sit excommunicatus pro hæresi, pro usuris, & propter iniuriam factam Cardinali? Et si, infertur excommunicatum vitandum hæredem instituere posse. Et sequitur contractum initum cum excommunicato vitando esse validum, non solum in favorem contrahentium, sed etiam in favorem ipsius excommunicati. Et hinc fit validam esse venditionem, empionem, ... tionem, & donationem tum ab excommunicato, ... ipsi excommunicato factam. Et quid de prædictis contractibus factis à Prælato excommunicato Tutore, Curatore, & similibus?* Ex part.11.tract.4.& Misc.4.resolut.20. pag.76.

120. *An validi sint contractus, qui cum excommunicatis fiunt?* Ex p.5.tr.9.ref.128.p.77.

121. *An non restituens ex opinione probabili, si tenebitur, & illam ... netur à iudice restituere sub excommunicatione, ... incurrat? Et quid est dicendum, quando opinio in favorem rei excommunicati est probabilior?* Ex part.5. tract.9.

tractatu 9. resolutione 72. ibidem.

122. *An excommunicatio lata contra aliquos, quorum unusquisque tamen minimam quantitatem furatus est, sit valida? Et an in tali casu, si unusquisque non restituat suam partem, quamvis minimam, an peccet mortaliter, & ex eo incurrat in dictam excommunicationem?* Ex p. 5. tr. 9. ref. 54. p. 78.

123. *An detur parvitas materiæ in excommunicatione? Et quid contra extrahentes libros à Bibliotheca communi? Et quid est dicendum, si aliquis extraheret extra Bibliothecam librum magni valoris per tres, vel quatuor passus; an excusetur ab excommunicatione ratione parvitatis materiæ? Et an possit intra dictum spatium permanendo illum per multum tempus legere?* Ex p. 10. tract. 11. & Misc. 1. ref. 29. ibid.

124. *An quis non incidat in excommunicationem ratione parvitatis materiæ? Idem dicendum est de casibus reservatis, si v. g. modicitas rei subtractæ in Ecclesia excusaret à mortali, ita etiam à reservatione. Et extra alios casus pro colloquentibus cum Monialibus tandem quæritur, quod tempus dicatur breve, ut cum illis colloquentes non incidant in excommunicationem?* Ex p. 3. tr. 5. & Misc. 1. ref. 69. ibid.

125. *Dubius utrum excommunicationem contraxerit, censendus sit excommunicatus? Et idem dicendum est in dubio de suspensione, & interdicto. Et dubius de alterius excommunicatione, & denunciatione, an debeat illum vitare? Et quid dicendum est, quando excommunicatio est conditionalis, & dubium est an conditio fuerit impleta?* Ex p. 4. tr. 3. ref. 35. p. 79.

126. *Dubius an censuram incurrerit, quid facere debeat? Et quid in simili de irregularitate?* Ex p. 5. tract. 9. ref. 44. ibid.

127. *An excommunicatus aliquando possit recipere Sacramenta sine peccato?* Ex p. 5. tr. 9. ref. 81. ibid.

128. *An extra casus prædictos in præterita Resolutione, si non licite, saltem valide excommunicatus recipiat Sacramenta? Et quid saltem de Sacramento Pœnitentiæ? Et an ipso iure pœnam incurrant, qui excommunicatis vitandis Sacramentum ministrant?* Ex part. 5. tract. 9. resol. 82. ibid.

129. *An excommunicatus non audiendo Missam peccet contra Ecclesiæ præceptum, si sit negligens in obtinenda absolutione excommunicationis? Et an excommunicatus qui per annum non audierit Missam in diebus festis, si postea obtenta absolutione excommunicationis confitetur, teneatur se accusare, quod peccaverit toties contra præceptum audiendi Missam?* Ex p. 4. tract. 4. & Misc. ref. 57. pag. 80.

130. *An si excommunicatus negligens sit in procuranda absolutione excommunicationis, peccet contra Ecclesiasticum præceptum de audienda Missa, annua confessione, & communione?* Ex p. 5. tr. 9. ref. 88. ibid.

131. *An excommunicatus cum alio legens privatè Horas Canonicas, vel Officium B. Virginis, &c. peccet? Idem dicendum est de recitante cum excommunicato.* Ex p. 5. tr. 9. ref. 89. p. 81.

132. *An excommunicatus possit uti aqua benedicta?* Ex p. 5. tr. 9. ref. 90. ibid.

133. *An excommunicati possint ingredi Ecclesiam? Et an possint ibi orare, etiam si alij fideles in Ecclesia privatim orent, & modo separatim illi orent? Et an excommunicatus in eadem Ecclesia cum aliis in communi possit audire concionem? Et quid est dicendum, si excommunicatus Ecclesiam ingrediatur, quo tempore celebrantur eidem divina officia; non quidem ut intersit illis, sed ut transeat per Ecclesiam ob commoditatem itineris, etiam si transeundo genu flectat, & privatâ oratione oret?* Ex p. 5. tr. 9. ref. 86. ibid.

134. *An qui dubitat se esse excommunicatum, possit audire Missam? Et an similiter liceat aliis, simili dubio existente, cum eo communicare?* Ex p. 4. tract. 3. ref. 66. p. 82.

135. *An excommunicatus incurrat aliquam pœnam, si Missæ, aut divinis Officiis assistat? Et an aliquam pœnam incurrant admittentes excommunicatos ad divina Officia?* Ex p. 5. tr. 9. ref. 95. ibid.

136. *Quid facere debeat Sacerdos, si excommunicatus denunciatus intret in Ecclesiam, dum Missa celebratur? Et an sit omittenda Missa post inceptum Canonem, si consecratio non sit facta? Et notatur prohiberi, ne quis simul cum excommunicato audiat Missam eamdem. Sed præter excommunicationem minorem poterit excusari à mortali, si careat indictione, & cooperatione, & fiat absque contemptu & scandalo.* Ex part. 5. tract. 9. ref. 92. ibid.

137. *An pro excommunicatis toleratis liceat publice orare & Sacrificia offerre? Et si excommunicatus toleratus petat pro se offerri suffragia communia, an peccet?* Ex p. 5. tr. 9. ref. 74. ibid.

138. *An liceat offerre suffragia Ecclesiæ pro excommunicatis non toleratis si per contritionem iustificentur, ante obtentam absolutionem? Et an liceat applicare communia suffragia Ecclesiæ ei, cuius excommunicatio est occulta, si mortuus est in gratia?* Ex p. 5. tr. 9. ref. 75. p. 83.

139. *An pro excommunicato iam per contritionem iustificato liceat applicare Sacrificium Missæ ante obtentam absolutionem?* Ex p. 5. tr. 9. ref. 76. ibid.

140. *An liceat privatas orationes, & bona opera pro excommunicatis offerre? Sed difficultas est, an Sacerdos possit orare pro excommunicatis in* Memento *Missæ, etiam si sint denunciati? Et circa orationes privatas pro excommunicatis aliy etiam casus notantur, inferuntur, & explanantur.* Ex p. 5. tr. 9. ref. 77. p. 84.

141. *An declaratus per Cedulones incurrisse in aliquam excommunicationem, si intra terminum appellavit, possit libere cum omnibus communicare? Idem est de recusatione iudicis excommunicantis. Et notatur appellationem legitimam, idest, ex rationabili causa factam antequam iudex absolute ferat excommunicationem ipso facto ob peccatum factum impedire excommunicationis maioris incursionem.* Ex p. 5. tr. 9. ref. 30. p. 85.

142. *An quis legendo inscriptionem, seu Titulum libri alicuius Hæretici incidat in censuram Bullæ Cœnæ? Et quid, si legat indicem, præludia, operis intentionem, epistolam ad Lectorem, & his similia, & an in hoc detur parvitas materiæ? Et quid est dicendum de legentibus unam epistolam hominis hæretici, hæresim continentem? Et notatur non ligari hac censura legentem, retinentem, aut imprimentem epistolam, aut concionem, aut aliam papyrum Hæretici solutam, & non in tractatus, aut formam concinnatam. Et an si hæresis una, vel altera, quæ continebatur in libro penitus inveniatur abrasa, aut ea folia detracta, dicendum sit ex eius lectione non contrahi excommunicationem? Et an ex pluribus eiusdem operis voluminibus possit legi, in quo hæresis non reperitur? Et an si liber unius voluminis in duo redigatur, alter illorum, in quo hæresis non sit, legi possit?* Ex p. 10. tr. 12. & Misc. 2. ref. 48. alias 47. ibid.

143. *An ad evitandum excommunicatum sufficiat tantum, ut sit per publicam sententiam damnatus de aliquo Crimine, cui certum est esse annexam excommunicationem ut v. g. de Hæreticis, Schismaticis, Apostatis, Symoniacis, &c. vel necessarium sit, ut specialiter, & expresse denunciata sit excommunicatio?* Ex part. 5. tract. 9. resolut. 62. p. 86.

144. *An licitum sit communicare cum Hæretico, in quem lata est sententia eum hæreticum declarans, vel necessarium sit, ut publice, & nominatim, atque expresse denuncietur excommunicatus? Et doctrina huius quæstionis est applicanda omnibus delictis secum ferentibus excommunicationem.* Ex p. 5. tr. 14. & Misc. 2. ref. 97. ibid.

145. *An nominatim denunciatum, vel publicum Clerici percussorem in uno loco tenear vitare in alio ubi delictum est occultum?* Ex p. 5. tr. 9. ref. 134. p. 87

 146. *An*

146. *An quis possit resalutare excommunicatum non toleratum, vel respondere eius Chartis?* Ex p.5. tr.9. res. 116. ibid.

147. *An in communicatione cum excommunicato non tolerato detur parvitas materiæ? Et quid in Divinis, & Sacris? Et quid si communicet in crimine crimine so, vel in aliis casibus, in quibus fideles communicando cum excommunicato incurrunt maiorem excommunicationem? Et an si excommunicatus iudicet, peccet mortaliter? Et quid, si unum tantum testem recipiat, vel quid simile? Et quid, si aliqui legunt officium divinum cum excommunicato? Et an excommunicatus agens in iudicio regulariter loquendo non peccet mortaliter, ratione parvitatis materiæ, & secus si sæpius agat? Et tandem quæritur an lavari interdum cum Iudæo in balneo non nunquam excipere, vel exvipi in convivio, & alia huius generis varius effecta sint tantum peccatum veniale ob materiæ levitatem?* Ex p.5. tr.5.res.21.ibid.

148. *An licitum sit communicare cum excommunicato tolerato si non esset excommunicatus non solum in humanis, sed etiam in Sacramentis, & in quibuscumque aliis divinis?* Ex part.5. tract. 9. resolut. 117. pagina 88.

149. *An communicatio in humanis, & civilibus cum nominatim excommunicato, vel denunciato sit peccatum mortale? Et an communicans cum prædicto excommunicato nominatim præter peccatum veniale incurrat etiam excommunicationem minorem? Et an detur aliquis casus, in quo incurrat etiam excommunicationem maiorem?* Ex p.5.tr.9.res.2.ibid.

150. *An communicare cum excommunicato non tolerato in rebus politicis & civilibus sit tantum peccatum veniale? Sed difficultas est, an extra prædictas causas in hoc versit inclusas*, utile, lex, humile, res ignorata, necesse, *si quis communicet cum excommunicato denunciato in civilibus, peccet mortaliter?* Ex p.7.tract.11.& Misc.2.res. 47.p.89.

151. *An liceat communicare cum excommunicato in diversa mensa? Idem est de lecto. Et an prohibeatur hæc communicatio etiam in diversis mensis, facto convivio in eadem domo, & eodem tempore per modum unius? Et quid, si in prædicto casu mensæ sint in diversis cubiculis?* Ex p. 5.tr.9.res.121.ibid.

152. *An sponsus excommunicatus possit communicare cum sponsa? Et distinguitur inter sponsos de futuro, & de præsenti?* Ex p.5. tract.9.res.126.p.90.

153. *An uxori liceat communicare cum marito excommunicato? Et quid, quando excommunicatio est causa matrimonij? Et alij casus excipiuntur in textu huius Resolutionis in quibus vxor non potest uti communicatione viri excommunicati. Et difficultas adhuc superest, an si mulier scienter contraheret matrimonium cum excommunicato, possit cum illo communicare?* Ex part.5. tract.9.res.122. ibid.

154. *An maritus possit communicare cum vxore excommunicata? Idem est, si contigerit utrumque esse excommunicatum. Et si maritus neglexerit vxorem corripere de contumacia, ob quam excommunicata est, an peccet?* Ex p. 5.tract.9.res.123.p.91.

155. *An nepotes, prænepotes, nurus, gener, socer, privignus, privigna, spurius, & pupillus comprehendantur nomine filiorum, ita ut possint cum excommunicato communicare? Idem est dicendum de pupillo respectu Tutoris. Et consequenter etiam nomine Patris intelliguntur avus, abavus &c.* Ex p. 5.tr.9.res.119. ibid.

156. *An filij etiam emancipati naturales & adoptivi cum patre excommunicato possint communicare?* Ex p.5.tr.9. res.118.p.92.

157. *An pater possit communicare cum filio excommunicato? Idem dubium est de servo. Et docetur excommunicationem incurrere parentes communicantes cum filia excommunicata, eo quod post professionem matrimonium duxerat. Et quid, si censura incursa est à patre, filio, &c. ob crimen hæresis, si instet periculum infectionis? Et inferur, quod si filius patris Parochus sit non licebit ei Sacramentum ministrare, nec coram eo divina facere.* Ex p.5.tract.9.resol. 120. ibid.

158. *An servi possint communicare cum Domino excommunicato? Sed difficultas est, quando servitus non præcessit, sed fuit posterior excommunicatione; quod idem dicendum est de famulis, aut etiam operariis. Et an uxor, filius, servus, & supradictæ personæ possint communicare cum marito, patre, & domino, excommunicato, etiam in Sacris?* Ex p.5.tr.9.res.124.ibid.

159. *An servi eiusdem domini, quando unus illorum est excommunicatus, possint alij cum illo communicare? Eadem dubium est de filiis respectu alterius filij: Et an Dominus possit communicare cum servis excommunicatis?* Ex p.5. tr.9.res.125.p.93.

160. *An testes de iure privilegiati teneantur revelare crimen occultum sui coniuncti, si non adsint alij testes propter excommunicationem latam in aliquo monitorio?* Et p.3.tr.5.& Misc.1.res.63.ibid.

161. *An testes privilegiati de iure teneantur ex vi monitorij revelare crimen sui coniuncti, etiam si non adsint alij testes: Idem est de coniunctissimo amico & de benefactore planè insigni. Et an hoc intelligatur tam in causis criminalibus, quam in civilibus? Et an filius spiritualis teneatur detegere patrem spiritualem? Et quid, si casus sint pertinentes ad Tribunal S. Inquisitionis: Et explanatur, qui sunt dicti privilegiati?* Ex part.5.tr.13.& Misc.1.res.67.ibid.

162. *An consanguinei usque ad quartum gradum teneantur testificari vigore Edictorum. Si non sint alij, qui denunciare valeant? Et an nomine consanguineorum comprehendatur coniux ipsa? Et an hoc intelligatur tam in causis criminalibus, quam in civilibus? Et quid non solum in causa hæresis, sed etiam in aliis delictis pertinentibus ad Tribunal S. Inquisitionis?* Ex p.3. tract.7. & Misc.res. 10. p.94.

163. *An non revelantes ex vi monitorij teneantur restituere damna indè sequuta? Vt v.g. qui tenetur denunciare furtum, si non denunciat, non solum incurrat excommunicationem, sed insuper teneatur restituere damnificato? Et an testis vocatus à iudice ad testificandum, intimato præcepto, si fugiat, teneatur restituere damna indè sequta?* Ex p.5.tract.13.& Misc.1.res.68.p.95.

164. *An ex vi monitorij quis teneatur revelare furtum domesticum factum à filio familias? Et quid de famulis, vel aliis sociis furti filiorum?* Ex p.5. tract.13. & Misc.1. res.69.ibid.

165. *Quando quis virtute alicuius monitorij teneatur revelare scripturas? Et tota doctrina huius Resolutionis est valde notanda pro circunstantiis, quæ in prædicto casu contingere possunt.* Ex p.9. tract.9. & Misc.4.resolut. 49. alias 48. ibid.

166. *An præsentatio facta à Patrono laico excommunicato non tolerato sit valida? Et quid, si præsentatio sit facta à Patrono Ecclesiastico excommunicato: Et an supradicta præsentatio facta à laico sit ita valida, ut tenatur Episcopus eam admittere? Et an quoad hoc idem dicendum sit, etiam si Patronus sit excommunicatus tolerandus?* Ex p. 5.tract.9.res.105.p.97.

167. *Quam pœnam incurrant conferentes beneficium excommunicato?* Ex p.5.tr.9.res.107.p.98.

168. *An electio ad beneficium excommunicati excommunicationis minoris sit irritanda, si Electores illam ignorationis minoris sit irritanda, si Electores illam ignorationis minoris sit irritanda, si Electores illam ignor

sed possit retinere fructus interim perceptos, qui respondet congruæ ipsius sustentationis? Et notatur, quod si provisus ignoret se esse excommunicatū, ignorantia probabilis tunc electio & collatio beneficij non erit irrita. Et tandem quæritur, an collatio beneficij facta ab excommunicato tolerata sit valida? Ex p. 5. tr. 9. res. 99. ibid.

170. *An excommunicatus, cui facta est collatio beneficij post* susceptam absolutionem retinere, vel acceptare illud sine nova collatione? Et infertur eum, cui in excommunicatione beneficium est collatum debere illud resignare, in manus Collatoris purè, & simpliciter, sed poterit Collator ei secundo conferre. Ex p. 5. tract. 9. res. 101. p. 99.

171. *An sit valida acceptatio beneficij ab excommunicato,* qui tempore Collationis, & electionis non erat excommunicatus? Et an Canonicus excommunicatus, validè possit acceptare prebendam meliorem, & beneficium pinguius? Sed maior difficultas est, an sit valida electio, & præsentatio facta tempore excommunicationis acceptatam post obtentam absolutionem excommunicationis modo tempore acceptationis Electores & præsentatores permanserint in sua prima voluntate? Et quid, si periculum imminet infamiæ & scandali an excommunicatus occultus in electione, vel Collatione beneficij non teneatur suam excommunicationem prodere, sed possit sine ullo scrupulo acceptare beneficium, & postea quam primum occultè petere dispensationem? Ex p. 4. tr. 4. & Misc. res. 56. ibid.

172. *An excommunicatus validè acceptet beneficium, si ante* excommunicationem fuerit ei collatum? Et quid dicendum est de antiquiori Canonico, qui licet sit excommunicatus, an possit validè acceptare pinguiorem prebendam, licet collatio suspendenda sit donec absolvatur? Ex p. 5. tr. 9. res. 102. p. 100.

173. *An excommunicatus privetur fructibus beneficij ante* excommunicationem legitimè obtenti? Et si excommunicatus sit pauper, & fructibus indigeat, ut sustentetur, an possit aliquid de fructibus percipere? Ex p. 5. tr. 9. res. 104. p. 101.

174. *An beneficiarius si incidat in excommunicationem, sit* privatus fructibus, redditibus, seu distributionibus beneficij? Sive excommunicatus sit Curator animarum, sive Canonicus, sive habeat beneficium simplex? Ex p. 4. tr. 4. & Misc. res. 54. ibid.

175. *An recipiens beneficium animo illud resignandi, vel* permanendi peccet mortaliter & incurrat in excommunicationem latam per Paulum IV. & reservatam Papæ? Ex p. 8. tract. 7. & Misc. res. 14. p. 102.

176. *An licitum sit procurare, & obtinere beneficium animo* resignandi illud? Ex p. 9. tr. 7. & Misc. 2. res. 53. alias 52. p. 103.

177. *An resignatio beneficij ab excommunicato facta in fa-* vorem tertiæ personæ sit valida? Et an hoc etiam locum habeat in excommunicato vitando? Ex p. 5. tr. 9. res. 106. ibid.

178. *An excommunicatus sit inhabilis ad recipiendas pen-*siones? Et an hoc locum habere debeat in pensionibus, quæ dantur titulo spirituali, non vero in his, quæ non sunt beneficium, quia dantur titulo seculari? Ex p. 5. tr. 9. res. 103. ibid.

179. *An collatio pensionis facta excommunicato titulo Cle-*ricali sit invalida? Ex p. 4. tract. 4. & Misc. resolut. 55. p. 104.

180. *Excommunicatus excommunicatione minori absque* dispensatione impetravit pensionem; quam postea sine licentia Papæ exinxit; adiit Confessarium, qui illum ad me misit, quæritur, &c. Et infertur, quod excommunicatus minori excommunicatione potest opponi ad beneficium Curatum, in Concursu, cuius admissio ad examen, & oppositio valida erunt, sicut & collatio, &c. Et asseritur non posse pensionem absque authoritate Papæ redimi sine culpa. Et probatur simoniam esse extinguere pensionem sine assensu Apostolico. Ex part. 11. tract. 5. & Misc. 5. res. 5. ibid.

De Absolutione Excommunicationis. pag. 106.

181. *An Pontifex possit aliquem absolvere à censuris* actu solo interiori? Et aliquæ primo supponuntur pro solutione prædictæ quæstionis. Et docetur, quod in foro conscientiæ in Sacramento, vel extra non debet absolvens verberare excommunicatum, nec cum Psalmis, & precibus illum absolvere, sed, &c. Ex p. 11. tr. 3. & Misc. 3. res. 36. ibid.

182. *De effectu excommunicationis minoris, & de eius ab-*solutione. Et an excommunicatus excommunicatione minori, licet valide administret Sacramenta, peccet tamen in eius administratione? Et an simplex Sacerdos non approbatus ab ordinario possit absolvere ab excommunicatione minori, quamvis sic excommunicatus habeat peccatum mortale? Et quid, quamvis supra dicta excommunicatio incursa sit ob peccatum mortale? Et an ex delegatione non solum simplex Sacerdos, sed etiam Diaconus, aut quilibet alius Clericus possit à minori excommunicatione absolvere? Et an si excommunicatus excommunicatione minori celebret, vel recipiat aliquod Sacramentum incurrat irregularitatem, vel maiorem excommunicationem: Et notatur electionem passivam eius, qui est irretitus excommunicatione minori, non esse irritam, sed irritandam. Ex part. 5. tract. 9. res. 3. ibid.

183. *An absolutio excommunicationis valeat, si dicat* Absolvo te, non addendo ab excommunicatione, vel suspensione? Et quid, si absolutio detur invito, vel detur non petenti, ut fieri solet in confessione ante absolutionem sacramentalem à peccatis, etiam quando pœnitens nihil cogitat de absolutione à censuris? Et in §. ult. huius Resolutionis aliqua alia valde notanda discutiuntur pro absolutione excommunicationis, & eius forma. Ex p. 5. tract. 9. resolut. 31. p. 107.

184. *An sit peccatum mortale relinquere cæremonias in ab-*solutione excommunicationis? Et in quo sensu intelligatur iuramentum, quod exigitur ab excommunicato? Ex p. 5. tr. 9. res. 23. ibid.

185. *An iuramentum de parendo, &c. præstandum sit sem-*per in absolutione excommunicationis maioris, & si omittatur, quando debet præstari, an absolutio sit nulla? Ex p. 5. tr. 9. res. 68. p. 108.

186. *An excommunicatus, si non potest satisfacere, debeat* saltem Confessario præstare cautionem iuratoriam? Et an ille processus satisfactionis, & cautionis pignoratitiæ, & iuratoriæ intelligendus sit pro foro exteriori; nam in foro pœnitentiali, deficiente possibilitate pœnitentis, propositum eius firmum tantum valeat? Ex p. 2. tr. 16. & Misc. 2. res. 42. alias 44. ibid.

187. *An excommunicatus, ut absolvatur, sufficiat dare fi-*deiussoriam cautionem, si non possit dare pignoratitiam? Et qui incurrit excommunicationem eo quod, cum potuit, non solvit decimas, si postea fiat impotens, an possit absolvi per Bullam cum cautione, non obstante Concilio Tridentino, sess. 25. c. 12. de Reformat. dicente talem non esse absolvendum nisi plena restitutione subsequuta? Ex p. 5. tr. 9. res. 39. ibid.

188. *An pœnitens oblitus censuræ exigentis satisfactionem,* remaneat absolutus per generalem absolutionem, collatam à Confessario potestatem habente? Et an pœnitens in Confessione etiam extra Iubilæum facta, si nullam faciat mentionem censurarum, remaneat absolutus ab illis, quarum sit inculpabiliter oblitus, etiam si Superior Confessarius non habuisset expressam intentionem ab his absolvendi? Et difficultas est, an talis pœnitens remaneat absolutus ab his, quas culpabiliter non expresserit, quoties absolutio sit collata ab habente potestatem ordinariam? Ex part. 7. tract. 10. & Misc. 1. resol. 12. ibid.

189. *An licite absolvatur quis ab excõmunicatione invitus, licet non velit desistere à contumacia, & à peccato propter quod fuit excommunicatus? Et an hoc intelligatur tantum de absolutione ab homine, non autem de absolutione à iure? Et an per Bullam Cruciatæ, Iubilæum, vel aliud privilegium concessum in favorem pœnitentis non possit absolvi invitus ab excommunicatione, secus si privilegiũ sit concessum in favorem Confessarij, ut si sit Religiosus, &c.* Ex p.5.tr.9.res.10.p.109.

190. *An absolutio ab excommunicatione data sub conditione in futurum, valide conferatur?* Ex p.5.tract.9. res.14. ibid.

191. *An ut absolutus ab excommunicatione ad reincidentiam in eam reincidat, sit necessaria nova culpa? Et an qui potest absolute absolvere, possit etiam ad reincidentiam, quamvis excommunicare non possit?* Ex p.5. tract. 9.res.15.pag.110

192. *An si pars dilatet tempus absolutionis ad reincidentiam à iudice facta, incurratur, elapso tempore excommunicatio, vel necesse sit aliam excommunicationem ferre?* Ex p. 5.tr.9.res.22.p.111.

193. *An ab excommunicatione lata ab homine generaliter, quando non reservatur, possit absolvere Parochus, seu alius Confessarius, qui potest ab excommunicatione à iure lata non reservata?* Ex p.5.tr.9.res.4.ibid.

194. *Quisnam possit absolvere à censura iuris nemini reservata? Idem est de censura permanente, & imposita per modum statuti. Et an absolutio excommunicationis maioris impendi possit extra confessionem sacramentalem tam ab Episcopo, quam à Parocho, aut Confessario ordinario?* Ex p.5.tr.9.res.5.p.112.

195. *An Episcopus possit absolvere à censuris reservatis Papæ, existente impedimento illum adeundi: ita tamen, ut cessante impedimento, teneatur adire saltem per Procuratorem sub pœna reincidentiæ; quam obligationem tenetur illi iniungere, si non sit impedimentum pueritiæ, qua adhuc cessante adire non tenetur? Et an, qui impediti sunt si adire queant Nuntium, aut Legatum Pontificis, possint absolvi ab Episcopo? Et docetur, quod si impeditus nequeat Episcopum adire, possit cum prædicto onere à Parocho absolvi, eoque deficiente ab alio Confessario. Et in textu huius Resolutionis apponuntur impedimenta, quæ excusare possunt excommunicatum à recursu ad Papam. Et an si impedimentum sit brevis temporis, tunc non possit ab excommunicatione Papæ reservata Episcopus absolvere? Et quid, si ignoratur quamdiu duraturum esset impedimentum* Ex p.11.tr.8.& Misc.8.res.1.ibid.

196. *Quisnam possit absolvere ab excommunicatione maiori lata à iure, & reservata? Et an etiam Episcopus possit absolvere ab excommunicatione reservata Papæ, quando delictum est occultum, vel quando excommunicatio est publica, sed excommunicatus nõ potest recurrere ad Papam? Et in corpore huius Resolutionis explanantur impedimenta, cum quibus excommunicatus excusatur recurrere ad Papam pro absolutione reservata. Et tandem quæritur an excommunicatus impeditus ex supra dictis causis, & impedimentis, si non possit adire Papam pro absolutione, teneatur adire Legatum, vel alium habentem privilegium Papæ, vel ab Episcopo absolvi possit, & si nec Episcopum adire possit, Parochus, eoque deficiente, quivis Confessarius approbatus eum absolvere possit? Et an, qui absolutus est ab Episcopo, teneatur postea, cessante impedimento, se præsentare Pontifici per se, vel Procuratorem?* Ex p. 5.tr.9.res.6.p.113.

197. *An excommunicatus, si non potest propter impedimentum Papam adire, teneatur impetrare absolutionem per Epistolam, aut Procuratorem, vel possit absolvi ab Episcopo? Sed magis difficultas est in tali casu, an excommunicatus possit absolvi ab Episcopo, si potest adire Nuntium Summi Pontificis vel alium habentem privilegium Papæ?* Ex p.4.tr.4.& Misc.res.58.p.114.

198. *An Episcopus reservando absolutionem alicuius excommunicationis Summo Pontifici, possit, hoc non obstante Metropolitanus in casibus sibi permissis eam elargiri? in textu huius Resolutionis adducuntur aliqui casus exemplum supra dictæ quæstionis.* Ex p.3.tr.4.res.15 alias 158. ibid.

199. *An excommunicatus ab uno Episcopo possit ab illo absolvi etiamsi mutaverit domicilium; vel sit absolvendus ab Episcopo, cui tunc subditus est?* Ex p.5.tract.9. res.1 pag.115.

200. *An qui dum versabatur in alieno Episcopatu fuit excommunicatus, rediens in patriam possit absolvi à proprio Episcopo? Idem dicendum est, si ita versatus in alieno Episcopatu fuit in aliqua causa citatus coram illo Episcopo, in qua causa contingat illum excommunicari.* Ex p. 5.tr.9.res.9.ibid.

201. *An absolutus à censuris reservatis in articulo mortis convaluerit, teneatur accedere ad Superiorem? Et hic quæritur, an per Indulgentias non compensetur, nec tollatur obligatio adimplendi satisfactionem sacramentalem, ita ut pœnitens eximatur à debito eam exequendi. Et quid si pœnitentia imponatur non solum in satisfactionem, verum etiam in medicinam, & remedium?* Ex p.9.tr.& Misc.1.res.35. alias 36. ibid.

202. *An absolutus tempore mortis ab excommunicatione elapso morbo, teneatur, quam primum poterit se præsentare Superiori, alioquin reincidet in eamdem excommunicationem, sicut erat prius? Et in dicto casu an teneatur se præsentare vel sufficiat, ut absens appareat? Et an, qui in articulo mortis fuit absolutus à censuris reservatis Papæ, aut Episcopo vi alicuius Bullæ, Iubilæi, aut Privilegij, vel à delegatis prædictorum, non teneatur se præsentare, imo etiam satisfaceret, quod est valde notandum, meri comparendi, si coram Confessario facultatem habeat ex privilegio absolvendi extra mortis articulum, se præsentare?* Ex p.5.tr.14.& Misc.2.res.59.p.116.

203. *An absolutus à censuris tempore mortis, teneatur postea se personaliter præsentare Superiori, vel sufficiat, si per Procuratorem se præsentet? Et quid, si censura sit ob percussionem Clerici? Et an, qui modo reincidit in eandem censuram, quia non se præsentavit Superiori, sit adhuc vitandus ex eo, quod ante absolutionem esset vitandus?* Ex p.8.tr.7.& Misc. res.66.p.117.

204. *Quomodo simplex Sacerdos absolvat morituram ab excommunicatione maiori? Et doctrina huius Resolutionis est valde notanda, & in promptu tenenda ab omnibus Sacerdotibus & Confessariis pro praxi supra dictæ quæstionis, & absolutionis dandæ in articulo mortis. Et tandem quæritur, an in articulo mortis simplex Sacerdos possit absolvere etiam ab irregularitate, quæ contrahitur ex percato? Et notatur, quod potest ita urgere necessitas in articulo mortis, ut sufficiat unico verbo dicere Absolvo te, intendendo absolvere prius à censuris, & postea à peccatis.* Ex p.5.tr.3.res.67.ibid.

205. *A quibus censuris possit simplex Sacerdos absolvere in articulo mortis? Et quid, si adsit Sacerdos, qui alias possit, & haberet iurisdictionem in censuris?* Ex p.7.tract.10.& Misc.1.res.11.p.118.

206. *An in articulo mortis possit Confessarius absolvere ab omni excommunicatione? Sed difficultas est, an in articulo mortis possit simplex Sacerdos absolvere ab excommunicatione, præsente Parocho, aut approbato? Et an in precatione, præsente Parocho, aut approbato? Et an in precatione, præsente Parocho, aut approbato? Et an in prec

contritionis? Ex p.7.tract.10. & Misc.1. res.10.p.119.

208. *An notoriè excommunicatus in articulo mortis possit saltem absolvi à censuris si submutescens nullum signum contritionis ostendit? Et quid, si constaret evidenter ægrum privatum usu rationis omninò impœnitentem in talem flamm incidisse?* Et an in supra dicto casu possit etiam laicus talem absolutionem moribundo concedere? Et aliqua alia adducuntur quæ contingere possunt in supradictis casibus. Ex part. 9. tract.7. & Miscel.2.resol.13. ibid.

209. *Quid faciendum sit cum excommunicato qui tempore mortis dedit signa contritionis, sed non fuit absolutus? Et qui mortuus est excommunicatus, & si non constat mortuum esse in peccato mortali, an possit Prælatus eum absolvere à censura, ut in Ecclesia sepeliatur, si non dedit signa contritionis; vel possit post eius mortem sumi Bullæ, si illam antea mortuus non habebat & per eam eum absolvere ab excommunicatione?* Ex part.5.tract.9. res. 24. ibid.

210. *An non solum Clericus, sed etiam laicus possit in articulo mortis à censuris absolvere? Idem dicendum est de interdicto. Et si aliquis ita fuit absolutus à laico in articulo mortis an hæredes debeant postulare absolutionem ab eo, qui potest absolvere, ut detur ei defuncto Ecclesiastica sepultura, & possint fieri communia suffragia pro eo? Et cursim nota, quod si censura fuit reservata & aliquis ab illa non fuit absolutus in vita, non potest post mortem à quolibet Sacerdote relaxari, sed solum ab eo, cui reservatur, vel eius delegato.* Ex p.5.tr.9. res.7.p.120.

211. *Laicus quidam absolvit ab excommunicatione morientem, quæritur, an absolutio sit valida, ita ut in loco sacro defunctus sepeliendus sit? Et an hæredes ita absoluti teneantur adire Papam, vel excommunicantem pro absolutione? vel poterunt sepelire defunctum in loco sacro & pro eo facere Missas celebrare? Et an laicus in prædicto casu, & mortis articulo possit moribundo concedere Indulgentiam Bullæ Cruciatæ?* Ex p.3.tr.4.res.132.alias 133. ibid.

212. *An laicus possit absolvere morientem à censuris? Et an possit laicus, quando non est Sacerdos applicare moribundo Indulgentias Bullæ Cruciatæ?* Ex p.3.tract.addit. res.12.p.121.

213. *An si non adsit Sacerdos liceat laico absolvere moribundum à censuris, ut non careat Ecclesiastica sepultura? Et an in tali casu, quando absolutio à Sacerdote obtenta non est, ut post mortem prosit absolutio à laico, data expediat ut obtineatur nova absolutio ab illo, cui excommunicatio erat reservata, si commodè fieri possit?* Ex p5.tract.3.res.77.ibid.

214. *An sepeliens in Ecclesia excommunicatum absolutum à censuris à laico in articulo mortis, peccet, & in pœnas & censuram excommunicationis incurrat? Et supponitur sepelientes excommunicatum in maiori excommunicatione; imò & lavantes, & vestientes, vel funus ducentes, incurrere excommunicationem. Et resolutio supra dictæ quæstionis pendet etiam ab illa, an laicus possit absolvere à censuris in articulo mortis; nam Ecclesia, & saltem Summus Pontifex potest hanc facultatem dare, & Clerico non Sacerdoti concedere; imò & etiam laico? Et docetur, quod Ecclesiastica sepultura deneganda est in casu claro, & manifesto; nam quando dubitatur, an cadaver sepeliendum sit, necne, tunc debet in loco sacro sepeliri; nam in partem favorabilem & meliorem inclinandum est?* Ex part.8. tract.7.& Misc.res. 79. ibid.

Appendix ad cæteras alias quæstiones, simul pertinentes ad hunc *tract.* 1. *de excommunicatione, & eius absolutione, huius tom.*5.

Quodnam peccatum committat excommunicatus excommunicatione minori ministrando Sacramenta? Et an confessus excommunicato excommunicatione minori teneatur reiterare confessionem? Et an excommunicatus denunciandus, & evitandus possit conferre Sacramenta? Et an per accidens in variis casibus etiam nominatim excommunicatus denunciandus & evitandus possit excusari à peccato ministrando Sacramenta, & celebrando? Et quid est dicendum de excommunicato tolerato? Et an Sacerdos excommunicatus absolvendo petentem administrationem Sacramenti incurrat irregularitatem? Et an si Sacerdos sit excommunicatus & adsint alij, sit tamen ab ipso petenda administratio Sacramenti Baptismi in necessitate? Et notatur licitum esse sine ulla necessitate petere Sacramentum à quovis excommunicato tolerato, dummodo non sit aliud impedimentum præter excommunicationem, nec peccare Ministrum istum dum ad petitionem alterius ministrat, & secus si se invitaret. Ex p.5.tr.9.ex res.45.83. 96. & 133.& in tract.7.ex res.4.& in tract.9.ex res.87. & in p.10.tr.11.ex res.64. *Quæ nunc invenientur* in to. 1.tr.1.de Baptismo res.13.15.16.17.18.44.& 19.

An quis satisfaciat præcepto Ecclesiæ cum confessione voluntariè nulla, quia sine dolore, proposito, &c. ita ut per dictam confessionem possit vitare pœnam excommunicationis in Constitutionibus Episcopalibus impositam? Et an pueri post usum rationis incurrant prædictam excommunicationem, vel necesse sit, ut 14. annos habeant, ad incurrendam supradictam excommunicationem & ita pueri excusentur à sententia ferenda à iudice, non autem à censura Canonis? Et an Sacerdos sine approbatione absolvens incurrat aliquam censuram vel irregularitatem? Et an aliquis excommunicatus urgente necessitate celebrandi, vel communicandi possit celebrare, aut communicare sine prævia confessione & contritione, & pro praxi huius quæstionis adducitur pulchrum dubium? Et an meretrices, quæ in Paschate confessæ non sunt, priventur Ecclesiastica sepultura, & incidant in excommunicationem aliquam synodalem, si extat? Ex p.3.tract.4. ex res.119. alias 120. & in p.6.tract.6.ex res.52. & in p.10. tr.12. ex res.16. & 36. *Quæ hic reperientur* in tom.1. tract.3.de Pœnitentia res.50. 27. 176.& 83.

An absolutio obtenta bona fide à peccatis tantum, & non à censuris sit valida, si pœnitens sit nodatus aliqua excommunicatione etiam reservata, ita ut non teneatur iterare confessionem, sed tantum petere absolutionem ab excommunicatione? Et quid est dicendum, si Confessarius sciat peccata habere excommunicationem, & eum, hoc non obstante ex malitia absolvit, licet non habeat potestatem absolvendi à tali censura? Et An absolutio sacramentalis data ab excommunicato vitando sit valida; & an hoc etiam intelligatur, si absolutio sit tantum de peccatis venialibus? Et an Sacerdos, v.g. qui in Hispania est nominatim excommunicatus, vel notorius Clerici percussor, si in Sicilia venit, ubi hoc ignoratur, & confertur sibi beneficium Parochiale, confessiones, quas audit, an validæ sint? Ex p.3. tr.4. res.78. & in p.10. tr. 15.ex res. 14. *Quæ hic est* in tom.1.tr.4. de Absolutione Sacramentali res.38. & 12.

An nominatim excommunicatus possit validè absolvere à venialibus? Et an excommunicatus, si Sacramentum pœnitentiæ recipiat, validè absolvatur? Et an moribundus, quando alius non adest Sacerdos, possit petere à Sacerdote excommunicato, hæretico, schismatico, &c. absolutionem, etiam si sciat supradictos cum peccato Sacramentum administra-

ministraturos? Et quid, quando in prædicto casu concurrunt simplex Sacerdos, & Sacerdos approbatus, sed excommunicatus, suspensus, &c. vel quando concurrunt approbatus simpliciter, & excommunicatus habens privilegium absolvendi à censuris, & reservatis, si casus reservati moribundi habeant annexam censuram, &c. Ex p.5. tr.9.ex ref.84.& 53.& in tract.3.ex ref.58.& 57.& in p.4.tr.4.ex ref.135.& in p.5.tr.3.ex ref.69.& 66. *Quæ nunc invenientur* in tom.1.tr.4. de Absolutione Sacramentali ref.11.25.40.41.42.43.& 44.

An Confessarius absolvens à casibus reservatis Episcopo sine prætextu alicuius privilegij incidat in excommunicationem & alias pœnas Decreti Clem. VIII. Et an Religiosus, qui absolverit absque facultate ab aliquo casu in Religione reservato non incidat in pœnas dicti decreti iuxta aliud decretum eiusdem Clem.VIII. Et an qui absolvit à reservatis, vel ex inconsideratione, aut ignorantia non tamen crassa, aut affectata non incidat in prædictam excommunicationem? Et an Sacerdos, qui in prædictam excommunicationem incidit, possit absolvi ab Episcopo vigore Concilij Trid.sess.24.de Reform. Et an qui habet casum reservatum cum annexa excommunicatione, & urgente necessitate celebravit, quæsierunt an in tali casu tenebatur confiteri cum Sacerdote inferiori? Idem est dicendum de laico, si urgente necessitate communicavit. Et an reservatio casuum includat peccata præterita, si censura super his imponatur? Et an in casibus, & censuris reservatis detur parvitas materiæ. Et an alumni, qui vivunt in Collegiis Societatis Iesu, vel aliorum Regularium exemptorum subdantur censuris Episcopalibus? Et an non solum in articulo, sed etiam in periculo mortis possit quis eligere Confessarium non approbatum pro omnibus peccatis, & censuris? Et an in prædicto periculo possit quis eligere in Confessarium excommunicatum etiam non toleratum? Et an simplex Sacerdos possit absolvere omnes parturientes tanquam constitutas in periculo mortis ab omnibus cēsuris, & reservatis? Et an confessio reservatorum invalida, si facta sit Confessario habenti facultatem delegatam, tollat etiam reservationem, quando peccatum est reservatum ob solam annexam censuram? Et an si Superior habens potestatem delegatam absolvendi à censuris reservatis, absolvat ab una censura, non maneat pœnitens absolutus ab aliis, quas forte incurrerat, nec ablata sit reservatio pro illis? Et quid quando absolvit generaliter ab omni censura, in quantum potest, an tunc dirigantur verba ad omnes censuras, etiam oblitas? Ex p.3.tr.4.ex ref. 73.& 103.alias 104.& in tr.5.ex ref.68.& in p.5.tr.13. ex ref.10.& in p.8.tr.7.ex ref.70.& in p.5. tr.5. ex ref. 46.& in p.7.tr.12.ex ref.14.& in p.3.tr.4.ex ref.71.57. & 72.& in p.8.tr.7.ex ref.65.& in p.10. tr.13. ex ref. 56.& in tr.14. ex ref.70.alias 68. *Quæ hic reperientur* in to.1.tr.5.de Reservatis ref.23.32. 35.34. 44.46.54. 1.2.5.30.26.& 52.

Quando censetur non adesse copiam Superioris habentis potestatem in censuras, ut possit constituras in articulo mortis absolvi à quocunque Sacerdote? Et an, qui legitime impeditus non potest ire Romam pro absolutione excommunicationis, teneatur illam obtinere à Sacra Pœnitentiaria? Et difficultas vero est, an prædicta facultas absolvendi legitimi impeditos physice, vel moraliter adire Papā à iure Episcopis permissa se extendat ad omnes culpas, & censuras Sedi Apostolicæ reservatas, ita ut nulla sit excipiēda? Et quid in causa hæresis? Et notatur, quod Episcopus potest subditos impeditos ab excommunicatione Papali sive occulta, sive publica absolvere, non audita confessione sacramentali, vel extra confessionem Sacramentalem; & subditus sit absolutus à censura, poterit deinde à quocumque Confessario absolvi à culpa. Et an in supra dictis casibus Episcopus possit absolvere subditos, sive præsentes, sive absentes sint; sive ipse sit in propria Diœcesi, sive extra, sive è converso, vel si tam subditi, quam Episcopus sint extra Diœcesim? Et an impeditus ire Romam pro absolutione censuræ Papalis, si sit etiā impeditus adire Episcopum, possit à Parocho, vel à quolibet alio Confessario absolvi? Ex p.5.tr.3.ex r.65.& in p.9.tr.7.ex ref.9.& 10. *Quæ hic sunt* in to.1.tr.5.de Reservatis ref.4.16.& 17.

An si quis uno ictu tres occideret Clericos, in tres excommunicationes incideret; & secus autem si ter percuteret Clericum? Ex p.3.tr.4.ex ref.163.alias 164. *Quæ nunc invenietur* in tom.1.tr.7.de Circumstantiis ref.21.

An Consiliarius teneatur manifestare Prælato, quod consuluit, & communicavit cum Petro, in ordine ad confessionem, etiam, si sub excommunicatione præcipiat? Ex p.3. tr.11.ex ref. 44. *Quæ hic reperietur* in tom.1.tr.8. de Sigillo Confessionis ref.40.

An Sacerdos celebrans excommunicatus committat duplex peccatum, non præmissa confessione, sciens se teneri vinculo peccati, & censuræ? Et an Sacerdos celebrans Missam, si alium non habeat, possit uti Ministro excommunicato non denunciato? Et quid, si sit denunciatus? Et an ante pro evitando mortis periculo possit celebrare excommunicatus? Et an necessitas dandi Viaticum moribundo sufficiat ut Sacerdos excommunicatus possit celebrare, & etiam sine prævia Confessione, si non adsit copia Confessarij, vel Sacerdos moriatur post consecrationem, & non sit alius, qui perficiat Sacrificium, nisi Sacerdos excommunicatus? Ex part.2.tract.14.ex ref.22. & in p.5.tra.9. ex ref.9. & in tract.3.ex ref.39.& 36.& in part.9.tract.6.ex ref. 18. *Quæ hic sunt* in tom.2.tra.1. de Celebratione Missarum ref.152.161.129.134.& 238

An pueri non communicantes in Paschate excommunicatione, & pœnis non ligentur usque ad 14.annum? Et an ob in Paschate communicavit indigne, satisfecerit præceptu, & non incurrat excommunicationem latam ab Ordinario contra transgressores præcepti communionis? Et an in periculo mortis, si alius non adsit, possit sumi Eucharistia à Sacerdote excommunicato nominatim, & publico Clericorum percussore? Et an Religiosus incurrat censuram qui cum licentia certo præsumpta, & moraliter certa Parochi alterius ministrat Eucharistiam in articulo mortis, & in die Paschatis? Et an Regulares possint sine incursu censuræ ministrare Eucharistiam in die Paschatis ad implendum præceptum annuæ Communionis Equitibus Ierosolymitanis D. Iacobi, Alcantaræ, Calatravæ, &c. & Religiosis extraneis? Et an deficiente Parocho, vel nolente administrare per se suis Parochianis Eucharistiam pro adimplendo præcepto annuæ Communionis possimne in tali casu Regulares administrare Eucharistiam sæcularibus tempore Paschatis sine incursione censurarum? Et de multis aliis casibus agitur, in quibus possunt Regulares ministrare Eucharistiam tempore Paschatis sine metu censurarum. Et quando prudenter timetur Eucharistiam perventuram in manibus Infidelium, vel Hæreticorum & Sacerdos ob tumultus Infidelium, vel Hæreticorum & Sacerdos ob excommunicatus, an liceat, hoc non obstante, in dicta excommunicatione sumere Eucharistiam? Et quid, si adsit hæreticus non excommunicatus, sed non ieiunus? Et quid est, si Sacerdos sit excommunicatus, & ieiunus & laicus qui non sit excommunicatus, non sit ieiunus? Et quid est dicendum, si Sacerdos non sit ieiunus, sed non excommunicatus, & laicus, qui adest est excommunicatus & ieiunus? Ex p.3.tract. 6.ex ref.70.& in tract.4.ex ref.43.& in tract. addit. ex ref.14.& in p.5.tract.3.ex ref.49.& in p.3. tract.2. ex ref.12.& in p.10.tract.11.ex ref.31. & in tract.13. ex ref.53. *Quæ hic sunt* in tom.2.tract.2.de Communione, ref.5.12.9.60.21.22. & 101

Notatur, quod solis Religiosis Clericos aut laicos communicare præsumentibus est statuta excommunicatio ipso facto incurrenda, soli Sedi Apostolicæ reservata, ab quam non incurrendam sufficit quæcunque ignorantia vel causa probabilis, vel probabilis spes ratihabitationis. Præterea hac excommunicatio non contrahitur, si Religiosus aliis Religiosis etiam sine licentia suorum Prælatorum, vel Clericus sæcularis aliis laicis vel Religiosis hoc Sacramentum administrent. Et infertur, tibi ægrotanti, & ex devotione

Quæ-

communicanti posse Religiosum deferre Eucharistiam, vocando per vicos, & plateas solemniter Eucharistiam non vocando, Ex p. 9. tract. 9. ex res. 64. alias 63. *Quæ nunc* inuenietur in tom. 2. tract. 2. de Communione res. 62.

*An qui audit Missam à Sacerdote excommunicato vitando, vel degradato, & deposito impleat præceptum Ecclesiæ audiendæ Missæ in die festivo? Et infertur eum, qui vitando excommunicatus audit Missam, quamuis peccet sic audiendo si tempore opportuno eadem die absoluatur ab excommunicatione, non teneri iterum Missam audire, postquam est absolutus. Et an excommunicatus, qui ob negligentiam suam perseuerat in excommunicatione peccat contra præceptum de audienda Missa in diebus festivis? Ex part. 10. tract. 11. ex resol. 7. & in tract. 14. ex resol. 12. alias 10. *Quæ hic reperietur* in tom. 22. tract. 3. de audienda Missa in die festiuo resol. 15. & 14.

*An ex extrema sit necessitatis absente Parocho, Sacerdos Religiosus infirmum vngat, incurrat excommunicationem extra peccatum mortale? Et an nominatim excommunicatus possit in articulo mortis ministrare infirmo Sacramentum Extremæ-Vnctionis, & hoc etiam tempore interdicti? Ex part. 5. tract. 3 ex res. 81. 82. & 89. & in tract. 10. ex resol. 78. alias 77. *Quæ hic sunt* in tom. 2 tract. 4. de Extrema Vnctione res. 30. 29 31. & 32.

*An Episcopus excommunicatus validè conferat Ordines? Et an suscipientes Ordines non seruatis insertijs incurrant aliquam censuram? Ex part. 8. tract. 2. ex resol. 2. & in part. 3. tract. 2. ex resol. 32. *Quæ nunc inuenientur* in tom. 2. tract. 5. de Sacramento Ordinis res. 24. & 89.

*An consanguinei contrahentes matrimonium per verba de presenti sub conditione, si Papa dispensauerit, incurrant excommunicationem latam in Clement. unic. de Consang? Et an Parentes, qui coactione sufficienti ad mortale compellunt filios ad matrimonium, incurrant excommunicationem latam in Concilio Tridentino sess. 24. c. 9.? Et an hoc ipsum dicendum sit de Episcopis Parochis, Regibus, & Imperatoribus, vel tantum de Dominis temporalibus, & Magistratibus? Et an Parrochus excommunicatus assistens matrimonio peccet? Et an in articulo mortis assistens matrimonio nullum peccatum committat? Et an Parrochus excommunicatus, etiam si sit excommunicatus non toleratus, & nominatim denunciatus, validè possit assistere Matrimonio? Et si validè, an licitè? Et an ipsi contrahentes peccent, dum coram illo contrahunt? Et an Parrochus excommunicatus non toleratus validè, & licitè licentiam conferat Sacerdoti, ut assistat matrimonio? Et quid dicendum est de testibus, si sint excommunicati tolerati, an valeat matrimonium coram illis celebratum? Et an excommunicati contrahentes matrimonium peccent dupliciter? Et an, qui contrahit cum excommunicato, peccet mortaliter? Et quid, si sit denunciatus, aut publicus Clerici persecutor? Et an in tali casu duo, vel tria committat peccata? Et an ex metu mortis possit quis excommunicare aliquem sine potestate? Et an ex matrimonio rato, & non consummato cum affine, quis incurrat excommunicationem latam in Clem. unic. de Consang. si eam ignoret? Et an lite pendente super validitate matrimonij, sub pœna excommunicationis illis præcipiatur, ne simul cohabitent, filij illo medio tempore nati sint legitimi? Ex p. 3. tract. 4. ex res. 289. alias 290. & in p. 4 tr. 4. ex res. 132. & in p. 3. tr. 4. ex res. 232. alias 233. & in p. 5. tr. 9. ex res. 78. 79. 80. & 85. & in p. 3. tr. 4. ex res. 267. alias 268. & in tr. 6. ex res. 83. & in p. 3. tr. 5. ex res. 12. & in p. 10. tr. 11. ex res. 62. *Quæ hic sunt* in tom. 2. tr. 6. de Matrimonio res. 19. 58. 84. 83. 85. 86. 127. 128. 136. 241. & 134.

An Pontifex possit censuris punire confessionem annuam salutarem ex defectu doloris? Et deducitur, an Ecclesia possit prohibere, vel præcipere actum internum vel illud Tom. V.

*eruntur aliqui alij casus sæpius contingentes in praxi. Et an Pontifex in articulo mortis impleat iurisdictionem in laico saltem priua Tonsura initiato, vt possit absoluere moribundum a censuris qui non potuit confiteri? Et an Pontifex possit delegare potestatem ferendi censuras fœminæ, vel laico? Et quid de laico infideli? Et an Parochus publicè excommunicatus possit licentiam concedere Sacerdoti ad Sacramentum Extremæ Vnctionis ministrandum? Et an Superior possit reseruare excommunicationem minorem? Et an quamuis Pontifex peccet mortaliter, si non adimpleat præceptum annuæ confessionis, non tamen incurrat excommunicationem propter hoc, nec possit declarari, aut Ecclesiastica sepultura priuari? Idem dicendum est de annua communione. Et an Pontifex possit sibi reseruare absolutionem excommunicationis etiam in articulo mortis? Ex p. 8. tr. 1. res. 50. 53. 92. 39. 56. 52. 20. & 26. & in p. 10. tr. 14. ex res. 7. alias 5. *Quæ nunc inuenientur* in tom. 3. tr. 1. de Potestate Pontificis res. 29. 32. 43. 75. 59. 31. 28. 51. & 34.

An curialis, qui vt facilius dispensationem impetret, mutat narrationis substantiam? incurrat excommunicationem? Ex p. 8. tr. 3. ex res. 69. *Quæ hic reperietur* in tom. 3. tr. 2. de dispensationibus res. 167.

An Episcopus sine populi consensu possit instituere dies festos, & super hoc, fulminare excommunicationis fulmen? Et an ingrediens septa Monasterij, & cum Sacra Virgine incestum committens, si casus sit occultus possit ab Episcopo absolutionem excommunicationis obtinere? Et quid de Confessario electo ex vi Bullæ Cruciatæ circa hanc prædictam absolutionem? Et an Episcopus vigore Decreti Concilij Tridentini possit absoluere ab excommunicatione contracta ob delictum occultum duelli? Et an si Episcopus proferat excommunicationem in eos, qui non audiunt Sacrum in Parrochia diebus Dominicis, & festivis, excommunicatio sit nulla? Et an Episcopus, qui potest subditos absoluere ab excommunicatione, an possit secum dispensare in absolutione excommunicationis, vel sibi ipsi absoluere? Ex p. 4. tr. 4. ex res. 178. & ex p. 2. tr. 16. ex res. 33. alias 35. & in p. 7. tr. 2. ex res. 21. & 22. & in p. 10. tr. 13. ex res. 25. & in tr. 14. ex res. 66. alias 64. *Quæ nunc inuenientur* in tom. 3. tr. 3. de Potestate Episcopi res. 89. 31. 29. 30. 87. & 18.

An Capitulum Sede vacante possit concedere monitoria ad effectum reuelandi? Et an Capitulum Sede Vacante possit ferre censuras? Et an possit absoluere ab excommunicatione incursa propter percussionem Clerici? Et quid de aliis censuris? Et an possit deputare Pœnitentiarios cum potestate absoluendi ab huiusmodi excommunicationibus, & aliis casibus Episcopo reseruatis? Ex p. 8. tr. 4. ex res. 17. 11. & 12. *Quæ hic reperientur* in tom. 3. tr. 5. de Capitulo Sede Vacante res. 29. 30. & 31.

An Clerici, & Religiosi excommunicati teneantur dicere Horas Canonicas? Et quid, si Clericus obtinuit beneficium, dum erat excommunicatus? Ex p. 2. tr. 12. ex res. 40. & in p. 9. tr. 9. ex res. 22. *Quæ hic sunt* in tom. 3. tr. 6. de Horis Canonicis res. 31. & 112.

An si Episcopus prohibeat sub pœna excommunicationis, ne quis celebret, vel audiat Missam in Oratorio priuato aliqua die ex solemnioribus; an non obstante tali prohibitione priuilegiatus possit per Bullam Cruciatæ, Missam facere celebrare, vel audire in suo Oratorio priuato secluso contemptu, & scandalo? Ex p. 9. tr. 1. ex res. 14 *Quæ hic est* in tom. 4. tr. 2. de Oratoriis priuatis res. 28.

Nota, quod in tom. 4. tract. 3. de Bulla Cruciatæ *sunt plurimæ difficultates omnes mistæ pro excommunicatione, & eius absolutione virtute Cruciatæ, quas omnes reperies in Resolutionibus hic infra assignandis, & non in aliis præcitati tractatus, videlicet* à res. 41. usque ad res. 48. inclusiuè, & in res. 52. & à res. 54. usque ad res. 68. inclusiuè, & in res. 159. 171. & 176.

An confessarius virtute Iubilæi possit absoluere à censuris Episcopo reseruatis? Et an hoc extendatur ad

casus, & censuras ab Episcopo post Iubilæi publicationem reseruatis? Et an censuræ Synodales per Episcopum promulgatæ lgent Regulares: Et an excommunicatus contritus, priusquam potest obtinere absolutionem lucretur Indulgentias, & Iubilæum, si adimpleat alia opera iniuncta, & præsertim quoad eos, qui in aliquam hæresim inciderunt: Quod idem dicendum est de illis, qui excommunicati sunt ob pensiones, & debita, si impotentes sint ad absoluendum. Et an si quis confiteatur animo lucrandi Iubilæum, & absoluatur ab excommunicatione, sed postea non lucratur Iubilæum, excommunicatio illa redeat? Et an confessarius possit absoluere à censuris ea conditione, vt pœnitens Iubilæum lucretur? Et an sapradictus absolutus modo, quo supra postea mutet voluntatem, & non lucretur Iubilæum, peccet? Et an quicumque Confessarius ab ordinario approbatus possit tempore Iubilæi absoluere Moniales à casibus & censuris reseruatis? Et an quando in Iubilæo conceditur facultas absoluendi ab omnibus casibus & censuris Papæ reseruatis possit confessarius absoluere à casibus & censuris Bullæ Cœnæ: Et an vt quis possit absoluere à casibus Bullæ Cœnæ sufficiat vt in Iubilæo dicatur quod conceditur facultas absoluendi à casibus Bullæ sine expressa derogatione ipsius Bullæ: Et an quando in Bulla, vel Iubilæo, vel aliquo alio indulto conceditur facultas absoluendi ab omnibus casibus reseruatis, vigore talis indulti possit fieri absolutio à censuris reseruatis? Et docetur quod per absolutionem generalem datam in confessione vigore Iubilæi vel Cruciatæ à censuris reseruatis non est dubitandum manere pœnitentem absolutum à censuris reseruatis oblitis, & quod post transactum Iubilæum possit pœnitens absolui à quocumque Confessario ab ordinario approbato. Ex p. 3. tract. 4. ex res. 148. alias 149. & in p. 5. tract. 12. ex res. 36. & 13. & in part. 3. tract. 4 ex resolut. 144. alias 145. & in part. 2. tract. 16. ex resolut. 11. alias 13. & in part. 3. tract. 2. ex resolut. 29. & in part. 5. tract. 12. ex resolut. 12. & 34 & in part. 10. tract. 14. ex resolut. 6. & 30. alias 4. & 28. *Quæ hic sunt* in tom. 4. tract. 4. de Iubilæo res. 21. 22. 50. 61. 64. 10. 11. 13. 66. & 60.

An dispensatus ad edendum carnes possit simul pisces comedere si ab Episcopo fuerit hoc prohibitum sub pœna excommunicationis? Ex part. 9. tract. 6. ex resolut. 11. *Quæ nunc inuenietur* in tom. 4. tract. 6. de Ieiunio resolut. 77.

An si quis eadem actione quæ sit tota simul v.g. baculo percutiat duos Clericos, vel scoplo duos interficiat Clericos, incurrat duas excommunicationes? Idem est de eo, qui eadem actione duo vasa rapuit diuersorum dominorum si furtum erat prohibitum sub censura. Idem est etiam de Iudice qui simul duabus manibus trahit duos homines è Templo contra immunitatem Ecclesiæ; vel de eo, qui eodem tempore conseruatur cum duobus excommunicatis. Et an ligatus vna censura, sit adhuc capax alterius non tantum diuersæ rationis sed eiusdem? Et notatur, quod plures censuræ incurruntur ab eo, qui fecit vnum actum habentem plures circunstantias pro quibus singulis lata est sententia censuræ, si tamen dictæ circunstantiæ mutent actus moralis speciem; & secus autem si non mutent speciem. Etiamque aduertitur quod tot censuræ incurruntur quot sunt Superiores prohibentes quando habent diuersam potestatem & secus si eamdem. Et an Clerici denunciati excommunicati, & vitandi, gaudeant priuilegio Canonis? Et docetur, vt teneamur euitare excommunicatum denunciatum non sufficere dubium adhuc prudens dictæ denunciationis, sed requiritur notitia illius moraliter certa, quod excommunicatio sit expresiè denunciata? Ex part. 5. tract. 9. ex resolut. 59. & 60. & in part. 9. tract. 4. ex resolut. 13. & in part. 4. tract. 3. ex resolut. 71. *Quæ hic sunt infrà in proximo sequenti* tract. de Censura ob percussionem Clerici, resolut. 53. 54. 37. & 59.

Nota vbi non erat necessaria nota quod infrà in hoc ipsomet tom. 5. *tractatus secundus de censura ob percussionem Clerici totus est pro diuersis casibus & censuris circa percussionem Clerici, Religiosi, Monachi, Monialis, & rum gaudentium priuilegio Canonis. Et ibi vt in pro* ri loco, & tractatu inuenies quidquid circa hoc ex poteris.

An excommunicatio lata v.g donec satisfaciat, vel restituat, sequuta restitutione, vel satisfactione, non tollatur facto sine alia absolutione? *Et an qui ab Episcopo excommunicato ignoranter suscepit Ordines, incurrat suspen* nem, *sed tamen, si in ea celebret, non incurrat irregula* tatem? *Idem est de illo, qui ordinem accepit a pro* Episcopo per metum cadentem in constantem virum, excommunicatus, *si suscipiat Ordines, incurrat suspen* nem? *Et quidam cum falsis dimissoriis sumpsit manere* dines, & *postea cum excommunicatione occulta tamen* petrauit beneficium, *quæsiit, quid iuris; Et an valeat* beneficij facta excommunicato probabiliter suam excommunicationem ignoranti, *sit valida? Et an excommunicato,* cui tempore excommunicationis collatum fuit beneficium, *non faciat suos fructus beneficij, sed eos teneatur restituere, si tamen bona fide seruiit beneficio, possu recipere, quo* tinere *stipendium seruitio proportionatum, & restituere* potest accipere, *&c? Et an si eligaris ad beneficium* pore, *quo habilis es, acceptes vero illud cum excommu* tus existis *valida sit tua acceptatio? Ex quo sequitur falsu* qui acceptauit, *moriatur excommunicatus ante delibe* tionem *ad quem pertineat prouisio talis beneficij?* 33. 10. ex res. 24 35. 39. & 58. & in p. 11. tr. 5. ex rel. 1. *Quæ* sunt *infra* in tr. 3. de Suspensione res. 10. 16. 31 32. 33. &

Nota quod infra in hoc ipsomet tom. 5. tr. 5. de Irregu ritate, *sunt multæ quæstiones pro excommunicatis & i* regularitatibus *ab ipsis excommunicatis contractis, v* v.g. *si quis excommunicatus ministret Sacramentum,* celebret *vel faciat coram se celebrare, recipiat Ordines,* &c. *incurrat, vel non incurrat irregularitatem, & pro* aliis *diuersis casibus omnibus missis circa hoc; & quæ* prope *est tractatus require in illo, quidquid occurrit o* mistum.

Similiter etiam aduerte, quod infra in tract 6. de Absen *sunt etiam multæ difficultates omnes mistæ ad incurrendam,* vel *non incurrendam excommunicationem propter Absen* tum, *& pro absolutione prædicta excommunicationis, ideo* ibi *facillimè inuenies quidquid circa hoc desiderare potes*

An excommunicatio Extrauag. 2. de Simonia, & Conft. P V. *incurratur per simoniam, quæ videtur esse parua res* pretij? *Et an Electores simoniacæ electionis ad Prælatu* ram *aliquam Regularem incurrant excommunicationem? Et an dans, vel accipiens aliquid pro ingressu Religionis* ligentur *ex communicatione Summo Pontifici reseruata* in Extrauag. de Simonia? *Et an qui non seruauerint* delinquentes *contra Bullam Gregorij XIII. de data* & Promissis, *incidant in excommunicationem; vel a* hac *pœna ligentur tantum existentes in Curia Roman Et an qui aliquid ex prohibitis in prædicta Bu* fecerit *cum Summo Pontifice, vel cum eius Minis* aut familiaribus *de illius consensu expresso, vel tacito* in pœnis *dictæ Bullæ incidant? Et de aliis diuersis ca* bus *pro prædicta Bulla agitur; vt si Gubernatores, & Officiales status Ecclesiastici accipiant munera, an* dant *in excommunicationem Papæ reseruatam? Et an* tur, *quod ad facilius impetrandam suam recepitionem a* aliqua *Religione possit aliquis gratis, & sponte præ* munera *Superioribus, vel aliis; mo & in tali casu peccat* adhibere *potest. Et an si statuto caueatur, quod ludens* hazardum *sit excommunicatus ludens cum ipso Episco* qui *statutum edidit, sit excommunicatus? Ex p. 5. ex rel. 4.* in p. 4. tr. 4. ex res. 16. & in p. 3. tr. 2. ex rel. 64. & in p. tract. 4. ex res. 11. & in p. 9. tract. 8. ex res. 42. & in p. tract. 16. ex res. 16. alias 15. *Quæ hic sunt supra* in hoc ipsomet tom. 5. de Simonia res. 2. 10. 14 59. 51. &

An Hæreticus externus per accidens occultissimus incida

in excommunicationem Bullæ Cœnæ? Et an in aliquo casu quis non incidat in excommunicationem etiam si profiteatur exteriùs hæresim externam? Et an Hæreticus purè mentalis incidat in excommunicationem? Et an Hæreticus purè externus qui mente non negat fidem non incurrat in censuram ita vt possit absolui a quolibet Confessario in foro conscientiæ? Et an Hæreticus ignorans excommunicationem illam incurrat? Et an Confessarius virtute alicuius Iubilæi possit absoluere ab hæresi occulta? Ex p. 6 tract. 6. ex resol. 51. & in p. 4. tract. 4. ex resol. 240. & in p. 5. tract. 13. ex resol. 18. & in p. 1. tract. 5. ex resol. 1. & in p. 5. tract. 11. ex resol. 35. & in p. 8. tract. 7. ex resol. 67. Quæ hic sunt infrà in hoc ipsomet tom. 5. tract. 8. de hæreticis, resolut. 4. 5. 6. 29. 30. & 31. Notandum, quod infrà in prædicto tract. 8. de hæresi & eius absolutione, sunt multæ aliæ quæstiones pro absolutione excommunicationis contractæ ab Hæreticis & pro hæresi; quas ibidem facillimè reperies à resol. 14. usque ad resol. 30. inclusiuè vbi agitur, an Episcopi, Inquisitores, Prælati Regulares & Confessarij ordinarij ex vi suæ iurisdictionis, vel virtute Crucia æ Iubilæi & priuilegiorum ab hæresi possint absoluere &c.

An cum hæreticis damnatis in tribunali S. Inquisitionis sit illicitum communicare? Et deducitur fideles, & Catholicos non peccare contra leges excommunicationis in conuictiuli cum hæreticis aut in mercatura, bello, aut in aliis negotiis politicis, maximè quando excommunicatio est generalis aduersus hæreticos, vt est in Bulla Cœnæ. Sed quid est dicendum, quando adest periculum peruersionis aut scandali: Et notatur, quod vt Catholicus possit habitare in terris Hæreticorum aliqua requiruntur explanata in textu huius resolutionis. Et an Principes ineundo fœdera cum Turcis, vel hæreticis incidant in censuram Bullæ Cœnæ? Et an Summus Pontifex possit sub censuris prohibere Principibus ne bellando supra dicta fœdera cum Turcis vel Hæreticis contrahant? Ex p. 10. tract. addit. 2. ex resol. 6. & 7. Quæ nunc inuenientur in tom. 9. tr. 13. de fœderibus cum Turcis, & Hæreticis resol. etiã 9. 6 & 7.

An famina conscia edicti, & non denuncians sollicitationem intra terminum, excommunicationem incurrat, à qua absolui non possit nisi facta sit denunciatio qua facta possit absolui per Bullam Cruciatæ; vel an sufficiat illico denunciare? Et an qui propter impotentiam vel ignorantiam edicti non denunciauit intra terminum, teneatur postea denunciare & in tali casu non sit obligatio denunciandi statim, sed intra eosdem dies quos edictum signauerit? Et an qui non denunciat intra terminum præfixum in Edicto, non incurrat in nouam excommunicationem, sed tantum maneat in eadem? Et an in aliquo casu famina solicitata teneatur denunciare ante impletum terminum publicationis? Et an si Edictum non publicetur, teneatur adhuc famina Confessarium solicitantẽ denunciare sub pœna excommunicationis? Et an præceptum Inquisitorum circa denunciationem in Confessarios solicitantes sit perpetuum, & per consequens excommunicatio etiam perpetua, & alij quatuor casus circa hoc adnotantur? Et explanatur, quod excommunicatio lata contra ingredientes Monasteria Monialium sub prætextu licentiarum, non extenditur contra ingredientes sine tali prætextu. Et docetur, an si excommunicatio feratur in eum, qui occidit, vel furatur, liget mandantem furari, vel occidere? Et notatur, quod excommunicantur, qui cogunt mulieres ad ingrediendum Monasterium, ergo sub nomine mulierum non includuntur viri, qui coguntur Religionem ingredi, &c. Ex p. 4. tr. 5. ex resol. 6. & in p. 3. tr. 5. ex resol. 96. aliàs 95. & in p. 4. tr. 5. ex resol. 29. 35. & 41. & in p. 1. tr. 4. ex resol. 27. 23. 22. 12. Quæ hic sunt infra in hoc ipsomet tom. 5. tr. 9. de Denunciationibus, resol. 18. 19. 21. 23. 24. 22. 55. 76 & 78.

An Inquisitores possint præcipere sub pœna excommunicationis vt Clerus, & populus eorum concionibus assistant? Et an hoc præceptum vt omnes confluant ad Templum ad audiendum edictum fidei obliget sub mortali? Et an inquisitores in aliquo casu non incurrant excõmunicationem latam in Clement. 1. §. verum de Hæreticis si non procedãt contra Hæreticos? Et an quando Inquisitores incidunt in supradictam excommunicationem non possint absolui excepto à Romano Pontifice præterquam in articulo mortis? Et an Inquisitores possint censuris compellere sæculares Aduocatos, vt alicuius rei causa patrocinium suscipiant? Et an Clericus quamuis indoctus non incidatur in prohibitione capitè 2. de Hæreticis in 6. nec incidat in excommunicationem latam in dicto capite quæ quidem excommunicatio etiam à laicis disputantibus de fide in casu de iure prohibito non incurritur ipso facto, sed per iudicem Ecclesiasticum est infligenda? Et quid de laico docto? Et an Sanctimoniales comprehendantur sub dictis verbis inhibemus, &c. ne cuique laicæ personæ? Et an Inquisitores possint animaduertere in frangentes Cedulones in quibus declarantur excommunicati? Et an Inquisitores incurrant excommunicationem si extorqueant pecuniam prætextu officij inquisitoris? Et an Inquisitores possint accipere xenia, hoc est escalenta, & poculenta, & contra facientes incurrant excommunicationem? Et an intelligens aliquem librum esse hæreticum combuendo illum & non Inquisitoribus tradendo incurrant excommunicationem Bullæ Cœnæ? Et an in retentione librorum Hæreticorum detur paruitas materiæ, ita vt non incurrat excommunicationem Bullæ Cœnæ vel Iudicis? Et an qui legit librum Hæretici de religione tractantem, hæresim tamen non continentem, incidat in censuram Bullæ Cœnæ? Et an si libri Hæreticorum vnum, aut alterum contineant errorem, & ille deleatur omninò possint sine incursione excommunicationis legi? Et an in electione librorum hæreticorum detur paruitas materiæ? Et an Confessarius absoluere, possit eum qui vnam paginam libri hæretici legerit? Et quid si legantur duæ; vel tres lineæ in quibus legens certo nouit contineri hæresim? Ex part. 4. ex resolut. 89. 37. 9. & 56. & in part. 4. tract. 8. ex resolut. 103. 28. & 8. & in part. 1. tract. 11. ex resol. 37. & in part. 5. tract. 5. ex resolut. 43. & 42. & in part. 6. tract. 6. ex resolut. 55. Quæ hic sunt infrà in hoc ipsomet tom. 5. tract. 10. de Inquisitoribus resolut. 24 32. 53. 77. 90. 133. 134. 139. 140. 146. & 145. & pro sanctimonialibus supra in tract. 8. resol. 10.

De insordescentibus per annum in excommunicationem, & à quo, & qualiter sint puniendi? Et an qui recipit, & fauet consanguineos Hæreticos incidat in pœnam excommunicationis latam in Bullam Cœnæ contra fautores & receptatores Hæreticorum? Ex part. 4. tract. 7. ex resolut. 18. & 21. Quæ hic sunt infrà in hoc tomo. 3. tract. 12. de pœnis S. Inquisitionis resolut. etiam 18. & 21.

An excommunicatus electus & confirmatus Episcopus non obtenta absolutione possit absque peccato mortali sumere consecrationem? Et quid est faciendum si Hæreticus occultus ad mentem redit, & nec ab Episcopo, neque ab alio absolutionem excommunicationis obtinere potuit? Et an Episcopus aliqua censura innodatus validè possit consecrare alium in Episcopum? Et quid si talis Episcopus alios sacros Ordines minores confert? Et docetur, quod qui suscipit ordinem ab Episcopo excommunicato, suspenso, hæretico, schismatico, deposito, degradato verum Ordinem suscipit, at ab illius executione tantum suspenditur. Et an consecratio Episcoporum efficiat, vt ipsos offendentes incurrant excommunicationem Bullæ Cœnæ contra offendentes Cardinales? Et quid, si tantum sit electus & confirmatus, non tamen consecratus? Et deducitur quod Cardinales ex quo electi sunt à Summo Pontifice, & electionem acceptauerunt, tametsi Capellum non obtinuerint, gaudent prædicto priuilegio? Ex part. 12. tract. 1. ex resolut 43. 61. & 107. Quæ nunc inuenientur in tom. 4. tract. 8. de Consecratione Episcopi, resol. etiam 43. 61. 107.

Index Tractatuum,

An dubitans, sit ne aliqua lex excommunicationem imponens vsu recepta, possit existimare non esse vsu receptam? Et notatur, quod qui corrigit litteras iuxta mentem Pontificis, non est falsarius, nec incurrit excommunicationem Bullæ cœnæ, vt si dicatur in suppl catione Petro Panormitano & Notarius possit Petro Neapolitano; vel si exprimatur quartus gradus consanguinitatis, & possit affinitatis. Et an lex præcipiens aliquid sub pœna excommunicationis obliget ad mortale? Et quid, si excommunicatio est latæ sententiæ, & non comminatoria tantum? Et docetur peccasse mortaliter olim quoscumque Clericos sacris initiatos, Beneficiarios, & Religiosos, assistentes agitationi taurorum contra Bullam Pij V. & Gregorij XIII. prohibentes id sub pœna excommunicationis. Et an Regulares peccent mortaliter, accedentes ad Monasteria Monalium, quibus id præcipitur sub pœna excommunicationis, & priuationis, vocis activæ, & passiuæ? Et an Sacerdos, qui non potest absoluere ab excommunicatione nisi satisfacta parte, si absoluat non satisfacta parte, absolutio sit illicita? Ex p. 4. tract. 3. ex resolut. 14. & in part. 5. tr. 14. ex res. 40. & in p. 9. tract. 6. ex resol. 5. & in p. 1. tract. 10. ex resol. 21. & in p. 10 tract. 12. ex res. 7. *Qui hic reperientur* in tom. 6. tract. 1. de Legibus res. 41. 83. 43. 42. & 30.

An quando pœna sepponit intrinsecè culpam, quales sunt Ecclesiasticæ censuræ, possit consuetudo abrogare legem, quoad culpam, manente obligatione quoad pœnam? Ex part. 6. tract. 5. ex res. 26. *Quæ hic est* in tom. 6. tract. 2. de consuetudine res. 27.

An lasus vsque ad dimidium iusti pretij in aliquo contractu possit recurrere ad iudicem Ecclesiasticum, vt ratione peccati compellat aduersarium ad restitutionem etiam per censuras? Et an si aliquis cogatur denunciare debitum sub pœna excommunicationis restitutionem inducente, possit, hoc non obstante, vti compensatione in foro conscientiæ, etiamsi adsint creditores anteriores? Et an vxor & filij possint aliquando post mortem viri, vel parentum occultare bona creditorum, & non teneantur reuelare, si aliquid occultauerint, etiamsi obligentur vi, & virtute excommunicationis? Et Rectores cuiusdam Ecclesiæ concesserunt aliqua bona in euidentem illius Ecclesiæ vtilitatem, saluo assensu Sedis Apostolicæ, & ante assensum tradiderunt possessionem, quæritur, an dicta alienatio sit nulla, & inciderint in excommunicationem Paulinæ Ambitiosæ? *Et an incurrant in excommunicationem Bullæ cœnæ Prorages & Ministri prohibentes extractionem frumenti & aliorum victualium ad Romanam curiam si in Regno deficit necessaria prouisio?* Ex p. 7. tract. 10. ex res. 22. & in p. 3. tract. addit. ex res. 8. & in p. 5. tract. 13. ex res. 79. & in tract. 14. ex res. 57. & in p. 1. tract. 8. ex res. 77. & in p. 3. tract. 6. ex res. 32. *Quæ nunc inuenientur* in tom. 6. tract. 3. de contractibus res. 75. 154. 155. 158. 191. & 206.

An donationes Episcopi propè, vel circa mortem sint validæ in vtroque foro? Vnde Donatarius poterit absurdescere, si fortè publicetur excommunicatio contra non reuelantes bona Episcopi defuncti? Ex part. 1. tract. 10. ex res. 43. *Quæ hic reperietur* in tom. 6. tract. 7. de Donationibus res. 74.

An excommunicati possint eligi in executores testamentarij? Et notatur, quod si vnus solus sit executor vel Commissarius, illéque excommunicatus existat, & intra tempus, quod de iure, vel à testatore ad executionem concessum est, excommunicationis absolutionem consequi non possit, tunc etenim ad Episcopum executio deuoluitur in causis piis, in aliis verò ad hæredes. Et an Iudex nec ordinarius, nec delegatus, vel arbiter, Aduocatus, vel Tutor si sint excommunicati non possint iudicare, patrocinari, nec in iudicio existere? Ex part. 8. tract. 5. ex res. 2. *Quæ hic est* in tom. 6. tract. 9. de Executoribus Testamentorum res. etiam 2.

Nota quod in tom. 7. tract. 1. de Regularibus, *sunt plurimæ difficultates pro diuersis casibus mistis, in quibus Episcopi possunt excommunicare Regulares; & pro communicationibus ferendis ab ipsismet Prælatis Regularibus, & Abbatissis Monialium; & pro communicatis supra dictis, quando ipsi sunt excommunicati, pro excommunicatione, quam Episcopus pronunciat contra Regulares, & alios colloquentes cum Monialibus exemptis, & pro ingredientibus Monasteria Monialium &c. & pro aliis multis casibus. Et pro absolutione excommunicationis impertienda à suprædictis Prælatis Regularibus suis subditis Religiosis, & Nouitijs, & etiam secularibus virtute suorum priuilegiorum; ideo si casus misti occurrerint require illos ibidem in Resolutionibus his assignandis, & non in aliis præcitati tractatus videlicet* in res. 19. 27. 32. 33. & à res. 36 usque ad res. 39. & à res. 42. usque ad resol. 45. inclusiuè, & in res. 92. 94. 98. 109. 114. 117. 119. 131. & à resol. usque ad res. 138. & in res. 143. 166. 207. 236. 245. 246. 263. 264. 265. 266. 269. 294. 298. 299. 300. 314. 315. 317. 319. 320. 322. & 332. *& quamuis non semper & clare, tamen ex consequentiis in multis aliis Resolutionibus præcitati tractatus.*

An quando Episcopi, Visitatores, & Prælati Religiosorum alij superiores Regulares, aut Seculares Ecclesiastici incipiunt sub pœna excommunicationis, ipso facto incurrenda, vt scientes crimina intra certum tempus, & termino sibi reuelent, subintelligendum esse seruato ordine correctionis fraternæ, alias non est obediendum? Et an correctio fraterna sit adhibenda, quando blasphemia efficulta, & non sit hæreticalis, si præcipiatur sub excommunicatione denunciare? Ex p. 7. tr. 3. ex res. 44. & 60. *Quæ nunc inuenientur* in tom. 7. de Correctione fraterna res. 51. & 74.

An si quis ante ebrietatem, vel antequam subsequatur aliqua peccata externa, confiteatur, & accidat sede causa data in ebrietate, teneatur postea confiteri, si dictæ peccata subsequantur, & inducant excommunicationem? Et an christiani remigantes in triremibus Turcarum peccent mortaliter, & incidant in excommunicationem? Et an licitum sit metu mortis vel alterius grauis damni communicare cum excommunicato nominatim denunciato, vel publico Clerici percussore? Ex part. 3. tract. 6. ex resol. 9. & in tract. 5. ex res. 36. & iterum in tract. 6. ex resol. 48. §. Quarto infertur. *Quæ hic reperientur* in tom. 7. de Scandalo res. 39. 73. & 76.

Quæritur quot annorum senex intelligatur, vt excusari possit ex ea ætate adire Pontificem pro absolutione excommunicationis, si casus occurrerit, ita vt possit absolui a quocumque papali excommunicatione? Ex p. 9. tract. 1. res. 2. *Quæ hic est* in tom. 8. tract. 4. de voto, res. 58.

An liceat absque metu censuræ excommunicationis cap. 3. quis suadente, *percutere Pontificem pro defensione necessaria?* Ex p. 5. tract. 4. ex res. 2. *Quæ nunc inuenientur* in tom. 8. tract. 5. de homicidio. res. 17.

An si quis inueniatur laqueo suspensus, vel mortuus in puteo debeat sepeliri in loco sacro? Et quid si constet publicè paschate non communicasse? Et quid est dicendum, si esset occultum? Et an omnes qui moriuntur in peccato mortorio, & sine signis pœnitentiæ, vt vsurarius excommunicatus, meretrices, concubinarij, & qui in ipso actu venereo correptus morbo amissi loquelam & paulo post expiruit, & morientes extra locum duelli non sint sepeliendi in loco sacro? Ex p. 5. tract. 3. ex res. 100. & 99. Quæ hic reperientur in tom. 8. tract. 8. de casibus occurrentibus temp. mortis res. 4. & 5.

An excommunicatio contra lædentes immunitatem Ecclesiarum non sit lata, sed ferenda? Et an iudices secularium violantes illam incidant in censuram Bullæ Cœnæ? Et an contrauenientes, & violantes Ecclesiarum immunitatem possint absolui ab Episcopo, vel talis absolutio sit Summo Pontifici reseruata? Et an ad eum

dam excommunicationem huius Bullæ sufficiat actus
gerentatus? Et an mandantes offendi cardinales, si effe-
ctus non sequatur incurrant in excommunicationem Bullæ
Cœnæ? Et quid de eo, qui nomine suo offensionem factam
Cardinali ratam habet? Et an receptatores & defensores
interficientium Cardinales incurrant in excommunicatio-
nem Bullæ Cœnæ? Et an occidentes bannitum in Ecclesia
incurrant in excommunicationem Greg. XIV. contra ex-
trahentes ab Ecclesia? Et quid de indice laico mandante
reum in Ecclesia occidere? Et an qui est excommunicatus
tandat immunitate Ecclesiæ? Et notatur, quod privata
persona, quæ extrahit aliquem ab Ecclesia afficitur censu-
ra. Et an Ecclesia violetur, si per Episcopum excommuni-
catum non toleratum consecretur aut benedicatur? Et ad-
vertitur, quod Ecclesia non violatur quamvis excommuni-
catus non toleratus in ea celebret, nec Altare, nec para-
menta sacra polluuntur per usum talium excommunicato-
rum. Ex p. 6. tract. 1. ex resol. 34. & in p. 1. tract. 1
et resol. 15. & 41. & in p. 5. tract. 2. ex resol. 87. & 91.
& in p. 6. tract. 1. ex resol. 21. & 35. & in p. 1. tr. 1.
et resol. 34. & in p. 4. tract. 1. ex resol. 102. & in p. 11.
tr. 8. ex resol. 22. Quæ nunc inuenientur in tom. 9.
tract. 1. de Immunitate Ecclesiæ resolut. 2. 4. 5. 47.
51. 64. 118. 77. 112. & 131.

An Episcopi possint excommunicare Reges, & eorum Consi-
liarios? Et quid de inquisitoribus, non solum in Sicilia,
sed in aliis Regnis? Et an percutientem Clericum non de-
ferentem habitum & Tonsuram, incurrat in censuram Ca-
nonis Si quis suadente &c? Et an bona Confraternitatum
laicorum, & Hospitalium possint alienari sine assensu
Apostolico? Ex p. 3. tract. 1. ex resol. 9. &. in p. 1. tract 2.
et resol. 35. alias 34 & in p. 4. tract. 1. resol. 37. Quæ hic
reperientur in tom. 9. tract. 2. de Immunitate Eccle-
siastica resol. 46. 135. & 177.

Nota quod in prædicto tom. 9. & tract. 2. de Immunitate
Ecclesiastica, sunt aliæ quam plurimæ difficultates pro Im-
munitate Ecclesiasticorum, & pro incurrenda excommuni-
catione Bullæ Cœnæ & aliarum contra ladentes, & fran-
gentes supradictam Immunitatem Ecclesiasticorum. Et
etiam aduertitur, quod sunt plurimi alij casus pro priuile-
gijs contra Immunitatem Ecclesiasticam quæ si re vera
existant, docetur reuocata esse per Bullam Cœnæ, & ideò si
ne casus mistus pro supradictis occurrerit require illum
in resol. 7. 8. 9. 12. 13. 24. 27. 28. 33. 36. 37. 38. 39.
40. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 56. 60. 62. 93. 95. 100.
101. 113. 115. 116. 146. 181. 196. 197. 207. 215. 223.
230. 237. 239. 244. 181. 300. 308. 325. 333. & 338.

Offendentes, & interficientes Cardinales qui nondum Ca-
pillum habuere, incidant in excommunicationem Bullæ
Cœnæ? Et an Cardinales comprehendantur in generali
constitutione Pontificia imponente censuras & pœnas; Et
an Cardinales possint in suis titulis excommunicare? Et an
Vicarius Cardinalium possit etiam fulminare censuras &
antiqua facere, quæ sunt iurisdictionis Episcopalis? Et an
Cardinales Monasteria Monialium ingredi valeant post
Bullam Greg. XIII. vel an hoc intelligatur de protecto-
ribus solis? Et an si quis eiiciat Cardinales à terris, in
quibus nati sunt, aut domicilium habent, incurrant in ex-
communicationem Bullæ Cœnæ si non exerceant aliquam le-
sionem? Et quid si solis verbis comminatoriis quis eii-
cias supradictos Cardinales si ob minas actu loca relin-
quant? Et an si quis insultum faciat ad domum Cardina-
lis ut ex hoc verecundiam tantum inferat, incurrat in ex-
communicationem Bullæ Cœnæ? Et quid si quis percutiat
Cardinalem percussione leuissima? Et quid si ictus solum-
modo posset tetigit, aut leuauit manum ad percutiendum
Cardinalem, quamuis postea non percutiat? Et an, qui
offensionem in cardinalem non impedit, vel qui sine vitæ
periculo clamando poterat eiusmodi Prælatis opem ferre,
& non clamauit, aut pecunia eos redimere, & non rede-
mit; vel sciat aliquos contra cardinalem conspirasse &
illos non denunciauit, incidat in excommunicationem Bullæ
Cœnæ? Et an offendentes Clericos familiares cardinalium
ipsorum intuitu incidant in excommunicationem Bullæ
cœnæ? Et an cardinales percutientes se ipsos incurrant in
excommunicationem Bullæ cœnæ? Et an cardinalis Reli-
giosus, si deponat habitum suæ Religionis incurrat in ex-
communicationem? Ex part. 5. tract 2. ex resolut. 76. 16.
12. 20. 81. 82. 92. 88. 89. 83. 84. & 66. Quæ nunc
inuenientur in tom. 9 tract. 7. de Cardinalibus resol. 14.
31. 39. 44. 77. 76. 79. 80. 81. 83 82. & 84.

An Eminentissimi cardinales reuelando ea, qui in consisto-
rio tractantur incidant in censuram Sanctissimo reserva-
tam? Et an censura in Concilio Lateranensi super hoc
imposita sit usu recepta? Et de aliis etiam agitur qui ca-
su & dolo audierint ea quæ in Consistorio dicta vel acta
sunt, vel illis cardinalis reuelet & postea illa aliis nar-
rent. Et infertur, quod quando est dubium, an censura
sit usu recepta, illa non obligat. Ex part. 9. tract. 8. ex
resolut. 41. Quæ hic est, in tom. 9. tract. 7. de Cardi-
nalibus resol. 20.

Nota quod in supradicto tom. 9. & tract. 7. de Cardina-
libus à resol. 94. usque ad resol. 127. sunt multæ quæstiones
pro excommunicatione incurrenda vel non incurrenda à
Cardinalibus, & aliis propter colloquutiones, & scrip-
tiones veritas tempore conclauis & pro absolutione su-
pradictæ excommunicationis.

Docetur prohibitum esse sub excommunicatione ne prælati
Ecclesiarum sibi commissarum bona immobilia aut iura
laicis submittant, aut subiiciant, nec etiam ex ipsis in
Patronos, vel Aduocatos perpetuò, vel ad tempus non
modicum constituant. Ex p. 10. tract. 7. ex resol. 5. Quæ
nunc inuenientur in tom. 9. tract. 11. de iure Protectio-
nis seu Clientelæ resol. etiam 5.

Nota quod supra in principales resolutiones huius tract. 1.
de excommunicatione, sunt aliquæ difficultates pro ab-
solutione ipsius excommunicationis & è contra in Reso-
lutionibus §. de absolutione excommunicationis, sunt
etiam aliquæ quæstiones speciales pro excommunicatione
tantum, & non pro eius absolutione. Eadem est ratio in
multis §§. huius additionis & appendicis in fine huius
tractatus appositis

TRACTATVS II.

De Censura ob percussionem Clerici, atque de eius Absolutione.

pagina 123.

1. Quisnam dicetur manum violentam in clericum iniicere? Et quis verò excusetur ab incursione huius censuræ? Pro quibus in textu huius Resolutionis diuersi casus adducuntur. Ex p. 9. tract. 4 resol. 27. ibid.
2. An in percussione clerici detur paruitas materiæ ad excusandam excommunicationem, licet facta fuerit interius prauo animo, & mortaliter peccaminoso? Idem dicendum est de quouis alio opere, cui annexa est excommunicatio, si opus externum est tantum veniale, & leue, licet internum fuerit mortale. Ex part. 5. tra. 5. resol. 65. p. 124
3. An si quis percuteret clericum pugno, vel baculo vno, vel altero ictu, incurrat in censuram canonis Si quis suadente Diabolo? Et quanam paruitas materiæ excuset ab incursione huius censuræ pro percussione clerici? Et docetur quod si aliquis pugno percuteret clericum in schola publica, ista leuis percussio ratione loci efficitur grauis & ideò talis percussor in hoc casu

non posſit absolui ab Episcopo, sed accedere debet ad Sedem Apostolicam. Et cursim alij diuersi casus adducuntur pro percussore Clerici tangente iniuriosè illum sputo, aqua, oleo, puluere, vel si quis eriperet de manu Clerici violenter scripturam, librum, vel eiecit de capite eius birretum; aut tangit pectus, vel iugicam &c. Ex p. 10. tract. 14. & Misc. 4 resol. 38. alias 36. ibid.

4. Quandonam percussio Clerici dicatur leuis, gravis, & enormis? Ex p. 9. tract. 4. resol. 45. p. 125.

5. An quando est dubium an percussio sit leuis, vel grauis iudicandum sit esse grauem? Ex p. 9. tract. 4. resol. 46. p. 126.

6. An percussio Clerici Superioris Eccl. sistici, vel Regularis præter malitiam contra Religionem contineat etiam malitiam impietatis? Ex part. 9. tract. 4. resolut. 28. ibid.

7. An Clericus voluntariè percutiens se ipsum incurrat in excommunicationem Canonis, si quis suadente? Et an Cardinalis se ipsum percutiens, aut vulnerans in supradictam excommunicationem incurrat? Et an Monialis, quæ potione, aut vene sciſſione abortum intendit, incurrat in prædictam excommunicationem? Ex p. 3. tract. 5. & Misc. 1. resol. 82. alias 81. p. 127.

8. An clericus percutiens se ipsum incurrat in censuram Canonis? Et quid si ipse consentiat in suam percussionem, an talis percutiens, & ipse Clericus percussus pro excommunicatis habendi sint? Et an Clerici, qui in lucta ex more amicorum se alapis cedunt, capilloſque euellant, incidant in excommunicationem Canonis? Ex part. 9. tract. 4. resol. 8. ibid.

9. An si duo Clerici ensibus districtis, vnus contra alium digladiatur, incurrant in censuram? Et infertur, quod qui animo deliberato per vestes Clericum apprehendit, aut percutit suadente Diabolo aliquid corpori Clerici adhærens, puta equum, cui Clericus insidet vulnerat, aut ei iniuriam infert; vel si quis de manu Clerici per vim aufert ensem, aut illum de latere per iniuriam eripiat, aut galerum, seu pileum de capite &c. est excommunicatus. Et an volens percutere Clericum gladio, vel sagitta, aut ictu, & casu aberret, illumque non attingat, etiamque si sagittam emittat, vel ictum in illum dirigat, incurrat excommunicationem? Et notatur eum qui adhuc non est initiatus primaTonsura, & si in habitu Clericali incedat, inseruiendo, Eccl. sæ animo ascendendi ad statum Clericalem non gaudere priuilegio Canonis & de Clericis Saluaticis idem dicendum est. Ex p. 9. tract. 4. resol. 4. p. 128.

10. An percutientes Clericum consentientem incurrant in censuram? Et an Clericus consentiens dictæ percussioni non sit excommunicatus, sed possit excommunicari? Pro quo explanatur, quod aliud est subiicere se clementiæ alicuius, & aliud participare cum aliquo in crimine criminoso, quod non participat se submittens misericordiæ alicuius quid de facili solet parcere subiectis, & prostratis? Ex p. 9. tract. 4. resol. 9. p. 129.

11. An Prælati Regulares, & seculares percutientes Clericos titulo Correctionis per alios incidant in censuram? Et an hic alius qui in Religione debet esse Monachus, possit esse vnus è Conversis? Et an restrictio, ne fiat per laicum percussio habet locum etiam in Prælatis Clericorum secularium? Et an captura Clerici possit fieri per laicum authoritate Superioris Ecclesiastici. Ex p. 9. tract. 4. resol. 22. ibid.

12. An percutiens Monachum, vel Nouitium titulo correctionis incidat in censuram si in Religione adsit statutum, ne Prælati causa correctionis percutiant Monachos? Et quid, si Submagister corrigat contra prohibitionem Magistri principalis? Et notatur Clericos Sodomitas esse priuatos per Bullam Pij V. priuilegiis clericalibus, sed intellige post declarationem criminis. Et an sub nomine Clericorum Sodomitarum in dicta Bulla intelligantur patientes crimen nefandum? Ex p. 9. tract. 4. resol. 41. p. 130.

13. An Magistri percutientes Clericum discipulum per laicum incidant in censuram? Ex part. 9. tract. 4. resol. 23. ibid.

14. An percutientes Clericum titulo correctionis incidant in censuram? Et quid, si excedant modum vel corrigunt ex odio? Et in textu huius Resolutionis explanantur quæ sunt personæ, quæ hanc correctionem facere possunt, censuræ incursione. Et an, quando dictæ personæ excedunt modum percussionis relatæ ad correctionem, vel corrigunt ex odio, incurrant hanc censuram? Ex p. 9. tr. 4. resolut. 21. ibid.

15. An pater correctionis causa possit percutere filium Clericum in sacris constitutum absque metu censuræ? Et quid in prædicto casu de Clericis in inferioribus gradibus, siue ordinibus constitutis? Et notatur hoc locum habere, quando, si talis filius Clericus est in eius potestate. Sed quid de Matre? Et aduertitur Magistrum ab excommunicatione immunem esse, si discipulum correctionis causa percutiat. Ex p. 9. tract. 4. resol. 1. p. 131.

16. An si quis percutiat Clericum turpiter agentem cum filia illegitima incidat in censuram? Et quid de filia legitima? Et etiam de matre, sorore, aut vxore agente in prædicto casu? & non solum in actibus proximis, turpibus, amplexibus, & similibus, sed etiam in casibus suspecto, & secreto. Imò hoc procedit si Clericus tantum infestet puerum pro nefanda libidine? Ex part. 9. tract. 4. resol. 33. p. 132.

17. An si quis percutiat Clericum turpiter agentem cum sua sponsa de futuro, incidat in censuram? Et in p. huius resolutionis apponuntur omnes personæ, cum quibus, si Clericus turpiter ageret, & percussus fuerit percutiens non incidit in excommunicationem, & non solum si turpiter in actu fornicationis inueniatur Clericus, sed etiam si inueniatur vacans amplexibus, oculis, aliisque tactibus turpibus qui nimio in loco suspecto. Et quid si in loco honesto Clericum loquentem cum vxore &c. post trinam monitionem repererit maritus domi cum vxore solum loquentem, si eum per 24. horas capiendi detineat, aut verberet? Et in dictis casibus adductis in corpore huius Resolutionis, an percussio in continenti præstanda sit? Et an patri, filio fratri, marito, &c. volenti interficere Clericum in flagranti repertum liceat aliisque absque incursione excommunicationis quando alia via non potest illum auertere, consulere percussionem tantum, non mutilationem; Et notatur supradictos non posse per alios percutere Clericum turpiter agentem cum vxore, filia, sorore &c. & in tali casu tam mandans quam percutiens mandatarius incurreret excommunicationem. Ex part. 9. tract. 4. resolut. 32. ibid.

18. An incurrat censuram maritus, si data opera se abscondit, vt Clericum adulterum inueniat cum vxore, & illum occidat aut percutiat? Et notatur quod non ob actum copulæ carnalis tantum, sed etiam ob amplexus, oscula, & alia huiusmodi generis signa propinqua operis nefandi exteriori, vel explendi cum vxore, matre, sorore, vel propriis &c. percuti Clericum posse sine crimine, & excommunicatione. Imò satis esse vt solus cum sola reperiatur in eo suspecto accedentibus aliis circunstantiis suspicionem monentibus? Et an extendendum hoc sit ad spem de futuro, auiam, aut neptem? Etiamque notatur, quando maritus procurauerit, vt Clericus vocetur ab vxore ad illam turpem actionem, & si eum percuterent incurrerent vterque, scilicet tam vxor, quam marius, excommunicationem. Et tandem quæritur, an adiuuantes, seu auxiliantes supradictum Patrem, filium, fratrem vel maritum in supra dicta percussione incidant in excommunicationem? Ex p. 9. tr. 4. resol. 2. p. 133.

19. An mulier Nobilis, quæ fuste, vel alapa percussit Clericum ad venerem solicitantem, inciderit in censuram? Et quid, si Clericus eam verbis tantum tentaret, vel aggrederetur? Idem dicendum est in prædicto casu depraui solicitato à Clerico cum peccato nefando. Ex p. 9. tract. 4. resol. 38. p. 134.

An percutientes Clericum, qui post infictum fustem vel alapam fugit, incidat in censuram? Et An sit licitum ob honoris iacturam persequi fugientem, qui percussit aliquem fuste, v. g. & illum tantum percutere, quantum ad sui honoris defensionem opus sit? Ex part. 9. tract. 4. res. 25. pag. 135.

An percutiens, vel occidens Clericum aggressorem, si possit fugere, incidat in censuram? Et an hoc intelligatur tam de viro Nobili, quam de viro infimæ notæ, vel de Clerico, aut Monacho? Et an si aliquis extraneus, vel propinquus consulat Patri, filio, fratri, vel marito occidenti Clerici in flagranti reperiendi, vel iniustè invadentis, an, sequuto homicidio in personam ipsius Clerici, talis consulens incidat in excommunicationem? Et docetur virum Nobilem, etiam si possit fugere, posse occidere invasorem absque metu irregularitatis, etiam si præcesserit culpa ex parte eius, vt invaderetur. Ex p. 9. tr. 4. res. 26. p. 136.

An percutiens Clericum in defensionem alterius incidat in censuram? Et supponitur percutientem Clericum in sui defensionem non incurrere in censuram, quod intellige in percutienti cum moderamine inculpatæ tutelæ, quamvis fortiter, & deliberate operetur; secus verò si moderamen legitimæ defensionis transgressus fuerit. Et docetur, quod prudentis viri arbitrio relinquitur, in quo consistat dictum moderamen. & infertur primo posse mulierem percutere Clericum tentantem suam pudicitiam facto, vel verbis, si alia via auertere à se illum non posset. Secundò, violenter expellens à domo Clericum iniustè illam occupantem in hanc excommunicationem non incidit. Tertio, si violenter expellas Clericum tibi honorificam sedem vsurpantem. Quarò, si Clericum bona tua furantem insequaris, & ab eo violenter extrahas. Et quid, si res furatas domi haberet depositas, easque pacificè possideret? Quintò, fugientem Clericum debitorem, aut de fuga suspectum detinere velis, vt Superiori præsentes, debitumque recuperes. Idem est, si in flagranti delicto, vel in eius probabili suspitione index secularis Clericum inueniat. Et tandem explanatur in quibus casibus consistat excessus moderatæ defensionis. Ex p. 9. tr. 4. res. 24. p. 137.

An quis tantum ex charitate teneatur impedire percussionem faciendam Clerico, si non impediat, incurrat censuram? Et quid, si dolosè non impedit talem percussorem, cum posset id facere sine periculo, & damno? Et quid est dicendum, si non obstat propter odium, & prauum affectum, licèt peccaret mortaliter? Et quinam ex iustitia teneantur obstare percussionem Clericorum? Et notatur, quod vt non impedendo percussionem Clerici incidant in censuram, quatuor copulatim debent concurrere. Ex p. 9. tr. 4. res. 3. p. 138.

An Helvetij arcentes turbam, dum Pontifex, vel alius Princeps egreditur, si percutiant Clericum, incidant in censuram? Et quid, si tamen id facerent animo maligno ex proposito scilicet intendens Clericum verberare sine sufficienti necessitate? Ex p. 9. tr. 4. res 20. p. 139.

An percutientes Clericum ex ignorantia incurrant in censuram? Et quid, si ignorantia sit inuincibilis, & quid, si sit vincibilis? Sed maior difficultas est ignorantia crassa, seu supina, & affectata, licèt ignorantia affectata procedat ex dolo, & temeritate? Difficultas adhuc superest de ignorantia concomitante sine iuris, sine facti? Et in textu huius Resolutionis adducuntur alij diuersi casus in exemplum præmissarum quæstionum. Ex part. 9. tr. 4. res. 42. ibid.

An mandantes, consulentes, seu precibus, & promissis inclinantes, consentientes, & ratum habentes, & auxilium præstantes percutere Clericum incidant in censuram? Et quid est dicendum, si mandatum non sit expressum, sed tacitum? Et rursum vero mandans incurrat, si mandatarius excesserit fines mandati, vt quia mandauit tantum verberare Clericum, & mandatarius illum vulneravit? & quid si quis mandaret, vt tantum inferatur Clerico iniuria verbalis, & mandatarius excesserit faciendo illi iniuriam personalem? Et notatur, quod si aliquis, licet non mandet, vel consulat percussionem Clerico expresse, dicit tamen coram suis amicis, & familiaribus se desiderare vindictam de tali Clerico, si postea sui moti his verbis percutiant, iste incurrit excommunicationem; vnde vt esset liber ab excommunicatione, debet affirmare se non dicere eo animo, vt percutiant, & quod non desideret vt ipsi percutiant. Etiamque aduertitur ratam habentem percussionem Clerici, etiam post factum incurrere censuram Canonis, ad quod requiruntur tria, quæ explanantur in §. vltimo huius Resolutionis. Ex. p. 9. tr. 4. res. 14. p. 140.

27. Quis consuluit homicidium cuiusdam Clerici, & postea serio consilium reuocauit, quæritur, an ex homicidio sequuto incurrat excommunicationem, irregularitatem, & obligationem restituendi? Ex p. 3. tr. 5. & Misc. 1. res. 84. alias 83. p. 141.

28. An reuocantes mandatum, & consilium, si percussio Clerici sequatur, incidant in censuram? Idem dicendum est de irregularitate, & damni compensandi obligatione. Et quid dicendum est de illo, qui propinato veneno Clericum occidit, tametsi diligentiam adhibuerit ad damnum impediendum? Ex p. 9. tr. 4. res. 15. ibid.

29. An mandantes, & consulentes percussionem Clerici, si ante percussionem pœniteant, & conterantur, incidant in censuram? Et supponitur non posse reuocari mandatum, nec consilium. Et an excommunicatio incurratur ab illo, qui postquam mandauit, moritur, antequam percutiatur Clericus? Et in conclusionem supra dictæ difficultatis aliquæ aliæ adducuntur in textu huius Resolutionis. Ex p. 9. tr. 4. res. 16. p. 142.

30. An furans cingulum, vel aliam vestem Clerico dormienti incidat in censuram? Et quid, si vestes è domo Clerici auferat latro, aut pecuniam ex crumena ab eo gestata, arripuerit subdole, & sine vi? Ex part. 9. tract. 4. res. 37. p. 143.

31. An si qui capiat Clericum vel Monachum per capillos, seu barbam, aut captivum dicens, si non esses Clericus, vel Religiosus, te occiderem, vel percuterem, incidat in censuram? Et notatur Clericum indignatum eleuando manum contra alium Clericum reiicientem illum aliquantis per de loco, in quo morabatur, non incidisse in censuram. Ex p. 9. tr. 4. res. 35. p. 144.

32. An si qui porrigeret venenum Clerico incidat in censuram? Et quid de Moniali sumens venenum, vt fatus moriatur. Et notatur propinantem venenum Clerico in censuram non incurrere, antequam venenum operari incipiat. Vnde quæritur, an si talis isto medio tempore confiteretur, vel eliceret actum contritionis, incideret ne postea, veneno operante, in censuram? Et in §. 1. huius Resolutionis cursim multi, & diuersi casus explanantur pro incursione censuræ in illis qui reducuntur ad percussionem iniuriosam personæ Clerici, &c. Ex p. 9. tr. 4. res. 36. ibid.

33. An percutientes Clericum mortuum incidant in censuram? Ex p. 9. tr. 4. res. 39. p. 145.

34. An percutiens Clericum per iocum, si aliquantulum excedat, incurrat in censuram? Ex p. 9. tract. 4. res. 43. ibid.

35. An qui intendit percutere Caium Clericum & facta diligentia percussit Titium Clericum, incidat in censuram? Et in exemplum adducitur, quod proiiciens lapidem, vt percuteret Sempronium Clericum, & casu inculpabiliter, percussit Titium etiam Clericum illuc tunc transmeantem; is enim nec incidit in censuram, nec morte inde sequuta contraxit irregularitatem. Et quod si percuteret laicum in eo casu, non incideret in censuram, quamuis intentio fuerit percutiendi Clericum? Et quod mandans occidere Petrum, si mandatarius occidat Ioannem, non incurrit mandans irregularitatem ortam ex homicidio voluntario. Ex p. 9. tr. 4. res. 31. p. 146.

36. An percutientes Clericum in sacris Ordinibus initiatum, cumque fuit dispensatum à Pontifice, vt possit contrahere matrimonium antequam illud contrahat, an inquam, illum percutientes incidant in censuram? Ex quo infertur, an

profissus, cum quo dispensatum est ad nuptias teneatur ad Officium diuinum recitandum; quod idem dicendum est de Sacerdote cum predicta dispensatione? Et obiter quæritur, an degradatus ad pensum Horarum Canonicarum adstrictus sit? Ex p. 9. tr. 4. res. 40. ibid.

37. *An qui percutit Clericum incarceratum, incidat in censuram? Et an talis Clericus amittat priuilegium fori? Et notatur, quod excluduntur ab hoc priuilegio Canonis Clerici Ioculatores, Goliardæ, aut Bufones, si per annum huic ignominioso Officio vacauerint. Etiamque excluduntur exercentes Officium Carnificium, Macellariorum, Tabernariorum, modo coniugati sint, vel habitum Clericalem dimiserint. Et an, si coniugati non sint, habitumque Clericalem retineant, priuilegio Canonis, & fori quo ad personas non priuentur, sed solum quoad eorum bona? Et an Clerici excommunicati, etiam denunciati, & vitandi, suspensi, interdicti, irregulares, vel etiam depositi verbaliter gaudeant hoc priuilegio Canonis?* Ex p. 9 tr. 4. res. 13. p. 147.

38. *An percutientes Clericum realiter degradatum incidant in censuram? Ex quo infertur, an degradatus, si de facto celebraret, conficeret verum Christi corpus? Et an si degradatus restituatur, vel si degradatus moriatur, & resurgeret, deberet iterum ordinari?* Ex p. 9. tr. 4. res. 29. p. 148.

39. *An percutiens Apostatam incidat in censuram? Et quid, si dimiserit habitum suæ Religionis, & Ecclesiasticum, & percutiens sciat esse Apostatam? Et an Nouitius, si maneat extra Conuentum cum habitu suæ Religionis, & licentia Superioris, etiam si illicite, & absque iusta causa fuit dicto Nouitio à Superiore concessa prafata licentia, gaudeat priuilegio Canonis? Et notatur, quod non solum conuersi laici oblati, seu donati, qui veram professionem emittunt, sed etiam ij, qui se suaque Monasterio tradiderunt, & in ipso viuunt habitu aliquantulum mutato gaudent priuilegio Canonis. Et quid est dicendum de percutiente manifestè Clericum hæreticum, an in censuram incurrat, etiam si non traditus sit brachio seculari?* Ex p. 9. tr. 4 res. 12. ibid.

40. *An percutientes Clericum damnatum ad triremes incidant in censuram? Et docetur, quod in hoc casu, quando Comes, & Magister triremis percutit Clericum sicut reliquos remigantes, non incurrit excommunicationem, secus vero, si illi, vel alius vixando cum illo percutit eum? Et quid, si predictus Clericus damnatus ad triremes sit incorrigibilis?* Ex p. 9. tr. 4. res. 17. p. 149.

41. *An percutiens Clericum qui non habet beneficium, neque requisita Concilij Tridentini, incurrat excommunicationem?* Ex p. 3. tr 5. & Misc. 1. res. 83. alias 82. ibid.

42. *An qui percutit Clericum constitutum in Minoribus, si non incedat in habitu, & Tonsura, & non obseruet requisita Concilij Tridentini* sess. 23. c. 6. de reformat. *incidat in censuram Canonis? Et notatur, quod excluduntur ab hoc priuilegio Canonis Clerici, qui deserto habitu Clericali grauibus criminibus se immiscent inuerecunde, quod à fortiori procedit, si in crimen assassinij inciderint. Et quid de Clericis excommunicatis, suspensis, interdictis, vel depositis verbaliter tantum, aut irregularibus, an predicti gaudeant priuilegio Canonis? Et quid est dicendum de Clericis hæreticis, & schismaticis? Et quid dicendum erit de Clericis Ordinatis per saltum, ante legitimam ætatem, vel per alienum Episcopum absque dimissoriis, vel cum dimissoriis falsis, vel per Episcopum excommunicatum, suspensum, vel depositum?* Ex. part. 9. tract. 4. res. 5. ibid.

43. *An qui percutit Clericum coniugatum non deseruientem alicuius Ecclesiæ incurrat in censuram Canonis? Et quid de priuilegio fori? Et an vxor Clerici coniugati, & filij eorum gaudeant priuilegio Canonis, & fori mariti & Patris incedentis in habitu, & tonsura? Et quid si manus iniectio fieret vxori supradictæ in odium viri, an tunc iniiciens incurreret in excommunicationem, ac si ipsum percuteret? Idem est, si percussio fieret in personam alicuius consanguinei Clerici in odium ipsius Clerici. Et an ad eandem dictam excommunicationem sufficiat, si tempore, quo cuititur talis Clericus coniugatus, non ferat Tonsuram, non habeat vestes Clericales? Et notatur, quod Clericus coniugatus non bigamus, si dimittat habitum, & Tonsuram, & postea illum reassumat, gaudet priuilegio Canonis, quo sequitur, quod Clerici bigami, bigamia vera, & interpretatiua in minoribus ordinibus constituti, omnia priuilegio denundantur; secus vero de bigamia similitudinaria, vt si Clerici bigami in Sacris initiati sunt, vel ex dispensatione, vel illegimitare hoc priuilegio Canonis gaudent, secus in Minoribus constituti. Idem docetur de priuilegiosis bigamis, etiam si habitum dimiserint, quare percutientes erunt excommunicati.* Ex part. 9. tract. 4. resolut. 6. p. 150.

44. *An torquentes Clericum per laicum incidant in censuram, etiam si de licentia Episcopi hoc faciant? Et an consuetudo in contrarium existet à culpa? Et an saltem in tali casu Superiores torquentes, & corrigentes Clericum per alium laicum peccarent?* Ex p. 9 tr. 4. res. 30. p. 151.

45. *An percutiens Religiosum inualide professum incidat in censuram? Et an hoc procedat etiam si propria culpa, & non tantum Religionis sit nulliter professus; imo contra iura receptus sit?* Ex part. 9. tract. 4. resolut. 8. p. 152.

46. *An percutientes Religiosum nullo ordine iusignitum, & expulsum à Religione, incurrant in censuram? & qui si portet habitum, & Tonsuram Clericalem? Et docetur Clericum ex defectu habitus non committere priuilegium Canonis.* Ex p. 9. tr. 4. res. 44. ibid.

47. *An Monialis, quæ sumit potionem, vel pugnis sciens, vt abortum faciat, incurrat in censuram? Et quid faciendum de alio propinante potionem pro aborsu faciendo Moniali, illa consentiente sequuto effectu?* Ex p. 9. tr. 4. res. 10. ibid.

48. *An Monialis sumens potionem mortiferam sciens, vel pugnis se percutiens ad abortum faciendum, vt postea sequutus est, non solum incidat in pœnas Bullæ Sixti V. sed etiam in censuram cap. si quis suadente Diabolo?* Ex p. 7. tr. 5. res. 40. p. 153.

49. *An Equites D. Iacobi, Alcantara, Calatraua, &c. gaudeant priuilegio canonis? Et quid de priuilegio fori? Et in vtroque quid dicendum est, si dicti Equites professionem non emiserint, sed tantum habitum acceperint?* Ex p. 5. tr. 13. res 44. ibid.

50. *An percutientes Equites D. Iacobi, Alcantara, Calatraua, incidant in censuram canonis? Et quid de Nonitijs prædictorum Equitum? Et quæritur, quid dicendum de Commendatarijs, in quibus maior potest esse difficultas? Et quid de consuetudinibus circa supra dicta?* Et quid etiam sentiendum sit de Equitibus D. Ioannis? Et an, qui non Canonicè ad statum clericalem peruenit, vel si ita vt pro pœna sit à gradu deiiciendus, vel si sponte &c. gaudeat priuilegio canonis? Ex p. 9. tract. 4. res. 7. ibid.

51. *An notorius percussor Equitis Ierosolymitani, Calatraua &c. vel Religiosi alterius Religionis Ordines non habentis sit propter excommunicationem incursam vitandus? Et an talis percussor sit vitandus ante iudicis sententiam, aut declarationem? Et an ad notorietatem per euidentiam facti requiratur, quod sciatur saltem euidenter à duabus personis in oppido paruo, & à pluribus alijs in magna ciuitate? Et docetur, quod in odiosis nemine clericis, non conueniunt Religiosi; & quod interdicto clero, non tamen sentiunt interdicti Religiosi.* Ex p. 10. tr. 14. & Misc. res. 11. alias 9. p. 154.

52. *An percutientes Eremitas, si sint sub obedientia Episcopi vel alterius Prælati, incidant in censuram? Ex quo infertur, quid dicendum sit de Fratribus tertij Ordinis Francisci, & D. Dominici, vitam in communitate gerentibus, & habitum Religionis gestantibus, an hoc priuilegio*

eamen-

anonis, imo & fori gaudeant ? Et quid de prædictis Fratribus, qui in propriis domibus commorantur, & se suaque bona Religioni obtulerunt ? Ex p. 9. tract. 4. resol. 11. p. 115.

An si quis eadem actione, quæ sit tota simul, verbi gratia ictu, percutiat duos clericos, vel scopio duos interficiendo, percutiat duos clericos, vel scopio duos interficiendo, incurrat duas excommunicationes ? Idem est dicendum, incurrat duas excommunicationes ? Idem est dicendum de eo, qui eadem actione duo vasa rapuit diuersorum Dominorum, si furtum erat prohibitum sub censura. Idem etiam de iudice, qui simul duabus manibus trahit duos homines vi & temere contra Immunitatem ; vel de eo, qui eodem tempore conuersatur cum duobus excommunicatis. Ex p. 5. tr. 9. resol. 59. 156.

An percutiens plures clericos successiue incurrat tot censuras, quot sunt clerici percussi ? Et an ligatus una censura, qui sit adhuc capax alterius, non tamen diuersa rationis, eandem ? Et notatur, quod plus censuræ incurruntur ab eo, qui fecit vnum actum habentem plures circunstantias, pro quibus singulis lata est sententia censuræ si tamen dicta circunstantiæ mutent speciem actus moralis, & non autem si non mutent speciem. Et quæritur, si quis ingrederet Monachum initiatum prima Tonsura, an duas censuras incurrat ? Etiamque notatur, quod tot censuræ incurruntur, quot sint Superiores prohibentes quando habent diuersam potestatem, secus si eamdem. Ex p. 5. tr. 9. resol. 60. ibid.

An in quadam ciuitate huius Regni quidam percussit clericum publice, & notoriè, quæsierunt statim à me, an sit vitandus ? Ex p. 3. tract. 5. & Misc. 1. resolut. 14. p. 157.

An, qui percussit clericum publice & notorie, sit statim vitandus, ante iudicis sententiam ? Ex p. 5. tract. 9. tr. 61. ibid.

An percussor notorius clerici, eo ipso statim sit semper vitandus ? Et quæritur, quot autem testes requirantur, vt factum dicatur notorium in clerici percussione ? Et an scienti, si aliquis notorie consuluit, vel mandauit, aut ratum habuit, vel non impedinit percussionem clerici, sit vitandus, sicut notorius percussor ? Ex p. 9. tract. 4. resol. 18. ibid.

An Olim interrogatus fui, quot testes requirantur, vt factum dicatur notorium in percussione clerici ? Ex p. 2. tr. 16. & Misc. 2. resol. 22. alias 24. p. 158.

An in dubius de percussione notoria clerici teneatur vitare percussorem ? Et docetur, vt teneamur vitare excommunicatum denunciatum, non sufficere dubium adhuc prudens denunciationis, sed requiritur notitia illius moraliter certa, quod excommunicatio sit expresse denunciata Ex. p. 4. tr. 3. resol. 71. ibid.

An Quidam calcibus percussit clericum in publica platea, & cum à tali excommunicatione non posse ab Episcopo absolui dixissent aliqui viri docti, quæsierunt à me, quid in hac re ego sentirem ? Et in dubiis, an percussiones declarande sunt potius graues, & enormes quam leues ? Ex p. 2. tr. 16. & Misc. 2. resol. 21. alias 23. p. 159.

An calcibus percutiens clericum in platea dicatur percussisse leuiter in ordine ad obtinendam absolutionem ? Ex p. 9. tr. 4. resol. 19. ibid.

An quis potest absoluere à dictis percussionibus ? Et an hæc facultas extendatur ad quoslibet Prælatos iurisdictionem quasi Episcopalem habentes ? Et in textu huius Resolutionis explanantur omnes personæ in iure expressæ, quæ exonerantur adire Pontificem pro absolutione ob enormem clerici percussionem. Ex p. 9. tr. 4. resol. 47. ibid.

An quis, si pro enormi percussione non potest adire Pontificem, teneatur Romam mittere Procuratorem vel epistolam pro absolutione ? Ex p. 9. tract. 4. resol. 48. p. 160.

An Episcopus possit absoluere ex quacumque percussione clericorum, etiam si percussor possit recurrere ad Summum Pontificem, dum modo percussio sit occulta ? Et an sit eadem facultas Mendicantibus Religiosis concessa ? Ex p. 9. tr. 4. resol. 63. ibid.

65. *Quando ab Episcopo non est exigendum iuramentum, vt absoluti à censura canonis teneantur adire Pontificem ?* Ex p. 9. tr. 4. resol. 64. ibid.

66. *An Principum Ianitores, Ostiarij, &c. percutientes clericos sub pretextu Officij possint absolui ab Episcopo, quamuis percussio grauis sit modo non sit enormis ? Et an Officiales non fortuito, & incaute, sed titulo iurisdictionis percutiens ex odio clericum, semper sit remittendus ad Papam pro absolutione, exceptis casibus legitimi impedimenti ? Et quæritur in hoc casu, cui incumbit onus probandi, an fortuito, vel deliberate Officialis, (vt supra) percusserit clericum arcendo turbam, ad hoc vt declaretur excommunicatio Episcopalis, aut Papalis ? Et obseruatur dictis Ianitoribus, & Officialibus, (dum ab Episcopo absoluuntur ab excommunicatione Si quis suadente, contracta ob delictum enorme,) non esse iniungendum onus se præsentandi postea Sedi Apostolicæ, sicut etiam mulieribus, pueris impuberibus, & delicatis magnæ potentiæ id onus non iniungitur.* Ex p. 9. tr. 4. resol. 55. ibid.

67. *An Episcopus possit absoluere clericos, qui Collegialiter viuunt, vel in Seminariis, conuictoribus se inuicem percutientes non percussione leui, sed graui ? Et notatur, quod quando dictis clericis Collegialiter viuentibus ab Episcopo absolutio censuræ imperitur, non est onus imponendum præsentandi se postea Sedi Apostolicæ. Et quid est dicendum in prædicto casu de pueris ministrantibus in Ecclesia Cathedrali, vel alia Ecclesia, qui ibi communiter viuunt, & substentantur de redditibus ab Ecclesia ad id deputatis ? Et quid de aliis pueris, qui in domo communi viuunt sub aliquo moderatore eorum ?* Ex p. 9. tract. 4. resolut. 56. p. 161.

68. *An Episcopi possint absoluere impuberes, qui clericum percusserunt ? Idem est dicendum de puellis puberibus. Et docetur quod talis non tenetur postea se Sedi Apostolicæ præsentare, etiam si pueri impuberes doli tamen capaces non petant absolutionem ante pubertatem, quamuis lasio facta tempore impubertatis sit enormis ?* Ex p. 9. tr. 4. resol. 58. ibid.

69. *An Episcopi possint absoluere mulieres cuiusuis status fiat & conditionis percutientes Clericos ex quauis percussione ? Et an dicta absolutio danda sit simpliciter ab eodem Episcopo, & non ad reincidentiam ? Idem dicendum est & multo magis de Monialibus. Et an status personæ prius, & veritas negotij sit intimanda Romano Pontifici ante quam absolutio censuræ impendatur ab Episcopo mulieribus supradictis ?* Ex p. 9. tr. 4. resol. 59. p. 162.

70. *An Episcopi possint absoluere senes ex quacumque Clerici percussione ? Sed difficultas est, quinam dicendus sit senex ?* Ex p. 9. tr. 4. resol. 60. ibid.

71. *An Episcopus possit absoluere à graui, & enormi Clericorum percussione seruos, & alios sub potestate constitutos ? Idem dicendum est de viro, qui in fraudem vxoris Clericum percuteret. Et si supradicti fiant de fluxu temporis sui iuris, vel liberi, an teneantur adire Sedem Apostolicam ? Et aduertitur, quod quando prædicti absoluuntur ab Episcopo iniungendam esse illis satisfactionem aliquam pro recompensatione laboris in itinere.* Ex part. 9. tract. 4. resolut. 61. p. 163.

72. *An pauperes possint absolui ab Episcopo, etiam si percussio Clerici fuerit enormis ? Et quid est dicendum de infirmis & valetudinariis ? Et in textu huius Resolutionis explanatur, qui sunt supradicti pauperes. Et notatur, quod infirmi, valetudinarij, aut præpediti à quacumque alia impotentia corporis incidentes in excõmunicationem canonis. Si quis suadente, possint absolui ab Episcopo, etiam si infirmitas sit temporalis, nempe febris tertiana, vel quartana, aut podagra, & multo fortius, si infirmitas sit incurabilis, & diuturna. Et in corpore huius Resolutionis explanantur impedimenta, pro quibus excommunicatus iure communi possit absolui ab Episcopo, & non tenetur recurrere ad Papam pro absolutione, etiam si percussio Clerici sit enormis. Et an si cum prædictis impedimentis quis non tenetur personaliter*

naliter adire Papam, & Romam, etiam non teneatur mittere Procuratorem pro absolutione? Et an cessante impedimento teneantur se præsentare Pontifici? Sed adhuc duo adnertuntur, Primum non esse concedendam huiusmodi absolutionem, quin excommunicatus parti læsæ satisfactionem præstet. Secundum, in euentu, quo quis absolnitur ob temporale impedimentum exigi debere iuramentum cõparendi coram Sede Apostolica, vel aliàs authoritatem absoluendi habente, si contaluerit, aliàs in similem incidet excommunicationem. Ex p. 9. tr. 4. res. 62. p. 164.

73. *An Episcopus possit absoluere Religiosos, si se inuicem percusserunt, vel an sit necessaria licentia Superioris Regularis? Et quid, si percussio sit grauis, vel enormis? Et quid est dicendum, si Prælatus Regularis nollet per se, vel per alium concedere absolutionem? Et notatur, quid idem dicendum est de Monialibus si aliqua aliquam aliam etiam Conuersam, aut Clericum percusserit; quod potest absolui ab Episcopo, in cuius Diœcesi Monasterium fuerit. Idem est etiam dicendum de Monialibus Nouitiis.* Ex p. 9. tr. 4. res. 54. p. 165.

74. *An Regulares possint absoluere à percussione enormi Clericorum, quando est occulta? Et an Regulares priuilegiati possint etiam hodie absoluere sæculares à casibus Bullæ Cœnæ Domini, dummodo sint occulti?* Ex p. 9. tr. 4. res. 65. ibid.

75. *An Regulares possint absoluere sæculares, qui percusserunt Clericum leui percussione?* Ex p. 9. tract. 4. res. 53. p. 166.

76. *An si in Monasterio sint tantum Superior, & alius Religiosus, & se inuicem percusserunt, possint se inuicem absoluere? Et in hoc casu se inuicem absoluendo, neque peccatum, participando in diuinis, neque irregularitatem supradicti incurrant? Sed aduertitur, quod prius absoluens non absoluat Sacramentaliter, hoc est etiam à peccatis, sed tantum extra Sacramentum, & ab excommunicatione tantum præcisè, deinde absolutus primus potest ab vtrisque absoluere.* Ex part. 9. tract. 4. res. 52. ibid.

77. *An Superiores Regulares possint absoluere à censura huius canonis suos subditos? Et quid est agendum si Religiosi se inuicem percutiant extra claustrum Monasterij? Et quid, si Prælatus Regularis percutiat aliquem subditum? Et an Prælati Regulares, & eorum Vicarij ex priuilegio possint suos subditos absoluere, etiam si percussio sit enormis? Et notatur supradicta procedere, quando Religiosi se ad inuicem percutiunt, nam si percutiant Clericum suæ, vel alterius Diœcesis, non gaudent prædicto priuilegio. Potest tamen in tali casu illos Episcopus absoluere, si percussio sit talis, à qua Episcopus eosdem Clericos absoluere possit, id est lenis. Et quid, si Religiosus percusserit Episcopum ipsum, vel Abbatem?* Ex p. 9. tr. 4. res. 49. p. 167.

78. *An Regularis percutiens Regularem alterius Religionis sit absoluendus à proprio Prælato, si percussio non fuerit enormis? Vel an sit necesse, vt Prælatus eius, qui passus est iniuriam, vt eam condonet, ac pœnam in satisfactionem diffiniat, & sit præsens ad talem absolutionem? Et an vero Prælatus percussi ipsum percussorem verberare debebit? Et an talis prælatus possit delegare talem actionem verberationis? & quid faciendum est in euentu, quod Prælati discordauerint in satisfactione ponenda? & quid est agendum, quando Regularis percutiat Regularem eiusdem Religionis, at diuersi Monasterij. Et notatur, quod hodie per specialia priuilegia Prælati Regulares possint absoluere suos Religiosos subditos ab excommunicatione propter iniectionem manuum violentam in Clericum, etiam si sit Sedi Apostolicæ reservata.* Ex p. 9. tract. 4. resolut. 50. pag 168.

79. *An Superiores Regularium possint absoluere Nouitium ab excommunicatione incursa propter percussionem Clerici ante ingressum Religionis? Et quid est agendum, si postea talis Nouitius ita absolutus ab ista, vel quavis alia censura egrediatur à Religione, an in illas reincidat? Et quid est faciendum, si in prædictam censuram cadat Nouitius incurrat anno probationis, modo non sit enormis?* Ex p. 9. tr. 4. res. 11. ibid.

80. *An virtute Bullæ Cruciatæ possint absolui percutientes etiam enormi percussione? Et infertur absolutionem virtute Bullæ Cruciatæ à censuris à iure latis valere etiam in foro exteriori, & iudiciali.* Ex part. 9 tract. 4. res. pag. 169.

Appendix ad alias paucas difficultates similes pertinentes ad istum *tract. 2. de Censura percussionem Clerici, & eius Absolutione huius V. Tomi.*

An liceat absque censura excommunicationis cap. Si quis suadente, &c. percutere Pontificem pro defensione necessaria? Ex p. 5. tr. 4. ex res. 2. *Quæ nunc inuenietur* in tom. 8. tr. 5. de Homicidio res. 17.

An si quis percutiat Cardinalem percussione leuissima incurrat in censuram Bullæ Cœnæ? Et quid, si ictus solum do vestes tetigit, aut leuauit manum ad percutiendum Cardinalem, quamuis postea non percutiat? Et an Cardinales percutientes seipsos incurrant in censuram Bullæ Cœnæ? Ex part. 5. tract. 2. ex res. 92. & 84. *Quæ reperientur* in tom. 9. tract. 7. de Cardinalibus res. 79. & 82.

An percutientes Cardinales, Episcopos, & alios Prælatos expressos turpiter inuentos in continenti non excidant ab excommunicatione, &c? Ex part. 5. tract. 2. res. 91. *Quæ hic est* in tom. 9. tract. 1. de Immunit. Ecclesiæ res. 49.

An quis impune possit occidere, vulnerare, & expellere Clericum, Episcopum, & Cardinalem in bello militantem, ac proinde nullam incurrat pœnam, & excommunicationem? Ex p. 10. tr. 2. ex res. 3. *Quæ nunc inuenietur* in tom. 7. tr. 7. de Bello, res. 53.

An prima Tonsura initiatus gaudeat priuilegio canonis? Et an Regularis excommunicatus propter percussionem Clerici, si recipiat Ordines incurrat Suspensionem? Ex p. 10. tract. 14. ex res. 16. aliàs 14. & in p. 5. tract. 10. res resol. 58. *Quæ nunc inuenientur insra in hoc ipsome* tom. 5. tr. 3. de Suspensione, res. 12. & 33.

Asseritur, quod si quis intendat occidere, aut enormiter percutere aliquem Clericum determinatum; & casu euenit, alium etiam Clericum percuteret, aut occideret, illa excisio, & percussio enormis non erit reservata. Ex p. 10. tr. 6. ex res. 19. *Quæ hic reperietur* in tom. 8. tr. de Homicidio res. 91.

An Nouitius in Religione clericorum Regularium emittat Generalis acceptatus ante pubertatis annum, si propter Nouitius, ita vt gaudeat priuilegio canonis? Et an emittens ad cæteras alias Religiones ante annum pubertatis gaudeat priuilegio canonis? Et an hospites alterius Religionis, & Nouitij laici antequam annum Nouitius incipiant, gaudeant priuilegio canonis? Et an illi qui assumpto aliquo habitu Religioso adhibentur ad seruitia, & obsequia Monialium, & ad petendum pro eis eleemosynam, gaudeant priuilegio canonis? Et quid clericis Orientalibus coniugatis & in minoribus Ordinibus initiatis? Ex p. 6. tr. 8. res. 7. & in p. 5. tr. 1. ex res. 3. *Quæ hic est* in to 9. tr. 2. de Immunit Eccl. res. 163. & 164.

An Moniales Turris Speculatorum Romæ existentium Religiosæ, & earum vota sint solemnia, & gaudeant priuilegio canonis? Ex p. 8. tr. 7. ex res. 88. *Quæ nunc inuenietur* in tom. 7. tr. 1. de Regularibus, res. 330.

An si quis consilium, vel mandatum dedit ad percutiendum Clericum, & constat de effectu sequuto, sed dubitat, an ille mandatus sit à sua operatione, seu à consilio, vel mandato, vel verò alias id principalis esset facturus, censetur peccare

...rum incurrisse? Ex p. 7. tr. 5. ex res. 26. §. penult. Quæ hic reperietur infra in hoc ipsomet tom. 5. tr. 6. de Aborsu res. 23.

...publicum Clerici percussorem in vno loco, teneamur ...ere in alio loco, vbi delictum est occultum? Ex p. 5. ...r. 9. ex resolut. 134. Quæ hic est supra in tract. 1. huius ...om. 5. res. 145.

...si quis iactauit se percussisse clericum, teneatur confiteri ...circunstantiam Clericatus, &c. Ex p. 3. tr. 4. ex res. 160. ...alis 161. Quæ nunc inuenietur in tom. 1. tr. 7. de Circumstantiis res. 37. §. 1.

...in articulo mortis, si alius non adsit, possit quis sumere ...Eucharistiam à Sacerdote publico percussore Clerici? Ex ...p. tr. 3. ex res. 49. Quæ hic reperietur in tom. 2. de Communione res. 60.

...publici percussores Clerici habeant potestatem in articulo ...mortis absoluendi moribundum? Ex p. 5. tr. 3. ex res. 57. ...Quæ hic est in tom. 1. tr. 4. de Absolutione Sacramentali res. 42.

...Capitulum Sede vacante possit absoluere ab excommunicatione incursa propter percussionem Clerici? Ex p. 8. ...tr. 4. ex res. 12. Quæ nunc inuenietur in tom. 3. tr. 5. de Capitulo Sede vacante res. 31.

...absolutus in articulo mortis à censura ob percussionem ...Clerici, teneatur postea se præsentare personaliter Superiori, vel sufficiat, si se præsentet per Procuratorem? Ex ...p. tract. 7. ex res. 66. Quæ hic reperietur supra in hoc ...eodem tom. 5. tr. 1. de Excommunicatione res. 203.

...Confessarius electus per Bullam Cruciatæ possit absoluere ...tenentem, qui solum satisfacit Clerico, vel Monacho perfecto, vel teneatur etiam satisfacere Ecclesiæ, vel Monasterio, & Abbati? Et vtrum vigore Cruciatæ liceat absoluere publicos percussores Clericorum quorum percussio, & consequens excommunicatio deducta est ad forum contentiosum? Idem est, & procedit, si quis absolueret virtute priuilegiorum Mendicantium. Et in textu huius Resolutionis aliqua alia aduertuntur, quæ facienda sunt in praxi casus. Ex p. 1. tr. 11. ex res. 23. & 26. Quæ hic sunt ...tom. 4. tr. 3. de Bulla Cruciatæ res. 61. & 62.

TRACTATVS III.

De Suspensione. p. 170.

QVinam sint effectus Suspensionis? Ex part. 5. tr. 10. res. 9. ibid.

2. An suspensio possit ferri, & incurri propter solum peccatum veniale? Ex p. 5. tr. 10. res. 19. ib.

...suspensio possit contrahi culpa aliena: Ex p. 5. tr. 10. ...res. 12. ibid.

...suspensio lata sub hac forma, sit Suspensus, liget, & ...quoad, an ab ordine, vel beneficio, aut Officio? Ex p. 5. tr. ...10. res. 14. ibid.

...suspensio disiunctiua, nempe ab Officio, vel beneficio ...valida? Ex p. 5. tr. 10. res. 13. p. 171.

...suspensio sit valida, si post illam interponatur appellatio? Et an suspensio à voce actiua, & passiua suspendatur per appellationem legitimam subsequentem? Ex p. 5. tr. 10. res. 16. ibid.

...sit sublata ab Episcopo suspensione ad reincidentiam, si ...interim appellatio, suspendat sententiam, ne postea ...suspensio contrahatur, quod idem quæritur de interdicto? Ex p. 5. tr. 10. res. 17. p. 172.

...si quis appellet generaliter à sententia excommunicationis, suspensionis, &c. suspendat censuram? Et quando ...appellans ad plures diuersos iudices appellare potest, valeat ...alternatiua appellatio, v. g. appello ad Archiepiscopum, vel ad Papam? Et an apellatio non debeat recipi nisi ex iusta, & rationabili causa in appellatione specialiter expressa? Ex p. 5. tr. 10. res. 18. ibid.

9. An suspensio lata à iure, quæ est censura, si reseruata non sit Pontifici, possit tolli ab Episcopo? Et an Parochus, & alius Confessarius possit absoluere à suspensionibus etiam à iure communi non reseruatis? Et an si supradicta suspensio reseruata sit Pontifici, & delictum sit occultum, possit etiam Episcopus dispensare? Ex p. 5. tr. 10. res. 23. ibid.

10. An suspensio lata sub conditione, v. g. donec satisfaciat, vel restituat, sequuta satisfactione, tollatur ipso facto sine aliqua absolutione? Idem dicendum est de interdicto, secus verò de excommunicatione. Ex p. 5. tract. 10. res. 24. p. 173.

11. An ablata contumacia cesset suspensio ipso iure sine vlla absolutione? Et quid de excommunicatione, & interdicto, quia de excommunicatione maiori cautum est, quod non tollatur per solam respiscentiam absque absolutione? Ex p. 5. tr. 10. res. 25. ibid.

12. An Clerico habenti tantum primam Tonsuram sit largienda à Confessario absolutio à suspensione, quatenus indigeat? Et late docetur, an prima Tonsura sit Ordo? Et cursim asseritur, quod prima Tonsura in titati gaudent priuilegio canonis, & sunt capaces beneficiorum, & si ordinantur ab Episcopo alieno suspenduntur. Ex p. 10. tr. 14. & Misc. 4. res. 16. alias 14. p. 174.

13. An acta suspensi sint valida? Et quid, si suspensus sit occultus, & ab Ecclesia communiter toleratus, & non sit specialiter denunciatus? Ex part. 5. tract. 10. res. 11. p. 175.

14. An teneamur vitare suspensos in rebus, à quibus suspensi sunt? Et quid, si talis communicatio fuerit scilicet, quædam cooperatio cum illo in delicto, & malo vsu ministerij, & quando verò quis dicatur cooperari peccato suspensi? Ex p. 5. tr. 10. ex res. 20. ibid.

15. An suspensus ab Officio sit suspensus à beneficio? Et an suspensus ab Officio sit priuatus à fructibus beneficij? Et in §. vltimo huius Resolutionis alia notabilia inferuntur, & explanantur pro praxi suspensionis ab Officio, & Ordine. Ex p. 5. tr. 10. res. 1. ibid.

16. An suspensus à beneficio sit suspensus ab Officio? Et an suspensus à beneficio, si egeat, possit fructus percipere, quatenus necessarij sunt ad se, & suos alendos, vt etiam contingit in simili effectu excommunicationis maioris? Et an excommunicatus, vel suspensus à beneficio, si tamen præstet Officium, lucretur omnes fructus? Et an qui suspenditur à beneficio, eo ipso ita priuetur fructibus, vt ante omnem sententiam eos non faciat suos? Ex part. 5. tract. 10. res. 3. p. 176.

17. An suspenso ab Officio illicitè conferatur beneficium? Et an collatio beneficij facta suspenso per triennium in suspensione perseueranti sit irrita? Ex part. 5. tr. 10. res. 2. ibid.

18. An suspensus à beneficio validè accipiat aliud nouum beneficium? Et an qui solum suspenditur à certo beneficio, non possit priuari à fructibus aliorum beneficiorum, etiamque possit alia beneficia recipere? Ex part. 5. tract. 10. res. 7. p. 177.

19. An collatio beneficij facta suspenso, vel interdicto sit valida? Ex p. 5. tr. 9. res. 100. ibid.

20. An suspensus à beneficio suspendatur à Collationis iure beneficij, confirmationis, electionis, &c. sibi proueniente ratione beneficij, à quo suspensus est? Et notatur Episcopum à beneficio suspensum posse beneficia conferre. Ex p. 5. tr. 10. res. 8. ibid.

21. An suspensus à beneficio priuetur fructibus pensionis collatæ titulo Clericali? Ex p. 5. tr. 10. res. 15. p. 178.

22. An Episcopus censura ligatus tempore, quo Episcopatum recipit, incurrat suspensionem? Et discutitur, an Episcopatus sit Ordo? Ex p. 5. tr. 10. res. 41. ibid.

23. Ad quæ se extendat suspensio ordinis Episcopalis? Et inter alia quæritur, an si Episcopus sit suspensus celebret in Pontificalibus, incurrat irregularitatem? Ex p. 5. tr. 10. res. 4. ib.

24. An

24. *An Episcopus primam Tonsuram conferens sine proprij Episcopi licentia, incurrat pœnam suspensionis latam in* cap. cos. de temp. ordin. in 6? *Et supponitur, quod si Episcopus scienter, vel cum affectata ignorantia præsumt ordinare alienum Clericum sine sui ordinarij licentia est suspensus per annum à collatione ordinum. Et an si Episcopus primam Tonsuram laico alterius Diœcesis conferat, incurrat suspensionem collationis ordinum, vel tantum à collatione primæ Tonsuræ?* Ex p. 3. tract. 4. res. 193. alias 194. ibid.

25. *An Episcopus conferens primam Tonsuram in aliena Diœcesi incurrat suspensionem? Et an liceat Episcopo ordinare proprios subditos in aliena Diœcesi si habeat licentiam ordinandi subditos Episcopi illius Diœcesis?* Ex p. 5. tract. 10. res. 45. p. 179.

26. *An Episcopus ordinans subditum alienum ex ratihabitione incurrat suspensionem concilij* Sess. 23. c. 8? *Sunt enim aliqui casus, in quibus datur excusatio ab ea censura, quos ex Suarez explanatos inuenies in textu huius Resolutionis.* Ex p. 5. tract. 10. res. 38. ibid.

27. *An Abbates conferentes Tonsuram, vel minores Ordines aliis quam suis subditis regularibus incurrant suspensionem? Et notatur Abbates conferentes Ordines minores nouitiis non esse suspensos, quamuis peccent.* Ex p. 5. tr. 10. res. 42. ibid.

28. *An Abbates concedendo dimissorias nouitio incidant in suspensionem?* Ex p. 5. tract. 10. res. 43. p. 180.

29. *An Monachi Benedictini incurrant in suspensionem si non utantur habitu præscripto* in Clement. 1. §. Si quis autem de statu Monach.? Ex p. 5. tract. 10. resolut. 44. ibid.

30. *An suspensus ab Ordine sit suspensus à iure eligendi?* Ex p. 5. tract. 10. res. 21. ibid.

31. *An suspensus ab Ordine inferiori censeatur suspensus ab Ordine superiori, ita vt si illum exerceat, incurrat irregularitatem vel an saltem peccet mortaliter? Et an qui ignoranter suscepit Ordines ab Episcopo excommunicato incurrat suspensionem, sed tamen si in ea celebret non incurrat irregularitatem?* Ex part. 5 tract. 10. resolut. 5. ibid.

32. *An qui ab Episcopo excommunicato vitando ignoranter suscepit Ordines, incurrat suspensionem? Idem est dicendum de illo, qui ordinem recipit à dicto Episcopo per metum cadentem in constantem virum?* Ex p. 5. tr. 10. res. 39. p. 181.

33. *An Regularis excommunicatus propter percussionem Clerici si recipiat Ordines, incurrat suspensionem? Et an hoc extendatur ad omnem irretitum censura? Et aduertitur ad hoc vt ea censura incurratur requiri, vt Ordo recipiatur scienter in contemptum disciplinæ Ecclesiasticæ; vnde ignorans excommunicationem præbere huiusmodi impedimentum Ordines suscipit, non incurrit censuram, quamuis ignorantia esset crassa, vel etiam supina?* Ex p. 5. tract. 10. resolut. 58. ibid.

34. *Puer in anno quinto suæ ætatis fuit promotus ab Episcopo ad primam Tonsuram, quæritur, quid iuris? Et an possit promoueri ad alios Ordines? Et inter alia quæ supponuntur docetur dictum puerum nullam suspensionem incurrisse sed concluditur dispensationem impetrasse.* Ex p. 11. tr. 6. & Misc. 6. res. 8. ibid.

35. *Quidam cum falsis dimissoriis sumpsit minores Ordines, & postea cum excommunicatione occulta impetrauit beneficium, quæsiuit à me, quid iuris? Et an collatio beneficij facta excommunicato probabiliter suam excommunicationem ignoranti, sit valida? Et an excommunicatus cui tempore excommunicationis collatum fuit beneficium non faciat suos fructus beneficij, sed eos teneatur restituere; si tamen bona fide seruiuit beneficio, possit recipere, aut retinere stipendium seruitio proportionatum & residuum non potest accipere, &c? Et an si eligaris ad beneficium tempore quo habilis es acceptes vero illud, cum excommunicatus existis, validà sit tua acceptatio? Ex quo sequitur, si sic qui acceptauit, moriatur excommunicatus, ante absolutionem, ad quem pertineat præsto nefici? Et an in Ecclesia in qua est ius (prænd. rem præbendam val. de excommunicatus tam aptare?* Ex p. 11. tract. 5. & Misc. 5. res. 2. p. 182.

36. *An si quis recipiat Ordines minores extra tempora ante legitimam ætatem, vel sine literis dimissoriis cum falsis incidat in suspensionem latam in Bullam II. anno 1401? Et aduertitur, vt sic ordinati Ordinibus sacris suspenduntur ab Ordinum executione, & si ante obtentam licentiam à proprio Episcopo ministrant, fiunt irregulares.* Ex part. 5. tract. 10. res. 30. p. 185.

37. *An recipiens Ordines sacros extra tempora, vel sine literis dimissoriis vel ante legitimam ætatem incurrat suspensionem? Et deducitur, an quando dubitatur, an lex ferit promulgata, & ab vsu recepta, tunc non obligat, & si censuram, suspensionem, vel irregularitatem inducat? Et quid quando non sumus in dubio, sed quando adsunt opiniones probabiles hinc & inde? Et an qui in præcepto primo casu possit obtinere dispensationem virtute Bullæ Cruciatæ, vel priuilegiorum Regularium?* Ex p. 11. tract. 4. & Misc. 4. res. 7. ibid.

38. *De quodam Clerico, qui Ordinem Subdiaconatus suscepit cum dimissoriis falsis. Et docetur supradictum Clericum incurrisse suspensionem. Difficultas verò est, an incurrerit irregularitatem? Et notatur quod in vtroque Episcopus & Confessarius virtute Cruciatæ, & etiam regulares virtute priuilegiorum possunt dispensare.* Ex p. 11. tract. 6. & Misc. 6. res. 4. p. 186.

39. *An si quis suscipit Ordinem Sacrum ante legitimam ætatem vel sine literis dimissoriis vel extra legitima tempora, incidat in suspensionem ex Bulla Pij II. & si celebret, incurrat irregularitatem? Et an ad incurrendam hanc suspensionem requiratur dolus, vel saltem culpa lata & mortalis, ita vt ignorantia etiam crassa, si affectata non sit suspensiua, & irregularitate contrahenda exsuscitata.* 3. tract. 4. res. 191. alias 191. p. 187.

40. *An qui non solum cum ignorantia inuincibili, sed etiam moraliter vincibili, & crassa ordinatur ante legitimam ætatem extra tempora, &c. incurrat suspensionem latam à Pio II. Et an qui ita ordinatus est cum dolo, & tamen si postea facta pœnitentia celebret, credens id sibi licere, incurrat irregularitatem?* Ex part. 5. tract. 10. resolut. 32. ibid.

41. *An qui bona fide ordinatur ante legitimam ætatem incurrat suspensionem, & celebrando irregularitatem ex Bulla Pij II? Et an adueniente mala fide si sic ordinatus ante legitimam ætatem celebret, incurrat irregularitatem? Et an saltem ita celebrando peccet mortaliter? Et an taliter ordinatus postquam peruenit ad legitimam ætatem, possit sine vlla dispensatione celebrare, vel exercere actum Ordinis susceptis? Et quid in casu quo quis mala fide Ordines ante legitimam ætatem susceperit? Et notatur recipientem ordinem mala fide ante legitimam ætatem non solum incurrere suspensum ab executione Ordinis sic mala fide acceptis, sed etiam ab executione aliorum Ordinum antè legitimè susceptorum.* Ex p. 3. tract. 4. res. 181. alias 181. p. 188.

42. *An suspensus propter Ordines susceptos ante legitimam ætatem possit exercere Ordines alios vtè susceptos?* p. 5. tract. 10. res. 35. ibid.

43. *An suspensus ex ordinatione ante legitimam ætatem possit celebrare illa completa sine alia dispensatione? Et quid dicendum si quis culpabiliter omninò ante legitimam ætatem suscepit Ordinem? Et quid, si inculpabiliter & postea est in legitima ætate, an possit exercere actum sui Ordinis absque incursione irregularitatis? Et an talis ante ætatem ordinatus incurrat duas suspensiones, vnam ob defectum ætatis, ac proinde absolutus ab alia, nec potest ministrare prima non censeatur absolutus ab alia, nec potest ministrare, donec attingat legitimam ætatem?* Ex p. 5. tr. 10. res. 34. p. 44.

41. *An suspensus iuxta Bullam Pij II. quia suscepit Ordines sacros extra tempora, ante legitimam ætatem, vel sine dimissoriis, &c. dispensari possit ab Episcopo, vel à Superiore Regulari? Et idem est dicendum de irregularitate ob id contracta.* Ex part. 5. tract. 10. resolut. 31. ibid.

42. *An qui ordinatur non servatis temporum interstitiis v. g. Diaconus, elapso anno ab Ordine Subdiaconatus, incurrat suspensionem? Et an Episcopus possit dispensare cum suspensionem? Et an Episcopus possit dispensare rationabili in hoc? Et Abbas in casibus, in quibus Tonsuram, & minores Ordines conferre potest, an dispensare valeat in interstitiis? Et an hoc procedat in casu, quo Abbates suos subditos cum dimissoriis remittant, ut ab Episcopis Ordinentur; nec tunc examinandos esse ab Episcopis, non obstante Concilio Tridentino? Sed docetur, quod in receptione Ordinum minorum nulla requiruntur interstitia, sed possunt recipi eodem die, modo requiruntur interstitia, sed possunt recipi eodem die, a proprio Episcopo; & de Minoribus ad Subdiaconatum remittitur ad usum Provinciæ.* Ex part. 5. tract. 10. resolut. 40. ibid.

43. *An ordinati cum dimissoriis Capituli Sedis Vacantis infra annum incidant in suspensionem? Et alij quatuor casus explicantur pro Capitulo Sede vacante & pro dimissoriis, & Ordinibus concedendis tempore Sedis vacantis.* Ex p. 5. tr. 10. res. 46. p. 190.

44. *An qui ficto titulo impetrat dimissorias, incurrat suspensionem latam in eos, qui sine literis dimissoriis Ordinantur, v. g. qui ob fictum patrimonium initiantur, &c. Et quid dicendum est de eo, qui patrimonio, aut donationi sibi factæ renunciavit, antequam literas dimissorias, vel Ordinem suscepit, an contrahat in hac promotione suspensionem?* Ex part. 5. tract. 10. resolut. 55. ibid.

45. *Quidam Clericus in hac Civitate suscepit sacros Ordines cum patrimonio ficto, & per multos annos celebravit, quæsivit, an in Ordinatione ratione patrimonij fictij incurrerit suspensionem, & postea celebrando irregularitatem?* Ex part. 2. tract. 16. & Misc. 2. resolut. 5. p. 191.

46. *An qui recipit Ordines cum patrimonio ficto, incidat in suspensionem? Ex quo infertur non incurrisse in suspensionem quemdam Clericum, qui impetravit à consanguineo patrimonium, ad cuius titulum Ordinatus fuit, & promittens cum iuramento, quod ante donationem rediimavit. Et an in aliquo casu possit Episcopus dispensare, ut quis Ordinetur sine patrimonio: vt v. g. si sit doctus, & gradu insignis? Et an Ordinatus, v. g. ad Subdiaconatum sine titulo possit ascendere ad superiores Ordines sine dispensatione?* Ex part. 5. tract. 10. res. 50. ibid.

47. *An Ordinatus cum patrimonio ficto, utpote donato, & post Ordines illud restituat donanti, præter peccatum mortale incurrat suspensionem, & teneatur postea illud restituere?* Ex part. 3. tract. 4. resolut. 183. alias 184. p. 192.

48. *An si quis renunciavit patrimonium post susceptum Ordinem, incurrat suspensionem?* Ex part. 5. tract. 10. res. 37. p. 193.

49. *An Ordinatus sine titulo cum sola fideiussione alimentorum sit suspensus?* Ex part. 5. tract. 10. resolut. 48. ibid.

50. *An ignoranter promittens Episcopo ab eo alimenta non præstiturus, si Ordinetur absque titulo, incurrat suspensionem? Et quid de Episcopo in prædicto casu? Et docetur in prædicto casu non excusari ignorantiam iuris.* Ex p. 5. tr. 10. res. 54. ibid.

51. *An qui fuit Ordinatus, ipso nesciente, per munera, incurrat suspensionem, si postea hoc ratum habeat?* Ex p. 5. tr. 10. res. 56. ibid.

52. *An qui ignoranter Ordinatus fuit simoniace, si solvat antico pecuniam datam, incurrat suspensionem, & quid de beneficio ita similiter obtento?* Ex parte 11. tractatu 5. & Misc. resolut. 16. ibidem.

56. *An si quis suscipiat duos Ordines, maiores eodem die, incurrat ipso facto suspensionem? Idem dicendum est, si suscipiat eodem die minores Ordines cum Subdiaconatu. Et an hoc intelligatur, non solum quando quis simeret duos Ordines eodem die naturali, sed etiam die iuris fictione canonica: Et an Episcopus possit simul Ordines minores cum Subdiaconatu conferre, ubi viguerit de hoc consuetudo ante Concilium Tridentinum?* Ex p. 5. tract. 10. res. 36. p. 194.

57. *Quidam, relictis Ordinibus minoribus, Subdiaconatum recepit, quæritur, an suspensionem incurrerit, & inhabilitatem ad alios suscipiendos, & irregularitatem, si ministret in Ordine suscepto?* Ex part. 5. tract. 10. res. 47. p. 195.

58. *An Ordinatus per saltum incurrat ipso facto suspensionem? Et quamvis promotus per saltum sit impeditus ad superiores Ordines suscipiendos, an hoc impedimentum sit irregularitas; & si irregularitas sit, an illam Confessarius approbatus possit per Bullam dispensare? Et an cum promoto per saltum possit Episcopus dispensare, ut prætermissum Ordinem suscipiat, & in Ordine male suscepto ministret, & ad superiores ascendat? Et an Episcopus possit dispensare etiam post administrationem in male suscepto Ordine, si administratio fuit ex ignorantia? Et tandem quæritur, an hac suspensio tolli possit per Bullam Cruciatæ?* Ex part. 5. tract. 10. res. 27. ibid.

59. *An Ordinatus per saltum sit suspensus ab Ordinibus, quos legitime suscepit? Et an administrando in Ordine, quem per saltum suscepit, efficiatur irregularis?* Ex p. 6. tr. 10. res. 28. p. 196.

60. *An qui ministrat in Ordinibus per saltum susceptis, indigeat Apostolica dispensatione, vel sufficiat Episcopalis? Et an hoc etiam procedat non solum in maioribus, sed etiam in minoribus Ordinibus? Et an Episcopus possit dispensare cum ministrante publice, & scienter in male suscepto Ordine, ut prætermissum suscipiat; & in male suscepto ministret?* Ex part. 5. tract. 10. res. 29. ibid.

61. *An qui durante matrimonio ignoranter suscepit Ordines, incurrat suspensionem? Et aliqua alia docentur circa præsentem quæstionem pro durante matrimonio, & soluto.* Ex part. 5. tract. 10. resolut. 59. ibid.

62. *An Sacerdos assistens matrimonio clandestino incurrat post Concilium Tridentinum suspensionem triennalem, de qua* in cap. ult. §. final. de Clandest. desponsat? *Et an suspensus ab Officio, quia interfuit matrimonio clandestino, non sit suspensus à beneficio? Et notatur, quod vigore Concilij sess. 24. cap. 1. de matrimon. Parochus, aut alius Sacerdos, etiam Regularis, qui ausus fuerit matrimonialiter coniungere, aut benedicere alienos Parochianos absque licentia proprij Parochi, ipso iure suspensus manet. Et an in hoc casu cesset pœna excommunicationis contra Religiosos matrimonia solemnizantes secundum Declarationem Cardinalium?* Ex part. 5. tractatu 10. resolut. 33. ibid.

63. *An Clericus suspensus ab Officiis Divinis, si illa audiat, peccet, sed non incurrat irregularitatem?* Ex p. 5. tr. 10. res. 12. p. 197.

64. *An venatio sit Clericis licita, quia* in cap. 1. de Clerici venat. *Episcopis, Presbyteris, & Diaconis prohibitum est sub pœna suspensionis? Et an, si tamen raro fiat causa recreationis, non sit peccatum, & secus si frequens fiat?* Ex part. 3. tract. 6. & Misc. 2. res. 19. ibid.

65. *An Clericus utens vestibus prohibitis incurrat suspensionem?* Ex p. 5. tr. 10. res. 51. ibid.

66. *An Clerici publicè concubinarij sint suspensi? Et an qui Ordines suscipit ab Episcopo notorio concubinario, aut*

aut fornicario, remaneat suspensus ab Ordinis executione? Ex p.5.tr.10.ref.49.ibid.

Appendix ad aliquas alias quæstiones, quæ simul pertinent ad hunc *tract.3. de Suspensione huius tomi quinti.*

AN requiritur monitio ad valorem suspensionis? Et an suspensio, si absolute non proferatur, sed ferenda sit, obliget sub mortali? Et an censuræ sententia sub forma disiunctiva, v.g. præcipio hoc sub pœna excommunicationis, vel suspensionis habeat effectum? Et an reus sub tali forma teneatur saltem ad alterutrum? Et an, qui sub hac forma censuram ferret, graviter peccet? Et an si iudex sit suspensus validè alium suspendat? Et quid, si iudex suspensus sit occultus? Et an si Episcopus prohibeat aliquid sub pœna suspensionis, quis illam incurrat, si invincibiliter eam ignoret? Idem est, si suspensio sit lata à Pontifice. Et docetur, quanam dicatur ignorantia crassa, & supina, lata, & vincibilis, vel ignorantia affectata: Et an dubius, utrum suspensionem contraxerit, censendus sit suspensus? Et an ignorantia suspensionis, si tamen non sit crassa, vel supina excuset eius incursionem, & pœnam legis, &c. Et an suspensio sit actus irretractabilis seu irreparabilis ad ornatum Concilij Tridentini, à quo quis appellare potest à sententia interloquutoria? Et an possit Episcopus præcipere Clerico peregrinaturo sub pœna suspensionis, ne ludat, nec arma prohibita ferat, ne dicat Sacrum, & similia in aliena Diœcesi? Et notatur suspensionem non posse validè ferri, ac proinde nec incurri nisi ob peccatū exterius inobedientiæ, & contumaciæ respectu Ecclesiæ. Et an absolutio suspensionis valeat, si dicat Absolvo te; *non addendo* à suspensione? *Et quid, si detur invito, vel non petenti, ut fieri solet in Sacramentali confessione ante absolutionem peccatorum?* Ex p.5.tr.9. ex ref. 18. 63. & 50. & in p.3.tr.6.ex ref.41.& 76. & in tr. 5. ex ref. 13. & in p.5.tr.9.ex ref.17.& in p.4.tr.3.ex ref.35.& in p. 9.tr.6.ex ref.13.& in tract.8.ex ref.21.& in p.5.tr.9.ex ref.35.55.& 31. *Quæ hic sunt supra in hoc ipsomet* tom. 5.tr.1.de Excommunicatione ref.4.17. 21.32. 11. 33. 34.125. 55.7.104.8.& 183.

An suspensi, & depositi verbaliter gaudeant privilegio Canonis? Ex part.9. tract.4. ex resolut. 13. *Quæ hic sunt supra* in tract. 2. de Censura ob Percussionem Clerici ref.37.

An communis opinio Doctorum possit introducere aliquam suspensionem, v.g. per susceptionem Ordinis per saltum, etiam si non sit expressa in iure? Et an Episcopi in aliquo iure excipiantur ab incurrendo excommunicationem; quamvis excipiantur ab incurrendo suspensionem, quæ iure Generali fertur? Et an si quis in suspensione suscipiat Ordines fiat irregularis? Et an suspensus ab Ordine fiat irregularis, si ad Ordinem superiorem ascendat? Et an Episcopus suspensus à Pontificalibus incurrat irregularitatem, si Missam celebret cum apparatu Episcopali? Et an suspensi fiant irregulares, si exerceant ea, quæ pertinent ad forum & iurisdictionem exteriorem? Et notatur suspensum non incurrere irregularitatem, si exerceat solemniter actus minorum Ordinum. Et an suspensus ex Ordinatione ante legitimam ætatem, si canat Evangelium, & Epistolam in eamdem Ordinationis Missam, incurrat irregularitatem? Idem est de consecrante simul cum Episcopo Ordinante. Et an Clericus sodomita occultus sit suspensus, & si celebret incurrat irregularitatem? Et an suspensio contracta Clericis Concubinariis sit consuetudine sublata? Et an per adulterium non incurratur irregularitas, sed suspensio? Ex p.8.tract.7.ex ref.28. & in p.4. tr.2.ex resol.53.& 92.& in p.9.tract.7. ex resol.23. & in part. 5. tract.10.ex resolut.37.& in part.2.tract.17. ex resolut. 69. & in p.4. tract.2. ex resolut. 93. & in p.10. tract.11. ex resolut. 26. *Quæ hic sunt infra* in tr. 5.de Irregularitate huius tom.5.ref.9.10.17.14.18.37. 39. & 54.

An simoniacis occultis suspensio tollatur per pœnitentiam, & manifestis per Episcopum post pœnitentiam. Et an quando crimen simoniæ in beneficio est occultum solique suo authori notum, suspensionem ei inferat? Et an qui ignoravit datum fuisse pretium pro se Ordinanti, suspensionem illam incurrat? Ex p.11.tract.5. ex ref.19.7. & 56. *Quæ hic sunt infra*, in tr.7.de Simonia ref.4.18.& 32.

An suspensus à susceptione Sacramentorum, incurrat irregularitatem suscipiendo illa. Ex p.5.tr.10.ex ref.26. *Quæ hic est infra* in tr.5.de Irregularitate ref.32.

An si in aliqua Synodo prohibeatur audire confessiones in domibus privatis sub pœna suspensionis, dictæ confessiones sint nullæ, si efficiantur in privatis domibus: Ex p.8.tr.7. ex ref.73. *Quæ nunc invenietur* in tom.1.tr.3.de Pœnitentia ref.43.

An Sacerdos suspensus validè absolvat? Ex p.5.tr. 10. ex ref.52. *Quæ hic reperietur* in tom.1.tr.4.de Absolutione sacramentali ref.13.

An Sacerdos celebrans in Ecclesia polluta ante reconciliationem, sit suspensus ab ingressu Ecclesiæ: Ex p.6.tract. ex ref. 28. *Quæ hic est* in tom.9. tract. 1. de Immunitate Ecclesiæ, & eius pollutione, & reconciliatione ref. 139.

An qui audit Missam à Sacerdote suspenso, impleat præceptum audiendi Missam in die festo? Ex p.10.tr.11.ex ref.7. *Quæ nunc invenietur* in tom.2.tr.3. de Audienda Missa in die festo ref.15.

An Episcopus suspensus à Collatione Ordinum minorum possit, adhuc conferre Ordines maiores? Et an Episcopus suspensus ab Officio confirmandi, non ideo sit suspensus ab Officio consecrandi, & ordinandi? Et an quando quis suspenditur ab administratione Sacramentorum, non suspendatur à celebratione Missæ? Et an Episcopus suspensus validè conferat Ordines? Et notatur, quod si quis ordinasset aliquem subditum alterius Episcopi, quamvis suspensus maneret, tamen sic ordinatus, ordinatus manet. Et an suspensio, quam ex ipso iure sacris ordinatus alias incurreret, minime contrahatur, si ab alieno Episcopo primam Tonsuram quis suscipiat? Et an suscipiens Ordines non servatis temporum interstitiis incidat in suspensionem, & Episcopus talem ordinans? Ex p.5. tr.10.ex ref.6. & in p.8.tr.2.ex ref.2.8.& 10.& in p.4.tr.4.ex ref.209. *Quæ hic reperientur* in tom.2. tr. 5. de Sacramento Ordinis ref.25.24.31. 91.38.& 92.

An Episcopus possit dispensare vigore Concilij Tridentini in omnibus suspensionibus Papalibus in foro conscientiæ, & non solum cum suis subditis, sed etiam cum forensibus, scholaribus, Medicis, Pratoribus, Mercatoribus, &c. Et an Episcopus, qui habet potestatem dispensandi cum aliis, possit secum dispensare in suspensione? Ex p.7.tract.1.ex ref.9.10.& 11. & in p.10.tract.14. ex ref.66. alias 64. *Quæ hic sunt* in tom.3.tr.3. de Episcopis ref.10.12.13. & 18.

An Capitulum Sede vacate possit dispensare super omnibus suspensionibus, quibus potest Episcopus vigore Concilij Tridentini sess.24.c.6. Ex p.8.tr.4. ex ref. 7. *Quæ nunc invenietur* in to.3.tr.5.de Capitulo Sede vacante ref.19

An Clericus, & Religiosi suspensi teneantur dicere Horas Canonicas? Et quid de eo, qui beneficium susceperit, dum erat suspensus? Ex p.2.tr.12.ex ref.40.& in p.9.tr.9.ex ref.22. *Quæ hic reperientur* in tom.3. tract.6. de Horis Canonicis ref.31.& 112.

An qui consecratur in Episcopum ante legitimam ætatem triginta annorum incurrat suspensionem? Et an consecratio Episcopalis suscepta per saltum inducat suspensionem? Ex p.12.tr.1.ex ref.108.& 109. *Quæ hic sunt* in tom.4. tr.8.de Confectatione Episcopi ref.108.& 109.

An dubitans, sitne aliqua lex suspensionem imponens usu recepta, possit existimare non esse usu receptam? Et

Et an lex pœnalis suspensionis obliget ad mortale? Et an pœna suspensionis triennalis ab Officio imposita in cap. 3. lic. de clandest. desponsat. fuerit correcta seu ablata per Concilium Trident. sess. 24. c. 1? Sacerdotibus, qui Matrimoniis clandestini s interfuerint, & etiam Parochis, quamuis non interfint, si scientes talia matrimonia non prohibuerint, quando assistunt matrimonio clandestino inualido defectu testium? Et an Parochus, vel alius Sacerdos de eius licentia, si assistant matrimonio valido, clandestino tamen ob denunciationum omissionem incurrant in pœnam suspensionis dicti cap. fin.? Ex p.4. tr.3. et res.14. & in p.1.tr.10.ex res.21. & in p.10.tr.13. ex res.14. Quæ nunc inuenientur in tom.6.tr.1.de Legibus res.41.42. & 33.

3. Quale peccatum sit violare interdictum; Et an laicus non interdictus, si sine vi, aut scandalo audiat Officia Diuina, præsertim Missam in loco interdicto, peccet mortaliter? Ex part. 5. tract. 10. ex res. 69. alias 68. ibid.

4. An in violatione interdicti detur paruitas materiæ? Ex p.5.tr.5.res.59.p.199.

5. An sit peccatum mortale dicere Missam tempore interdicti, omissa vna circunstantia ex requisitis in cap. Alma mater, vt v.g. facere Sacrum aperiis ianuis, &c? Ex p.5.tr.10.res.66.alias 65.ibid.

6. An prohibitus celebrare in loco delicti, possit celebrare, v.g. in Ecclesia Patrum Capucinorum, vel Carmelitarum propè Vrbem existente? Ex part.4.tr.4.& Misc. res.123.ibid.

94. *An si Clericus ex licentia Summi Pontificis pugnet in bello, si aliquem occidat, incurrat irregularitatem?* Ex p. 9.tract.9. & Misc. 4. ref.6. ibid.

95. *An Clerici in casibus, in quibus licitè possint pugnare occidendo hostes, incurrant irregularitatem? Et notatur quod in bello iusto ad cuius felicem exitum non est necessaria pugna Clerici, si Clericus pugnat, peccat graviter, non tamen est irregularis, nisi ipse hominem occidat, aut mutilet, quamvis aliquem feriat, & alij socij hostem occidant.* Ex p.9.tr.9.& Misc.4. ref.8.p.253.

96. *An Clerici bello assistentes pro spirituali Militum auxilio si illos in conflictu incitent ad præliandum, incurrant irregularitatem? Et utrum sit necessaria licentia Prælati ad assistendum in exercitu absque irregularitate?* Ex p. 6.tr.4.ref.39.ibid.

97. *An qui vendit arma, vel tribuit, aut mutuat illa ad bellum iustum, incurrat irregularitatem? Et quid, si præbeat arma offensiva in ipso conflictu belli, & quamvis sit Clericus in Sacris?* Ex p.4. tr.2.ref.28.ibid.

98. *Excusantur aliquæ irregularitates in bello iniusto.* Ex p.11.tr.7.& Misc.7.ref.8.p.254.

99. *An Milites pugnando in bello iniusto, si aliquem non occidant, remaneant tamen irregulares? Et quid de custodientibus pugnantium sarcinas? Et an militantes in bello iusto aggressivo non sint irregulares, modo suis manibus sanguinem non fundant, si alij mutilant, vel occidunt?* Ex p.4.tr.2.ref.27. ibid.

100. *An Milites in bello iusto, si occidant alios ad defendendam propriam vitam cum moderamine inculpatæ tutelæ, incurrant irregularitatem? Et quid est dicendum de mandantibus cooperantibus, animantibus, subministrantibus arma &c. si bellum iniustum est aggressivum? Et quid, si bellum defensivum sit iustum, & licitum, an Milites etiamsi occidant, non sint irregulares? Et an sint irregulares exhortantes Milites in bello iusto, ut strenuè se gerant, vel qui illis vendunt, vel donant arma, &c.* Ex p. 4.tr.2.ref.29.p.255.

101. *An qui pugnant in bello iusto si dubitant, an occiderint, vel mutilaverint, debeant se iudicare irregulares?* Ex p.4.tr.2.ref.30.ibid.

102. *An in dubio facti circa homicidium censendum sit quis irregularis? Et an doctrina prædictæ quæstionis non extendatur ad dubium mutilationis, homicidij insti v.g. in bello iusto, commissi, & in aliquibus casibus dubiis pro quibus concluditur, quod in omnibus dubiis iuris, vel facti nunquam incurritur irregularitas, nisi in dubio facti homicidij prohibiti?* Ex part.3. tract.5.& Misc.1.resolut.72. p.256.

103. *An in dubio facti non solum in causa homicidij, sed etiã in aliis casibus, quis censendus sit irregularis? Et quid in dubio homicidij insti commissi, ut in bello iusto? Et infertur dubium, an mutilaverit, non esse irregularem?* Ex p. 4.tr.2.ref.52.ibid.

104. *An in dubio facti censendus sit quis irregularis si agatur de homicidio?* Ex part. 8. tract. 7. & Misc. resolut. 6. p.257.

105. *An si quis maneat dubius, an suum consilium influxerit ad homicidium factum, debeat se reputare irregularem? Et in dicto casu, an standum sit dictis ipsius consulis ipsi ut, si dicat se motum non fuisse per consilium consulentis maneat liber ab irregularitate?* Ex part.4.tract.2. resol. 25. ibid.

106. *An dubius si mandatum suum, aut consilium influxerit in homicidium debeat se irregularem existimare? Et datur non esse irregularem, qui non potuit dissuadere feminæ abortum, cuius consilio ipse prius author fuerit?* Ex part. 11.tr.6.& Misc.6. ref.42. p. 158.

107. *Quidam consilium dedit cuidam qui iam determinaverat Petrum occidere, sed ex dicto consilio citius occidit, quæritur, an incurrerit irregularitatem? Et infertur non incidere in casum reservatum, si quis dedit consilium ad homicidium alicui parato homicidium facere, licet ex illo consilio posteà libentius, & citius homicidium commiserit.* Ex part.8.tr.7.& Misc. ref.92.p.159.

108. *An detur parvitas materiæ excusans ab incursu irregularitatis propter accelerationem homicidij ex delicto? Et notatur, quod qui alium inebriat, non est irregularis, quamvis illa deindè ebrius alium occidat, aut mutile, si prævideat illud periculum?* Ex p. 11. tr. 6. & Misc. ref.49. ibid.

109. *An si Paulus consulat, quod homicidium, quod Petrus vult hodie committere, cras committat, sit irregularis? Et sequitur in eventibus, in quibus non pecco suadendo, neque teneor ad restitutionem. Et notatur, quod irregularis es, si consulas, tuisque rationibus persuadeas homicidium, vel mutilationem, debet tamen consilium influere, illius non eris illius causa. Sed si dubius es, an consilium influxerit, teneris te irregularem reputare. Et an Clericus incurrat irregularitatem, si existens in Exercitu det consilium propinquum, horteturque non solum ad fortiter agendum, sed etiam ad occidendum, modo non horteatur, ut occidat hunc hostem in particulari? Et docetur posse Clericum esse à consiliis rerum bellicarum sed cum aliquibus circumstantiis. Et quid de vendentibus, aut donantibus arma etiam offensiva in ipso conflictu belli? Et quid de Clericis in bello iusto pugnantibus, & percutientibus dummodo aliquem non occidant, aut deforment, an sint irregulares?* Ex p.11. tr.8.& Misc.8. ref.42. p.260.

110. *Quis consilio Petri aufugit in quadam obsidione castris, qui captus postea suspensus fuit, quæritur, an Petrus incurrerit irregularitatem? Et ex doctrina huius dissimilitudinis alij casus inferuntur ad incurrendam, vel non incurrendam irregularitatem ex consilio.* Ex p.7. tract.10. & Misc.1.ref.30.p.261.

111. *Ex Gallia per literas interrogatus fui de hoc casu. Dedit Titius contraxerit irregularitatem dum consuluit Paulum ut ad duellum vocaret Paulum, si Paulus postea incurrit in duello Petrum? Et notatur quod qui assistunt homicidio si faciliorem faciant occisionem sua præsentia, etiams per nihil aliud conferunt, sunt irregulares. Et quid, si Paulus, consanguineus, aut etiam intimus amicus, qui alterum comitantur, an incurrant irregularitatem ex occisorum comitantur, an incurrant irregularitatem ex occisorum ne adversarij? Et docetur adulterum, aut fornicatorem qui dum immoderata copula cum muliere prægnante cui illique abortum fatus animati causat irregularem fore, si non verò maritum, si id faciat. Et an qui fœminam ad venire iubet per tecta aliave loca periculosa, unde impudens mortem sibi conscivit, aut si prægnans erat fœtum excussit, sit irregularis?* Ex part.11.tract.6. & Misc.6. resolut. 43. ibid.

112. *An quis incurrat irregularitatem, quando alteri consilium dedit ut, v.g. intret in duellum, vel occidat inimicum, & is, cui dedit consilium occisus est? Idem est dicendum de mutilatione?* Ex part.4. tract.2.resol.11. p. 263.

113. *Quidam mandavit Petro, ut occideret Caium, qui pro-*

nogitando aliquid de morte Petri, & verisimiliter credendo non esse sequuturam; quia Caius longè debilior erat Petro. Accidit verò, his non obstantibus, quod Caius occidit Petrum. Interrogatus fui, an mandans incurrerit irregularitatem, ita ut non posset amplius ministrare, quia iam erat sacris Ordinibus insignitus? Et an in supradicto casu Episcopus possit dispensare virtute Concilij Tridentini sess.24.c.6. Ex p.2.tr.15.& Misc.1. res.17.ibid.

114. An mandans homicidium ad vitandā irregularitatem, non solum teneatur revocare mandatum, sed monere occidendo, ut caveat; & quid de consulente? Et quid, si bona fide consulens putabat sufficere tantum revocationem idem, an erit irregularis, si homicidium sequatur? Et notatur, quod si mandatarius occidatur, mandantem manere irregularem. Ex p.4. tract.2. resol.14.p.264.

115. An, qui homicidium suo nomine factum postea ratum habuit, incurrat irregularitatem? Ex part.4.tr.2.res.13. ibid.

116. An si intimus amicus bono animo associavit aliquem, qui in rixa periclitetur, incurrat irregularitatem, si amicus inimicum occidat? Idem est dicendum de Patre, filio, &c. Ex p.4.tr.2.res.17.p.265.

117. In quadam civitate huius Regni plures non ex consilio, sed ex rixa subdito contingente percusserunt aliquem, sed unus tantum percussit vulnere lethali, ex quo mortuus est, & cognitus fuit ille percussor; quæsierunt postea à multis Theologis, an omnes incurrerint irregularitatem vel solus ille, qui mortale vulnus inflixit? Ex p.2.tract.15. & Misc.1.res.18.ibid.

118. An si inter multos sit dubium, quis ex illis occiderit, omnes remaneant irregulares? Et quid, si sciatur occisor? Et notatur, quod si quis alios comitetur, & nihil omnino per se faciat, ne causa sit, cur homicidium hic, & nunc fiat, idest, cum his circumstantiis celerius, acrius, animosius, audacius, &c. non est irregularis. Ex p.9. tr. 7. & Misc.2. res.20. ibid.

119. Quando non incurratur irregularitas ex homicidio debito? Ex p.11.tr.6.& Misc. 6. res.24. ibid.

120. Verum, qui tradidit arma Titio, quibus Caium occidit, si irregularis? Ex p.4.tr.2.res.11.p.267.

121. Qua negligentia requiratur, ut per homicidium casuale ex ea consequens, efficiatur quis irregularis? Et docetur Clericos esse irregulares ex oppressione filiorum, si ipsi procurantibus, aut studiosè negligentibus fuerunt oppressi. Ex p.4.tr.2.res.21. ibid.

122. An incurratur irregularitas ob homicidium casuale, quando factum fuit dando operam rei illicitæ, etiamsi adhibita fuerit debita diligentia? Ex p.4. tr.2.resol.20. p.268.

123. An adulter irregularis fiat, si maritus cognito adulterio interficiat uxorem? Ex part.4.tract.2.res.1. ibid.

124. An adulter efficiatur irregularis, si maritus aggressorem causa necessariæ defensionis occidat? Et ex doctrina huius quæstionis alij quatuor casus inferuntur, in quibus est dubium, an incurratur, vel non incurratur irregularitas. Ex p.4.tr.2.res.2.ibid.

125. Quis interfecit adulterum inventum cum uxore, postea coram Ordinibus initiari; quæritur, an egeat dispensatione pro irregularitate ex illo homicidio contracta? Et docetur, quod licitum est Patri, marito, & fratri occidere filiam, uxorem, & sororem, & adulterum cum eis commissum. Et deducitur, quod non est compellendus ad Sedem Apostolicam ire, qui Clericum cum uxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter inventum manus iniecerit violentas. Et infertur peccare semper mortaliter, contra iustitiam Patrem, & maritum, qui adulteros occidunt propria auctoritate. Et idem dicendum est, si ante latam sententiam Iudex illis eos tradat occidendo. Et notatur, quod secundum ius codicis non datur marito facultas occidendi coniugem, sed adulterum, & quod uxorem accuset. Ex p.11. tr.6.& Misc.6.res.28.p.269.

126. An si Clericus vel Religiosus aggressus occidat invasorem præter peccatum mortale incurrat irregularitatem si fugere possit? Et an in hoc casu non peccet contra iustitiam sed contra charitatem tantum? Et advertitur, quod in prædicto casu nihil est distinguendum inter Clericum, & laicum, ubi utrique ad occisionem iustam æquali præmente necessitate, si aliquem occidit, &c. Ex p.11. tract. 6. & Misc.6. res.29.p.270.

127. An quis efficiatur irregularis si fugiendo potuit mortem evadere & maluit invasorem occidere? Et quid si aliquis aggressori alapam dedit, aut iniuriosum verbum dixit, aut cum eius uxore inventus est, an si in talibus casibus aggressus potest fugere, possit licitè se defendere, occidendo, & non incurrat irregularitatem? Et an Clericus incurrat irregularitatem occidendo invasorem, si non fugiat, cum possit? Idem est dicendum de Religioso, & homine infimæ notæ. Et quid verò, si in aliquo casu etiam Clericò fuga esset ignominiosa? Et notatur irregularitatem contractam ex homicidio facto in sui defensionem culpabilem non esse moraliter indispensabilem, sed comprehenditur in Concilio Tridentino sess.24.cap.6. Ex p.4.tract. 2. res.3. p.271.

128. Quidam Vir Nobilis occidit Titium cum moderamine inculpatæ tutelæ, sed poterat fugiendo vitam servare. Modo pœnitentia ductus vult Sacros Ordines suscipere, quæsivit à me, an propter illud homicidium incurrerit irregularitatem, itaut egeat dispensatione? Et quid est dicendum, quando præcesserit culpa ex parte eius, qui fugere cogitur, ut si ille dedit alteri alapam, vel iniuriosum verbum dixit, vel cum vxore inventus est, aut pallium tollere est aggressus, &c. Ex p.2.tract.15.& Misc.1. res.16.p.272.

129. An sit irregularis qui occidit invasorem, ne graviter vulneretur? Et an qui verbis vel factis iniuriando aliquem dedit occasionem rixæ, si illum occidat cum moderamine inculpatæ tutelæ, incurrat irregularitatem? Ex p.4. tract.2.res.6.ibid.

130. An qui alterum occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ ad defensionem non vitæ, sed alicuius membri, sit irregularis? Ex p.4.tract.2.res.22.ibid.

131. An sit irregularis, qui occidit invasorem in defensionem bonorum temporalium, honoris, pudicitiæ, &c. Et notatur quatuor conditiones in tali casu esse necessarias ut defensio sit licita sine metu peccati, & irregularitatis? Ex p.4.tract.2.res.4.p.273.

132. An incurratur irregularitas propter defensionem licitam proximi maximè innocentis, & sibi propinqui? Ex p. 4.tr.2.res.5.ibid.

133. An non impediens homicidium, quod tenetur ex iustitia impedire, ut Iudex, Gubernator, & alij ministri iustitiæ incurrat irregularitatem. Idem dicendum est de mutilatione. Et quid de Advocato, teste, Procuratore, Medico, & similibus? Et an sit irregularis qui per vim, vel dissuasionem impedit ne aliquis impediat hominis occisionem? Ex p.4.tract.2.res.7.ibid.

134. An sit irregularis Sacerdos, qui sciens mulierem prægnantem à se redditam abortum procurare illam impedire non studet? Et docetur patrem non teneri defendere vitam filiorum lege iustitiæ, sed pietatis, & Officij paterni. Ex p.4. tract.2.res.8.p.274.

135. An quis incurrat irregularitatem si sciens non contradicat volentibus alium occidere in vindictam iniuriæ ei illatæ? Et an sit irregularis qui rixam habens cum Titio admonet occurrentes in sui auxilium, ne quid malum Titio inferatur? Ex p.4. tract.2.res.9. ibid.

136. An si vulneratus vulnere non lethali, mortuus est Medici, vel propria incuria, incurratur irregularitas? Ex p.4. tract.2.res.10.p.275.

137. An crimen inducens irregularitatem, si sit occultum, dummodò sit externum inducat irregularitatem? Et notatur, quod & si peccatum occultum communiter irregularitatē non pariat lege Canonica, ab hac tamen lege excipitur

tur homicidium & peccata, quibus censura est annexa; nam si in ea celebratur, incurritur irregularitas? & si hæc celebratio occulte fiat à suspenso, vel excommunicato. Ex part.7. tract. 11. & Misc. 2. resolut. 48. ibid.

138. Titius irregularis absque dispensatione sumpsit primam Tonsuram, & postea obtinuit beneficium dando mediatori magnam pecuniarum summam, quæritur quid iuris? Et si Titius nollet restituere fructus malè perceptos quod onus mediatori incumbit? Et alia curiosa circa hoc inferuntur. Ex part. 11. tract. 5. & Miscel. 5. resolut.1. ibid.

139. An collatio beneficij facta irregulari sit irrita, & inualida ipso iure ante iudicis sententiam? Ex p.4.tr.2.ref.79. pag.278.

140. An irregularitas reddat aliquem inhabilem ad beneficium obtinendum, & ad fructus percipiendos? Et an obtenta dispensatione ab irregularitate beneficium non possit obtinere sine noua collatione, seu reualidatione collationis prius facta? Et an valeat collatio Prælaturæ Regularis facta irregulari? Et aliqua alia explanantur in §. vltimo huius resolutionis. Ex part.3. tract.2. resolut. 37. ibid.

141. An irregulares sint incapaces obtinendi beneficium, & pensiones? Et an ad obtinendam pensionem sufficiat septennium? Et an excommunicatus sit capax, vel incapax pensionis? Et quid, si pensiones sint perpetuæ, & datæ in titulum beneficij, & præsimonia? Et aliqua alia cursim explanantur circa collationem beneficij factam irregulari, &c. Ex part.7. tract.12. & Misc.3. ref.7. alias 5. ibid.

142. An Beneficiarius incidens in irregularitatem ex delicto possit beneficium renunciare in fauorem tertij: Et supponitur, quod Beneficiarius incidens in irregularitatem ex delicto possit retinere beneficium, dum per sententiam non priuatur, sed debet tamen procurare dispensationem, & interim per alium coadiutorem sa isfacere in actionibus, quæ ratione irregularitatis illi sunt prohibitæ. Ex part. 10. tract. 16. & Misc.6. resolut. 25. alias 24. p.279.

143. Quidam irregularis, cui iam dispensatum fuit, ut Sacros Ordines susciperet, quæsiuit à me, an sine alia dispensatione possit beneficia recipere? Et quid est dicendum de pensionibus? Et difficultas est, an opinio negatiua procedat non solum quoad beneficia curata, sed etiam quoad beneficia simplicia? Et explanatur, quod si Pontifex dispensat cum illegitimo ad beneficium, non potest nisi vnum obtinere, & si vnum obtinuit non potest secundum obtinere, etiam si relinquat primum. Et an irregularis sit incapax pensionis? Et an illegitimus, si saltem sit prima Tonsura initiatus, possit sine dispensatione obtinere pensionem? Et an illegitimus, cui dispensatum est à Papa, ut possit obtinere beneficium curatum, si postea efficiatur Religiosus, possit sine noua dispensatione fieri Prælatus Regularis? Et docetur quod cui dispensatum est, ut beneficium simplex obtineat, non censetur dispensatus ad Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis. Etiamque aduertitur homicidium voluntarium, & a fortiori quemlibet irregularem non esse pensionis incapacem. Ex part.7. tract. 10. & Miscel. 1. resolut. 6. p.280.

144. An illegitimus occultus incurrat irregularitatem? Et an illegitimus dispensatus simpliciter ad Ordines intelligatur solum ad minores Ordines dispensatus? Et an dispensatus ad Ordines, sit dispensatus ad beneficia? Et an dispensatus ad beneficium, de vno, & simplici intelligatur? Et an ex vi talis dispensationis possit illegitimus obtinere aliud beneficium, primo relicto? Et an ex dispensatione ad Curata beneficia, censeatur dispensatio facta pro Canonicatibus, vel Dignitatibus Ecclesiæ Cathedralis, & principalis Ecclesiæ Collegiatæ? Et tandem docetur, quod si illegitimus non dispensatus ausus fuerit celebrare in Ordinibus susceptis, & sic grauissime peccet, nullam tamen irregularitatem demo contrahit, quia non ob violationem irregularitatis irregularitas contrahitur. Ex part.10. tract.13. & Misc.3. resol. 30. p.281.

145. An irregularitas homicidij tollatur per Baptismum? Et an per Baptismum tollatur omnis irregularitas præterquam ea quæ contracta est ex defectu Sacramenti, vel bigamiæ? Ex p.4.tr.2.ref.51.p.282.

146. Quædam notabilia circa irregularitatem bigamiæ. Et inter alia, quæ inferuntur, & explanantur circa hoc, tandem quæritur pro praxi, an ducens fœminam ast ipsoflo ratam incurrat irregularitatem? Ex p.4. tract.2.ref. 38. ibid.

147. An qui fornicatus est cum fœmina si illam postea in vxorem ducat possit fieri Clericus coniugatus? Ex part. 7. tract.12.& Miscel.3. ex ref.19.alias 17.§.Aduertendum. ibid.

148. An Clericus Sæcularis Sacris Ordinibus initiatus, si contrahat cum Virgine incurrat irregularitatem bigamiæ, vel an bigamia similitudinaria tantum contrahatur eundo quis post votum solemne castitatis contrahit matrimonium quamvis cum virgine, quæ tantum locum habet in Religioso, & non cum sæculari in Sacris initiato: Ex p.4. tr.2.ref.39.ibid.

149. An vxorem vi ab altero cognitam, marius post adulterium violentum cognoscens, incurrat irregularitatem bigamiæ? Ex p.4.tr.2.ref.40.p.283.

150. An quis incurrat irregularitatem bigamiæ, si copuletur vxorem post eius adulterium licet non sit nouum, vel ignoretur ab eo? Ex p.4.tr.2.ref.41.ibid.

151. Quis ignoranter cognouit vxorem post eius adulterium perpetratum, postea illa mortua vult Sacros Ordines suscipere, quæritur, an censendus sit irregularis tanquam bigamus? Et an ad incurrendam irregularitatem bigamiæ requiratur vtriusque seminis commistio? Ex p.4. tr. 12.& Misc. 3. ref.20. alias 18. ibid.

152. An ad incurrendam irregularitatem bigamiæ requiratur in copula seminis virilis emissio intra vas fœminæ, vel sufficiat tantum copula absque seminatione: Et an in tali casu quis possit promoueri ad Sacros Ordines, siue in occulta, siue aliqua dispensatione? Ex p.4, tract.2.ref.42. p.284.

153. An ad incurrendam irregularitatem bigamiæ requiratur non solum effusio seminis viri, sed etiam fœminæ? Et ex doctrina huius quæstionis infertur, quod si vir seminante mulier non seminauerit, idque partibus constet possint Religionem ingredi, sitque probabile, quod per professionem matrimonium soluatur; atque adeo pars in sæculo relicta possit aliud matrimonium inire. Et an ad contrahendam affinitatem sufficiat seminatio viri, vel requiratur etiam seminatio fœminæ? Ex part. 4. tract. 2. resolut.43. ibid.

Appendix ad cæteras alias difficultates, quæ minus pertinent ad istum *tractatum 5. de Irregularitate huius tom.5.*

AN laicus baptizans extra casum necessitatis præsente Diacono, vel Sacerdote peccet mortaliter, & incurrat irregularitatem. Et an si Diaconus sine commissione solemniter baptizet, sit irregularis? Et an debeat amitti Baptismus propter periculum infantis morituri v.g. si puer infirmus tener & delicatus, vt creditur Baptismum fore causam mortis, & baptizans in dicto casu an sit irregularis? Et an infans in domo baptizatus ab obstetricibus, si iterum in Ecclesia quis eum baptizet etiam sub conditione sit irregularis: Et an Sacerdos excommunicatus absoluendo pœnitentem absolutionem sacramentalem incurrat irregularitatem?

natem? Et an Minister excommunicatus etiam non tolerandus, si ministret Baptismum, & Pœnitentiam in extremis, sine necessitate non incurrat irregularitatem? Et an si quis baptizaret infantem statim moriturum, proiiciens eum in flumen vel puteum, quando aliter baptizari non posset, incurrat irregularitatem propter homicidium? Ex p. 3. tr. 4. ex resol. 4. & in part. 5. tract. 3. ex res. 28. & 8. & in tract. 13. ex resol. 86. & in tract. 7. ex resol. 4. & in part. 10. tract. 11. ex resolut. 64. & in tract. 16. ex resolut. 21. alias 20. *Quæ nunc invenientur* in tom. 1. de Baptismo resolut. 46. 47. 68. 82. 18. 19. tract. 1. & 70

De Sacerdos sine approbatione absolvens incurrat irregularitatem? Et an si in aliqua Diœcesana Synodo prohibeatur audire Confessiones in domibus privatis, vel confessiones mulierum in Ecclesia ante ortum, vel post occasum Solis, vel extra sedem confessionalem sub pœna suspensionis, si in supradictis quis ministret, an incurrat irregularitatem? Ex part. 6. tract. 6. ex res. 52. & ex part. 8. tract. 7. ex res. 73. *Quæ hic reperientur* in tom. 1. tr. 3. de Pœnitentia res. 27. & 43

De irregularis valide sacramentaliter absolvat? Et an peccet qui à tali petiit absolutionem? Et quid, si petiit bona fide? Et an irregularis in articulo mortis possit absolvere moribundum, si adest alius sine isto impedimento, &c. Ex p. 4. tract. 2. ex resol. 68. & in part. 5. tract. 3. ex res. 60. *Quæ hic sunt* in tom. 1. tr. 4. de absolutione sacramentali res. 15. & 43.

De si quis uno ictu occideret tres Clericos, incurrat tres irregularitates? Ex part. 3. tract. 4. ex resol. 163. alias 164. *Quæ nunc invenientur* in tom. 1. tract. 7. de circumstantiis res. 21

De Clerici seculares si laicis vel Religiosis infirmis viaticum administrent sine licentia Parochi incurrant irregularitatem, & excommunicationem? Ex part. 9. tract. 9. ex resolutione 64. alias 63. *Quæ nunc invenientur* in tom. 2. tractatu 2. de Communione resolutione 62

De recipiens Ordines non servatis temporum interstitiis, incurrat irregularitatem & Episcopus talem ordinans? Et an, qui suscipit Ordinem Diaconatus ante Confirmationem, incurrat irregularitatem? Et an si in aliqua ordinatione officialis Episcopi protestetur Episcopum nolle ordinare irregulares, tales re vera ordinentur? Et an non debeat Episcopus accedentes ad ordines prohibere sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne accedant cum impedimento occulto irregularitatis, quin potius debeat ad cautelam in generali illos absolvere, & dispensare? Et an Religiosus Surdaster possit ad Sacros Ordines promoveri? Et de irregularitate ex ignorantia agitur, & an Regulares non multum literati sint ordinandi? Et an possit super hoc Episcopus dispensare, ut ad ordines sacros promoveantur? Et an, secluſa consuetudine, si alicubi adsit, possit Episcopus in eadem die conferre minores Ordines simul cum Subdiaconatu, & in tali casu sic ordinatus nec incurrat suspensionem, neque irregularitatem? Ex p. 3. tract. 2. ex resol. 32. & in part. 4. tract. 4. ex res. 209. & in part. 2. tract. 16. ex resolut. 4. & in part. 5. tr. 13. ex resol. 66. & in part. 2. tract. 17. ex resolut. 20. & in tract. 16. ex resolut. 29. alias 31. & in part. 3. tract. 2. ex resolutione 86. & in part. 4. tract. 2. ex resolut. 74. & in part. 9. tract. 6. ex resolutione 57. alias 58. *Quæ nunc invenientur* in tom. 2. tractatu 5. de Sacramento Ordinis resolut. 89. 92. 101. 106. 74. 75. 76. 77. & 97.

An qui fidè rebaptizat incurrat irregularitatem? Ex p. 9. tr. 7. ex res. 26. *Quæ hic reperientur* in tom. 2. tr. 6. de Matrimonio res. 169.

An illegitimus dispensetur? ut possit suscipere Ordines censeatur dispensatus ad Ordines Sacros? Et an dispensatio, ut illegitimus, vel irregularis possit sumere Ordines minores, sit extendenda, ut beneficij simplicis capax sit? Et quid, si dispensatus sit ad Ordines Sacros? Et an quando dispensatur cum illegitimo absolutè in irregularitate, tunc extendatur dispensatio non solum ad beneficia simplicia, sed etiam ad Curata? Et an illegitimus dispensatus ad ordines sit capax pensionis? Et an dispensatio simpliciter concessa illegitimo, vel irregulari ut possit obtinere beneficia, intelligendum sit de beneficiis simplicibus, & non sit extendenda ad curata, & dignitates? Et an dispensatus ad beneficium curatum non egeat nova dispensatione pro Episcopatu? Et an homicida, si per dispensationem legitimam fiat habilis ad omnes Ordines Sacros, & illorum usum, an videatur factus habilis ad beneficium Curatum, & Pontificale? Et an dispensatus ad omnes Ordines possit consecrari Episcopus? Et an dispensatio irregularitatis super homicidio sit subreptitia, si non explicetur occisum fuisse Clericum Presbyterum? Et an impedimenta plurium irregularitatum sufficiat separatim illa exprimere, & de illis dispensationem separatim obtinere? Et an, qui plura homicidia commisit, si uno tantum narrato velit dispensationem obtinere unius irregularitatis nihil faciat? Et an committens plura homicidia contrahat diversas irregularitates in dispensatione explicandas? Et an si Episcopus dispensaret super aliqua irregularitate, orta ex delicto, possit imponere aliquod onus ei, cui dispensatur? Et an in aliquo extraordinario eventu possit inferior dispensare in aliqua irregularitate? Et an commissio dispensandi in aliqua irregularitate, quæ in foro interno, vel externo committitur cum clausula si preces veritate nitantur, expiret morte concedentis, re integra? Et an irregularis possit adiuvari ex Regula Cancellariæ de triennali possessione, &c. Ex part. 8. tract. 3. ex resolutione 36. 37. 38. 39. & 40. & in part. 1. tractatu 10. ex resolutione 38. & in part. 8. tract. 3. ex resolutione 51. 57. 58. & 22. & in part. 4. tract. 2. ex resolutione 86. & in part. 8. tractatu 3. ex resolut. 71. & 98. & in part. 11. tractatu 5. resolutione 4. *Quæ nunc invenientur* in tom. 3. tractatu 2. de Dispensatione resolutione 53. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 38. & iterum 62. 32. 144. & 170.

An Episcopus vigore decreti Concilij possit extra confessionem sacramentalem dispensare in irregularitatibus omnibus provenientibus ex delicto occulto, vel tantum in foro conscientiæ, & intra Diœcesim? Et quid, si tam Episcopus, quam subditus sint extra Diœcesim? Et qui includantur sub nomine subditorum, in dicto decreto Concilij, an includantur seculares, alienigenæ, Medici, mercatores, &c. Et an Episcopi possint dispensare in irregularitate proveniente ab excommunicato celebrante, quando excommunicatio est occulta, quamvis celebratio sit manifesta? Et notatur, quod non sunt irregulares, & inhabiles ad Officia, & beneficia, qui de hæresi suspecti coguntur per Inquisitores abiurare de vehementi. Etiamque advertitur mutilantem membrum inimici mortui non incurrere irregularitatem. Et quid de illo, qui ob extremam, & omnino inevitabilem vitæ suæ defensionem alium occidit, an incurrat irregularitatem? Ex part. 7. tractatu 2. ex resolutione 10. 11. & 16. & in part. 4. tractatu 4. ex resolut. 116. & ex part. 2. tract. 15. ex resolut. 24. & in part. 7. tract. 2. ex resolut. 28. & 29. *Quæ hic reperientur* in tom. 3. de Potestate Episcopi resolutione 12. 13. 21. 11. 32. 41. & 42.

Nota quod in prædicto tom. 3. & tractatu 3. de Potestate Episcopi, *sunt multæ aliæ difficultates pro facultate Episcopi ad dispensandum in aliis multis irregularitatibus contractis maximè pro hæresi, illegitimis occultis, & ex defectu levitatis, & pro aliis diversis casibus homicidij, mutilationis, bigamiæ, simoniæ &c. quos omnes invenies* in resolutione 10. 11. 13. 14. 17. 18. & à resol. 32. usque ad resolutionem 66. inclusive, & in res. 94.

Index Tractatuum.

An Episcopus dispensans in aliqua irregularitate possit imponere pœnam pecuniariam, sed applicandam piis locis, & pauperibus? Ex part. 10. tract. 8. ex resolut. 9. *Quæ hic est* in tom. 3. tract. 4. de Pœnis, seu multis ref. 8.

An Capitulum Sede vacante possit exercere iurisdictionem in personas seculares, quando Episcopus habet potestatem temporalem? & in supra dicto casu possit exercere per alios iurisdictionem in criminalibus absque metu irregularitatis? Et an Capitulum Sede vacante possit dispensare super omnibus irregularitatibus, quibus potest Episcopus vigore Concilij Tridentini, sess. 24. cap. 6. Ex part. 8. tract. 4. resolut. 16. & 7. *Quæ nunc invenientur* in tom. 3. tract. 5. de Capitulo Sede vacante resol. 7. & 19.

An si quis sit irregularis teneatur dicere Horas Canonicas? Et quid de eo, qui accepit beneficium, dum erat irregularis? Ex p. 4. tr. 4. ex ref. 146. & in p. 9. tr. 9. ex ref. 22. *Quæ hic reperientur* in tom. 3. tr. 6. de Horis Canonicis, ref. 10. & 112.

An si quis celebret cum suspensione incursa propter Ordinationem ante legitimam ætatem, vel ob defectum tituli, vel ob malam Ordinum susceptionem possit obtinere absolutionem ab irregularitate virtute Bullæ Cruciatæ? Et an per Bullam Cruciatæ sit dispensabilis omnis irregularitas, quæ est pœna? Et quæ species irregularitatis sit per Bullam Cruciatæ dispensabilis? Et an absentes possint absolvi ab irregularitatibus, quæ includuntur sub nomine censuræ? Et an Commissarius Bullæ Cruciatæ possit dispensare in ali quibus irregularitatibus? Et an Commissarius possit dispensare in irregularitate publica, contracta tamen ex delicto, & in irregularitate proveniente ex homicidio casuali, licèt publica, & ex iniusta mutilatione membrorum? Et an Episcopus possit ad maiores Ordines vigore Concilij Tridentini dispensare etiam in tali irregularitate dummodo sit occulta; quia ad minores Ordines, etiamsi talis irregularitas sit publica, dispensare potest? Et an Commissarius Bullæ possit dispensare in irregularitate contracta per Symoniam? Et notatur tantum Symoniam in Ordine notoriam inducere irregularitatem. Et an prædictus Commissarius possit dispensare in irregularitate incursa propter hæresim occultam? Et an Hæreticus occultus incurrat irregularitatem? Et an irregularitas contracta per malam susceptionem Ordinum, quia suscipiens erat excommunicatus, vel suspensus, sit per Commissarium Cruciatæ dispensabilis? Et in qua irregularitate bigamiæ potest Commissarius Cruciatæ dispensare? Et notatur, quod si aliquis contraxit cum corrupta, existente aliquo impedimento dirimente, si non consummavit matrimonium; imo quamvis consummasset, non incurrit irregularitatem. Et enumerantur plures casus, in quibus secundum opinionem aliquorum Doctorum Confessarius virtute Cruciatæ, & Prælati Regulares virtute suorum privilegiorum possint tollere irregularitatem, quos casus in hac ultima Resolutione huius annotationis decisos invenies, & explanatos. Ex part. 4. tract. 4. ex ref. 115. & in p. 1. tract. 11. ex ref. 27. & in part. 4. tract. 2. ex resolut. 81. & 103. & in part. 1. tract. 11. ex resol. 110. usque ad ref. 115. inclusivè, & in part. 10. tract. 11. ex ref. 22. *Quæ hic reperientur* in tom. 4. tract. 3. de Bulla Cruciatæ resol. 129. 130. 131. & ref. 133. usque ad resol. 139. & in ref. 132.

An qui voluntariè, vel ex oblivione tempore Iubilæi non petiit dispensationem alicuius irregularitatis, possit deinde transactum Iubilæum, etiam post multos annos eamdem dispensationem obtinere? Supponimus omnia opera præscripta fecisse, & Iubilæum consequutum fuisse & generalem dispensationem virtute Iubilæi, vel Cruciatæ ab irregularitatibus obtinuisse. Ex p. 2. tr. 16. ex ref. 9. aliàs 11. & ex p. 10. tr. 14. ex ref. 30. aliàs 28. *Quæ hic sunt* in tom. 4. tr. 4. de Iubilæo ref. 58. & 60.

An puer, cui ante septennium accelleratus est usus rationis, si occidat aliquem incurrat irregularitatem? Et docetur impuberes non incurrere irregularitatem. Ex part. 1. tr. 2. ex ref. 56. *Quæ nunc invenietur* in tom. 4. tract. de Ieiunio ref. 68.

An irregularis, electus & confirmatus Episcopus, non obtenta dispensatione, possit absque peccato mortali sumere Consecrationem? Et docetur, quod irregularis etiam ex delictis, si sit occultus, non tenetur restituere fructus. Et an Episcopus consecratus ab Hæretico, seu excommunicato efficiatur irregularis, & privetur usu Ordinum? Et supponitur Ordinatum ab Hæretico, suspenso, excommunicato, degradato, &c. incurrere irregularitatem, si ex Ordine utatur. Et quid, si à supradictis aliquis cum ignorantia Ordinetur? Et an qui consecratur in Episcopum ante legitimam ætatem, & triginta annorum, incurrat irregularitatem? Ex p. 12. tr. 1. ex ref. 43. 99. & 108. *Quæ hic reperientur* in tom. 4. tr. 8. de Consecratione Episcopi ref. etiam 43. 99. & 108.

An celebrando quis in Ecclesia a se interdicta fiat irregularis? an irregularitas pœnalis, si absolute non profitetur, sit ferenda, & obliget etiam sub mortali? Et an iniuste excommunicatus, si celebret, incurrat irregularitatem? Et an puer impuber occidens aliquem contrahit irregularitatem? Et an excommunicatus iniuste, & ex causa præsumpta secundum allegata, & probata, non irregularis celebrando, non solum quando in occulto celebrat, sed etiam quando in publico? Et an dubius, si contraxerit irregularitatem, censendus sit irregularis, vel quid debeat facere? Et an excommunicatus excommunicatione minori si celebret; vel accipiat aliquod Sacramentum incurrat irregularitatem? Et an in articulo mortis simplex Sacerdos possit absolvere etiam ab irregularitate, qua contracta est ex peccato? Ex p. 5. tr. 9. ex ref. 51. 27. & 28. & in part. 3. tr. 6. ex ref. 76. & 88. & in p. 5. tract. 9. ex ref. iterum 27. 44. & 3. & in tract. 3. ex resol. 67. *Quæ hic sunt supra in hoc ipsomet* tom. 5. tr. 1. de Excommunicatione resol. 2. 27. 28. 11. 108. & iterum 27. 126. 182. & 204.

An qui consuluit homicidium cuiusdam Clerici; sed postea serio consilium revocavit, incurrat irregularitatem ex homicidio secuto? Et quid est dicendum de illo, qui pinato veneno Clericum occidit, tamesdiligentiam adhibuerit ad dandum impedimentum? Et an mandans occidere Petrum, si mandatarius occiderit Ioannem incurrat irregularitatem ex homicidio voluntario, vel tantum ex homicidio casuali? Et an irregulares, vel etiam depositi gaudeant privilegio canonis? Ex p. 9. tr. 4. ex ref. 36. 31. & 13. & in p. 3. tract. 5. ex ref. 84. alias 83. *Quæ hic sunt supra* in tra. 2. de Censura ob percussionem Clerici ref. 32. 35. 37. & 27.

*An suspensus ab Ordine inferiori, censeatur suspensus ab Ordine superiori, ita ut, si illum exerceat, incurrat irregularitatem? Et an qui ignoranter suscepit Ordines ab Episcopo excommunicato incurrat suspensionem, & si in ea celebret; incurrat irregularitatem? Et an si quis suscipiat Ordinem Sacrum ante legitimam ætatem, vel sine litteris dimissoriis, vel extra legitima tempora, vel cum patrimonio ficto, incidat in suspensionem ex Bulla Pij II. & si nonio ficto, incidat in suspensionem ex Bulla Pij II. & si nonio ficto, incidat in suspensionem ex Bulla Pij II. & si n

si ministret in Ordine susceptо? Et an quamvis promotus per saltum sit impeditus ad superiores Ordines suscipiendos, an hoc impedimentum sit irregularitas? Et an Clericus suspensus à divinis, si illa audiat, peccet, sed non incurrat irregularitatem? Et an Ordinatus per saltum incurrat ipso facto suspensionem, & hoc impedimentum sit irregularitas? Et si irregularitas sit, an illam Confessarius approbatus possit per Bullam Cruciatæ dispensare? Et an Episcopus suspensus Ordinis Episcopalis si celebret in Pontificalibus incurrat irregularitatem? Ex part. 5. tract. 10. ex res. 5. & in part. 3. tract. 4. ex res. 191. alias 192. & in p. 5. tract. 10. ex res. 30. & 32. & in p. 3. tract. 4. ex res. 181. alias 182. & in part. 5. tract. 10. ex res. 31. & in part. 2. tract. 16. ex res. 5. & in part. 5. tract. 10. res. 47. 27. 28. 12. & iterum 5. & 4. *Quæ hic sunt supra in hoc ipsomet*, tom. 5. tract. 3. de Suspensione res. 31. 39. 36. 40. 41. 44. 48. 57. 58. 59. 63. & iterum 31. & 23.

An interdictus ab ingressu Ecclesiæ, si celebret extra Ecclesiam, fiat irregularis? Ex part. 10. tract. 13. ex resolut. 2. *Quæ hic est supra* in tract. 4. de Interdicto res. 5.

Nota, quod infra in hoc ipsomet tom. 5. tract. 6. de Abortu, sunt multæ Resolutiones, & difficultates pro irregularitate, & eius dispensatione, contracta propter Abortum; ideo si casus ita mistus occurrerit, quamvis prope est præcipitatus tractatus require illum, ibidem in resolut. 1. 9. 11. & à resol. 18. usque ad resol. 27. inclusive, & in resolut. 30. & *non in aliis dicti tractatus.*

An Ordinatus simoniace sit irregularis? Ex part. 11. tr. 5. ex res. 17. *Quæ hic est infra* in tract. 7. de Simonia res. 3

An potestas dispensandi in irregularitate occulta ex hæresi proveniente adempta sit Episcopis per Bullam Cœnæ? Ex p. 4. tr. 4. ex res. 239. *Quæ hic est infra* in tr. 8. de Hæresi res. 16

Quomodo se gerere debeant Inquisitores, ne irregularitatem incurrant tradendo Hæreticos Curiæ sæculari? Et notatur, quod Paulus IV. & Pius V. statuerunt, ut Inquisitores, Consultores, & alij Ministri Inquisitionis essent immunes ab irregularitate quantumcumque, & quomodocumque ad Hæreticorum condemnationem incurrant. Et an Inquisitores possint se ad invicem super irregularitatibus dispensari ex privilegio Vrbani III. Et an hoc privilegium commissariis Inquisitorum competat? Et an Inquisitores possint remittere Familiares iudici laico, quando non gaudent privilegio fori absque metu irregularitatis? Et doctrina huius quæstionis est valde notanda etiam ab Episcopis, & aliis Ministris Ecclesiasticis. Et an ex abiuratione etiam de vehementi non incurratur irregularitas? Et an Inquisitores possint dispensare super irregularitate contracta ab Hæreticis? Et an, licet Hæretici contrahant irregularitatem, attamen suspecti de Hæresi, postquam illam abiuraverint, sint irregulares? Et an ad incurrendam irregularitatem ex defectu lenitatis opus sit ut causa sit proxima, nempe dictum, vel factum ex natura sua tendens ad mortem? Et an qui detegit malefactorem, ut comprehendatur, incurrat irregularitatem, si mors eius sequatur? Ex part. 4. tract. 8. ex resolut. 51. & in part. 1. tract. 2. ex res. 135. alias 134. & in part. 4. tract. 2. ex res. 102. & 101. & in tract. 8. ex res. 64. & 85. *Quæ hic sunt infra* in tract. 10. de Inquisitoribus res. 68. 17. 69. 70. 83. & 136.

An sit iure irregularitas contracta à Schismaticis? Ex part. 4. tract. 7. ex resolut. 29. *Quæ hic est infra* in tractat. 12. de Pœnis Sancti Inquisitionis resolut. etiam 29.

An dubitans, sit ne aliqua lex irregularitatem imponens usu recepta, nec ne, possit existimare non esse usu receptam? Et an lex pœnalis irregularitatis obliget sub mortali? Ex part. 4. tract. 3. ex res. 14. & in part. 1. tract. 10. ex res. 21. *Quæ nunc inveniuntur* in tom. 6. tract. 1. de Legibus res. 41. & 42.

An Confessarij Regulares possint sine licentia suorum Prælatorum semel dispensare in irregularitate, excepto homicidio, & mutilatione voluntaria? Et an Novitius recedens à Religione incidat in irregularitates, à quibus in Religione absolutus fuit? Et an irregularitas ex defectu natalium tollatur per professionem solemnem Religionis non solum quoad sacros Ordines, sed etiam quoad Prælaturas suscipiendas? Et an per professionem deleatur etiam irregularitas ex usu Ordinis contracta? Et an electi à Religione, & dimissi à Superioribus Societatis Iesu reincidant in irregularitatem ex defectu natalium, ita ut non possint exercere Ordines receptos, nec ad alios promoveri? Et quid est dicendum circa hoc de Religioso illegitimo post annullatam professionem? Et an Prælati Regulares possint dispensare cum suis subditis illegitimis ad Prælaturas, & dignitates in Capitulo tamen Generali, aut Provinciali ex Constitutione Greg. XIV. Et an spectet ad Prælatos Regulares iudicare circa suos subditos, an defectus sit ita notabilis, ut inducat irregularitatem ad Ordines, an non? Et an, qui aures non habet, sit irregularis? Et an Prælati Regulares possint dispensare cum suis subditis in irregularitate ex vitio Corporis proveniente? Et an Prælati Regulares possint quoad suos subditos dispensare super infamia iuris publica? Et an possint dispensare cum suis subditis super irregularitate contracta ex homicidio voluntario? Et quid si sit occultum? Et an hoc etiam extendatur ad Novitios? Et an Prælati Regulares Ordinum Mendicantium possint cum suis subditis dispensare in irregularitatibus provenientibus ex publico delicto ad forum contentiosum deducto præterquam homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum? Et an saltem irregularitas bigamiæ veræ, & interpretativæ sit dispensabilis à Prælatis Regularibus cum suis subditis? Et an bigamia præfata possit dispensari à quocumque Confessario Ordinis ex privilegio Sixti V. Et an saltem Generales Ordinum possint dispensare cum suis subditis in bigamia ex concessione Sixti IV. facta Carthusiensibus? Et an Prælati Regulares per quamdam concessionem Pauli III. possint semel singulis annis prima die lunæ Quadragesimæ cum suis subditis dispensare in omni irregularitate quavis occasione, vel causa contracta, ita ut nihil excipiat, neque bigamiam, neque homicidium voluntarium, &c. de qua in Bullario? Ex p. 3. tract. 2. ex res. 126. & 44. & in p. 4. tract. 2. ex res. 66. & 73. & in p. 5. tract. 14. ex res. 91. & in p. 3. tr. 2. ex res. 45. & in p. 7. tract. 11. ex res. 41. & in p. 4. tract. 2. ex res. 63. *Quæ hic reperientur* in tom. 7. tr. 1. de Regularibus res. 109. 166. 288. 289. 290. 292. 293. & 296.

An Religiosus nulliter professus incurrat suspensionem, si Ordines recipiat, & irregularitatem, si celebret? Et adducitur insigne privilegium, ut Regulares possint eligere semel ex eadem observantia Confessorem, qui de omnibus peccatis, & censuris eos absolvat; imo & dispenset super omnibus irregularitatibus, excepto homicidio, & mutilatione voluntaria. Et an Regulares possint dispensare cum sæcularibus super irregularitatem ortam ex delicto, v. g. si Sacerdos excommunicatus celebrasset, aut suspensus sacros Ordines suscepisset, &c. Et notatur, quod absolutio, & dispensatio, (quod idem est in hac irregularitate,) dari potest extra confessionem. Et an Prælati Regulares possint dispensare in irregularitate occulta contracta ex homicidio voluntario? Et an sit probabile non incurri irregularitatem per homicidium voluntarium omnino occultum, quod scilicet nulla ratione probari posset in iudicio, neque in notitiam hominis venire, nisi ex confessione ipsius occisoris? Et an Superiores Regulares possint dispensare cum subditis in irregularitate contracta ob Simoniam in Ordine, vel beneficio, etiam si Simoniacus sit occultus? Et an sit probabile Simoniacum occultum non incurrere irregularitatem? Et an Regulares possint dispensare

cum sæcularibus, & Clericis in omnibus irregularitatibus ab ipsis contractis, in quibus potest Episcopus dispensare? Et pro praxi huius quæstionis octo diversi casus cursim adducuntur in textu huius Resolutionis. Ex p.4.tr.2. ex res.82. & in p.9.tr.8.ex res.55.& 50.& in p.3. tr. 2. ex res.20.& in part.10.tract.13. ex res.38.& in tract. 15.ex res. 8. & in p.11. tract.4. ex res. 3. *Quæ hic sunt* in tom.7.tr.1. de Regularibus resol.187. 98. 300.263. 294.298.& 301

An aliqua facta ebriorum inducant irregularitatem? Et quid, si in dictis factis commissis in ebrietate prius voluntas fuerit per pœnitentiam interrupta, an non inducant irregularitatem? Ex part. 3. tract. 6. ex res. 52. *Quæ nunc invenietur* in tom. 7. tract. 5. de Scandalo res. 39.

An Beneficiarius, si propria manu aliquem in bello occidat; vel mutilet, beneficium resignare debeat, vel dispensationem super irregularitatem impetrare? Et adducuntur aliqui alij casus, in quibus Clerici, Religiosi, Episcopi, & Cardinales pugnantes in bello, vel si Exercitibus præessent, dubitatur, an incurrant irregularitatem, nec ne, maximè si occidant, vel mutilent aliquem, vel qui in supradictis casibus illos occiderit, aut mut laverit, &c. Ex part.6. tract.4. ex res. 34. & 35. & in p.10. tract. 2. ex res. 2. 3.6. & 7. *Quæ hic reperientur* in tom.7. tract.7.de Bello res.59.60.52.53.57. & 58.

An si quis mandaret occidere Titium, & Sempronius occiditur, quia creditur esse Titius, incurrat irregularitatem? Ex part.11.tr.6.ex res. 19. *Quæ hic est* in tom. 8. tr.5.de Homicidio res. 91.

An ad Episcopum spectet cognoscere, si aliquis est Clericus, vel non sine aliqua limitatione an sequatur postea mors, vel non sine metu irregularitatis super hoc? Et an Sacerdos celebrans in Ecclesia polluta ante reconciliationem sit irregularis? Ex part.9. tract. 7. ex resolut. 64. & in part.6. tract. 6. ex resolut. 38. *Quæ nunc invenientur* in tom.9. tract.1. de Immunitate Ecclesiæ res. 129.& 139.

An illegitimus, & irregularis gaudeant privilegio fori? Ex part. 3. tract. 1. resolut.62. *Quæ hic reperietur* in tom. 9. tract. 2. de Immunitate Ecclesiastica resolut. 145.

TRACTATVS VI.

De Abortu iuxta Bullas Sixti V. & Gregorij XIV. atque de Absolutione & Dispensatione pro excommunicatione & irregularitate illius agitur. p.289.

1. *QVID sit abortus? Et docetur, quod ille, qui dedit causam eiectionis fœtus animati, est verus homicida, & tenetur omnibus pœnis Iuris Canonici, & Civilis, quibus tenentur illi, qui hominem iam natum peremerunt, ac proinde sit irregularis. Si verò fœtus non sit animatus, licet procurare abortum non sit propriè homicidium, est tamen grave peccatum.* Ex part. 7. tr. 5. res. 1. ibid.

2. *Quid sit procurare abortum?* Ex part.7. tract.5. res.2. ibid.

3. *De pœnis procurantium abortum ex iure Canonico, & Civili.* Ex p.7.tr.5.res.3.ibid.

4. *De pœnis procurantium abortum ex iure novo Sixti V.* Ex p.7.tr.5.res.4.p.286.

5. *Quas pœnas Gregorius XIV. circa prædictam Constitutionem Sixti V. moderaverit?* Ex part.7. tract.5.res.5. ibid.

6. *An in facultate Iubilæi absolvendi à casibus, & censuris reservatis includatur absolutio abortus? Et docetur, quod casus abortus non est amplius Papalis, sed Episcopalis. At verò, quando Episcopus, seu Ordinarius generaliter concedit alicui Confessario facultatem absolvendi à casibus & censuris sibi reservatis, tunc enim non censetur concessus fœtus animati per Gregorij Constitutionem, nisi specificetur.* Ex part.7. tract.5. resolut. 19. ibid.

7. *Quis potest absolvere ab incursa excommunicatione propter abortum? Sed difficultas est, quisnam dicatur Confessarius specialiter deputatus, ut possit absolvere ab excommunicatione propter abortum? Et notatur non posse Confessarium sæcularem absolvere pœnitentem, qui commisit abortum fœtus animati. Et quid de Religiosis virtute privilegiorum, si ad hoc per Provinciales non sint deputati?* Ex part. 7. tract. 5. resolutione 15. ibid.

8. *An aliqui præter Episcopos possint absolvere ab excommunicatione incursa propter abortum fœtus animati?* Et p.7.tr.5.res.16.p.287.

9. *An Episcopus possit dispensare hodie in irregularitate contracta ex abortu? Et observatur, quod supplicari in Sacra Pœnitentiaria in casu videlicet occulto pro dispensatione super irregularitate ex abortu, debet exprimere, si erat fœtus à se genitus, alias gratia erit subrepitia.* Ex p.7.tr.5.res.21.p.288.

10. *An Prælati Regulares possint dispensare in irregularitate suorum subditorum contracta ex abortu animato? Et quid, si homicidium est occultum apud sæculares, & manifestum apud Fratres? an possint Prælati Regulares adhuc in illo dispensare?* Ex p.4.tr.2.res.87. ibid.

11. *An Superiores Regulares possint dispensare cum subditis in irregularitate occulta ex abortu animato? Et an hoc extendatur ad quodcumque homicidium voluntarium? Et an Prælatus possit committere uni Confessario subdito hanc dispensationem? Et an dicti Prælati possint habilitare ad Officia suos Religiosos etiam pro foro externo, & sine dubio ab excommunicatione absolvere?* Ex part.7. tract.5. resolut.22. ibid.

12. *An Superiores Regulares possint habilitare ad Officia Regulares, qui procuraverunt abortum? Et an Religiosus indigeat hac dispensatione super excommunicationem, vel irregularitatem, si in Visitatione, aut Capitulo fuerit dispensatus in irregularitatibus, prout fieri solet in Visitatione à Prælatis, etiam si Religiosus crediderit se non indigere dicta Prælatorum dispensatione pro illo tunc?* Ex part. 7. tract. 5. resolut. 23. p. 289.

13. *Quid sub prohibitione Officiorum contra procurantes abortum intelligatur in Bulla Sixti V.* Ex p. 7. tract. 5. res.27. ibid.

14. *Quomodo obliget privatio privilegij Clericalis, & omnium Dignitatum, & Officiorum, & Beneficiorum imposita in Bulla Sixti V. Et an dicta pœna obligent reum in conscientia ante iudicis sententiam, & declarationem?* Ex part. 7. tract. 5. resolut. 17. ibid.

15. *An pœna inhabilitatis imposita in Bulla Sixti V. obliget ante iudicis declarationem?* Ex part.7. tract.5. resol. 18. ibid.

16. *An detur præventio inter iudicem sæcularem, & Ecclesiasticum contra procurantes abortum? Et an si reus sit Ecclesiasticus tradendus sit Curiæ sæculari? Et an ad exclusionem pœnæ temporalis, quando criminaliter agitur, fœtus præsumi debetur potius inanimatus, quam animatus?* Ex part. 7. tract. 5. resolut. 41. pag. 190.

17. An

27. *An ex abortu casuali incurratur reservatio? Et pro praxi huius quæstionis multi casus explanantur in textu huius Resolutionis, in quibus ex abortu non incurritur reservatio.* Ex p.7.tr.5.resol.20.ibid.

28. *An qui procuravit abortum ante animationem, incidat in excommunicationem, & irregularitatem? Idem dicendum est de præbentibus opus, consilium, &c.* Ex p.7.tr.5. resol.8.p.291

29. *Quo tempore fœtus animatur, ita vt, qui de illo abortum facit incurrat excommunicationem, & irregularitatem?* Ex p.7.tr.5.resol.6.ibid.

30. *An qui facit abortum, sit irregularis, si dubitet de animatione fœtus?* Ex p.4. tr.2.res.16.p.292.

31. *An in dubio, an fœtus sit animatus, quis censendus sit irregularis? Et quid est dicendum quoad alias pœnas annexas irregularitati, qualis est privatio Officij, & beneficij, & inhabilitatis ad hæc duo?* Ex p.7. tract.5.res.24. p.292.

32. *An in dubio, virum fœtus sit animatus, procedat non solum quoad irregularitatem, sed etiam quoad pœnas?* Ex p.7.tr.5.res.25.p.293.

33. *An si quis procuraverit abortum fœtus animati, sed dubitet de effectu subsequuto, vel an mulier sit mota abortum ex consilio ei præstito, vel à se ipsa, censendus sit irregularis? Et an in supradicto casu possit stare dicto personæ fide dignæ, cui datum est consilium, si dicat non fuisse ab eo motam? Et idem dicendum est de illo, cui dedit consilium, vel mandatum ad delictum, ut ad homicidium, vel Clerici percussionem, &c.* Ex p.7.tr.5. res.26. ibid.

34. *An sit irregularis, qui non potuit dimovere fœminam à consilio dato de abortu faciendo?* Ex p.4. tract.2. res.15. p.294.

35. *An qui dedit consilium de abortu faciendo, si non potuit dimovere fœminam à consilio dato, incurrat censuram, & irregularitatem?* Ex p.7.tr.5.res.29.ibid.

36. *An qui procuravit abortum fœtus animati, si effectus non sequatur, incidat in excommunicationem? Et an saltem in casum Episcopalem reservatum inciderit in supradicto casu? Et quid de Regularibus?* Ex p.7.tract.5. resol.9.p.295.

37. *An qui incidit in excommunicationem, si procuret abortum per alios; & quid de consulentibus, &c.? Et quid de operantibus abortum ope, favore, potione, vel alio cuiusuis generis medicamento; aut scribendo litteras privatas, vel apochas, aut alia ratione verbis, aut signis? Et notatur in dictam excommunicationem non incurrere supradictos consulentes, auxiliantes, &c. effectu non sequuto. Idem dicendum est de Irregularitate, & pœnis dictarum Bullarum.* Ex p.7.tr.5.res.10.ibid.

38. *An supradicti excusentur à censura, si in illis adsit ignorantia iuris, vel facti, etiamsi sit crassa, supina, & affectata; modo cum ingenti temeritate coniuncta non sit?* Ex p.7.tr.5.res.11.p.296.

39. *An qui approbat abortum iam factum etiam suo nomine, incidat in pœnas latas à Sixto V.? Idem dicendum est de casu abortus per Episcopum reservato. Et an mulier incidat in casum reservatum, cui inscia, & ignoranti amator medicamentum, & potionem tribuerit, ut abortus sequeretur, etiamsi post sumptionem potionis rem illi amator aperiret, & ipsa facto gauderet, atque illud ratum haberet? Idem dicendum est, etiamsi postquam fuerit monita de procuratione abortus, illum nollet impedire, cum tamen posset.* Ex p.7.tr.5.res.14.ibid.

40. *An amasius teneatur impedire fœminam, ne abortiatur, aliter incurrat in censuram, & irregularitatem? Et an Clericus, qui sciens mulierem à se prægnantem redditam meditari conceptæ ab ea sobolis abortionem, irregularitatem suscipiat, si hanc pro virili non impediat? Et an Pater, cui mater dixit se velle procurare abortum, si solum taceat, incurrat irregularitatem? Et docetur Patrem non teneri defendere vitam filiorum lege iustitiæ, sed pietatis, & paterni officij.* Ex p.7.tract.5. resolut.28. ibid.

31. *An qui propinat remedia sterilitatis mulieri, ut impotens fiat ad generandum, incurrat in censuram Bullæ Sixti V.? Sed difficultas est in termino Bullæ Sixti V. ante correctionem Gregorianam, an incidebant in censuram, qui porrigebant remedia sterilitatis alicui viro? Et quomodo hodie damnetur hic casus?* Ex p.7.tr.5. res.12. p.297.

32. *An fœmina, quæ post coitum mingit, vel digitis semen dicit, dicatur procurare abortum, itaut incidat in pœnas? Et an talis fœmina non peccet mortaliter ex se, sed solum ex conscientia erronea, quatenus putat hoc conducere ad non concipiendum? Et an peccet mulier vi oppressa, si post coitum statim semen ejiciat?* Ex p.7. tract.5.res.31. ibid.

33. *An vir, vel fœmina, qui in actu carnali retrahunt se à seminis emissione, vel receptione in vase debito causa generationem impediendi, incurrant in hanc censuram? Et an ex casu abortus Episcopalis excusetur, qui ne liberos suscipiat, vel alia de causa, puta, ex odio, mulieri potionem præstet, quominus concipiat?* Ex p.7. tr.5.res.13. ibid.

34. *Virum maritus habens copulam cum uxore, si ex magna corporis agitatione sequatur abortus, incidat in censuras? Et an maritus, vel pater, si uxorem, aut filiam verberasset, unde illa furore percita abortum fuisset passa, incurrat in pœnas abortus? Et an liberetur à pœnis impositis contra procurantes abortum ille, qui in præsentia mulieris, cum qua rem habuisset, diceret, nollem te esse gravidam, quia inde grave aliquod malum tibi, & mihi suspicor eventurum, unde ipsa abortum procuraret?* Ex p.7.tr.5.res.30.p.298.

35. *An mater, quæ procuravit abortum, incidat, in excommunicationem Sixti V.? Et an procurantes abortum per se, vel alios; aut cooperantes ope, consilio, vel alia ratione, contrahant excommunicationem Sixti V. cuiuscumque gradus, ordinis; vel conditionis existant tam laici, quam Clerici sæculares, aut Regulares cuiuscumque Ordinis; imo etiam mulieres sæculares & professæ? Et an excusetur ab excommunicatione mulier, quæ per metum cadentem in virum constantem cogitur sumere potionem, ex qua abortus sequatur?* Ex p.7. tr.5. res.7. ibid.

36. *An stante aliqua rationabili causa liceat aliquando sterilitatem in uxoratis procurare? Et adducitur notabile dubium pro praxi prædictæ difficultatis. Et an hoc fieri prohibeatur in Bulla Sixti V. de abortu? Et docetur non licere præbere pharmacum directè tendens ad fœtus nondum animati eiectionem, etiam quando non potest aliter matri succurri.* Ex part.5. tract.14.& Misc.2. resol.90. p.299.

37. *An mulier experta periculum mortis in partu possit sumere medicamentum, ut sterilis evadat, & non concipiat?* Ex part.7.tract.5.res.33.p.300.

38. *An mulieri gravidæ, quando pro salute nullum aliud suppetit remedium, liceat indirectè uti medicamentis ex quibus sequendus sit abortus fœtus inanimati? Et ad confirmandam doctrinam huius quæstionis aly diversi casus adducuntur in exemplum, & pro praxi.* Ex p.7. tr.5. res.34. ibid.

39. *An pro salute matris prægnantis licitum sit aliquando uti medicamentis non directè tendentibus ad expulsionem fœtus, ut sectio venæ, pharmacum, balneum, &c. ex quibus tamen potest sequi abortus fœtus animati? Et doctrina huius quæstionis est valdè notanda, quia in exemplum supradictæ difficultatis multæ aliæ similes adducuntur, & cursim explanantur.* Ex p.7.tract.5.res.35 p.301.

40. *An idem dicendum sit, quando medicina applicanda æqualiter tenderet ad salutem matris, ac ad fœtus abortum? Et utrum sit licitum in tali casu dicta medicamenta applicare? Et difficultas est, an cum medicamentum*

prorsus dubium est, num auxilium, aut mortem sit illaturum, possit adhuc adhiberi, si salus infirmæ omnino desperata est; imò Medicus in tali casu tale medicamentum teneatur adhibere, & applicare? Et obiter quæritur, an si mors certa immineat ab incendio excitato, vel fera invadente, licitum sit detento, seu invaso è loco alto se præcipitare cum dubio mortis periculo? Ex p.7. tr.5.r.36. ibid.

41. *An si adsit spes, ut possit fœtus in lucem prodire, teneatur mater cum periculo ipsius vitæ supradicta medicamenta non adhibere, ut fœtus baptizetur? Et an in prædicto casu mortaliter peccet Medicus contra charitatem talia medicamenta applicando, & mulier assumendo? Et si tali remedio non adhibito valdè probabile esset vtrumque moriturum, eo verò adhibito, probabile esset matrem saltem posse conservari, an in tali casu possit adhiberi?* Ex p.7.tr.5.res.37.p.302.

42. *An quando mater probabiliter timet se esse in statu peccati mortalis, teneatur abstinere à supradictis medicamentis, si speretur, vt dictum est, fœtum in lucem edendum, & baptizandum fore? Sed tota difficultas est in casu vero, in quo mater moraliter esset certa de sua vita spirituali; an tunc teneatur pati mortem corporalem pro vita spirituali prolis? Idem dicendum est, quando quis ex iustitia teneatur vitæ spirituali alterius consulere, v.g. in Pastoribus Ecclesiarum tempore pestis, ne subditi fideles sine Sacramento Pœnitentiæ moriantur.* Ex p.7.tr.5.r.38. ibid.

43. *An liceat procurare abortum ad evitandum periculum vitæ, & infamiæ alicuius puellæ prægnantis? Et quando mater in aliqua infirmitate post fœtus animationem periculosè laborat, & nullum aliud remedium sit, an possint præbere ei medicamenta, directè tendentia in curationem, ut sectio venæ, balnea, pharmacum, &c? Sed difficultas est, quando medicamenta æque tendunt ad salutem matris, & ad mortem fœtus, vbi salus infirmæ omnino desesperata est, & fœtus etiam periret, an, inquam, in tali casu supradicta medicamenta liceat præbere? Et aliqua alia contingentia circa hoc notantur; & tandem docetur, quod non sint adhibenda medicamenta dubia, in supradicto casu.* Ex part.3. tract.5. & Misc.1. resol.11. p.303.

44. *An ad evitandum periculum vitæ, & infamiæ puellæ prægnantis sit licitum procurare abortum, si fœtus non sit animatus?* Ex part.6. tr.8. & Misc.3. resolutione.37. p.304.

45. *An pro tuendo honore, & vita puellæ prægnantis licitum sit sine timore censurarum procurare abortum fœtus animati? Et an doctrina huius quæstionis vera sit in fœmina cuiuscumque conditionis, ideſt, si Monialis sit & Deo sacra, aut Nobilis, aut etiam si scandalum timeatur? Et quid, postquam natus est fœtus, an licitum sit illum occidere, vel suffocare, ne reveletur peccatum* Ex p.7.tr.5.res.32.ibid.

46. *An licitum sit suadere abortum, quando mulier gravida parata est se occidere ad infamiam vitandam?* Ex p.7. tr.5.res.39.ibid.

† *An Monialis sumens potionem mortiferam fœtui, aut venæ scissionem, vel pugnis se percutiens ad abortum faciendum, ut postea secutus est, non solum incidat in pœnas Bullæ Sixti V. sed etiam in censuram* cap. Si quis suadente Diabolo? *Idem est de alio propinante potionem pro abortu faciendo Moniali, secuto effectu.* Ex p.7. tr.5.ex res.40. & in p.9.tr.4. ex res.10. & in p.3.tr.5. ex res.82.alias 81. *Quæ nunc inuenientur* supra in hoc ipsomet tom.5.tr.2. de censura ob percussionem Clerici res.48.47.& 7.

† *An qui procuravit abortum fœtus animati, secuto effectu, gaudeat immunitate Ecclesiæ, si ad illam confugiat talis reus?* Ex p.7.tr.5.ex res.42. *Quæ hic reperietur* in tom.9. tr.1. de Immunitate Ecclesiæ res.94.

† *An si vir sit sanæ mentis, licitus sit ei vsus coniugij, etiam cum periculo abortus? Et adducitur, quod quando homina experientia didicit se nequire prolem vivam edere, tunc licebit his coniugibus petere, & reddere debitum, quia melior est puero sic esse cum originali culpa, & carentia visionis Dei, quam omnino non esse.* Ex p.10.tr.3. ex res.41. *Quæ hic est* in tom.2. tr.6. de Matrimonio res.211.

† *An per Bullam Cruciatæ possit Confessarius absolvere ab excommunicatione lata contra causantes, procurantes, aut consulentes abortum?* Ex part.5. tract.9.ex res.1. *Quæ nunc invenietur* in tom.4.tract.3. de Bulla Cruciatæ res.66.

† *Non sunt vllæ aliæ difficultates in omni hoc opere, quæ simul pertineant ad hunc* tract. 6. de Abortu huius tom.5.

TRACTATVS VIII.

De Symonia; atque de Datis, & Promissis super Bullam Gregorij XIII. p 305.

1. *AN si quis cum Pontifice sciente committeret Symoniam incideret in pœnas, si Papa expresse cum ipsomet dispensaret? Ex quo infertur, quod si Statuto Episcopi caveatur, quod ludens ad hazardum sit excommunicatus, ludens cum eodem Episcopo, quid Statutum edidit, an sit excommunicatus, etiamsi Episcopus non incidat in pœnas Statuti? Etiamque advertitur, quod si Princeps sciens aliquem esse inhabilem ad Dignitatem, quam ei conferre intendit, ipso facto, quo ei confert, tacite implicitèque videtur eum capacem reddere, & cum eo dispensare. Et tandem quæritur, an Pontifex incurat crimen, & pœnas Symoniæ iuris positivi?* Ex p.10.r.16.& Misc.6.res.16,alias 15.ibid.

2. *An in Symonia detur parvitas materiæ; itaut hoc peccatum possit aliquando esse veniale; & adducuntur multi casus in exemplum, & pro praxi huius difficultatis? Et an excommunicatio Extrauag.2. de Symonia, & Constit. Pij V. incurratur per Symoniam, quæ videtur esse parua ex parte pretij?* Ex parte 5.tract.5. resolutæ. pag.306.

3. *An pœna contra Symoniacè ordinatos extendatur ad eos, qui prima Tonsura initiati sunt? Et an suspensa, qua puniuntur simoniacè ordinati, incurratur per suscipientem cuiuslibet Ordinis? Et an ordinatus simoniacè sit irregularis?* Ex part.11. tract.5. & Misc. 5. resolut. 17. p.307.

4. *An Bulla Sixti V. contra malè promotos ad Ordines fuerit recepta quoad absolutionem censurarum, & inhabilitatum? Et explanantur, quæ pœnæ sint latæ in ordinatis simoniacè. Et an Symoniaci occulti suspensio tollatur per pœnitentiam, & manifesti per Episcopum post pœnitentiam?* Ex part.11. tract.5. & Misc. 5. resol.19. p.308.

5. *Notabilia quædam circa pœnas contra Symoniacos inflictas. Et docetur pœnas contra Symoniam confidentialem multas esse; & pro praxi in textu huius Resolutionis ad multas esse; & pro praxi in textu huius Resolutionis adscribuntur septem. Et adverititur de pœnis ipso iure latis scribuntur septem. Et adverititur de pœnis ipso iure latis nullam esse impositam committentibus Symoniam, nisi Symonia fuerit "commissa in ingressu Religionis, in Ordine & beneficio." Sed difficultas est, an dictæ pœna incurrantur ante sententiam præter excommunicationem?* Ex p.11. tr.5.& Misc.5.res.20.ibid.

6. *An tantum Symonia in ordine, & beneficio, & ingressu Religionis subdatur pœnis? Et de aliis plurimis casibus benignioribus circa materiam Symoniæ agitur. Et tandem notatur non esse obligationem restituendi pretium acceptum per*

pro collatione Sacramentorum. Et supponitur Symoniam non obligare ad restitutionem iure naturali, sed ex iure positivo. Ex part. 4. tract. 4. & Misc. resolut. 157. p.310

7. An ut Symoniacus incurrat in pœnas iuris, opus sit Symoniam esse ex parte utriusque completam? Et pro praxi huius quæstionis adducuntur aliqui diversi casus in textu huius Resolutionis. Et inter prædictos casus duo præcipuè proponuntur, ut Symoniacus in illis tutus in conscientia maneat. Et interim poterit Confessarius virtute Bullæ Cruciatæ absolvere ab excommunicatione, & suspensione, &c. Sed si Symoniacus est in mora petendi dispensationem non est absolvendus donec dispensationem obtineat. Etiamque notatur pœnas latas in Symoniacos non comprehendere illos, qui tantum Symoniam committerent iure Ecclesiastico, & humano prohibitam. Pro quo etiam multi casus in exemplum adducuntur in §. ultimo huius Resolutionis. Ex part. 11. tract. 6. & Misc. 6. resol. 30. p.311

8. An Symonia realis, & completa, solo tamen iure Ecclesiastico prohibita subiaceat restitutioni, & pœnis Symoniæ? Et in corpore huius Resolutionis excipiuntur aliqui casus, in quibus non incurritur pœna Symoniæ. Ex p. 4. tr.4. & Misc. res.155.p.312

9. An emens Vicariatum Episcopi teneatur resignare, & Episcopus pretium restituere, velut Symoniacè receptum? Et in textu huius Resolutionis docetur, cui est restituendum pretium pro Symonia in ordine, beneficio, & ingressu Religionis. Et an non tantum pretium receptum pro Symonia in ordine, beneficio, & ingressu Religionis sit necessario restituendum, sed etiam pro aliis diversis casibus? Ex p.4.tr.4.& Misc. res.167.ibid.

10. An Generalatus, Provincialatus, Correctoratus, Prioratus, &c. includantur sub nomine beneficij ad incurrendas pœnas Symoniæ? Et an Mediatores Symoniacæ electionis ad Prælaturam aliquam Religionis incurrant in excommunicationem? Ex part. 4. tract. 4. & Misc. res. 156.p.313

11. An Regulares convenientes inter se, ut alter in una electione suffragetur uni, & alter alteri in alia, committant Symoniam? Et quid, si pactum non intervenit, sed tantum futuræ obligatio spei; ut si dicatur, da hoc suffragium, & providebitur tibi de alia re, vel quid simile? Ex p.3.tr.2.res.125.p.314

12. An sit Symonia permutare res spirituales, dummodo non sint beneficia, ut v. g. si Monachus dicat alteri. Elige me in Provincialem, & ego eligam te in Priorem; vel fac pro me Sacrum, & ego faciam pro te; audiam tuam confessionem, si tu audias meam, &c. Ex p.4. tract. 4. & Misc. resol.150.ibid.

13. An incurratur labes Symoniaca, si petatur à Monialibus dos, quando Monasterium est dives? Ex p.8. tract.7. & Misc. res.29.

14. An si minister Sacramenti petat, ut detur pecunia in pretium illius, & faciat iurare dantem, ut omnino tali pacto det, possit sine Symonia dari? Et an in tali casu iurans possit uti æquivocatione, & restrictione tantum in mente retenta? Et quid, si Minister petat me iurare coram aliis? Et an necessitas recipiendi Viaticum homini non confesso, vel non habenti peccatum mortale sit causa sufficiens ad hoc, ut pro illo recipiendo det pecuniam Ministro nolenti aliter ministrare? De Confirmatione, & Extrema-Unctione in dicto casu non videtur esse eadem ratio. Et an sit Symoniacus, si adultus in extrema necessitate Baptismi constitutus, sibique persuadeat, quod difficulter sufficientem contritionem habebit, pecuniam offerat Ministro ad redimendam suam vexationem? Ex part.11.tr.6.& Misc.6.resol.32.p.315

15. An Musici qui in Ecclesiis Divina Officia canunt aliquid temporale accipere possint sine labe Symoniæ? Et quid de Concionatoribus? Et an sit Symonia aliquid tanquam pretium accipere pro labore interno functionis spiritualis? Et quid pro labore externo, v.g. iter agere unius leucæ ad dicendum Sacrum, expectare quotidie per horam, vel aliud tempus ad celebrandum, &c. Et an ad Symoniam pertineat, si quis iudicem Ecclesiasticum inducat pecunia, ut iustitiam in causa spirituali administret? Et quid in causa alias sæculari? Ex p.11.tract.6.& Misc.6.resol.34. p.317.

16. An liceat alicui ludere preces cum alio pro præmio temporali? Et an in hoc sit Symoniæ periculum? Et notatur, quod si Dominus nihil prorsus mancipio præbeat, quod insumat in honestam recreationem, neque quidquam servus ipse aliundè habeat, tunc poterit aliquid insumere ex bonis Domini immoderata recreatione, aut ludo; quia servus ius habet sumendi moderatam recreationem. Et alij diversi casus pro ludis adducuntur in corpore huius resolutionis; qui omnes hic sunt apposite in indice ult. rerum notabilium huius tomi? Ex part. 11. tr. 6. & Miscel. 6. res.9. p.318

17. An Symonia ad alia beneficia obtinenda inhabilem reddat Symoniacum? Et an Episcopus possit virtute Concilij Tridentini sess.24. c. 6. dispensare in inhabilitate Symoniæ ad alia beneficia? Ex p.11. tr.5. & Misc. 5. resolut.18.p.319

18. Si quis obtinuit beneficium Symoniace quæritur, an ipso iure privetur beneficiis antea, vel postea obtentis? Et docetur, quod ob Symoniam realem in beneficio Ecclesiastico incurritur primo excommunicatio Papalis. Secundò, quod irrita est electio, præsentatio, confirmatio, & institutio; undè talis non facit fructus suos; idque etiam si à tertia persona taliter provisus id ignoraverit, nisi tamen contradixerit; vel si à tertio data fuerit pecunia per fraudem, ut fieret inhabilis, vel si bona fide possideret beneficium per triennium. Et an quando crimen Symoniæ in beneficio est occultum, solique suo authori notum suspensionem ei inferat? Ex p.11.tract.5. & Miscel. 5. resolut.7. ibid.

19. An mutuare aliquid cum pacto, ut ille, qui recipit mutuum, conferat Officium, vel Ecclesiasticum beneficium, non solum sit usura, sed Symonia? Et an utraque deformitas usuræ scilicet, & Symoniæ in confessione explicanda erit? Et quid est dicendum, quando aliquis v.g. confert statim, quantum in se est, beneficium, de quo interpellavit mutuator, sed solemnitate aliqua hoc ipsum postea debet perficere? Ex part. 1. tract.8. resolut. 61. p. 320

20. An sit Symonia si Titius promittat Caio se daturum eleemosynam pauperi, vel loco pio, si Caius impetret Titio beneficium Ecclesiasticum, vel Habitum Religionis Militaris? Ex part. 5. tract. 14. & Miscel. 2. resolut. 75. ibid.

21. Plura dubia in materia Symoniæ observantur, & multi & diversi casus in corpore huius resolutionis proponuntur pro praxi? Ex part. 11. tract.6. & Miscel.6.res.31. p. 321

22. An sit Symonia dare pretium cuidam tertio, ut intercedat apud alterum, ut ipse intercedat apud Collatorem beneficij ut beneficium illi conferat? Et quid, si daretur aliquid famulo Archiepiscopi Granatensis, ut precibus ab ipso Archiepiscopo obtineret, ut me præsentaret Regi ad beneficium illius Regni? Et quamvis in textu huius resolutionis advertantur alij casus circa Symoniam, pro coronide est pulchrum dubium in §. Et tandem. Et ultimo quæritur, an servire Episcopo intendendo, ut conferat beneficium non tanquam pretium servitij, sed ex gratia, & benevolentia causata ex servitio, sit Symonia? Ex p.4.tr. 4. & Misc. res.151.p.322

23. An qui servivit Episcopo cum intentione recipiendi beneficium, ut pretium servitutis, teneatur illud resignare? Et an Symonia mentalis inducat pœnas Symoniæ, quæ ad restitutionem obligent? Ex p.4.tract.4. & Misc. resolut.168.p.323

24. An in obtinendis beneficiis liceat pacisci de aliquo temporali,

porali, retribuendo tanquam motivo, seu pro recompensatione gratuita? Et notatur eiusmodi pacta continere semper labem Symoniæ. Sed an sit Symonia, si aliquid detur pro labore suscepto eundo, & redeundo ad beneficij Collatorem, &c. Ex p.2.tract. 16.& Misc.2.resol.37.alias 39.p.324

25. An si quis promisit aliquam summam pecuniæ pro beneficio obtinendo protestans se illam daturum ex gratitudinis causa, & non ex debito iustitiæ incurrat in crimen Symoniæ? Et notatur, quod si resignas beneficium ea intentione & spe, ut alterum tibi à Superiore conferatur, alias non resignaturus, non eris Symoniacus. Et quid, si prædictam spem verbis, aut scripto quis hoc exprimat Superiori? Ex p.6.tr.7.& Misc.2.resol.42.ibid.

26. An si quis pro beneficio obtinendo iniret pactum non rigorosum, sed ex gratitudine, committeret Symoniam? Et alij diversi casus circa Symoniam cursim adducuntur in textu huius resolutionis; sed iam omnes magis latè in suis specialibus resolutionibus pertractati, & appositi sunt in hoc ipsomet tractatu. Et docetur quod si pro intercessione detur plus, quam valet labor, ut pro beneficio collato, aut præsentato plus detur Patrono, quam ratio gratitudinis patitur, neque committi peccatum Symoniæ ut est, neque iniustitiæ, modo illud plus detur liberaliter, & gratis. Ex p. 10.tr.15.& Misc.5.res. 5.p.325

27. Quis obtinuit beneficium cum promissione dandi magnam pecuniarum quantitatem quæsivit à me, an incurrerit pœnas latas à iure contra Symoniacos cum postea pretium non fuerit solutum? Et quid est dicendum in prædicto casu, si postea post multum temporis solvat illam summam pecuniarum, quæ vocatur retractatio, an talis incidat in pœnas Symoniacorum? Ex p.10.tract.16.& Misc. 6.resolut.15.p.326

28. An liceat vendere, & redimere pensiones? Et an hoc sit Symonia? Ex part. 4. tract. 4. & Miscel. resolut. 153. p.327

29. An possit resignare beneficium cum pacto de pensione redimenda? Et an dicendum sit esse Symoniacum tale pactum & contractum? Et an pensio sic constituta possit non solvi, & beneficium tanquam vacans propter Symoniam impetrari? Et notatur Symoniam committere resignantem beneficium, & petentem resignatario solutionem expensarum, quas in eius acquisitione fecit. Ex p.10. tr.14. & Misc.4.res.1.ibid.

30. An si quis resignet beneficium cum conditione, ut sibi pensio solvatur, sit Symonia confidentialis? Et an si quis resignaret beneficium reservans sibi pensionem sine licentia Papæ subiaceat restitutioni, & pœnis Symoniæ? Et notatur quod in Constitutionibus Pij IV. & Pij V. pensio, & quodlibet aliud sub nomine beneficij propriè non comprehensum, etiam si resignetur cum accessu, vel regressu, vel alio quovis modo Symoniaco non prohibetur, nec punitur in his Constitutionibus. Ex p.9.tract.9.& Misc.4.ref.17. p.328

31. An si quis resignet beneficium cum intentione, ut resignatarius iterum conferat, & resignet, v.g. suo nepoti, committat Symoniam prohibitam in Bullis Pianis? Sed difficultas est, an sola resignatio beneficij cum accessu, regressu, & ingressu, vel an etiam permutatio in supra dictis Bullis prohibeantur? Et breviter declarantur prædicta verba accessus, regressio & ingressus. Ex p.9. tract.9. & Misc. 4. res.18.p.329

32. Quis post possessionem beneficij novit à Patre vel amico per pecuniam, ipso ignorante, illud obtentum fuisse, quæritur, an in foro conscientiæ teneatur resignare? Et quid de fructibus in prædicto casu? Et notatur Episcopum iure suo dispensare posse cum promoto Symoniace in minoribus Ordinibus & prima Tonsura. Item, ut in maiori Ordine ritè susceptо ministret, non autem in eo, quem per Symoniam recepit, neque ut ad alios Ordines possit ascendere, quod de eo tantum debet intelligi qui sciens, & volens viam fecit sibi ad Ordines per Symoniam, sed ab eo, qui ignoravit datum fuisse pro se ordinatori pretium, sic pensio nulla incurritur. Ex p.11. tract.5. & Misc.5.resolut.56. ibid.

33. An permutantes beneficia sine Superioris permissu incidant in censuras, & alias pœnas ut Symoniaci? Idem ejus de reservantibus sibi pensionem sine Papæ authoritate. Et an Superior sufficiens ad permutationem sit Episcopus, vel alius Prælatus inferior ad quos Collatio beneficij, aut institutio spectat, & non in aliis? Et an inter se Beneficiati possint tractare de permutatione accedente authoritate Superioris futura? Et an sit necessaria aliqua causa in permutatione beneficiorum? Et in textu huius resolutionis explicantur aliquæ causæ pro praxi huius ultimæ difficultatis. Ex p.10.tr.16.& Misc.6.res.17.alias 16.p.331

34. An sit peccatum Symoniæ dare aliquid Titio, ut Coium adscribere faciat inter Equites D.Iacobi, Calatravæ, Alcantaræ, &c. Et explanatur, quod dans, vel accipiens aliquid pro ingressu Religionis ligatur excommunicatione Summo Pontifici reservata, in Extravag.1.de Symonia. Sed notatur ad facilius impetrandam suam receptionem in aliqua Religione posse quem gratis, & sponte præbere munera Superioribus vel aliis; imò in tali casu posse adhiberi posse. Et an quis probabiliter sustinere possit prædictos Ordines D.Iacobi, &c. non esse verè Religiones. Et an sit Symonia si Rex vendat las Encomiendas, & prædictorum Ordinum, vel saltem sit peccatum mortale? Ex part.3.tr.2.res.64.p.333

35. An emere schedulam Habitus D.Iacobi, Alcantaræ, Calatravæ, &c. ab aliquo Ministro Regis, sit Symonia? Et docetur, quod si non pro schedula, sed pro laboribus assumptis pecunia præbeatur tertio impetranti, & si ex pacto hoc fiat, nullo modo illicitum est. Et an Habitus prædictorum Ordinum non sit Habitus Religionis vera, sed secundum quid? Ex part. 9. tract.9. & Misc.4. resolut. 35. p.334

36. Excusatur quædam Conventio Equitum Ierosolymitanorum à labe Symoniaca. Et inter alia quæ in textu huius resolutionis inferuntur, & docentur, maximè deducitur in criminalibus esse amplectendam opinionem quæ faveat reo relicta probabiliori, & aliquid de consuetudinibus agitur. Et quæritur, an si unus ex concurrentibus det alteri pecuniam, ut à concursu desistat, ob impedimentum tollendum committat Symoniam? Et an pactum cum aliquo quod non concurrat in Ordine ad hanc electionem, & ego non concurram secum ad sequentem licitum sit? Et tandem quæritur, an Commendæ Equitum D. Iacobi, Alcantaræ, Calatravæ, &c. sint beneficia Ecclesiastica, & materia Symoniæ? Et an prædicti Equites sint verè religiosi? Et in textu huius res. alias curiosas difficultates invenies feliciter à fine §. Probatur secundo usque in finem §. Pregnanter à fine §. Probatur secundo usque in finem §. Probatur tertiò, & in fine §. Notandum est, sed aliqua earum iam iterum adscriptæ sunt in hoc ipsomet tractatu. Ex. 6 tract.8.& Misc. 3. res.17.p.335

37. An sit Symonia vendere locum honorariorem pro sepultura? Et quid de Vasis Sacris, & Capellis? Ex p.2.tr.13. & Misc. 1. res.57.p.337

38. An habens ius litigiosum in beneficio possit dare alicui alteri prætendenti, ut non prosequatur ius suum? Et an hac pactio sit Symonia? Et an idem dicendum sit de eo, qui habens possessionem beneficij velit illud relinquere alteri prætendenti ob aliquod pretium ab eo recepturus? Et an si quis fecerit expensas in beneficio litigioso, possit illas exigere ab illo, cui, vel in cuius favorem resignat? Ex p.11.tract.6.& Misc.6.res.7.ibid.

39. An si quis post Collationem beneficij impediatur indebitè accipere possessionem, possit quis pecunia redimere hanc vexationem? Et an hoc sit Symonia? Ex p.5.tr.14.& Misc.2. res.3.p.338

40. An si Elector inclinet ad eligendum indignum, vel minus dignum, possit dignior pretio redimere hanc vexationem? Et an redimere supradictam vexationē sit Symoniacum? Et an in hoc casu Symonia non sit de iure divino, sed humano?

mane? Et an facta collatione beneficij, si quis iniustè impediatur accipere possessionem, possit pecunia redimere hanc vexationem, Ex part. 4. tract. 4. & Miscel. resolut. 152. ibid.

40. An qui ad redimendum vexationem Electori dedit pretium, ne minus dignus eligatur ad beneficium sit Symoniacus, & incidat in pœnas latas contra Simoniacos? Et an in hoc casu Symonia non sit de iure divino, sed humano? Ex part. 5. tract. 14. & Miscel. 2. resolut. 1. ibid.

41. An sit licita redemptio vexationis, si quis offerat pecuniam Electori qui vult eligere indignum, vel minus dignum, nisi pecuniam à digniori accipiat? Et an hæc sit opera Simonia? Et aliqua alia explanantur sæpius contingentia in praxi in redimendis vexationibus ad beneficia ad Cathedras, &c. Sed difficultas est in supradicto casu, an si meus adversarius, v. g. obtulit Iudici, vel Electori pecuniam, quam ille accepit, utrum ego possim illum pecuniis allicere, ut mihi opituletur? Ex p. 5. tract. 7. res. 17. pag. 339

42. An quando aliquis non vi, vel fraude illata, sed solum per subornationem, preces, & munera, quæ Electoribus offert, impedit, ne quis eligatur ad beneficium, &c. possit ille pretio redimere hanc vexationem, etiam dando pecuniam non solum tertiæ personæ, sed etiam uni ex Electoribus, ne subornet, alios, &c.? Et an sit Symonia redimere pretio talem vexationem? Ex p. 5. tr. 14. & Misc. 2. res. 2. p. 340

43. An si Resignans casus conscientiæ recipiat pecuniam propter consilium requisitum à petente ad pacandam conscientiam, & in illius foro, sit Symoniacus? Ex p. 5. tr. 14. & Misc. 2. res. 4. ibid.

44. An Cancellarius Episcopi possit ratione laboris sumere aliquid pro licentia audiendi confessiones, & concionandi, &c? Ex part. 5. tract. 13. & Miscel. 1. resolut. 70. ibid.

45. An pro dispensationibus matrimonialibus possit delegatus sumere aliquid ratione laboris, & quid pro executorio, & licentijs publicandi Indulgentias, & signanter Indulgentias Bullæ Crucijatæ? Ex p. 5. tr. 13. & Misc. 1. res. 71. p. 341.

De Datis, & Promissis super Bullam Gregorij XIII.

AN Bulla Gregorij XIII. De Datis, & Promissis in Romana Curia sub nomine gratiarum includantur absolutiones, Indulgentiæ, dispensationes, beneficia & aliæ gratiæ, quæ solo verbo perficiuntur? Ex p. 6. tr. 7. & Misc. 2. res. 14. p. 343.

2. An in aliquo casu absque incursione pœnarum Bullæ Greg. XII. de Datis, & Promissis possint in Curia Romana excusari dantes munera? Et an iudex, qui in Romana Curia reciperet ab utraque parte ante latam sententiam, vel ante gratiam obtentam maiores, quas vocant propinas, seu sportulas, quam sibi essent debitæ, quamvis peccent contra iustitiam & teneantur restituere, non tamen incurrerent prædictas pœnas, neque etiam qui eas propinas solvit? Et notatur, quod huius Bullæ pœnæ non habent locum, si daretur aliquid simpliciter nullo pacto præcedente, & ad effectum specifice obtinendi aliquam gratiam, vel iustitiam, & aliqua alia circa hoc explanantur. Ex par. 7. tr. 4. res. 1. ibid.

3. An in dicta Bulla sint prohibitæ omnes promissiones maxime cum verbis generalibus? Ex part. 7. tract. 4. res. 2. p. 344.

4. An quis incurrat pœnas dictæ Bullæ Greg XIII. de datis, & promissis si aliquid promittat, & donet Vrbis Gubernatori, vel Burgi, aut iudicibus Capitolij, vel eorum delegatis? Et in textu huius resolutionis proponuntur aliqua alia, pro quibus, si aliquid quis promittat, vel donet; in illis est dubium, an incurrat necne in pœnas huius Bullæ. Ex p. 7. tr. 4. res. 3. p. 345.

5. An Gubernatores, & alij Officiales status Ecclesiastici, si accipiant munera, incidant in censuram Papæ reservatam? Et difficultas est, an pœna dupli sit restituenda ante iudicis sententiam, & cuinam facienda sit restitutio? Et an si aliquis ex supradictis recipiat munus, & postea finito Officio restitueret illud, non pauperibus, sed donanti? si postea iste donans munus iterum restituenti voluntariè, & sponte vellet donare, an, inquam, in tali casu obstaret prohibitio, & censura de qua loquimur? Ex p. 9. tr. 8. & Misc. 3. res. 42. p. 346.

6. An ficlè promittens incurrat pœnas Greg. XIII. de Datis, & Promissis? Et quid in hoc casu de acceptante promissionem, an subiaceat prædictis pœnis? Et quid est dicendum in utroque si promittens obtenta gratia vel iustitia, aliquid mutata voluntate, non tradat intuitu præcedentis promissionis. Ex p. 7. tr. 4. res. 4. p. 347.

7. An ex promissione non acceptata incurratur in pœnas Bullæ Gregorianæ de Datis, & Promissis? Et quid est dicendum de his, qui aliquid dant alteri ut fiat pactio, vel receptio pro gratia, vel iustitia obtinenda? Ex p. 7. tract. 4. res. 5. ibid.

8. An ad incurrendas pœnas dictæ Bullæ Gregorij XIII. sufficiat, ut donum attingat quantitatem sufficientem ad constituendum peccatum mortale furti. Ex part. 7. tract. 4. res. 6. p. 348.

9. An Cardinales includantur in pœnis dictæ Bullæ Gregorij XIII. Ex p. 7. tr. 4. res. 7. ibid.

10. An incidat in pœnas dictæ Bullæ promittens, vel dans aliquid pro iustitia auferenda, vel differenda? Ex p. 7. t. 4. res. 8. ibid.

11. An qui dat, vel promittit iudici, ut causam expediat, incidat in pœnas dictæ Bullæ? Ex p. 7. tract. 4. resolut. 9. ibid.

12. An si quis post impetratam gratiam, & iustitiam donet aliquid, etiam si non sit moderatum, sed excessivum incidat in pœnas dictæ Bullæ? Et an habeat locum pœna huius constitutionis extra Curiam Romanam, undè si alia quid daretur Neapoli pro obtinenda gratia à Sede Apostolica, evitaretur hæc pœna? Et an pœnæ latæ in Bulla Greg. XIII. non spectent etiam ad iudices delegatos citra Montanos? Ex p. 7. tr. 4. res. 10. p. 349.

13. An qui non denunciant deliquentes contra præfatam Bullam, incidant in excommunicationem? Et an in hac ultima pœna solum ligentur existentes in Curia Romana? Et an, qui aliquid ex prohibitis in hac Bulla faceret cum Summo Pontifice, vel cum eius Ministris, aut familiaribus de illius consensu expresso, vel tacito, in pœnis dictæ Bullæ non incidat? Neque in his actionibus, quæ alioquin non essent prohibitæ iure divino, sed humano positivo, esset Symoniacus? Ex p. 7. tr. 4. res. 11. ibid.

14. An si quis sciat aliquem violasse dictam Bullam, antequam ipsum denunciet, teneatur adhibere correctionem fraternam. Ex p. 7. tr. 4. res. 12. p. 350.

15. Quid dicendum de Consulentibus, & auxiliantibus, an & quando incidant in pœnas dictæ Bullæ Greg. XIII? Ex p. 7. tr. 4. res. 13. ibid.

16. An si quis ignorantia vincibili nesciret pœnas huius constitutionis, in illas incurreret? Et infertur committentem incestum, homicidium voluntarium, raptum Virginis Sacrilegium cum Moniali, Sodomiam, & similia peccata quibus annexa est reservatio affici reservatione, etiam si hæc ignoretur. Et quid de reservatione absolutionis eorum qui malè promouentur ad Ordines, & similia? Ex p. 7. tr. 4. res. 14. ibid.

Appendix ad alias paucas quæstiones, quæ simul pertinent ad hunc *tract.* 7. *de Symonia huius tom.* 5.

An habens infantem morti vicinum, & Sacerdos reperiret eum baptizare, nisi detur quantitas pecuniæ, nec alia via possit conferri Baptismus, licitum sit ei præbere pecuniam; & an hoc sit Symonia? Et an hoc non solum pro infante sit licitum, sed etiam pro adulto? Idem est quando agitur de Absolutione sacramentali in extrema necessitate. Et quid de aliis Sacramentis? Ex p.5. tr.3.ex res.29. *Quæ nunc invenietur* in tom.1. tract.1. de Baptismo res.27.

An licentia confitendi, mediante pecunia sit valida? Ex p.5.tr.14. ex res.41. *Quæ hic reperietur* in tom.1. tr.3. de Pœnitentia res.4.

An beneficij titulus revalidetur per Regulam de triennali, aut aliam præscriptionem, non obstante pœna inhabilitatis, aut privationis proviso imposita? Et quid de Symoniaco, & intruso ad beneficium vacans apud Sedem? Et an si aliquis Symoniacè institutus fuit in beneficium Ecclesiasticum per ignorantiam, v. g. quando Pater pro filio ignorante numeravit pecuniam, &c. an in tali casu prodesset regula triennalis? Ex part. 7. tr.10. ex res.26. *Quæ hic est* in tom. 3. tract. 2. de Dispensatione resolut.168.

An Reges possint expellere Episcopum ab Episcopatu, si Symoniacè electus est? Et an, qui ordinatus est per Symoniam, gaudeat privilegio fori? Ex p.4.tr.1. ex res.76. & 26. & in p.3. tr.1. ex res. 62. *Quæ nunc invenietur* in tom.9. tr.2. de Immunitate Ecclesiastica resol. 28. 146. & 145.

An Symoniaci, absque tamen errore in intellectu, nam isti essent Hæretici, gaudeant immunitate Ecclesiæ? Ex p.1. tr.1.ex res.31. *Quæ hic reperietur* in tom.9.tract.1. de Immunitate Ecclesiæ res.98.

An si quis recipiat beneficium per Symoniam, teneatur dicere Horas Canonicas? Et an omnes pensiones possint vendi pro tribito absque licentia Summi Pontificis? Ex p.4. tract.4.ex res.146. & ex p.10. tr.16. ex resol.94. *Quæ nunc invenientur* in tom.3.tract.6.de Horis Canonicis res.10. & 138.

An ludere Orationem Angelicam, Psalmos, &c. sit peccatum mortale, & Symonia? Ex p.7. tr.9. ex res.41. *Quæ hic est* in tom.6.tr.4.de Ludo res.4.

An absque Symonia Sacræ reliquiæ distrahi pecuniis possint? Et an liceat exponere Sacras Reliquias videndas, vel tangendas, ut magis eleemosyna crescat? Ex part. 10. tr.16.ex res.73. *Quæ hic reperietur* in tom.4.tract.7.de Eleemosyna res.66.

An in omnibus criminibus, quibus à iure annexa est infamia, ut Symonia, &c. incurratur irregularitas? Et an Symonia in Ordine, & beneficio, si occulta sit, inducat irregularitatem? Ex part.2. tract.17. ex resol.21. & in part.4. tract.2. ex resol.93. *Quæ hic sunt* supra in hoc ipsomet tom. 5. tract. 5. de Irregularitate resolut.38. & 39.

An puella Monasterio nupturiens animo Monachandi, sed paupertate oppressa dotem promissam solvere non possit, non sit compellenda, eo quia dotem in conditionem necessariam ponere non debemus propter Symoniam? Et an Abbatissa licite possit pacisci de certa summa pecuniæ, donec Monasterio dos Monialis solvatur, & hoc etiam si Monasterium sit opulentum? Ex p.3. tr.2. ex resolut.100. & 97. *Quæ nunc invenientur* in tom.7.tr.1.de Regularibus res.326.& 327.

An Examinatores Synodales possint ex consuetudine aliquod stipendium intuitu sui Officij accipere absque Symonia tam dantis, quam accipientis? Et an Episcopus possit dispensare in inhabilitate contracta propter Symoniam occultam? Et an Episcopus, si fuerit complex Symonia, possit etiam secum dispensare? Ex p.11. tr. ex resol.33.& in p.7.tract.2.ex res.36. *Quæ hic sunt* tom.3.tr.3.de Potestate Episcopi res.96.& 60.

An Commissarius Bullæ Cruciatæ possit dispensare in irregularitate contracta per Symoniam? Et notatur Symoniam notoriam in Ordine inducere irregularitatem, & part.1. tr.11. ex res.113. *Quæ hic reperietur* in tom. tr.3.de Bulla Cruciatæ res.137.

An Superiores Regularium possint absolvere subditos excommunicatione incursa ob Symoniam contractam in ordine, vel beneficio? Et quid de privatis Confessariis Regularium circa Clericum sæcularem Symoniacum in Ordine, vel beneficio venientem ad se professione facienda? Et quid de Confessariis Societatis Jesu? Ex p.10.tr.15.ex res.8. *Quæ hic est* in tom.7.tract.1. de Regularibus res.298.

An Pontifex possit errare in approbatione, an aliquis alius sit Symoniacus, vel non? Ex part.11. tract. addit. ex resolutione 26. *Quæ hic est* in tom.9. tract.5. solut. etiam 26.

TRACTATVS VIII.

De Hæresi, & eius Absolutione; atque de aliquibus aliis delictis pertinentibus ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis. pag.351.

1. *AN dubius in fide sit Hæreticus?* Ex p.2. tract.16. & Misc.2. res.51. alias 53. ibid.
2. *An qui asserit de rebus Fidei se dubitasse, puniendus sit tanquam Hæreticus?* Ex p.11. tr.8. & Misc.8. res. 47. p.352.
3. *An qui dixit hæresim externam, sed postea dubitavit, an dum illam protulit, ita mente senserit, vel illam affirmavit causa ioci, quæritur, an talis hæresis sit reservata? Et an, si propter dubium illud inferior absolvit ab hæresi, v. g. vel ab alio peccato reservato, & postea pœnitens, re melius examinata, deponat dubium, & recordetur certo peccati commissi, quod erat reservatum, censeatur iam legitimè absolutus, an verò debeat recurrere ad Superiorem pro absolutione? Et an Hæreticus externus sit ille, qui in somnis, aut ebrietate pronuntiat hæresim externam? Et alius curiosus casus proponitur circa hæresim in principio §. penult. huius Resolutionis.* Ex p.11. tr.7. & Misc.7.res.19. ibid.
4. *An Hæreticus externus per accidens occultissimus incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ?* Ex p.6.tr.4. & Misc.1. resolut. 51. Sed hic tantum primum dubium huius Resol. transcribitur. p.353
5. *An in aliquo casu quis non incidat in excommunicationem, etiamsi proferat exterius hæresim externam? Et an Hæreticus purè mentalis incurrat in excommunicationem? Et an Hæreticus purè externus, qui mentem non retinet, quin fidem, non incurrat in censuram, ita ut possit à quilibet Confessario absolvi in foro conscientiæ?* Ex p.4. tr.4. & Misc. res.240. p.354.
6. *An Hæreticus ignorans excommunicationem in illam incidat?* Ex part.5. tract. 13. & Miscel.1. resolut. 18. pag.355.
7. *An sit Hæreticus externus, qui simulat dormire, & profert aliquam hæresim, quam verè tenet, si audientes falsò persuadent verè eum dormire?* Ex p.5.tr.13. & Misc.1. res.17. ibid.

8. *An in hæresi detur parvitas materiæ?* Ex p.5.t.5. ref.28. ibid.
9. *An in Sortilegiis, & magis detur parvitas materiæ? Et an possit fieri, ut aliqui actus Magici excusentur à peccato mortali ratione ignorantiæ?* Ex part.5.tract.ref.29. pag.356
10. *An laicus doctus possit disputare cum Hæretico? Et explanatur, quid in* cap.Inhibemus,*significent illa verba* Inhibemus, ne cuique laicæ personæ, &c. *Et an Religiosi laici, seu Conversi, Donati, & Sanctimoniales contrebeneficiantur sub dictis verbis?* Ex p.5. tract.13.& Misc.1.ref.22. ibid.
11. *An si quis dicat,* Potta Di, Di; Renego Di, Di; Alcopelto Di. Di. *omissa litera O, sit censendus blasphemus hæreticalis? Et an iurans per membra honesta Christi non sit blasphemus, & secus si per inhonesta? Et an qui eodem impetu, & actu plures blasphemias contra unum Sanctum profert, committat tot peccata, quot sunt blasphemiæ? Et quid, si blasphemiæ diversi generis sint, & non sint una, & eadem sæpius repetita?* Ex p.6. tr.8. & Misc.3. ref.38.ibid.
12. *An in blasphemijs contra Deum, & Sanctos detur parvitas materiæ? Et notatur, quod convitium in Sanctos, non ut Sancti sint, sed ex alio capite, potest esse peccatum veniale ex parvitate materiæ? ut si qui per iocum dicerent Sanctum Crispinum, & Crispinianum fuisse sutores; & Sanctum Ioannem, & Paulum fuisse Eunuchos? Et quid, si per hyperbolem fœminam vocat Deam?* Ex p.5. tr.5.ref.3.p.357
13. *An qui vocat Amasiam Deam, vel Idolum suum, sit blasphemus?* Ex part. 5. tract.13. & Miscel. 1. resolutione 20. ibid.

De Absolutione ab hæresi, & aliis delictis pertinentibus ad S. Inquisitionem.

14. AN Episcopus possit committere absolutionem ab hæresi, saltem in casu particulari, & speciali? Ex p.3. tr.6.& Misc.2. ref.92.ibid.
15. *An Episcopi possint absolvere ab hæresi occulta vigore Concilij Tridentini? Et an si hæresis nota sit quinque, vel sex; vel si Hæreticus quinque, vel sex complices habeat, adhuc dicatur occulta; & in magna Civitate non sit publica, si nota fuerit septem vel octo personis? Et an dictam absolutionem possit Episcopus impertiri extra Sacramentum Confessionis, & in absentia, & hoc etiam, si talis subditus, & Episcopus sit extra Diœcesim? Et an possit Episcopus committere hanc absolutionem alicui Confessario specialiter ad eum hæresis casum deputato?* Ex p.1. tr.5.ref.2.p.358
16. *An Episcopi hodie possint absolvere ab hæresi occulta? Et an quando scitur à decem personis dicatur delictum occultum? Et an Episcopi nullo modo possint in tali casu hanc absolutionem ab hæresi committere alteri personæ? Et notatur potestatem dispensandi in irregularitate ab hæresi occulta proveniente ademptam esse ab Episcopis per Bullam Cœnæ?* Ex part.4. tract. 4. & Misc. resolutione 239. ibid.
17. *An saltem per Bullam Cœnæ sit Episcopis revocata facultas absolvendi ab hæresi, & aliis casibus in ea contentis? Et an Episcopus sequens sententiam, & opinionem nolens absolvere Hæreticum occultum, quid est faciendum?* Ex p.7. tr.2.ref.23. p.360
18. *An Hæreticus occultus possit absolvi in absentia ab Episcopo, si ipsum adire non possit?* Ex p.5. tract.13. & Misc.1.ref.43.p.361
19. *An Inquisitores habeant facultatem absolvendi ab hæresi non solum in foro externo, sed in foro conscientiæ? Et an hæc facultas absolvendi ab hæresi competat cuilibet Inquisitori, & non toti Consistorio? & an quilibet Inquisitor possit eamdem facultatem cuilibet Confessario delegare? Et an in Inquisitore ad hanc in foro conscientiæ absolutionem, & delegationem impertiendam non requiratur Ordo? Et quid est faciendum, si Inquisitores in casu facultatem, ut ab ipso Confessario absolvatur nollent impertiri, neque Episcopus?* Ex p.1.tr.5.ref.3. ibid.
20. *An Inquisitores possint absolvere Hæreticum occultum in foro conscientiæ?* Ex part.4. tract.8. resolutione 35. ibid.
21. *Quid facere debeat Hæreticus occultus, qui absolutionem ab Episcopo, vel Inquisitore obtinere non potuit?* Ex p.1.tr.5.ref.4.p.362
22. *An legitimè impeditus adire Pontificem, possit ab hæresi occulta absolvi ab inferiori Sacerdote?* Ex p.4. tr.4. & Misc.ref.242. ibid.
23. *An qui laborat impedimento perpetuo, ita ut non possit adire Pontificem, possit absolvi ab hæresi; vel in dicto casu extra articulum mortis, an ad Inquisitores, vel ad Pontificem per procuratorem tacito nomine, recurrendum sit?* Ex part.8. tract.7. & Misc. resol.15. ibid.
24. *An qui non possit adire Papam ex perpetuo impedimento possit ab hæresi absolvi, etiam si nondum sit in articulo mortis?* Ex part.11.tract.8.& Miscel.8. resolut.2. pag.363
25. *An qui vi, & metu; vel fraude, & dolo, aut alio quocumque casu inter Infideles exterius Fidem negans, corde tamen illam retinens possit postea inter Christianos rediens absolvi à quocumque Confessario approbato; & quid de blasphemantibus hæreticaliter inter Christianos? Et quid est dicendum de illusoribus Imaginibus Sanctorum, & comedentibus carnes tempore prohibito, &c.? Et an quando blasphemia est hæreticalis, absolutio Inquisitori reservetur?* Ex part.3.tract.4.resolut.142.aliàs 143. ibid.
26. *An quilibet Sacerdos, etiam Parocho præsente, possit in articulo mortis Hæreticum absolvere? Et quid, si in dicto casu Episcopus, vel Inquisitor præsens sit? Et an supradictus Hæreticus occultus absolutus in articulo mortis, si ab eo evadat, debeat se præsentare Summo Pontifici sub pœna reincidentiæ in eamdem censuram, vel sufficiat, ut ab Episcopo, vel Inquisitore denuo absolvatur?* Ex p.1. tr.5.r.5.p.364
27. *An Hæretico negativo iam destinato ad comburendum, sit absolutio impartienda, & Sacra Eucharistia conferenda? Et an in supradicto casu, si nullus esset Sacerdos præter ipsum iudicem Ecclesiasticum, teneatur excipere confessionem sacramentalem negativi, & illum absolvere, si prudenter senserit illum rite esse confessum, nec licitè possit id prohibere Sacerdotibus?* Ex part.5. tract.3. resolut.78.p.365
28. *An sit petenda facultas ab Inquisitoribus absolvendi illum qui damnatus est ad mortem, & iam est, ut vulgo dicitur, in Capella penes Dominos Societatis Alborum, & invenitur Hæreticus: Et quid, si in hoc casu esset Prælatus, & subditus in eadem domo, & hic autem habet crimina reservata; an non teneatur ille, nec Confessarius Prælatum adire, quamvis possit?* Ex p.5.tr.13.& Misc.1. ref.12.p.366.
29. *An Confessarius virtute alicuius Iubilæi, possit absolvere ab hæresi occulta? Et supponitur, quod in Ordine ad incurrendam excommunicationem in foro conscientiæ, opus est, ut Hæreticus habeat errorem in intellectu cum pertinacia, & eius incredulitas humano sensui subjaceat; ideo si aliquis exterius solum neget Fidem, non erit Hæreticus; nec si transiret ad aliam sectam; vel si Idolis externum cultum exhibeat; vel si dæmonem invocaret, verbo, cultu, vel alio aliquo opere; vel si magnetem, vel caput asini baptizaret; & incantationes, & maleficia efficeret; & similia horrenda perpetraret; si errorem in intellectu non habet, minime Hæreticus in foro conscientiæ censendus erit. Et tandem docetur, quod Hæreticus*

pure

pure mentalis non incurrit in excommunicationem, nisi verbo, vel aliquo signo, aut facto hæresim explicet. Ex part.1.tract.5.resol.1. ibid.

30. *An quando in Iubilæo conceditur facultas absolvendi à casibus Bullæ Cœnæ, excepta hæresi, adhuc sit absolvendus Hæreticus occultus pœnitens, & emendatus? Et an hodie Episcopi possint absolvere ab hæresi occulta? Et an Confessarius per Bullam Cruciatam, licet non possit absolvere ab hæresi occulta, possit tamen absolvere receptatores, fautores, & defensores Hæreticorum; & legentes, tenentes, & imprimentes eorum libros, & Schismaticos, Nigromantidas, &c.* Ex p.5.tr.12.ref.35.p.367

31. *An si in Iubilæo concedatur facultas absolvendi à contentis in Bulla Cœnæ, excepta hæresi; possit adhuc Confessarius Hæreticum occultum absolvere? Et ex doctrina huius quæstionis infertur, an Confessarius vi Bullæ Cruciatæ pluries possit absolvere pœnitentem à casibus Papæ reservatis, sed occultis? Et an hodie Episcopus possit absolvere ab hæresi occulta vigore Concilij Tridentini* sess.24.c.62. Ex p.8.tr.7.& Misc.ref.67.ibid.

32. *An Confessarium virtute Bullæ Cruciatæ possit absolvere à casibus contentis in Edicto Dominorum Inquisitorum, hæresi tamen excepta? Et an Confessor possit per Cruciatam absolvere tantum semel in vita, & semel in morte ab omnibus casibus contentis in primo canone Bullæ Cœnæ? At verò malefici, sortilegi, sollicitantes in confessione; blasphemantes hæreticaliter, & similes alij possint absolvi toties, quoties? Et quid de Episcopis in supra dictis casibus? Et an virtute Bullæ Cruciatæ possit Confessarius absolvere fœminam sollicitatam, quæ non denunciavit, si postea denunciet?* Ex part.1. tract.5.resolut.7.p.368.

33. *An Regulares virtute suorum privilegiorum possint absolvere sæculares à casibus contentis in Edicto Dominorum Inquisitorum, dummodo excommunicationes non proveniant ex hæresi formali, vel ex aliis Criminibus contentis in Bulla Cœnæ? Et an sit absolvendus Hæreticus, qui ducitur ad comburendum, & moritur negatiuus, si antea publicè veritatem non fatetur?* Ex part.1.tr.5. resolut.8.p.369

34. *An Prælati Regulares possint absolvere suos subditos ab hæresi occulta? Et an Provinciales subdelegare hanc facultatem in casibus particularibus possint. Et quid, circa supradictam primam difficultatem Sacra Cardinalium Congregatio sub die 17. Novembris 1628. declaraverit?* Ex part.1. tract.5. resolutione 6. ibid.

35. *An Prælati Regulares possint absolvere subditos ab hæresi occultâ?* Ex p.3.tr.2.ref.122.p.371

36. *An Superiores Regularium possint illos absolvere ab hæresi occulta? Et an Episcopi possint etiam ab hæresi occulta absolvere?* Ex part.6.tract.7.& Misc.2.ref.63. ibid.

37. *An Prælati Regulares possint subditos suos ab hæresi occulta absolvere? Et notatur Episcopos; & Inquisitores non posse ab hæresi occulta absolvere?* Ex p.8. tr.7. ref.50. pag.372

38. *An Regulares possint absolvere sæculares ab hæresi occulta? Et infertur Prælatos Regulares non posse ab hæresi suos subditos absolvere.* Ex part.6.tr.6.& Misc.1. ref.54.p.373

39. *An Regulares possint absolvere à casibus Bullæ Cœnæ, si sint occulti, etiam quoad hæresim? Et quid, si prædictæ censuræ deductæ sint ad forum contentiosum, & licet publicæ sint? Et in textu huius Ref. assignantur alij sex casus, in quibus Regulares virtute suorum privilegiorum minime possunt sæculares absolvere, nisi in articulo mortis?* Ex part.11. tract.2. & Misc.2. ref.18. ibid.

Appendix ad cæteras alias difficultates, quæ simul pertinent ad hunc *tract.8. de hæres, &c. huius quinti tomi.*

An Episcopus possit committere Confessario Monasterij ut Monialem absolvat ab hæresi externa? Et an Episcopus possit dispensare in irregularitate occulta hæresis? Et an in hoc ipso solum per se possit Episcopus dispensare? Ex part.4.tract.4. & resolut.89. & in p.5. tr.2. ex ref.25. & 12. *Quæ nunc inveniuntur in tom.3. tr.3.de Potestate Episcopi ref.16.33.& 14.*

An Capitulum Sede vacante possit absolvere ab hæresi? Et an saltem per Bullam Cœnæ sit revocata hæc facultas Capitulo Sede vacante? Et an Capitulum Sede vacante possit procedere contra Hæreticos? Et an Vicarius Capituli Sede vacante iure ordinario debeat assistere Inquisitoribus in causis Fidei? Ex part.8.tr.4.ex ref.8. & 37. *Quæ hic reperientur in tom.3. tr.5. de Capitulo Sede vacante ref.21. & 22.*

An Inquisitores possint punire Confessarium, qui tempore Iubilæi absolvit Hæreticos in foro conscientiæ. Ex p.4. tr.8. ex ref.109. *Quæ hic est infra in hoc ipsomet tom.5. tr.10. de Inquisitoribus ref.81.*

Quis potest dispensare in irregularitate incursa ex Apostasia, & hæresi? Et an irregularitas incursa propter hæresim occultam sit dispensabilis per facultatem concessam Commissario Bullæ Cruciatæ? Et an Hæreticus occultus incurrat irregularitatem? Et quanam parvitas materiæ excuset ab excommunicatione legendo libros hæreticos? Et an eos legentes possint absolvi per Bullam Cruciatæ? Et an dicta parvitas materiæ detur in retinentibus libros Hæreticorum? Et quid est sentiendum de libris magicis, & chiromanticis; an comprehendantur sub nomine Hæreticorum in dicta excommunicatione? Et an qui legit librum hæreticum, qui non tractat de Religione ex professo, neque continet multas hæreses, sed unam tantum, &c. possit per Bullam Cruciatæ absolvi? Et de aliis diversis casibus circa legentes libros Hæreticorum agitur; & docetur, an per Bullam Cruciatæ possint absolvi? Ex p.10. tr.11.ex ref.22. & in p.1.tr.11.ex 1.114.30.31.33.34. 32. & 35. *Quæ nunc inveniuntur in tom.4. tr.3.de Bulla Cruciatæ ref.132.138.42.43.44.45.46.& 48.*

An legentes libros Hæreticorum ignorantia affectata incurrant in excommunicationem Bullæ Cœnæ, quæ ferunt contra scienter legentes? Et an excommunicari possit esse testes in causa hæresis. Et an ad evitandum excommunicatum sufficiat tantum, ut si per publicam famam etiam damnatus de aliquo crimine, cui certum est esse annexam excommunicationem, ut v.g. de Hæreticis, Schismaticis, Apostatis, &c. vel necessarium sit, ut publicè, ac nominatim, atque expressè denunciatur excommunicatus? Et an licitum sit communicare cum Hæretico, quem lata est sententia eum Hæreticum declarans? Et an qui Hæreticos notorios, sed nondum denunciatos in his sacro sepeliunt incurrant in excommunicationem? Et an hoc extendatur ad Hæreticorum fautores, & defensores? Et an locus sacer sepultura Hæretici nondum denunciati violetur? Et an peccent, qui cum Hæreticis quibuscumque nondum denunciatis simul orant, vel conficiunt sacram, aut Missam audiunt? Et an liceat communicare cum Patre, filio, &c. excommunicato ob crimen hæresis, si instet periculum infectionis? Et an excommunicatus pro hæresi, validè possit condere testamentum. Ex p.3. tract. 6. ex resol.7. & in p.5. tract.9. ex resolut.113. & 62. & in tract. 14. ex resol. 97. & in p.9. ex resol.98. & 120. & in p.9. tr.8. ex resolut.1. & in p.11. tr.4.ex ref.20. *Quæ hic sunt supra in hoc ipsomet tom.5. tr.1. de Excommunicatione ref. 36. 112. 143. 144. 71. 157.72. & 119.*

An baptizaris ab Hæreticis liceat illos iterum sub conditione baptizare: Et an licitè baptizentur filij Hæreticorum, si sub cura parentum probabiliter timetur periculum perversionis: Et an prædicti filij Hæreticorum valide possint baptizari, invitis Parentibus; Et an Hæretici possit in Patrinum Baptismi admitti, cum Catholicus commodè reperiri non possit: Et an Catholici possint esse Patrini in Baptismo Hæreticorum, baptizante eos Ministro hæretico in forma Sanct. Trinitatis: Ex part. 9. tract. 6. ex resolut. 34. alias 35. & in part. 3. tract. 4. ex resolut. 7. & in part. 7. tract. 7. ex resolut 68. alias 67. & in part. 9. tract. 7. ex res 51 & in p. 3. tract 4. ex res. 18. *Quæ nunc inuenientur* in tom. 1. tr. 1. de Baptismo ref 81. 85. 88. 94 & 97.

An licita fractio Sigilli Confessionis, quando casus est talis, quod pœnitens tenetur consentire, v. g. si pœnitens confitetur quod in quadam domo sunt conventicula Hæreticorum: Et si non consentiat pœnitens; quid in tali casu debeat facere Confessarius; Ex part. 5. tract. 11. ex res 13. *Quæ hic reperientur* in tom. 1. tract. 8. de Sigillo Confessionis ref. 26.

An Hæretici obligentur præcepto confitendi singulis annis; Et an Hæretici teneantur præcepto communicandi singulis annis, contento in cap omnis utriusque sexus de pœnitent. & remiss Ex part. 8. tract. 7 ex resolut. 8. & in part. 10 tract. 16. ex resolut 34. alias 32. *Quæ hic sunt* in tom. 2. tract. 2. de Communione ref. 3. & 4.

An Episcopus hæreticus, & schismaticus validè conferat Ordines; Ex part. 8. tract. 2. ex ref 1. & 2. *Quæ nunc inuenientur* in tom. 2. tr. 5. de Sacramento Ordinis ref. 23. & 24.

An si maritus post contractum matrimonium, & consummatum incidit in hæresim, possit vxor non habitare cum marito; Et quid, quando cohabitatio esset innocenti periculosa; Et an qui ficte profert hæresim incurrat pœnas, & censuras Hæretici; Ex part. 10. tr. 11. ex ref. 28. & in p. 9. tr. 7. ex ref 26. *Quæ hic reperientur* in tom. 2. tr. 6. ref. 14. & 169.

An sit Hæreticus externus, qui signa dat hæresis in quantitate tam leui, vt non sit ex se peccatum mortale; Ex part. 5. tr. 5. ex resolutione 32. 5. Dicendum. *Quæ hic est* in tom. 4. tr. 6. de Ieiunio resolut. 81.

An semper præceptum de confitenda Fide obliget ad respondendum Infideli interroganti, an aliquis sit Christianus; Ex part. 3. tractatu. 5. ex resolutione 49. & 62. *Quæ nunc invenietur* in tom. 7. tractatu 5. de Scandalo resolutione 69. & in ultima *Quæ invenietur* in tom. 8. tract. 4. resolut 66.

An blasphemus consuetudinarius, & admonitus sæpius in diuersis confessionibus sit statim absoluendus? Et an teneatur acceptare aliquam pœnam, si postea forte blasphemet? Et an Hæreticus, & Schismaticus habeant potestatem absoluendi in articulo mortis? Et quæritur, quid teneatur facere ille, qui tenetur confiteri tempore Paschatis, vel facere Sacrum, aut sumere Eucharistiam ratione scandali, & tamen est innocuatus excommunicatione propter hæresim? Ex part. 6. tract. 6. resol. 30. & in tract. 7. ex resolut. 49. & in part. 5. tract. 3. ex resolut. 58. & in tract. 13. ex resolut. 10. *Quæ tres prima Resinuenientur* in tom. 1. tract. 4. de Absolutione Sacramentali resolut. 26. 27. & 40. *Vltima reperietur* in præcitato tom. 1. tract. 5. de Absolut. à Reservatis ref. 35.

An blasphemantes Deum, & B. Virginem gaudeant Immunitate Ecclesiæ? Et quid de Apostata à Religione, deque eo, qui vehementer suspectus est de hæresi? Et an Hæreticus non solum ob hæresim, verum etiam ob alia delicta distincta ab hæresi gaudeat Immunitate Ecclesiæ? Ultimo est dicendum de Schismaticis, Apostaticis, fautoribus Hæreticorum, Iudæis, Paganis, & quibuslibet Infidelibus. Ex part. 4. tr. 1 ex res. 51. & 8. & ex part. 1. tract. 1. ex res. 23. 38. & 29. & in p tract 1. ex. res. 24. & 2. & in p 1. tract. 1 ex res. 21. & in part. 4. tract. 1. ex resol. 50. *Quæ hic sunt* in tom. 9 tract. 1. de Immunitate Ecclesiæ resolut. 29. 97. 39. 40. 41. 42. 45. 43. & 44.

An quando quis confitetur commisisse ergà Deum blasphemias addendo paulo plus, minusve, si recordetur se aliis quinque vicibus blasphemasse, teneatur denuo confiteri? Ex p. 4. tr 4. ex ref. 204. *Quæ nunc inuenietur* in tom. 1. tr. 3. de Pœnitentia ref. 190.

An de blasphemantibus hæreticaliter debeant cognoscere Inquisitores cumulative cum iudice Ecclesiastico, & laico, ita vt possit dari locus præventioni? Et an suprædicti tantum sint suspecti de hæresi leuiter; & ideo de leui debent abiurare? Et quænam sint blasphemiæ hæreticales, & quæ non? Et qua pertinacia sufficiat ad cognoscendum hominem hæreticum non solum in foro interno, sed etiam externo? Et an ignorantia crassa, excuset ab hæresi? Et quid de supina? Et an sit censendus Hæreticus pertinax vir simplex admonitus ab Inquisitoribus, & Episcopo, si adhuc in suo errore persistit? Ex part. 4. tract. 7. ex resolut. 8 & 36. *Quæ hic sunt infra in hoc* tom. 5. tract. 12. de Pœnis Sanct. Inquisitionis resolut. etiam 8. & 36.

An omnes blasphemiæ sint eiusdem speciei? & quid si blasphemiæ sint hæreticales, vel imprecativæ cum odio formali Dei? & an in Confessione sint explicandæ blasphemiæ hæreticales præ imprecativis? & de aliis diuersis blasphemiis agitur. Et an qui peccatum hæresis, aut superstitionis commisit, teneatur in confessione explicare qualitatem superstitionis, & hæresis? Et an diuinationes differant specie, & sint in confessione explicandæ? Et quid, si per expressum pactum cum dæmone quis diuinaret? Et an concubitus viri Christiani cum muliere hæretica sit circunstantia in confessione aperienda? Ex p 5 tract. 13. ex ref. 21. & in p. 1. tract. 7. ex res. 51. 50. 54. 46. & 66. & in p. 3. tract. 4. ex ref 137. alias 138. & in p. 9 tr. 9. ex ref. 3. *Quæ hic sunt* in tom. 1. tr. 7. de Circunstantiis ref. 32. 30. 31. 33. 34. 35. 126 & 128.

An filius natus ex Patre Catholico, qui postea in hæresim incidit, & in ea mortuus est, vel etiam si pœnituerit brachio seculari traditus est, an inquam, in his casibus filius incurrat irregularitatem? Et an Hæreticus occultus incurrat irregularitatem? Et an suspecti de hæresi sint irregulares? Et an ficte negans Fidem ab ea apostando, siue sponte, siue timore ductus incurrat irregularitatem? Et an Clericus, qui lapsus est in hæresim possit post pœnitentiam, & abiurationem exercere susceptos Ordines, dummodo obtineat dispensationem saltem ab Episcopo? Et Clerici conuersi ab hæresi possint ad superiores Ordines promoueri? Et an prohibitum sit inquisitori Generali Hispaniarum, vt non possit cum Sacerdotibus hæreticis pœnitentibus dispensare, vt Missam celebrent? Et an qui de hæresi suspectus cogitur ab Inquisitoribus abiurare de vehementi, incurrat irregularitatem? Et an Hæreticorum fautores, receptatores, defensores, &c. incurrant irregularitatem? Et an quis ob suspectionem hæresis, ex qua consurgat infamia, irregularis fiat? Ex p. 4. tr. 2. ex ref. 45. 49. 46. 48. 47. & 44. & in tract 4. ex ref. 38. *Quæ hic sunt supra in hoc ipsomet* tom. 5. tract. 5. de Irregularitate ref. 45. 48. 49. 50. 51. 52. & 53.

An si quis sciat aliquem commisisse delictum in Edicto DD. Inquisitorum contentum, sed non posset probare, teneatur in tali casu denunciare, & an dicta denunciatio facienda sit sine prauia correctione, maximè si crimen sit de hæresi? Et an Hæreticus emendatus sit denunciandus? Et quid, si sit dubius emendatione? Et an vxor, filius, & frater teneatur denunciare Patrem, maritum, aut fratrem hæreticum? Ex part. 1. tract. 4. à resolut 1. usque ad ref. 6. inclu-

sivè, & in part. 7. tract. 12. ex resolut. 21. & in tract. 3. ex ref. 63. & in part. 4. tract. 5. ex resolut. 24. & 23. *Quæ hic sunt infra in proximo* tract. sequenti de Denunciationibus ref. 1. 3. 6. 9. 10. 11. 2. 5. 4 & 7.

Nota quod in supradicto tract. proximo sequenti de Denunciationibus sunt alij diuersi casus circa denunciationes in S. Inquisitione faciendas, quos ibidem inuenies in ref. 8. 12. 15. 16. 32. 66. 68. 88. 92. 96. & 99.

Similiter aduerte, quod infra in hoc ipsomet tom. 5. tract. 10. de Potestate Inquisitorum; & tract. 11. de Tortura in S. Inquisitione inferenda; & tract. 12. de Pœnis delictorum pertinentium ad Tribunal. S. Inquisitionis, *hi tres tractatus pleni sunt quæstionibus pro Hæreticis, &c.*

An excommunicatus, qui in aliquam hæresim incidit, contritus, si non possit obtinere absolutionem, lucretur Indulgentias, & Iubilæum, si adimpleat alia opera iniuncta? Ex part. 5. tr. 12. ex ref. 13. *Quæ nunc inuenietur* in tom. 4. tr. 4. de Jubilæo ref. 50.

An si in aliquo Iubilæo Pontifex concederet absolutionem ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ, hæresim tamen non excludendo, videatur vtique illam concedere? Et pro negatiua sententia concluditur. Et asseritur à fortiori, impeditum adire Pontificem, & Episcopum non posse absolui ab hæresi à quocunque Sacerdote. Ex part. 12. tract. 2. ex resolut. 19. & 25. *Quæ hic reperientur* in tom. 9. tract. 7. de Cardinalibus resolut. 112. & 118.

An donatio Hæretici ante delictum sit valida? Idem dicendum est, si donatio non simpliciter fiat inter vivos, sed etiam causa mortis, & aliqua alia circa hoc explanantur. Ex part. 8. tract. 6. ex resolut. 111. *Quæ hic est* in tom. 6. tract. 7. de Donationibus resolut. 30.

An Prælati Regulares teneantur residere in suis Conuentibus tempore hæresis? Et an in solo casu hæresis possit Capitulum Sede vacante suspendere prædicationem Regularibus? Ex par. 9. tract. 7. ex resolut. 54. & in part. 7. tract. 12. ex resolut. 27. *Quæ nunc inuenientur* in tom. 7. tract. 1. de Regularibus ref. 17. & 63.

An seruus Infidelis, si conuertatur ad Fidem, acquirat libertatem? Et an serui Christianorum, qui in Tribunali S. Inquisitionis damnati sunt tanquam Hæretici, remaneant ipso facto liberi? Et quid si Dominus infidelis, vel hæreticus simul cum seruo conuertantur ad Fidem, an tunc non perdant Dominium serui? Ex part. 7. tract. 7. ex resolut. 41. & 17. *Quæ hic reperientur* in tom. 7. tract. 8. de Seruis resolut. 21. & 22.

An licitum sit indicere bellum Hæreticis propter solam hæresim, nisi ab Ecclesia, declarentur Hæretici? Ex part. 6. tract. 4. ex ref. 19. *Quæ hic est* in tom. 7. tr. 7. de Bello ref. 18.

Nota, vbi non erat necessaria nota, quod in tom. 9. tract. 13. de Principum Christianorum fœderibus cum Turcis, & Hæreticis, *omnes nouem eius Resolutiones pertinent etiam aliquo modo ad istum* tract. 8. de Hæreticis huius tom. 5. *ideo ibidem inuenies curiosas quæstiones, & quidquid ad titulum præcitati tractatus pertinet pro Hæreticis.*

An index laicus possit cognoscere in casu hæresis? si agatur de quæstione facili? Et an Iudices laici possint cognoscere de crimine Sortilegij, quando hæresim continet? Et an index laicus possit punire Apostatas? Ex part. 3. tract. 1. ex resolut. 2. & in part. 4. tract. 1. ex resolut. 58. & 12. *Quæ nunc inuenientur* in tom. 9. tract. 2. de Immunitate Ecclesiastica ref. 193. 194. & 195.

TRACTATUS IX.

De Denunciationibus faciendis ex Edicto DD. Inquisitorum; & signanter ex solicitatione facta in Confessione. p. 374.

1. AN si quis sciat aliquem commisisse delictum in Edicto contentum, sed hoc non possit probare, teneatur in tali casu denunciare? Et quid, si casus sit de hæresi formali? Ex p. 1. tr. 4. ref. 1. ibid.

2. *An peccata pertinentia ad Tribunal S. Officij sint denuncianda, etiamsi probari non possint. Et quid, si peccatum sit de hæresi?* Ex p. 7. tr. 12. & Misc. 3. resol. 21. alias 19. pag. 375.

3. *An dicta denunciatio facienda sit sine præuia correctione fraterna? Et quid, si peccatum sit de crimine hæresis, vel de muliere solicitata in confessione, vel contra communitatem? Et an si dubium sit, vtrum in tali casu correctio profutura sit necne, sit etiam præmittenda correctio, vel potius facienda sit denuntiatio?* Ex p. 1. tr. 4. ref. 2. p. 376.

4. *An si speretur correctio, pœnitens debeat denunciare Confessarium solicitantem in confessione? Et quid de Hæretico formali?* Ex p. 4. tr. 5. ref. 24. p. 377.

5. *An Hæretici sint denunciandi Inquisitoribus ante præuiam correctionem fraternam? Et solicitantes in confessione, vel prætextu confessionis, an sint denunciandi? Et quid de aliis criminibus contentis in Edicto DD. Inquisitorum?* Ex p. 7. tr. 3. ref. 63. p. 378.

6. *An criminosi iam emendati sint vigore Edicti denunciandi? Sed difficultas est de Hæretico formali, quia semper dubitari potest, an re vera sit emendatus? Et quid de Confessario solicitante in prædicto casu?* Ex p. 1. tr. 4. ref. 3. p. 381.

7. *An confessarius emendatus sit à pœnitente denunciandus? Et an Hæreticus emendatus sit denunciandus?* Ex p. 4. tr. 5. ref. 23. ibid.

8. *An dubius de emendatione alicuius rei in Edicto Inquisitorum positi, & præsertim Hæretici, teneatur illum denunciare? Et quid, si moraliter constet esse emendatum?* Ex p. 4. tr. 3. ref. 61. p. 382.

9. *An filius teneatur denunciare Patrem hæreticum? Idem est dicendum de vxore, marito, & fratre.* Ex p. 1. tr. 4. ref. 4. ibi.

10. *An vxor, & frater teneatur denunciare maritum, & fratrem hæreticum?* Ex p. 1. tr. 4. ref. 5. ibid.

11. *An vxor, filius, & frater teneantur denunciare maritum, Patrem, & fratrem perpetrantem crimen extra hæresim formalem?* Ex p. 1. tr. 4. ref. 6. ibid.

12. *An quis teneatur denunciare, si ex denunciatione timet damnum notabile cum probabili periculo mortis, infamiæ, aut grauis alicuius damni proprij, vel patris, aut matris, vxoris, fratrum, aut aliorum coniunctissimorum. Et an, si aliqua mulier solicitata à Confessario, vel Monialis, aut alia non potens adire Inquisitores absque infamia, satisfaciat per Epistolam missam ad Inquisitorem, &c.? Et an excusetur vxor non denuncians maritum hæreticum timens ab eo male tractari aut interfici. Et quid faciendum est, si Hæreticus abiurans apud Inquisitores, si iterum delatus, quod nonnullos complices in suo examine subtacuisset, si respondeat hoc fecisse, quia valdè timuit ab ipsis complicibus, quia potiores, & potentiores erant, &c.?* Ex part. 1. tract. 4. ref. 7. p. 383.

13. *An pœnitens solicitata teneatur denunciare Confessorem*

...m, si ex illa denunciatione timeat damnum notabile, v. ...si sequatur mors, membri abscissio, vulnera, notabilis ... vel honoris iactura, amissio maioris, vel magnæ partis bonorum, vel alia similia; aut hæc consanguineis, & ...bus usque ad quartum gradum probabiliter euentura timeantur: Ex p. 4. tr. 5. res. 19. ibid.

...a fœmina excusetur à denunciatione, si timeat grave ...damnum in bonis temporalibus amici maximi: Et quid si ipsa metuat graue damnum in fama, vita, aut bonis ...ralibus propriis, vel mariti, filiorum, aut fratris: Ex p. tr. 5. resol. 36. p. 384.

...Vtrum quis teneatur denunciare se ipsum: Et an crimi...s & complices delicti teneantur prodere se ipsos profi...r Hereticum dogmatizantem, & eos docentem hære... Et an in cæteris casibus criminosi ex Edicto inquisi... teneantur prodere se ipsos, vel possint absolui ...Cruciatam, vel per priuilegium Regularium. Ex. p. ...4. res. 8. ibid.

...dem dicti criminosi teneantur denunciare complices: ...quid in causa hæresis: Et an fœmina consentiens in so...one facta in confessione, teneatur Confessarium so...entem denunciare; Ex p. 1. tr. 4. res. 9. ibid.

...quando Edictum fundatur in præsumptione, & ego ...præsumptionem in tali casu deficere, teneatur ad de...nciandum? Ex part. 1. tract. 4. res. 10. ibid.

...fœmina Edicti ignara teneatur denunciare solicitan...em statim, vel intra eosdem dies, quos Edictum signa...at: Et an fœmina conscia Edicti, & non denuncians ...ra terminum, excommunicationem incurrat à qua absolui non possit per Bullam Cruciatæ, nisi facta sit denunciatio? Ex part. 4. tr. 5. res. 26. p. 385.

...an qui per impotentiam, vel ignorantiam Edicti non ...nunciauit intra terminum, teneatur postea denunciare? ...Et an in tali casu non sit obligatio denunciandi statim, ...id intra eosdem dies, quos Edictum signauerit? Et an ...ui non denunciat intra terminum præfixum in Edicto in...rrat nouam excommunicationem, vel tantum maneat in ...adem? Et an si in talibus Edictis iubeatur denunciare ...ntra sex primos dies, ex praxi constet inter eos non ...numerari diem primum? Ex p. 3. tr. 5. & Misc. 1. res. 36. alias, 95. ibid.

...an fœmina in decimo mense v. g. anni post Edictum ...publicatum teneatur denunciare Confessarium solicitan...em? Et an Edicta Episcoporum non durent per totum ...annum, sed per duos, vel tres menses, vnde si post hoc ...tempus transactum nouit quis aliquem esse concubina...rium, non teneatur illum denunciare? Ex part. 4. ...tract. 5. res. 27. p. 386.

...an fœmina in aliquo casu teneatur denunciare ante com...pletum terminum publicationis Edicti inquisitorum? Et ...ex doctrina huius quæstionis infertur, an quis teneatur ...præuenire tempus Confessionis, Eucharistiæ & auditionis ...Missæ, si timeat quod quando obligat Confessio, Commu...nio, vel Sacrum, non esset copia Confessarij &c. Et an su...pradicta fœmina, qua iam censurum incurrit denunciatio...nis præceptum adimpleat, possit virtute Bullæ Cruciatæ à quocumque Confessario absolui à censura, vel à Regulatibus virtute priuilegiorum? Ex part 4. tract. 5. res. 29. ibid.

...an supradictæ denunciationes faciendæ sint ante con...fessionem, ita vt non possit Confessarius aliquem ab...soluere, nisi prius denunciet; vel sufficiat vt promittat denunciare? Ex part. 1. tract. 4. resolut. 27. p. 387.

...an fœmina post incursam excommunicationem, quia non denunciauit Confessarium solicitantem, sit absoluenda virtute Cruciatæ; si promittat illico denunciare? Et notauit non esse absoluendum, qui excommunicatur, donec eiiciat concubinam, nisi prius sit expulsa, nec sufficit, quod promittat expellere. Ex part. 4. tract. 5. res. 35. ibid.

...an si Edictum non publicetur, teneatur adhuc fœmina Confessarium solicitantem denunciare sub pœna excommunicationis? Et an præceptum Inquisitorum circa denunciationem in Confessarios solicitantes sit perpetuum, & per consequens excommunicatio quoque perpetua; & alij quatuor casus circa supradictum Edictum annotantur? Ex p. 4. tr. 5. res. 41. ibid.

25. *An fœmina solicitata teneatur, sub mortali denunciare Confessarium? Et an quamuis per inquisitores Edictum denunciandi non publicetur, teneatur pœnitens solicitata denunciare post habitam sufficientem notitiam Decreti Gregorij XV?* Ex part. 4. tract. 5. resolut. 3. p. 388.

26. *An fœmina teneatur denunciare solicitationem commissam ante promulgationem Bullæ Gregorij XV. & aliorum Pontificum?* Ex part. 4. tract. 5. resolut. 40. pag. 389.

27. *Vtrum Confessarius contrauenies huic Constitutioni Gregorij XV. & aliorum Pontificum ex paruitate materiæ sit excusandus, vel denunciandus? Et docetur Confessarium faciem pœnitenti laudando de pulchritudine ad alliciendum eam, omissis verbis expressioribus incidere in pœnas Bullæ, & denunciandum esse.* Ex p. 1. tr. 4. res. 21. ibid.

28. *An Confessarius in solicitando propter paruitatem materiæ non sit denunciandus? Et infertur in peccato luxuriæ non dari paruitatem materiæ.* Ex p. 4. tr. 5. res. 5. ibid.

29. *An in solicitatione facta in confessione, & prohibita in Bullis Pontificiis detur paruitas materiæ?* Ex p. 5. tr. 5. res. 9. p. 390.

30. *An Confessarius sit denunciandus, si solicitauit ad actum tantum venialiter peccaminosum?* Ex p. 10. tr. 14. & Misc. 4. res. 46. alias 44. ibid..

31. *An fœmina solicitata, si non denuncianit, & tamen Confessarius ex aliarum delatione confessus, vel conuictus punitus fuit teneatur adhuc denunciare?* Ex parr. 4. tract. 5. res. 49. p. 391.

32. *An sint denunciandi Confessarij solicitantes, qui de tali delicto infamati non sint? Et an in crimine hæresis possit fieri inquisitio, licet contra reum nulla præcedat infamatio?* Ex p. 4. tr. 5. res. 1. ibid.

33. *An si Confessarius post solicitationem statim pœniteat, se solicitasse, sit denunciandus?* Ex p. 4. tr. 5. res. 22. p. 391.

34. *An quando Confessarius cum verbis vel signis dubiis, obscuris, ambiguis, nutibus, vel tactibus sollicitat teneatur pœnitens illum denunciare?* Ex p. 4. tr. 5. res. 25. ibid.

35. *An Confessarius, qui in confessionario, vel in alio loco sub pretextu confessionis, non tamen confessionis sequutæ, solicitauit fœminam, sit denunciandus? Et explanatur, quod lex pœnalis non est extendenda de casu ad casum, & in casibus reseruatis, vt pote pœnalibus strictam esse faciendam interpretationem; ideo concubitum cum fœmina in vase præpostero non esse casum reseruatum peccati nefandi, quia non propriè sodomia; & Clericum cognoscentem fœminam in vase non debito non incurrere pœnas Extrauag. Pij V.* Ex part. 1. tract 4. resolut. 13. ibid.

36. *An sit denunciandus Confessarius, qui sedens in Confessionario, & loquens cum pœnitente stante, vel sedente ante Confessionarium illam solicitat? Et an hoc procedat, si Confessor in subsellijs Ecclesiæ, in quibus etiam seculares sedere solent, non in Confessionario solicitet, tamen si aliquando in iisdem subselliis, & scamnis confessiones suscipiat?* Ex part. 4. tract. 5. res. 38. ibid.

37. *An Confessarius sedens in Confessionario, si solicitat mulierem stantem, vel sedentem ante confessionarium non simulando confessionem, sit denunciandus?* Ex p. 9. tr. 9. & Misc. 4. res. 33. p. 393.

38. *An si fœmina sine vllo ordine ad confessionem loquatur*

cum Confessario de negotiis in Confessionario, & interim ab ipso sollicitetur, an sit dictus Confessarius denunciandus? Ex p. 1. tr. 4. res. 18. ibid.

39. An si Confessarius, & pœnitens conueniant in simulatione Confessionis, vt ibi inhonestos sermones habeant, sint denunciandi, & incidant in pœnas Bullarum? Et quid, si bono animo pœnitens accedat alia negotia in confessione tractatura, Sacerdos verò, occasione arrepta, ad venerem inducat? Ex part. 4. tract. 5. resolut. 10. p. 394.

40. An Confessarius, qui ante, vel post confessionem fœminam solicitauit, sit denunciandus? Et quid, si post longum tempus eam solicitauit? Et an sit denunciandus Confessarius, qui pœnitentem litteris amatoriis, lenonibus, & internuntiis sollicitat, vel qui accedit post auditam confessionem ad domum mulieris, & ibi illam sollicitauerit; Ex p. 1. tr. 4. res. 14. ibid.

41. An sit denunciandus Confessarius prætextu confessionis agendæ vocatus, si postea in domo solicitet? Ex p. 4. tr. 5. res. 37. ibid.

42. An sit denunciandus Confessarius, qui dicente fœmina, se velle in crastinum confiteri, illam solicitat, & confessionem dissuadet? Ex p. 4. tr. 5. res. 6. p. 395.

43. An Confessarius solicitans fœminam ad confessionem accedentem, quia ipse eam prævenit, faciendo differre confessionem in aliud tempus, sit denunciandus? Et quid est dicendum, si mulier absque Confessarij suasu in ipsa iam confessione incepta à confitendi proposito desistat, dicatque Confessario amplius nolo confiteri, sed confabulari, & postea longa confabulatione interiecta sollicitatio sequatur? Ex p. 4. tr. 5. res. 46. ibid.

44. An sit denunciandus Confessarius, qui fœminam ad confessionem accedentem ante signum crucis solicitat illam, dilata in aliud tempus confessione? Et quid est sentiendum, si Confessarius sciens pœnitentem velle confiteri illam solicitet, quamuis confessio non sequatur? Ex p. 4. tr. 5. res. 39. ibid.

45. An sit denunciandus Confessarius, qui non absoluit fœminam ex aliqua iusta causa, si tamen illam solicitet? Et quid, si fœmina sub Crucis signo velit peccata detegere, & à Confessario interrumpatur ad turpia solicitante? Et quid sit dicendum, si filiam spiritualem, hoc est ex præcedentibus confessionibus notam, ad genua procumbentem ante signum Crucis, illam præoccupet Confessarius solicitans? Ex p. 4. tr. 5. 30. ibid.

46. An Confessarius audiens in confessione mulierem incidisse in aliqua peccata sensualia, insequens illam descendentem paulo post ab Ecclesia, & in itinere illam solicitans, incidat in pœnas, & sit denunciandus? Et quid, si ante discessum ab Ecclesia talis confessor fœminam solicitauerit? Ex p. 4. tr. 5. res. 7. p. 396

47. An sit denunciandus confessarius, qui tribuit pœnitenti cartham in confessione, postea tamen legendam, in qua ad venerem solicitabat? Ex part. 4. tract. 5. res. 2. ibid.

48. An pœnitens, qui ignoranter accusauit se in confessione habuisse animum peccandi cum ipso confessario, vnde ex hoc illam solicitauit, teneatur dictum Confessarium denunciare? Ex part. 4. tract. 5. resolut. 20 ibid

49. An Confessarius si in actu confessionis dicat pœnitenti Se io fosse secolare, vi prendere por moglie, sit denunciandus tanquam solicitator? Et an interpres confessionis, si solicitet pœnitentem, sit denunciandus? Et alia curiosa dubia notantur circa crimen solicitationis, & adducuntur diuersi casus in textu huius Resolutionis, sed iam ferè omnes in suis specialibus Resolutionibus magis latè, nunc sunt adscripti, & assignati in hoc ipsomet tractu. Ex part. 9 tract. 9. & Misc. 4. res. 32. ibid.

50. An si Confessarius det aliquod donum mulieri in confessione, dicatur illam solicitasse, ita vt sit denunciandus? Ex part 9. tract. 9. & Miscel. 4. resolut. 34. pag.

51. An mulier teneatur denunciare Confessarium illam solicitantem, si ante solicitationem ei præbuisset multa munera intuitu eleemosynæ absque malo fine? Et quid, si fingat ante impensa beneficia Confessario solicitanti per tempus solicitationi incumbendo maxima dona, beneficia impertiri fœminæ solicitatæ, an sit denunciandus talis, Confessarius? Et quid, si ipsi fœminæ nulla fuerit Confessarius solicitans impertitus beneficia, sed fœminæ filiis, marito, parentibus, vel fratribus. Ex part. 10. tract. 13. & Miscel. 3. resolut. pag. 398.

52. An Confessarius, si laudet pœnitentem ex pulchritudine, venustate, &c. dicatur illam solicitare, & sit ex hoc sit denunciandus? Ex part. 4. tract. 5. resol. ibid.

53. An sit denunciandus Confessarius, qui actus turpes cum pœnitente exercet, si graui somno, aut morbo confitendum oppressa fuerit? Et quid, si Confessarius qua arte, vel medicina induxit fœminam? Et quid dicendum, si somnus, aut morbus esset leuis, & non ligauerit sensus fœminæ, neque in totum impedirent illarum operationes; & ideo pœnit ens aliqualiter adhuc ret actus Confessarij, &c? Ex part. 10. tr. 14. & Misc. 4. res. 45. alias 43. p. 399.

54. An fœmina, si consentiat solicitationi, teneatur Confessarium denunciare? Et notatur, quod ex mente Vrbani VIII. præcipitur Ordinariis, vt omnibus confessoribus, tam Regularibus, quam secularibus approbandis, ad confessiones audiendas, in actu ipso approbationis legatur, & intimetur constitutio Greg. XV. &c. Ex p. 4. tr. 5. res. 31. p. 400.

55. An mulier solicitans confessarium sit ab ipso, vel ab aliis qui hoc sciunt, denunciandæ? Et docetur, quod in constitutiones, cum sint pœnales, non sunt extendendæ ad alium casum. Et ex doctrina supradictæ quæstionis etiam infertur, quod excommunicatio lata contra ingredientes Monasteria Monialium sub prætextu licentiarum, non extenditur contra ingredientes sine tali prætextu. Ex part. 1. tract. 4. res. 23. ibid.

56. An si confessarius à fœmina solicitatus consentiat ad actus turpes, & sermones inhonestos, sit ab aliis, qui hoc sciunt, denunciandus? Ex part. 1. tract. 4. res. 11 pag. 401.

57. An Confessarius consentiens solicitationi, sed statim desistens de turpi illa materia loqui, differendo illius complementum ad aliud tempus, & non prahendo pœnitenti absolutionem, incidat in Bullam Greg. XV. & sit denunciandus? Ex part. 4. tract. 5. resolut. 4 ibid.

58. An si Confessarius consentiat solicitationi, sit denunciandus vigore Bullæ Greg. XV? Ex part. 4. tr. 5. res. 41 ibid.

59. An si Confessarius consentiat in solicitatione meæ causa, sit denunciandus, & ab Inquisitoribus punienda? Ex p. 4. tr. 5. res. 15. p. 402.

60 An metus, & vis excusset Confessarium à pœnis contra solicitantes? Et an talis Confessarius, qui metu delicti, debeat abiurare? Et deducitur, quod qui metu incurrit pœnam extraordinariam non effugit. Ex part. 10. tract 14. & Miscel. 4. resol. 42. alias 40. ibid.

61. An si pœnitens solicitet ad fornicandum, & Confessarius renuat contentus tamen osculis, vel tactibus, &c. denunciandus? Et quid de aliis similibus, vt si fœmina prouocaret Confessarium ad sodomiam, ipse vero ad naturalem congressum incitaret, vel si fœmina ad naturalem congressum incitaret, vel si fœmina vocaret ad fornicandum, ipse autem ad mollitiem, vel è contra? Et an, si fœmina Confessarium solicitasset, postea verò dolore tacta pœniteat, vt absolutionem petat; Confessarius tamen solicitet illam, an in tali casu Confessarius sit denunciandus? Ex part. 4. tract. 5. res. 13. p. 403.

An quando Confessarius, & fœmina ad inuicem se solicitant, sit in tali casu Confessarius denunciandus? Ex p. 4. tr. 5. ref. 14. ibid.

An Confessarius incidat in Bullas Pontificias, si sollicitet fœminam in aliis Sacramentis, Baptismi, Matrimonij, &c.? Ex. p. 4. tr. 5. ref. 16. ibid.

An hoc crimen sufficienter probetur per testimonia duarum fœminarum? Et an ex vnius fœminæ quamtumuis honestæ delatione non sit Confessarius in carcerem detrudendus? Ex p. 1. tr. 4. ref. 28. p. 404.

An testimonium duarum fœminarum sufficiat ad carcerationem Confessarij solicitantis? Et an sufficiat ad condemnationem huius criminis duarum fœminarum testimonium? Ex p. 4. tr. 5. ref. 55. ibid.

An si aliquis sub sigillo naturali sciat ab aliquo mulierem fuisse solicitatam à tali Confessario, teneatur illum denunciare? Et quid in casu hæresis formalis? Ex p. 1. tr. 4. ref. 24. ibid.

An quis excusetur à denunciatione Confessarij, si hoc sciat sub sigillo secreti? Ex part. 4. tract. 5. resolut. 12. ibid.

An quando quis sub secreto naturali scit solicitationem in confessione, teneatur illam denunciare? Et quid, si secretum fuisset promissum sub iuramento? Et infertur, quod hæresis, & solicitatio in confessione est denunciandæ absque præuia correctione fraterna, & si tales emendati fuerint. Ex p. 9. tract. 8. Misc. 3. ref. 46. p. 405.

An quis teneatur denunciare Confessarium solicitantem si hoc sciat, & audiuit non solum à fide dignis, sed etiam à reubus personis? Ex p. 4. tr. 5. ref. 28. p. 406.

An Confessarius sit denunciandus, qui concubinam in confessione de Zelotypia arguit? Ex part. 4. tract. 5. ref. 43. p. 407.

An Confessarius solicitans fœminam non ad turpia, sed ad alia peccata sit denunciandus, v. g. ad Sortilegium, &c? Et quid, si Confessarius tanquam leno vrgeret fœminam in confessione, vt cum aliquo peccaret vel prostitueret sibi filiam, &c? Ex p. 1. tr. 4. ref. 20. ibid.

An incidat in prædictas Bullas qui solicitauit pœnitentem ad actus illicitos extra venerem? Ex p. 4. tract. 5. ref. 17. p. 408.

An Confessarius qui in confessione vrgeret pœnitentem de prostituenda sibi, vel aliis filia, consanguinea, amica, &c. sit denunciandus? Ex part. 1. tract. 4. resolut. 19. ibid.

An Confessarius sit denunciandus si solicitat pœnitentem ad lenocinium? Ex p. 4. tr. 5. ref. 12. ibid.

An si Confessarius in confessione petat à pœnitente domum suam, vt ibi adducat concubinam, sit denunciandus? Et an constitutio Greg. XV. intelligatur de actu, quo Confessarius fœminæ suadet, vt sibi det pecuniam ad largiendam meretrici? Ex p. 4. tr. 5. ref. 45. p. 409.

An mandans Confessario, vt solicitet pro se pœnitentem, sit denunciandus? Et ex doctrina huius quæstionis infertur quod non incurrit in excommunicationem latam contra aliquid facientem, si quis mandauit facere, vndè si excommunicatio feratur in eum, qui occidit vel furatur, non ligat mandantem furari, & occidere. Ex part. 1. tract. 6. resolut. 22. ibid.

An sit denunciandus mandans Confessario, vt in confessionem solicitet pœnitentem? Et alij quinque casus cursim super solicitationem adducuntur, sed iam omnes magis latè in suis specialibus resolutionibus in hoc tractatu appositi sunt. Etiamque quæritur, an sit denunciandus, qui tactibus, nutibus, vel signis fœminam prouocat, dum illa alteri confitetur? Et quid, si Confessarius solicitet pœnitentem ad alia peccata non inhonesta, vt ad furtum, homicidium, &c? Et infertur quod mandans, aut consulens non incurrit excommunicationem latam contra facientes. Ex part. 10. tract. 14. & Misc. 4. resolut. 44. ibid.

An Confessarius, qui solicitauit ad lesciuum in confessione, sit denunciandus? Et docetur, quod lex pœnalis non est extendenda, etiam si militet in alio casu eadem ratio, v. g. excommunicantur omnes qui cogunt mulieres ad ingrediendum Monasterium; ergo sub nomine mulierum non includuntur viri qui coguntur Religionem ingredi, &c. Ex p. 1. tr. 4. ref. 12. p. 410.

79. *An etiam sclusa Bulla Gregorij XV. Confessarij solicitantes masculos sint denunciandi?* Ex p. 4. tract. 5. ref. 33. ibid.

80. *An Confessarius, qui solicitavit puerum ante constitutionem Greg. XV. vel fœminam extra confessionem in confessionario, aut in loco quocumque, vbi confessiones sacramentales audiuntur, &c. sit denunciandus?* Ex p. 1. tr 4. ref. 25. p. 411.

81. *An Confessarius statim post confessionem ducens ad cellam puerum, vt Chirographum confessionis tradat, & illum solicitet, sit denunciandus? Et quid, si Confessarius fœminæ sibi confessæ pœnitentiam imponat, vt ab ipsomet Confessario nuda verberetur, vel si Confessarius suadet fœminæ, vt ipsi eo loco verenda ostendat, &c. Et notatur quod actus immediatus ad confessionem comprehendi debet in obligatione ad denunciandum Confessarium, quamuis confessio non sequatur, &c.* Ex part. 4. tract. 5. resolut. 11. ibid.

82. *An Confessarius dans pœnitentiam fœminæ, vt nuda à se verberaretur, vt postea accidit, sit Inquisitoribus denunciandus? Et quid, quando videlicet Confessarius suadet fœminæ, sibi actu confitenti, vt ipsi eo in loco vas naturale ostendat, quod ipsa in eadem confessione morbo affectum habere dixerat?* Ex part 4. tract. 5. resolut. 47. ibid.

83. *An interpres, si solicitet in confessione sit denunciandus? Et quid, si interpres sit etiam Sacerdos?* Ex p. 4. tract. 5. ref. 9. p. 412.

84. *An, si laicus, vel Clericus occultè ponat se in loco confessionibus deputato, & inter confessionem fœminæ illam ibi solicitet, sit denunciandus?* Ex part. 1. tract. 4. ref. 15. ibid.

85. *An dictus laicus, vel Clericus saltem, quia simulauit se Sacerdotem, si solicitauerit fœminam in confessione, non tamen illam absoluendo, sit Inquisitoribus denunciandus?* Ex p. 1. tr. 4. ref. 16. ibid.

86. *An sit denunciandus Sacerdos, qui non habens facultatem audiendi confessiones ab Ordinario solicitet fœminam in confessione, fingens se habere talem potestatem? Et quid, si mala fides Confessarij, & pœnitentis interueniat?* Ex p. 1. tr. 4. ref. 17. ibid.

87. *An Sacerdos non habens potestatem absoluendi, si in excipiendo aliorum confessiones illos solicitet, incurrat in pœnas solicitantium, & sit denunciandus? Et quid, si mala fides Confessarij, & pœnitentis interueniat, quia vnusquisque cognoscit confessionem inualidam iri ex defectu iurisdictionis, &c? Et an hoc non procedat, si Confessarius deprehendens fœminam verum propositum emendationis non habere, & ob id illam non absoluat, sed illam, hoc non obstante, solicitet? Et an Confessarius, qui ad libidinem mulierem prouocat, quæ ei confitetur, vt excommunicationem Ecclesiæ pro defectu annuæ Confessionis fugiat, comprehendatur in supra dictis Pontificum decretis?* Ex p. 4. tr. 5. ref. 8. p. 413.

88. *An Confessarij solicitantes in confessione sint suspecti vehementer de hæresi, & quo pacto debeant abiurare?* Ex p. 4. tr. 5. ref. 51. ibid.

89. *An quis teneatur denunciare Confessarium, qui propter solicitationem alterius confessus abiurauit:* Ex p. 1. tract. 4. ref. 26. p. 414.

90. *Confessarius, qui abiurauit propter solicitationes, si perseueret solicitando, sit denunciandus ob pœritam solicitationem?* Ex p. 4. tr. 5. ref. 21. ibid.

91. *An Confessarij solicitantes in Confessionario sine vllatamen occasione Confessionis debeant abiurare de leui? Et an verò idem dicendum sit de Confessario solicitante paulò post, vel paulò ante confessionem: Et quid quo ad alios casus, quando*

quando solicitatio sit in Confessionario; Ex part. 4. tr. 5. resol. 50. ibid.

92. *An Confessarius in confessionario tantum solicitans extra actum confessionis debeat abiurare; Et observatur, quod potest Tribunal S. Officii recognoscere Confessarios solicitantes, etiamsi non indicentur suspecti de hæresi, & potest tales punire Et an Inquisitores possint imponere Confessariis Regularibus solicitantibus, quod teneant ultimum locum inter Regulares sui Monasterii in Choro, & Refectorio, & in aliis locis, & aliquando mandare, vt sententia contra Confessarium Regularem lata publicè legatur in proximo Capitulo Generali suæ Religionis*: Ex p. 10. tr. 14. & Misc. 4. resol. 43. alias 41. p. 415.

93. *An Confessarius Regularis ex abiuratione propter solicitationem remaneat inhabilis ad Officia Religionis? Et an dictus non possit rehabilitari nisi per Pontificem, vel Illustrissimos Inquisitores Sacræ Congregationis*: Ex p. 4. tr. 5. resol. 48. ibid.

94. *An Ecclesiastici, qui interfant sententiæ contra Confessarios solicitantes, teneantur sub peccato mortali non manifestare delinquentem*: Ex p. 4. tr. 5. resol. 44. p. 416.

95. *An Episcopi possint cognoscere de hoc crimine, ita vt aliqui pene ipsos possit Confessarios solicitantes denunciare*: Ex p. 1. tr. 4. resol. 29. ibid.

96. *An Episcopi possint cognoscere de crimine solicitationis? Et an hoc etiam sepa ratim ab Inquisitoribus, vbi adest Inquisitio Hispaniæ? Et quid est dicendum in aliis Regnis, & Inquisitionibus? Et in Regnis, vbi non est Inquisitio Hispanica, si Confessarius solicitans, & fœmina solicitata eodem tempore ab Episcopo, & Inquisitore citentur, an coram Inquisitore comparere debeant, non autem coram Episcopo? Et quid, si Confessarius solicitans sit Regularis exemptus? Et docetur, quod Episcopi possunt separatim ab Inquisitoribus procedere in causis Fidei contra suspectos; imo contra Hæreticos, ideo iurisdictionem Inquisitorum non præiudicare iurisdictioni Episcoporum; cum censeatur concessa cumulativè, non autem privativè*. Ex p. 4. tr. 5. resol. 52. ibid.

97. *An Episcopi, vbi non est Inquisitio Hispaniæ possint separatim ab Inquisitoribus proferre sententiam contra Confessarios solicitantes, & è contra, etiam si sola abiuratio eis adiungatur? Sed quid dicendum erit de sententia absolutoria; an possit dari ab Episcopis sine Inquisitoribus*. Ex p. 4. tr. 5. resol. 53. p. 417.

98. *An Inquisitores possint animaduertere in solicitationem præteritam, si iam præiudicata fuerit ab Episcopo? Et an Confessarius solicitans, qui non iudicatur suspectus, non ideo ad suum Ordinarium sit remittendus, sed ab Inquisitoribus ratione culpæ puniri debeat?* Ex part. 4. tract. 5. resol. 54. p. 418.

99. *An qui legeret, & retineret Adonem Marini, esset S. Officio denunciandus? Et an absque facultate retinens, & legens librum hæreticum possit illum comburere, & minimè Inquisitori tradere?* Ex part. 10. tr. 12. & Misc. 2. resol. 49. alias 48. ibid.

Appendix ad alias paucas quæstiones, pertinentes simul ad hunc *tract. 9. de Denunciationibus &c. huius quinti Tomi.*

AN qui non declarat pœnitenti solicitatæ obligationem denunciandi, aut qui ei dicit ad talem denunciationem faciendam non teneri, ab Inquisitoribus pro qualitate culpæ debet puniri? Et an fœmina solicitata denunciationem omittens tanquam auctrix sit ab Inquisitoribus puniendа? Et an non reuelantes Hæreticos puniendi sint tanquam fautores? Ex p. 4. tr. 7. ex resol. 7. & 21. *Quæ hic sunt infra in hoc ipsomet* tom. 5. tr. 12. de Pœnis in S. Officio inferendis resol. etiam 7. & 21.

An testis teneatur denunciare delictum, quando scit nullum alium scire illud delictum, etiamsi interrogetur sub præcepto, & iuramento? Ex p. 3. tr. 5. ex resol. 101. alias 100. *Quæ nunc inuenietur* in tom. 6. tr. 1. de Legibus resol. 94.

An consanguinei vsque ad quartum gradum teneantur reuelare v. g. vigore Edictorum, si non sint alij, qui denunciare valeant? Ex p. 8 tr. 7. ex resol. 10. *Quæ hic est supra* in hoc tom. 5. tr. 1. de Excommunicatione resol. 162.

An sit denunciandа mulier, quæ semel maleficium fecit, aut superstitionem, nisi saperet hæresim? Ex p. 2. tr. 17. resol. 65. *Quæ hic reperietur* in tom. 1. tr. 5. de Reservatis resol. 61.

An Confessarius, qui statim post confessionem solicitatis pœnitentem, & rem habuit cum illa, teneatur hanc circumstantiam confiteri, & sit denunciandus? Ex p. 4. tr. 5. resol. 34. *Quæ nunc inuenietur* in tom 1. tr. 7. de Circumstantiis resol. 45.

An pœnitens teneatur denunciare Confessarium tanquam hæreticum asserentem pœnitenti, vt sibi reuelet complicem, alias eum non posse, nec velle absoluere? Et an sint suspecti de hæresi, & sint denunciandi dicentes confessos Religiosis ab Episcopo approbatis, iterum eadem peccata teneri confiteri Parocho? Et an Minister S. Inquisitionis, qui scit alium Ministrum donum accepisse, teneat id Inquisitoribus denunciare? Ex. p. 4. tr. 8. ex resol. 102. & 8. *Quæ hic sunt infra in proximo sequenti tractatu de Officio Inquisitorum resol. 79. 82. & 130.*

An Blasphemus sit denunciandus absque correctione fraterna Et quid, si Blasphemia est occulta, & non hæretica? Ex p. 7. tr. 3. ex resol. 60. *Quæ nunc inuenietur* in tom. 7. tr. 4. de Correctione fraterna resol. 74.

An Donatio Constantini facta D. Syluestro sit vera, & valida, & id negantes sint denunciandi Inquisitoribus? Ex p. 8. tr. 6. ex resol. 136. *Quæ hic reperietur* in tom. 6. tr. 7. de Donationibus resol. 147.

An quis teneatur denunciare S. Officio si sciat v. g. Tirium legere & retinere librum non ob hæresim, seu eius suspectionem prohibitum, sed ob aliam causam, vt sunt relationes Antonij Perez, & alij libri similes? Et aduertitur retinentes libros prohibitos contra bonos mores, & continentes ruralasciuas non esse denunciandos. Ex p. 11. tr. 8. ex resol. 61. *Quæ hic est* in tom. 3. tr. 3. de Episcopis resol. 84.

TRACTATUS X.

De Officio, & Potestate Dominorum Inquisitorum. p. 419.

1. *AN Iurisdictio DD. Inquisitorum sit delegata, vel ordinaria? Et an Iurisdictio Inquisitorum, etiamsi fuerit concessa cum clausula usque ad beneplacitum, non expiret, nec cesset morte concedentis*. Ex part. 4. tr. 8. resol. 1. ibid.

2. *An iurisdictio Inquisitorum expiret per mortem delegantis, si etiam vnam causam non inceperint ante illius mortem? Et quid de iurisdictione Vicarij, seu commissarij aut alterius delegati per mortem Inquisitoris?* Ex p. 4. tr. 8. resol. 19. ibid.

3. *An iurisdictio Inquisitorum concessa sit cumulativè, an privativè? Et notatur ex consuetudine in Hispania de iure reſi solos Inquisitores cognoscere; & vt Episcopi per se vel per Vicarium Inquisitoribus assistant; & vt non possint Episcopi separatim ab Inquisitoribus de causis haereticalibus cognoscere; & aliqua alia circa hoc explanantur. Etiamque notatur iurisdictionem Inquisitorum Hispaniæ in ordine ad eorum ministros esse etiam privativam*. p. 4. tract. 8. resol. 2. p. 420.

4. *An Inquisitores Hispaniarum possint exercere aliqua non solum quia ipsis competit ex iure, sed etiam propter consuetudinem*

...rem ? Ex part. 4. tract. 8. resolut. 3. ibid.
...Inquisitores subsint Legatis Summi Pontificis ? Ex ...4. tr. 8. res. 27. p. 421.
...Inquisitor Generalis possit ad libitum removere alios ...Inquisitores ab Officio, vel loco ad locum transferre ? Ex ...p. tr. 8. res. 34. ibid.
...Inquisitores debeant esse magis Theologi, quam iuris ...enti ? Ex p. 4. tr. 8. res. 52. ibid.
...Inquisitores eligendi debeant habere etatem quadra...nta annorum ? Et quid est dicendum de Inquisitoribus ...Hispania, an sufficiat, vt attingant ad annum trigesi...mum ? Et notatur Commissarios Inquisitorum sufficere ...annum trigesimum attingere ? Ex part. 4. tract. 8. re...solut. 54. ibid.
...Inquisitores possint procedere contra Papam in hae...reseos ? Vel an hac cognitio spectet ad Ge...nerale Concilium ? Ex part. 4. tract. 8. resolut. 58. ibid.
...Inquisitores possint procedere contra Nuntios, & ...ciales Sedis Apostolica ? Ex part. 4. tr. 8. resolut. ...p. 422.
...Inquisitores possint procedere contra Episcopos ? ...quid, si Episcopus est Titularis, vel electus, & ...confirmatus, licet nondum consecratus ? Ex p. 4. tract. ...resolut. 21. ibid.
...Inquisitores debeant procedere cum Generalibus Re...ligiosorum in causa hæresis, sicut procedunt cum Episco...pis ? Et an hodie interdictum sit Prælatis Regularibus ...cognoscere de causis hæreticalibus suorum subditorum; ...eosque punire ? Ex p. 4. tract. 8. res. 23. ibid.
...Inquisitor possit procedere contra alium Inquisi...torem de hæresi suspectum ? Et difficultas est, an Episcopus possit inquirere contra Inquisitorem de hæresi suspectum ? Ex p. 4. tr. 8. res. 25. ibid.
...Inquisitores possint punire illos, qui factis, aut verbis ipsos iniuriis fecerint ? Ex part. 4. tract. 8. res. 31. p. 423.
...Inquisitores possint procedere contra Magistra...tus eorum mandatis non obedientes ? Ex part. 4. tract. ...res. 65. ibid.
...Inquisitores possint cogere Dominos, & Magistra...tus, qui fecerunt aliqua statuta, & decreta impedientia eorum iurisdictionem, vt illa revocent ? Et an Inqui...sitores possint inuocare auxilium brachij secularis pro capiendis Hæreticis, & eorum credentibus, tutoribus, & c. ...omnibus aliis de hæresi damnatis, aut suspectis; & ideò ...Magistratus negligentes, aut contumaces fuerint in hoc auxilio præstando, possint Inquisitores eos excommunica...tione privare, & aliis pœnis coërceri ? Et an incarce...randi pro quibuscumque delictis etiam atrocissimis apud ...eandem secularem statim remittendus sit ad Tribunal S. ...Officij, quandocumque petatur, ob negotium Fidei à DD. ...Inquisitoribus ? Ex p. 4. tr. 8. res. 104. ibid.
...Inquisitores possint procedere contra iudices laicos, si ...confessus agant cum Hæreticis sibi relictis, & pœnam mortis per ignem non imponant ? Et aduertitur in tali casu ...eum inquisitores, quam quoscumque alios Ministros, & ...Consultores ab omni irregularitate immunes esse ex motu proprio Pauli IV. & Pij V. Ex p. 1. tr. 2. res. 135. ...casus 134. ibid.
...Inquisitores possint compellere iudices laicos nolen...tes exequi sententiam ab eis latam contra Hæreticum ? Ex p. 4. tr. 8. res. 26. p. 424.
...iudex laicus à suo legitimo Superiore, & non ab In...quisitoribus compellendus sit vt Hæreticum morti tradat ? Ex p. 4. tr. 1. res. 59. ibid.
...Inquisitores possint habere familiam armatam ? Et an Domini temporales impedientes supra dictos, & fa...miliam armatam Inquisitorum pro delatione armorum possint ab ipsis puniri tanquam turbatores Officij Inquisitionis ? Ex p. 4. tr. 8. res. 31. ibid.
...Inquisitorum iurisdictio in familiares suos in crimi-

nibus aliis diuersis ab hæresi sit secularis, vel Eccle-siastica ? Et an Domini Inquisitores possint tenere familiam armatam, sub cuius nomine comprehendantur Notarij, Aduocati Consultores, Fiscales, Birruarij, & Familiares omnes ? Ex p. 1. tr. 2. res. 136. alias. 135. p. 425.

22. *An Inquisitores Hispaniæ habeant iurisdictionem in causis criminalium, & ciuilium suorum Familiarium ? Et an non solum Familiares S. Officij gaudeant priuilegio fori, sed etiam eorum vxores, non solum viuente marito, sed etiam mortuo, donec viduitate permanserint ?* Ex p. 4. tr. 8 res. 55. ibid.

23. *An in Regnis Hispaniarum solum Inquisitores possint publicare Edicta Fidei, & non Episcopi ?* Ex p. 4. tr. 8. res. 126. ibid.

24. *An inquisitores sub pœna excommunicationis possint præcipere, vt Clerus, & populus eorum concionibus assistant. Et an præceptum Inquisitorum sub excommunicatione, vt omnes confluant in Templum ad audiendum Edictum Fidei, obliget sub mortali ?* Ex p. 4. tr. 8. res. 89. p. 426.

25. *An Inquisitores circa declarationem propositionum debeant vocare Qualificatores ? Et quid, si Inquisitores sint Theologi ?* Ex p. 4. tr. 8. res. 84. ibid.

26. *An Inquisitores possint punire tanquam Hæreticum, qui negat propositionem Theologicam, quæ euidenter infertur ex propositione de Fide ?* Ex part. 4. tract. 8. resolut. 79. ibid.

27. *An Inquisitores debeant verba dubia interpretare in sensu Catholico ? Et an hoc non solum procedat in dubio rei, sed etiam in dubia testium depositione ?* Ex part. 4. tract. 8. res. 83. pag. 427.

28. *An inquisitores possint cognoscere non solum de causa hæresis, sed etiam de omnibus connexis, & incidentibus ? Et quid de emergentibus, & dependentibus, quæ immediatè hæresim non tangerent ?* Ex part. 4. tract. 8. resolut. 70. ibid.

29. *An Inquisitores in causa hæresis ex leui suspicione possint formare inquisitionem, non præcedente diffamatione ?* Ex part. 4. tract. 8. res. 4. ibid.

30. *An suspicio leuis de hæresi sufficiat, vt Inquisitores possint specialiter contra aliquem inquirere, & interrogare ? Et docetur ob leuem suspicionem non esse aliquem denunciandum, sed ob vehementem. Et an, vt abiuratio, & condemnatio leuiter suspectis inferatur, debeat necessariò delictum, seu iudicium esse plenè probatum ? Et quinam verò dicantur suspecti leuiter, vehementer, vel violenter de hæresi ?* Ex part. 4 tract. 8. res. 39. p. 428.

31. *An inquisitores in causis Fidei possint procedere simpliciter, & de plano sine strepitu, & figura iudicij ? Et an in crimine hæresis tollantur solemnitates iuris Gentium, vel Diuini, &c ?* Ex part. 4. tract. 8. res. 48. ibid.

32. *An Inquisitores in aliquo casu non incurrant in excommunicationem latam* in Clement. 1. §. Verum de Hæreticis, *si non procedant contra Hæreticos ? Et an quando Inquisitores incidunt in s. pra dictam excommunicationem non possit absolui, excepto à Romano Pontifice, præter quam in articulo mortis ?* Ex part. 4. tract. 8. resolut. 37. ibid.

33. *An Inquisitores possint subdelegare causas hæresis ? Et an delegatus Inquisitores possit subdelegare ?* Ex part. 4. tract. 8. res. 18. p. 429.

34. *An inquisitores citando reum simul eodem tempore cum Episcopo, sint Episcopo præferendi ?* Ex part. 4. tract. 8. res. 47. ibid.

35. *An Inquisitores debeant citare absentem trina citatione ?* Ex part. 4. tr. 8. res. 80. ibid.

36. *An Inquisitores possint citare, & capere reum in alieno territorio sine literis subsidialibus Dominorum ? Et an idem dicendum sit quoad Dominos spirituales saltem in Hispanica Inquisitione, quales sunt Episcopi, & Inquisitores ?* Ex p. 4. tr. 8. resol. 7. ibid.

37. *An si plures Inquisitores in vna Prouincia eligantur, possint independenter quilibet ab altero procedere ? Et quid,*

si

si vni sit causa à Sede Apostolica delegata, & deputata, Ex p. 4. tract. 8. resol. 66. p. 430.

38. *An alter Inquisitor sine altero possit procedere ad capturam reorum, vel purgationem inducendam, aut ad publicationem testimoniorum, vel ad copiam actorum reo dandam;* Ex p. 4. tract. 8. resolut. 90. ibid.

39. *Quando, & quomodo Inquisitores debeant procedere ad carcerationem reorum; Et an vnius testimonium omni exceptione maioris sufficiat ad carcerandum reum; Et quid est faciendum, si accusatus esset Nobilis, ac bonæ opinionis, & famæ? Et an etiam in causa hæresis Sacerdos non sit carcerandus ex vnius testis delatione?* Ex part. 4. tr. 8. resl. 11. ibid.

40. *An Inquisitores in aliquo casu possint delegare examen testium?* Ex part. 4. tract. 8. resolut. 29. p. 431.

41. *Quos testes adhibere possint Inquisitores in causa hæresis, & quæ fides ab ipsis habenda sit testibus inhabilibus, vel singularibus: Et pro praxi supra dictæ quæstionis 12. casus apponuntur, & explanantur in textu huius resolutionis.* Ex. part. 4. tract. 8. resolut. 37. ibid.

42. *An Inquisitores præter Secretarium, quando recipiunt testes, teneantur adhibere duas Religiosas personas? Et an sub nomine Religiosorum intelligantur etiam Clerici: Et an etiam, data copia regularium, & clericorum, sufficiant laici graues, & prudentes: Et an Episcopi in recipiendis testibus contra Hæreticos teneantur adhibere dictas duas personas Religiosas?* Ex part. 4. tract. 8. resolut. 12. p. 432.

43. *An Inquisitores possint recipere testes ad perpetuam rei memoriam ad instantiam Fiscalis, vt postea faciant Fidem contra reum?* Ex part. 4. tr. 8. res. 115. p. 433.

44. *An Inquisitores possint examinare testes nominatos in denunciatione facta sine nomine denunciatoris, quia certum est quod absentes admittuntur in crimine hæresis, si proprio nomine, & iuramento denunciationem firment?* Ex part. 4. tract. 8. resolut. 41. ibid.

45. *An Inquisitores possint inimicos admittere in testes? Et an verò suspecti de inimicitia, vt amici, subditi, aut consanguinei capitalis inimici admittantur in testes:* Ex part. 4. tract. 8. resolut. 16. ibid.

46. *An Inquisitores possint, & debeant interrogare testes, an sint Iudæi, Sarraceni: &c.* Ex. part. 4. tract. 8. resolut. 114. p. 434.

47. *An si reus nihil testibus opposuerit, teneantur adhuc Inquisitores inquirere qualitates, & vitam testium?* Ex part. 4. tract. 8. resolut. 124. ibid.

48. *An Inquisitores debeant confrontare testes cum reo:* Ex part. 4. tract. 8. resolut. 63. ibid.

49. *An in ratificatione testium debeant Inquisitores ei præbere, si petat primam attestationem: Et an in ratificationem testium Procurator Fiscalis non possit esse præsens:* Ex part. 4. tract. 8. resolut. 17. p. 435.

50. *An Inquisitores possint admittere ad accusandum inimicum capitalem: Et an in accusatione hæresis non sint necessariæ solemnitates legis libellorum: Et an in accusatione porrecta contra Hæreticum per Procuratorem Fiscalem non debeatur apponi locum loci, & tempus præcisum commissi criminis, sed tantum mensem, & annum & oppidum, seu ciuitatem,* Ex p. 4. tract. 8. resol. 40. ibid.

51. *Quomodò examinandi sunt rei ab Inquisitoribus;* Ex part. 4. tr. 8. resol. 88 p. 436.

52. *An Inquisitores teneantur, antequam interrogent reos, manifestare infamiam, iudicia, vel semiplenam probationem esse contra ipsos, vt intelligant legitimè interrogari: Et supponitur reum non teneri respondere, & veritatem dicere antequam aliqualiter sibi constet, processus, acta, & iudicem iustè, & legitimè interrogare.* Ex part. 4. tr. 8. resolut. 130. ibid.

53. *An Inquisitores teneantur dare reo non solum Aduocatum, sed etiam Procuratorem: Et an Inquisitores possint censuris compellere Aduocatos, vt aliquius rei causa patrocinium suscipiant:* Ex part. 4. tr. 8. resolut. 9. ibid.

54. *An Inquisitores possint recusari, vt suspecti?* Ex tr. 8 res. 5. p. 437.

55. *An si rei petant Confessarium debeant Inquisitores illum concedere? Et an Confessarius poterit reum hæreticum reconciliatus, absolvere? Et in causa pendente, non admittendus Hæreticus ad audiendam Missam, nequ debetur concedi Confessarius nisi in periculo mortis fuerit conuersus?* Ex p. 4. tr. 8. res. 6. ibid.

56. *Quam celeriter debeant Inquisitores expedire causas reorum.* Ex p. 4. tr. 8. res. 72. ibid.

57. *De modis, quibus possunt Inquisitores terminare processum.* Ex p. 4. tr. 8. res. 77. p. 438.

58. *Quomodo Inquisitores se gerere debeant in sententiis ferendis. Et an in determinando qualitatem culpæ contra Fidem anteponenda sit opinio Theologorum opinioni Canonistarum; & in processando causam, & imponenda pœnam Canonistarum opinio præferatur? Et an inferenda sententia, si ex parte iuris sint diuersæ opiniones, Inquisitores teneantur sequi opinionem probabiliorem, & quando sunt æquè probabiles, illam sequi debent, aut magis fauet reo; & si datur æquale dubium, tunc absoluendus sit reus?* Ex p. 4. tr. 8 res. 106. ibid.

59. *An Inquisitores possint sine Episcopo proferre sententiam absolutoriam rei? Et an sit vsu receptum iuratam abiurationem, & purgationem sine Episcopo?* Ex p. 4. tr. 8. res. 50. ibid.

60. *An Inquisitores possint procedere ad decisionem causarum sine Vicario Capituli Sedis vacantis? Et an Capitulum Sede vacante sit iudex in causa hæresis? Et quis ordine ad exemptos?* Ex part. 4. tract. 8. resolut. 33. p. 439.

61. *An detur appellatio à sententia Inquisitorum lata contra Hæreticos, eorum credentes, fautores, defensores, & receptatores? Et an hæredes Hæretici possint appellare à sententia lata contra Hæreticum. Et an detur appellatio a sententia interlocutoria grauaminis illati ante definitionem, & pariter in appellatione à decreto torturæ* Ex p. 4. tr. 8. res. 20. ibid.

62. *An Inquisitores possint respuere appellationem, quam affert reus? Et quid de hæredibus Hæreticorum? Et an Hæreticus non per viam appellationis, sed per viam querelæ, & supplicationis possit adire Superiorem, vt sententiam, quam iniustam esse prætendit, reuocet, & annullet? Et an Hæreticus possit appellare à grauamine illato ante definitiuam sententiam, & sic ab interlocutoria, & decreto torturæ? Et an si grauamen sit illatum a Episcopo possint laici appellare ad Metropolitanum, non autem exempti?* Ex p. 4. tr. 8. res. 32. p. 440.

63. *An Inquisitores in causa appellationis debeant admittere opp sitiones testium?* Ex part. 4. tract. 8. resolut. 117. ibid.

64. *An Inquisitores debeant facere actum publicum in die festo?* Ex p. 4. tr. 8. res. 98. ibid.

65. *An Inquisitores possint permittere, vt iudices laici assistant tantum in causis Fidei?* Ex part. 4. tract. 8. resolut. 105. p. 441.

66. *An per illa verba textus* in cap. accusatus non intromittant, sed relinquant suis iudicibus puniendos, *possint Inquisitores relinquere reum simpliciter, & non remittere iudicibus, vt illum puniant?* Ex p. 4. tract. 8. resolut. 111. ibid.

67. *An Inquisitores possint relaxare aliquem brachio seculari, inconsulto Supremo Senatu Inquisitionis? Et an in Hispania sancitum sit, quod Inquisitores particulares nullum Religiosum, nullumve Nobilem, aut aliquem Insignem comprehendant, quin prius certiorent Inquisitorem Generalem, & eius Supremum Senatum?* Ex p. 4. tr. 8. res. 121. ibid.

68. *Quomodo se gerere debeant Inquisitores, ne irregularitatem incurrant, tradendo Hæreticos Curiæ secularis Executori, quod Paulus IV. & Pius V. statuerint, vt Inquisitores tatur, quod Paulus IV. & Pius V. statuerint, vt Inquisitores*

Consulat

Consultores, & alij Inquisitionis Ministri essent immunes ab irregularitate quacumque, & quomodocumque ad Hæreticorum condemnationem incurrant. Et an si aliquis Inquisitor incurrat irregularitatem, possit alter ex privilegio Vrbani III. absque alia dispensatione eum absolvere. Ex p.4. tr.8. ref. 51. ibid.

An Inquisitores possint se ad invicem super irregularitate dispensare? Et an hoc privilegium Commissariis Inquisitorum competat? Ex part.4.tract.2. resolut.102. p.442

An DD. Inquisitores possint remittere Familiares judicialiter, quando non gaudent privilegio fori absque metu irregularitatis? Et doctrina huius resolutionis est valdè notanda etiam pro Episcopis, & aliis Ministris Ecclesiasticis. Et observatur, quod ad incurrendam irregularitatem ob defectum lenitatis, opus est, ut causa sit proxima, nempè dictum, vel factum ex natura sua tendens ad mortem. Et explanatur, quod, qui detegit malefactorem, non comprehendatur, incurrit irregularitatem, si mors eius sequatur. Ex p.4.tr.2. ref.101.ibid.

An Inquisitores possint licitè promittere impunitatem reo, si verum fateatur? Ex part.4. tr.8. resolut.22. p.443

An Inquisitores per præsumptiones possint condemnare aliquem pro Hæretico? Ex p.4.tr.8.ref.36. ibid.

An Inquisitores ex indiciis, & præsumptionibus indubitatis possint punire reum pœna ordinaria? Ex p.4.tract.8. ref.116. p.444

An Inquisitores per tres, vel quatuor testes minus idoneos, possint punire reum pœna ordinaria, si simul adsint alia coniecturæ, circunstantiæ, vel adminicula? Et notatur, quod numerus testium supplet eorum defectus, etiam ad effectum, quod censeantur omni exceptione maiores. Et an depositio unius testis inhabilis sufficiat ad torturam? Et quid, si sint duo? Ex p.4. tr.8. ref.123. ibid.

An Inquisitores possint punire reum pœna ordinaria, si cum teste inhabili occurrat alius testis valdè dignus? Et an si testes singulares sint valdè digni viri, Nobiles, & egregiæ personæ, coniungantur, & faciant plenam probationem contra reum? Ex p.4. tr.8.ref.129. ibid.

An Inquisitores possint condemnare absolutum, iterum de eodem crimine superveniente probatione pleniori? Ex p.4.tr.8.resol.10. p.445

An Inquisitores possint procedere, & punire disputantes de Fide in casu de iure prohibito? Et an in dicta prohibitione cap.2. de Hæreticis in 6. non includatur Clericus quamvis indoctus, & quamvis peccet contra legem naturalem exponendo se periculo errandi, sed non autem incidat in excommunicationem latam in dicto capite? Quæ quidem excommunicatio etiam à laicis non incurritur ipso facto, sed per iudicem Ecclesiasticum est infligenda. Ex p.4. tract.8.ref.56.ibid.

An Inquisitores possint procedere contra blasphemantes hæreticaliter ex iracundia? Et an Inquisitores possint punire blasphemantes sub conditione, v.g. non credo in Deum, nisi te occidam? Ex p.4.tr.8.ref.87. ibid.

An Inquisitores possint punire tanquam Hæreticum Confessarium asserentem pœnitenti, ut sibi revelet complicem, alias eum non posse, nec velle absolvere? Et an in tali casu pœnitens teneatur denunciare talem Confessarium tanquam hæreticum in Tribunali S. Inquisitionis? Ex p.4. tract.8.ref.97. p.446

An Inquisitores possint punire Confessarios frangentes Sigillum confessionis? Et notatur Sacerdoti, qui Sigillum Confessionis frangit, nullam à iure imponi pœnam, quam de facto incurrat. Ex p.4. tr.8.ref.95. ibid.

An Inquisitores possint punire Confessarios, qui tempore Iubilæi absolvunt Hæreticos in foro Conscientiæ? Et dicitur non esse puniendum Confessarium absolventem aliquem cum opinione probabili. Ex p.4.tr.8.ref.109.ibid.

An Inquisitores possint punire dicentes confessos Relicti ab Episcopo approbatis, iterum eadem peccata teneri confiteri Parocho? Et an sic dicentes suspecti sint de hæresi, & sint denunciandi S. Officio? Ex p.4.tr.8. ref.102 p. 447

An Inquisitores possint admittere ad confessiones audiendas eos, qui abiuraverunt de vehementi, vel de levi? Et an regulares abiurantes de levi reddantur inhabiles ad gradus, & Dignitates Religionis? Et notatur, quod ex abiuratione etiam vehementi non incurritur irregularitas. Ex p.4.tr.8.ref.64. ibid.

An Inquisitores possint punire sumentes in Communione maiores, vel plures Hostias, seu particulas? Et an Eucharistia causet gratiam toto tempore, quo est in stomacho? Ex p.4.tr.8.ref.96. ibid.

An Inquisitores possint punire reum, qui fuit baptizatus invalide ex defectu formæ, materiæ, vel intentionis? Ex p.4. tr.8.ref.78.ibid.

An Inquisitores possint punire reum, quando dubitatur, an sit Baptizatus? Ex part.4.tr.8.ref.113.p.448

An Inquisitores possint procedere contra comedentes carnes in diebus prohibitis, vel non recipientes Sacramentum Eucharistiæ, & Pœnitentiæ semel in anno? Ex p.4. tr. 8. ref.38. ibid.

An Inquisitores sint iudices competentes super reconciliatos, qui Hispano sermone Sambenitados, vocantur, Ex p.4.tr.8.ref.69.ibid.

An Inquisitores possint punire aliquem, qui dederit consilium reo, in carcere etiam iustum, illis insciis, Ex p.4. tr.8. ref.67.ibid.

An Inquisitores possint animadvertere in frangentes Cedulones, in quibus declarantur excommunicati, & de aliis casibus ad S. Officium pertinentibus, qui sunt valde notati, Ex p.4.tr.8.ref.103.p.449

An Inquisitores possint animadvertere in Concionatorem prædicantem animas non detineri in Purgatorio ultra decem, aut viginti annos? Sed difficultas est, an opinio Soti, & aliorum circa hoc sit erronea, vel digna aliqua censura, Ex p.4.tr.8.ref.101.ibid.

An Inquisitores non solum in propositiones hæreticas, sed etiam in aliis inferioris notæ animadvertant? Et doctrina huius Resolutionis est valdè notanda, & menti tenenda. Et advertitur Episcopos ex Concilio contra pronunciantes propositiones erroneas, temerarias, &c. Procedere debere. Ex part. 4. tract.8. ref.94. ibid.

Quando Inquisitores debeant facere abiurare reos publicè, vel secretò? Et pro praxi huius quæstionis adducuntur diversi casus in textu huius Resolutionis. Et tandem explanatur, quod Hæreticus mentalis non indiget Inquisitorum absolutione. Ex p.4.tr.8.ref.81.p.450

An Inquisitores possint indicere purgationem, vel abiurationem propter infamiam? Et an sola infamia sufficiat ad inquirendum, & procedendum in crimine hæresis? Et an infamia ad indicendam purgationem in crimine hæresis probetur per testes inhabiles? Et an verò in causa hæresis infamia afficiat, quando ortum habuit ab æmulis, & vilibus hominibus, Ex part. 4. tract. 8. resolut. 82. p. 451

An detur casus, in quo Inquisitores possint torquere reum, & non imponere abiurationem de vehementi? Et an licet reus fuerit tortus, possit ei imponi abiuratio tantum de levi, Ex p.4.tr.8.ref.110.ibid.

An Inquisitores possint indicere abiurationem de vehementi, & punire tanquam credentes Hæreticorum illos, qui semel vel bis assistunt concionibus, vel conventiculis Hæreticorum? Ex part. 4. tract. 8. resolut. 93. ibid.

An Inquisitores possint compellere, ut abiurantes de levi, abiurent generaliter omnem hæresim? Ex p.4.tr.8.ref.68. ibid.

An Inquisitores possint punire tanquam relapsos, qui de vehementi abiurarunt, non autem fuerunt convicti per plenas probationes, si postea in secundo relapsu plene convicti sunt? Et aliqua alia circa hoc advertuntur. Ex p. 4. tr.8.ref.30.p.452

99. *An Christianus fingens se Infidelem, & petens iterum baptizari propter eleemosynam acquirendam debeat abiurare?* Ex p.6.tr.8.& Misc.3.ref.9.ibid.

100. *An si Inquisitor cogeret reum sine Episcopo ad abiurationem, talis sic abiurans maneret subiectus pœna relapsi? Et quid è contra? Et an liceat Inquisitoribus suspectum de hæresi vehementer cogere ad abiurationem sine Episcopo?* Ex p.4.tr.8.ref.49.ibid.

101. *An Bulla Sixti V. contra Astrologiam iudiciariam obliget, non solum in foro exteriori, sed etiam in foro conscientiæ? Et an contra supradictos possint Inquisitores procedere?* Ex part.2. tract.15. & Misc.1.resol.58. p.453

102. *Notabilia quædam circa Bullam Sixti V. contra Sortilegos in favorem DD. Inquisitorum.* Ex p.4. tr.8. ref. 107. ibid.

103. *An Inquisitores per Bullam Sixti V. contra Sortilegos cognoscant de Sortilegiis omnibus privative quo ad Episcopos?* Ex p.4.tr.8.ref.119. ibid.

104. *An in dubio sapiat ne Sortilegium hæresim manifeste, possint Inquisitores se intromittere?* Ex p.4. tract.8.ref. 112. ibid.

105. *An Inquisitores possint inquirere, & punire eum, qui in Sortilegiis immiscuit Sacramenta?* Ex p.4. tr.8. ref. 13. p.454

106. *An Inquisitores possint punire reum, qui in Sortilegiis miscuit Sacramentalia? Et quid, si admiscerentur verba sacra, ut Evangelium, Symbolum Fidei, Pater noster, Ave Maria, Psalmus aliquis Davidicus, seu alia verba sacræ Scripturæ; vel si miscerentur Reliquiæ Sanctorum, aut dissolverentur ad maleficia, &c.* Ex p.4. tract.8.ref. 14. ibid.

107. *An Inquisitores possint punire Sortilegos eos, qui præsentia vel præterita occulta revelant, ut furta, &c.* Ex p.4. tr.8. ref.15.ibid.

108. *An pertineat ad Inquisitores cognitio ensalmorum, & possint punire ensalmatores? Et deducitur delictum ensalmorum non esse mixti fori respectu Magistratus secularium.* Ex p.4.tr.8.ref.122.p.455

109. *An licitum sit in absentia infirmi vulnerati applicare eius sanguini medicamentum, ut asserunt, simpaticum? Et an supradicti sint denunciandi Sancto Officio? Et an Episcopi, & Inquisitores debeant videre, & attendere ad supradicta medicamenta, & è suis diœcesibus eliminare?* Ex p.11.tr.4.& Misc.4.ref.42. ibid.

110. *An soli Inquisitores possint in causis lamiarum procedere? Et an Inquisitores simul cum Episcopo in causis hæreticorum contra lamias, & striges debeant procedere?* Ex p.4.tr.8.ref.120.p.456

111. *An Inquisitores propter cædes infantium debeant tradere striges, & lamias iudicibus secularibus? Et an si lamiæ, & striges, vulgo dictæ* Brujas, *se sponte detulerint, etiam si à nostra Fide aberrassent, & ex animo apostatassent, admittantur ad reconciliationem, etiam bis, & ter, neque earum bona confiscantur, neque habitus pœnitentialis eis imponitur?* Ex p.4.tr.8.ref.118.p.457

112. *An Inquisitores possint punire Ægyptianas, vulgo dictas* Zingare, *quæ bonam, aut malam fortunam, ut ipsæ asserunt, divinant?* Ex part.4. tract. 8. resolut. 128. ibid.

113. *An Inquisitores habeant potestatem erga exemptos quoad corpora, Imagines, tabellas, &c. quæ in locis publicis seu privatis apponuntur? Et si Religiosi transgressores fuerint, an priventur voce activa, & passiva, &c.* Ex p.4.tr.8.ref.127. ibid.

114. *An Inquisitores possint examinare revelationes mulierc ularum, & aliorum?* Ex p.4.tr.8.ref.125.ibid.

115. *An Inquisitores possint prohibere, ne filij Hæreticorum exerceant officia publica? Et an supradicti filij Hæreticorum inhabiles sint ad beneficia Ecclesiastica recipienda, ita ut hac inhabilitas ipso iure incurratur, & collatio beneficij illis facta irrita sit? Idem dicendum est quoad pensiones.* Ex part. 4. tract.8. resolut.73. ibid.

116. *An Inquisitores possint punire supradictis pœnis filios natos ante hæresim parentum?* Ex p.4. tract. 8. ref. 74. p.458

117. *An Inquisitores possint punire supradictis pœnis filios Hæreticorum, qui licet traditi fuerint Curiæ secularis, pœnituit, & mortui sunt Catholici? Et an filij revelantes sponte hæresim Parentum non contrahant pœnas latas contra filios Hæreticorum, etiam si essent geniti post delictum Patris? Et quid est dicendum, quando illorum Parentes non fuerunt condemnati tanquam Hæretici, sed solum tanquam suspecti de hæresi?* Ex p.4.tr.8.ref.75.ibid.

118. *An Inquisitores possint privare filios Hæreticorum beneficiis obtentis ante illorum hæresim? Et an pœnæ supradictæ in superioribus Resolutionibus habeant locum etiam in filiis illegitimis, spuriis, vel adoptatis?* Ex p.4.tr.8.ref. 76.p.459

119. *An Inquisitores teneantur dare filiis Hæreticorum ex bonis confiscatis dotes, vel alia alimenta?* Ex p.4. tr.8. ref.45. ibid.

120. *An per Fiscum, & Inquisitores possint publicari bona Maioratus, & fideicommissi Hæreticorum? Et an durante vita possessoris commoditates fructuum pertineant ad Fiscum, vel ad sequentes vocatos? Et an veniat in confiscatione Maioratus, quando illius Institutor delinquit?* Ex p.4.tr.8.ref.60.ibid.

121. *An possint à Fisco, vel Inquisitoribus ob delictum hæresis publicari bona Castrensia filiorum, & quid de aliis bonis? Idem dicendum est de bonis profectitiis. Et notatur, quod si post hæresim filius acquirat bona adventitia, usus-fructus illorum non pertinebit ad Patrem, sed ad Fiscum, sicut pertinebat proprietas.* Ex part.4. tract.8. ref.61.p.460

122. *An Fiscus, vel Inquisitores possint publicare etiam bona paraphernalia uxoris, si scienter contraxit cum Hæretico? Et quid est dicendum de aliis bonis extra dotem? Et an vir Catholicus contrahens scienter matrimonium cum famina hæretica, amittat sua bona? Et ex doctrina huius quæstionis cursim infertur fœminas rapientes viros non incurrere pœnas, in quas incurrunt viri rapientes fœminas, & fœminas occidentes viros suos non incurrere pœnas eas, quas incurrunt viri occidentes uxores suas.* Ex part.4.tract.8. ref.62.ibid.

123. *An Inquisitores, seu Fiscus teneantur satisfacere creditoribus Hæreticorum? Et an Fiscus teneatur solvere ultra vires bonorum publicatorum, si non conficeris inventarium? Et an in foro conscientiæ, si Fiscus non solvat debita ab Hæreticis contracta ipsi non teneantur ea solvere, quamvis ad pinguiorem fortunam postea devenerint?* Ex p.4.tr.8.ref.59.p.461

124. *An Inquisitores, si post annum contumaces compareant, debeant illos audire, etiam quoad bona confiscata? Et quot vicibus citari debeat absens; & contumax in crimine hæresis antequam condemnetur?* Et notatur, quod citatio facienda contra communem absentem in crimine hæresis continere debet causam? Ex part.4. tract.8. resol.42.ibid.

125. *An quando Inquisitores revocant bona alienata per Hæreticum, teneantur ad pretium? Et notatur primo Inquisitores, & eorum Fiscum non posse revocare ea, quæ alienarunt Hæretici pro rebus necessariis. Notatur quoad secundo quod Inquisitores tenentur ad restituendum meliorationes factas ab emptore, quando revocant rem alienatam ab Hæretico. Et quid, quando emptor sciebat venditorem esse Hæreticum?* Ex part.4.tr.8.ref.92.p.462

126. *An Inquisitoribus liceat bona confiscata relinquere Hæreticis pœnitentibus? Et an ad id teneantur Inquisitores?* Ex p.4.tr.8.ref.44.ibid.

127. *Sequestratio bonorum quando, & quomodo debeat fieri ab Inquisitoribus? Et an sequestratio bonorum Hæreticorum absentium sit facienda, vel contra Hæreticum defunctum?* Ex p.4.tr.8.ref.86.ibid.

128. *An*

138. *An bona Hæreticorum confiscata applicentur Inquisitoribus? Et an bona Clericorum, siue mobilia, siue immobilia, quæ ob ipsorum hæresim publicantur applicari debeant Fisco Regio, vel Fisco Ecclesiæ?* Ex p.4.tract.8.resol.43. pag.463.

139. *An si Inquisitores non ferant sententiam in Hæreticum, teneantur restituere aliquid Principi sæculari, ad quem pertinebant bona confiscata dicti Hæretici? Et ex doctrina huius quæstionis infertur, an reus legitimè interrogatus negans veritatem, falsisque testibus se defendens, non teneatur pœnam restituere, qua damnandus erat?* Ex p.4.r.8. res.108.ibid.

140. *An Inquisitores pœnas pecuniarias imponere possint, sed non sibi applicari explicatur? Et observatur, quod Inquisitores Italiæ ex speciali decreto Sacræ Congregationis Eminentissimorum Card. Supremorum Inquisitorum non possint huiusmodi pœnis pecuniariis condemnare, nisi consulta eadem Congregatione; in vno casu particulari, quæ præcipere solet Inquisitoribus, quid, dato casu, agere debeãt de illis pecuniis. Et notatur, quod ubi Inquisitores Italiæ condemnationes pecuniarias faciunt de his reddere rationem tenentur Supremo Romanæ Vrbis Tribunali.* Ex.p.10. tract.8.res.6.p.464.

141. *An rerum à Fidei Quæsitoribus publice damnatum liceat ubique locorum manifestare? Et notatur, quod hoc non sit peccatum neque contra iustitiam, neque contra charitatem, neque contra misericordiam, secluſa prava intentione. Et docetur omnia crimina cuiuslibet personæ, si sint publica siue ex indicis sententia, siue ex notorietate facti posse absque vllo peccato euulgari in quibuscumque locis,* Ex p.10.tr.12.& Misc.2.res.5.ibid.

142. *An Inquisitores, si sint Regulares, & delinquant non in eis, quæ sunt Officij Inquisitoris, possint puniri à suis Prælatis? Et quid si delinquant in his, quæ sunt Officij Inquisitionis?* Ex p.4.tr.8.res.53.p.466.

143. *An Inquisitores incurrant in excommunicationem si exigant: pecuniam pratextu Officij Inquisitoris?* Ex p.4. r.8.res.28.ibid.

144. *An Inquisitores possint accipere xenia, hoc est, esculenta, & poculenta, quæ intra paucos consummantur dies, & sponte sibi sunt oblata? Et an contra facientes incurrant excommunicationem, priventur Officio, & teneantur reddere duplum; Et quid, si supradicta acciperent ab aliis Ministris S. Officij? Et an Minister, cum sciverit alium Ministrum donum accepisse, teneatur sub eisdem pœnis idem Inquisitori revelare?* Ex part.4.tract.8. resolut.8. n.467.

145. *An Inquisitores excusentur à residentia Parrochiali, & an gaudeant fructibus Prebendarum, & distributionibus?* Ex p.4.tr.8.res.71.ibid.

146. *An Inquisitores possint dispensare super irregularitate contracta ab Hæreticis? Et an licet Hæretici contrahant irregularitatem, attamen suspecti de hæresi, postquam illam abiuraverint, non sint irregulares? Et an prohibitum sit Inquisitoribus dispensare cum Hæreticis Sacerdotibus pœnitentibus, ut Missam celebrent?* Ex p.4.tract.4.r.85. ibid.

147. *An Inquisitores possint legere libros Hæreticorum? Et an in Regnis Hispaniarum solus Inquisitor Generalis habeat potestatem legendi libros hæreticos, & cui ipse committeris, & non alij Inquisitores? Et an Episcopi possint dictos libros legere? Et an Vrbanus VIII. derogaverit omnes licentias legendi libros hæreticos, & omnes alios prohibitos, & vbi de hac potestatem det solum Sacra Congregatio?* Ex p.4.tr.8.res.46.ibid.

148. *An Inquisitores possint præbere licentiam legendi libros Hæreticorum? Et quid de Generalibus Religionum in Regnis Hispaniarum, vel an solus Pontifex talem licentiam possit præbere? Vnde neque Collegium Cardinalium Sede Apostolica vacante prædictam licentiam concedere possit? Et an Vrbanus VIII. nouissimè annullaverit omnes licentias legendi libros prohibitos? Et an nemini liceat libros hæreticos ad suas manus deuenientes propria authoritate comburere, sed eos ad Inquisitores deferre teneantur?* Ex p.4.tr.8.res.99.p.468.

139. *An intelligens aliquem librum esse hæreticum comburendo illum, & non Inquisitoribus tradendo incurrat excommunicationem huius canonis? Et quid de peccato?* Ex p.1.tr.11.res.37.ibid.

140. *An in retentione librorum Hæreticorum detur parvitas materiæ, ita ut qui per vnum, vel duos dies retineret librum prohibitum, non incurrat in excommunicationem Bullæ Cœnæ, vel Indicis?* Ex part.5. tract.5. resol.43. p.469.

141. *An privilegiatus ab Inquisitoribus huius Regni Siciliæ ad legendos libros ab ipsis prohibitos, possit uti hoc privilegio in alio territorio, v.g. in Regno Castellæ?* Ex p.4.r.8. res.100.ibid.

142. *An libri Catholicorum cum explanatione Hæreticorum, & Commentariis sint prohibiti?* Ex p.5.tract.13.& Misc.1.res.16.ibid.

143. *An quis possit legere libros prohibitos securus, quod nocumentum non accipiet ex eorum lectura? Et an non solum libri Hæreticorum damnantur, qui continent falsam doctrinam contra Fidem, sed etiam minime de Religione tractantes, ut sunt Dialectici, Rethorici, Grammatici, &c.* Ex p.6.tr.6.& Misc.1.res.49.p.470.

144. *An quis possit legere libros prohibitos, si sciat certo mullum illos nocumentum esse illaturos? Et cursim docetur peccare, & in censuram incurrere legentes libros ab Inquisitoribus prohibitos, etiam si hæresim non contineant, & non esse absolvendos à Confessariis retinentes libros Hæreticorum. Sed infertur, quod cessante fine legis in particulari casu, pro ipso lex non obligat.* Ex p.11.r.1.& Misc.1. res.1.ibid.

145. *An qui legit librum Hæretici de Religione tractantem hæresim tamen non continentem, incidat in censuram Bullæ Cœnæ? Et quæritur etiam, quanta pars libri Hæretici requiratur ad incurrendam censuram Bullæ Cœnæ, si quis eam legat? Et an si libri Hæreticorum vnum aut alterum contineant errorem, & ille deleatur omnino, possint sine incursione excommunicationis legi? Et quid, si diversi sint tomi eiusdem authoris hæretici, & vnus tantum hæresim contineat, reliqui verò non contineant hæresim, an solum ille, qui hæresim continet, sit prohibitus sub censura Bullæ Cœnæ?* Ex p.6.tr.6.& Misc.1.res.55.p.472.

146. *An in lectione librorum Hæreticorum detur parvitas materiæ? Et an possit Confessarius absolvere eum, qui vnam paginam libri hæretici legerit? Et quid v.g. si legantur duæ, vel tres lineæ, in quibus legens certo novit contineri hæresim?* Ex part.5.tract.5.resolutione 42. p.473.

147. *De potestate Principum circa bona Hæreticorum confiscata, & iura Tribunalis Sancti Officij defendatur. Et pro intelligentia supradictarum quæstionum aliqua primo in textu huius Resolutionis supponuntur.* Ex p.12.tr.3.& Misc.res.2.p.474.

Appendix ad cæteras difficultates pertinentes simul ad hunc *tract.10. de Potestate, & Officio DD. Inquisitorum huius tom.5.*

QVænam parvitas materiæ excuset ab excommunicatione legendo libros hæreticos? Et an eos legentes sint absolvendi per Bullam Cruciatæ Ex p.1.tr.11.ex res.30. *Sed eam & alias diuersas Resolutiones & quæstiones circa hoc pro legendo, retinendo, &c. libros hæreticos, & prohibitos, & si in eis incurrerint in excommunicationem, an possint per Bullam Cruciatæ absolvi, invenies* in tom.4. tr.3. de Bulla Cruciatæ à res.42. usque ad resolut.48. inclusive.

An legẽtes libros Hæreticorum ignorantia affectata incurrant

Index Tractatuum.

in excommunicationem Bullæ Cœnæ? Et an quis legendo inscripcionem, seu Titulum libri alicuius Hæretici incidat in censuram Bullæ Cœnæ? Et quid, si legat indicem, præfatia, operis intentionem, epistolam ad lectorem, & his similia? Et quid, de legentibus vnam epistolam hominis hæretici, hæresim continentem? Et notatur non ligari hac censura legentem, retinentem, aut imprimentem epistolam, aut concionem, aut aliam papyrum Hæretici solutam, & non in tractatus, aut formam concinnatam. Et an si hæresis vna, vel altera, quæ continebatur in libro penitus inveniatur abrasa, aut ea folia detracta, dicendum sit ex eius lectione non contrahi excommunicationem? Et an ex pluribus eiusdem operis voluminibus possit, legi in quo hæresis non reperitur? Et an si liber vnius voluminis in duo redigantur, alter illorum, in quo hæresis non sit, legi possit? Et an excommunicati possint esse testes in causa hæresis? Ex part.3. tract.6. ex resolut.7. & in p.10. tract.12. ex resolut.48. & in parte 5. tract. 9. ex resolutione 113. *Quæ hic sunt supra in hoc ipsomet* tom.5. tract.1. de Excommunicatione resolutione 36. 142.112.

An Generales Regularium possint, etiam non obstante Bulla Gregorij XV. edita anno 1623. *& Vrbani VIII.* 1631. *præbere subditis licentiam legendi libros prohibitos? Et an Superiores Regularium, qui non legunt Constitutionem Vrbani VII. de observatione Bullarum pertinentium ad S. Officium temporibus statutis, sed post aliquos dies incidant in pœnas? Et an Inquisitores, Regularibus invitis, possint eorum acta publica in eorum Ecclesiis celebrare?* Ex part.5. tract.13.ex resol.49.& in tract.14. ex res.15. & in part.9.tract.6.ex res.47. alias 48. *Quæ nunc invenientur* in tom.7.tr.1. de Regularibus r.226. 18. & 50

An Episcopi possint præbere licentiam legendi libros, qui prohibiti sunt, donec corrigantur, non obstante Bulla Gregorij XV. & Vrbani VIII. Idem est de Inquisitoribus. Et notatur libros non omnino prohibitos, sed cum clausula donec expurgentur posse retineri, donec opportune eorum correctio, aut expunctio sit indulta. Et adueritur libros de hæresi suspectos sive propter suspicionem hæresis prohibitos, nisi suspectionem eluerint, eos non licere legi sub peccato mortali. Suspicionem autem hæresis incurrunt libri, qui continent propositiones hæresim sapientes, male sonantes, temerarias, vel scandalosas, ex quibus error nasci, aut inferri possit. Et an legens alios libros prohibitos, seu suspensos alia ex causa quam hæresis, aut eiusdem suspectionis incurrant excommunicationem, aut aliam pœnam? Ex part. 11. tract. 8. ex resolut. 62. *Quæ hic reperietur* in tom.3.tract.3. de Episcopis resolut.84.

An reus, qui convictus plene est de Apostasia, aut hæresi, quam non commisit, ita ut si neget tradendus est Curiæ sæculari, à confiscatione bonorum, extremoque supplicio afficiendus; si verò fatetur crimen, quod non admisit, leviori pœna puniendus sit, possit ipse absque mortali culpa imponere sibi hoc crimen, nec obligetur sub mortali ad retractandam confessionem post sententiam prolatam, & reconciliationem sequutam? Ex p.11.t.1.ex res.14. *Quæ hic est* in tom.8.tr.4.de voto res.68.

An excommunicentur Inquisitores, qui odio, vel amore ducti iniustitias rei faciunt? Ex p.9.tr.7.ex res.25. §.1.in fine *Quæ nunc invenietur* in tom.2. tract.6.de Matrimonio res.171.

An sit licitum communicare cum Hæreticis damnatis in Tribunali S. Inquisitionis; Et quid cum cæteris Hæreticis in communicatione, mercatura, bello, & aliis politicis? Ex part.10. tract. addit.2. ex res.9. *Quæ hic reperietur* in tom.9. tract.13. de Fœderibus cum Hæreticis resolut. etiam 9

An Sacerdos priuatus absolute à S. Officio Inquisitionis audiendi confessiones, possit etiam virtute Cruciatæ, aut Iubilæi eligi? Ex p.11.tr.4. ex res.8. *Quæ nunc invenietur* in tom.4. tr.3.de Bulla Cruciatæ res.19.

An Inquisitores Hispani teneantur ieiunare? Ex Pol tract.4. ex resolut.12. *Quæ hic est* in tom.4.tract.6. de Ieiunio res.27.

An servi Christianorum, qui in Tribunali S. Inquisitionis damnatur tanquam Hæretici, remaneant ipso facto liberi? Et aliqua alia adverturntur, quæ contingere possunt in supradicto casu, & sunt valde curiosa, & notanda. Ex p.7. tr.7.ex res.17. *Quæ nunc invenientur* in tom.7.tr.8. de Servis res.22.

An Inquisitores possint excommunicare Reges, & eorum Consiliarios? Et an nec per crimen perduellionis, nec propter hæresim possit Episcopus ab Inquisitoribus citari, vel puniri, sed hæc causa Papæ reservetur? Et an iudices laici trahentes ad sua Tribunalia personas Ecclesiasticas extra causas à iure permissas possint in S. Tribunali Inquisitionis examinari, & puniri? Et quid de Scriptoribus id ad laicis fieri posse docentibus? Et an iudex laicus possit punire & cognoscere in causa hæresis, Sortilegij, & Apostasiæ? Et an possit statuere aliquid circa privilegium Familiarum, &c. Inquisitionis? Ex p.3. tract.1.ex res.9. & 2. & in p.7.tr.1.ex ref.17.& 30. alias 15. & 28. & in p.4.tr.1. ex ref.12.& 82. *Quæ hic reperientur* in tom.9. tract. de Immunitate Ecclesiastica ref.46. 193.332.345.359. & 196.

De impedientibus Officium S. Inquisitionis, & quomodo, & quibus pœnis sint puniendi, & an sint suspecti de Fide? p.4.tract.7. ex res.13. *Quæ hic est infra* tract.12.resol. etiam 13.

Nota, quod supra in hoc ipsomet tom.5.tr.9. de Denunciationibus faciendis in Tribunali S. Inquisitionis & *maximè pro Confessariis solicitantibus in Confessione; & infra* in tr.11.de Tortura in S. Inquisitione inferenda & in tract.12. de Pœnis delictorum pertinentium ad Tribunal S. Inquisitionis, *in supradictis tribus tractatibus multas quæstiones invenies pro ifto* tract.10.de Potestate, & Officio DD. Inquisitorum *ideo quia prope sunt præcitati tractatus ibi quidquid desideras, facillimè reperies, maximè in duobus vltimis his tract. omnes eorum Resolutiones ad Dominos Inquisitores pertinent.*

TRACTATVS XI.

De Tortura in S. Officio suspectis vehementer de hæresi inferenda. pag.477.

Prologus ante primam Resolutionem huius tractatus Materiam satis amplam, &c. ibid.

1. *An Inquisitores debeant esse proniores ad torquendos reos? Et an non sit deveniendum ad purgationem canonicam, si adsunt indicia ad torturam sed reus sit torquendus? Et an quando delictum alia via probari possit, nullomodo adhibenda sit tortura?* Ex part.4. tract.6. resol. etiam 1. ibid.

2. *Cum quibus indiciis debeant Inquisitores reos torquere? Et infertur, quod si reus torqueretur sine legitimis indiciis præcedentibus, & crimen confiteatur, confessio talis non erit efficax ad condemnationem, nec confitenti præiudicat. Et si post confessionem in tortura extortam sine legitimis indiciis superveniat novum indicium confessionis extra indiciis superveniat novum indicium confessionis extra indiciis, per quam appareat reum esse hæreticum; an in talibus casu valida sit confessio facta in tormento non præcedentibus indiciis legitimis, & cum quibus indiciis? Et an non præcedentibus indiciis legitimis, & Inquisitores habeant vehementem opinionem contra reum, quamvis extra processum, possint eum verbaliter terrere, minando torturam, spoliando eum in loco torturæ, vel suspendendo, alligando, vel in saltum eleuando? Et an adsint pro Fisco sufficientia indicia ad torturam, reus tamen torqueri non possit, si dicta indicia fuerint elisa per indicia inquisitis* Ex

Ex part. 4. tract. 6. resol. etiam 2. pag. 478

2. *An dicta indicia debeant saltem per duos testes esse probata, ut possint Inquisitores reos torquere? Et quid, si dicti duo testes non sint idonei, ut familiares, infames, &c. dummodo sint contestes?* Ex part. 4. tract. 6. ref. etiam 3. p. 479

3. *An si adsit tantum unicum indicium, probatum tamen per duos testes, possint Inquisitores torquere reum?* Ex p. 4. tr. 6. ref. etiam 4. ibid.

4. *An si adsint plura indicia probata tamen per testes singulares, possint Inquisitores torturam adhibere?* Ex p. 4. tr. 6. ref. etiam 5. p. 480

5. *An ex dicto unius testis immediatè deponentis de delicto possint Inquisitores reum torquere? Et quid maximè, si unicus testis sit omni exceptione maior? Et quid est faciendum, si reus sit bonæ famæ, vitæque integræ? Et an si reus sit malæ famæ, possit ex unico teste de visu, devenire ad torturam, etiam si dictus testis non sit omni exceptione maior?* Ex part. 4. tract. 6. resolut. etiam 6. ibid.

6. *An ex solo dicto socij criminis possit reus ab Inquisitoribus torqueri? Et difficultas est, quænam sint adminicula, ut cum dicto socij criminis faciant contra nominatum indicium ad torturam? Et an depositio duorum sociorum criminis sufficiat ad torturam? Et difficultas est, an duo socij criminis non contestes, sed singulares faciant indicium ad torturam? Et an dictum socij criminis tunc faciat indicium contra nominatum, quando fuit interrogatus à iudice, sed non quando declarationem illam voluntariè fecit? Et aliæ tres quæstiones circa dictum socij criminis notantur.* Ex part. 4. tract. 6. resol. etiam 7. p. 481

7. *An depositio socij criminis adminiculata sufficiet ad torquendum, si Inquisitores videant ipsum pari alios defectu; ut qui est infamis, criminosus, periurus, vilis, abiectus, aut alias inhabilis? Et notatur socium criminis in casu hæresis admittendum esse etiamsi alios defectus pateretur; ex quo alius casus infertur, circa depositionem socij criminis, & positus in calce huius resolutionis.* Ex p. 4. tract. 6. ref. etiam 8. p. 482

8. *An dictum socij criminis adminiculatum sufficiat, ut Inquisitores possint torquere reum, si sit bonæ conditionis, & famæ? Et an faciat indicium ad torturam, si socius criminis, nulla præcedente interrogatione, alios socios nominet?* Ex part. 4. tract. 6. resolutione etiam 9. ibid.

9. *An socij criminis, ut fidem faciant contra nominatos, sufficiat iurare, vel opus sit, ut ab Inquisitoribus torquentur ad deponendum?* Ex p. 4. tract. 6. ref. etiam 10. ibid.

10. *An testes inhabiles, ut fidem faciant, sint ab Inquisitoribus torquendi? Et an quamvis testes inhabiles admittantur ad probandum aliquem esse hæreticum, è contra uero non admittantur in favorem illius? Et an huiusmodi testes non sufficiant ad plenam probationem, sed ad plenam extraordinariam, vel ad torturam? Et aliqua alia discutiuntur in textu huius resolutionis circa supradictos testes inhabiles.* Ex part. 4. tract. 6. resol. etiam 11. p. 483

11. *An confessio extra iudicialis sufficiat, ut Inquisitores possint torquere reum? Et an, si reus reuocauit confessionem extra iudicialem, sit torquendus? Et an confessio extra iudicialis ita ualeat ad torturam, ut si reus in tortura idem confiteatur, possit condemnari, etiam si postea non ratificet confessionem? Et an confessio extra iudicialis non probetur per testes singulares? Et quid in crimine hæresis?* Ex part. 4. tract. 6. resolut. etiam 12. p. 484

12. *An fama præbeat indicium, ut Inquisitores reum torturæ subiicere possint?* Ex p. 4. tract. 6. resol. etiam 13. p. 485

13. *An fuga sit indicium sufficiens, ut Inquisitores possint torquere reum?* Ex part. 4. tract. 6. resolut. etiam 14. p. 486

14. *An variatio, mendacium, & vacillatio rei, præbeant Inquisitoribus indicium ad torquendum? Et an sola titulatio, vultusque mutatio rei faciat contra illum indicium ad torturam?* Ex p. 4. tr. 6. ref. etiam 15. ibid.

15. *An reus tortus, & negativus, si superueniant noua indicia, possit iterum ab Inquisitoribus torqueri? Et quænam indicia esse debeant, an esse debeant, & differre à primis specie, & substantia? Et an in supradicto casu, quando tortura repetenda est, tunc danda sit reo copia indiciorum, & audiendus quemadmodum ante primam torturam factum est?* Ex p. 4. tr. 6. ref. etiam 16. p. 487

16. *An Inquisitores possint inferre torturam sine Episcopo, & alios ad hoc subdelegare Et an ad pronunciandam tormenti sententiam intervenire debeant Episcopus, & Inquisitores? Et an nemo autem alius præsens debet esse quæstioni præter iudices, tabelliones, atque tortores?* Ex p. 4. tr. 6. ref. etiam 17. ibid.

17. *An sit in arbitrio DD. Inquisitorum, quando delictum est vehementer indiciatum, procedere ad pœnam extraordinariam, vel ad torturam?* Ex p. 4. tr. 6. ref. etiam 18. p. 488

18. *Quomodò Inquisitores debeant interrogare reos in tortura?* Ex p. 4. tr. 6. ref. etiam 19. ibid.

19. *An Inquisitores debeant admittere appellationem rei à sententia torturæ? Et aliqua alia circa appellationes rei notantur.* Ex p. 4. tr. 6. ref. etiam 20. ibid.

20. *An Inquisitores possint torquere Confessarium solicitantem ex delatione unius fœminæ bonæ famæ? Et an Confessarius minimè detrudendus sit in carcere ex unius fœminæ, quamtumvis honestæ delatione? Et an si Religiosus sit non debeat incarcerari sine consilio Supremi Senatus?* Ex p. 4. tr. 6. ref. etiam 21. p. 489

21. *Quomodò, & quo tempore Inquisitores debeant facere, ut reus ratificet confessionem in tormentis factam? Et aliqua alia circa hoc notantur, & deciduntur.* Ex p. 4. tr. 6. ref. etiam 22. ibid.

22. *An Inquisitores debeant torquere reum, qui postquam in tormentis confessus est, sequenti die confessionem factam negat.* Ex part. 4. tract. 6. resolut. etiam 23. p. 490

23. *An si reus bis tortus, bis confessus est, & reuocat confessionem, sit tertiò ab Inquisitoribus torquendus.* Ex p. 4. tr. 6. ref. 24. p. 491

24. *An Inquisitores possint torquere reum ex dicto unius testis minores 20. annis? Et quid, si adsit testimonium duorum?* Ex p. 4. tr. 6. ref. etiam 25. ibid.

25. *Quis prior ex complicibus debeat ab Inquisitoribus torqueri?* Ex p. 4. tr. 6. ref. etiam 26. ibid.

26. *An Inquisitores possint torquere reum confessum ad extorquendum complices? Et notatur non esse torquendos Hæreticos pro complicibus, nisi cum semiplena probatione, quod socios criminis habeant. Et an depositio socij criminis facta in tortura ratificanda sit extra illam? Et an tortura in caput alienum debeat esse moderata pro ratione causæ, & indiciorum?* Ex part. 4. tract. 6. resol. 27. p. 492

27. *An Inquisitores possint torquere reos sine data eis copia indiciorum, & nominibus testium?* Ex part. 4. tract. 2. ref. etiam 28. ibid.

28. *An minores 14. annorum sint ab Inquisitoribus torquendi? Et quid de prægnantibus, senibus, laborantibus quartana, morbo gallico, &c. Et an Nobiles sint in S. Officio leuius torquendi?* Ex part. 4. tract. 6. resolut. etiam 29. p. 493

29. *An Inquisitores in crimine sagarum ex sola denunciatione complicum absque ullis aliis indiciis, possint torquere personas denunciatas bonæ alioquin famæ.* Ex p. 4. tr. 6. ref. etiam 30. p. 494

30. *An Inquisitores possint torquere reum minorem, non dato ei Curatore, & si debeat esse præsens in tortura? Et an*

an in tali casu Curator possit esse ex Officialibus Inquisitionis? Et notatur, quod Pater non sit constituendus Curator filiorum à DD. Inquisitoribus. Ex p. 4. tr. 6. ref. etiam 31. p. 495

32. *Quando reus est convictus, & datur tortura super inventione & complicibus, an danda sit ab Inquisitoribus cum clausula*, circa præiudicium probatorum? Ex p. 4. tr. 6. ref. etiam 32. ibid.

33. *An tortus, & negativus possit puniri ab Inquisitoribus aliqua pœna extraordinaria? Et in dicto casu, si post torturam fuit iterum interrogatus extra tormentum de delicto, & inventus est varius, an ex illa variatione potuerit iterum torqueri?* Ex part. 4. tract. 6. ref. etiam 33. p. 496

34. *An Inquisitores possint torquere reum, qui non vult respondere interrogationibus?* Ex part. 4. tr. 6. ref. etiam 34. ibid.

35. *Quem modum torquendi debeant Inquisitores adhibere cum reis, & quomodo; & de tormento ignis ad pedes adhibito?* Ex p. 4. tr. 6. ref. etiam 35. p. 497

36. *An Inquisitores debeant torturam adhibere Clericis non infamatis, sed tantum indiciatis? Et in casu occurrenti; an mitius torquendi sint Clerici, quam laici? Et an quando datur tortura Ecclesiasticis, non laici, sed Clerici debent illos torquere? Et an Clericus debeat admitti ad Canonicam purgationem, quando est gravatus indiciis ad torturam, vel debet torqueri?* Ex p. 4. tr. 6. ref. etiam 36. ibid.

37. *Quid facere debeant Inquisitores cum reis, si timent veritatem in tortura non fateri ex incantationibus, & maleficiis?* Ex p. 4. tr. 6. ref. etiam 37. p. 498

38. *An Inquisitores, si torquerent reum ex opinione probabili, relicta probabiliori, debeant puniri à suis Visitatoribus?* Ex p. 4. tr. 6. ref. etiam 38. ibid.

† *An qui in tortura cum legitima ratihabitione confitetur delictum, sit ab Inquisitoribus reconciliandus?* Ex p. 4. tr. 7. ex ref. 24. *Quæ hic est in proximo sequenti* tract. de Pœnis delictorum, &c. ref. etiam 24.

† *An depositio unius testis inhabilis sufficiat ad torturam, & quid, si sint duo? Et an Hæreticus possit appellare à gravamine illato, & Decreto torturæ? Et an detur casus in quo Inquisitores possint reum torquere, & non imponere abiurationem de vehementi? Et an licet reus fuerit tortus, possint ei imponere abiurationem de levi?* Ex p. 4. tr. 8. ex ref. 123. 32. & 110. *Quæ hic sunt* in proximo præterito tract. de Potestate & DD. Inquisitorum ref. 74. 62. & 95.

TRACTATVS XII.

De Pœnis delictorum pertinentium ad Tribunal Sacræ Inquisitionis.

p. 499.

1. *Vadam præambula ad ea, quæ inferius tractanda sunt. Et in primis quæritur, an DD. Inquisitores possint condemnare ad pœnam triremium, fustigationis, &c. reos abiurantes tantum de levi? Et an quando ex aliquo delicto oritur vehemens suspicio, debeant Inquisitores semper imponere abiurationem de vehementi? Et quænam sint pœnæ Hæreticis à iure impositæ?* Ex p. 4. tr. 7. ref. etiam 1. ibid.

2. *De Iudæis, Mauris, & aliis infidelibus aliqua crimina perpetrantibus, & quibus pœnis supradicti plectendi sunt? Et an ultra pœnas sit in aliquibus casibus illis aliqua abiuratio indicenda? Et an Iudæi transeuntes ad Sarracenos, seu ad alios Infideles possint puniri ab Inquisitoribus?* Ex p. 4. tr. 7. ref. etiam 2. p. 500.

3. *De Apostatis, & his, qui vulgò dicuntur* Renegati, *an contra supradictos possint Inquisitores procedere? Et de pœnis, & abiurationibus, quas illis in aliquibus casibus imponere debent, agitur. Et an Inquisitores sive Episcopo possint reconciliare eos, qui vulgo dicuntur* Renegati, *si sponte ad eos venerint, & pœnitentiam petant? Et an iudex laicus possit cognoscere de Apostasia, quando agitur de quæstione facti, quod idem dicendum est de hæresi?* Ex part. 4. tract. 7. resolut. etiam 3. pag. 501

4. *De contrahentibus binas nuptias. Et an hoc delictum Inquisitores cognoscere possint, vel hoc crimen sit mixti fori? Et an supradicti sint de vehementi, vel tantum leviter suspecti de Fide, & quibus pœnis debent plectii? Et alia notabilia circa hoc, & circa consulentes binas nuptias in textu huius Resolutionis discutiuntur. Et tandem quæritur, an qui sine uxoris licentia in sacula degressi suscipiunt Ordines sacros, sint supradictis multandi pœnis, & habenda sit ratio, cuius nationis sint?* Ex p. 4. tr. 7. ref. etiam 4. p. 503

5. *De Clericis sacris Ordinibus initiatis, & de Religiosis matrimonium ineuntibus. Et an tales non solum committant sacrilegium, sed sint de hæresi suspecti, & quæ pœna puniendi sunt? Et an contrahens matrimonium cum Hæretica sit suspectus de Fide, & contra illum Inquisitores possint procedere? Et notatur, quod sicut professi aliam Religionem, sic illi, qui ex Societate les vota bienny emiserunt, si matrimonium postea contraherent, præter quam matrimonium est irritum subiiciuntur supradictis pœnis, & abiurant.* Ex part. 4. tract. 7. ref. etiam 5. p. 504.

6. *De retinentibus, & legentibus libros Hæreticorum, Necromanticorum, Pentacula, &c. an sint puniendi tanquam Hæretici? Et an legentes, & tenentes libros Astrologiæ iudiciariæ, & libros prohibitos, etiamsi non sint libri Hæreticorum, possint ab Inquisitoribus puniri? Et an Iudæi, & alij infideles commorantes in terris Christianorum, qui retinere, habere, legere, scribere, vel exemplare, advehere, donare, communicare, vel alienare amisi fuerint libros, & Codices Talmudicos, Cabalisticos, & alios nefarios, &c. puniendi sint arbitrio Inquisitorum? Idem dicendum est de Typographis, & Bibliopolis, seu mercatoribus.* Ex part. 4. tract. 7. resolut. 6. pag. 505.

7. *De confessariis solicitantibus. Et an Inquisitores possint eos punire tanquam suspectos de hæresi vehementer, vel tantum leviter? Et in corpore huius Resolutionis aliqua alia notabilia circa hoc, & circa pœnas, & pœnitentias supradictis imponendas explanantur. Et tandem advertitur, quod Confessarius, qui non declarat feminæ solicitatæ obligationem denunciandi, aut qui eis circa ad talem denunciationem faciendam non teneri, ab Inquisitoribus pro qualitate culpæ potest puniri. Et an verò fœmina solicitata denunciationem omittens, ut fertrix sit ab Inquisitoribus punienda?* Ex p. 4. tract. 7. resolut. etiam 7. pag. 506.

8. *De blasphemantibus hæreticaliter. An debeant cognoscere Inquisitores cumulativè cum iudice Ecclesiastico, & laico, ita ut possit dari locus inter illos præventioni; vel an soli Inquisitores debeant animadvertere? Et an supradicti sint tantum suspecti leviter de hæresi, & ideò debeant abiurare? Et aliqua alia circa supradicta annotantur. Et etiam explanatur, quænam sint blasphemiæ hæreticales, & quæ verò non.* Ex part. 4. tract. 7. resolut. etiam 8. p. 508.

9. *De conspurcantibus, & percutientibus Sacras Imagines. Et an hoc factum sit hæreticale, & eius cognitio pertineat ad Inquisitores, & quomodò supra dicti sint puniendi quoad abiurationem, & alias pœnas?* Ex p. 4. tract. 7. resolut. etiam 9. p. 509.

10. *De Sortilegis, Divinatoribus, Magis, &c. & de pœnis, quibus supradicti puniendi sunt, & quoad abiurationem,*

nem. Et an Inquisitores habeant iurisdictionem contra omnes Sortilegos, & maleficos? Et in textu huius Resolutionis aliquæ aliæ difficultates graues, & notabiles circa supradictos, quæruntur, & annotantur. Ex part.4. tract.7.ref.etiam 10.p.510.

11. De laicis, seu Ecclesiasticis non Sacerdotibus audientibus confessionem, & quomodo supradicti puniendi sunt, & quomodo debeant abiurare. Et an Inquisitores aduersus supradictos possint procedere? Et an simplex Sacerdos, etiam approbatus, suspensus tamen ab audiendis confessionibus non comprehendatur in Decretis Pontificum, quamuis confessiones audiat, & absolutionem impendat? Et an laicus, vel Ecclesiasticus non Sacerdos audiat confessiones, & non absoluat, subdatur pœnis Pontificiis, latis in Bullis Gregorij XIII. & Vrbani VIII. Ex part.4.tract.7.ref. etiam 11.p.512.

12. De laicis, & Ecclesiasticis non Sacerdotibus Missam celebrantibus. Et an Inquisitores possint animaduertere aduersus tale immane facinus perpetrantes? Et an supradicti abiurare debeant de leui, & de aliis pœnis, quibus puniendi sunt, agitur? Et an ad violationem Bullarum Gregorij XIII. Clem. VIII. & Vrbani VIII. sufficiat semel vnam Missam celebrare, & an, si Sacerdos non conficeret panem, aut vinum, eo quod sit in peccato mortali, ideo habens ante se Hostiam consecrandam, exuat e Tabernaculo particulam consecratam, & verba consecrationis profert non super Hostiam, quam eleuando ostendit populo, sed super eamdem particulam consecratam, an, inquam, possit per Inquisitores contra illum procedi? Ex p.4.tr.7.ref.etiam 12.p.513.

13. De impedientibus Officium Sacræ Inquisitionis. Et an aduersus tales procedere Inquisitores possint? Et quomodo, & quibus pœnis supradicti puniendi sunt, & an sint infecti de Fide, & quo pacto debeant abiurare? Ex p.4.t.7.ref. etiam 13.p.514.

14. De non implentibus pœnitentias. Et an contra tales rectè procedere possint Inquisitores? Et an ex tali delicto oriatur leuis suspicio de hæresi? Et difficultas est, quibus pœnis subiiciantur? Et docetur, quid facere debeant Inquisitores contra nolentes abiurare? Ex part.4.tr.7. ref.14.p.515.

15. De frangentibus carceres, vel inde fugientibus, dum eorum causa agitur. Ex part.4. tract.7. ref. etiam 15. pag.516.

16. De falsis testibus. Et an supradicti pœna talionis sint condemnandi? Et quid de filiis, & nepotibus testis falsi? Et an Inquisitores possint punire, & quibus pœnis eum, vi prece, minis, aut pretio testem corrupit, vt falso in sacro Tribunali contra aliquem deponeret? Ex p.4.tr.7. ref.etiam. 16.ibid.

17. De Astrologis iudiciariis. Et an contra ipsos possint Inquisitores animaduertere? Et quibus pœnis supradicti rei sint plectendi? Ex p.4.tr.7. ref.etiam 17.p.517.

18. De insordescentibus per annum in excommunicatione. Et an tales sint suspecti de hæresi, & quæ pœnitentia sit eis imponenda? Et an Inquisitores possint procedere tanquam contra insordescentes in excommunicationem ex causa Fidei? Idem dicendum est de fautoribus, defensoribus, & receptatoribus Hæreticorum; ac quoquo modo Officium S. Inquisitionis impedientibus, & recusantibus se purgare. Ex p.4. tr.7.ref.18.p.518.

19. De transferentibus arma, equos, &c. in terras Infidelium, & de pœnis, quibus puniuntur, si animo adiurandi Infideles, & Hæreticos in bello ad impugnandum Christianos, hoc fecerint; secus si lucrandi, & negociandi causa hoc egerint. Et an aduersus supradictos Inquisitores possint protedere. Ex part.4.tract.7. ref.etiam 19. ibid.

20. De sodomitis, & de pœna, qua supradicti debent puniri. Et adnotatur, quod non possunt Inquisitores relaxare sodomitas Curiæ sæculari, nisi sint incorrigibiles. Et an Inquisitores habeant cognitionem nefandi criminis ex Constitutione Pij V. Greg. XIII. & Bulla Clem. VII. Et aliqua alia circa supradictos sodomitas explanantur. Ex p.4.tr.7.ref.etiam 20. p.519

21. De fautoribus, defensoribus, & receptatoribus Hæreticorum, &c. Et an contra tales, ut suspecti de hæresi possint Inquisitores procedere? Et quomodo, & quibus pœnis puniri debeant? Et inter alia, quæ circa hoc docentur, eandem quæritur, an non reuelantes Hæreticos puniendi sunt tanquam fautores? Et an qui fauet, & recipit consanguineos Hæreticos incidat in pœnam excommunicationis latam in Bulla Cœnæ contra fautores, & receptatores Hæreticorum? Ex p.4.tr.7.ref.etiam 21.ibid.

22. De reuocantibus Confessiones. Et quid de testibus reuocantibus suam testificationem? Sed superest difficultas, an Inquisitores stare debeant secundo dicto, etiamsi testis neget hæresim in primo dicto confessam? Ex p.4.tr.7. ref. etiam 22.p.521.

23. De Dogmaticis, & Hæresiarchis; & de pœnis, quibus supradicti sunt puniendi. Et an verò in pœnam supradictis sit neganda Eucharistia? Ex p.4.tr.7. ref.etiam 23. pag.522.

24. De hæreticis pœnitentibus, & de pœnis, quibus debent puniri. Et an in aliquo casu veri pœnitentes non sint reconciliandi? Et pro praxi adducuntur octo casus in textu huius Resolutionis, ex Bulla Clem. VIII. Et an Hæretici, si pœniteant in ipso tabulato tradendi sint Curiæ sæculari? Et an qui in tortura cum legitima ratihabitione confitetur delictum, sit ab Inquisitoribus reconciliandus? Ex p.4.tr.7.ref.etiam 24. ibid.

25. De Hæreticis impœnitentibus, & de pœnis, quibus supradicti merentur puniri. Et explanatur, quid est faciendum de diminuto, qui confitetur de se, non tamen omnes errores? Ex p.4.tr.7.ref.etiam 25.p.524

26. De hæreticis relapsis. Et an Inquisitores debeant illos admittere, si sponte redeant, & pœnam mortis relaxare? Et an Inquisitores possint damnare aliquem tanquam relapsum, qui post abiuratam hæresim redditur de secundo lapsu vehementer suspectus? Et an supradictis relapsis danda sit Eucharistia? Et notatur, quod datur casus, in quo relapsus ex misericordia iterum reconciliatur; & quod non possunt Inquisitores tradere Curiæ sæculari relapsum, inconsulto Supremo Senatu. Ex part.4. tra.7. ref. etiam 26. p.525

27. De Hæreticis absentibus, & de pœnis supradictis ferendis. Et notatur, quod in crimine hæresis pro absente citato Procurator comparens admittitur, ut defensor innocentiæ, dummodo res sit dubia, & reus sit tantum de hæresi suspectus. Et an Inquisitores, si post annum contumaces compareant, debeant illos audire, etiam quoad bona reorum confiscata? Et aliqua alia circa bona reorum, quæruntur, & notantur. Ex p.4.tr.8.ref.etiam 27.ibid.

28. De Hæreticis defunctis; & quomodo contra supradictos debent Inquisitores procedere; & quomodo, & quando, & in quibus casibus & circunstantiis eorum bona Fisco sint applicanda, & aliqua alia circa supradicta notantur. Ex p.4.tr.7.ref. etiam 28. p.526

29. De Schismaticis; & de pœnis contra supradictos imponendis agitur. Et quæritur, an sit in iure irregularitas inflicta contra Schismaticos? Ex p.4. tract.7. ref. etiam 29.pag.527

30. An Inquisitores possint unire duas semiplenas probationes ad damnandum reum pœna ordinaria? Ex p.4.tr. 7.ref. etiam 30.p.528

31. An Inquisitores possint condemnare reum hæreticum ad pœnam ordinariam, si adsint tamen testes singulares? Et quid, si testes de eadem hæresi sint concordes, sed eam quisque audivit in vario loco, & diverso tempore, an dicti testes sufficiant ad condemnandum reum pœna ordinaria? Ex p.4.tr.7.ref. etiam 31. ibid.

32. An reus hæreticus malæ vitæ, & famæ possit puniri ab Inquisitoribus ex duobus tantum testibus contestibus tamen, & idoneis? Ex p.4.tr.7.ref.etiam 32.p.529

33. An

33. *An Inquisitores possint damnare reum, vt publicè abiuret de leui? Et an abiuratio de vehementi, quamuis fieri debeat publicè, & in loco publico; possit tamen ex rationabili causa fieri non publicè, sed secreto? Et notatur, quod aetas necessaria ad abiurationem in masculis est 14. annus; & in fœminis 12. Et aduertitur, quod si supradicti reconcilientur ex hæresi formali propter eorum confessionem, & postea relabantur, ex misericordia, consulto Supremo Consilio Inquisitorum, videntur admittendi pro illa vice, non obstante relapsu.* Ex p.4.t.7.ref.etiam 33.p.530.

34. *An Inquisitores debeant punire tanquam Hæreticum facientem ritus hæreticales, seu proferentem verba hæreticalia, & negantem intentionem?* Ex p.4.t.7.r.etiam 34.ib.

35. *An Inquisitores possint superueniente probatione reum absolutum iterum examinare, & condemnare? Sed difficultas est, an reo in pœnam extraordinariam condemnato ob defectum probationis, si superueniant nouæ probationes, possint illum Inquisitores in pœnam ordinariam condemnare? Et an verò indicia superuenientia sint coniungenda cum indiciis, ex quibus reus prius fuerat tortus?* Ex p.4. tr.7.ref.etiam 35. p.531.

36. *Quænam pertinacia sufficiat ad constituendum hominem hæreticum non solum in foro interno, sed etiam externo? Et supponitur nullam esse hæresim sine pertinacia. Et an ignorantia crassa, & supina excuset ab hæresi; & quid de affectata? Et an sit censendus Hæreticus pertinax vir simplex admonitus ab Inquisitoribus, vel Episcopo, si adhuc in suo errore persistit?* Ex p.4.t.7.ref.etiam 36.p.532.

37. *In imponendis pœnis, quando discrepant Inquisitores, & Ordinarij, quid faciendum? Et notatur, quod est differentia inter Inquisitionem Romanam, & Hispanam, nam in Inquisitione Romana postquam concorditer Episcopus, & Inquisitores imposuerunt delinquenti aliquam pœnam possunt cumulatiuè eam minorare? in Hispania vero ex priuilegio Summi Pontificis, Supremus Inquisitor habet potestatem minuendi, & relaxandi pœnas. Et an hodie Inquisitores in depositione Crucis signata, vulgo dicta S. Benito, minimè dispensare possint?* Ex p.4.tr.7. ref. etiam 37.p.534.

38. *An Inquisitores in imponendis pœnis teneantur sequi vota consultorum? Et aliqua alia quæruntur, & nouantur inter consultores, & Inquisitores contingentia. Et in tota huius Resolutionis alium casum decisum inuenies pro Consultoribus tantum.* Ex p.4.tr.7.ref.etiam 38.p.535.

† *Nota, quod supra in hoc ipsomet* tom.5. in tract.12. de Potestate, & Officio Inquisitorum, *sunt etiam multæ difficultates pertinentes ad istum* tract.12. de Pœnis delictorum, &c. *sicut in isto sunt aliæ pertinentes ad illum. Similiter in proximo præterito tractatu, & supra in tr.9. etiam inuenies aliquid pro isto tr.12. & quia propè finem præcitati tractatus in hoc ipsomet* tom.5. *lege illos omnes, & non te pigebit.*

TRACTATVS XIII.

In quo ad pedem litteræ continentur Decreta, & Constitutiones recentiorum Pontificum ad Tribunal S. Officij spectantes, ut habentur *in fine partis secundum ordinem R. P. Diane.*



TRACTATVS PRIMVS
DE
EXCOMMVNICATIONE,
ATQVE DE EIVS ABSOLVTIONE.

RESOLVTIO PRIMA.

An potestas ferendi censuras possit consuetudine, vel praescriptione acquiri?
Idem est dicendum de potestate absolvendi ab excommunicatione per alium lata.
Et an haec potestas possit acquiri circa unam censuram, & non circa aliam? Ex part.5.tr.9.Resol.42.

§.1. RESPONDEO affirmativè de consuetudine. Probatur *ex cap. dudum, de electione, & electi potestate, & cap. Romana, de sententia excomm. in 6.* vbi idem dicitur de potestate absolvendi ab excommunicatione per alium lata, ex quo deducitur argumentum à simili. De praescriptione idem significatur *cap. auditis, & cap. cum olim, de praescriptionibus*, & ratio est, quia iurisdictio potest consuetudine acquiri, *cap. cùm contingat, de foro competenti.* Sicut consuetudine potest introduci, item abrogari obligatio obtinens vim legis, & praescriptione possunt mutari jura & dominia.

2. Notandum tamen, etiamsi jurisdictio haec dicatur acquiri praescriptione, vel consuetudine, verè tamen conceditur à Summo Pontifice, qui hoc statuit ita fieri, ut jurisdictiones Ecclesiasticae essent firmae, & certae. Et ita docet Mercerus *in 3. part. de Sacram. quaest.21.dub.3.*Gordonus, *in summa, tom.2.lib.7.quaest.2. cap.1.§.4. num.16.* & DD. communiter, qui etiam docent hanc potestatem posse acquiri circa vnam censuram, & non circa aliam, quia inter ipsas non est necessaria connexio, ut qui unam efficit, possit & aliam ferre, neque in praescriptionibus & consuetudinibus locum habet, ut jus acquisitum circa actus unius generis extendatur ob similitudinem ad alios. Ita *cap. cùm olim, de praescript.* Abbas, qui usum excommunicandi probaverit praescriptione, ut etiam interdicendi & absolvendi, defenditur à Pontifice condemnante eumdem super omnibus caeteris actibus, qui ad munus Episcopale pertinent.

RESOL. II.

An qui habet potestatem ferendi censuram possit ea uti in sua causa?
Et notatur, quod etiam si nemo potest incidere in censuram à seipso latam, possit tamen occasione censurae à se latae incidere in aliam censuram, quam alius tulerit, verbi gratia, communicando cum eo, quem ipse excommunicaverit, quo modo celebrando in Ecclesia à se interdicta, fiet irregularis. Ex part.5. tr.9. Resol.52.

§.1. RESpondeo negativè *ex cap. inter querelas, c.23. quaest 4.* Nemo enim permittitur esse judex in propria causa; quod tamen intelligit Innocent. IV. *cap. dilecto filio de sentent. excommun. in 6.* ubi Prælatus censuram fert per modum judicij, non autem per modum defensionis contra violentum invasorem, quod ex eo licere docet, quia jura omnia vim vi repellere & se defendere permittunt. Quo casu etiamsi censura habeat rationem poenae, tamen primò & per se non infligitur, ut vindicetur delictum, sed ut praecaveatur majus malum, quod jure impedire possumus. Notat quoque Abbas ad *cap. cum venissent, de judiciis*, idem licere non solùm per modum defensionis, sed etiam propriè dictum judicium exercendo, ubi causa est tam manifesta, ut neque possit negari, neque indigeat examinari. Et ita docet Mercerus, *in 3. part. de Sacrament. quaest. 20. dub.4.* ubi etiam notat, quòd etiam si nemo possit incidere in censuram à se ipso latam, possit tamen occasione censurae à se latae incidere in aliam censuram, quam alius tulerit, verbi gratia, communicando cum eo, quem ipse excommunicarit, incidet in excommunicationem minorem à jure latam, quomodo etiam celebrando in Ecclesia à se interdicta, fiet irregularis.

RESOL. III.

An in dubio, utrum censura sit lata, vel ferenda, censendum sit tantum ferenda?
Et docetur quòd, ut teneamur vitare excommunicatum, non sufficit dubium prudens denunciationis, sed requiritur notitia moraliter certa dicta denunciationis. Ex part.4.tract.3. Resol.16.

§.1. AFfirmativè respondeo cum Avila *de cens. 1.2. cap.2. dub.2.* & Coninch. *de Sacrament. disput.13. num.22.* quos citat & sequitur Hurtado, *tr. de cens. in communi, difficul.5. num.22.* vbi sic ait: Quando verba relinquunt dubium, an contineant censuram latam, judicandum est non continere illam, sed tantùm ferendam, quia odia sunt restringenda, sic Hurtado, qui etiam *in disputat.2. de excommunic. difficul.3. num.7.* docet, quòd ut teneamur vitare excommunicatum, non

* Sup. hoc inf Res.125. §. Notandū, & in aliis §§. ejus not.

non sufficit dubium adhuc prudens denunciationis, sed requiritur notitia moraliter certa dictæ denunciationis.

RESOL. IV.

An in censura ferenda, necessario requiratur monitio?
Et an, quando excommunicatio fertur à prælato, non per modum iudicij, sed per modum defensionis, ad defendendum jus proprium, requiratur monitio?
Et an requiratur monitio ad valorem aliarum censurarum, ut suspensionis, interdicti, &c. Ex part. 5. tract. 9. Resol. 18.

Sup. inf. in Resol. 8.

§. 1. PRima opinio est Victoriæ *in sum. de Sacram.* agendo *de excomm. n.* 6. Soti *in* 4. *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 2. Ledesmæ 2 *p. q.* 23. *art.* 3. qui affirmant non quidem requiri trinam, vel binam monitionem præcedentem, ut excommunicatio sit valida, requiri tamen necessariò aliquam monitionem præviam, alioqui inutilem esse excommunicationis censuram. Probatur ex *c. Romana de sententia excomm. in* 6. ubi id videtur definitum. Probatur secundò ex Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus.* Vbi non datur Ecclesiæ potestas ad excommunicandum nisi pro contumacia contra præcepta Ecclesiæ. Non datur autem contumacia nisi præcedat apta admonitio.

2. Secunda opinio est negans, scilicet non requiri monitionem ad censuræ essentiam, quàm tenet glos. *in c. Romana, citato*, & Panorm. *in cap. sacro. de sententia excomm.* Felinus, *in c. cùm sit Romana, de appellationibus, num.* 15. & alij juris interpretes, quos citat Cajetanus 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 2. Item Cordub. *lib. de ignorantia, q* 27. Michaël de Palatio, *in* 4. *dist.* 18. *disp.* 4. Almainus, *de potestate Ecclesiæ cap.* 20. & probatur 1. *ad Corinth.* 5. ubi Paulus excommunicavit incestuosum pro peccato omnino prætermisso, nec legitur illum prius fuisse admonitum.

3. Hanc sententiam prorsus tenendam esse puto, quia Ecclesia aliter facientem privavit ingressu Ecclesiæ, & divinis officiis per mensem: præcipit Superiori, ut talem censuram sine difficultate relaxet, quod minimè esset per se necessarium, si valida non fuisset. Et ita docent Cornejo *in* 3. *part. tr.* 5. *de cens. in gen. disp.* 5. *dub. ult.* & Coninch. *de Sacram. disp.* 13. *dub.* 9. *num.* 78. qui respondent ad superius pro affirmativa sententia adducta.

4. Notandum est tamen, docere Præpositum *in* 3. *part. q.* 1. *de cens. in genere, dub.* 12. *num.* 83. probabile esse non requiri monitionem ad valorem aliarum censurarum, ut de suspensione potest colligi ex *cap. tam litteris, in fine, de testibus*, ubi fertur sine ulla monitione. Sed de hoc vide Villalobos, *in sum. tom.* 1. *tract.* 16. *diffic.* 8. *num.* 6. ubi sic ait: [Ha se de advertir aqui grandemente que algunas vezes la suspension no se pone por via de censura, sino por via de pena, como si el Obispo suspendiesse à un Clerigo por un delito, que cometio. Y en tal caso no es propriamente censura, que no se pone para que dexe la contumacia, sino para castigarle del delito passado, y que se pueda poner desta manera, lo diremos abaxo, y lo dizen comunmente los DD. y lo mismo es del entredicho personal especial, aunque no del general, porque esse ni està en uso, ni es necessario: y lo mismo diremos en la dificultad siguiente de la descomunion respeto del sumo Pontifice, mas no respecto de los demas Prelados, aunque muchos tienen lo contrario. Supuesto esto se ha de dezir, que quando estas penas se ponen, no como censuras, sino tan solamente comos penas, no es menester que preceda alguna amonicion, como tanpoco lo es menester en otras penas.] Ita doctissimus Villalobos; cui adde Hurtadum, *de cens. in genere, difficultat.* 18. *num.* 8.

5. Sed hîc non est relinquenda difficultas, an quando excommunicatio fertur à Prælato non per modum judicij, sed per modum defensionis ad defendendum jus proprium, requiratur monitio? Aliqui juris periti docent in hoc eventu non esse necessariam monitionem. Pro hac opinione aliquos refert Covarruvias infrà citandus, & eam sequitur Vgolinus, *tabula* 1. *de cens. lib.* 2. *cap.* 18. quia tunc excommunicatio non est à judice ut judex, sed ut à persona privata defendente suum jus. Probatur etiam ex *cap. delicti, de sent. excommunic.* Sed contrariam sententiam docet Covarruvias, *in cap. Alma mater* 1. *part. relect.* §. 9. cum aliis Doctoribus & sequitur P. Vasquez, *dub.* 12. *cit. num.* 15. P. Suarez, *disputat.* 3. quia jura nullam talem faciunt exceptionem, & *in cap. delicti, cit.* nihil contra hoc dicitur: & hoc etiam docet Turrian. *de cens. lib.* 2. *disp.* 18. *dub.* 5.

6. Non desinam etiam hîc adnotare dubium, de quo his diebus interrogatus fui, nempe, an si à jure decreta sit excommunicatio, vel alia censura, non latæ, sed ferendæ sententiæ, verbi gratia, qui talè crimen commiserit, excommunicetur, suspendatur, &c. an inquam, in tali judex contra reum convictum possit procedere ad excommunicationem ei infligendam sine alia monitione. Panormitanus, *in cap. cùm sit Romana, num.* 28. *de appellat.* & affirmativè respondet Sanchez, *de matrim. tom.* 1. *lib.* 2. *disputat.* 24. *num.* 28. & Avila, *part.* 2. *cap.* 5. *disputat.* 1. *dub.* 5. *concl.* 1. ubi ait: In tali casu judicem licitè posse ferre sententiam excommunicationis sine alia monitione, sed meliùs faciet si præmittat unam saltem monitionem. Ita Avila, qui citat Covarruvias, *in cap. Alma mater.* 1. *part.* §. 9. *num.* 5. quibus ego addo Bonacinam, *de cens. disputatione prima, quæst.* 1. *punct.* 9. *numer.* 3. quia, ait ille, adest sufficiens admonitio ex parte judicis, & sufficiens contumacia ex parte delinquentis, qui novit prohibitionem sub pœna censuræ ferendæ, quia non est major ratio, cur ad ferendam ipso facto censuram antea comminatoriè latam, nova requiratur admonitio distincta à prohibitione, non autem requiratur, dum præceptum, vel prohibitio edita est sub pœna censuræ ipso facto: seu ad hanc non requiritur nova publicatio: ergo neque ad illam. Et hanc sententiam probabilem putat Cornejo, *in* 3. *part. tractat.* 5. *de cens. in gen. disputatione* 5. *dub.* 2.

7. Sed mihi contraria sententia magis placet, quam tuetur Cornejo, *loco citato*, cum Hurtado, *de cens. in com. difficultat.* 8. *numer.* 79. & Suarez, *disputatione* 3. *sect.* 10. *numer.* 19. quod colligitur *ex cap. reprehensibilis, de appellat.* vbi sic habetur: Nec Prælati (nisi canonica monitione præmissa) suspensionis, vel excommunicationis sententiam ferunt in subjectos, nisi fortè talis sit culpa, quæ ipso suo genere (id est, ex se, seu ipso facto, ait glossa, *ibidem*) suspensionis, vel excommunicationis pœnam inducat. Cùm igitur exceptio firmet regulam in aliis, sequitur ad omnem omnino censuram, quæ non ipso facto seu criminis admissione incurritur, sed à judice actualiter infligenda est, canonicam monitionem (eamque trinam, per se loquendo) necessario præmittendam esse. Ratio est, quia ob crimen merè præteritum, aut emendatum, neque excommunicatio, neque alia propriè dicta censura infligi potest, ut suprà dictum. Si autem judex excommunicationem, aliamve censuram sententiæ ferendæ exequi posset contra criminosum, nulla præcedente monitione, tunc sæpe accideret censuram infligi propter crimen merè præteritum, aut emendatum. Quid enim si reus citatus, & crimen

men confessus, ab eo absistere velit, & Ecclesiæ satisfacere, profectò excommunicari non poterit, cùm potiùs tunc absolvi deberet, si antea excommunicationem incurrisset, juxt. *c. quæ fronte, de appel.* Confirmatur ex eo quòd censura hæc actualiter non à lege feratur, sed ad homine, ideóque legis monitio præcedat saltem ordinariè, & nisi aliud causæ gravitas, seu necessitas requirat. Ergo, &c.

8. Advertendum est tamen, quòd etiam stando in prima opinione judex talem reum non poterit excommunicare sine citatione, dando ei terminum ad allegandum pro se. Ita Soto *d. 22. quæst. 2. art. 2. in 2. concl.* quod adeò verum est, ut etiam quando lex excommunicat ipso facto, non possit judex declarare excommunicatum trangressorem sine citatione, ut docet Philip. Decius *cap. pervenit el. 1. de appellat.* Navarr. *cap. 27. num. 10. & lib. 5. co ist. tit. de sent. excom. cons. 20. n. 4.* & alij multi, quos refert & sequitur Covarr. *n. cit. circa finem*, nisi delictum esset notorium, pro qua limitatione facit quod tradit ipse Covarr. *ibid. num. 6. vers. & hæc quidem.* Eamdem ponit Navar. *cons. cit.* & adeò verum est requiri citationem ad declarandum transgressorem incurrisse excommunicationem juris ipso facto impositam, ut si aliter fiat, declaratio sit nulla. Ita tenent multi Doctores quos refert & sequitur Covarr. *ibid. num. 5.* & Navarr. *consil. citato.* Et hæc omnia docet Avila *ubi supra concl. 2.* cui adde Bonacinam in editione novissima *loco citato.*

RESOL. V.

An censura sine trina monitione non solum sit illicita, sed invalida?

Et in textu hujus Resolutionis multa discutiuntur pro firmanda doctrina supra dicta quæstionis. Ex part. 5. tract. 9. Resol. 19.

§. 1. REspondeo negativè. Vnde quamvis judex peccet excommunicando in casibus non permissis sine trina monitione, aut una pro trina, nihilominus censura ita lata valida est, dummodo, aliqua monitio etiam simplex præcesserit. Et ratio est, quia hæc trina monitio non est inducta à jure, ut quid substantiale pertinens ad essentiam censuræ, sed solùm ut quid accidentale pertinens ad solemnitatem, ut facile colligitur ex *cap. sacro, de sent. excom.* ubi supponitur excommunicationem latam sine trina monitione posse esse justam, quamvis judex eam ferens sit dignus pœna, sed non posset esse justa, si esset nulla & invalida. Ergo: & nota quòd *in cap. Romana, de sent. excom. in 6.* censuræ sine competenti monitione latæ dicuntur injustæ, non obstante quòd *in cap. sacro, de sent. excom.* dicantur justæ, quia sunt iniquè datæ, & contra legem, quæ præcipit ferendas esse præmissa canonica monitione; cum quo tamen stat quòd possint interdum non esse contra justitiam commutativam, vel distributivam, & ex hac parte possunt appellari justæ, ut vocantur in dicto cap. *sacro.*

2. Notandum est tamen hîc primò, quòd unaquæque harum trium monitionum aliquo dierum intervallo fieri debet, nisi periculum sit in mora, vel aliqua justa causa arbitrio judicis pensanda. Secundo necessitate urgente posse licitè trinam monitionem, aut unam pro trina omitti, ut in casu, quo Clericus subitò à judice seculari ad ultimum supplicium deferretur, & jam non executio instaret, posset tunc & deberet talis judex ab Episcopo excommunicari ipso facto sine prævia monitione trina, aut quæ tribus æquivaleat propter tria temporis intervalla designata, quia si hæc expectanda forent, interim Clericus interficeretur, & irrideretur Ecclesiastica potestas, quod intelligendum est, modò pars aliqua futuri temporis etiam designata, quæ saltem ad deliberandum sufficiat, judici seculari concedatur. Tertiò, dictæ monitiones debent fieri coram personis idoneis, ad testificandum si opus fuerit. Quartò debent fieti in propria persona ejus, qui est censura ligandus, licet hoc in aliquibus casibus non sit necessarium. Et de his omnibus suprà dictis vide Fabrum *de cens. in 4. sent. dist. 25. qu. 1. disp. 4. cap. 2. num. 75.* Bonacinam *de cens. disp. 1. qu. 1. punct. 9. num. 6.* Cornejo *in 3. part. tr. 5. de cens. in genere, disput. 5. dub. 2. per totum* Villabos *in summ. tom. 1. tr. 16. diffic. 7. per totam.* Hurtado *de cens. in comm. diffic. 19. & 20.* Coninch *de Sacram. disput. 13. dub. 9. n. 79.* Avilam *de cens. part. 2. cap. 5. disp. 1. dub. 7. & seq.* Sup. hoc quarto in Resol. seq. §. 2. à lin. 4.

3. Notandum est tamen hîc contra Sayrum *de cens. lib. 1. cap. 12. num. 23.* malè citantem pro se, Covarr. & Hugolinum, sine monitionibus censuram ferri non posse, etiam si ante monitiones constet de contumacia rei, ut si publicè asseveraverit cum juramento se monitionibus non pariturum. Ita Suar. *de cens. disp. 3. sect. 10. num 8.* & Cornejo *ubi supra.* Vbi etiam notat non posse subditum cedere juri monitionis canonicæ, ita ut non prævia trina monitione ligari possit per censuram.

RESOL. VI.

An declaratoria incursionis in censuras latas contra N. sit valida?

Et multa adducuntur pro defectu citationis in prædicto casu.

Et infertur, quod ab incursione censurarum excusat ignorantia moraliter vincibilis; & in aliquibus casibus ignorantia etiam crassa, & supina, dummodo non sit affectata.

Et docetur ignorantiam probari posse per juramentum; sed si jurare quis recusat, debet haberi pro excommunicato, &c.

Et asseritur Clericos, & Beneficiarios non amittere privilegium fori, etiam si se immisceant enormibus, & incedant in habitu laicali, nisi prius ter moneantur, & præcedat Declaratoria judicis Ecclesiastici.

Et multa alia pro firmanda doctrinâ prædictarum quæstionum adducuntur, & tota doctrina est valde notanda. Ex part. 10. tract. 12. & Misc. 2. Resol. 4.

§. 1. SVpposita veritate facti in scripturis impressis exhibita, assero primò, Declaratoriam incursionis alicujus censuræ à jure latæ sine prævia citatione esse nullam. Ita Cornejo *in 5. par. D. Thomæ, tom. 2. tr. de cens. in gen. dis. 5. dub. 2. quæst. 6.* Avila *de cens. par. 2. cap. 5. disp. 1. dub. 5. concl. 2.* & alij Iurisconsulti, & Canonistæ, quos ad satietatem adducit Chartarius, *in decis. Crimin. 61. num. 22.* assero secundo, in declaratoriam excommunicationis illegitimam minimè producere effectum; ne constituere reum in mora, tanquam nullam *ex capit. Gratum de offic. deleg. capit. Bona, de elect.* Glossa *in capit. in jus vocetur*; & inter illos Ludovicus Messia *in l. Regiam Toleti part. 10. fund. 1. numero 24.* Cabedo, *par. 2. decis. 15. num. 13.* Carlevalius *de Iudiciis, disp. 2. quæst. 7. sect. 3 num. 879* Giurba, *cons. 48. num. 45.* Daniel de Nobilibus *in Select. contr. Sacri & civilis juris, disp. 1. num. 32* Io Zangerus *tr. de excep. par. 2. cap. 3.* Sup hoc sup. in Resol 4 §. ult. à lin. 3.

cap. 3. num. 35. Matthæus de Afflictis, *decis. 369. numer. 16.*

2. His positis, respondeo, declaratoriam censurarum contra N. fuisse nullam ex defectu citationis inualidæ. Probatur, quia in causa gravi non sufficit citatio ad domum, sed debet fieri* personaliter ex *leg. Ignorare Cod. de Restitut. in integr.* & docet Innocentius communiter receptus *in c. fin. de eo, qui mittitur in possess.* Felinus, *in c. Cum sit Romanæ, n. 13. de appel.* Covarr. *in c. Alma. Mater. part. 1. §. 9. n. 4.* Guttierrez, *in Can. Q Q. lib. 2. c. 16. n. 15.* Menoch. *de arbitr. Cent. 6. casu 541. num. 4.* Quibus adde omninò videndum Gratianum, *in discept. forens. t. 2. c. 531. n. 67.* & in specie loquens de excommunicatione asserit Salgadus, *de reten. Bull. part. 2. cap. 24. num. 12.* debere ad excommunicationem præcedere citationem personalem.

* Sup. hoc in Res. præterita § 2. post medium, à vers. Quarto.

3. Nec obstat dicere, quod sufficit citatio facta ad domũ solitæ habitationis, si personaliter reus non invenitur, hoc referente Nuntio ex pluribus Doctoribus firmat Marius Antonius, *var. lib. 1. resolut. 58. numero 16.* & Ciarlinus *Rer. quotid. tomo 2. capit. 148. numero 8. & seqq.* Non inquam hoc obstat, nam talis doctrina procedit, ut observat Sperellus, *tomo 1. dec. 48. num. 34.* Narbona *Recopil. lib. 2. tit. 4. lib. 60* Glossa unic. *numero 7. ex cap. Quoniam §. Porro, ut lite non contestata, lib. 6.* & tradit Glossa *in cap. si Capitulo ver. factam, de concess. præbend. in 6.* & alij communiter, quando reus dolosè se abscondit, ne personaliter citetur: tunc enim citatio ad domum sufficit, ac si esset personalis. Et ideo individualiter pro casu nostro sic asserit Marcellus Vulpe *in Praxi Judiciali, capit. 1. num. 48.* Notandum est, quod nullo modo excommunicari potest is, qui fuit citatus domi; sed est citandus personaliter nisi antea probetur ad ejus notitiam citationem pervenisse: aliàs sententia excommunicationis non valeret, nisi excommunicandus dolo latitaret, vel subterfugeret citationem personalem. Ita ille. Ergo cùm in casu nostro N. dolosè non latitaret, sed jussu superiorum causa muneris publici absens esset, ut Regius Fiscus protestavit, & petiit terminum competentem, ut dictus N. veniret ad se defendendum; sequitur necessariò, quod citatio facta in ejus domo nullius valoris fuit, nam personaliter in re tam gravi, ut probatum est supra, facienda erat, ut de facto fieri poterat, dum N. esset reversurus intra terminum constituendum à Reverendissimo Domino vicario, ut Regius Fiscus poscebat.

4. Confirmatur supradicta sententia pro casu nostro individualiter ex notabili, & celebri Glossa *in Clem. 1. de pœnis, verb. Quam citò commodè poteris:* ubi determinat, non debere Iudicem quemquam declarare excommunicatum; nisi prius eo vocato, viderit illum esse morosum præmissa super hoc summaria cognitione. Ita Glossa. Sed in nostro casu N. erat absens, & nihil scire poterat de citatione facta in ejus domo, cujus copiam satellites neque domi reliquerunt, imo quæsiti præbere nolverunt & tamen ut notat Regens de Vico *in Pragmat. Regni Sardiniæ, tomo 1. tit. 9. capit. 9. num. 16.* & Puteus, *decis. 9. de dolo, & contumacia*: copia citationis est Parti tradenda: quod cùm non fuerit executum; citationem omnino nullam esse, dici potest, & citatum non esse contumacem, ut ex Textu *in cap. Cum in jure de Offic. deleg. cap. præterea de dilat.* & in *lege Prohibitum Codic. de jure Fisci, lib. 10.* & in Clem. *Causam, de electione in fine*, & in *capit. 17. quæst. 2. de confirmatione utili, vel inutili cap. penult.* & tradunt Specul. *in tit. de Citation. sub num. 27.* latè Roman. *cons. 336. num. 7. & seqq.* ubi Add. Angel. *cons. 8. sub numero 2. vers. 2. quia*, Ancharan. *in Clement. 1. de Judic. col. 2. vers. Et ideo clarius*, Vant. *de nullit. ex defect. citat. num. 31. & 47.* Maranta *de ordine Judic. part. 6. 1. membro Judic. num. 75.* Gayl. *pract. lib. 1. cap. 48. num. 7.* Asin. *in praxi, §. 5. cap. 2. num. 30.* quibus omnibus adde Danielem de nobilibus *in controvers. Selectis juris Sacri, & Civilis, disput. 1. num. 28* Itaque ex his omnibus apparet apertissimè Reverendissimum D. Vicarium in tali casu non potuisse illum ut vult Glossa, tanquam morosum habere N. atque invalidè ad declaratoriam censurarum processisse, dicendum est: quia allegata ejus absentia à Fisco Regio, saltem debebat terminum competentem præbere, ut postea datus fuit; etsi intra illum non compareret, tunc tanquam morosum ut ait Glossa poterat illum in censuras incidisse, declarare.

5. Nec supradictis obstat asserere, quod delictum N. erat notorium: & quando delictum cui de jure annexa est excommmunicatio, notorium est, citatio nulla requiritur, ut tenet Abbas *in cap. Reprehensibilis de appellat. num. 8.* Bovius *respond. ad considerationes Pauli Servitæ, part. 6. folio 105.* Fagnatius *in defens. censur. Pauli V. folio 133.* Theologi Religionis Servorum *in eadem materia, cap. 12. folio 281.* Ioannes Beltranus Guevarra *in Propugnaculo Ecclesiasticæ libertatis, part. 2. §. 3. assert. 2. num. 48.* Avila *de censur. part. 2. cap. 5. dis. 1. dub. 5. concl. 2.* Garcias *in Polit. Regular. tom. 1. tractat. 8. difficul. 3. dub. 2. punct. 2. num. 4* Suarez *de censur. disp. 3. sect. 15. num. 20.* Alterius *lib. 3. disp. 5. cap. 3. versic. 3. dub. 9.* Gayl. *Practicar. observat, lib. 1. observat. 67. num. 9.* Maynardus *de Privileg. Ecclesiast, parte 2. artic. 25. num. 17.* Layman *lib. 1. tract. 5. part. 1. cap. 5. num. 6.* & alij penes ipsos, unde Andreas, Magerus *in tract. de Advocatia Armata, cap. 8. num. 176.* ex multis firmat, quod in notoriis solemnitas juris relaxatur.

6. Respondeo, enim sententiam horum Doctorum procedere quando cum facto notorio simul notorium est, factum illud nullam habere excusationem; nec Reus aliquid allegare posset, & ita docet Ioannes Solorzanus *de Indiarum jure tomo 2. lib. 2. capit. 27. numero 88.* necnon heu quondam noster Ioannes Baptista Larrea *in allegat. fiscal. tomo 1. allegat. 5. num. 6. in fin.* quibus adde Petrum Antonium de Petra *de Potest. Principum, capite 27. numero 28.* qui citat Glossam, Abbatem, Curtium & alios. Vnde loquens in materia censurarum, Genuensis in Praxi *Archiep. cap. 23. numero 6.* dicit quod secundum communem Doctorum opinionem declaratio excommunicationis debet fieri parte citata ad dicendum causam, quare non debeat declarari excommunicata; idque limitat procedere in excessu notorio, dummodo certum sit, non posse comperere aliquam justam excusationem: subjungens, semper esse tutius citare; quia multa dicuntur notoria, quæ non sunt. Hinc Hostiensis *in capit. Pervenit 1. extra de appel.* concludit, quod si factum est notorium; tamen non est certum, quod absenti competat, vel non competat defensio, non potest fieri denunciatio excommunicationis, vel alia exequtio, sed requiritur citatio partis, & causæ cognitio. Hoc etiam docuit Castrensis, *lib. 2. cons. 422. num. 2.* Panorm. *lib. 2. Cons. 68. n. 4.* & Calder. *cons. 171. n. 1.* vide etiam Caspensem *in cur. Theol. tom. 2. tract. 24. disp. 2. sect. 2. n. 15.* Hurtadum *de excommunicat. diff. 3. n. 9.* Fagundez *part. 1. lib. 2. cap. 5. n. 12.* Sayrum *de cens. lib. 2. cap. 12. n. 18.* & me citato, Franciscum Nigrum *de ordine celebrand. Missas, part. 7. §. 9. n. 19.*

7. Sed audiamus Castrum Palaum *tom. 6. disp. 1. punct. 5. num. 1.* ubi sic ait: Commisisti delictum cui est annexa censura: poterit ne declarare & denunciare

nunciare esse ligatum absque monitione? Respondeo posse dummodo delictum publicum sit, & notorium, debet tamen delictum notorium esse, ut nulla tergiversatione celari possit, aut executionem admittere; alias ea declaratio illicita esset contra jus naturæ, & juridicum ordinem procedendi. Ita Palaus. Sed in casu nostro, de quo loquimur, licet esset notorium N. damnasse ad mortem dictum assertum Clericum Beneficiarum; tamen non erat simul notorium ipsum nullam excusationem habere in sui defensionem. Ergo necessaria erat citatio ad declarandum in censuras incidisse, effectum ad ut ipse si causas excusantes in suam defensionem haberet, in judicio posset illas producere; provt de facto prædictus N. habebat per quas necessario erat deveniendum ad declaratoriam, ut factum fuit.

8. Et primo quia ipse nunquam scivit dictum N. fuisse assertum Clericum; nec homo externus, qui tantum per duos annos N. habitaverat, poterat, & tenebatur scire omnes Clericos N. Ergo ratione ignorantiæ excusandus venerat ab incursione censuræ: nam ab ipsa etiam liberat ignorantia moraliter vincibilis, & in aliquibus casibus etiam ignorantia crassa, & supina, dummodo non fuerit affectata. Et ita ex Sanchez, docet Franciscus Lugo, *de Principiis moralibus, part. 2. cap. 4. quæst. 9 numer. 77.* quibus adde Leonem, *de Censuris, Recollect. 5. numer. 180.* Villalobos, *tom. 1. tract. 17. difficultat. 21. num. 3.* Ciarlinium, *contr. forens. tom. 2. cap. 55. num. 9.* Castrum Palaum, *tom. 1. tr. 2. disp. 1. punct. 18. num. 2.* & omninò videndum Merollam, *in Theolog. mor. tom. 1. c. 2. disp. 1. dub. 16. n. 22. cum seqq.*

9. Confirmatur hæc doctrina variis exemplis, quæ videre poteris penes illustrissimum Præsidem Covarruviam, *in capite Alma mater part. 1. §. 10. numer. 13.* Chartarium, *decis. Crim. 56 numer. 29. & seqq.* Et ideo pro re nostra dicendum est; si quis Clericum incedentem in habitu laicali, & sine tonsura, comamve nutrientem percusserit, ignorans eum esse Clericum, probabilis est ignorantia; quia talis quis præsumitur, in quali habitu reperitur: nec ille percussor in sententiam excommunicationis incurrit. Sic tenent Glossa, & Turrecremata, *in cap. si quis suadente 17. quæstione quarta*, Angelus *verb. Excommunicatio 5. cas. 1. numer. 25.* Tabiena, *eodem verb. Excommunicatio 5. cas. 1. numer. 21.* Sylvester, *eodem verb. Excommunicatio 6. numero 6.* Leo *de Cens. Recollect. 5 numer. 178* Sayrus, *de Censuris libro tertio, cap. 27. numero secundo.* Itaque ex his omnibus sequitur, necessario N. cùm ignorasset assertum Clericum N. minimè in Censuras prætensas incidisse. Et talem ignorantiam probari posse per ejus juramentum, docet *cap. Pastoralis de except. cap. si verò, il 2. de sentent. Excommunic.* Abbas *in cap. cognoscentes numer. 9. de Constit.* ubi Felinus, Abbas *consil. 9. numer. 48.* ubi, quod sic etiam probatur error; Menochius, *consil. 389. sub numer. 22. libro quarto*, Bursatus, *consil. 181. numer. 52. libro secundo*, Gabriel, *consil. 52. numer. 17. libro 1.* latè Mascardus, *de probat. concl. 881. numer. 1. & sequentibus*, Gratianus, *cons. 152. num. 14. 15. lib. 2* Seraphinus, *de privileg. juram. privil. 4. numero primo, & seqq. & privil. 9.* Osascus, *decis. Pedemont. 71. num. 25. & dec. 101. num. 23.* Azorius, *Institut. moral. libro 1. capite 16. quæstione 2.* Alterius *de Excommunic. Bulla, disput. 10. lib. 5. cap. 4. folio 579. col. 1. circa finem* Bonacina, *de pecc. disput. 2. quæst. 8. punct. 3. numer. 13.* Graffius, *decis. aur. part. 2. lib. 2. cap. 9. num. 20. & 26.* quibus adde Gaballum, *Resol. Crim. cas. 199 numero 26.* Vivium, *dec. 305. numer. 21.* Novarrium, *in Pragmaticas Regni Neapolitani, tit. de monetis, Pragm. 2. collect. 3. numero 11.* Danielem de Nobilibus, *in Selectis disputationibus Iuris Sacri, & Civilis disputatione 17. num. 48.* & Laurentium de Portell. *in Respons. Regul. tom. 1. capite 27. num. 31.* Qui etiam ait, quod stante dubio, stabitur juramento illius; & quod etiam præsumptio juris elidatur per juramentum in contrarium, ut habetur *in cap. In tua, de eo qui in matrimon. accus. potest*, & Glossa, *ibidem in fine Casus.* Quod etiam novissimè docui, *in part. 9. tr 4. resolutione 42.* & docent Leo, *de Cens. Recollect. 5. numer. 105.* asserens ignorantiam in foro externo probari juramento. Quod apertissimè patet *ex cap. Si verò 2. de sentent. Excommunic.* ibi; vel si hoc dubium fuerit, (intellige, apud forum externum) propria manu dumtaxat præstiterit juramentum, quod eum esse clericum ignorasset; ubi Glossa, *verb. Propria manu*, subdit, soli Sacramento creditur, quando de Conscientia alicujus dubitatur, vel quæritur. Si autem jurare recusabit, debet haberi pro Excommunicato, ut ibi *in eodem Textu* subdit summus Pontifex. Vbi Glossa, *verb. noluerit.* Subdit: Hoc ipso, quod jurare non vult, præsumptio est contra eum: in tantum, quod tanquam Excommunicatus vitabitur. Quæ omnia casum nostrum in terminis declarasse patet: Nam N. non solum non recusat jurare, sed se exhibet ignorantiam suam circa Clericatum dicti rei N. solemni, & sacrosancto juramento firmare. Ergo.

Quæ hic est infra in tr. 2. Res. 25. in §. vlt. ad lin. §. & melius in tom. 7. tr. 1. Res. 19 §. 2. & seqq & in Res. 232 §. vlt. post medium, à vers. quod ignorantia.

10. Secundò N. invenit dictum N. assertum Clericum Beneficiatum in habitu laicali cum armis totatis brevibus, & oblongis, sine vllo vestigio Clericatus: & talis habendus, & reputandus est quis, quali in statu fuit repertus; ut in specie tradunt Alexander, *cons. 409. n. 9. lib. 6.* Decianus, *lib. 4. c. 9. n. 100.* Vincentius de Franchis. *dec. 189. num. 6. part. 1.* Menochius omninò videndus, *tom. 10. consil. 912. num. 4. & seqq. & tract. de præsumpt. libro 6. præsumpt. 76. numer. 17. cum seqq.* & adest Textus expressus *in cap. si Iudex Laicus, de sentent. Excommunicat. in 6.* ubi sic habetur: Iustum est enim, ut ipse talis, qualem gestaret habitum, (quousque appareat aliud præsumatur; & qualis is esse, cujus fert habitum, comprobatur. Ita ibi Pontifex facit commune axioma, quod Clericatus non præsumitur: ut notat Innocentius *in cap. super his numero decimo, in fine de accusat.* & docet Boërius, *decisione 171. numer. 15.* Aymon Cravetta, *consil. 93. num. 1.* & alij. Imo vnusquisque præsumitur laicus, & etiam in dubio; ut tradit Decius, *cons 152. num. 6.* cum aliis. His omnibus adde, quod dictus N. postquam captus fuit in habitu laicali, modo quo suprà dictum est, cum postea in judicium vocaretur, nunquam potestavit, se esse Clericum; nec vnquam postulavit Declaratoriam fori. Ergo damnando illum N. ad mortem, nullam incurrisse Censuram dicendum est; cùm nunquam de ejus prætenso Clericatu, nec leve quidem vestigium habuerit, sed semper invincibiliter ignoraverit.

11. Tertiò licet *ex cap. In audiendâ, cap. Contingit de sent. excommunicat. cap. fin. de vita, & honest. Clericor. & cap. 1. eodem tit. in 6.* asserant aliqui Doctores, Clericos, & Beneficiarios non amittere privilegium fori, etiamsi se misceant enormibus, & incedant in habitu laicali, nisi prius ter moneantur, & præcedat declaratio Iudicis Ecclesiastici; & ita sentiunt Pereira, *de manu Regia part. 2. cap. 26. numer. 12.* Cevallos, *de cognit. per viam violent. part. 2. quæst. 175. per totam*, Torreblanca, *in Pract. iur. Eccles. lib. 15. cap. 4. num. 52.* Augianus, *de legibus, lib. 2. controu. 15. numer. 18. & seqq.* Dicastillus, *de Iust. lib. 2. tr. 1. disputatione 4 dub. 19. numer. 353.* Garzias, *in Summa Theol. moral. tr. 1. difficul. 3. dub. 2. punct. 2. numer. 17.* Castrus Palaus, *tom. 2. tr. 12. disputatione unica, punct. 6. numer. 5.* Squillante, *de Privileg. Cler. cap. 7. num. 32.* Suarez, *contra Regem Angliæ, lib. 4. capite 27. num. 23. & seqq.* quibus adde alios 30. Doctores, quos citat, & sequitur Carthasius

quæ nunc est in rom 9. tr. 2. Ref. 162. §. 4. in fin. & latè ibi ifi Ref. 109. & in cæteris aliis ejus primæ, & secundæ annot.

rius *decis. Crimin.* 58. *num.* 10. *& seqq.* cum aliis à me *part.* 1. *sp.* 2. *resolut.* 129. citatis. Attamen, his non obstantibus, contrariam sententiam docent 50. Doctores, quos Marius Cutellius, *de Immun. Eccles. lib.* 2. *quæst.* 24. *num.* 4. citat, & sequitur, ante illum adduxerat Bobadilla, *in Politica, lib.* 2. *cap.* 28. *n.* 95. *in Glossa, l. B.* Probatur hæc opinio *ex cap. Perpendimus de sent. excommunicat. ex cap.* 1. *de Apostatis, & ex cap. ex parte, qui est* 23. *in ordine de Priv.* & ego ubi supra pro hac sententia cito præstantissimos Theologos, nempe Molinam & Reginaldum ex Societate, Coriolanum Cappucinum, & ex Prædicatorum Familia doctissimum Sylvestrum, cujus verba mirifice faciunt pro N. Sic itaque asserit, *verb. excommunicatio* 6. *num.* 7. Ego dico, quod prima opinio id est, Ioan. Andr. est verior, quia in casu *cap. Perpendimus*, Sacerdos fuit occisus per Iudicem. Nec obstat, quod ibi Pœnitentia imponitur, licet non inciderit in Canonem, quia ut ibi dicit Glossa, *est ad cautelam.* Vnde hæc opinio est prædicanda, ubi judices Ecclesiastici sunt in puniendo negligentes, vel periculum in mora non patitur eos adire, vel enormitas facinorum pœnam majorem expetit, arbitrio bonorum, quàm Ecclesia possit inferre: ut quia sunt publica, & scandalosa, & reipublicæ valdè nociva. Et licet degradatio in enormibus prius regulariter requiratur; secus in casu expresso à jure. Adde primò, quod quia ratio, quare competit privilegium fori est professio, vel ordo Sacer, secundum Panormitanum, *in capite* 11. *de for. compet.* quantum ad hoc idem videtur judicium de Clerico existente in Sacris, & de Apostata à Religione, cùm æqualiter utrique prohibeatur regressus ad sæculum, quæ est ratio utriusque institutionis. Adde secundo, quod in neutro habet locum trina monitio, ubi de incorrigibilitate constat evidenter: ut quia fuerunt capti & fregerunt carceres, & sciunt Prælatos se insequi & hujusmodi. Hucusque Sylvester cujus verba videntur describere individualiter casum præsentem Clerici N. qui secundum Sylvestrum, & Doctores citatos, jam propter sua scelera enormissima amiserat privilegium Fori, nec cum ipso necessaria erat monitio, & Iudicis Ecclesiastici declaratio: sicut etiam individualiter asserit omnino videndus Menochius, *tom.* 10. *consil.* 912. Vnde apparet, hanc opinionem tantorum virorum authoritate fulcitam potuisse à Domino N. adduci in executionem, & sui defensionem, quod in censuram non incurrerit. Verùm, quicquid sit de hac quæstione, & difficultate, circa quam video inter se Doctores acerrimè digladiari; existimo pro defensione D. N. non esse ad illam necessario recurrendum, quia ipse non damnavit ad mortem dictum N. ut Clericum, cum ejus Clericatum prorsus nesciebat: Sed illum tanquam Laicum criminosum sibi subditum laqueo suspendit. Et ideo neque in Censuram Bullæ Cœnæ, neque in Censuram *cap. Si quis suadente Diabolo*, incurrisse dicendum est, & ita ego sentio, salvo, &c.

RESOL. VII.

An excommunicatio sit actus irretractabilis seu irreparabilis ad mentem Concilij Tridentini, sess. 13. cap. 1. de reformat?

Et explanantur, quænam sint gravamina irreparabilia ex Declaratione Sacræ Congregationis, facto verbo cum Sanctissimo tunc Clement. VIII. à quibus subditus possit appellare à sententia interloquutoria, & decidatur, quid sunt excommunicatio, suspensio, interdictum, tortura, carceratio, & alia hujusmodi, quæ contineant factum, quod infectum esse non potest. Ex part. 9. tractat. 8. & Misc. 3. Resol. 21.

§. 1. NEgativam sententiam in una Eldensi censurarum docuerunt plures Advocati hujus Romanæ Curiæ, viri quidem docti, quos ego nominatim subscriptos vidi. Idem docuit Antonius Planes Canonicus Ecclesiæ Almensis, *in quadam allegatione impressa*, quam approbarunt, & subscripserunt 30. Theologi ex Dominicana Familia, ex Societate Iesu, ac aliarum Religionum, cum doctis Fontanella, Xammar, & aliis Iurisconsultis Barcinonensibus. Quia per actus irretractabiles illi solùm intelliguntur, in quibus per revocationem, quæ subsequi potest, non potest concedi restitutio exequutionem passo ad primævum illum statum, ut docet Alexander, *in l.* 4. §. *Condemnatum, numer.* 20. *ff. de re judicata*, & *ibi* Iason, *numer.* 24. Sed in excommunicatione per absolutionem plena consequitur restitutio: ergo, &c.

2. Sed ego de hoc casu interrogatus, non potui adhærere supradictæ sententiæ, & illam acriter impugnavi, affirmativam docendo. Quæ apertè probatur: nam Concilium Tridentinum, *sess.* 13, *capite* 1. *de reform.* cùm determinasset à sententia interloquutoria posse aliquem appellare, si contineat gravamen irreparabile, quod per definitivam reparari nequit; consulta Sacra Congregatio, quænam essent dicta gravamina irreparabilia, facto verbo cum Sanctissimo tunc Clemente VIII. respondit esse torturam, excommunicationem, & carcerationem, ut patet in decreto edito Romæ die 16. Octobris, 1600. quod per extensum apponit Piasecius in praxi, *part.* 2. *cap.* 4. *artic.* 15. *num.* 6. Riccius, *in Praxi, tom.* 1. *resol.* 104. Barbosa, *in Concil. Trident. sess.* 13. *cap.* 1. *num.* 22. & Doctores infra citandi, quorum verba accipe. Leandrus à Murcia *in qq. Regularibus, ad cap.* 10. *Regulæ S. Francisci, quæst.* 6. *num.* 10. [Solo pueden apelar los subditos de la sentencia definitiva, y no de las interlocutorias, sino fuesse tal el daño, y gravamen, que se le siguiesse dellas, que no se pudiesse reparar por la apelacion de la difinitiva: assi lo enseñan Peyrinis *de Religioso subdito, tom.* 1. *quæst.* 1. *cap.* 20. *post primum dictum*, §. *Advertendum tamen*, y Spathario *tract.* 10. *part.* 4. *capite* 1. *numer.* 2. y se prueva, porque assi lo determino Pio IV. universalmente por la Constitucion, que empiça: *de salute gregis Dominici*, la qual refiere Cherubino en el Bulario, *tom.* 2. *in Pio IV.* y lo ordeno tambien el Concilio Tridentino, *en la sess* 13. *c.* 1. *de reform.* y la razon es, porque la tal apelacion seria frivola, y sin causa, pues el subdito apelando de la difinitiva, se podria reparar del gravamen; luego no puede apelar de la interlocutoria, y si ya hiziere no ha de ser oido. Dixe: sino es que el gravamen no se pudiesse reparar por la apelacion de la difinitiva, como son aquellos gravamenes, que por el mismo caso, que se los imponen à alguno, tienen luego su efecto, como la carcel, la descommunion, suspension, entredicho, ò el tormento, de los quales es licito apelar, aunque se impongan por sentencia interlocutoria,]

3. Peyrinus *de Religioso subdito, tom.* 1. *quæst.* 1. *cap.* 20. [Gravamina autem, quæ per appellationem à definitiva sententia reparari non possunt, sunt illa, quæ eo ipso quòd sunt illata, suum sortiuntur effectum; v. g. carcer, excommunicatio, suspensio, interdictum, tortura.]

4. Prosper de Augustino, *in Add. ad Summ. Bull.* Quaranta, *verb. Archiepiscopi authoritas, numer.* 20. *lit. K.* [Gravamen irreparabile dicitur omnis actus irretractabilis ferens secum executionem in instanti ut excommunicatio, carceratio, tortura, & alia hujusmodi, quæ continent factum, quod infectum esse

esse non potest, *l. in Bello §. Facta, ff. de capt. & postlim. rever.* ideò illud gravamen irreparabile censetur. Doctores *in l. Quod jussit ff. de re judic.* Diaz reg. 39.]

5. Lezana *in Sum. tom. 3 verb. Appellare, n. 17.* [Cùm sententia duplex sit, altera definitiva, altera interloquutoria, ita ut definitiva sit, quæ fertur super causa principali, de qua lis agitur, v. g. an Religiosus fuerit fornicator : interloquutoria verò, quæ fertur super dubiis, quæ emergunt in ipsa causa, v. g. de teste aliquo recipiendo, dilatione danda, &c. ideò appellatio fieri potest ab utraque sententia ; ita tamen, quòd ab interloquutoria communiter non liceat, nisi contineat damnum irreparabile. Concilium Tridentinum *sess. 13. cap. 1. de reform.* & *sess. 24. cap. 20. de reform.* Hoc autem damnum irreparabile est, v. g. tortura, excommunicatio, suspensio, interdictum, imò etiam ex declaratione Sacr. Congregationis, incarceratio.]

6. Idem etiam iisdem verbis docet Naldus *in Summa, verb. Appellatio, num. 2.* Ciarlinius *in contr. jur. tom. 2. cap. 125. n. 68* Zipæus *de jure Pont. lib. 2. tit. de appellat. n. 10.* & alij. Vnde ex his patet, me rectè, ut dixi, non potuisse in illo casu contingenti adhærere voto illorum Doctorum asserentium, excommunicationem non esse actum irreparabilem, & irretractabilem ; nec enim absolutio postea à censura obtenta, potest tollere damnum ab excommunicato per illam jam incurso, tam ingenti, ut patet, nec indiget probatione : vnde patet responsio ad argumentum Adversariorum.

7. Nota verò, quòd Sacra Congregatio rectè apposuit in dicto Decreto carcerationem inter gravamina irreparabilia : nam, præter Doctores citatos, ita docet etiam Navarrus *in Rubrica de judiciis, num. 83.* Sforza Oddus *cons. 72. num. 37.* Sylvanus, *cons. 17. n. 2. lib. 1.* Calvacanus *de Brachio Regio, part. 2. num. 13.* ubi dicit, capturam afferre præjudicium irreparabile, sive quoad honorem, sive quoad scandala. Idem docet Genuensis *in Praxi, cap. mihi 70. num. 12.* Marcellus Vulpe etiam *in Praxi cap. 21. num. 10.* & alij penes ipsos : quibus adde Henricum Bocerum (utinam pius esset Author) *Disputationum de universo Jure, tom. 2. Class. 6. disp. 34. num. 20.* quia, præter alias rationes, licet carceratio possit per liberationem de futuro reparari, & revocari ; non tamen potest revocari de præterito respectu præjudicii ignominiæ, damnorum corporis, &c. sicut diximus de absolutione ab excommunicatione. Hæc adnotare volui : quia quando casus supradictus hîc Romæ agitabatur, visum est aliquibus nimis durum, carcerationem à Sacra Congregatione appositam esse inter gravamina irreparabilia : sed meritò hoc factum fuit, ut patet ex *superius* dictis : unde rectè, & sapienter, ut semper solent, Patres purpurati sic decreverunt.

RESOL. VIII.

An ad valorem censuræ requiratur contumacia respectu Ecclesiæ comminantis sub censura ?

Et supponitur censuram, suspensionem, & interdictum non posse validè ferri, ac proinde non incurri nisi ob peccatum exterius inobedientiæ, & contumaciæ respectu Ecclesiæ.

Et notatur, quod tripliciter contingit aliquem esse contumacem. Ex part. 5. tract. 9. Resol. 55.

§. 1. CErtum est censuram non posse validè ferri, ac proinde nec incurri, nisi ob peccatum exterius inobedientiæ, seu contumaciæ respectu Ecclesiæ. Vnde contra Caiet. *in 2. 2. q. 69. art. 2.* Almaynum *de potest. Ecclesiæ, cap. 10.* & Cordubam *in qq. Theol. lib. 2. q. 17.* Ad secundum dicendum est excommunicationem majorem, suspensionem & interdictum non posse validè ferri ob peccatum exterius præteritum factum absque inobedientia, seu contumacia respectu Ecclesiæ, seu ministrorum ejus, id est, quando non præcessit aliqua juridica monitio, seu prohibitio, qua monuerint opus illud peccaminosum non esse faciendum.

Sup. hoc inf. in resol. 14. §. ult. ad med. vers. Ex his deducitur.

2. Sed difficultas est ad valorem censuræ, an prærequiratur contumacia respectu Ecclesiæ comminantis sub censura ? & affirmativam sententiam docet Avila *p. 2. cap. 5. disp. 1. dub. 6. concl. 6* ubi sic ait : Dixi sub comminatione excommunicationis, quia nulla sufficiet contumacia, quæ non sit contra mandatum sub excommunicatione, quidquid videatur sentire Covarru. *supr. n. 6. vers. Et hæc quidem.* nam *cap. sacro, & cap. contingit el. 2. de sent. excomm.* requirunt monitionem continentem pœnam excommunicationis.

3. Notandum tamen est quòd tripliciter contingit aliquem esse contumacem ? Primo modo, quando vocatus à judice Ecclesiastico sub excommunicationis pœna non comparet. Secundò quando licèt compareat, discedit tamen ante licentiam, vel sententiam judicis. Tertiò, quando licèt compareat & perseveret usque ad sententiam judicis, tamen postea non vult parere sententiæ. Hic triplex modus contumaciæ ponitur *in canone certum est, 11. q. 3.* Ita Avila.

4. Sed sententiam Covarr. tenent Hurtad. *de censuris in comm. diffic. 12. n. 15.* quia absque fundamento aliquo talis comminatio requiritur, etenim quamvis ea comminatio non fiat ab Ecclesia, qui ei non obedit, verè dicitur contumax in Ecclesiam, & eam non audire, quod sufficit ut censura puniatur. Dicendum est igitur utramque sententiam probabilem esse ; sed ego adhæreo affirmativæ tanquam probabiliori, & ideo contra Hurtadum dicendum est cum Soto *in 4. dist. 22. q. 1. art. 2. concl. 3.* Molin. *tr. 5. de Iust. disp. 71. n. 9.* Suar. *tom. 3. in 3. p. disp. 4. sect. 5. n. 6.* Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 32. num. 13.* Graff. *p. 1. decis. lib. 4. cap. 9. num. 14.* Henriq. *lib. 13. de excom. cap. 17. num. ...* Sayro *de cens. lib. 1. cap. 9. n. 25.* Vgolin. *ed. tract. tab. 1. cap. 9. §. 5.* Avila *p. 2. cap. 5. disp. 1. dub. 6.* Coninch *de Sacram. disp. 12. dub 9. num 82.* ad valorem excommunicationis desideratur, ut præcedat monitio, non quæcumque, sed sub pœna excommunicationis, & hoc ideo fit, ut contemptus ipsius excommunicationis, & contumacia præcedat, antequam incurratur.

RESOL. IX.

An censura requirat actum consummatum ?

Et ex doctrina hujus quæstionis aliqui alij casus inferuntur, & explanantur pro praxi hujus difficultatis. Ex part. 5. tract. 9. Resol. 56.

§. 1. REspondeo affirmativè, unde quando in jure fertur aliqua censura propter aliquod peccatum, nisi aliud exprimatur, intelligêdum est de peccato in genere suo completo, & colligitur apertè *ex c. perpetuæ sanctionis, de elect. in 6.* ubi dicitur, scienter indignum eligentes non incurrere juris pœnas, nisi adeò in eo perstiterint, quòd ex votis eorum communis electio subsequatur. Vbi apertè significatur pœnam non incurri ob peccatum, quod non est omnino completum in suo genere, quòd caruit effectu ; & ratio est, quia cùm odia sint restringenda, lex imponens pœnam strictè interpretanda est. Ita Præpos. *in 3. p. q. 1. de censur. in com. dub. 6. nam. 45.* Avila *p. 2. cap. 5. disp. 3. dub. 5.* Suarez *de cens. disp. 4. sect. 3. n. 4.* Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 3. disp. 2. n. 5.* Vnde ex his infertur, quòd qui conatur percutere Clericum, si verè non percutit, vel quia erravit, vel quia impeditus fuit vel aliter, non incurrit excommunicationem canonis

si quis suadente, & qui percutit aliquem, si non sequatur mors, non incurrit censuram, si lata sit ob homicidium, quousque mors sequatur, & si non sequitur, quamvis miraculosè impediatur, nunquam incurret, quia quamvis ante mortem actio ex parte delinquentis sit perfecta, ut. significatur nomine *homicidium*, quoad actionem delinquentis, ut conjunctam cum morte; qui scribit ad aliquem, non incurrit censuram latam ob scribendum ad illum, quousque ad illum perveniat scriptura, & qui profert hæresim absque consensu hæretico interiori, non incurrit excommunicationem latam contra hæreticos, quia non est perfectè hæreticus. Et ob eamdem rationem qui consulit, aut mandat opus, cui est annexa censura, hanc non incurrit, quamvis ex consilio, aut mandato fiat opus (nisi illa sit etiam extensa ad consulentes, aut mandantes,) quia qui consulit, aut mandat opus, non efficit illud in rigore. Imò addimus quod quando censura fertur ob consilium, aut mandatum, non incurritur, si non sequitur opus, & quamvis sequatur, non incurritur ante opus secutum: at quando censura principaliter fertur ob consilium, aut mandatum, statim incurritur ante sequutum opus; & quamvis nunquam sequatur, ut fertur excommunicatio *in cap. 1. de homicidio in 6.* contra eos, qui mandant aliquem occidi per assassinos (quæ excommunicatio jam non habet locum, quia jam non sunt assassini) &, ut fertur *in Clem. de pœnis, cap. 1.* contra Religiosos mendicantes, qui in concionibus docent aliquid animo retrahendi populum à solutione decimarum, subintellige tamen animo exteriùs expresso. Et hæc omnia docet Coninch *de Sacram. disp. 13. dub. 8. n. 75. & 76.* quem sequitur Hurtado *de censuris in communi, diffic. 13. n. 58. & 59.*

RESOL. X.

An lata excommunicatio reservata contra perpetrantes homicidium, si quis propinato jam alteri veneno, confiteatur illud, incidat in censuram, morte sequuta, vel in casum reservatum?

Et in corpore hujus Resolutionis aliqui alij casus à simili explanantur, pro praxi supradictæ difficultatis. Ex part. 8. tract. 7. & Misc. Resol. 85.

Sup. hoc inf. §. 1. in tract. 2 ex Ref. 29. lege §. 2. & seqq. & vide eam, per tot. & non pigebit.

AFfirmativam sententiam videtur tenere Sanchez *de Matrim. lib. 9. disp. 45. num. 30.* docet enim eum qui percussit hominem, & confessus est percussionem teneri postea mortem subsecutam confiteri. Idem docet Sotus *in 4. dist. 12. q. 1 art. 7.* Vnde sequitur non satis esse confiteri causam datam pollutioni, antequam pollutio contingat, sed esse confitendam pollutionem postea sequutam; & si quis confessus est ipsam procurationem abortus ante abortum secutum, tenetur postea ipsum abortum secutum confiteri; hanc etiam sententiam tenet Palaus *tom. 1. tract. 2. disp. 1. punct. 3.* & alij.

Sup. hoc inf. lege §. Idem, hujus Ref. & Ref. ejus annot.

2. Non desunt tamen Doctores negativam sententiam tenentes; nempe secuto homicidio non incidere in reservationem, & ideò non teneri iterum confiteri; & ita docet Henriquez *lib. 5. cap. 5. n. 5. in glossa littera Z*, & Fagundez *in præcept. 2. lib. 8. cap. 7. num. 17.* Probatur hæc opinio, quia nullus tenetur sua peccata semel ritè confessa iterum confiteri. Sed in nostro casu Titius jam ritè fuisset confessus, & validè etiam fuisset absolutus à Confessore, quia non habebat casum reservatum ante secutum homicidium; ergo non tenetur illud peccatum confiteri, cùm effectus postea subsecutus naturaliter sit secutus ex causa data, non liberè, nec voluntariè, ex eo quòd voluntas illius sit rescissa per pœnitentiam, & peccatum sit demissum per sacramentalem absolutionem. Tum, quia, ut benè advertit D. Th. 1. 2. q. 7 Gutierr. *lib. 2. qq. can. c. 4. n. 95. in homicidio*, quod in homicidio quod ab homine ebrio commissum sit, tres actus possunt considerari, potatio videlicet, ebrietas, & occisio; in potationem voluntas fertur directè, in ebrietatem indirectè, in occisionem verò nec directè, nec indirectè, cum ea merè naturaliter resultet ex ebrietate, quando ebrius nullam habuit advertentiam ad illam. Vnde est ut homo, qui confessus sit peccatum ebrietatis, nullo modo teneatur confiteri homicidium secutum, utpote quod naturaliter sit secutum, & non voluntariè, nec peccaminosè. A pari ergo quando homicidium non est opus morale, sed naturale, nulla aderit obligatio illud confitendi. Atqui in nostro casu non est opus morale voluntatis, sed naturale ex causa applicata; ergo confesso peccato causæ, non manet obligatio confitendi peccatum effectus.

Sup. hoc inf. in tract. 2 ex Ref. 29. lege §. 2. & seqq. & vide eam, per tot. & non pigebit.

3. Demum verò ad hoc facit, quod in simili habet Hurtadus *in materia excom. diff. 15. num. 76.* videlicet, si sit lata excommunicatio contra committentes homicidium, & quis alteri propinet venenum, sed ante illius mortem omninò efficaciter resipiscat, hunc non incurrere in excommunicationem.

4. Pari modo, qui literas conscripsit ad excommunicatum vitandum & postquam illas nuntio consignavit, resipiscit, atque omni diligentia adhibita studet literas recuperare, etiamsi eas recuperare non possit, adhuc tamen esse immunem ab excommunicatione minori, quæ contrahitur ob participationem cum excommunicato vitando.

5. Similiter si lata sit excommunicatio contra scribentes ad Monialem, & scribens, resipiscat antequam epistola perveniat ad manus illius Monialis, cui ea fuit exarata, & faciat quantum in se est, ut illam recuperet, vel ne ad manus illius deveniat, nulla excommunicatione ligari, quia cessavit omnis contumacia, quam vel actualem, vel in habitu saltem durantem supponit excommunicatio.

6. Pari modo propinantem venenum alicui Clerico, si ante mortem secutam resipiscat, non incidere in excommunicationem contentam *in c. si suadente*, retenta sententia, quam docet Avila *de cens.* quòd excommunicatio hæc per ipsam propinationem non incurratur utpote in juriosam soli naturæ, non statui.

Sup. hoc pra in fin §. 1. Ref. 6. in n. 6. Ref. 29. lege §. 2. & seqq. & vide eam, per tot. & non pigebit. Ref. ejus annot.

7. Idémque in simili diceret de procurante abortum fœtus animati, videlicet si post procurationem resipiscat antequam abortus sit secutus, & faciat quantum potest ut illum impediat, secuta morte eum esse immunem ab excommunicatione lata contra procurantes abortum fœtus animati effectu secuto.

8. Ergo pari modo intelligere possumus, si quis dederit causam homicidio vulnus lethale infligendo, aut venenum propinando, si ante mortem resipiscat per confessionem, hunc morte secuta esse immunem ab omni reservatione, utpote, quæ supponat peccatum; quod tamen fuit deletum per confessionem. Et hæc omnia docet etiam novissimè Oliverius Mazuchellus *tract. de cas. reserv. disp. 2. cap. 7. q. 3. diffic. 3. per totam.*

9. Sed post hæc scripta inveni hanc quæstionem etiam pertractare doctum P. Raphaëlem Aversam *de Sacrament. Pœnitent. quæst. 10. sect. 2.* ubi postquam me ipsum, & alios citasset, sic ait. Si homo interim non retractet, & revocet pravam voluntatem, actum & effectum sequentem debere aperiri in confessione, quia suo modo participat eamdem denominationem malitiæ, & conjungitur moraliter cum illa mala voluntate; ut ex D. Thoma, & aliis notavimus, & probavimus, 1. 2. q. 20. *sect. 2.* Et reddit peccatum reservationi subjectum, quando imposita est reservatio super tale peccatum consummatum atque completum. Si autem per pœnitentiam retractetur illa prava voluntas, & adhuc sequatur effectus, quia impediri non potest,

test, tunc non oportere aperiri in confessione: quia jam interrumpitur continuatio, & conjunctio ac velut unitas moralis cum illa prava voluntate, ut *ibidem* notavimus. Et patet magis, quia potest esse, ut homo tunc confiteatur suum peccatum; ac certè postea sequente effectu, non tenebitur de illo confiteri. Et idem est, si interim conteratur: satis enim erit confiteri de antecedenti peccato. Imò videtur etiam sufficere si per attritionem, aut quocumque actu retractationis interrumpat illam conjunctionem. Et sufficeret quoque si Deus sua potentia absoluta interim infunderet homini gratiam justificantem absque ullo actu proprio ejus. Incurreret tamen homo censuram, vel irregularitatem impositam super illum actum & effectum completum; quia potest illam incurrere ob culpam præteritam & remissam, sub tali tamen conditione actus & effectus sequuti, ut suo loco de censuris videbimus. Et ratione censuræ oportebit deferre factum ad superiorem, à quo obtineatur absolutio, & relaxatio ipsius censuræ. Si autem super tale factum esset imposita pura reservatio peccati, tenebitur quidem homo illud confiteri legitimo ministro habenti facultatem absolvendi à reservatis, quando, inquam non intercessit retractatio. Sed interposita retractatione, ad id non tenebitur; sed satisfaciet confitendo suum antecedens peccatum cuicunque Sacerdoti habenti facultatem absolvendi à mortalibus. Quia poterat utique sequutum effectum confiteri cuicunque tali ministro de illo peccato: & sequente postea effectu non tenebitur rursus confiteri de ipso effectu. Hucusque Aversa, qui citat Homobonum, & Bordonum. Et consentit quidem cum Mazuchello quoad confitendum homicidium, & quoad reservationem, non autem quoad incursionem censuræ, & irregularitatis, nam putat in has incurrere.

RESOL. XI.

An excommunicatio ferenda, obliget ad peccatum mortale?

Et si suspensio, interdictum & irregularitas pœnalis absolutè non proferantur, sed ferendæ sint, an obligent etiam sub mortali? Ex part. 3. tract. 6. & Misc. 2. Resol. 76.

n. 5. 1. ALibi pro parte negativa adduxi Valentiam *tom. 2. disp. 7. quæst. 5. punct. 7.* cui nunc addo Sotum *lect. 3. de excommunicatione, §. primò igitur.* Driedonem *lib. 2. de libertate Christiana, cap. 1. paulò ante 3. propositionem* quos citat, & sequitur ex Societate Jesu, Castrus Palaus *in opere morali, tom. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 15. n. 3.* ubi ita asserit: Si excommunicatio ferenda est, tunc plures Doctores affirmant esse signum sufficiens transgressionis sub mortali. Et quidem si excommunicatio sine ulla alia monitione, & contumacia posset inferri, censeo certissimum. At quia existimo, cùm cēsura annexa non est peccato, indigere semper alia monitione, ut imponatur, ea de causa non est sufficiens signum mortalis obligationis. Ita Castrus.

2. Sed tu ne recedas à sententia existimante excommunicationem ferendam, esse signum mortalis obligationis, quam sententiam Sanchez *in sum. tom. 2. lib. 6. cap. 4. num. 51. & seq.* temperat, nisi ad terrorem excommunicatio exposita sit, & non animo statim illam, sine ulla monitione, inferendi; & ita passim fieri à judicibus Ecclesiasticis credit; quæ omnia multum plausibilia erunt Confessariis ad multos scrupulos tollendos.

3. Nota verò quòd suspensio, interdictum, & irregularitas pœnalis, si absolutè non proferantur, sed ferendæ sint, non sunt signum obligationis sub mortali. Et ita tenet Castrus Palaus *ubi suprà*, qui citat Salas *de legib. disp. 10. sect. 9. n. 54. & 62.* Vasquez, Suarez, Sanchez, Azorium, & alios; licèt Navar. contrarium doceat *in man. c. 23. n. 53.* eo quòd suspensio, interdictum, & irregularitas imponatur aliquando extra culpam.

RESOL. XII.

An alia præcepta, & mandata Episcoporum sub pœna excommunicationis, obligent semper ad peccatum mortale?

Et an leges Civiles nunquam obligent ad pœnam spiritualem, quamvis contineant pœnam gravem corporalem, si aliunde non sint prohibitæ jure naturali, aut divino. Ex part. 5. tract. 9. Resol. 21.

§. 1. DE hac quæstione alibi à nobis actum est, nunc ponam tantùm ea quæ circa illam sentit novissimè Ioan. Henriq. *in compend. cas. moral. c. 20. n. 32. & seq.* ubi sic ait: [Muy grande dificuldad ay entre los Dotores, en averiguar, si los mandatos, que ponen algunos Prelados, y juezes Ecclesiasticos con pena de descommunion mayor solamente, no diziendo, ni añadiendo latæ sententiæ, ni otra particula semejante, si ya que no se incurre en descommunion, quebrantando estos mandatos, como ya hemos dichos, si obligaran à pecado mortal: y algunos Dotores afirman que si, porque la pena que amenaza es grave, si assi obliga a culpa mortal, esta opinion es de Cajetano, Navarro, y Azorio. Pero mas verdadero es, que en dos casos solamente obligan estos mandatos à culpa mortal, uno es, quando se ponen sobre materia grave, como lo dize Toledo *lib. 8. c. 19 n. 4* y el otro es, quando muchas vezes se ha mandado una misma cosa con pena de descommunion mayor, y por aver avido pertinacia en la desobediencia, se buelven à poner otras vezes en este caso, tanbien obligan à pecado mortal, aunque la materia sobre que se pusieren, no sea muy grave, porque como dize Thom. Sanchez *tom. 2. lib. 6. cap. 4. n. 53.* la materia que de suyo no es muy grave, se haze muy grave, quando se manda muchas vezes. Y assi advierte Vasq. *1. 2. q. 96. art. 4. n. 45.* que son escusadas de pecado mortal muchas personas aquien algunos Prelados, y juezes Ecclesiasticos mandan cosas muy leves so pena de descommunion mayor. Y en la misma facilidad con que se les mandan estas cosas con pena de descommunion mayor, se vè que los Prelados no tienen intencion de obligarlos à culpa mortal, por la qual no castigan à los transgressores, como a hombres que han delinquido, dando à entender con esto, que estos mandatos no los ponen para ligar las conciencias con pecados, sino para atemorizar. Ita ille qui etiam *n. 51.* addit quod, de la misma manera que los mandatos Ecclesiasticos obligan à culpa mortal en materia grave, assi las leyes civiles, quando se fundan en derecho natural, o divino, obligan tanbien à culpa mortal; pero quando las leyes civiles no tocan en estos derechos, no obligan à pena espiritual, aunque tengan penas corporales gravissimas, de manera que si no es, que por otra parte sea prohibido por ley natural, o divina, no ay culpa mortal en no guardarlas, como lo dize Navarro *cap. 23. num. 48.* aunque muchos Dotores afirman que todas las leyes civiles que ponen penas gravissimas, obligan en conciencia, pero la dotrina de Navarro es muy probable.] Hæc ille, quæ sunt valde notanda.

Alibi in Res. præterita, & in aliis ejus not.

Sup. hoc in tom. 6. tr. 1. Res. 73. 74 & 75. & vide etiam alias Res. Earum annotationum.

RESOL. XIII.

An excommunicatio minor possit ferri pro peccato veniali?

Et

Et an peccatum veniale sit materia sufficiens excommunicationis minoris ?

Et an suspensio, & interdictum possint validè ferri ob peccatum veniale ?

Sed notatur, quod si contingat quod præceptum Superioris sit de re levi, vel indifferenti in se, & tamen sit causa, & periculum inducat majoris mali; ut si Superior præcipiat ne quis tali hora ambulet tali loco sub pœna excommunicationis absolutè, quia prævidet, vel dubitat, quod aliquod grave malum sit eventurum si quis transgrederetur hoc præceptum obedientiæ, licet sit de re levi in se, esset peccatum mortale, & per consequens ille esset excommunicatus excommunicatione majori. Ex part. 5. tract. 9. Resol. 47.

§. 1. Affirmativè respondet Fab. *de cens. in 4. dist. 25. q. 1 disp. 4. c. 2. n. 51.* ubi sic ait: Quoad justam excommunicationē præter auctoritatem jurisdictionis in excommunicante requiritur causa justa & quòd hæc est peccatum grave quod non potest esse, nisi sit mortale, veniale, enim non est grave, siquidem stat cum gratia: veniale tamen si sit grave & periculosum inducendi aliquod malum grave, quod Prælati judicio & discretioni relinquitur discernendum, potest esse materia excommunicationis minoris, e. g. Aliquis delinquit aliquo peccato veniali, sed graviori, ut puta Regularis ambulādo certis horis extra Monasterium, non tamen ad aliquem malum finem, quia autem Superior cognoscit hanc vagationem parere, vel posse parere aliquod malum, vel incommodum Religioni, potest præcipere illi sub pœna excommunicationis minoris, quæ, ut diximus, est privatio à perceptione Sacramentorum, vel ipso facto incurrenda ne tali hora extra Monasterium ambulet, hæc erit causa justa. Quod si trangrediatur, incurrit excommunicationem minorem, quia peccat per inobedientiam mortaliter, licèt peccatum propter quod excommunicatio fuit imposita, sit peccatū veniale. Quod autem peccatum veniale sit sufficiens materia excommunicationis minoris, probatur, quia de facto excommunicatur excommunicatione minori, qui communicat cum excommunicato majori excommunicatione in rebus humanis, ut qui salutat excommunicatum, vel cum eo loquitur de rebus humanis. At constat quòd salutare hominem excōmunicatum, & cum eo loqui non est peccatum mortale; est ergo peccatum veniale, & tamen pro illo imponitur excommunicatio minor, ut patet & omnes concedunt, & infrà ostendam, & habetur exprēssè Conc. Carthag. IV. *can.* 24. Sed hanc sententiam Hurtado *de cens. in com. diffic.* 10. *n.* 42. intelligit de excommunicatione minori, ut nunc fertur, quæ tantum fertur à jure, quam potest Confessarius peccati venialis auferre, & etiam potest intelligi de excommunicatione minori, si feratur generaliter ab homine, quia etiam potest à Confessario peccati venialis auferri. Non tamen est verum de excommunicatione minori, si specialiter feratur ab homine, quia hæc tantùm potest à judice in foro exteriori auferri, ac proinde tunc esset gravis pœna, quia est grave malum ex objecto, & esset difficile ablatu.

Sup. his inf. in tr 3 Res. 2 & in tr. 4 Res 1 & in tr. 5 Res. 3. &c.

2. Sed an suspensio & interdictum possint validè ferri ob peccatum tantùm veniale? Affirmant Cajet. *verb. præcepti transgressio.* Navar. *cap.* 27. *n.* 165. Henriq. & Avila, quia, ut dictum est, etiam excommunicatio minor potest ferri propter solum peccatum veniale & tamen est major pœna, quam suspensio, & interdictum adhuc planè, & integrè, ut communiter feruntur. Verum negativam sententiam docet Coninch *de Sacram. disp.* 13. *dub.* 8. *num.* 68. Suarez *de cens. disp.* 4. *sect.* 4. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 11. *cap.* 1. *quæst.* 8. Hurtad. *ubi supra*, *num.* 43. unde puto utramque sententiam probabilem esse.

3. Notandum est etiam hîc obiter cum Fabro *ubi supra*, *num.* 55. quandoque contingere posse, ut præceptum Superioris sit de re levi, vel indifferenti in se, & tamen sit causa, & periculum inducat majoris mali, ut si Superior præcipiat, ne quis tali hora ambulet in tali loco sub pœna excommunicationis absolutè, quia prævidet, vel dubitat, quòd aliquod grave malum sit eventurum, si quis transgrederetur hoc præceptum obedientiæ, licet sit de re levi in se, esset peccatum mortale, & consequenter ille esset excommunicatus excommunicatione majori, sed ab hujusmodi præceptis, ex levibus causis, & cum excommunicatione simpliciter est abstinendum.

RESOL. XIV.

An excommunicatio possit ferri pro peccato purè interno? Et, an si desit aliqua conditio, per quam actus non dicatur perfectus, & consummatus, ut lex requirit, nunquam incurratur excommunicatio, nec censura? Ex part. 5. tract. 9. Resol. 48.

§. 1. Affirmativam sententiam docet Adrian. *quod. lib. 8. quæst. 1. lit. G.* Medina *Complut. Cod. de pœnit. tract. de orat. quæst. 15.* & Corduba *in qq. Theol. lib. 4. quæst. 13.* & ratio est, quia potestas Ecclesiæ est spiritualis, ergo potest præcipere & prohibere actus purè internos & spirituales, & inobedientes præcepto, aut prohibitioni, censuris punire. Et confirmatur variis exemplis, quia *in Clem. 1. de hæreticis*, excommunicantur Inquisitores, qui in causa fidei, odio, vel amore aliquid omittunt & *in Clem. de statu Monachorum*, excommunicatur Monachus Benedictinus, qui absque licentia Prælati se confert ad Curiam Regiam animo accusandi illum & *in can. si quis dixit*, 30. desumpto ex Concilio Gangrensi *cap.* 18. anathematizantur, qui in die Dominica jejunant in contemptum ejusdem diei, & in pluribus Canonibus Conciliorum anathematizantur, qui credidcrint contra id, quod in ipsis decernitur.

2. Verùm omnino contraria sententia tenenda est, quam novissimè docet Faber *de cens. in 4. sent. dist. 25. quæst. 1. disp. 4. cap. 2. num.* 53. ubi sic asserit. Clarum est, quòd per peccatum internum non potest imponi excommunicatio, quia Ecclesia non judicat de occultis, quæ est regula clara, ab omnibus Theologis & Canonistis cōcessa, & habetur ad *c. tua nos de simonia, §. 3.* & *c. sicut tuis, eod. tit.* & desumitur ex Apost. 1. Cor. 4. *Nolite ante tempus judicare, quoad usq; veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo*, & ex ratione naturali est evidens, quia judicium, fieri non potest sine cognitione, peccata autem occulta sunt ignota pro hac vita secūdùm legem ordinariam, ideo Ecclesia de illis non potest ferre judicium condemnando, vel absolvendo. Hoc autem totum verum est de actu interno, & occulto per se. At loquendo de actu interno, quatenus est junctus actui externo, scilicet quatenus est causa actus externi, sic cadit sub judicio Ecclesiæ & potest præcipi, puniri & prohiberi. Ex his deducitur quòd sicut delictum, propter quod imponitur excōmunicatio, debet esse actus externus, vel junctus externo, ita nunquam incurritur excommunicatio, nec censura, ni si actus sit perfectus & consummatus, prout lex statuit, quia pœnæ sunt restringendæ, non ampliandæ; unde si desit aliqua cōditio, per quam actus non judicetur perfectus, & consummatus, ut lex requirit, nunquam incurritur excommunicatio, nec censura. Ita Faber, cui adde Sotum *in 4. dist. 22. q. 3. art. 3.* Vasq. *de excom. dub.* 13. Valent. *tom. 3. disp. 7. q. 3. punct. 2.* Cornejo *in 3. p. tract. 5. de cens. in gen. disp. 8.*

disp.8.dub.3. Sayr. *lib.1.cap.9.num.14* Suar. *de cens. disp.4. sect.2.* Coninch. *de Sacr. disp.13.dub.8.* & alios communiter. Vnde & Vasq. rectè cum Hurtado *de cens. in comm. disp.11.* docet ex dictis exemplis nullum actum interiorem contentum in illis præcipi, neque prohiberi, nec puniri ab Ecclesia, nisi verbo, aut alio signo exteriùs indicetur, quamvis conjungatur cum exteriori actu, ac proinde Inquisitores non incurrere excommunicationem, quamvis ex odio, vel amore non procedant in causa fidei, nisi signo aliquo exteriori indicent omissionem procedendi provenire ex odio, vel amore, nec Monachum Benedictinum, quamvis adeat Curiam animo accusandi Superiorem, nisi exteriùs indicet eo animo adire, nec eos, qui in contemptum diei Dominicæ ea die jejunant, nisi indicent exteriùs id fieri in contemptum, nec eos, qui interiùs discredunt, nisi exteriùs indicent animum hæreticum, imò non sufficit postea fateri se interiùs discredidisse, nec adiisse Curiam eo animo, necnon processisse in causa fidei, ex odio, aut ex amore; quia id non est discredere nec adire Curiam eo animo, nec non procedere in causa fidei ex odio, aut ex amore.

RESOL. XV.

An actus, vel omissio externa, per quam feratur censura, debeat esse signum actus interni? Ex part.5. tract.9. Resol.49.

§.1. IAm dictum est in superiori resolutione Doctores docere ob solum actum internum non posse imponi censuram, sed esse necessarium actum, vel omissionem externam; sed ut verùm fatear non satis explicarunt an actus, vel omissio externa debeat esse signum actus interni; id verò fusè & subtiliter explicarunt duo illa lumina Societatis Iesu, Vasq. & Suarez.

2. Difficultas igitur est, an quando actus externus non est signum externum sub peculiari ratione malitiæ, ob quam imponitur ab Ecclesia censura, incurratur, v. g. si imponatur excommunicatio ob peccatum hæresis, & quis ex judicio hæretico faciat actum externum, qui non sit signum hæresis quando est, an propter talem actum incurratur pœna imposita? Pater Vasq. *in 1.2.disp.160.cap.5.n.20.& cap.3.& tract. de excomm. dub.19.* docet necessarium esse, ut opus externum sit significativum actus interni sub ratione, qua est prohibitus actus externus ab Ecclesia; & ratio est, quia actus exterior sub ea ratione malitiæ omnino est incognitus Ecclesiæ: nam neque ex materia habet eam malitiam, neque est signum malitiæ ex fine, quæ latet in voluntate, ergo.

3. Verum Pater Suar. *de cens. disp.4 sect.2.n.18.* quoad præsentem quæstionem docet, primò si actus externus sit secundùm se bonus non incurrere hominem operantem censuram impositam propter tale opus. Probat *num.2.* quòd sit bonus, & non est signum malitiæ ex fine, neque ab Ecclesia potest judicari malus ob solam circumstantiam finis. Secundò docet *n.22.* posse Ecclesiam prohibere actionem externam ex se malam, & prohibere illam, ut procedentem à peculiari affectu, & non ab alio, & hoc putat probari aliquibus argumentis, quibus probari solet Ecclesiam punire posse actum internum ut connexum exteriori; & ulteriùs probat, quia etiamsi quis externo actu profiteretur hæresim, si internus veram fidem retineret, non incurreret pœnam hæresis; ergo potest Ecclesia actum externum punire ut conjunctum peculiari actui interno. Tertiò docet *num.25.* Ecclesiam posse punire actum externum propter defectum interni, quando est quasi de substantia externi, & *num 27.* concedit posse aliquem incurrere pœnam ab Ecclesia impositam ob defectum talis actus interni, etsi exteriùs nullum sit signum ejus defectus. Hæc Suarez.

4. Sed Turrianus *de cens. lib.1.disp.4.dub.2.* & meritò magis approbat sententiam Vasq. & propter §jus rationem approbat primum dictum Suarez. Tertium verò Turriano displicet, quia ratio facta pro sententia Vasquez, eandem vim habet, quia sicut intentio aliàs mala circa actionem ex se bonam externam non potest esse nota Ecclesiæ quando nullum est signum externum. Ergo utrumque est per se incognitum Ecclesiæ. Et patet, quia si Ecclesia vellet imponere ob talem defectum aliquam pœnam distinctam à censura, quæ esset ab Ecclesia infligenda exteriùs, non posset, quia non posset probare in foro externo illud peccatum ex defectu signi externi, & non solùm ex defectu testimonij, ut per accidens contingit in aliis peccatis, ut sunt ex se cognoscibilia ab Ecclesia ob signum externum. Circa verò secundum dictum Patris Suarij non dubitat Turrianus posse Ecclesiam punire actum externum ob peculiarem actum internum, ut Suar. probat, sed contendit non incurri censuram impositam ob actum externum cum illo interno, nisi exteriùs constet de affectu illo interno.

RESOL. XVI.

An incurratur in excommunicationem, quando opus externum, cui annexa est excommunicatio, fuit solum veniale, sed internum mortale? Ex part.5. tract.9. Resol.41.

§.1. PLacet huic dubitationi respondere cum verbis Laurentij de Portel, viri quidem docti, *in dub. Reg. verb. excommunicatio, in addit. n.11.* ubi sic ait: Percussit quis Clericum pravo animo, ita ut ex pravo animo percussio sit mortale peccatum: at ex parte operis percussio fuit levis, & venialis. Quæris, inquam, an ob talem percussionem incurratur excommunicatio? Respondet Sanchez negativè *2. lib. Decal. cap.8. n.7.* & citat Henriquez, Guttierrez & alios, Et hoc idem dicendum erit in quovis alio opere, cui annexa est excommunicatio, si opus externum fuit solùm veniale, & leve, licèt internum fuerit mortale; & ratio est, quia Ecclesia non excommunicat actus internos, sed externos & requiritur ut actus externus sit de se gravis, & mortalis.

Sup hoc inf. in tr 2 Res. 2 & in aliis ejus primæ not & signanter in ejus, §. 1.

Sup. hoc ibidem ad medium.

RESOL. XVII.

An censuræ sententia lata sub forma disjunctiva, v. g. præcipio hoc sub pœna excommunicationis, vel suspensionis, habeat effectum?

Et an reus sub tali forma teneatur saltem ad alteruturm?

Et an qui sub hac forma censuram ferret, graviter peccaret? Ex part.5. tract.9. Resol.63.

§.1. CAsus est curiosus, ad illum negativè respondet Navar. *cap.27. num.61.* & Sayrus *de cens. lib.4. cap.7. num.3.* Henriquez *lib.13. cap.32. num.4.* Vgolinus *de cens. tit.1. §.2. num.4.* & hanc opinionem testatur Turrian. docuisse P. Vasquez *in tract. MS. de suspensione §.2.* loquentem in specie de suspensione ab officio, & ratio est, quia ista verba, v. g. *Excommunico, vel suspendo te*, nihil determinatè significant ergo nihil determinatè efficiunt, præsertim quòd nec utrumque præstare valent, ut dictum est, nec alterum tantùm, cùm non sit major ratio unius, quàm alterius, & ita hanc sententiam negativam mordicus tenet Gordonus *in sum. tom.2. lib.7 quæst.5. cap.1. n.5.* ubi sic ait: Potest ferri censura disjunctivè hoc modo. Suspensus maneas, vel excommunicatus, & aliqui putant

tant non valere hanc formam, quia nihil determinatè significat. Ergo nihil determinatè efficit, cùm verba non plus efficiant quàm significent. Alij valere putant, & in re dubia debere istum ab utroque abstinere, nempe beneficio; & officio. Certum tamen est ex vi disjunctivæ propositionis, quod uterque effectus non inferatur, sed neque particula *vel* habet sensum copulativum, ut tamen aliquando contingit in propositione negativa, dum sic dico: Nemo legat, vel scribat tali tempore. Nec satis est, si dicas; verbum *suspendo* includere virtute negationem. Idem enim esset de quavis censura, & expressa proprietas vocis non hoc ingerit audienti ex communi concipiendi modo, aliud esset si judex declararet suam mentem esse copulativam, alioqui pœnalia hæc restringenda sunt; non ergo uterque effectus ex hac causa colligitur. Quæres, an reus sub tali forma teneatur saltem ad alterutrum? Ratio dubitationis est, quia non videtur esse major ratio de uno, quàm de altero, putat Suarez valere hanc formam hoc modo, hoc est, de alterutro; & in arbitrio rei esse ut eligat quam velit partem, sed certè hoc durum est, ignorata sic, & necdum explicata judicis intentione formáque manente dubia, si cogatur sibi reus eligere condemnationem in rebus, quas semper in mitiorem partem interpretari oporteret, nec justum hic præceptum latens in hac forma fingi potest, quo teneatur ad electionem hujusmodi faciendam, neque text. *in cap. præterea de appellat.* probat valere talem formam; ut idem author fatetur *disp. 3. sect 2. num. 13.* Illa etiam exempla ejus de indulgentia sic concessa, vel de pœnitentia in foro conscientiæ imposita, nihil hìc evincunt. Clarum enim est ex usu, & modo significandi in tali materia electionem incumbere acceptanti illud quod datur. Nihil tale est in materia hac, pœnáque fori exterioris, & quam quisque non petere, sed de industria fugere præsumitur. Quare nisi ex materiæ circumstantiis, voluntate judicis, aut natura rei aliud constet, puto non esse validam hanc formam non determinatam. Ita Gordonus.

2. Sed his non obstantibus Alterius *de cens. tom. 1. lib. 3. disp. 9. cap. 3.* & Suar. *de cens. disp. 2 sect. 2. n. 12.* putat talem formam habere effectum, quia electio unius partis relinquitur arbitrio ejus, in quem fertur censura, quòd si iste nolit eligere, docet ante electionem obligari utraque ex intentione ferentis censuram ne omnino ejus sententia reddatur inefficax. Mihi placet, si pœna relinquatur arbitrio Rei, & ipse elegit unam determinatè, illa ligabit ex intentione ferentis censuram & ita docet Turrian. *de cens. lib. 1. disp. 4. dub. 1.* ubi observat, quòd existimant aliqui intentionem ferentis sententiam eo modo esse, ut hoc ipso, quòd subditus velit violare præceptum, ligetur minori censura illarum, ita ut subditus violans legem expressè, non eligat virtualiter, censeatur eligere minorem ex voluntate ferentis censuram, ne maneat ille absque aliqua pœna quod non probatur firmo aliquo argumento, quod si nollet pœna obligari, nisi expressè subditus eligeret, subdito non eligente, non incurreretur aliqua illarum, quia non est major ratio unius, quàm alterius. In quo eventu Vgolinus, & Vasquez videntur loquuti, & idem judicium esset, si neque Superior determinaret censuram, neque relinqueret arbitrio subditi, ratio enim facta in hoc casu eandem habet vim.

3. Verum post hæc scripta inveni Cornejo *in 3. p. tract. 5. de cens. in gen. in disp. 5. dub. 4* præsentem quæstionem pertractare, ubi quærens an in tali casu requiratur quod judex determinatè intendat speciem censuræ; & respondet satis esse quòd relinquat eam arbitrio ipsius Rei, ut ipse eligat, quam maluerit, quod à simili probatur, quia sententia lata in foro conscientiæ pœnitentialis sub forma disjunctiva arbitrio pœnitentis determinanda est valida; ut si quis imponat satisfactionem pœnitenti, hoc modo: Vel tali die jejuna, vel fac eleemosynam, & idem est de concessione Indulgentiarum sub hac forma: Si tali die jejunaveris, aut eleemosynam feceris. Ergo etiam in casu conclusionis erit valida censura sub disjunctione prolata; nihilominus tamen graviter peccaret, qui sub hac forma censuram ferret, quia non est in usu Ecclesiæ, & quia cum de ratione pœnæ sit, quod involuntariè incurratur, censura incurrenda arbitrio Rei quodammodo est contra formam quam judices servare debent in pœnis imponendis.

RESOL. XVIII.

An censura possit ferri sub conditione?

Et an appellatio post sententiam excommunicationis latam sub conditione, si fiat ante completam conditionem, suspendat excommunicationem?

Sed difficultas est, an hac appellatio possit fieri toto tempore, quo conditio non est impleta, vel solum intra decem dies, ut fieri solet aliarum sententiarum appellatio?

Et quid dicendum, si pendente conditione judex moriatur, vel reus forum mutet?

Et tandem quæritur, an si conditio esset de futuro & omnino impertinens, censura esset valida? Ex part. 5. tract. 9. Resol. 64.

§. 1. Respondeo affirmativè *ex cap. præterea, de appellat.* & *ex cap. Romana §. caveant, de sent. excom. in 6.* & nota censuram ita latam nunquam incurri donec conditio adveniat, & impleatur, & non propter hoc est dicendum censuram fuisse suspensam usque ad adventum conditionis, quia solùm habuit vires suas, quando conditio extitit & tunc censetur proferri à judice, & non tempore pronunciationis, ut docet Covarr. *in cap. Alma mater. 1. p. §. 10. num. 6.* Vgolinus *tit. 1. cap. 2. §. 2. num. 3.*

2. Nota tamen quòd appellatio post sententiam excommunicationis latam sub conditione, si fiat ante completam conditionem, suspendit excommunicationem. Ita Hurtad. *de excommun. disp. 13. dissic. 4. n. 11.* Avila *p. 2. cap. 5. disp. 5. dub. 11. concluſ. 3.* qui docent cum Guttier. *in Can. qq. lib. 1. cap. 4. num. 20.* hanc doctrinam procedere etiamsi judex dicat, Nisi, v. g. satisfeceris intra mensem Petro, ex nunc sis excommunicatus: nam licet, verbum *ex nunc*, sit præsentis temporis, denotat tamen futurum effectum.

3. Sed difficultas est, an hæc appellatio possit fieri toto tempore, quo conditio non est impleta, vel solùm intra decem dies, ut fieri solet aliarum sententiarum appellatio juxta *c. quod ad consultationem, de re judicata?* Abbas *in cit. cap. præterea*, docet faciendum esse intra decem dies, quia jus est generale. Sed contrarium docuit gloss. *in cit. cap. præterea*, & Navar. *in cap. cum contingat, de reſcript. canſ. 18.* quam ut satis tutam & probabilem, magisque probandam sequitur Suar. *disp. 3. sect. 6.* & favet *cap. præterea*, illis verbis, *Medio tempore*, hoc enim est totum illud tempus, quo conditio non est impleta, antequam sententia illa non est simpliciter sententia, sed secundùm quid, & ideo non mirum si non comprehendatur sub jure & lege generali: & ita etiam docet Cornejo *in 3. p. tract. 5. de cens. in gen. disp. 4. dub. 2. quæſt. 1.* & Turrian. *de cens. lib. 1. disp. 3. dub. 3.* Vnde Avila *ubi suprà* sic ait: Nota quod licèt ab aliis sententiis appellandum sit intra tempus à jure præfixum, scilicet decem dies: at vero ab excommunicatione sufficit appellare ante impletam conditionem, quamvis appelletur post tempus præfixum à jure ad appellandum. Et ratio discriminis est, quòd ad excommunicationem requiritur contumacia, quæ reperitur

peritur tempore impletæ conditionis, & non retrotrahitur ad tempus in quo prolata est sententia. Sic Avila. Vnde non est audiendus Hugolinus *de cens. tab.1. cap.20.§.6.num.3.* qui ab hac doctrina dissentit propter divisionem *cap. quod ad consultationem, de sent. & re judic.* ubi oppositum videtur statui, quia, ut observat Cornejo *loco citato*, decisio illius capitis intelligenda est de aliis sententiis judicialibus, in quibus non intervenit aliqua censura.

4. Sed ex his oriuntur aliquæ pulchræ dubitationes. Prima, an si pendente conditione, ille in quem censura lata est, forum mutet, adveniente conditione censuram nihilominus incurrat? Secunda, quid si conditione pendente judex moriatur? Et ad primam affirmativè respondeo. Ad secundam verò negativè, ex rationibus, quas adducit Cornejo *ubi supra in 3.p. de cens.in gen.tract.5.disp.4.dub.3 q.3.& 5.* Quæritur etiam hîc, an si conditio esset de futuro, & omnino impertinens, censura esset valida? Negativè respondet Cornejo *loco citato* cum Hugolino & Suarez, quia hoc esset abusus spiritualis potestatis; sed hæc ratio non placet Turriano *ubi supra.* Videtur enim probare solùm talem excommunicationem illicitam esse, non autem nullam, nam judex potest facere suum consensum dependentem à qualibet conditione: ergo talis actus cùm aliàs non sit jure positivo irritus habebit effectum: non apparet autem quo jure sit irritus, & ideo puto utramque sententiam probabilem esse.

RESOL. XIX.

An si pendente conditione, sub qua lata est excommunicatio, si creditor v. g. terminum absolutionis à judice latum proroget, & postea debitor non solvat, incurrat talem censuram?

Et supponitur posse creditorem terminum prorogare.

Sed difficultas est, si debitor non solvat in secundo termino, quid sit faciendum. Ex part.5.tract.9.Resol.65.

§.1. SVppono contra Hugolinum *de cens. tab.1. cap.20.§.6. n.5.* posse creditorem terminum prorogare, ita ut adveniente conditione, & primo termino à judice concesso censura non obliget. Ita Navar. *cap.27.n.14.* Sylvest. *verb. excommunicatio 2. num.1.cas.13.* & alij communiter. Sed difficultas est, quid si debitor non solvat in secundo termino prorogato? & respondent ferè omnes Doctores non incurrere talem censuram, si prorogatio facta fuit à creditore, judice ignorante, quia prorogare, aut suspendere censuram, est actus jurisdictionis, quam non habet creditor ut latè prosequitur Hugolinus *loco citato*, ubi plures refert, quos sequitur Sayrus *lib.1. de cens. cap.11.num.20.*

2. Verùm oppositum tenet Cornejo *in 3.p.tr.5. de cens. in gen. disp.4. dub.2. q.3.* non quia creditor censuram suspendat, sicut suspendit terminum, sed quòd à judice suspendi credatur eo ipso, quòd creditor, ad cujus instantiam lata fuit, suspendi voluit ad termini prorogationem, & sic effectum habebit, si in secundo termino prorogato debitor non solvat, ut alia ratione motus docet Suarez *disp.3. section.7. num.11.* & ideo dicendum utramque sententiam non carere sua probabilitate.

RESOL. XX.

Fuit olim lata excommunicatio per vim, & metum, quæ sierunt tunc à me, an fuerit nulla?

Idem est de absolutione excommunicationis. Ex part.5. tract.9. Resol.69.

§.1 NVllam fuisse, docet Cornejo *in 3.p. tract.5. de cens. in gen. disput.2. dub.4.* Hugolinus *de cens.tab.1. cap.2.§.4.n.2.* Sayrus *lib.1. cap. 6.n.9.* quos citat, & sequitur noviſſimè doctus Iurisconsultus Antonius Cabreros de Avendaño *in tract. de metu lib.2. cap.31.n.171.* cujus fundamentum est quòd absolutio ab excommunicatione per eamdem vim & metum extorta, est invalida, ut expressè deciditur *in cap. unic. de iis quæ vi, metúsve causa fiunt, in 6.* ergo similiter est invalida excommunicatio eodem metu extorta. Confirmatur secundò, quia jura in favorabilibus sunt amplianda, & in odiosis restringenda: ergo si absolutio censetur jure irrita ratione metus, & violentiæ, multò magis id censendum est de ipsa excommunicatione; quia excommunicatio odiosa est, absolutio vero favorabilis. Tertio adstruitur ex vulgari regula à pluribus approbata, nimirum quòd quando aliqua veteri jure facta sunt paria, id, quod jure novo de uno statuitur, extendi debet ad alterum; sed jus ligandi, & solvendi sunt paria: ergo quod *in d.cap.unic.* statutum est de absolutione, idem similiter statutum censeri debet de ipsa excommunicatione. Quartò probatur *ex text.in cap. verbum Dei, de pœnitentia dist.1.* ubi dicitur eum, qui non habet potestatem absolvendi non habere potestatem ligandi. Ergo sicut metu coactus invalidè absolvit, ita etiam invalidè excommunicat. Hæc sententia est probabilis.

Sup. hoc & signatèr pro absolutione excommunicationis in tomo 6. tr.3. ex lata doctrina Resol. 114. cursim, & recitanter, in §.ult. propè finem, vers.7.& in tom.3. tr.2. Resol 149.§.1. ad med. à vers. Et licet.

2. Sed non minùs probabilem contrariam esse existimo, nempe excommunicationem latam per vim & metum, esse validam, & ita tenet Coninch *de Sacram. disp.13. dub.5. num.36.* Merolla *tom.1. disp.1. cap.3. dub.19.n.257.* Suarez *de cens.disp.1.sect.5.n.2.* Alterius *de cens.tom 1. lib.3. cap.2. disp.9.* & alij. Et ratio est, quia ea quæ metu fiunt, valida sunt, nisi jure aliquo impediantur, cum voluntas coacta voluntas sit, ex Aristotele 3. *Ethic. cap.1. & l.si mulier. §.si metu, ff. quod metus causa:* ergo, &c. Deinde qui per metum fert excommunicationem, habet intentionem ligandi, vel non. Si primum, non obstat metus quominus vim ligandi habeat, siquidem intentio nunquam potest aliqua vi humana extorqueri. Si secundum, excommunicatio erit irrita, sed non ratione metus, sed defectu intentionis. Et ideò hanc sententiam noviſſimè Hurtado *de censur. in comm. difficul.6. num.24.* ubi sic ait. Quòd autem censura feratur metu gravi, seu cadente in constantem virum, non obstat valori censuræ, quia censura sic lata nullo jure irritatur, quia in primis non jure naturali, quia quamvis eo metu fiat, est simpliciter voluntaria, deinde non jure aliquo positivo, quia nullum est, quo irritetur; etiamsi absolutio à censura, quamvis favorabilis ipsis absolvendo irritetur, *in cap. unico, de iis quæ vi, metúsve causa fiunt, in 6.* quia ad hanc irritandam fuit major ratio, quàm ad irritandam lationem censuræ, quia crebriùs contingit absolutionem fieri metu, quàm lationem censuræ, præsertim quòd nullitas absolutionis metu extortæ est favor potestatis Ecclesiasticæ, quæ maximè infirmaretur, si absolutio sic extorta maneat valida, non verò si latio censuræ aliàs justa: & magis prospiciendum est favori potestatis Ecclesiæ, quàm delinquentis indigni favori. Hæc Hurtado cui libenter adhæreo.

RESOL. XXI.

An si judex sit excommunitatus, validè alium excommunicet?

Idem est dicendum de judice suspenso, & nominatim denunciato, vel notorio percussore Clerici.

Et quid dicendum est, si judex excommunicatus, aut suspensus est occultus? Ex part.5. tract.9. Resol.50.

Sup. hoc in tom. 6. r. 9. Resol. 5. Nec ad med. & quoad pœcatum mortale infr. in Resol. 147. §. 1. cursim ad medium, &c. Et quoad judicem excommunicatum, &c contentũ in hoc textu ex Resol. seq lege §. ult. post mediũ.

§. 1. DOctores communiter conveniunt in hoc, quod nullus Clericus, judex, vel alius excommunicatus, vel suspensus nominatim denunciatus, aut notorius Clerici percussor, habet potestatem excommunicandi, quando & ubi est manifestus, & si tentet ferre excommunicationem talis excommunicatio erit nulla, & ratio hujus est, quia judex talis non toleratur ab Ecclesia, & est illi penitus ablata jurisdictio. Sed controversia tota est, quando talis judex excommunicatus, aut suspensus est occultus, multi enim asserunt talem judicem non habere auctoritatem excommunicandi, & quòd si tentet excommunicare, excommunicationem esse nullam. Ita Angel. *in sum. verb. excommunicatio.* Ledesm. secutus *gloss. 24. quæst. 1.* Et ratio illorum est; quia excommunicatio, & suspensio tollit jurisdictionem excommunicandi, & suspendendi. Contraria sententia est communis aliorum, quòd jurisdictio excommunicandi, vel suspendendi non tollitur nisi per manifestam sententiam. Et ita docet Bizozerus *in summ. de excommun. part. 2. cap. 1. num. 5.*

RESOL. XXII.

An judex excommunicatus toleratus validè alium excommunicet? Ex part. 6. tract. 9. Resol. 135.

Sup hoc lege doctrinã Resol. seq.

§. 1. NEgativè respondet Suarez *disp. 14. sect. 2. n. 15.* & Layman *lib. 2. tract. 5. part. 2. cap. 5. num. 7.* quia in Extravagante Constantiensi nullum jus, favor, aut licentia data est ipsis excommunicatis, nisi quatenus cedit in gratiam, commodum, aut petitionem reliquorum fidelium: ergo actus jurisdictionis coactivæ, quos judex ex officio exercet erga subditum invitum, non minùs nunc inefficaces, seu irriti sunt quàm olim fuerunt.

2. Sed contrariam sententiam non minùs probabilem esse puto, quam videtur tenere Gutierrez *in Canon. 99. lib. 1. cap. 1. n. 82.* & absolutè docet Coninch *de Sacram. disp. 14. dub. 10. n. 91.* quia cùm talis quamdiu publicè agnoscitur verus judex, Ecclesia ipsius defectum propter bonum commune supplente, validè exerceat actus jurisdictionis, validè etiam reo præcipit, ut justæ sententiæ pareat; nam hæc præceptio est actus talis jurisdictionis, & consequenter ille est contumax nolendo obedire, atqui quamdiu contra eum non excipitur, publicè agnoscitur verus, ac legitimus judex. Ergo reus est contumax ei non obediendo. Secundò, quia eo modo quoad exercitium actuum judicialium jam se habet excommunicatus quicumque toleratus, sicut olim se habebat excommunicatus occultus, quia eodem planè modo uterque verè à parte rei habet impeditam jurisdictionem, & tamen ejus actus validè exercet, Ecclesia ejus defectum supplente. Atqui tali judici olim reus tenebatur obedire, nisi contra eum legitimè excipieret, ut patet *ex cap. 1. de exceptionibus in 6. & exceptionem 12. de exceptionibus.* Ergo simili modo tenetur etiam obedire modò tolerato etiam publicè excommunicato. Sed de tota hac materia excommunicationis fusiorem tractatum expecta, quàm primùm typis mandatum à Patre Martino Prates, Societatis Iesu, viro quidem docto, & amicissimo.

Quoad hoc lege doctrinam Resol. præteritæ cursim ad lin. 8. vers. Sed controversia.

RESOL. XXIII.

An judex excommunicatus toleratus possit validè exercere jurisdictionem?

Et quid est dicendum, si talis sit excommunicatus denunciatus, & se transferat ad alium locum, ubi passim ignoratur, quod sit nominatim denunciatus, vel publicus Clerici percussor, & eligatur in judicem, an illius acta valeant in favorem publicum?

Et an collatio, seu electio facta a tali excommunicato valeat, &c. Ex part. 5. tract. 9. Resol. 109.

Sup. hoc lege doctrinam Resol. præcedentis.

§. 1. REspondeo affirmativè post Concilium Constantiense; sed cùm hoc sit verum, potest tamen quis illius judicium declinare, opponendo excommunicationem. Nam quamvis fideles possint cum eo conversari, non tamen tenentur; unde si velit censura irretire non obedientem, censura erit nulla defectu contumaciæ & peccati in altero, cùm non obediendo ei, non peccet, & ita docet Præpositus *in 3. p. q. 21. de excomm. dub. 12. n. 78.* qui *n. 79.* censet dicta de excommunicato tolerato certo casu habere etiam locum in excõmunicato vitando, si videlicet talis transferat se ad alium locum, ubi passim ignoratur quòd sit nominatim denunciatus, vel publicus Clerici percussor, & eligatur in judicem, illius acta valere in favorem publicum. Vnde dicendum collationem factam à tali excommunicato valere, similiter electionem, &c. Et ita etiam docet Lessius *lib. 2. cap. 29. dub. 7. num. 62.* & Suar. *disp. 13. sect. 2. num. 16.*

Sup. hoc tom. 3. ex lata doctrina ignorantiæ §. Quinto formam si lege ea per eam omne & si ea non notum rejecta pro ea qua.

RESOL. XXIV.

An excommunicatus toleratus judicium exercens peccet mortaliter?

Et an secus dicendum sit de actibus aliis judicialibus, v. g. Advocati, Procuratoris, actoris, testis & similibus? Ex part. 5. tract. 9. Resol. 131.

§. 1. AFfirmativè respondet Coninch *de Sacrament. disp. 14. dub. 14. n. 148.* ubi sic ait: Sequitur excommunicatum etiam toleratum peccare mortaliter contra hanc prohibitionem, si extra casus, quibus ob aliorum commodum ac instantiam, aliásque rationes ad hoc necessitatur, beneficia Ecclesiastica conferat, aut eligat ad ea, aut judicium Ecclesiasticum, aut etiam sæculare, ut judex, exerceat, quia hi actus sunt valde honorifici excommunicato, eúmque supra cæteros fideles, à quibus ut putridum membrum præcisus est, extollunt, ideóque magnam indecentiam continent, & rationibus hujus prohibitionis multum repugnant. Quare in his actionibus non videtur facile posse dari materia parva, quia eorum repugnantia non tam consistit, in duratione actionis, quam in dignitate, quæ statui excommunicati repugnat, quæ necessariò inest omnibus istis actibus. Secus est de actibus aliis judicialibus, v. g. Advocati, Procuratoris, actoris, & testis, & similibus, quia hi non continent illam dignitatem, nec repugnantiam ita gravem cum fine illius prohibitionis: quare de iis ferè judicandum est, sicut de humana conversatione, & ita hanc sententiam docent etiam Layman & Lessius *ubi suprà.*

Pro Advocato, & Procuratore in Resol. 131. in fine.

2. Sed in tali casu judicem excommunicatum, cujus acta valida sunt peccare tantùm venialiter, docet Bartol. Ledesma *de excomm. dub. 9.* Cajetanus *verb. excommunicatio vetita.* Navarr. *cap. 29. n. 28. & seqq.* & ratio est, quia cùm Concilium non suspendat talem judicem ab officio, nec privet usu istius potestatis, solùm videtur illum actum prohibere, quatenus est communicatio quædam humana, non autem præcisè quatenus est actus jurisdictionis, & potestatis judiciariæ; & hanc sententiam probabilem esse fatentur ipsimet adversarij, ut Layman *lib. 2. tract. 5. part. 2. cap. 3. num. 2.* & Lessius *lib. 2. cap. 29. dub. 7. num. 59.* qui pro hac sententia citat etiam Henriquez.

Sup. hoc tom. 3. Resol. 5.

RESOL.

RESOL. XXV.

An effectus excommunicationis quoad privationem usus jurisdictionis habeat locum in judice seculari excommunicato non tolerato?

Et an subditi absolvantur ab obligatione obediendi Superioribus excommunicatis? Ex part. 5. tractat. 9. Resol. 108.

§.1. DOctores communiter censent habere; quibus licèt consentiat Malderus *tract. 6. de Just. cap. 11. dub. 1.* censet non satis probari ex Canonibus sententiam judicis sæcularis excommunicati esse irritam, & quidem varia capitula citari solita apertè loquuntur de judice Ecclesiastico, alia non agunt de omni excommunicato, sed de excommunicatis propter certas causas, ut *cap. adversùs, de immunit. Ecclesiarum*, decernuntur irritæ sententiæ Consulum & Rectorum civitatum, qui excommunicantur propter exactionem factam ab Ecclesiis, vel Ecclesiasticis, *c. excommunicatus, §. credemes, de hæreticis*. Non annullatur sententia excommunicati in genere, sed excommunicati propter hæresim. Ergo, &c. Vide etiam Victoriam *in sum. de excommun. num. 16.*

2. Verùm omnino dicendum est acta judicis secularis excommunicati non tolerati esse irrita, quod & videtur bene colligi ex *c. præsidentes, de hæreticis, in 6.* ubi aliis deficientibus datur peculiaris potestas judicibus excommunicatis procedendi contra hæreticos ad instantiam Ordinariorum, &c. Vbi Pontifex supponit eorum potestatem aliàs impediri ratione excommunicationis; unde etiam hi peccant usurpatione jurisdictionis, si ullos actus jurisdictionis officij sui exerceant, & tales actus sunt irriti & nulli, intrinsecè sunt actus jurisdictionis: &, ita docet Præpositus *in 3. part. quæst. 2. de excommun. dub. 12. n. 75.* Hurtado *disp. 8. de excomm. difficul. 2. num. 3* & Turrianus *lib. 2. disp. 14. dub. 1.* ubi ex Suarez probat hanc sententiam ex consensu, & consuetudine Ecclesiæ, & illam etiam colligit ex *cap. penult. & ultim. 15. q. 6.* ubi * subditi absoluuntur ab obligatione obediendi superioribus excommunicatis.

RESOL. XXVI.

An excommunicatus sit incapax officiorum jurisdictionis secularis?

Et explanantur diversi casus pro præsentatione, collatione, acceptatione, optatione beneficij, tempore quo collator, vel præsentatus, est in excommunicatione. Ex part. 9. tr. 8. Misc. 3. Resol. 34.

§.1. SVppono excommunicatum esse incapacem non solum beneficij, sed cujusuis officij, muneris, seu dignitatis Ecclesiasticæ, uti Legati, Delegati, Inquisitoris, Administratoris, seu Gubernatoris, Episcopatus, Provisoris, seu Vicarij Episcopi, & à fortiori Provincialis, Generalis Ordinum, Rectoris, Guardiani, seu Præpositi Conventus, ex *cap. Postulast. & fin. de Cleric. excommun. ministr.* Difficultas est, an sit incapax officiorum jurisdictionis sæcularis? Et affirmative respondet Garcia *de benefic. tom. 2. part. 7. c. 13. num. 24.* qui citat Avilam, Toletum, Henriquez, Sayrum, & Vgolinum. Probatur: quia excommunicato interdicta est communicatio cum fidelibus, & jurisdictionis exercitium: ergo prohibetur collatio officij & muneris hoc exercitium exigentis, ex l. *Oratio de sponsalib.* Deinde in cap. *Venerabilem 34. de electione*, cavetur ne Hæreticus, aut excommunicatus in Imperatorē eligatur, &, si fuerit electus, irritetur ejus electio. Signum ergo est, officium jurisdictionis excommunicato concedi non posse; Limitat tamen Garcia hanc sententiam *n. 25.* ubi electione, seu liberā collatione, conferuntur hujusmodi dignitates, seu officia secularia: secus ubi obveniunt successione, seu ratione bonorum, vel majoratus, quibus excommunicatione suspenditur usus jurisdictionis.

2. Sed mihi, ut verum fatear absolutè opinio negativa magis placet quàm tuetur Suarez *de cens. disp. 16. sect. 2. n. 1.* quem affert Garcia, cui ego addo Coninch *de Sacram. disp. 14. dub. 11. n. 106.* Hurtad. *disp. 8. diffic. 2.* Filiuc. *t. 1. tr. 12. c. 5. n. 118.* & alios. Et ratio est quia ex prohibitione usus, & exercitij jurisdictionis excommunicato facta, solùm infertur prohibitam esse jurisdictionis concessionem: at non infertur, nullam, & irritam esse. Ex alia parte, nullus est Textus hanc irritationem inducens: nam Textus in cap. *Venerabilem.* potiùs probat, valere Imperatoris electionem, tametsi veniat irritanda. In officiis verò, & muneribus Ecclesiasticis, quia proximiùs beneficij conditioni accedunt, admittit communis sententia hanc annullationem, & irritationem. Non igitur ad officia, & munera temporalia extendi debet.

3. Notandum est hîc obiter primò, quod affirmant plures, si eligaris ad beneficium tempore habili, & acceptes tempore excommunicationis, validam esse acceptationem. Ex hac doctrina inferunt graves Doctores in Ecclesia, in qua est jus optandi pinguiorem præbendam, excommunicatum optare posse. Secundo inferunt, si sis coadjutor cùm futura successione, & tempore mortis proprietarij excommunicatus existas, non impediri consequutione præbendæ, si in forma gratiosa facta est, licèt aliqui probabiliter supradicta non admittant. Sed nostra sententia est probabilior. Vide Avilam *part. 2. cap. 6. disput. 5. dub. 6.* & Garciam *ubi suprà, n. 35.* Sup. his duabus primis diffic. inf. in resol. 171. §. 1. 2. & 3. & in resol. 172. per totam, & pro parte in aliis §§. earum notationum.

4. Notandum secundò, quod excommunicatus obtinens in excommunicatione absolvi debet, ut beneficium retineat; sed nova collatione indiget. Verùm, si collatio, vel electio; quæ ad Ordinarium pertinet, facta est tempore excommunicationis, ex dispensatione Ordinarij retinere beneficium, potetit: quia ea dispensatio æquivalet novæ collationi. At si collatto pertinet ad Ordinarium, prærequiritur præsentatio patroni laici, vel Ecclesiastici, vel collatio pertinet ad Pontificem, est gravis difficultas, an ex sola dispensatione Ordinarij beneficium retinere possis; Negat Avila *ubi supra, dub. 4. concl. 2.* Suarez *de cens. disp. 13. sect. 1. n. 43.* Coninch *disp. 14. dub. 9. n. 75.* Garcia *loco citato, n. 76.* & alij: quia hæc dispensatio æquivalet novæ collationi: at Ordinarius beneficium, quod est de alterius præsentatione, patrono inconsulto, providere nequit; minúsque potest beneficium Sedi Apostolicæ affectum conferre. Ergo neque poterit dispensare, ut retineatur. Sup. contento in hoc & seq. §. inf. in resol. 170. per tot. & in alio §. ejus annot.

5. His tamen non obstantibus, contrariam, tanquam probabilem, admitto cum Layman *lib. 1. tr. 5. part. 2. cap. 2. num. 8.* Azorio *part. 2. lib. 6. cap. 7. quæst. 2. §. Quid dicendum*, & aliis quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 8 disp. 7. num. 12.* ubi triplicem conditionem apponit. Prima, ut collationis nullitas occulta sit. Secunda, ne cedat dispensatio in tertij coëlecti præjudicium. Tertia, nesciens se inhabilem esse, possessionem beneficij acceperit, quia eo casu incurrit vitium intrusionis. Sed ab hoc, si occultum est, dispensari potest. Dicendum est itaque, satis probabiliter in tali casu ex sola dispensatione Ordinarij posse excommunicatum prædicta beneficia tetinere: quia, ut faciliùs fidelium conscientiis consulatur, videtur hæc potestas Ordinario concessa in dicto c. *Postulastis* siquidem non reservatur Pontifici. Dispensatio autem non reservata

servatæ concessa censetur Ordinario, argum. *c. Nuper, de sent. excomm.*

RESOL. XXVII.

An injustè excommunicatus v. g. ex causa præsumpta secundum allegata, & probata, teneatur se abstinere à communione fidelium, & ab aliis actibus prohibitis?

Et an in dicto casu, quamvis ad id teneatur ratione scandali, imo ratione obedientiæ, non fiat irregularis celebrando, non solum quando in occulto celebrat, sed etiam quando in publico, & coram eis, quibus censura est nota, & innocentia incognita, &c. Ex part. 5. tract. 9. Resol. 27.

Sup. hoc inf. vide adhuc magis latam doctrinam in Resol. 29. & lege etiam Resol. annot. seq.

§. 1. DE injusta excommunicatione, valida tamen, notandum est tripliciter posse esse injustam, uno modo ex pravo affectu tantùm. Secundò ex defectu ordinis à jure statuti. Tertiò ex defectu causæ, quando revera non est, licèt præsumatur. Et si primo tantùm modo sit injusta, non videtur dubium, quin habeat omnes effectus, quia si alia omnia requisita adsint, solus primus affectus judicis non impedit efficacitatem sententiæ, & idem judicandum est de excommunicatione injusta ex solo defectu ordinis, & injusta ex defectu causæ.

Sup. sequentibus abhinc usque in finem hujus Resol. in Resol. seq. lege à §. Verum.

2. Sed circa præsentem quæstionem prima opinio antiquorum fuit, talem sententiam validam esse, atque timendam, & observandam. Ita S. Th. *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 1. quæst. 1.* Rich *art. 1. qu...* Duran. *quæst. 4.* & aliorum, probatur ex *cap. sententia 11. qu. 3.* ubi dicitur sententiam judicis sive justam, sive injustam timendam esse. Secundo, quia secundùm allegata & probata talis sententia est vera; ergo habet effectum. Gabr. *dist. 18. quæst. 2 art. 2.* docet, talem sententiam non obligare quoad Deum, bene tamen quoad Ecclesiam, & sequitur Adrian. *quodlib. 6. art. 1.* Major *distin. 18. quæst. 2. art. 4.* & alij, qui docent eam tantùm servandum esse in publico, non tamen in occulto. Dicendum est igitur in publico sic excommunicatam obligari ad obediendum judici, quia secundùm allegata & probata rectè judicat: probabile autem est in occulto non teneri, est enim ille innocens: ergo non est causa, ob quam obligetur iste ad obediendum, quando nullum est scandalum, fateor tamen non esse improbabilem sententiam antiquorum asserentium, etiam in occulto obligari ad obediendum, quia judex justè procedit, & habet potestatem præcipiendi modo humano, hoc est, secundùm allegata & probata. Et ita ex Vasqu. docet. Turrian. *de cens. lib. 2. disp. 20 dub. 1.*

Sup. hoc ibidem §. Sed, & §. ult.

3. Sed non desinam hîc apponere verba Gasparis Hurtado *de cens. in comm. diffic. 24. num. 104.* ubi sic ait: Qui injustè sententiam censuræ patitur, tenetur coram eis, quibus sententia censuræ est nota, & innocentia ignota, se gerere, ut censura innodatus ratione scandali, ne eis videatur censuram contemnere, sed non tenetur ad id ratione obedientiæ, quia non tenetur immediatè ratione censuræ, cùm non sit valida, nec ratione alicujus prohibitionis à judice superadditæ ipsi censuræ, quia judex nullam ponit, quia nihil aliud facit, quàm ferre censuram; sed quamvis ad id teneatur ratione scandali imò & admittamus teneri ratione obedientiæ, non fit irregularis celebrando, non solùm quando in occulto celebrat, sed etiam quando in publico, & coram prædictis, quia quamvis teneatur abstinere, non tamen ex vi censuræ. Hæc Hurtado: videatur etiam Faber *in 4. sent. de cens. dist. 125. quæst. 1. disp. 4. cap. 3. n. 91.* & Suarez *de cens. disp 4. sect. 6. n. 13.* Præpositus *in 3. part. de cens. in gen. quæst. 1. dub. 10. n. 64.* & alij penes ipsos.

RESOL. XXVIII.

An injustè excommunicatus incurrat in pœnas justè excommunicationis?

Sed quid est dicendum de pœnis, quas incurrunt violantes censuras, de irregularitate celebrando Missam in dicta excommunicatione; de collatione, & receptione beneficij; deferente suffragium, & similibus?

Et difficultas consistit, si violat censuras in publico.

Et an communicans cum tali excommunicato incurrat pœnas juris impositas?

Et adhuc aliud dubium superest, an ab orationibus generalibus Ecclesiæ, à quibus excluduntur excommunicati, excludatur supradictus excommunicatus: Ex part. 5. tract. 9. Resol. 28.

§. 1. ET quoad pœnas spirituales, dico certum esse fideles orantes in publico non orare pro tali excommunicato, etiamsi illis constet illum esse innocentem, quia talis sententia saltem habet vim obligandi in actionibus externis, & judex procedit secundùm allegata, & probata. Sed dubium est, an ab orationibus Ecclesiæ generalibus pro fidelibus, à quibus excluduntur excommunicati, excludatur prædictus excommunicatus? Et assero non incurrere hanc pœnam, quia non est credendum Ecclesiam hoc velle; sed difficultas est de pœnis externis, & de exterioribus effectibus; & aliqui asserunt, quòd tam in publico, quàm in privato incurruntur. Ita ut, v. g. ille maneat privatus actione activa & passiva beneficiorum: & huic sententiæ favent DD. citati *dubio præced.* qui absolutè dixerunt talem excommunicationem obligare, non distinguentes de obligatione in publico, vel in secreto. Probatur verò hæc sententia ex *cap. venerabilibus, de sent. excomm. in 6.* ubi assignatur differentia inter absolutionem excommunicationis injustæ, & excommunicationis nullius; quòd absolutio nullius solet esse ad cautelam, alterius verò semper est simplex absolutio. Et quòd possit Ecclesia eas imponere pœnas, patet, quia dare jus ad electionem vel jurisdictionem ad administranda Sacramenta pendet ex judicio Ecclesiæ, & habet potestatem auferendi secundùm allegata & probata, & ita ex Vasquez *de excom. dub. 11. num. 13.* docet Turrianus *de cens. lib. 2. disp. 20. dub. 2.*

2. Verùm ego contrariam sententiam teneo cum Suar. *de cens. disp. 4. sect. 7. num. 14.* quia non est credibile Ecclesiam velle hoc modo obligare. Et hanc sententiam non carere probabilitate, præsertim in ordine ad praxim, & sedandas conscientias, concedit ipsemet Turrianus *loco citato.* Vnde illam tenet noviſſimè Præpos. *in 3. part. quæst. 1. de cens. in comm. dub. 10. n. 64.* ubi sic ait: Innocens non obligatur censura ratione sui, sed eatenus tantùm tenetur eam exterius servare, quatenus est necesse ad tollendum scandalum, quia non est verisimile Ecclesiam velle tam graviter punire eum, qui verè est innocens, & se pro tali certò cognoscit, & velle eum privare spiritualibus bonis, & quidem ita ut ipsemet sine alterius interventu teneatur esse executor. Confirmatur, in aliis pœnis, is, qui verè est innocens, potest declinare pœnam, quantum citra vim fieri potest. Hinc sequitur quòd talis innocens celebrando non incurrat irregularitatem, & quòd in conscientia possit recipere beneficium, & collario non sit irrita, item ferre suffragium. Ita ille, satis quidem probabiliter, ut dictum est.

3. Sed quid dicendum de pœnis, quas incurrunt violantes censuras, & de irregularitate & similibus? Dico igitur illas non incurrere quando actiones [illegible] prohibitæ

prohibitæ fiunt in occulto, quia istæ pœnæ non infliguntur ab homine, sed à jure violanti præceptum; sed in occulto, ut dictum est, non obligatur, ideò pœna non habet locum. Difficultas verò consistit, si talis excommunicatus violet censuras in publico, & Vasq. cum Turriano *locis citatis*, docent talem revera incurrere irregularitatem, & alias pœnas juris, quia illæ assignantur à jure pro his, qui violant præceptum judicis, prædictus tamen excommunicatus revera violat, quia in publico tenetur obedire. Sed P. Suarez *sect. cit. art.* 2. censet istum re vera non esse irregularem. Primò, quia iste revera non est excommunicatus. Secundò; quia pœnæ istæ impositæ à jure non incurruntur propter actum, nisi sit perfectus in sua specie, qualis non est hic, quæ argumenta facilem habent solutionem.

4. Ad primum dicendum est illum esse excommunicatum hoc sensu, ut teneatur obedire præcepto judicis, qui præcipit secundùm allegata & probata.

5. Ad secundum violationem hujus præcepti, ob quam imponitur prædicta pœna, perfectam esse in sua specie.

6. At his non obstantibus sententiam negativam quam docet Suarez, probabilem esse puto, quam etiam tuetur Ioannes Præpos. insignis Theologus Societatis Iesu, *ubi supra n.* 65. ubi sic asserit: Dixi eatenus teneri, quatenus est necesse ad tollendum scandalum, quia si nullo modo posset exercere functiones per censuram prohibitas sine scandalo, & quin censeretur potestas Ecclesiastica contemni, eas obire non posset, unde non potest hujusmodi actiones exercere coram iis, quibus non constat de invaliditate censuræ, non tamen propterea incurret irregularitatem, quia non obligatur ad id præcisè ratione censuræ, secundùm se spectatæ, sed quodam modo per accidens, ne potestas Superioris censeatur contemni. Ita Præpositus, & ego. Et hanc opinionem probabilem esse fatetur ipsemet Turrianus *loco citato*, qui tamen optimè addit, quod talis propter violationem censuræ in publico factam puniretur revera, ut violator censuræ, & habebitur ut irregularis. Ex dictis infert Præpositus absolutè communicantem cum tali excommunicato incurrere pœnas juris impositas cum excommunicato; sed hoc limitat ex Vasquez Turrianus, quando excommunicatio fit in occulto, secus autem in publico, & addit Præpos. *num.* 66. talem excommunicatum apud Deum non privari suffragiis communibus Ecclesiæ; sed hoc dictum est suprà, & de hac tota quæstione, quando casus accidit, ne deseras recognoscere Gordonum *in summ. tom.* 1. *lib.* 7. *q.* 6. *cap.* 3. *n.* 11. *& sequent.*

RESOL. XXIX.

An excommunicatus nulliter teneatur abstinere à communione fidelium, & ab aliis prohibitis? Ex part. 5. tract. 9. Resol. 26.

§. 1. Ad hunc casum respondet negativè ex multis Theologis, insignis ille Iurisconsultus Ludovicus Mexia, & quia Codex non invenitur, pro- nam per extensum ejus verba, sic enim ait in leg. Regiam Toleti sub tit. *de los proprios y rentas de los Concejos, part.* 5. *fundam.* 2. *n.* 28. *& seqq.* Sententia nulla jus non tribuit, quódque nulliter factum est factum non censetur *Clement. pastoralis, de re jud.* & Corneus explicat *in consil.* 325. *incipien. Prima facie videtur.* 3. *col. n.* 11. *vol.* 1. & novissimè quasi sub eadem casus specie, Martin. ab Azpilcueta Navarrus (præceptor olim meus Salmanticæ) vir ingenij acumine ac varia doctrina præcellens, *in prælectio. cap. cùm contingat, de rescript. remed.* 3. *pag.* 160. *cum seqq.* secundum meam impressionem, scribens etiam ibi plurium allegatione jurium Canonistarum & Theologorum sententiam excommunicationis, quæ aliqua de causa est nulla, timendam non esse *c. cui, & c. non debet* 11. *q.* 3. ubi Greg. Non debet, inquit, is pœnam sustinere canonicam, in cujus damnatione non est canonica prolata sententia. Firmans idem Martin. *ibid.* auctoritate Paludani (Theologorum omnium hac in re doctissimi) *in* 4 *distinct.* 18. *q.* 1. *col.* 3. & Anton. Archiep. Florent. *in* 3. *tit.* 24. *cap.* 73. excommunicatum nulliter denunciatum publicè non teneri abstinere à Divinis, neque ab alia hominum communicatione legitima, modò nullitatis causa publicata fuerit per eum. Quibus non obstat Angel. de Cavas. *in verb. excommunicatio* 4. §. 19. qui casibus quindecim paulo antè ab eo relatis, quibus excommunicatio ipso jure est nulla, quorum undecim ponit gloss. singularis post Ioan. Monach. *in cap. præsenti, de sententia excomm. lib.* 6. subjicit hæc verba. In omnibus prædictis casibus sententia excommunicationis nullo modo est timenda, nec quoad Deum, nec quoad Ecclesiam, quando notoriè constat de aliquo ipsorum. Sed quando non constaret, tunc quoad Ecclesiam esset timenda, & ipsam contemnens peccaret mortaliter, & posset excommunicari. Hoc enim ejus dictum, dum de notorio loquitur, intelligi non debet eo modo, quo notorium capitur *in cap. vestra de cohab. cleric. & mul.* ut ibi definit Anton. *n.* 31. nec idem, accipitur *in cap. fin. de tempor. ordinand.* Sed in genere pro eo, quod est manifestum, hoc est, secundùm Panorm. *in d. cap. vestra num.* 13. per clamosam insinuationem certo auctore præcedente patefactum. Alioqui Angel. contrarius esset Paludano, & D. Antonino, imò & prædictis juribus, quod non est credendum. Vnde plusculum vigilantiæ desiderari potest in Sylvio, mea sententia, alias vigilantissimo *in verb. excomm.* 2. *notab. vers.* 13. qui relatis & probatis antedictis verbis Paludani, subjicit hoc Angel. dictum ad verbum, eo non citato, nec aliter verbis ejus temperatis, quæ tamen erudito, & in materia notorij exercitato, contraria meritò videri possunt. Et diligentior mihi videtur Gabriel (vir omnium consensu doctissimus) qui *in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. *col.* 11. altiùs in omnibus in hæc verba, quæ ad nostrum quoque thema spectant, loquitur. Si verò excommunicatio fuerit nulla ob defectum jurisdictionis super excómunicatum simpliciter, vel in illo casu quo fertur excommunicatio, vel quia fertur post appellationem legitimè interpositam, vel ob alium defectum, propter quē ipso jure est irrita, tunc non oportet eam timere, nec pro excommunicato agere, seu gerere, vitando communionem Sacramentorum & hominum, quoniam quod non est, non oportet timere: sed dum sententia est nulla, jam non est excommunicatio, nec quoad Deum, nec quoad Ecclesiam, quia secundùm veritatem nullam sententiam juris incurrit, qui sententiam, quæ nulla est, non custodit, timenda tamen est, non sententia, sed scandalum populi vulgaris, nescientis sententiam esse nullam: unde si aliquis publicè excommunicatur, & denunciatur nulliter; ex adverso publicet ipse sufficienter causam, propter quam sententia est irrita, quo facto non pareat sententiæ, & si aliquis tunc scandalizatur, non est scandalum pusillorum, sed Pharisæorum secundùm regulam Christi *Matth.* 15 contemnendum. Attamen non tenetur, eam servare in occulto ante scandali sedationem, sed neque in occulto, nec in publico coram sapientibus, quibus nota est nullitas sententiæ tenetur eam observare. Hactenus ille. Cujus, & aliorum sententias curiosiùs hic retuli quòd res hæc quotidiana sit, & nostro proposito maximè conveniat. Et hæc omnia docet Mexia *ubi supra.* Licèt

contrarium asserat Ioan. Valerus *in differ. utr. fori, verb. excomm. differ. 8. per tot.* quem omnino quando casus occurrerit, videbis. Sed cum Mexia tenet Gutierr. *can. 99. lib. 1. cap. 4. n. 36.* ubi firmiter docet sententiam excommunicationis nullam non esse timendam nullitatis causâ publicata, & ita etiam docet ex Vasq. Turrian. *de cens. lib. 2. disp. 20. dub. 1.* ubi sic ait: Si de excommunicatione nulla sit sermo, omnes fatentur revera nullum habere effectum; sed propter scandalum observanda est in publico, donec veritas manifesta sit: quòd si ante manifestationem veritatis excommunicatus publicè se ingerat divinis, peccabit, nullam tamen pœnam juris incurret ipso facto, cognita tamen veritate nullum erit scandalum illam non observare. Docuit verò Sylvester *verb. excomm. 2. notabili 1. cas. 15* P. Vasquez *sup.* cum aliis Doctoribus satis esse, ut excommunicatio sit nulla, quod ita judicetur à sapientibus, neque est necessarium, ut vulgus ita judicet. Bene autem notavit P. Vasquez necessarium esse, ut antequam quis operetur contra illam, manifestetur vulgo judicium sapientium, hoc enim condonandum est ignorantiæ proximi. Sic ille.

RESOL. XXX.

An qui probabiliter judicat sententiam excommunicationis esse nullam, teneatur se abstinere, & incurrat pœnas juris? Ex part. 5. tract. 9. Resol. 29.

Sup. hoc in Resol. seq. & inf. in Resol. 121. & in tom. 9. tr. 2. Resol. 207. §. Et tandem.

§. 1. AD hoc dubium satis quidem practicabile respondet Vasquez *de excomm. dub. 11. n. 23.* ubi sic ait: Restat ut dicamus de sententia illa, de qua probabiliter dubitatur, an sit valida, vel non: & de hac dicendum est, quod docuit Sotus quòd in dubiis pro judice ferente sententiam judicandum est, & ita tenentur parere sic excommunicati, tam in exteriori hominum convictu, & apparentia, quàm in occulto, quia judicandum est pro judice, quod sit valida, & si contrà quis fecerit incidit in omnem pœnam à jure stabilitam, quod licèt non dicat Sotus, mihi tamen consequenter videtur dicendum, quia jam est peccatum inobedientiæ etiam in occulto contra sententiam excommunicationis. Nihilominus adhuc mihi videtur, quod pœnæ, quæ sunt ipsamet excommunicatio, & ipso facto quòd quis excommunicatur, incurruntur, non incurruntur in hoc casu, nisi in rei veritate valida sit sententia; quia si in re non est valida sententia: ergo neque excommunicatio, ergo neque pœna quæ est excommunicatio, & in hoc verum habet dictum Navarri & Cajetani, quòd in exteriori foro ille talis reputabitur inhabilis, vel ad eligendum, vel ut eligatur. Et ita hanc sententiam docet etiam Turrian. *de cens. lib. 2. disp. 21. dub. 3.* & ne deseras videre Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 16. diffic. 11. n. 7.* ubi sic ait: [Si el juez pone censura siguiendo opinion probable, ligarà, aunque segun otra sentencia sea nula, y no puede el subdito hazer contra ella, aunque sea de opinion contraria.] Ita ille, quod est valde notandum à judicibus laicis, quando excommunicantur ab Episcopis, licet pro se habeant opinionem probabilem.

Sup. hoc in Resol. 3. not. præteritæ & in eodem §

RESOL. XXXI.

An excommunicatio liget, quando pro subdito adsit opinio probabilis in contrarium?

Et resolutio hujus dubij multum pendet ex illa difficultate, an obedire debeat subditus Superiori præcipienti juxta sententiam probabilem? Ex part. 9. tract. 9. & Misc. 4. Resol. 46. aliàs 45.

§. 1. NEgativam sententiam nominatim contra me docet eruditissimus P. Stephanus Spinula *in Opusc. de Elect. opin. disp. ultim. sect. 4. per totam.* Probat hanc sententiam *ex cap. 1. de postulatione Prælator.* quem textum (ait) sic induco. Damnat Pontifex Episcopum Altisiodorensem, qui in sua Diœcesi non servaverat interdictum fulminatum à Legato Papæ, licèt se excusantem, quia non fuisset in sua Ecclesia promulgatum, quia nullam sufficientem excusationem adhibebat, sed omnia erant frivola, quæcumque adducebantur; quia satis superque illius interdicti ad illum fama certa pervenerat: quin in sua Metropolitana Ecclesia tale interdictum fuerat promulgatum, & servatum. Ex quo subdit Pontifex: hinc liquido constat eum non posse excusari. Ergo à contrario, cùm quis potest sufficienter excusari, non est damnandus, nec incurrit pœnas violatæ obedientiæ, & censuræ Ecclesiasticæ, quam non tenetur timere, quia illa non afficitur. In tantùm enim Episcopus Altisiodorensis dicitur debuisse servare interdictum; quia nullam excusationem sufficientem poterat afferre, quare non teneretur, & illo non afficeretur. Et quidem de hoc liquido constabat; unde tanquam reus violatæ obedientiæ, & non servatæ, qua afficiebatur, damnatur, & punitur in eo capite; ergo à contrario, qui excusationem habet sufficientem, non afficitur censura, nec illam tenetur servare, seu se gerere ut illa affectum.

Sup. hoc in Resol. 121. & in tom. 9. tr. 2. Resol. 207. §. Et tandem.

2. Modò subsumo, sed in casu opinionis probabilis, & sufficiens excusatio dàtur, nec liquidò constat, quem teneri, seu affici censura, & illa non afficitur.

3. Secundò: quia ignorantia invincibilis præcepti validi, & censuræ adnexæ præcepto verè ligantis, excusat à præcepto, & censura; sed in casu opinionis probabilis hinc & inde est ignorantia invincibilis, quòd præceptum liget, & censura sit valida: ergo tunc hæc excusat quemque ab obedientia præcepti, & incursione censuræ. Major est evidens, quia est omnium jurium, & Doctorum axioma. Minor probatur. Tunc est ignorantia invincibilis rei, quando res ignoratur, nec quis potest, aut debet certiorari; sed quando concurrunt opiniones hinc, & inde probabiles, qui ignorat veritatem, ita ignorat, ut fortè absolutè non possit scire veritatem; quia absolutè impossibilis est demonstratio, seu evidens cognitio rei: sanè non debet aliud efficere, ut inveniat veritatem, cùm in probabili opinione tutò quiescat, nec debet ad ulteriora progredi, ergo tunc est ignorantia invincibilis, quæ excusat ab omni pœna, & ab omni culpa.

4. Tertiò: quia excommunicatio non incurritur sine contumacia, & inobedientia, quando Ecclesiæ quis parere debet; sed quando utrinque sunt opiniones probabiles, eligens quamcumque non est contumax contra Ecclesiam, nec inobediens est, cùm parere non teneatur, cùm non sit certum tunc præceptum obligare, sed hoc sit sub opinione positum: in quo casu quælibet opinio in praxim deduci potest, nec ullum peccatum incurritur inobedientiæ, & contumaciæ, quæ supponit in subdito debitum parendi: quod in subdito non est, quotiescumque in superiore non est jus certum præcipiendi, quale non est, cùm sit probabilis opinio, quòd non sit: ergo cùm subditus non teneatur obedire, si non obediat, nec inobediens, nec contumax est, & per consequens corruit etiam censura; tum quia est annexa præcepto, tanquam accessorium: tum quia hæc non incurritur sine speciali contraventione, & violatione præcepti, cui certo parendum sit.

5. Et hic adverte, quod licèt non sit sub opinione, an censura sit valida, necne, sed solùm sit sub opinione, hinc, & inde verè probabili, quod id, quod prohibet Superior,

Superior, non sit illicitum, vel, quod à subdito sine peccato fieri potest, per hoc præcisè excusatur ab omni pœna, sub qua superior præceperit. Patet quia per id præcisè, per quod quis excusatur à culpa, etiam excusatur à pœna, & quod sine culpa fit, nulla pœna puniri potest; juxta illud, Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit, *cap. cognoscentes, de constit.*

6. Confirmatur, nam si quis credat probabiliter Superiorem per errorem jussisse, aut non jussurum fuisse si veritatem novisset, non peccat non obediendo; sed qui habet opinionem probabilem, quòd Superior non possit præcipere id, quod præcipit, credit probabiliter Superiorem per errorem præcipere, & non jussurum si veritatem nosset; si enim nosset se non posse præcipere, certè non præciperet: ergo in hoc casu non peccat non obediendo: ergo neque incurrit censuram, cùm hæc sine peccato non subsistat; tam enim per errorem credit probabiliter latum esse præceptum, quàm censuram: unde nec illi parere tenetur, nec illa afficitur: Et idem dicatur etiamsi ex parte Superioris esset opinio probabilior, quia etiam minus probabilis in praxim deducitur sine peccato, & tunc adhuc salvatur ignorantia invincibilis, & corruit contumacia, & inobedientia, & quæcumque culpa.

7. Dices, Si opinio Superioris sit vera, censura est valida; quia potuit Superior præcipere: ergo tunc ligabit, ergo simpliciter timenda est: unde saltem ad cautelam petenda absolutio est, & Superiori obediendum. Respondetur negando consequentiam, quia ad hoc ut excommunicatio liget, non sufficit, quòd habeat ex parte agentis, seu ferentis sufficiens principium sui valoris, sed etiam debet cadere supra subjectum aptum: talis autem non est subditus in isto casu, quia esto opinio Superioris sit vera, & Superior verè in re possit præcipere, hoc tamen quia non constat, & est sub opinione positum, & opinio vere probabilis dicit Superiorem in hoc casu præcipere non posse; ideò subditus non obediendo non peccat, sufficienter enim excusatur ab obediendo; subditus autem non obnoxius peccato mortali, non potest ligari censura gravi, seu excommunicatione majori; unde quantum est de se excommunicatio illa est ligativa, per accidens autem non ligabit; ac proinde subditus absolutè non peccabit, nec incurret excommunicationem. Hucusque Pater Spinula; Spina quidem nimis acuta pro Superioribus. Ex cujus sententia sequeretur, quòd in dubio, an præceptum Superioris ex alio capite sit invalidum, quia dubitatur, an Superior hîc & nunc possit præcipere, vel quia materia quam præcipit; non sit suæ jurisdictionis, vel quia illud, quod præcipitur, illicitum sit, non tenebitur quis obedire, ac proinde neque timere debebit excommunicationem præcepto annexam: ergo multo magis id dicendum cum opinione probabili; quæ omnia Pater Spinula concedit.

8. Sed ad prædictorum confirmationem audiamus Januarium, virum doctum & sapientissimum in suis Resolutionibus Moralibus *part. 1. resol. 44. numer. 13.* ubi docet quòd si justitia in lege sit tantum probabilis, non sufficit ad simpliciter obligandum subditum: nam quando est opinio pro Superiore, & pro subdito, possessio non magis favet juri Superioris in subditum, quam libertati ipsius subditi, vt patet: ergo non est major ratio cur subditus teneatur obedire Superiori, quàm sequi suam libertatem. Nam posita sub opinione potestate Superioris in subditum, eo ipso non dicitur Superior simpliciter esse in possessione, sed tantùm sub opinione seu opinabiliter, & sub opinione etiam est, subditum non teneri obedire Superiori sic præcipienti.

9. Nec dicas primò, quod subditus tenetur obedire, quando est incertus de re præcepta, an sit licita, vel an excedat potestatem Superioris; ergo etiam tenetur subditus obedire, quando adest opinio quòd res præcepta sit justa, quia tunc subditus etiam est incertus. Nam respondet Ioan. Sanchez, *in selectis, disput. 35. num. 37.* quod incertitudo in lege oriri potest, vel à dubietate, vel ab opinione: quando enim oritur à dubietate, non potest subditus non obedire, cùm Superior sit in possessione, & in dubio melior sit conditio possidentis, nec potest subditus cum suo jure dubio expoliare Superiorem suo jure certo. At quando incertitudo oritur ab opinione, potest subditus non obedire, quia fas est cuique uti opinione probabili, ut omnes concedunt. Nec dicas secundò cum Vasquez, *in 1. 2. q. 19. disp. 62. cap. 6. num. 32* quòd subditus, id quod potest licitè exequi, tenetur exequi, accedente præcepto Superioris: sed potest licitè exequi quod præcipitur, etsi sit sub opinione: ergo tenetur. Nam contra est, quia subditus tenetur exequi quidquid potest licitè accedente præcepto Superioris habentis potestatem absolutè illud præcipiendi. Nam ad præcipiendum requiritur justitia ex parte præcipientis, seu requiritur potestas in præcipiente ad rem illam præcipiendam, quæ potestas in præcipiente, si est absoluta, subditus tenetur absolutè exequi mandatum, si licitè potest; si verò potestas illa in Superiore est sub opinione, tunc quia unicuique licitum est uti opinione probabili, subditus poterit licitè non obedire, sequendo opinionem probabilem oppositam. Vnde distinguenda est major, quidquid potest subditus licitè exequi, ut subditus est, tenetur si præcipiatur, conceditur: quidquid potest subditus licitè exequi, ut non subditus tenetur, negatur: nam potest subditus licitè exequi præceptum Superioris circa res merè internas, & tamen non tenetur; sic etiam dicendum est, quòd quando adest opinio de re præcepta, potest subditus sequi opinionem oppositam Superiori, quia secundum illam opinionem, subditus in illa re non est subditus, nisi probabiliter; & sic quamvis licitè possit, non tenetur.

Sup. hoc in tom. 8. tr. 1. Res. 16. & lege Resolutiones positas in annot. prima post præteritam hujus Res.

10. Nec dicas tertiò, quòd sic daretur bellum justum ex utraque parte, cùm licitum sit Superiori præcipere aliquid, sequendo opinionem sibi faventem, licitum sit subdito non obedire, sequendo opinionem sibi faventem. Nam cõtra est, quia non implicat dari bellum justum ex utraque parte quando ignoramus veritatem; ignorantia enim veritatis utrumque excusat, ut optimè Thomas Sanchez, *in summa, lib. 6. c. 3. num 21. in fine*, nam tunc bellum erit justum ex una parte materialiter, & formaliter à parte rei; ex altera autem parte erit justum tantùm formaliter & erit materialiter injustum; quia si coram Deo Superior justa præcipit quæ secundum opinionem subditi sunt injusta; tunc Superior injicit bellum justum materialiter, & formaliter, etsi subditus injiciat bellum formaliter tantùm justum, & materialiter injustum. Vnde subditus, quando non obedit præcepto Superioris, ductus ab opinione probabili; tunc non facit bellum de re justa absolutè, contra rem justam absolutè, nam hoc implicat, sed facit bellum de re justa probabiliter contra rem injustam probabiliter, ut optimè Ioan. Sanchez, *loc. cit. n. 42. vers. Sed esto, &c.* ex Maldero, *de virtutibus, q. 40. dub. 4.* & Molina, *tom. 1. de justit. disp. 103.* & sic bellum non erit justum, & injustum secundum idem, id est secundum eandem rationem, sed erit justum secundum rationem Superioris in sua opinione, secundum quam rationem erit injustum bellum subditi contra Superiorem: & erit bellum justum secundum opinionem, seu rationem opinionis subditi, secundum quam rationem erit injustum bellum Superioris in subditum, & sic

Sup. hoc in tom. 7. tr. 7. Res. 4. & in tom 8. tr. 1. Res 18. §. Sic, post med. & §. vlt.

erit bellum justum, & injustum respectu diversorum, quod non implicat; non enim implicat, quod idem sit debitor, & creditor ejusdem secundum diversas rationes.

11. Nec dicas quartò cum aliis, quod subditus peccat contra justitiam, dum Superiorem spoliat jure præcipiendi, quod jus Superior habet ab illa opinione probabili; qui enim alterum spoliat re, quam justè possidet in justitiam committit. Nam contra est, quia etsi verum sit, quod qui alium spoliat re, quam justè possidet, peccat contra justitiam, tamen hoc verum est, quando rem justè absolutè possidet: at quando possidet rem justè probabiliter, & non absolutè, tunc non facit contra justitiam, qui re illa ipsum spoliat, sequendo opinionem oppositam. Nam possidere justè probabiliter admittit secum injustè probabiliter possidere: quando igitur subditus spoliat Superiorem illo jure justè probabiliter possesso, non spoliat illum secundum quod justè probabiliter possidet secundum opinionem Superioris, sed secundum quòd injustè probabiliter possidet secundum opinionem ipsius subditi. Et hæc omnia docet Ianuarius ubi suprà.

12. Vidisti, amice Lector, quàm validè hi duo docti Recentiores, post vtrumque Sanchez, causam subditorum tutare voluerint. Quorum omnes rationes, & argumenta, hîc per extensum in tui gratiam apponere volui. Vide etiam Franciscum Girago, *de Regim. Regul. part. 3. dub. 30. per tot.* & ne deseras cognoscere Rocafull *in praxi Theol. mor. part. 3. lib. 3. dub. 14. n. 143.* vbi *num. 146.* sic ait: Quæres an in casu quo subditus sequens opinionem probabilem, non obtemperet Superiori, incurrat pœnas, vel censuris ligetur? Respondeo, non incurrere pœnas, neque censuris ligari. Et ratio est, quia non delinquit subditus non obtemperans in hoc casu, cùm sequens opinionem probabilem, culpa careat operando, juxta illam; & res, quæ culpa carent, in damnum vocari non debent, *cap. 2. de Constitutionibus*, nec sine culpa quispiam puniendus est, ex *regul. in 6.* & sanè, si subditus puniretur in hoc casu, puniretur ob actionem, quæ solùm esset peccatum ex Superioris judicio, seu propter peccatum excogitatum à judice, non propter peccatum à Reo revera commissum, quod est absurdum. Ita ille.

Docuit in Resolutionibus not. primæ hujus Res. & not. seq. Et pro alibi contento ad lin. 4. hujus §. Verum, in tom. 8. tr. 1. Res. 13. & 16. & in tom. 7. tr. 1. Res. 133. §. 2 ad med. à vers. Et idè dicent.

13. Verùm his non obstantibus ego non recedo à sententia affirmativa, quam olim docui, & contra me, ut dixi nominatim impugnat Pater Spinula; & ideò præter Vasquez, Villalobos, & Turrianum à me alibi citatos, tenet nostram sententiam sapientissimus Theologus Societatis Iesu Ioannes Præpositus, *in 3. part.* D. Thomæ, *q. 1. de Censuris in communi, dub. 9. n. 63.* vbi sic ait: Quando constat de potestate ferendi legem, censura debet servari, nisi apertè constet legem esse nullam, vel in se, vel in ordine ad censuram, vel ita moraliter judicetur esse nullam, ut pro ejus justitia vix appareant rationes probabiles; si enim vel probabiles appareant, iudicandum est pro Legislatore, qui est in possessione ferendi legem, qui in usu hujus potestatis potest sese conformare sententiæ probabili, non minùs quàm privati, & proinde eo casu subditi tenentur obedire; nisi enim ad id obligarentur, gravis perturbatio sequeretur in Ecclesia. Ita ille, cui adde ex eadem Societate Valer. Reginald. in praxi *tom. 1. lib. 9. cap. 8. n. 165.* qui optimè observat, quòd ex contraria sententia sequeretur in Ecclesia confusio, & perturbatio Ordinis Hierarchici.

Sp hoc in Resolutionibus, §. & vers. not. præteritæ.

14. Sed quia resolutio hujus dubij, multum pendet ex illa difficultate, an obedire debeat subditus Superiori procedenti juxta sententiam probabilem? Vide Texedam *in Theol. mor. tom. 1. tr. 2. contr. 4. n. 16.* Præpositum *in 1. 2.* D. Thomæ, *q. 19. art. 6. dub. 5. §. 1. n. 3* & alios, quos citat, & sequitur Doctissimus Oviedo, *in part. 2. tr. 5. contr. 3. punct. 5. per totum.* Et quidem si quando æqualiter dubitatur de justitia, & injustitia legis, nihilominus subditus cogitur obedire, ut docent Doctores, quos citat, & sequitur Suarez, *lib. 5. de legibus, cap. 18.* ergo à fortiori, quando judicium est speculativum pro utraque parte, debet practicè præferri jus Superioris; est enim eadem ratio, vel major, quia in præsenti certò constat practicè de justitia legis, ibi autem neutrum constat practicè, vel speculativè, sed præsumptivè tantùm. Et quidem contrarium asserere esset, ut ait Giuniparus, *de jure Pontif. disp. 6. c. 3. n. 46.* nimis larga licentia, & multam confusionem, & scandalum generaret in Republica Christiana, etiam respectu Legum Civilium, & Sanctionum, ac Statutorum Principum sæcularium.

15. Nota verò, quod etiam si standum esset opinioni Patris Spinulæ, & aliorum negativæ, procederet quidem in foro conscientiæ, non autem in foro exteriori, in quo excommunicatus est puniendus, & ut talis existimandus; vnde novissimè doctus, pater Bordonus, *in Consiliis Regul. tom. 2. res. 78. n. 108.* sic asseruit: Quando clarè constat sententiam fuisse nullam, & invalidam, in hoc casu censuratus non tenetur timere, neque servare sententiam, quia illa non ligat neque apud Deum, neque apud Ecclesiam, quæ neminem iniquè & contra justitiam ligat, quæ vnicuique mandat servari jus illæsum. Dixi clarè, quod contingit in omnibus illis casibus, in quibus Doctores conveniunt in nullitate sententiæ. Quòd si in opinione sit casus, & vtrinque sint Doctores communiter, ita quòd opinionem reddant probabiliorem, vel æquè probabilem ex parte judicis, in foro Ecclesiæ sententiatus tenetur timere, & servare censuram, quia tunc casus censetur dubius; in dubiis autem obediendum est Iudici, & Prælato, ex vulgatis juribus. In occulto autem, si pro se subditus habet probabilem opinionem, potest non servare sententiam: quia sic prudenter agendo non peccat coram Deo. Ita ille; cui adde Rocafull. *ubi supra*, citatum in favorem negativæ sententiæ, qui *lib. 7. de lege Eccles. c. 5. n. 39* ait: Quòd si opinio probabilis excusaret subditum, id esset in foro conscientiæ, non tamen in foro exteriori tribueret inferiori potestatem, qua se eximeret ab obligatione legis probabili judicio innixæ.

Sed ego puto nostram sententiam tenendam esse in vtroque foro.

RESOL. XXXII.

An si Episcopus prohibeat furtum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, furans incurrat excommunicationem, si invincibiliter legem istam ignoret?

Idem dicendum est, si excommunicatio lata sit à Pontifice.

Et quæ dicta sunt de excommunicatione, dicenda etiam sunt de suspensione, interdicto, & irregularitate.

Et quid est dicendum, si aliquis, verbi gratia, vovit non fornicari, vel ludere sub pœna centum aureorum, si postea immemor voti fornicetur, luserit, &c. an tenetur solvere pœnam?

Idem est, si dum fornicatur, memor sit voti, non autem pœnæ impositæ, etiam si esset pœna castitatis, Religionis, peregrinationis Ierosolymitanæ, &c.

Idem est de eo, qui ex oblivione naturali omittit recitare Horas Canonicas, quod non tenetur restituere fructus.

Ex part. 3. tr. 6. & Misc. 2. Resol. 41.

INcurrere in excommunicationem docent Alvarez, Sayr. in *in part. 2.* D. Thomæ, *disp. 159. n. 5.* Comitolus *l. 5. q. 3.* Covarruvias, *in c. Alma mater, part. 1. §. 10. n. 9.* & alij penes ipsos. Et ratio est, quia excommunicatio lata est super furtum lege naturali damnatum.

2. Sed Rod.

2. Sed mihi contraria sententia magis placet quam tuentur Salas *in part. 2. tom. 2. tr. 13. disput. 8. sect. 10.* Molina *tom. 4. tr. 5. disput. 71. n. 9.* Valentia *tom. 4. disp. 7. q. 17. punct. 7.* Sanchez *de matrim. tom. 3. lib. 9. disp. 32. n. 9.* Suarez *de cens. disp. 4. sect. 8. n. 20.* Henriquez *lib. 13. c. 23. n. 2.* Azorius *tom. 1. lib. 1. cap. 15. q. 3.* Toletus *lib. 1. c. 8.* Sayrus *de cens. lib. 5. c. 18. n. 24.* Graffius *tom. 1. lib. 4. c. 9. n. 16.* & alij penes ipsos. Et ratio est, quia ignorans invincibiliter excommunicationem impositam ab Episcopo, peccat tantùm contra jus naturale, adversùs quod se agere cognoscit, non autem jus positivum Episcopi, quod quidem invincibiliter ignorat. Ergo non incurrit in excommunicationem ab Episcopo latam.

3. Et hæc omnia vera esse puto, non solùm si excommunicatio sit lata ab Episcopo, sed etiam à Summo Poutifice, quia militat eadem ratio. Et ita docent Azorius, Henriquez, Toletus, Sanch. & alij *ubi suprà*, quidquid in contrarium asserat Salas *in part. 2. tr. 13. disp. 8. sect. 10. n. 77.* Vgolinus *de cens. tab. 1. c. 9. §. 8. n. 10.* D. Antoninus *par. 3. tit. 24. c. 75.* Corduba *lib. 2. q. 27.* & alij.

4. Quæ autem dicta sunt de excommunicatione, dic etiam de suspensione, & interdicto; nam ab his pœnis excusat ignorantia invincibilis juris eas imponentis, quamvis factum sit jure naturali damnatum, & pœnæ statutæ sint ab Episcopo, vel à Pontifice. Et ita docent Vasquez *de excommun. dub. 16. n. 6.* Navarrus *c. 23. num. 47.* Suarez *de cens. disp. 4. sect. 8. num. 20. & seq.* Sanchez *lib. 9. disp. 32. num. 18.* Filiucius *eodem tr. cap. 8. q. 10. n. 253.* quidquid in contrarium asserat Avila *de cens. part. 2. cap. 5. disp. 5. dub. 10. concl. 2.* Alvarez *in part. 2. D. Thomæ, disp. 158. n. 5.* & alij; & idem sentiendum est, quando imposita est in pœnam debiti.

5. Notandum est etiam hîc obiter, quòd si quis, v.g. voluit non fornicari, vel ludere sub pœna centum aureorum, si postea immemor voti fornicetur, non tenetur solvere pœnam; quia naturalis oblivio æquiparatur ignorantiæ invincibili; & ita docent Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 4. c. 22. n. 18.* & alij. Idem dic, si dum fornicatur memor sit voti, non autem pœnæ impositæ, etiam si esset pœna Religionis, Castitatis, Peregrinationis Hierosolymitanæ, ut probabiliter asserit idem Sanchez *n. 19.* Idem dicendum est de eo, qui ex oblivione naturali omittit recitare aliquas horas canonicas, nam non tenetur restituere fructus, non obstante lege pœnali irritante fructuum acquisitionem; quæ omnia sunt valde notanda.

RESOL. XXXIII.

An ignorantia vincibilis juris, vel facti excuset ab incursione censurarum, & aliarum pœnarum, sive latæ sint à jure communi Papæ, sive particulari Episcoporum!

Vbi etiam explanatur, quænam dicatur ignorantia crassa, & supina, lata, & vincibilis, vel ignorantia crassa, supina, & affectata. Ex part. 3. tr. 5. & Misc. 1. Resl. 13.

§. 1. HÆc resolutio erit plena magnæ consolationis, quia respondeo affirmativè, & ita docet Portel. *in addit. ad dubia regul. ver. ignorantia, n. 25.* & Sanchez *de matrim. tom. 3. lib. 9. disp. 32. n. 31.* ubi sic ait: Existimo ignorantiam etiam mortaliter culpabilem, sive juris, sive facti, modò non sit crassa, excusari à censuris, & pœnis, & idem dico licèt adsit scientia legis, si adsit ignorantia non crassa censuræ. Ita ille, qui validis rationibus confirmat hæc omnia, & intelligenda esse docet de quibuscunque pœnis, sive latis à jure communi Papæ, sive à particulari Episcoporum. Si tamen scire cupis, quænam dicatur ignorantia crassa & supina; respondet, illam dicendam esse, quæ ex lata culpa in adhibenda diligentia procedit: culpa verò lata est, quando ignorans aut nullam, aut valdè modicam adhibuit diligentiam. Et Graffius *decis. part. 1. lib. 4. c. 8. n. 20.* & alij, asserunt culpam latam, seu ignorantiam crassam esse illam, quæ ex malitia, vel ex nimia negligentia procedit. Imò Anton. *cap. 2. de const. n. 9.* amplius videtur peterc: explicat enim eam ignorantiam esse, quando est latissima culpa, quæ dolo æquiparatur. Et hæc omnia Portel. & Sanchez *ubi sup.* quidquid in contrarium asserant Sotus *in 4. dist. 28. q. 1. art. 2.* Graff. *part. 1. decis. lib. 4. disp. 4. c. 9. n. 20.* Suarez, & alij, quos citat, & sequitur Villalob. *in sum. tom. 1. tr. 16. dub. 12. n. 6.* ubi ait: [La ignorancia vincible ora sea del echo ò del derecho, no escusa de la censura. Assi lo tiene Suarez, porque como no escusa de pecado, tan poco escusa de la censura.] Sed tu tene nostram sententiam ex *c. 2. de const. in 6.* ubi habetur, ignorantiam, quæ non est crassa, & supina, excusare ab omnibus sententiis Ordinariorum. Et ita etiam hanc sententiam docet Bonacina *de cens. disp. 1. q. 2. punct. 1. n. 10.* & Barb. *in collect. t. 3. lib. 1. sexti Decretal. tit. 2. c. 2. n. 8.* ubi *n. 7.* optimè impugnat Suarez asserentem ignorantiam crassam, & supinam, idem esse cum ignorantia vincibili.

2. Notandum est etiam hîc obiter; Primò ignorantiam quantumcunque crassam, nisi esset ingens temeritas, & latam culpam excusare à pœna imposita scienter aliquid facienti. Secundò idem dicendum est, cùm lex pœnam inducit præsumenti aliquid facere; quia non verè dicitur præsumens, si quis aliquid ignorantia culpabili, & crassa efficeret; præsumptio enim dolum importat, & temeritatem. Ita Basilius Pontius *de matrimon. lib. 10. c. 6. n. 10* Sanchez *ubi supra*, Curiel *in part. 2. q. 76. art. 4. dub. 4.* Henriquez *lib. 13. c. 23. n. 3.* Avila *de cens. part. 2. c. 6. disp. 10. dub. 6.* Molina *tr. 5. disp. 71. n. 13.* quidquid in contrarium asserat Toletus *lib. 1. c. 48.* Alterius *de cens. disp. 11. de suspen. c. 5. & hoc autem.*

3. Imò Bonacina *loco citato de cens. disp. 1. quæst. 1. punct. 1. num. 11.* contrà Suarez docet hanc sententiam procedere, non solùm quando quis operatur cum ignorantia crassa, sed etiam cum ignorantia affectata, si, ut dictum est, verba censuræ hæc essent, *Qui scienter hoc fecerit, vel qui præsumpserit*, &c. Et hæc omnia Confessarij in mente habeant: nam ex illis non pauci ab incursione censuratum immunes erunt.

Sup. contento in hoc & seq. vers. inf. in res. 35. §. Et tandem. ad med. vers. Denique.

Sup. hoc ib. in eodem §. nor. præteritæ, signanter ad lin. 8.

Sup. contento in hoc §. in Resl seq §. 1. post. med. à vers. Ita Cælestinus, & seq. & in Resl. 1. post seq. §. Et tandem, inter medium, & finem, vers. Solet lex. & inf. in Resl. 36. §. ult. &c. & pro contentis in his ult. §§. lege hanc ult. Resl. hujus not. à principio, & Resl. ejus primæ not & in t. 7. tr. 1. Resl. 19 §. 1 & ult. & in Resl. 232. §. 1. ad med.

RESOL. XXXIV.

An ignorantia non solum invincibilis, sed etiam vincibilis excuset ab incursione censurarum, sive facti, sive juris, tam universalis, quam particularis sit?

Et an ignorantia crassa, & supina nunquam excuset?

Et an hæc omnia habeant locum in suspensione & interdicto, quamvis factum sit jure naturali aut divino damnatum, & pœnæ statutæ sint ab Episcopo, vel à Summo Pontifice?

Et notatur ignorantiam vincibilem facti impedire incursionem censuræ latæ contra eos, qui scienter aliquid fecerint, aut facere præsumpserint, aut contra eos, qui ausu temerario aliquid fecerint, etiam quando est affectata, vel adeo crassa, ut moraliter censeatur intentata, seu affectata. Ex part. 5. tract. 9. Resol. 17.

§. 1. NEgativam sententiam tenet Turrianus *de cens. lib. 1. disp. 5. dub. 4.* Gordonus *tom. 2. lib. 7. quæst. 6. cap. 6. n. 3.* & alij. Sed affirmativam sententiam docet Tannerus *tom. 4. disput. 6. quæst. 10. dub. 3. n. 47.* ubi sit asserit: sit ergo hæc generalis assertio.

Sup. prima diffic. hujus tituli in Resl. præteritæ, & seq. §. ult. ad med. & sup. in Resl. 6. §. Et primo, ad lin. 6. & inf. in Resl. 61. §. ult. & in tr. seq. Resl 25. §. 2 & inferiùs in tr. 8. Resl. 6. & in t. 6. tr 1. Resl. 38. & in t. 7. tr 1 Resl 19. §. 1 & signāter in §. ult. & signanter in Resl. 232. §. 1 ad med. & in t. 1. tr 7. vide doctrinam Resl. 8.

Ignorantia

Ignorantia invincibilis, vel utcumque vincibilis dummodò crassa, aut supina non sit, seu facti, seu juris tam universalis, quàm particularis, defendit & excusat ab excommunicatione incurrenda: ignorantiâ autem crassa & supina nunquam excusat. Ita Tannerus, Cui adde Cælestinum *in compend. Theol. mor. tr. 3. c. 5. n. 2.* ubi sic ait: Dico primò ignorantia invincibilis sive juris communis, sive particularis, atque etiam facti, excusat ab omni excommunicatione, & hæc habet locum non solùm in excommunicatione, sed etiam in suspensione, & interdicto, quamvis factum sit jure naturali, aut divino damnatum, & pœnæ statutæ sint ab Episcopo, vel à Summo Pontifice. Dico secundò ignorantiam vincibilem culpabilem moraliter, sive sit juris, sive facti, modò non sit crassa, excusare ab excommunicatione, & hoc habet locum, sive excommunicatio sit lata ab Episcopo, sive à Papa. Ita Cælestinus, me citato, ubi, me etiam citato, docet quòd quando lex imponit excommunicationem contra eos, qui scienter aliquid faciunt, vel facere præsumunt, non incurrunt, qui ex ignorantia crassa, supina, vel affectata eam transgrediuntur, quia ignorans non verè dicitur præsumens, præsumptio enim importat dolum, & temeritatem, quod procedit, & verum est in quacumque alia censura lata contra facientes aliquid scienter aut facere præsumentes, non enim ligantur illa censura, quia ex ignorātia crassa, sive supina, sive affectata, sive sit juris, sive facti, violāt legem. Sic ille. Vnde sequitur innumeros non incurrere in censuras; sed circa præsentem quæstionem vide Avilam *de cens. part. 3. c. 5. disp. 5. dub. 8. & 9.* Villalob. *in sum. t. 1. tr. 16. diffic. 12.* Præpositum *in 3. part. quæst. 11. de cens. in genere, dub. 8. per tot.* & Coninch *de Sacr. disp. 13. dub. 11.*

Sup. hoc inf. in §. Nec. hujus Resol. ad lin. 4.

Sup. his pro suspensione & interdicto supra in Resol. 32. §. Quæ &c.

Sup. hoc, quod hic docetur, & pro contento in seq. §. hujus Resol. inf. in Resol. 36. per totam, & in aliis ejus primæ, & etiam secundæ not.

Sup contento in hoc §. in Resol. not præteritæ.

2. Notandum est etiam quòd post hæc scripta invenio Hurtadum *de cens. in com. disp. 21. n. 92.* contra Sanchez & Coninch docere ignorantiam vincibilem facti impedire incursionem censuræ latæ contra eos, qui scienter aliquid fecerint, etiam quando est affectata, vel adeò crassa, ut mortaliter censeatur intenta, seu affectata, quia quòd fit ex ignorantia, vel cum ea, quæcumque sit, non fit scienter, seu cum dolo, quia verè fit ignoranter, & quamvis dicta ignorantia fere æquivaleat scientiæ, seu dolo quoad incurrendam culpam, non tamen quoad pœnam, quando hæc imponitur cōtra scienter, seu ex dolo peccantes. Et ob eandem rationem excusat à censura lata contra eos, qui aliquid facere præsumpserint, aut contra eos, qui ausu temeratio aliquid fecerint, quia pro eodem sumuntur & idem est aliquid scienter facere, seu ex dolo, & illud facere ausu temerario, & præsumere illud facere, imò & illud contemnere. Et hæc omnia sunt valde menti tenenda.

3. Nec desinam hîc adnotare etiam alterum Hurtadum Salmaticensem *vol. 1. in 2. 2. D. Thom. disp. 83. sect. 5. §. 42* ex doctrina superiùs allata, videlicet per ignorantiam etiam culpabilem, dummodò non sit crassa & supina, aliquem non incurrere in excommunicationem; ex hac, inquam, doctrina observat, sequi eandem omnino esse rationem de actuali inconsideratione inculpata. e. g. * si quis hæresim profert, quam nunquam cognovit esse excommunicatione prohibitam, hic ex authoribus adductis non præstringitur excommunicatione, quia absque culpa eam ignorat: si autem eam aliquando cognovit, deinde quādo hæresim loquitur, est omnino, & inculpatè oblitus excommucationis, in eam non cadit, quia tota ratio malitiæ, & contumaciæ consistit in actuali peccato, ut oritur ab actuali cognitione, vel culpata carentia cognitionis, cognitio enim, vel ejus carentia jam præterita, & nullo modo manens, non sunt causa actus voluntatis existentis illis posterius, sed actuale peccatum, nec oritur cum cognitione censuræ, nec cum ejus culpata carentia; ergo eadem ratio est, ac si nunquam cognitio fuisset. Hæc omnia Hurtado de Mendoza, qui tamen suam sententiam circa præsentem quæstionem explicare noluit.

Sup hoc sup in §. 1 hujus Resol. ad lin. 9

* Sup. hoc in Resol. seq. §. 1. ad med. vers. hoc etiam extendit.

RESOL. XXXV.

An ignorantia censuræ invincibilis, quæ est annexa casibus Pontificiis, impediat reservationem?

Et an hoc extendatur ad naturalem oblivionem, seu invincibilem advertentiam?

Et an hoc idem dicendum sit de aliis censuris, suspensione, interdicto, & irregularitate, si tamen ignorantia non sit crassa, vel supina?

Et docetur ignorantiam etiam vincibilem, dummodo non sit crassa, probabiliter excusare, ne aliquis incurrat pœnam legis, v. g. excommunicationem, irregularitatem suspensionem, inhabilitatem ad officia ratione simoniæ, & alias pœnas graves. Ex part. 9. tract. 6. Misc. 1. Resol. 13.

§. 1. MVltum animarum consolatoria erit hæc Resolutio: nam affirmativè respondeo. Dico igitur, quòd si quis invincibiliter ignoret excommunicationem, aut aliam censuram, quæ est annexa casibus Pontificiis, non solùm excusabitur ab incursu censuræ, verùm etiam casus non erit reservatus reservatione illa Pontificia: atque ideò poterit absolvi à quocunque Confessario habente jurisdictionem in peccata mortalia hujus rei, qui in tales casus est lapsus. Hanc opinionem sequitur Henriquez *in Summa, lib. 6. cap. 13. n. 2.* Sanchez *lib. 1. in Decalog. c. 8. n. 5. in fine.* Coninch *de censuris, disp. 8. dub. 11.* Gaspar Hurtado *de pœnit. disp. 11. diffic. 9. in fine.* Trullench *in Bullam, lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 1. num. 3.* & Pater Bardi *in Bull. Cruc. part. 2. tract. 6. cap. 1. sect. 3. num. 27.* qui *in sect. 4.* hoc etiam extendit ad naturalem *oblivionem seu, invincibilem inadvertentiā, citans Suarez, Merollam, Duardum, & alios.* Nec obstat dicere, ait ipse, quod si doctrina prædicta esset vera, sequeretur, valdè paucos incidere in censuras Pontificias, & indigere privilegio Bullæ ad obtinendam absolutionem à criminibus Summo Pontifici reservatis: quia, vel ignorant censuras prædictis criminibus annexas, vel naturali oblivione, & inconsideratione illas non advertunt. Hoc autem asserere videtur nimis durum: enervarentur enim omnes reservationes pontificiæ: & ex eo sequeretur, quòd multi ablato timore excommunicationis, & difficultate ad obtinendam absolutionem, faciliùs inducerentur ad talia peccata patranda.

Sup. §. 1. hujus Resol. in fine n. 3.

2. Respondeo, hoc non esse censendum, nimis durum; sed potiùs valdè consonum suavi dispositioni, qua pia Mater Ecclesia regit Fideles, cùm nolit illos, dum non sunt contumaces contra ipsam, puniri pœna adeò gravi, qualis est censura, & præsertim excommunicatione, quæ est pœna inter spirituales, quæ ab Ecclesia imponuntur, omniū maxima: proinde quando Fideles ignorant, vel naturali oblivione, & inadvertentia non apprehendunt censuram, excusandi sunt ab ejus incursu. Et quia reservatio culpæ omninò dependet ab ipsa censura; idcircò non debet esse mirum quòd quando quis invincibiliter censuram non advertit, casus, qui in reservatione dependent ab ipsa censura, remaneant non reservati.

3. Vnde non desinam hîc apponere, etiam verba Ioannis Præpositi *in 3. part. D. Thomæ, q. 1. de censuris in communi, dub. 8. num. 59.* sic asserentis: [Ex hac sententia sequitur, innumeros non incurrere censuram excommunicationis, quāvis advertant se in aliquo

quo actu peccare mortaliter, etiam contra legem Ecclesiasticam, vel crassa eius ignorantia laborent: quia, non obstante notitia legis, vt est præceptiva, vel crassa eius ignorantia, laborant ignorantia invincibili eiusdem, vt est illativa censuræ, eo quod videlicet, nec quidquam de tali censura vnquam audierint, nec ex aliquo alio cognito facilè eius notitiam comparare potuerint. Qua ratione plerunque, non solùm rustici, sed etiam alij plebeij à plurimis censuris possunt excusari, quamvis commiserint peccatum, cui annexa est censura. Quare prudens Confessarius non debet statim iudicare tales incurrisse excommunicationem; sed quibusdam interrogationibus debet conari investigare, num eorum ignorantia, respectu ipsius censuræ fuerit invincibilis, quando factum perpetrabant. Quod si deprehendat, ignorantiam fuisse invincibilé, potest iudicare, tales non incurrisse excommanicationem, & si casus sit reservatus propter excommunicationem, potest iudicare in ea circumstantia, casum non esse reservatum, seque posse ab eo absolvere, quamvis alioquin non posset absolvere ab excommunicatione.

5. Imò hîc dicta possunt habere locum in variis Religiosis, qui excommunicationes non ita facilè possint cognoscere, qui proinde possunt ab iisdem excusari. Idem dicendum de variis suspensionibus, quarum ignorantia potest esse invincibilis, etiam respectu Clericorum, & proinde si Confessarius ex circunstantiis possit adverterè aliquem, etiam Sacerdotē, laborasse ignorantia invincibili, quòd suspensio esset annexa actui, quem exercuit, poterit iudicare talem non incurrisse censuram.] Hæc omnia Præpositus.

6. Et tandem non desinam hîc adnotare ea, quæ observat noviſſimè Magister Serra *in part.* 2. D. Thomæ, *tom.2.q.76.art.3.dub.2.* sic enim ait [Tertia sententia est, ignorantiam mortaliter culpabilem, tam facti quam iuris communis pontificij, quam etiam censuræ, excusare non solùm à pœna excommunicationis; sed etiam à cæteris omnibus aliis censuris, suspensione, interdicto, irregularitate, &c. Si tamen ignorantia non sit crassa, vel supina. Hanc tenent recentiores permulti. Probant ex cap. *Cùm animarum de const. in 6.* vbi sic dicitur: *Vt animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina.* Vbi per sententias, Glossa intelligit quæ ligant animam, vt locum habeat proxima ratio. Cùm autem huiusmodi sint non solùm sententiæ excommunicationis, sed etiam aliarum pœnarum spiritualium, ac censurarū, suspensionis, interdicti, irregularitatis, &c. de his omnibus *ibi* est sermo; & nulla est ratio, ob quam ad solam sententiam excommunicationis restringatur. Quod *ibi* dicitur, per statuta quoruncumque Ordinariorum intelligenda etiam esse Statuta Summi Pontificis colligitur, quia, vt ait Sylvester, *verbo ignorantia, q.*8. Non dixit, quoruncumque Ordinariorum locorum; cuiusmodi sunt Episcopi secundùm glossam; sed quoruncumque Ordinariorum simpliciter, vt includeretur etiam Papa, qui est omniū Ordinariorum Ordinarius. Et præterea, quia de his eadem est ratio, vt scilicet, periculis animarum obvietur, imò maior, quia Papæ statuta plures ligant, & minùs publicantur, vt *ibid.* ait Sylvest. Denique cum ignorantia crassa, & supina, vt patet ex dictis *art.*1. ab ignorantia vincibili distinguatur, hæcque sine illa esse possit: nam ad ignorantiam vincibilem sufficit, ignorare, quod homines nonnullam suæ salutis curā habentes, communiter sciunt; ad crassam vero, & supinam requiritur ignorare, quod omnes communiter sciunt, & vt procedat ex nimia negligentia, & lata, aut latissima culpa in adhibenda diligentia: constat autem non solùm hoc, sed etiam primum ignorare posse, & vtrumque esse mortaliter culpabile: sequitur, quòd ignorantia mortaliter culpabilis poterit à pœna excusare.] Hucvsque Serra, qui posteà asserit, omnia supradicta satis probabilia esse; & ideò subdit: [Excommunicatio autem, suspensio, interdictum, ac eiús irregularitas, pœnæ sunt extraordinariæ, quæ non sequuntur ex culpis secundùm se, & absolutè sumptis; sed ratione gravitatis superadditæ ex contemptu earum, & contumacia. Cumque ab hac gravitate, contemptu & contumacia excuset ignorantia, quæ non est crassa, aut supina; etiam ab incursu talium pœnarum excusare asserit tertia sententia.] Ita ille, qui tandem etiam notat, quòd, quando lex apponens pœnam, requirit, vt delictum fiat scienter, si fiat ex ignorantia, non incurrit pœnam: nam ignorantia excusat à qualitate, vel gravitate delicti, ob quam fuit pœna apposita. Solet lex scientiam requirere, aut verbis expressis, vt cum dicit, *si quis scienter:* vel æquivalentibus, vt cum dicit, *si quis præsumpserit*; aut *si quis temerè*, &c. Tunc autem, qui delinquit ex ignorantia etiam crassa, vel supina, non incurrit pœnas: quia vt ait Caietanus *2.2.q.53. art.3.* verba iuris non frustra apposita, nec impropriè sumenda sunt. Apponerentur autem frustrà prædicta verba, & non cum proprietate restrictiva sumerentur, si pœnæ incurrerentur à delinquentibus ex ignorantia saltem crassa. Ignorantiam affectatam quidam existimant non excusare à pœnis statutis, etiam contra scienter delinquentes: nam nihil minuit de culpa, & idem est peccare ex ignorantia affectata, ac ex certa scientia. Aliis oppositum videtur probabilius: nam Superior illis verbis exigere videtur certam, & expressam scientiam, ac ingentem temeritatem, præsumptionem, vel contemptum, quibus caret, qui peccat ex ignorantia, etiam affectata.

Sup. hoc in Res. not. seq. § vlt. & in aliis eius annot.

Sup. hoc in Res. seq & in aliis §§. eius primæ not.

7. Vnde ex his omnibus, quæ magister Serra observat, & de quibus ego etiam *alibi*, Confessarij in casibus occurrentibus multa scrupula evanescere faciēt, & consolationem Pœnitentibus afferent. Et ne deferas recognoscere, me citato, Quintanaduenas *tom.1. tr.9. sing.6.n.4.* & Ioannem Præpositum, *in part.2.q.95. disp.5.dub.5.n.18.* vbi docet, ignorantiam, etiam vincibilem, dummodo non sit crassa, probabiliter excusare, ne aliquis incurrat pœnas legis, v.g. excommunicationem, irregularitatem, suspensionem, inhabilitatē ad officia, ratione simoniæ, & alias graves pœnas. Et nota, omnia supradicta, tanquam probabilia, me citato, docere etiam Patrem de Lugo, *de princ. Theol. mor. p.2.c.4.q.3.n.33. & seqq.* omninò videndum.

Alibi in omnibus Res. annotationum §. præteriti huius Res.

Sup hoc sup. in §. Et tandem, huius Res. & latissimè in Res. præterita & in aliis eius primæ not.

RESOL. XXXVI.

An excommunicatio lata contra scienter aliquid facientes, afficiat contravenientes ex ignorantia affectata, sive sit iuris, sive sit facti?

Ex quo infertur legentes libros Hæreticorum ignorantia affectata non incurrere excommunicationem latam in Bulla Cœnæ, quæ fertur contra scienter legentes.

Etiamque deducitur à fortiori non incurrere in censuram, qui ex ignorantia crassa, sive sit iuris, sive sit facti, violat excommunicationes latas contra scienter aliquid facientes, vel præsumentes facere. Ex part.3. tract.6. & Misc.2. Res.7.

§.1. AFfirmativam sententiam tenet Layman; *in Theol. mor. l.5. tr.5. p.1. c.5. n.8.* Suar. *in 3. p. tom.5. disp.4. sect.10. n.2.* Henriq. *l.13. c.23. n.3.* Sanchez, *de matr. l.9. disp.32. n.40.* Molina, *tr.5. disp.71. num.13.* Graffius *in dec. tom.1. l.4. c.9. n.83.* & alij penes ipsos. Et ratio est, quia ignorantia affectata æquiparatur scientiæ, vt patet *in c. eos qui, de temp. ord. in 6.* ibi *scienter seu affectata ignorantia*, vbi glossa, *in verf. scienter.* Hæc opinio est probabilis.

Sup. hoc sup. in Res. 33. §. vlt & in Res. 34. §. 1. post med. à verf. Ita Cælestinus. & seq. & in Res. 35 §. Et tandem. curſim in fine & inf. in tract. 2.

2. Sed

Resol.25 §. Sed, confirmatur, & inferius in tr.6. Resol.28.

2. Sed non minus probabilem contrariam esse existimo, quam tuetur Sanchez, se retractans *in summa, tom.1.l.2.c.10.n.38.* Filliucius, *tom.2. tr.22.c.6. n.205.* Bonac. *de cens.disp.2.q.5.punct.4.n.9.* Duardus, *in Bulla Cœnæ, l.2.q.36. n.3.* & alij, quia verba legis pœnalis non sunt extendenda vltra proprium significatum, sed qui operatur cum ignorantia affectata, non operatur scienter. Ergo non incurrit in excommunicationem contra aliquid scienter facientes latam, & hoc procedit, sive ignorantia affectata sit juris, sive facti. Vnde ex his aliqui docent legentes libros hæreticorum ignorantia affectata, non incurrere in excommunicationem latam in Bulla Cœnæ, quæ fertur contra scienter legentes: licèt alij hoc non approbent, quia putant excommunicationes Bullæ Cœnæ non esse pœnales, sed favorabiles; cùm sint latæ principaliter in favorem Dei & animarum. Vtraque opinio est probabilis.

Sup. hoc in Resolutionibus & §§. not. præteritæ.

Sup. hoc supra in Resol. 33. §. Notandum est, & in Resol. 34. §.1. post medium à vers. Ita Cœlestinus. & seq. & in Resol.35 §. Et tandem inter medium, & finem, vers. Solet lex. & infra in Resol.78. §. Sed & inferius in tr.2. Resol.25.§.Sed maior, & §. Sed confirmatur, & in tr.6. Resol.28. & in tom.7. tr 1. Resol.19. §. 1. & in Resol.232.§.1. ad medium.

3. Notandum est etiam ex supradictis à fortiori non incurrere in censuram, qui ex ignorantia crassa, sive sit juris, sive facti violat excommunicationes latas contra scienter aliquid facientes, vel præsumentes facere. Et hanc sententiam ex pluribus Doctoribus probat novissimè Merolla, *in disp.Theol.mor.disp.1. c.2.dub.6. n.232.* cui addo doctum Anguianũ *de legibus, tom.1.l.4.contr.4.n.18.* quidquid in contrarium asserant Doctores citati per Tiraq. *tr.de pœnis temp.causa 13.n.22.* qui post Glossam, *in c.finali, de offic.delegati, in 6.* inadvertenter tradiderunt pœnas contra nescientes præscriptas obtinere, ideóque contra ignorantes per ignorantiam crassam. Sed tu nostram sententiam tene. Notentur hæc à Confessariis; nam ex illis multos scrupulos sedabunt. At post hæc scripta inveni omnia supradicta docere iterum doctum Bonacinam, *in Bulla Cœnæ, t.3. disp.1.q.2.punct.4.n.9.*

RESOL. XXXVII.

An incidat in censuram Bullæ Cœnæ, qui falsificat litteras Apostolicas secundùm mentem Pontificis?

Et quid dicendum est de illo, qui integras litteras fabricat?

Sed si ponas aliquem non habuisse partem in falsificandis litteris Apostolicis, sed illis vtendi, post quam falsificatæ fuerint, quæritur, an sit hac censura excommunicatus?

Idem est de illo, qui falsas impetrat litteras.

Et notatur defensores, & fautores falsificantium litteras Apostolicas; imo illas per alios falsificantes non incurrere censuram Bullæ Cœnæ, sed censuram cap. Ad falsariorum, *quia censura hujus capitis reservata non est.* Ex part.9.tt.7.& Misc.2.Resol.15.

Sup. hoc lege doctrinam Resol. seq. per totam, & in tom 6. tr.1. Resol.83. §. vlt.

§.1. VErbi gratia, supplicatio facta est pro dispensatione in consanguinitate, & Notarius apposuit loco consanguinitatis affinitatem. Item, supplicatio facta est pro impedimento secundi gradus, & tamen litteræ per errorem expeditæ sunt pro tertio: an, inquam, si ista corrigantur juxta mentem Pontificis, correctio hæc falsitatem inducat, & censuram? Affirmat, vt probabilius Suarez, *disp.21. sect.2. n.47.* Alter. *lib.5.disp.7.c.2.propos.2.* & Sousa, *in Bulla Cœnæ, c.7.disp.42.concl.4.n.8.* Probatur: quoniam hæc mutatio est magni momenti: & licèt mens Summi Pontificis fuerit, concessionem facere juxta mutationem factam; intentio ejus non est, vt error litterarum per alios, quàm per ministros ad id deputatos corrigatur. Deinde, non licet novas litteras fabricare in prædicto casu, & loco aliarum supponere: ergo neque jam expeditas sic mutare. Tandem, in hac censura non prohibetur falsificatio mentis Pontificis, sed litterarum apostolicarum: quod in casu conclusionis revera contingit.

2. Sed ego adhæreo opinioni negativæ, quam tuetur Sayrus, *de censur.lib.3.c.10.num.12.* Megala, *tom.4. lib.3.c.1.q.1.n.4.* Reginaldus, *tom.1.lib.9.n.288.* Nald. *in sum.verb.Falsum.n.4.* & alij: quia illa mutatio verborum, comparatione Pontificis, mutatio non est, cùm ejus intentioni, & concessioni conformis sit ergo falsitatem inducere non potest. Etenim mutatio sensus non tam est attendenda secundùm verba materialiter posita in ipsa Bulla, quàm secundùm intentionem Pontificis Bullam expedientis. Nam, si licitum est errorem manifestum Scriptoris emendare, sensu retento; cur non licebit errorem commissum contra mentem, & intentionem Pontificis: Præterea litteræ sic correctæ, cùm Pontificis intentioni conformes sint, veræ, & non falsæ sunt appellandæ. Ergo sic corrigens falsarius esse non potest; sed veri sensus, & mentis Pontificis restitutor. Secùs verò est dicendum de eo, qui integras litteras fabricaret: quia illæ litteræ, vtpote à Pontifice non expeditæ, suppositiæ sunt, & falsæ. Imò addit Sayrus, *vbi supra* nec in dictam censuram incurrere illum, qui corrigeret litteras Papæ exemplaris, vulgò, *minute*, Papæ oblatæ, & immutatæ à scriptore litterarum, si certus est de tali mutatione facta sine mandato Papæ, quia hic non esset immutator; sed potiùs restaurator veri sensus, & mentis Pontificis. Dicit tamen, hoc passim non esse faciendum, sed cum consilio peritorum. Et fortè, si quis à me consilium in hac re peteret, (quamvis peritus non sim,) hanc emendationem nunquam consilerem, cùm vix dari possit casus, in quo quis esse possit certus de mente Summi Pontificis.

3. Nec obstat dicere cum Cajetan. *verb.Excommun. num.26.* Sylv. *eodem verb.7.n.8.* §. *Corrigentes.* Panor. *in cap. Ex litteris, de fide instrum.* mutantes etiam litteram vnam in litteris Apostolicis manere excommunicatos. Quorum sententia sic probatur: Olim in privilegiis Summo Pœnitentiario concessis erat, quòd posset absolvere ab excommunicatione, quæ incurritur propter mutationem litteræ, vel puncti in litteris Apostolicis, sensu non mutato: ergo quæcunque mutatio in litteris Apostolicis, sufficiens est ad incurrendam censuram hujus Canonis.

4. Ex dictis infertur cum Duardo *in Bulla Cœnæ, l.2.can.6.q.8.n.8.* quòd si in supplicatione dictum esset, Titio Ariminensi, & errore Notarij scriptum esset, Titio Pisaurien si, corrigens, & ponens, provt in supplicatione, non peccat. Sicut nec Presbyter, qui in litteris sui beneficij correxerit aliquid hujusmodi, quod rei substantiam, eiúsve qualitatem non mutat.

5. Sed pone aliquem, nullam habuisse partem in falsandis litteris Apostolicis, sed illis vti, postquam falsatæ fuerunt; quæritur, an sit hac censura excommunicatus? Et videtur respondendum esse affirmativè: quia, qui vtitur falsis litteris, tanquam falsarius punitur, vt in cap. *Ad falsariorum, in fin.de crim. falsi.cap. Inter dilectos, §. Præterea de excess. Prælat. leg. Falsi nominis, ff.ad leg. Corn. de falsi.* Et idem est de eo, qui falsas impetrat litteras, vt in *dict. cap. Ad falsariorum.* Negativam nihilominus sententiam teneas: nam, cùm Papa hìc excommunicet, non falsarios in genere; sed tantùm falsarios litterarum Apostolicarum, & hic, quamvis peccet peccato falsitatis circa litteras Apostolicas, formaliter tamen non potest dici falsarius litterarum Apostolicarum; & termini sunt formaliter intelligendi in qualibet facultate. Ita Suarez, Sousa, & alij *vbi supra.*

6. Item nota, defensores, & fautores falsificantium litteras Apostolicas; imò illas per alios falsificantes, non incurrere in censuram Bullæ Cœnæ, sed in censuram

suram cap. *Ad falsariorum.* Censura tamen hujus cap. reservata non est.

RESOL. XXXVIII.

An censura, vel casu reservatus contra facientes falsum instrumentum, comprehendat falsificantes illud? Ex part. 8. tr. 7. & Misc. Resol. 82.

§. 1. COmmuniter viri docti respondent affirmativè, ut si quis, v.g. in instrumento, syngrapha, vel apocha adderet, vel minueret aliquam substantiâ veritatis, & ideò asserunt falsificationem, multis modis contingere posse. *Primò*, aliquid addendo. *Secundò*, tadendo. *Tertiò*, sigillum verum falsis litteris apponendo. *Quartò*, fabricando falsas litteras. Vnde in illius sententia, falsas litteras fabricare, & falsificare, pro eodem reputatur, & censura lata contra falsificantes litteras comprehendit etiam falsas fabricantes. Et hanc sententiam pro praxi suaderem.

2. Ego tamen non existimarim improbabiliter dici, eum, qui instrumenta, syngraphas, aut apochas falsificaret aliquid addendo, aut detrahendo, quod vergeret in tertij præjudicium, non incidere in hanc reservationem. Et ratio est, quia reservatio loquitur tantùm de conficientibus falsum instrumentum, syngraphàm, aut apocham; non verò de falsificantibus: in rigore autem falsificatio scripturæ, videtur distingui à fabricatione falsæ scripturæ. Patet hoc à simili. Nam in Bulla Cœnæ lata est excommunicatio contra falsificantes litteras Apostolicas, his verbis. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac supplicationum, gratiam, vel justitiam concernentium per Romanum Pontificem, vel sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarium, seu gerentes vicem eorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signaturam: neenon falsò fabricantes litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, &c. Ex quibus verbis patet duas actiones eo Bullæ capite prohiberi: *primam*, quæ est falsare litteras Apostolicas, quæ prohibita etiam sub anathemate fuerat *in c. ad falsariorum, de crimine falsi*; licèt ibi non fuerit addita reservatio. *Alteram*, quæ est fabricatio falsarum litterarum. Ergo signum est fabricationem falsarum litterarum ab earundem falsificatione distingui. Vnde est ut de priore illa actione loquens Suarez, *disp. 21. de censuris, sect. 2. n. 45.* sic dicat: Falsare autem litteras Apostolicas non est omnino falsas confingere, aut fabricare, hoc enim spectat ad aliam actionem ibi prohibitam, sed est aut veras litteras Apostolicas ab earum syncera veritate immutare, aut vero sigillo, seu signo litterarum Apostolicarum ad falsas litteras consignandas vti. Ergo idem dicere possumus in nostro casu, videlicet confectionem falsi instrumenti, syngraphæ, aut apochæ ab eorundem falsificatione distingui, & sic cùm reservatio meminerit tantùm de conficientibus, non verò de falsificantibus, eos quidem incidere in casum, non item hos, ex regula nostra generali, & in materia pœnali ab omnibus recepta, quòd odia sint restringenda. Et hæc omnia desumpta sunt à Mazuchello, *tr. de cas. reserv. disp. 2. c. 18. q. 1. n. 10.*

RESOL. XXXIX.

An appellantes à Pontifice ad Concilium Generale actu existens incidant in censuram Bullæ Cœnæ?

Et an consulentes appellare ad futurum Concilium in censuram Bullæ Cœnæ incidant?

Et quid de præstantibus auxilium, aut favorem ad prædictam appellationem?

Et docetur dictos consulentes in prædicto casu incurrere in excommunicationem reservatam latam à Pio II. in Bulla incipiente Execrabilis, *& confirmata à Iulio II.*

Sed major difficultas superest, an appellantes ab ordinationibus Pontificiis, quatenus Princeps temporalis est, excommunicationi Bullæ Cœnæ subjiciantur? Ex par. 9. tr. 7. & Misc. 2. Resol. 66.

§. 1. AFfirmativè respondet Gambarupta *de excommunic. Bullæ, c. 2. n. 11.* & Vgolinus, *in Bulla Cœnæ, can. 2 §. 1. vers. Quintò*, cum aliis: quia materia excommunicationis est sacrilegium contra Sedis Apostolicæ primatum, ut ex Cajetano, *in summ. verb. Excommunicat. cap. 25.* Sed tam sacrilegi sunt contra primatum Sedis Apostolicæ appellantes ad futurum generale Concilium, quàm qui ad præsens, vel ad provinciale, sive præsens, sive futurum appellant: ergo eodem modo per hanc clausulam excommunicantur. Et confirmatur: tum, quia vtraque appellatio est occasio schismatis: tum etiam, quia vtraque videtur Concilium constituere supra Papam. Sup. hoc in ref. seq.

2. Sed mihi magis placet negativa sententia, quam sustinet Sousa *in Bulla Cœnæ, cap. 3. disput. 21. num. 2.* Castrus Palaus, *tom. 6. disp. 3. punct. 3. n. 6.* & alij: quia lex pœnalis non excedit proprium casum: sed pœnalis est ista lex, & non loquitur nisi de appellantibus ad futurum generale Concilium: ergo non est extendenda ad appellantes ad generale præsens, vel ad provinciale, sive præsens, sive futurum.

3. Sed major difficultas est, an appellantes ab ordinationibus pontificiis, quatenus Princeps temporalis est, excommunicationi Bullæ Cœnæ subjiciantur? Affirmativè respondet Bonac. *t. 3. disp. 1. q. 3. punct. 2. n. 3.* quia Pontifex ob injuriam sibi factam in hac appellatione excommunicationem profert: at hæc injuria Pontifici irrogatur per appellationem à quocumque illius mandato; siquidem illum esse inferiorē, & subditum Concilio denotat: ergo. Et confirmò: Pontifex potest excommunicare non solùm appellantes à suis mandatis, vel ordinationibus, quatenus Pontificis sunt; sed quatenus Principis temporalis. Sicuti excommunicat piratas in suo mari pontificio discurrentes: ergo censeri debet ita factum esse; tum quia id cedit in ejus favorem; tum, quia excommunicatio fertur contra appellantes absque vlla limitatione.

4. His non obstantibus, negativæ sententiæ adhæret Reginaldus, *tom. 1. lib. 9. n. 263.* & Castrus Palaus, *vbi suprà, num. 5.* quia, esto, appellantes à mandatis pontificiis in causis temporalibus Pontifici injuriam irrogent, si ipse in illis causis supremus Princeps sit: at cùm id ex Pontificis munere non inferatur necessariò, siquidem potest in illis causis alteri Principi subjectus esse, ut pote qui sub ea conditione dominium temporale concessit; non videtur sic appellantes, & injuriam per accidens inferentes, voluisse comprehendere. Ego verò puto non esse recedendum ab affirmativa sententia.

5. Vtrùm verò consulentes appellare ad futurum Concilium, in Censuram Bullæ Cœnæ incidant? Et non desunt, qui existimant, dantes consilium ad appellandum, per hanc clausulam excommunicari. Inter quos numerandi sunt Navarr. *in Manuali, cap. 27. n. 58.* Toletus, *in Sum. lib. 1. c. 10.* & Graffius, *lib. 4. decis. cap. 18. n. 47.* & Vgolinus, *hîc* ad illa verba, *Necnon eos, vers. Excipiuntur*, quatenus dicunt, manere excommunicatos dantes consilium, si appellatio sequatur. Quoad hoc pro Concilio actu præsenti Ref. not. præteritæ §. sed si

Probatur hæc sententia: In hac clausula excommunicantur dantes auxilium, aut favorem: sed consilium favor quidam est; nam, qui consilium præbet non parum iuvat ad operandum: ergo consulentes excommunicantur.

6. Sed negativam sententiam docet Suarez, *de censuris, disp. 21. sect. 2. num. 17.* Bonacina, *vbi suprà, num. 6.* Reginaldus, *tom. 1. lib. 9. num. 263.* & alij. Et ratio est: quia nudum consilium, neque est auxilium, neque favor; ergo nudus consiliarius non excommunicatur hoc loco. Consequentia est bona: quia in hac clausula solùm agitur de præstantibus auxilium, & favorem. Antecedens ex eo constat: quia auxilium, favor, & consilium ad diversa tendunt: nam consiliũ juvat ab intrinseco dirigendo, & instruendo rationem ejus, cui datur; favor autem, & auxilium solùm dirigunt ab extrinseco, suntque, propriè loquendo, actus externi ordinati ad exequutionem operis. Secundò, quando Summus Pontifex voluit comprehendere dantes consilium, de illis expressam mentionem fecit, ut videre est in clausula 7. 10. 11. & aliis hujus Bullæ: ergo, cùm hoc loco consulentium non meminerit, illos excommunicare non intendit. Ego vtramque sententiam probabilem esse puto: sed, esto, negativa esset tenenda; scias tamen, dictos consulentes in nostro casu incidere in excommunicationem reservatam, latam à Pio II. in Bulla incipiente, *Execrabilis*, & confirmata à Iulio II. *in Extravagant. Suscepti regiminis*, ut benè adnotarunt Vivaldus, Sayrus, & Bonacina, *loc. alleg.* Quinimò in dicta Constitutione Iulij II. excommunicantur decernentes, deliberantes, seu vocem dantes, & approbantes appellationem: quod optimè fieri potest, tametsi appellatio non subsequatur, sicuti advertit Bonacina, *punct. 3. num. 9. in fine.*

7. Nota tamen cum Suarez, *vbi supra, num. 16.* & aliis, approbantes appellationem factam, vel præstantes auxilium, aut favorem appellantibus post appellationem, hac excommunicatione non ligari: quia verba legis solùm appellantes, & auxilium ad appellationem præstantes comprehendunt.

RESOL. XL.

An appellantes à Papa ad Concilium Generale jam congregatum, & actu existens incidant in censuram Bullæ Cœnæ?

Et an ita appellantes saltem sint sacrilegi, & male sentiant de Fide?

Et an dans consilium ad supradictam appellationem faciendam, incurrant dictam excommunicationem?

Et notatur talem prohibitionem appellandi comprehendere appellationem à sententia Papæ, in qua motus ira, vel aliqua alia animi perturbatione videatur committere injustitiam. Ex part. 10. tr. 11. & Misc. 1. Resolut. 60.

* Quæ hic est Resol. antecedens.

§. 1. CONtra Vgolinum, & Gambaruptam *in 9. part. tr. 77.* * *resol. 66.* negativæ sententiæ adhæsi; quam postea scio aliquibus displicuisse, sed immeritò; nam ista sententia est communis inter Doctores, & ita præter Sousam Dominicanum, & Castrum Palaum Iesuitam, à me vbi suprà adductos, adhærent etiam huic opinioni ex Societate Iesu Filliuc. *tom. 1. tr. 16. c. 3. n. 56.* Reginal. *tom. 1. lib. 9. c. 15. sect. 1. n. 263.* Fragosus, *de Repub. tom. 2. lib. 1. disp. 3. §. 1. n. 52.* Idem etiam docet Duardus, *in Bullam Cœnæ, lib. 2. Canon. 2. q. 7. concl. 1. n. 10.* Sayrus, *de Censur. l. 3. c. 6. n. 4.* Graffius, *in Decision. tom. 1. lib. 4. cap. 18. num. 60.* Lezana, *in Summa quæstionum Regul. tom. 3. verb. Bulla Cœnæ, num. 11.* Bonacina, *tom. 3. disputat. 1. quæst. 3. punct. 1. numer. 4. num. 7.* & alij penes ipsos. Et nostram sententiam ita mordicus tenet Duardus: *vbi supra num. 12.* ut opinionem Vgolini contrariam, falsam existimet; quod ego non puto.

2. Nec obstat dicere cum dicto Vgolino, quòd ratio prohibitionis militat etiam in casu appellationis ad Concilium præsens. Ergo debet currere eadem juris dispositio, ex Textu *in lege Illud, Digest. ad legem Aquil.* & ex his, quæ docet Guido Papa, *decisione 273.* Etenim pluries probavimus, quod in excommunicationibus non fit extensio, quamvis militet eadem ratio: & eo magis, quia ratio prohibitionis non fuit expressa in hoc Canone: propter quod doctrina Panormitani *in cap. Quia in Insulis, de stat. Monach.* non habet locum in casu nostro, dum ait quòd lex debet ampliari, & restringi ad limites rationis expressæ. Nec dici potest, ut ipsemet Vgolinus existimat, idcircò vi nostri Canonis excommunicari appellantem ad futurum Concilium: quia rarò contingit Concilium hoc actu congregatum esse, vbi quis appellat: sed non ob id excludi, quin appellans ad Concilium jam congregatum, in excommunicationem hanc incidat: argumentum Text. *in lege vnica*, juncta Glossa, *in verb. Sponsam, Cod. de rapt. virginis.* quoniam respondetur, quòd imò quia rarò contingit Concilium Generale actu congregatum esse, sicut etiam Concilium Provinciale; idcircò appellantes ut suprà ad Concilium præsens, aut Provinciale, in excommunicationem non incidunt; quoniam lex adaptatur ad ea, quæ frequentius accidunt, *lege nam, ad ea, Digest. de legibus.* Nec Glossa, *in dicta leg. vnica*, probat intentum; sed potius per jura, quæ allegat tacitè revocat quod antea dixerat. Dicendum est itaque, Appellantes ad Concilium Generale præsens, esse Sacrilegos, & malè sentire de Fide; sed *non* incurrere in Censuram Bullæ. Itaque ex his apparet, me rectè adhæsisse huic opinioni: & nescio qua ratione de hac aliqui obmurmurati sunt, cùm hæc opinio, ut visum est, sit inter Doctores communior.

3. Sed si hîc obiter quæras, an dans consilium incurrat in hanc excommunicationem? Posset forsan affirmativè responderi: nam consilium ipsum videtur esse quidam favor, vel auxilium morale; qui enim rectum consilium præbet, non parum juvat ad benè operandum. In contrarium verò est, quia in rigore sunt influxus distincti, & ad distinctos fines ordinati; consilium enim est ad instructionem mentis: auxilium autem, & favor ad executionem. Vnde in aliis juribus, quando extensio fit ad Consulentes, expressa fit eorum mentio. Et idcò probabilius censeo, per hanc clausulam non comprehendi purè consulentes. Voluit enim Pontifex per hanc censuram cohibere potentes, qui efficacius resistunt: de doctrina autem, vel consilio nihil in eo loco statuit. Et ita docent Reginaldus, & Filliucius, *vbi supra* cum Suarez, *de Censur. disputatione 21. sectione 2. numer. 17.* & aliis. Quæsit pro Consilio Resol. pro Resol. vera.

4. Nota hîc etiam obiter, talem prohibitionem appellandi, cùm facta sit vniversaliter, & absque vlla limitatione, comprehendere illam etiam appellationem à sententia Papæ, in qua motus ira, vel aliqua alia animi perturbatione, videatur committere injustitiam. Nam quamvis jure cuique liceat jura, bonaque sua tueri; quia tamen debet quisque eodem naturæ jure præferre bonum animæ suæ aliis bonis; vixque potest

potest talis appellatio fieri absque alia scissura, & divisione à capite Ecclesiæ, unde mors animæ incurritur debet illi juri cedere. Adde, quòd talis possessor cum animi summissione instare, & rogare, ut causæ cognitio ad aliquod Tribunal differatur: vel ab ipsomet Papa malè informato ad benè informatum appellare cum debita humilitate, & reverentia: aut certè habere debet patientiam, & suam causam Deo committere tuendam, perinde, ac si injustè pateretur à Summo suo temporali Principe. Cæterùm si in justitia esset evidens; posset aliqua excusatio esse ab obedientia. Et ita hæc omnia docet Reginaldus, *loco citato*, & alij.

RESOL. XLI.

An extrahentes, mercimonij causa, in magna quantitate frumentum, oleum, blada, legumina, & alia ex statu Ecclesiastico, incidant in censuram Papæ reservatam?

Et explanatur, quæ sit magna quantitas in prædicto casu.

Et an, si quis extraheret panem coctum, incidat in hanc censuram?

Et quid, si extrahat farinam?

Et an sub nomine olei comprehendantur oleæ, ex quibus ipsum oleum conficitur? Ex part. 9. tract. 8. & Misc. 3. Resol. 43.

§. 1. REspondeo affirmativè, & relinquendo alias Bullas Pontificias, ita habetur in Bulla Vrbani VIII. 12. *Kalend. Novembr.* 1624. quæ incipit: *Superni.* Dixi mercimonij causa: nam certum est non esse prohibitum præsenti Bulla Vrbani VIII. extractionem illarum rerum, quæ in Bulla exprimuntur, factam occasione se, suamque familiam alendi, vel ob alium quemcumque finem, præter mercimonium, tametsi in magna quantitate; ut constat ex illis verbis, mercimonij causa, dispositionem restringentibus. Dixi in magna quantitate: nam hæc semper requiritur ad peccatum mortale: & excommunicationem majorem incurrendam. Quæ autem in præsenti sit magna quantitas, non est facilè definire. Alij asserunt illam esse censendam, quæ deservire potest in sustentationem familiæ pro tribus, vel quatuor diebus. Alij, quæ à tribus equis deferri nequit. Sed rectius Bonacina *tom. 3. de Censur. disp. 2. q. 3. punct. 42. num. 13.* arbitrio prudentis decisionem remittit, credens quantitatem quæ uno equo deferri potest modicam esse. Vide etiam Filliucium *tom. 1. tract. 15. cap. 7. num. 161.*

2. His suppositis, adsunt aliquæ difficultates: & ideò primo quæro, an dicta excommunicatio sit Papæ reservata? Negativè respondet Bonacina *tomo 3. disputat. 2. quæst. 3. punct. 24. num. 16.* Sed ego puto, quòd esto reservata non sit expressè in Bulla Vrbani VIII. at tacitè, & implicitè reservatur, quatenus prohibet extractionem, & delationem prædictarum rerum sub pœnis, & Censuris contentis in Bulla Gregorij XIII. & Pauli V. At Censuræ ibidem contentæ reservatæ erant; ergo latæ in Bulla Vrbani reservatæ censendæ sunt: aliàs non esset prohibitio sub eisdem pœnis, & Censuris, sed sub diversis, uti docet Filliucius *tractat. 15. cap. 6. quæstione 7. num. 147. in fine.* Sed quicquid sit de hoc, certum est ex consuetudine, & stylo Curiæ hanc excommunicationem esse Papæ reservatam; ut notat Pater Thesaurus *in Praxi, part. 2. vers. Annona, cap. 4.* & Leone *de Censur. Recoll. 4. litt. E, verb. extrahentes.*

3. Quæro secundò. An si quis extraheret panem coctum, incideret in hanc Censuram? Et affirmativè respondet Filliucius *tomo 1. tract. 15. cap. 6. num. 158.* Primò, quia prohibetur extractio frumenti propter panem ex eo conficiendum. At propter quod unumquodque tale, & illud magis. Authentica *multo magis, Cod. de sacrosanct. Eccles.* Item frustra exprimitur, quòd tacitè subauditur, *leg. non rectè Cod. de fidejuss.* At prohibito frumento tacitè subauditur panis: ergo, &c. Item connexorum idem est judicium, *leg. cum actum. Digest. de neg. gest. &c.* Translato de Constitutionibus. Sunt autem panis, & frumentum connexa. Ergo, &c. Sed Ego adhæreo negativæ sententiæ, quam tuetur in terminis Castrus Palaus, *tom. 6. disputat. 3. punct. 30. num 23.* & docuit Bartolus *in leg. quæ fœlicis, §. illud, ff. de legatis 3.* ubi inquit appellatione materiæ non venire materiatum, hoc est ex materia confectum: cui sententiæ favet lex, *sicut lana, Digest. eodem titul.* dicens lanæ appellatione non venire lanam netam, id est, in filum redactam. Ergo multò minùs veniret tela ex lana confecta. Ergo sub nomine frumenti non venit panis, utpotè ex frumento confectus. Et ratio omnium est, quia panis esto ex frumento conficiatur, à frumento specie differt uti communis tradit sententia, quod in farina non procedit. Ergo sub frumento comprehendi non potest, maximè in lege pœnali, ubi strictior interpretatio facienda est. Præterea extractio panis regulariter obstare non potest gravitet fini à Legislatore in hac lege intento, utpotè quæ annonæ caritatem vix inducere possit, cùm difficile sit in magna quantitate extrahi, & diù conservari. Et hanc sententiam in ordine ad incursionem Censuræ, probabilem putavit Filliucius *loco cit.*

4. Quæro tertiò. An extrahentes farinam incidant in hanc Censuram? Et affirmativè respondet Azorius *1. part. Institut. moral. lib. 5. cap. 26. quæstion. 2.* Et ideò Narbona *lib. 6. titul. 2. leg. 14. gloss. 1. num. 41.* Guttierrez *in quæstionibus practicab. libr. 4. quæst. 44. per totam.* Maceratensis *var. libr. 2. resol. 13. num. 12.* Bobadilla *in pol. lib. 3. cap. 3. num. 55.* Mexia *in pragmat. Taxæ panis, conclusion. 4. num. 2.* asserunt, quod prohibitus vendere frumentum extra territorium non poterit vendere farinam, aut panem; quia in talibus non verborum sonus, sed effectus attenditur, secundum Nicolaum Boërium *in decision. 77. num. 5.* Albericum *in 2. part. statut. quæstion. 105.* Franc. Marcum, *decision. 540. numer. 2.* & Guido Papa *in quæstion. 373.* dicit, pluries per parlamentum Delphinatus ita judicatum fuisse, & latè probat Alexander Imola *in consil. 130.* incipienti, super eo, de quo quæritur, an Fideles, *1. colum. volumin. 6.* Quod probatur: nam ratio prohibitionis Pontificiæ, ne extrahatur frumentum, militat etiam in extractione farinæ; & ideò una debet esse de illis dispositio; ut patet *ex leg. illud. Digest. de leg. Aquil. leg. à Titio. Digest. de verbor. obligat.* Et ita concludit Baldus *in leg. non dubium 4. colum. num. 10. Cod. de legibus,* & Ancharanus *in cap. Canonum statuta, de Constitution. vers. Iuxta prædicta congruè;* quicquid idem velit ipse Baldus *in leg. si convenerit, §. fin. Digest. de pignor. actio. & in lege, quod non ratione, in 1. lect ff. de legib.* ubi tamen censet, aliud non esse materiatum à materia, quando fit in fraudem statuti. Facit, quod notat Bertachinus *in tractat. de Gabellis in 21. quæstion. 2. particula, parte princip.* Sic vel ex eadem ratione, ne fraus fiat legi, quodque eadem insit ratio, prohibiti incidere ligna in certa Sylva, & asportare, non poterunt ligna quæ reperiuntur incisa, vel collapsa asportare: Textus est, & ibi not. Bartolus *in leg. 2. Cod. de cupress. lib. 12.* Nec si objiciatur, oberit, quòd appellatione

frumenti non contineatur farina, ex quo frumenti potentia per mutationem in farinam adeò victa sit, quod ad suas vires, suaque initia amplius reverti non possit, *leg. Iulianus*, §. *sed si quis*, *ff. ad exhiben. l. quæsitum*, §. *Illud*, *ff. de legat. 3.* ubi ita determinat Dinus, quem sequitur Albertus Gaudinus *in tr. maleficior. in rubr. de reb. non portant. contra devect. quæstione 4. versic. Item pone.* dicens, ita fuisse iudicatum Paduæ. Quodque statutum pœnale, & odiosum, extendendum non sit, *regul. odia, & regular. in pœnis, de regular. Iur. in 6.* Nam licet ex proprietate vocabuli, appellatione frumenti non contineatur farina, & si legatum sit frumentum, non censeatur legata farina, secundum Baldum *in leg. 1. collect. 3. Cod. de fructibus, & litt. expens.* & Bartolus *post glossam in dict.* §. *Illud*, ex mente tamen statuentium, extenditur ad farinam: quæ mens non minùs observanda est, quàm verba, *leg. nominis, & rei*, §. *verbum ex legibus*, *Digest. de verb. signific.* Vnde ex his omnibus Ego puto, extrahentes farinam de Statu Ecclesiastico in pœnas latas ab Vrbano VIII. incidere. Et hanc sententiam tenent Filliucius, & Castrus Palaus, ubi suprà, & rectè non negat contrariam sententiam esse probabilem, nempè non venire farinam sub frumento prohibitam, quod docet Baldus *in leg. 1. Cod. de fructibus, & litt. expension. & leg. non dubito Cod. de legibus*, Albericus, & alij quos citat Azorius ubi suprà. Ergo sub prohibitione extrahendi frumentum, farina comprehendi non debet. Non enim lex pœnalis, & odiosa extendenda est ultra verborum proprietatem.

5. Et tandem quartò quæro, An sub nomine Olei, cujus extractio ab Vrbano in hanc Bullam prohibetur, comprehendantur oleæ, ex quibus ipsum conficitur? Et ad hanc quæstionem sic respondet Filliucius, ubi suprà, *tom. 1. tractat. 15. capit. 6. num. 158.* Dubium est de oleo; an prohibito oleo, etiam prohibita sit extractio olearum? Et respondendum videtur pro parte affirmativa: quia sub nomine olei, quod fit ex oleis, proximè continentur etiam oleæ. Paria autem sunt aliquid proprio nomine significare, vel aliter demonstrare, *leg. certum Digest. si cert. pet.* Item paritas rationis inducit paritatem dispositionis, *leg. Titio*, *Digest. de stipul. leg. illud*, *Digest. ad leg. Aquil.* Par autem ratio videtur esse olei & olearum, ex quibus proximè fit oleum: sunt tamen ex viris doctis, qui distinguunt. Si enim oleæ extrahantur ad oleum faciendum ex eis, haud dubium est intelligi prohibitas sub oleo. Si verò extrahantur ad comedendum eas, vel sale condiendum, ut postea ita comedantur, sic non intelligi prohibitas; tum quia hæ non sunt proxima materia olei, sed remota, utpotè acerbæ, nonnisi post aliquot menses aptæ ad exprimendum oleum; tum quia hæ solent esse in exiguo numero, nec afferre propterea caritatem annonæ. Atque hæc sententia probabilis est, quia benignius interpretatur legem pœnalem, alioqui in rigore dicendum esset cum primo. Hucusque Filliucius.

6. Ego verò cum Castro Palao *tom. 6. disputat. 3. punct. 30. num. 23.* puto sub hac censura, & prohibitione Vrbani VIII. non comprehendi olearum extractionem, sive maturæ sint, sive acerbæ, sive ad comedendum, sive ad faciendum oleum extrabantur. Ducor, quia oleæ ab oleo specie differunt. Ergo prohibita olei extractione, non est censenda prohibita olearum extractio, quia constitutio pœnalis ultra proprietatem verborum extendenda non est. Præterquam quòd in olearum extractione non procedit eadem ratio, ac in extractione olei. Quippe oleæ difficilè in magna quantitate extrahi possunt, & frequenter ad comedendum extrahuntur, raroque ad conficiendum oleum. Concedo tamen sententiam affirmativam Filliucij esse satis probabilem.

RESOL. XLII.

An in casu dubij possint Principes sine incursione censurarum Bullæ Cœnæ impedire, ne victualia extrahantur ab eorum Regnis ad Romanam Curiam?

Et notatur, quod in foro externo, si impedimentum præstatur à persona publica præsumitur justo titulo oppositum esse, secus à persona privata. Ex part. 9. tract. 7. & Misc. 2. Resol. 17.

§. 1. NEgativè respondet noster Duardus *in Bullæ Cœnæ, lib. 2. can. 8. q. 10. n. 11.* ubi sic ait: [Hinc Princeps aliquis, annonæ ipsius civitatis, Provinciæ, aut Regni consulens, prohibendo ab illis victualia, & his similia à supradictis ejusdem locis extrahi; quamvis ex tali prohibitione sequatur, quòd ad Romanam Curiam deferri non possint, nihilominus vi nostri Canonis non alligatur: quia hoc casu incidenter tantùm prohibetur dictorum bonorum delatio ad Romanam curiam: eò quòd per se primò utilitati Provinciæ, seu Regni, & eorum civitatibus consulitur, ut cum Cajetano, Navarr. Vival. & aliis docet hic Sayr. *lib. 3. Thes. cap. 12. n. 3. tom. 1.* Benè verum est, quòd jus, quo dicto casu Princeps utitur, debet esse clarum, saltem practicè, nam, si quis in casu dubij vellet dispositioni dicti Canonis contraire, non excusaretur.] Ita ille.

2. Sed hanc opinionem impugnat Castrus Palaus *tom. 6. disp. 3. punct. 9. n. 6.* nam esto à lege certa nequeas te eximere ob causam dubiam, id verum est, cùm pro lege est possessio: at stante possessione pro parte impedientis, non videtur impediens ob causam dubiam se à lege eximere, sed ob causam certam. Præterquam quòd, stante dubio, an possit Princeps impedimentum victualibus deferendis præstare, æquum non est, quòd per legem ea potestate, etsi dubia, spolietur. Sicuti non est æquum, quòd ad jejunandum obligetur, qui dubius est, an 21. annum compleverit; quia stante dubio, stat pro ejus libertate possessio. Sed sententiam Duardi docet etiam Suar. *de cens. disp. 21. sect. 2. n. 64.* Filliuc. *tom. 1. tr. 16. c. 7. n. 156.* & alij.

3. Notandum est tamen, quòd in foro externo, si impedimentum præstetur à persona publica, præsumitur justo titulo oppositum esse, secùs à persona privata, ut rectè notat Bonacina *tom. 3. disput. 1. quæst. 9. punct. 3. n. 2.*

RESOL. XLIII.

An Piratæ, seu Cursarij non solum discurrentes per mare Pontificium, sed alia maria incidant in censuram Bullæ Cœnæ?

Et an Piratæ in dictam censuram incurrant discurrentes per mare Pontificium, si nullam depradationem actu exerceant?

Et quid, si cum intentione deprædandi discurrant, si nullam deprædandi actionem exerceant?

Et quid tandem dicendum est, si casu tantum navigantem deprædantur?

Et an deprædantes infidelium naves à Christianis asseveratas incidant in censuram Bullæ Cœnæ: Ex part. 9. tract. 7. & Misc. 2. Resol. 73.

§. 1. CAsus est practicabilis in his calamitosis temporibus. Et quidem Graffius *lib. 4. decis. c. 18. num. 53.*

num.53. exponens Bullam Xysti V. & Suarez, *de cens. disp.21 sect.2.n.18.* exponens Bullam Clementis VIII. asserunt, non solùm excommunicari discurrentes mare Ecclesiæ ; sed omnes Piratas deprædantes in mari Christianorum, & in hoc sensu explicat Graffius illam particulam, *Mare nostrum*, id est, Christianorum.

2. Mihi verò magis placet opinio asserens, solos latrones maritimos qui discurrunt mare Ecclesiæ, præsertim à monte Argentario, vsque ad Tarracinam hoc loco excommunicari. Imò etiam puto, quòd mare pontificium censendum videtur, quod ad Pontificem pertinet, etiam mediate ratione feudi, sicuti pertinet mare Tyrrhenum, quod Regnum Neapolitanum, Corsicam, Siciliam, & Sardiniam attingit, vti notavit, aliis relatis, Bonac. *tom.3. de cens. disp.1.q.4 punct.2. num.4.* E contra verò discurrentes per mare sub alterius dominio constitutum, ibique deprædantes, etsi veri Piratæ sint; in hanc tamen excommunicationem non incidunt: quia non comprehenduntur sub verbis Bullæ, ibi, *mare nostrum discurrentes*. Quod etiam docet Castrus Palaus, *tom.5. disp.3 q.4.n.3.* Et ratio est: quia pœnæ sunt favorabiliter interpretandæ : cùm ergo lex ista pœnalis sit, intelligenda erit in verborum significatione, quæ accommodatior, & magis propria fuerit, qualis est explicare particulam, *mare nostrum*, in censura Pontificis, de mari Ecclesiæ, hoc enim propriùs dicitur mare Pontificis, quàm ipsiusmet in propria persona loquentis, mare Christianorum dicatur.

3. Sed ex his oritur alia quæstio an Piratæ in dictam censuram incurrant discurrentes per mare pontificium, si nullam deprædationem actu exerceant? Et affirmativè respondent Duardus, Toletus, Reginaldus, Bonacina, & sub dubio Suarez, *de cens. disp.21. sect.2.n.19.* Quia actio sub excommunicatione in his Bullis prohibita, est maritimus discursus animo deprædandi: aliàs si deprædatio, mutilatio, vel occisio necessaria foret, vti in Bullis Iulij II. & Gregorij XIII. expressum erat; vt quid à tempore Clementis VIII. hæ actiones à Bullis expunctæ sunt? Hæc sententia est satis probabilis.

4. Sed negativam sententiam probabilem etiam esse existimo; &, vt verum fatear, ei magis adhæreo cum Sousa *in Bulla Cœnæ, c.4. disp.26. num.2.* qui citat Vivaldum, & Sayrum, cui adde Castrum Palaum, *vbi supra, n.5.* Et probatur : Latrones maritimi non excommunicantur absolutè, sed in ordine ad deprædationem : ergo si nullam exerceant deprædandi actionem, excommunicationis gladio non feriuntur. Patet consequentia, Probatur antecedens : Quia latrones non dicuntur, nisi à latrocinio; vnde, qui nullam actionem latrocinij exercent, latrones dicendi non sunt, saltem in actu, & foro externo : ergo quandocumque latrones absolutè excommunicantur, intelligendi sunt exercentes latrocinij actiones: verba enim cum effectu accipi debent, vt habetur *l.1. §. Hæc autem verba, ff. quod quisque Iuris.* Ex hoc sequitur, si latrones maritimi mare Pontificis discurrant, etiã cum intentione deprædandi, si nullam deprædandi actionem exerceant, non excommunicari: sola enim intentio ad censuram incurrendam non sufficit, nec omnis discursus prohibetur. Dixi, *si nullam actionem deprædandi exerceant* : quia non opus est, quòd de facto deprædatio sequatur : satis enim est, quòd deprædari nitantur occidendo, mutilando, invadendo, aut insequendo. Itaque dicendum est, quòd Piratæ, & latrones, non ab intentione deprædandi, sed à deprædatione ex officio, & proposito facta, denominationem recipiunt, teste Ambrosio Calepino, *verbo, Piratæ, & seqq.* Quapropter verba illa Bullæ, *mare nostrum discurrentes*, apposita censenda sunt ad præcedentia ; ita vt sensus sit : *Excommunicamus omnes Piratas, Cursarios, & Latrunculos discurrentes mare nostrum*, id est, qui mare nostrum discurrunt. Vnde, cùm Piratæ, Cursarij, & Latrunculi non sint ante deprædationem; hac excommunicatione adversùs Pyratas lata, non afficiuntur, tametsi eo animo discurrant. Quòd verò Pontifices prædictas actiones mutilationis, occisionis, deprædationis in aliis antiquioribus expressas omiserint; id videtur factum, quia ea expressio necessaria non erat; siquidem expresso nomine *Piratæ*, satis subintelligebantur.

5. Nota hìc etiam primò, quod qui ex officio nauticum latrocinium non exercet, casu tamen semel navigantem deprædatur; Censuram Canonis hujus non incurrit. Secundò : qui indicto bello; sivè justo, sive injusto hostes deprædantur, in hanc excommunicationem non incurrunt : quia non animo deprædandi, sed vindicandi, & puniendi hostes; seque ab illis defendendi, deprædationem committunt. Tertiò : qui deprædantur infideles, sive justè, sive injustè id faciant, per hanc clausulam non excommunicantur. Sed ex hoc vltimo notando insurgit difficultas : an deprædantes infidelium navim à Christianis assecuratam, incidant in censuram Bullæ; Affirmativè respondet Bonacina, *tom.3. disp. 1.q.4. punct.1.n.13.* quia censendi sunt Christianos spoliare, penes quos stat periculum rei assecuratæ. Idem affirmat *num.11.* casu, quo à Principe Christiano securitatis privilegium concessum esset : quia cedit ea deprædatio in damnum, & injuriam Christiani Principis, sitque contra voluntatem & intentionem Summi Pontificis. At ego adhæreo sententiæ negativæ Castri Palai, *tom.6. disput.3. num.7.* quia hujusmodi damnum per accidens est, neque ex vi deprædationis infidelium necessario sequitur, qua de causa non videtur sufficiens ad excommunicationem hanc inducendam : maximè, cùm hæc excommunicatio non adversùs damnum inferentes Christianis : sed adversùs eos, qui Christianos deprædantur, statuta sit : at deprædantes navim, & merces infidelium, tametsi assecuratæ sint à Catholicis, dici non possunt Catholicos deprædari; cùm non deprædentur bona Catholicorum, neque ad Catholicos pertinentia. Ergo in hanc excommunicationem non incurrunt.

Sup. hoc in Resl. seq. §. Nota etiam ad lin. 5.

RESOL. XLIV.

An qui per donationem, vel furtum accipit bona naufragantium ab alio accepta, incidat in censuram Bullæ Cœnæ?

Et an, qui auxilium, consilium, mandatum, aut favorem præstant, vel ratum habent, vt bona naufragantium subripiantur, vel bona subrepta custodiunt, incidant in censuram dicti Canonis?

Et an, si Christiani Pirata naufragium faciunt, excommunicentur eorum bona subripientes?

Et notatur, quod qui subripit bona Christianorum, qua in navibus Infidelium cum assecuratione illa reddendi certo loco, quomodocumque pereant, asportantur, non excommunicantur; si verò Christiani eadem obligatione Infidelium bona deferant, excommunicantur illa subripientes.

Et aliqua alia notantur, quæ contingere possunt in supradictis naufragiis circa supradicta, & circa alios diversos casus, & naufragia. Ex part.9. tract.8. & Misc.3. Resol.36.

§.1. AFfirmativè respondet Suarez, *de cens. disp.21. sect.2.n.33.* vbi sic ait: [Potest contingere, vt quis recipiat talia bona sine vllo antecedente pacto; sed

sed ex mera voluntate subripientis; ita tamen vt sciat, qualia sint: (nam, si accepisset bona fide, & ex ignorantia inculpabili, quamdiu illa duraverit, cessat difficultas.) Propter hujusmodi ergo receptorem videntur addita in Bulla Gregorij illa verba: *Aut ab aliis rapta, seu accepta scienter receperint*, quæ verba omissa sunt in Bulla Clementis: & ideò dubitari potest, an revocata sint, vel solùm fuerint omissa: quia in verbo, *spoliaverint*, censentur sufficienter contenta. Et quamvis facilè possit in vtramque partem res disputari, mihi hoc posterius videtur probabilius: quia ille, qui sic accipit talem rem, moraliter verum dominum spoliat. Quod ita breviter declaro: quia ille, qui sic accipit talia bona, tenetur illa reddere vero domino: ergo, si sit in mora reddendi, agit contra cap. *Excommunicationi*, eiúsque excommunicationem incurrit: ergo à fortiori incidit in Bullam Cœnæ: ergo, si à principio injustè accepit animo retinendi sibi, in Bullam Cœnæ incidit: nam, quòd accipiat immediatè in littore, vel mari, vel mediante priori spoliatore, non variat malitiam, neque quoad hoc lex hæc quidpiam distinguit.] Ita Suarez.

2. Sed ego adhæreo opinioni negativæ, quam docet Sousa *in Bullam Cœnæ, c. 5. disp. 34. concl. 1.* & Sayrus, *de censur. lib. 3. c. 8. n. 4.* cum aliis. Probatur: quia in Bulla tantùm de primo subripiente fit sermo; non verò de secundo, vel tertio: ergo, quantumcunque secundus, vel tertius latro, aut gratis accipiens, sciant, bona illa injustè esse ex naufragio accepta, non excommunicantur: non enim censura vltra proprium casum, cùm sit pœnalis, extenditur. Antecedens non obscurè colligitur ex illis verbis: *In ipsis navibus, sive ex eisdem ejecta in mari, vel in littore inventa, &c. subripuerint.* Quæ verba manifestè ostendunt de primo subripiente loqui tantùm Summum Pontificem. Et confirmatur ex ablatione illorum verborum, quæ erant in Bulla Gregorij, quæ, cùm secundos subripientes excommunicarent, modò ablata ipsos non ligant.

3. Verùm occasione præsentis dubij, aliquæ difficultates enodandæ sunt circa intelligentiam Canonis Bullæ, & ideò quæro, An, qui auxilium, consilium, & favorem præstant, vt bona naufragantium subripiantur, incidant in censuram dicti Canonis? Suarez, *vbi supra numero tertio*, & Filliucius, *tom. 1. tract. 16. capite 4. numero 101.* censent ligari censura auxiliatorem, non autem consulentem. Bonacina verò *tom. 3. disputatione prima, quæstione quinta, punct. 1. numer. 3. juncto numero quarto*, affirmat, spectandum esse auxilium, & cooperationem. Si enim ejus conditionis sit, vt verè, physicè, & realiter ad subreptionem concurrat, hac afficitur excommunicatione; quia sic cooperans verè subreptor est, veréque, & propriè naufragantium bona subripit. Secùs verò si solùm moraliter in subreptione concurrat: quia ex morali concursu in subreptionem non subreptor, sed subreptoris motor dicendus est. Et cùm leges pœnales vltra significationem propriam extendi non debeant, æquum non est, vt lex subreptoribus excommunicationem indicens ad subreptorem moralem extendatur. Ex qua doctrina infert Bonacina, famulum ministrantem subreptori, opémque illi in subreptione præbentem, tum res deferendo, tum instrumenta suppeditando, tum assistendo, in hanc excommunicationem incidere: quia verè est subreptor physicus. Et idem erit dicendum de eo, qui navim latroni accommodat ad bona subripienda, cum pacto ea dividendi.

4. Mihi verò magis placet opinio, quæ absolutè negat consulentem, mandantem, ratum habentem, & auxiliantem hac excommunicatione ligari; quia vltra proprietatem verborum extensio in legibus maximè pœnalibus facienda non est. At consulens, mandans, ratum habens subreptionem non præstat, nec subreptor propriè est, sed subreptoris motor, & approbator. Et idem est de auxiliante, quatenus talis est, quia esto per actionem physicam subreptioni concurrat: cùm ipse res naufragantium non subripiat, sed alteri, vt subreptionem præstet, auxiletur, excommunicatione lata adversus subreptores ligari non potest. Quod manifestum fiet casus difficiliores expendendo. Etenim famulus, vel alius tertius opem ferens subreptori, tùm subministrando Instrumenta ad subreptionem necessaria, tum ei assistendo, tùm merces deferendo; si ipse famulus nihil ex bonis naufragantium subripiat, ut sibi retineat, nequaquam subreptor dici poterit, cùm hæc denominatio non ex auxilio ad furtum, sed ex furto & rei alienæ vsurpatione habeatur. Ob eandem rationem excusari debet qui bona subrepta custodit, vt subreptori tradat; quia si nihil ex illis bonis sibi retineat, non bonorum subreptor, sed iniquus custos nuncupatur. Quòd si ob prædictam custodiam, vel auxilium in subreptione delatum subreptor ei aliqua ex bonis subreptis tradat, cùm hæc bonorum susceptio à subreptore habeatur, & titulo oneroso, à prædicta excommunicatione lata adversus eos, qui ex navibus, vel ex mari, aut littore bona naufragantium subripiunt, videtur excusatus; cùm non ex his locis ea bona accipiat, sed ex subreptoris concessione, & donatione. Et ita hæc omnia docet Castrus Palaus, *tom. 6. disputatione tertia, punct. 5. num. 11.*

5. Non nego tamen, contra Palaum extare Sousam, vbi suprà, *numero quinto*, sic asserentem: Omnes, qui dant auxilium ad faciendum primum furtum esse illius participes: vt quando latro non potest navim ascendere, nisi alter scalam ministret, aut eum humeris sublevet. Dico secundò esse etiam participes, qui mandant. Dico tertiò, participes similiter esse receptatores, quando receptatio, vt furtum fieret, necessario exigebatur, & sine qua non fieret; vel si merces occultent, quando ex tali occultatione furtum sequitur, vel perficitur. Ita Sousa. Sed opinionem Castri Palai satis probabilem esse existimo, quam etiam tuetur Duardus, *in Bulla Cœna, libro 2. can. 4. quæst. 23. num. 44.* & Hugolinus, *capite 4. §. 2. vers. 10.*

6. Quæritur secundò. An si Christiani piratæ naufragium faciant, excommunicentur eorum bona subripientes? Sayrus, *libro tertio, capite 8. numero 8.* quamvis dicat consulendum esse de hac re Summum Pontificem, probabile existimat hujusmodi subripientes non excommunicari, quia iste in jure excipitur, vt habetur *in Authent. Navigia de furt.* Ius autem civile non videtur derogari hoc loco; atque adeò accipiendum est vt explicatio, vt intelligamus de quibus naufragantibus loquatur Summus Pontifex. Et hæc opinio tuta conscientia admitti posse tradit Sousa *disputatione trigesimaquinta, num. 6.* licèt contrariam sententiam probabiliorem esse existimet.

7. Nota etiam, quòd ibidem *numero quinto*, idem Sousa firmat, quòd qui subripit bona Christianorum, quæ in navibus Infidelium cum assecuratione illa reddendi certo loco, quomodocumque pereant, asportantur, non excommunicatur: si verò Christiani eadem obligatione infidelium bona deferant, excommunicantur illa subripientes. Probatur ex eo, quia in primo casu bona illa non censentur fidelium quoad damnum sequutum ex naufragio; vel furto, cùm pereant, Infidelibus pereant; atque adeò cessat tota ratio Censuræ, quæ est ne vero Domino Christiano detrimentum aliquod ex

ex naufragio sequatur : è contra evenit in secundo casu, cum illa bona fidelibus pereant, eò quòd sunt apud Christianos quoad custodiam cum obligatione reddendi.

8. Notandum est etiam hîc obiter primò quòd etiamsi imminente tempestate, naufragiisque periculo bona in mare jactentur, eaque ibi jactata, vel in navi posita subripias, ab hac excommunicatione immunis sis ; quia non verificatur, te bona illa subripere à naufragium passis, sed à passis naufragij periculum ; quod diversum est. Ita tenet Palaus *ubi supra num.6.* & alij penes ipsum.

9. Notandum secundò, supradicta non procedere, quando subripiuntur bona ex cymba in flumine percmpta, quia ut ex Hugolino observat Sousa, *disp.37. n.3.* Summus Pontifex solum loquitur de naufragio, quod fit in mari, neque ideò de fluviali mentionem non fecit, quia minus est, sed quia de eo legem sancire noluit ; nec illa, cùm sit pœnalis extendenda est. Si tamen ex naufragio maritimo aliquid accessu maris ingrediatur flumen, & in ripa illius inveniatur, idem de eo erit judicium, ac de aliis rebus in littore ex naufragio maris inventis.

10. Notandum tertiò, quòd si bona naufragantium accipias animo quærendi Dominum, illíque reddendi, & interim rebus acceptis utaris, quin impotens reddaris ad satisfaciendum vero Domino comparenti, nullam excommunicationem incurris, quia illa non est subreptio, sed justa, & licita acceptio. Quòd si postmodum voluntatem mutes : nolisque verum Dominum quærero, illique bona restituere, cùm possis, incidis ad minus in excommunicationem latam *in cap. excommunicationi, de Raptorib.* ut notat Bonacina *tom.3. disp.1. q.5. punct.4. n.5.* quia verè subripis bona naufragantium, neque ea restituis, cum possis. Quinimò existimo te excommunicatione bullæ innodari ; quia ab eo puncto, quo voluntatem restituendi mutas, acceptio illorum bonorum injusta esse censetur : acceptio autem injusta, subreptio est ; cui Bulla excommunicationem imponit. Ergo. Et ita docet Palaus *citato loco, num.2.*

11. Et tandem notandum quartò quòd quando bona fidelium ab infidelibus sunt capta, licet injustè, non manet excommunicatus qui illa ex naufragio subripit : quando verò fideles bona rapiunt ab infidelibus, qui subripit ea ex naufragio fidelium excommunicatur. Probatur prima pars ; quia bona, licet quoad dominium sint Christianorum, quoad usum, & possessionem sunt apud infideles : ergo non censentur bona naufragantium Christianorum, sed infidelium, de quorum bonorum subreptione Censura non loquitur. Secunda pars eadem ratione ostenditur ; nam cum possessio, & usus bonorum infidelium in hoc casu apud fideles inveniatur, ab illis immediatè subripi censentur. Ita Sousa *disp.35. n.5.* Et hæc sufficiat adnotasse ad ornatum dicti Canonis Bullæ Cœnæ, ut magis practicabilia.

RESOL XLV.

An incidant in censuram Bullæ Cœnæ deferentes infidelibus pecunias, merces, & victualia, etiam belli tempore?

Et an nuntius deferens Infidelibus litteras, sciens continere revelationem secreti Reipublicæ Christianæ incurrat censuram Bullæ Cœnæ?

Et quid est dicendum, si aliquis revelet secretum Reipublicæ Christianæ alicui fideli, qui creditur revelaturus infidelibus, an iste incurrat censuram Bullæ Cœnæ?

Et an vendentes arma infidelibus, in terris tamen Christianorum incidant in censuram dictæ Bullæ?

Idem est, si vendant, iis quos certo sciunt ea ad infideles esse missuros.

Quod idem dicendum erit de commutantibus arma pro armis, ut enses pro hastis, &c.

Et an deferens prohibita, quando aliter captivi redimi non possunt, excusetur à prædicta censura? Ex part.9. tract.7. & Misc.2. Resol.16.

§.1. AD hoc dubium respondet Sousa *in Bull. Cœnæ, cap.8. n.5.* & sic ait : [Tolet. docet, non comprehendi in hac clausula, qui merces, victualia, ac similia, etiam belli tempore, ad fidei inimicos deferunt : quamvis excommunicentur in jure. Probat ex verbis sequentibus, scilicet : *Quibus Christianos, & Catholicos impugnant.* Quæ verba cum præcedentibus conjunguntur ; mercibus autem, & victualibus nullus impugnatur. Placet tamen cum Caiet. *in sum. verb. Excommunicatio, c.20.* & Suar. *n.56.* si hujusmodi victualia, vestes, & quæcumque merces tali tempore, & opportunitate deferantur, ut moraliter censeri possint instrumenta, & auxilium ad bellum gerendum, excommunicari ea deferentes.] Ita Sousa. Cum Toleto consentit Sayr. *de cens. lib.3. cap.11. n.12.* & alij. Cum Suar. verò Bonac. *tom.3. disp.1. q.8. punct.2. n.4.*

Sup hoc infra in Resol. 49 §. ult. & significanter in ultimis lin. Sed lege eam à principio, & in tom 9. tr.13. Resol.8. §. Rectè, post medium, ver. Nota etiam.

2. Sed novissimè opinioni negativæ Toleti adhæret Castrus Palaus *tom.6. disp.3. punct.8. n.7.* [Tum, quia non est certum in hac excommunicatione comprehendi auxiliantes, consulentes, aut faventes quomodolibet infidelibus, & hæreticis in damnũ Catholicæ Religionis, sed necessariò requiri, ut auxilium sit in monitione de statu Christianæ Reipublicæ ; quia de his fuit sermo priùs factus, & relativum, *illis*, & *ad id*, quod ad immediatè præcedentia refertur, id denotat. Præterquam quòd, non de auxilio, consilio, vel favore Turcis, aliisque Christianæ Religionis inimicis videtur intelligendum, sed de auxilio præstito ipsis Catholicis, ut certiores faciant Turcas de statu Reipublicæ Christianæ, ita ut sensus sit : *Excommunicamus illos, qui per se, vel alios, de rebus statum Reipublicæ Christianæ concernentibus in Christianorum perniciem, & damnum, ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos, necnon Hæreticos, in damnum Catholicæ Religionis, certiores faciunt illisque*, scilicet, faventibus Hæreticis, *ad id*, hoc est, ad prædictum effectum monendi Hæreticos, *auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstant.*] Hæc Palaus.

3. Ego verò utramque sententiam probabilem esse puto ; sed veriorem secundam existimo : quia in his rebus, auxilium, & favor quomodolibet præstatur nostræ Religionis hostibus. Nullum enim auxilium bello aptius est, quàm pecuniarum, mercium, & victualium. At in prædicta clausula videntur excommunicari omnes auxilium, consilium, vel favorem inimicis nostræ Religionis præstantes. Ergo.

4. Sed hîc obiter quæro primò : An nuntius deferens infidelibus litteras, sciens continere revelationem secreti Reip. Christianæ, incurrat censuram Bullæ ? Affirmat Sousa, *ubi sup. disp.50 n.4.* Quia, ait ipse, qui applicat ignem, moraliter loquendo, verè dicitur comburere : ergo, qui defert epistolas, vel alterius dictum denuntiat, verè moraliter eos certiores facere censebitur.

5. Sed Palaus *ubi sup.* docet, quòd alij non improbabiliter contrarium asserunt ; quia revelatio, cum sit quædam manifestatio, & loquutio, nullatenus præstatur à tabellario litteras sigillatas deferente ; non enim ipse revelat, sed revelationem defert. Applicans autem ignem dicitur comburere : quia ignis solùm physicè, non moraliter combustionem præstat : at litteras mittens, & physicè, & moraliter secretum revelat ; eáque de causa deferens revelationem ab hac denominatione revelantis excusari potest. Verùm opinionem Sousæ tenet Suarez *de cens. disp.21. n.58.* Hugol. Duard. & alij.

6. At, quid dicendum, si aliquis revelet secretum Christianæ Reipublicæ alicui fideli, qui creditur revelaturus infidelibus: an, inquam, iste talis incurrat in censuram Bullæ? Affirmat Bonac. *tom. 3. disput 1. q. 8. punct. 1. n. 4.* & alij penes ipsum. At negativæ sententiæ adhæret Suar. & Palaus, *ubi sup.* quia in clausula Bullæ solùm puniuntur revelantes per se, vel per alios, statum Christianæ Reip. infidelibus. At fidelibus revelans nequaquam dici potest infidelibus per se, vel per alios revelare, cùm ipsi fideles revelantes nomine proprio revelent, non autem nomine prioris revelantis, qui nunquam ipsis revelationem demandavit.

7. Quæro secundò: Vtrùm vendentes arma infidelibus, in terris tamen Christianorum, incidant in censuram Bullæ? Negativa pars suadetur quia, cùm censura hæc sit pœnalis, non debent verba illius extendi, sed interpretanda sunt juxta proprium significationem. Quia igitur vendere non est deferre, & Summus Pontifex de deferentibus loquitur, ad vendentes extendenda non erit censura. Et ita tenet Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 23. q. 7.* Tolet. Navarr. & alij, quos citat. Castr. Pal. *loc. cit. n. 11.* qui tamen postea cum Hugol. Duardo, & Bonac. contrariam sententiam tenet: quia Bulla non requirit, ut arma transferantur ad terras infidelium, cùm translationem ad infideles nullo superaddito prohibuerit: at ea translatio ad infideles est facta. Neque obest, quòd ipsi ibidem non possint Christianos oppugnare? satis enim est, quòd possint in terras infidelium translatari. Præterquàm quòd solùm per accidens ab impugnatione Christianorum ibidem impediuntur, scilicet, ob protectionem, & potentiam Christiani Principis; per se autem, & ex concessione armorum illis facta optimè possunt ibidem oppugnare Christianos. Nulla ergo causa est, ob quam hac censura ea venditio non afficiatur.

8. Itaque ego fateor quidem, non manere excommunicatos vendentes prohibita, ex vi particulæ, *Deferentes:* nihilominus, quatenus vendendo favorem præstant infidelibus contra Christianos, non est, quare ab hac censura excusentur: & idem est, si illis vendant, quos certò sciunt ea ad infideles esse missuros, sive ipsi infideles ad Christianorum civitates veniant, sive in ipsis pacificè vivant, nisi fortè eos parvitas materiæ excuset, ut si hastam unam, vel equum vendant. Quod idem dicendum erit de commutantibus arma pro armis, ut enses pro hastis, sicut docet Sayr. *lib. 3. de cens. cap. 11. n. 27.* quidquid in contrarium dicat Sylv. *verb. Excommunicatio, 7. num. 64.* qui tenet, ob has commutationes censuram hujus Canonis incurrere. Cujus sententia erit vera, si commutatio talis fuerit, ut infideles notabiliter meliùs Christianos impugnent; aliàs res est parvi momenti, propter quam censura non fertur.

9. Et tandem pro coronide hujus Resolutionis videtur excusari ab hac censura deferens prohibita, quando aliter captivi redimi non possunt: quam sententiam sequitur Hugol. *vers. Octavò.* Quod Sylvester intelligit, quando hoc fit tempore pacis, non verò si fiat tempore belli. Quæ tamen sententia non placet Toleto *in sum. lib. 1. cap. 24.* sed existimat, deferentes in hoc casu manere excommunicatos, tam in terminis hujus Bullæ, quàm in terminis juris antiqui. Prior sententia est magis pia, & idcircò in eam inclinandum existimo, dummodò gravius detrimentum ex prædictorum delatione Christianæ Reip. non sequatur, quàm sit ex captivorum redemptione utilitas: hoc enim de benignitate Pontificis præsumendum est. Et hæc omnia docet Sousa *loc. cit. disp. 51. n. 6.*

RESOL. XLVI.

An licitum sit deferre arma infidelibus, si pecunia reportata sit Christianis utilior? Ex part. 5. tract. 13. & Misc. 1. Resol. 15.

§. 1. AFfirmativè respondet Regin. *tom. 1. lib. 9. cap. 18. n. 301.* putat enim probabile non incidere in censuram Bullæ Cœnæ, qui arma deferunt infidelibus majori cum utilitate Christianæ Reip. quàm damno, ut si pecunia reportata pro armis sit Christianis utilior, quam arma sunt noxia.

2. Verùm Hurtad. de Mendoza *in 2. 2. disp. 76. sect. 5.* §. 130. negativæ sententiæ adhæret. Putat enim negativam sententiam viam sternere ad perpetuam abolitionem hujus legis, censerent enim singuli mercaturam suam utiliorem esse Christianis, nec esset ulla mercatoris compescendi ratio, esset que fidelibus scandalo. Quapropter si qua Respublica id de suis mercatoribus censeret, consulere teneretur Summum Pontificem, ut veritate sincerè perspecta provideret tunc, & cessaret scandalum, nec deesset ratio compescendi violatores. Nec enim cuivis fas est tam publica & diuturna uti Epiikeia, quando tam facilè potest legislator adiri, quod factum esse à Genuensibus, & Venetis credendum est. Respublicæ enim tam Catholicæ & Romanæ Sedi obedientes non erant effecturæ, ut malo exemplo suspicionem parerent contumaciæ.

RESOL. XLVII.

An deferre arma Hæreticis, & instrumenta bellica sit prohibitum ex Bulla Cœnæ?

Et quid, si Hæretici sint publicè denunciati? Ex part. 5. tract. 13. & Misc. 1. Resol. 14.

§. 1. PEtrus Lorca *in 2. 2. disp. 52. n. 7.* affirmativam sententiam docet, putat enim appellatione hostium nominis Christiani, includi etiam hæreticos, quia omnes illi sunt absolutè infideles, & inimici Christiani nominis.

2. Sed mihi magis placet contraria sententia, quam tuetur Hurtadus de Mendoza *in 2. 2. disput. 76. sect. 3. §. 83.* quia hæretici nomen Christi non oderunt, sed amant: quamvis enim doctrinam Christianam ex parte depravent, Christiano tamen nomine gloriantur. Turcæ autem ipsi nomini Christiano sunt infensi. Vnde, & hæretici commune nobiscum bellum Turcis indicunt, ut hostibus nominis, quod ipsi hæretici colunt. Moveor secundò, quia Bulla in Cœna Domini nihil juvat infideles, in quorum odium exardent antiqua jura, sed eis faveret, si per hostes Christianorum intelligerentur hæretici. Ergo. Probo minorem, quia ex jure antiquo nulli publico hosti nominis Christiani possunt arma deferre, quamvis non sit publicè denunciatus hostis à Romana Sede, ut nunc non possunt. At ex Bulla Cœnæ solis hæreticis publicè denunciatis à Romana Sede interdicuntur arma. Ergo, Bulla faviset infidelibus. Cùm ergo Bulla aliquid novum præceperit contra hanc infidelium speciem, illud fuit in ejus odium, & non in favorem. Signum ergo est eos nunc de novo comprehendi.

RESOL. XLVIII.

An qui narrat consilia, v. g. Regis Catholici nostri alicui Turcarum proditori, incidat in censuram Bullæ Cœnæ? Ex part. 5. tract. 13. & Misc. 1. Res. 13.

§. 1. NEgativè respondet Suarez *in 3. part. tom. 5. disp. 21. sect. 2. n. 58.* quia id non exprimitur in

in Bulla. Cùm enim *ibi* Pontifex dixisset, Necnon alios, qui Turcas de rebus concernentibus statum, certiores faciunt; adjicit: Illisque ad id consilium, aut auxilium præstant: sed pronomen *illis*, non refert certiores facientes, sed Turcas ipsos, id est, illisque Turcis ad id favorem dederint.

2. Verùm his non obstantibus affirmativam sententiam docet Hurtadus de Mendoza *in* 2.2. *disp.*76. *sect.*3. §.68. quia pronomen, *illis*, refert utrosque, nempe & Turcas, & omnes, qui arma ferunt, certioresque faciunt hostes; cùm enim ea lege velint Pontifices hostibus arma eripere, omnemque rationem impetendi Christianos, eorum animus est negari omne auxilium, consilium, & favorem. Turcis negatur favor, ne possint juvari, fidelibus ne juvare; cùm enim utrumque sit apprimè utile ad Pontificis institutum, & verba possint in utrumque quadrare propriissimè, cur non fiet, maximè cùm nomen *ad id*, hoc sonet apertè; refert enim damnum. In damnum, inquit, Catholicæ Religionis certiorem faciunt, illisque ad id consilium præstant. Ac si dicat, præstant auxilium ad id damnum, non solùm ad explorationem consiliorum, sed ad damnum. Deinde si ly *illis-que*, refert Turcas, adhuc Consiliarius comprehenditur. Proditio enim consilij Regij favor est in Turcam, quem ipse emeret carò. Et hæc omnia docet Hurtadus *ubi suprà*. Vnde puto utramque sententiam probabilem esse.

RESOL. XLIX.

Cum in Regno sit magna penuria carnis, & in perniciem rei frumentariæ in dies plura animalia macillentur, dubitatur, an sine metu excommunicationis liceat emere à Turcis supradicta animalia, & cum illis alia victualia permutare?

Et an commercium cum infidelibus non intelligatur tempore necessitatis?

Et adducuntur multi Doctores pro explanatione, quando jure positivo sit licitum, vel prohibitum infidelibus mercimonia deferre. Ex part.2. tract.16. & Misc.2. Resol.34. aliàs 36.

§ 1. REspondendum videtur negativè, ex authoritate *cap. quod olim, de Iudæis*, & Clementis Papæ V. *in Extravag. Multa mentis, eod. tit.* ubi ex renovat. Extravag. Nicolai Papæ IV. incip. *Olim.* Et hanc sententiam videntur docere doctiss. Iurisconsultus Alexander *vol.*7. *cons.*130. Boërius *decis.*178. & Straccha *tract. de mercatura p.*2. *à n.*40. *usque ad n.*51. adi illos, & non pigebit.

2. Sed mihi suppositâ veritate facti, (quod an ita sit videant illi ad quos spectat,) contraria sententia probatur, nam puto licitum esse deferre infidelibus etiam res prohibitas, quando deferuntur in Christianorum utilitatem, ut si commutentur, vel vendantur pro iis, quibus indigent magis Christiani, ita ut major sit eorum commoditas, quàm damnum inde proveniens. Ità ex Societate Iesu Valer. Reginald. *in praxi, tom.*1. *lib.*9. *cap.*18. *n.*301. & ex Dominicana familia Ant. de Sousa *in exposit. Bullæ Cœnæ, c.*8. *disp.*51. *n.*2. & Alterius *de censuris, tom.*1. *disp.*8. *lib.*5. *cap.*5. *col.*4. §. *ut probetur.*

3. Adde quòd commercium prohibitum cum infidelibus non intelligitur tempore necessitatis, ut in casu simili, & aliis notavit novissimè Coninch *de actibus supern. lib.*2. *disp.*18. *n.*178. cum Suarez *tract. de fide, disp.*18. *sect.*6. *n.*8. Ratio est, quia, ut notavit Filliuc. *in quæst. moral. tom.*1. *tract.*16. *cap.*6. *n.*147. & Sayrus *de censuris, libr.*3. *cap.*12. *n.*34. præceptum Ecclesiasticum non obligat cum tanto rigore, & necessitas in hac materia accipitur moraliter, ut etiam in casu simili notavit Anton. Ricciul. *in tract. de jure person. lib.*2. *cap.*41. *n.*19. & Tabiena *verb. medicus, man.*17. *verb. Iudæus, n.*6. Talem verò necessitatem extare in casu nostro multi asserunt. Ergo licitum erit tale commercium; & permutationes rerum.

4. Nec obstant ea, quæ in contrarium adduximus, nam illi Doctores, *ad c. quod olim*, non loquuntur in casu nostro, videlicet necessitatis, seu quando victualia deferuntur propter majorem utilitatem, quam nos Christiani præcipimus.

5. Ad Extravag. Nicolai & Clementis respondeo cum Sylvestro *verb. excommunicatio, 7. n.*60. & Petro de Lorca *in* 2.2. *D. Thomæ disp.*51. *n.*7. ibi: Pontifices prohibere deferre victualia, & alia mercimonia in Alexandriam, vel alia loca Sarracenorum terræ Ægypti, non autem prohibere supradicta deferre ad alios Sarracenos: & si hoc prohiberent, respondendum est, ut *supra ad cap. quod olim, de Iudæis*, non loqui videlicet in casu nostro.

6. Sed vide, si libet, circa præsentem quæstionem Conradum *de contract. tract.*3. *q.*51. *concl.*1. Gambarutam *tract. de casibus reserv. cap.*7. Bonacinam *de legib. disp.*3. *q.*2. *punct.*5. *n.*2. Molfes. *in sum. tom.*1. *tract.*11. *cap.*2. *n.*23. Sayrum *de censuris, lib.*3. *cap.*11. Alterium etiam *de censuris, tom.*1. *disput.*8. *lib.*5. *cap.*1. *& seq.* Suar. *in* 3. *p. D. Thom. tom.*5. *disp.*21. *sect.*2. Navar. *in cap. ita quorundam, de Iudæis.* Filliuc. *tom.*1. *tract.*16. *c.*6. *n.*139. Azorium *p.*1. *lib.*8. *cap.*23. Duardum *in Bull. Cœn. lib.*2. *can.*7. *q.*1. *&* 2. Tabienam *verb. excomm. n.*5. *&* 6. Naldum *in sum. verb. Infidelis, n.*2. qui fusissimè tractant, quando jure positivo sit licitum, vel prohibitum infidelibus mercimonia deferre.

RESOL. L.

An pœna contra duellantes ipso facto incurrantur?

Ex quo deducitur, an publicus percussor Clerici sit vitandus ante sententiam judicis declaratoriam? Ex part.11. tract.8. & Misc.8. Res.21.

§.1. CAsus est frequentissimus, & ad illum negativè respondet Petrus Navarra *de rest. leg.*2. *cap.*3. *num.*292. specialiter, & novissimè Concilium Tridentinum *in dict. cap.*19. §.25. de reformatione sub gravibus pœnis usum duellorum reprobat. Primum ipso facto excommunicatos esse decernit Dominos temporales; qui locum ad monomachiam, sive duellum in terris suis inter Christianos concesserint. Secundò privati sunt dominio Civitatis, vel loci apud quem duellum sit permissum, si ab Ecclesia obtinuerint, vel si feudo habeatur, eo privati ipso facto, domino directo acquiratur. Tertiò ipsi pugnantes, & eorum patrini excommunicationem incurrant, & bonorum præscriptionem, ac perpetuæ infamiæ pœnam, & ut homicidæ puniri debeant, si qui in ipso conflictu decesserint, careant Ecclesiastica sepultura. Quartò illos, qui in causa duelli consilium dederint, aut spectaculo interfint, excommunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo teneri. Non tamen credimus pœnas tertij, & quarti ordinis ipso facto incurri, *ut ex text. ipsius oratione colligitur.* Ita Navarra.

2. Sed prorsus ejus sententiam rejiciendam esse, & affirmativam omninò tenendam existimo. Vnde rectè nominatim contra Navarram insurgit Doctor Sorbonicus Andreas Duvalius *in secunda secundæ Divi Thomæ, tractat. de Charitate, quæst.*17. *articul.*1. *in fine*, ubi loquens de pœnis contra duellantes sic asserit: An autem ipso facto hæ pœnæ

ab illis incurrantur, dubitatur : Petrus enim Navarra 2. *de restitution. cap.* 3. *num.* 292. *fol.* 184. ait, duas posteriores personas ipso facto non incurrere ipsas pœnas, adeo ut ipsæ ante sententiam Prælati, sint tantum comminatoriæ. Contrarium tamen videtur probabilius ; si enim domini temporales, qui solummodo duella in suis terris permittunt, de facto excommunicentur, multò magis pugnantes, & eorum patrini, qui ad ipsum duellum positivè concurrunt, erunt ipso facto excommunicati. Nec est alicujus momenti quod objicit Navarra non eodem modo loqui Concilium de ipsis patrinis, & pugnantibus, quo de dominis temporalibus ; si quidem de his loquendo ait : sint ipsi domini eo ipso excommunicati. Quando verò sermo est de pugnantibus, & patrinis, solùm ait : Qui verò pugnam commiserint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, proscriptionis bonorum suorum, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant. In pœnis autem semper benignior pars est eligenda, ubi expressè, & apertè jura non loquuntur, ut hic contingit ; non enim ait Concilium, ipsos pugnantes, & patrinos ipso facto, vel eo ipso excommunicationem incurrisse. Hoc, inquam, nullius est momenti ; quippè cum hæc particula, eo ipso, subintelligenda etiam est in sequentibus pœnis, & etiam personis, præsertim cum Concilium non intenderit, magis sævire in minus peccantes, quales sunt domini temporales duella permittentes, quàm in eos, qui gravius peccant, & quod amplius est, cùm utrique in eodem capite, & quasi in eodem loco contineantur. Huicusque Duvalllius, cujus sententiam non probabiliorem, ut ipse, puto, sed certam contra communem opinionem DD. & contra Praxim Ecclesiæ.

3. Nota verò quod post hæc scripta inveni Decisiones Mutinenses (ferunt Auctorem fuisse Patrem Raphaëlem Castellum Societatis Iesu) tractare hunc casum *lege* 9. *quæstione* 310. & sic distinguere, nam pœnæ contra duellantes juxta Constitutionem Summorum Pontificum, tùm Sacrosancti Concilij Tridentini *sess.* 25. *cap.* 19. in duplici sunt differentia ; aliæ enim sunt, quæ possunt executioni mandari absque hominis actione, & in abstinentia ab actione consistunt, verbi gratia excommunicatio, interdictum, &c. aliæ sunt, quæ hominis actionem requirunt, ut privatio jurisdictionis, confiscationis bonorum, privatio Civitatis, castri, aut loci, &c. Idcircò distinguendo, dicendum est, pœnas, quæ nullam requirunt hominis actionem, ipso facto, & absque sententia incurri, quia in Constitutionibus pœnæ eo ipso infliguntur ; Illas verò pœnas, quæ absque hominis actione non possunt executioni demandari, non incurri ante sententiam, saltem declaratoriam criminis, juxta opinionem probabiliorem multorum : & ratio est, quia legem humanam oportet esse hominum moribus, ac naturæ congruam, & valdè alienum est à natura, & moribus hominum, quod idem cogatur esse reus, ac judex, vel etiam justitiæ executor. Ita ibi.

4. Sed ex his oritur puchrum dubium, an publicus percussor Clerici sit vitandus ante sententiam judicis declaratoriam ? Et olim *in part.* 3. *tractat.* 5. *resolut.* 14. ex Covarruvia, Sayro, & Fagundez negativam sententiam docui, quam postea plures amplexi sunt Doctores, quos ego sparsim in meis operibus adduxi, & nunc plures addam, omnes in unum congerendo, ut facilius à Lectoribus præ manibus habeantur. Sic itaque docet Nigrus *in cæremonialib. parte* 7. §. 9. *numero* 20. Caspensis *in cursu Theolog. titul.* 2. *tractat.* 24. *disput.* 2. *sect.* 2. *num.* 15. Hurtadus *disput.* 2. *difficult.* 3. *num.* 9. *de excommunication.* Bordonus *in Miscellan. Decis.* 387. Antonellus *de regimin. Eccles. Epistol. libr.* 8. *cap.* 5. *num.* 14 Garzias *in summa tractat.* 1. *difficult.* 3. *dub.* 2. *punct.* 5. *num.* 42. Iterum Bordonus *decision.* 391. Ianuarius *part.* 1. *resolut.* 65. *num.* 47. Cœlestinus *in compend. tractat.* 3. *cap.* 9. *difficultat.* 3. Bassæus *verbo Excommunicatio* 7. §. *unico, num.* 2. Escobar *in Theolog. moral. tractat.* 4. *Examin.* 2. *cap.* 11. *num.* 32. Crousers *in regulam. Sancti Francisci, sect.* 9. *fol.* 365. Ioannes Dionysius *in Addition. ad Decis. Bonon. anno* 1646. *mense Iunio casu* 3. *fol.* 79. Castilentus *in Polyanthea Theolog. moral. verbo Consecratio Ecclesiæ difficult.* 2. *in fine* Brunus Cassaingh *de privil. Regul. tr.* 2. *cap.* 4 *propos.* 6. & Novarinus *in scrutinio sp. rituali part.* 3. *cap.* 38.

Quæ hic est intra in tr. 2. Ref. 55. & lege ibi Ref 56 & 57. & ex Ref. 5. §. Nota tamen

5. Habet igitur hæc sententia pro se octodecim Doctores, omnes viros pietate, & doctrina insignes, unde probabilem, & tutam esse in praxi, nemo nisi pertinax negabit. Ideò assero quod, ut quis dicatur publicus percussor Clerici, ad hoc ut illum vitare teneamur, oportet, ut talis percussio nulla possit tergiversatione celari, & nullo juris remedio notari : cùm ergo in hoc casu possit percussor Clerici notorius dicere, se fuisse ebrium, vel in suam justam defensionem fecisse, aut ignorasse excommunicationem percussioni esse annexam, & alia tergiversatione celari, allegando in judicio rumoris falsitatem : propterea quamdiu non constat per judicis sententiam, illum juris remedio non posse excusari, nunquam dicitur notorius Clerici percussor.

RESOL. LI.

An Principes ad vitandum majora mala possint in aliquo casu absque incursione censurarum permittere duellum ? Ex part. 6. tractat. 6. & Misc. 1. Resolut. 20.

§. 1. Affirmativè respondet Sanchez *in summa*, *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 30. ubi dicit, quòd licèt Princeps semper peccet assensum præbendo his duellis, sive ea concedendo ; at immunis esset culpæ ea permittendo in aliquo casu extraordinario ad vitanda majora mala, sicut ob similem causam licet permittere lupanaria. Et pro sua opinione probanda adducit Cajetanum *in secunda secundæ, quæstion.* 95. *artic.* 18. *in fine, & in summa, verb. Duellum in fine.* Armillam *eodem verbo, num.* 2. Emanuëlem Sà *num.* 1. Valentiam *tom.* 3. *disp.* 3. *quæst.* 17. *punct.* 1. *in fin.* & Liranum 1. *Regum, cap.* 17. qui omnes dicunt licitum esse Principibus minora mala permittere ad vitanda majora. Et quia contra hanc opinionem videtur obstare Constitutio Gregorij XIII. contra duellantes, qui extendit illam ad Dominos duella permittentes, aut non prohibentes, respondet illam esse intelligendam, quando illicitè permittunt.

2. Verùm suaderi potest negativa sententia. Primò ex Decreto Concilij *sessione* 25. *capit.* 19. *de Reformat.* quo excommunicantur Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in terris suis inter Christianos non solùm concesserint, sed etiam, sic fieri permiserint. Secundò probatur ex Constitutione Gregorij XIII. contra duellantes *ibi*, Volentis etiam locorum Dominos, si certamen ex condicto hujusmodi (nota) permiserint, aut quantum in se fuerit non prohibuerint, excommunicari.

Ter

Tertiò probatur ex Constitutione Clementis VIII. §. *Nos nefaria*, &c. *in fin.* & §. *ac insuper*, & §. *non solùm*, in qua approbat, & innovat dictum Decretum, & Constitutionem Gregorij XIII. & declarat locum habere, ubicumque gentium & terrarum, & excommunicat non solùm locorum Dominos, sed etiam Magistratus duella permittentes, & quantum in ipsis est, non prohibentes.

3. Nec obstat responsio data à Sanchez dicente dicta jura intelligi debere de illicita permissione, non autem de licita: nam respondet: primò, quòd dicta jura generaliter & simpliciter loquuntur, & ideò generaliter, & simpliciter, & absque distinctione debent intelligi, itaut comprehendant omnes casus, & ita fuerunt usu recepta. Secundò, Pius secundus per Constitutionem suam, quæ incipit *Regis pacifici*, §. *nos igitur*, *in fine*, prohibet omninò duella committi ex quacumque causa (nota) etiam à legibus fieri permissa. Quæ Constitutio per Clementem VIII. fuit confirmata & innovata, ut patet *ex* §. *nos nefaria*, &c. Ergo comprehendit casum à Sanchez exceptum. Tertiò, si Duellum in aliquo casu esset permittendum, utique esset permittendum, quando pactiones fuerint de dirimendo certamine, cùm primùm alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem effuderit; sed etiam in hoc casu est prohibitum per Clementem VIII. ut patet in sua Constitutione §. *necnon*, &c. Et Domini & Magistratus permittentes, & quantum in ipsis est non prohibentes puniuntur, ut patet *ex* §. *& non solùm*, &c. Ergo multò magis est prohibitum verum Duellum, ubi non interveniunt dictæ pactiones. Quartò, experientia docuit, quòd non solùm non evitabuntur majora mala ex permissione Duellorum: sed ex uno inconvenienti (nempè ex permissione duellorum) plura acciderent mala & scandala, ut testatur Iulius II. *in sua Bulla Regis Pacifici*, &c. *in fine proœmij*. Ergo illud Axioma, Licitum esse Principibus minora mala permittere ad evitanda majora; limitandum est non habere locum in Duello ex superius dictis.

4. His tamen non obstantibus non desinam adnotare sententiam Sanchez affirmativam docere novissimè Fragozo *in Regimine Christianæ Reipublicæ*, *part.1. lib.1. disputat.2. num.23.* Hurtadum de Mendoza *in secunda secundæ de fide*, *spe*, *& Charitate volum.2. disput.170. sect.21.* §. 173. ubi sic asserit. Princeps non est obnoxius his pœnis, quando permisso duello vitat graviora damna, quæ alia ratione vitari non possent, nisi cum graviori incommodo. Probatur, tum quia minora mala non solùm permittuntur, sed etiam consuluntur, quando aliter vitari non possunt: tum etiam quia jus naturale & Ecclesiasticum vetant eas permissiones ad vitanda damna inde sequenda; ergo si non ex permissione sequantur damna graviora, non intelligetur permissio interdicta. Vnde in tali casu licebit designare certamini locum, sicut licèt designare locum lupanari, quando sine lupanari vitari non possunt incommoda graviora: & designatio loci non est cooperatio ad certamen, sicut neque designatio lupanaris est cooperatio ad impudicitiam meretricum: sed est designatio conditionata, ut ibi concertent, si siqui concertare voluerint; sicut in lupanari, ut ibi meretricia exerceat, si quæ voluerit esse meretrix. Possuntque in designando locum multæ suppetere rationes, quibus vitentur graviora damna; quod est multò melius: estque multò meliùs ut locus eligatur à Principe, quàm à Monomachis, ut contingit in lupanari eligendo, quæ electio, si ipsis meretricibus permitteretur, ipsæ se prostituerent in Vrbis Meditullio. Hæ occasiones sunt, quando inter duos Principes ferverent odia minitantia bellum exitiale: quod quidem averteretur & restinguerentur odia, si Monomachiam permittat Princeps tertius, qui non solùm posset eam permittere, sed consulere: si omnibus prudenter expensis judicaret nullam esse aquam illi incendio, consulere inquam non absolutè, sed ut potest consuli minus malum. Item si Vasalli Principis ita tumultuentur civilibus odiis, ut prudenter timeatur illos catervatim, & ex insidiis congressuros; neque ipse Princeps posset eos legibus coërcere, nec compescere, imminéatque, seditio & rebellio: tunc si possent ea damna vitari permissa, aut consulta Monomachia, esset permittenda, aut consulenda; minus enim malum est, ut pauci congrediantur, quam ut multi. Item si duo Principes peterent à Principe tertio campum, ut ex ipsorum Vasallis pauci in eo duellarent, si Princeps tertius illum negare non posset sine periculo, ut illi in eum arma verterent, illíque immineret, aut amissio Regni, aut periculosum bellum. Huc usque Hurtadus; cui etiam adde Cœlestinum *in compend. Theol. mor. tr. 3. cap. 10. n.10.* & alios, quos ego remissivè citavi & sequutus sum *in 3. parte*, *tr.6. res.1.*

Quæ nunc hanc sequetur in ejus §. penult.

RESOL. LII.

Notabilia quædam circa materiam duelli.
Et in textu hujus Resolutionis 14. diversi casus adducuntur; & explanantur pro praxi ad incurrendam, vel non incurrendam excommunicationem propter duellum. Ex part.3.tract.6.& Misc.2.Res.1.

§.1. MAteria duellorum frequenter in praxi solet accidere; ideo ponam hìc breviter aliqua magis practicabilia. Dico igitur primò, quòd diffidens alterum non animo pugnandi, sed causa honoris proprij defendendi, non incurrit in excommunicationem. Ita contra Peregrinum *de duello quæst.24.* docet Floronus *de duello cap.6.§.2.* & Naldus *in summa*, *verb. duellum*, *num.2.* imò cùm Filliucio *tomo 2. tract.15. capit.5. quæst.5. numero 113.* alibi probabiliter docui hoc esse verum, etiamsi ad locum conventum accedant absque animo verè pugnandi, sed tantummodo aliquos ictus inferendi, cum morali securitate, quòd nullum damnum secuturum sit, sed pax potiùs inde concilianda, & ita etiam hanc sententiam tenet novissimè Vvolfgangus à Vvorburg *in rudimentis juris canonici de excom. art.5. fol.196.*

Sup. hoc in Res. 1. not. seq. post medium, vers. Quidam, &c.

Alibi in Res. seq. in fine, & infra in Res. 64. §. ult. paulo post initium

2. Dico secundò non incurrere in excommunicationem, si quis ad inimicum accedat arguendo illum mendacij, si sustinere voluerit, quod sibi relatum fuit, etiam si hoc dicendo manum ensi apponat. Ita contra Peregrinum *quæstion. 26. numero 2.* tenet Bonacina *tom. 3. disput. 2. quæstion. 3. punct. 48. num.14.* hoc enim non est provocatio ad duellum facta ex condicto, statuto loco, & tempore, sed potiùs est injusta aggressio.

Sup. hoc infra in Res. 64 §. ult. cursim ad medium, vers. nec qui

3. Dico tertiò, non affici excommunicatione, qui alium provocat ad pugnandum nullo statuto loco, & tempore, & hoc etiam procedit in terminis Bullæ Clementis VIII. quidquid sentiat Peregrinus *quæst.15. num.3. & quæst. 20. num.3.* contra quem insurgit Bonacina *ubi suprà num. 15.* & alij, ex ratione *superiùs* adducta; quia videlicet hæc actio non habet requisita constituentia duellum.

Sup. hoc infra lege doctrinam Res. 60.

4. Dico quartò, cùm quis ad locum duelli causa inspiciendi accessit, non incurrere in excommuni-

Sup. contento in hoc §. infra.

cationem,

in Ref. 62. per totam, & in Ref. 64 §. ult. cursim ad medium.

cationem, dummodo duellum, vel actus ad pugnam proximus secutus non sit. Ita ego olim consului contra Peregrinum *quæst.* 37. Imò puto cum Lessio *lib.* 10. *cap.* 4. *dub.* 11. *num.* 83. & Sfortia *in Bull. Pont. epitome* 153. *theorem.* 392. spectantem ex occulto duellum non incidere in excommunicationem, quod etiam Riccius *in praxi tom.* 3. *ref.* 42. *num.* 20. Scortia cum Reginaldo, & Sanchez tenent de transeunte obiter, & aspiciente duellum, cùm non sit spectator, ex industria, & ex proposito.

Sup. hoc in Ref. not seq. & in eodem §. post medium.

5. Dico quintò, quòd qui narrat aliquod factum ex qua narratione prævidet aliquos, qui rem illam intellexerunt, arrepturos occasionem provocandi se ad duellum, non incurrere in excommunicationem, quidquid asserat Peregrinus *quæst.* 27. & ita docet Bonacina *num.* 32. & ita ego olim in casu contingenti determinavi cum consensu Doctorum virorum; nisi hoc faciat, ut eos ad duellum incitet. Et ratio nostræ sententiæ contra Peregrinum est, quia ista actio in Bulla Clem. VIII. non exprimitur, & pœnæ non sunt extendendæ ultra verborum significationem. Ergo, &c.

Sup. hoc infra in Ref. 64. §. ult. ad medium.

6. Dico sextò, audientes, vel legentes scripta, in quibus aliqui se provocant ad duellum, minimè nexu excommunicatianis vinciri. Et ita ego olim consului contra Peregrinum *quæst.* 28. & adducebam Comitolum *lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 7. & rationes *suprà* adductas, quia hoc in Bulla non exprimitur, & quia odia non sunt amplianda.

Sup. hoc ibidem paulo post medium dicti §.

7. Dico septimò, quòd qui ratam habet provocationem, vel pugnam, vel aliam actionem in Bullis Pontificiis expressam, suo nomine factam; non incidit in excommunicationem; ita Floronus *cap.* 14. §. 3. *num.* 1. quidquid asserat Peregrinus *q.* 31. *num.* 3. quia Pontifices dum volunt pœnam ad ratihabitionem extendere, hoc solent exprimere; adde quòd ratihabitio non comparatur mandato in pœnis, nisi exprimatur. Ergo, &c.

Sup. hoc in Ref. seq. in principio.

8. Dico octavò, eum qui præmissa ob duellum provocatione contulit se ad locum constitutum, & altero non comparente discessit, minimè in excommunicationem Gregorij XIII. incidisse puto, & ita contra Peregrinum *quæst.* 45. tenet Scortia *in Bulla Pontif. epitome* 155. *theorem.* 392. & alij penes ipsum, quibus ego addo Megalam *in tertia part. lib.* 4. *cap.* 4. *quæst.* 2. *num.* 11. Ioan. Franciscum Suarez *in enchiridio casuum conscientiæ lib.* 7. *verb. duellum.* Naldum *in summa verb. duellum, n.* 6. & Riccium *in praxi tom.* 3. *resol.* 52.

9. Dico nonò, quod Peregrinus *quæst.* 33. docet duellum consulentem incurrere in excommunicationem, etiamsi consilium non sit efficax, vel influat in effectum; sed contraria sententia probabiliter sustineri potest, ut notat Bonac. *n.* 28.

Sup. hoc infra in Ref. 58. §. ult. & in alio ejus not.

10. Dico decimò, consulentem duellum non incidere in excommunicationem, etiamsi conatus fuerit influxum consilij revocare, sed reipsa non revocaverit; scio Bonacinam *n.* 36. contrarium docere, sed tu probabiliter nostram sententiam sequi potes.

11. Dico undecimò, quòd si incontinenti orta inter aliquos sit rixa, unusque alterum iracundia motus ad dimicandum in certo loco invitet, & incontinenti ibi dimicent, non incurrit in excommunicationem. Ita Flavius Cherubinus *in Bulla Pontif. tom.* 3. *constit.* 11. *Clement. VIII. schol.* 1. qui citat Ludovicum Lucensem, Farinacium, & Tuschum, quibus ego addo Ioannem Franciscum Suarez *in enchiridio casuum conscientiæ lib.* 7. *verb. duellum*, & Riccium *in praxi tom.* 3. *resol.* 51. Item ait Graffius, diffidentes se ad pugnandum in aliquo loco, quò statim tendunt, & pugnant ibi, non incidere in excommunicationem, quia non adest assignatio temporis. Ita ille *in praxi lib.* 1 *cap.* 7. *n.* 22. & Ioan. Franciscus Suarez *ubi suprà*, sed probabiliorem esse contrariam sententiam asserit Bonacina *loco citat. num.* 7.

12. Non reticeam hîc adnotare, quod secundùm Layman *in Theologia morali lib.* 3. *tract.* 3 *part.* 3. *cap.* 3. *num.* 3. in duobus casibus duellum damnari non potest, videlicet, si miles in exercitu, vir equestris in aula Regia officio, & dignitate excidere debeat ob ignaviæ, ac timiditatis notam, nisi identidem provocanti se sistat; vel si quis ab injustis convitiis, ac subeundo dedecore aliter se liberare nequeat, nisi cum provocante congrediatur. Hæc Layman; an verò probabiliter, aliis judicandum relinquo, mihi enim non placent, ex his quæ adducit Reginaldus *tom.* 2. *lib.* 21. *cap.* 7. *num.* 80.

13. Nota secundò, contra Megalam *in* 3. *part. lib.* 4. *cap.* 4 *quæst.* 2. *num.* 13. & Salonium *in* 2. 2. *q.* 64. *art.* 3. *contr.* 3. *concl. ult.* posse Principem in casu extraordinario ad majora vitanda mala duellum permitterre; & ita docet Scortia *in Bull. Pontif. epitome* 155. *theorem.* 392. qui citat Sanchez, Valentiam, Cajetanum, Sà, & Navarrum, quibus ego addo Reginaldum *tom.* 2. *lib.* 21. *cap.* 7. *num.* 73.

14. Et tandem nota tertiò pro coronide hujus resolutionis, quod novissimè Franciscus Merolla *in dis. stut. Theol. mor. tom.* 3. *disp.* 2. *cap.* 4. *dub.* 10. *concl.* 3. *n.* 390. sic asserit. Quantum ad scripta provocantia ad duellum, si loquamur de famulis scribentibus tantùm, & non deferentibus: existimo posse dari casum, in quo licitum sit famulis ea scribere, ut si aliàs eis imminerer periculum mortis, vel alterius gravis incommenti. Si verò de famulis ea scripta scienter deferentibus sermo sit, est valdè probabile, id ita esse intrinsecè malum, ut in nullo casu liceat, quamvis oppositum non sit improbabile. Ita ille. Et hæc dicta sufficiant circa præsentem materiam duelli, alias quæstiones ex industria relinquimus, quia non ita in praxi facilè occurrere solent.

RESOL. LIII.

An si quis provocaret aliquem ad duellum, se sit conferens postea ad præfixum locum, & præfixo tempore, ibique frustra expectato inimico discedens, incidat in censuram Bullæ Greg. XIII.

Et quid est dicendum, si aliquis offensus à N. illum provocavit ad duellum, certo in loco, &c. non tamen habebat animum pugnandi, & certo sciebat pugnam non sequuturam, quod amici utriusque hoc impedissent, an in tali casu incidat in excommunicationem prædictæ Bullæ?

Et alij tres casus cursim attinguntur pro materia duelli.

Ex part. 2. tractat. 16. & Miscell. 2. Resolut. 53. aliàs 55.

§. 1. HIc casus frequenter solet accidere: & affirmativam sententiam docet Peregrinus *tract. de duello q.* 41. *per tot.* sed mihi contraria opinio placet, & ita tenet Comitolus, Delrius, & Sanchez, quos citat, & sequitur Scortia *in Bull. Pont. Epitome* 155. *theorem.* 392. quibus ego addo Megalam *in* 3. *part. lib.* 4. *cap.* 3. *n.* 11. Notandum est obiter pro hac materia de duello, excommunicationem incurrere, si quis diceret: Vade quæsitum gladium, hic te expecto, vel, Veni ad talem locum, te ibi expecto; vel si existens in navi, vel alibi dicas, Egrediamur in terram, vel foras, te expecto in tali loco; vel quisque nostrum abeat quæsitum ensem, in tali loco mox pugnaturi; secus si quis offensus dicat offendenti.

Distin

Distringe ensem, tecum enim pugnare volo. Sed non gravabor hîc apponere casum, de quo olim interrogatus fui. Quidam offensus ab N. illum provocavit ad duellum, certo in loco, &c. non tamen habebat animum pugnandi, & certò sciebat pugnam non sequuturam, amici enim utriusque hoc impedissent, sed hoc efficiebat ad satisfaciendum honori læso. Respondi tunc supradictum non incurrisse in excommunicationem; & ita docet in strictiori casu Filliuc. *tom.1.tract.15.cap.5.num.113.* nempe etiamsi venirent in locum designatum, sed amici utriusque istos conventos reciperent in se, dummodo priùs duellantes de hoc securi essent, & animum pugnandi non haberent. Sed ad alia transeamus.

RESOL. LIV.

Virum duellatores, oblato, & acceptato duello incidant in excommunicationem, si pugna postea non sit sequuta? Ex part. 5. tract. 14. & Misc. 2. Resol. 102.

§.1. FRequentissimus est casus, & ad illum affirmativè respondet Filliucius *tom. 2. tract. 29. cap. 8. num. 170. usque ad num. 176.* ubi conatur ex multis rationibus hanc sententiam firmare, & ita ait esse praxim sacræ Pœnitentiariæ, & stylum Curiæ Romanæ. Vide Bonacinam *de censuris, disp. 2. quæst. 6. punct. 1. num. 41.* ubi tenet prædictos incurrere pœnas Bullæ Gregorij XIII. Vide etiam Peregrinum *tract. de duello, q. 4. num. 4. & 7. in fine, & q. 41. per totam*, cum Luca Florono *tractat. de duello, cap. 1. §. 1. num. 3. & cap. 3. §. 1. num. 14.*

2. His tamen non obstantibus Hurtadus de Mendoza *in 2.2. disp. 170. sect. 21. §. 190.* firmat duellatores non incurrere pœnas Bullæ Gregorij XIII. oblato duello, & acceptato, si pugna non committatur. Et hoc etiam esse verum in terminis Bullæ Clementis VIII. probat postea *in §. 196.* ubi sic ait. De ipsis duellatoribus oritur gravior controversia, ut non ipsi contrahant has pœnas duello oblato, & acceptato, quamvis pugna non fuerit commissa. Et respondeo pugna non commissa re ipsa, & de facto, duellatores minimè esse excommunicatos, quia Gregorius XIII. eos non comprehendit nisi pugna secuta. Sed Clemens VIII. in hac re nihil innovat: ergo. Minorem jam probo de provocato, ait enim §. 5. ex condicto ad generale certamen descédat, aut ad illud provocet. Itaque provocatus præstringitur lege, si descendat: descendere autem plus est, quàm accipere duellum, est enim perinde apud Latinos in arenam descendere, ac pugnare: provocare enim in arenam, est provocare ad pugnam, accipitur enim locus pro actione in eo exercenda. Vnde gladiatores appellabántur Arenarij, quia pugnabant in circo arena conspersa. Cùm igitur Pontifex agens de provocato requirat descensum in arenam, in sensu dicto est accipiendus in lege pœnali, neque alibi iterum agit de provocato, pugna non sequuta. Secundò probatur in provocatore, nullibi enim conjungitur duellatori provocanti excommunicatio, pugna non sequuta. Imò quoties duellatorum meminit Clemens, ait, Duellum ex composito ineuntes, ut constat ex §. 7. ubi ipse addit excommunicationem de novo. Ex quo §. explicanda est tota Bulla, ob quod quando §. 5. dixit *ad singulare certamen descendat, aut ad illud provocet*, intelligitur juxta §. 7. ubi suam de novo adjicit censuram, nempe provocet existens in arena, inién sque certamen; pugnantes enim tam provocatorem, quàm provocatum excommunicat, ad quod usus est illa distinctione inter defendentem, & provocantem, id est inter provocatum, & provocatorem, neque enim provocatio passiva aliquem excusat ab excommunicatione, quamvis aliquam excusationem videtur habere, quam non habet provocator. Denique quando pœna infligitur propter delictum, non contrahitur delicto non consummato, nisi exprimatur à Legislatore, qui enim imperat homicidium, irregularis est, si homicidium sequatur, non secus: sed excommunicatio hæc decernitur propter monomachiam, & in ipsis monomachis non explicatur ejus vis, monomachia etiam non secuta: ergo non contrahitur excommunicatio, nisi monomachia secuta. Ita Hurtadus *ubi suprà*, qui per alios §§. *subsequentes usque ad* 201. respondet ad omnia argumenta Filliucij, & aliorum, & ad stylum Curiæ dicit, quod facit legem, quando habet aut formale, aut virtuale præceptum Pontificis, non verò quando illud non habet. De præcepto autem in hoc casu nihil nobis constat, nec verò est insuetum judicibus pauca negotia respicere. Ergo, &c. Verum an supradicta sententia sit probabilis, aliis judicandam relinquo, mihi enim magnam vim affert, et si vera esset praxis sacræ Pœnitentiariæ, & stylus Curiæ Romanæ.

RESOL. LV.

An in aliquo casu vir Nobilis possit sine peccato acceptare duellum? Ex p. 5. tract. 14. & Misc. 2. Resol. 99.

§.1. CAsum excogitavit, qui facilè potest evenire in praxim, doctus Hurt. de Mend. *in 2.2. tom. 2. disp. 170. sect. 13. §. 106.* ubi sic ait: Pone hominem nobilem ab alio provocari ad duellum, qui si illud recuset, non censebitur illud recusasse propter legem Dei, sed propter timiditatem, quia non bene audit de observatione legis, quia se facilè projicit in alia peccata, vel certè alia ex causa censebitur timidus, & ab aliis despicietur, apud quos semper erit inglorius, ex quo non levia damna & incommoda sequerentur. Est igitur, quæstio, utrùm in hoc casu possit provocatus exire in locum condictum, non cum absoluta voluntate pugnandi, sed cum conditionata, si à provocatore prius petatur injustè? Provocati autem absoluta voluntas est tueri opinionem viri fortis & depellere infamiam timiditatis, quæ objecta per se sunt honesta & necessaria viro nobili ad degendam vitam decorè inter suos, præcipuè militi, qui ab exercitu censebitur esse gallina; & non vir; media autem, quæ elegit ad hunc finem; sunt indifferentia ad bonum & malum; nempe; egredi in agrum, & in eo inambulare, quæ media honestantur ab eo fine. Hæc absolutè vult provocatus. Pugnare autem non vult, sed si ab alio petatur injustè, vult sub ea conditione se inculpatè tueri armis; si alia ratione commodè non possit. In hac occasione videtur provocatus minimè peccare, neque acceptare duellum, quia acceptatio duelli est voluntas deliberata, seu absoluta, qua iste homo caret. Item omnia, quæ vult absolutè, sunt licita ex se, finis item amatur licitè, quia nihil mali eligitur, neque ex parte finis, neque ex parte mediorum, quia hæc sunt egressus in agrum, & in illo inambulatio: quæ autem amantur conditionatè, sunt etiam honesta, amat enim sub conditione defensionem inculpatam per cædem aggressoris injusti, quando fit medium unicum ad propulsandam violentiam injustam. Solùm potest esse difficultas, quia provocatus videtur esse provocatori causa ruinæ, quia cùm provocatum viderit in agro, illum aggredietur injustè, quod non faceret provocato non comparente. Respondeo me non esse causam per se illius ruinæ, quæ per se oritur à sola malitia provocantis. Provocatus enim

Sup. hoc in Res. seq & id alio §. ejus not. 2.

non vult nisi ostendere se non esse timidum, neque facit, nisi inambulare per agrum, quæ per se non habent connexionem cum alterius ruina, nisi per accidens ex sola illius malitia. At nullus tenetur cum gravi & proportionato incommodo abstinere ab actionibus bonis, & indifferentibus, quamvis illis alius sit per accidens abusurus ad suam ruinam, ut constat exemplo fœminæ se moderatè comentis; sed in hoc casu non potest provocatus eas actiones præterire absque gravi incommodo, ergo non peccat eas exercens, quia neque ex parte illius est voluntas pugnandi, aut aggrediendi provocatorem, sed se præcisè defendendi.

2. Dices ab omnibus negari licitum esse acceptare duellum, tum quia est intrinsecè malum, & prohibitum lege Ecclesiastica, tum quia in illo uterque est aggressor; sed provocatus acceptaret duellum, quia sciens sequendam esse pugnam ex suis actionibus, illa eligens, vult moraliter pugnam. Concedo majorem propter ejus probationes, & nego minorem. Ad ejus probationem respondeo, pugnam sequi per accidens ex illis actionibus propter solam malitiam provocatoris; qui autem vult causam, ex qua per se & infallibiliter sequitur effectus, vult virtualiter & moraliter effectum ipsum; qui autem vult aliquid quod non est causa effectus, non vult effectum: talis est provocatus in hac occasione. Teneretur autem lege charitatis ab his actionibus abstinere, quando sine gravi, & proportionato damno potest, secus verò si non potest.

3. Dices secundò hunc casum esse chimæricum, quia impossibile est ut aliquis verum honorem amittat quòd non egrediatur in locum condictum à provocatore, quia apud viros prudentes & Christianos nullus potest malè opinari de alio, quòd non egrediatur, ob quod nullus potest acceptare duellum. Respondeo acceptationem duelli esse intrinsecè malam, ob quod propter nulla commoda temporalia est admittenda. Hæc autem non est acceptatio duelli, sed quædam actiones honestæ, & indifferentes per se utiles, & unicè necessariæ ad depellendam infamiam timiditatis, à quibus abstinere non tenetur cum tam gravi incommodo, quamvis provocator illis sit per accidens abusurus. Item dico quod sæpiùs dixi, eas actiones esse illicitas, quoties provocatus potest per aliud medium depellere infamiam timiditatis: ut si vir sit notæ fortitudinis, aut pietatis, aut si per virum Principem possit pacem componere. At verò si censetur in aliis occasionibus esse violator legis Dei, nec nota est ejus fortitudo, neque aliæ personæ accurrunt, quæ cum ejus honore ea de re tractent, jam est in tantas angustias conjectus, ut non possit abigere infamiam timiditatis, nisi egrediendo in agrum. Hæc omnia Hurtadus *ubi supra*, qui per alios §§. subsequentes, usque ad 115. conatur hanc sententiam mordicus probare; verùm in fine asserit hanc sententiam esse speculativè probabilem, practicè autem esse valde difficilem, & tu ne deseras omnino communem sententiam, quam sequitur Hurtadus *de charitate disp. 9. diffic. 26.*

RESOL. LVI.

An liceat in aliquo casu acceptare duellum? Ex p. 10. tract. 12. & Misc. 2. Resol. 54. aliàs 53.

Sup. hoc in res. præterita.

§. 1. AD hanc difficultatem sic respondet Petrus Marchant. *in Tribunali Sacram. tom. 2. tr. 6. titulo 3. quæst. 15 resol. 2.* Non licet ulli, multo minus Duellum inire quacumque causa etiam honoris, nisi in casu in quo liceret Aggressorem injustum occidere, & seipsum vitæ discrimini exponere. Ratio est; non enim potest quis se certo discrimini hominem occidendi exponere, &c. Dixi (nisi in eo casu quo liceret Aggressorem occidere, & seipsum vitæ discrimini exponere.) Pro quo nota, verum honorem præponi bonis temporalibus, & æquari vitæ: Ideo in casu quo liceret Aggressorem invadentem bona temporalia gravis momenti cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere, in eodem casu liceret honorem verum per Duellum tueri: Si ergo occurrat casus in Duelli præsentatione, quo, si illud non accepto, Officium, Militiam aut Gradum ob infamiam deserere debeo cum gravissimo detrimento meo, vel Familiæ. Tunc crederem licere Duellum inire. Ratio est quia talis acceptatio non est nisi justa defensio contra realem Aggressorem, qui de facto moraliter meum honorem, Officium, gradum aggreditur, ut mihi illa violenter eripiat, quæ jure naturæ eadem vi defendere possum, & debeo, cùm absque horum amissione retrocedere nequeam. Hunc solùm liciti Duelli casum mihi possum imaginari possibilem, si tamen revera omnia quæ supra ponuntur, actualiter in casu reperiantur. Hæc omnia Marchant. quæ secundùm ejus mentem dicta esse volo. Et de hac quæstione alibi alia à nobis etiam dicta sunt.

Sup. hoc in res. præterita.

RESOL. LVII.

An provocantes ad duellum teneantur è domo non exire, dum non componitur pax?

Et quanam voluntate debeat provocatus è domo in publicum exire? Ex part. 5. tract. 13. & Misc. 1. Resol. 25.

§. 1. CAsus est practicabilis; Pro cujus decisione supponо me non teneri omittere eas actiones, quas sine gravi, & proportionato damno præterire non possum, licet ex eis alius vitio sit accepturus occasionem ruinæ propriæ. Hoc supposito respondeo ad dubium propositum, provocatum non teneri se domi continere, quando sine gravi, & proportionato damno id efficere non possit: nam in tali casu potest licitè in publicum exire. Ita Bañez *in 2. 2. quæst. 64. art. 7. dub. 3. in fine*, & Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 2. cap. 39. num. 11.* In quibus verò casibus inclusio intra domum erit maximè incommoda provocato, explanat Hurtadus de Mendoza *in 2. 2. disput. 170. sect. 12. §. 96. & 97.* ubi in fine docet hoc licitum esse, quoties provocatus non potest honestè se domi continere, quia prudens quisque censebit id oriri non à ratione, sed à timiditate, quæ omnia licita esse probat in illis casibus, in quibus provocatus certò scit inimicum esse in loco, per quem ipse est iturus, vel etiam quando faciendum est iter per locum condictum, ubi provocator expectat armatus. In his autem casibus, in quibus licitum est provocato exire ad sua negotia peragenda cum periculo pugnandi, potest & debet ire bene armatus, non secus ac si ipse esset pugnaturus. Se enim armare non est peccatum, ea autem in occasione prudentis est timere pejora, & se ad illa comparare. Nec potest provocator inde scandalum pati, quia cùm ipse alium provocatione coëgerit, ut se armet, alioquin apud omnes erit imprudens, cur excandescet provocator, aut cur inde ansam arripiet pugnandi?

2. Sed quanam voluntate debeat provocatus è domo in publicum exire? Respondeo non voluntate absoluta pugnandi, sed conditionata, qua provocatus decernit pugnare, si à provocatore cogatur, nec possit se aliter honestè tueri: & ratio est, quia hæc voluntas non est mala, est enim de objecto bono, quia quando non potest periculum aliter effugi, quam dimicando

cum

cum injusto aggressore, tunc cum illo pugnare est bonum, quia est necessaria defensio ab injusta vi. Tunc autem provocatus egrediens domo, vult absolutè negotia sua gerere, & suum munus explere; quod quidem honestum est: media autem, quæ elegit, sunt indifferentia ad bonum & malum; honestari autem possunt ab honesto illo fine: sunt autem ea media egressus è domo, inambulatio per vias publicas, & alia id genus; à quibus non tenetur provocatus abstinere cum gravi suo damno, quamvis sibi persuadeat provocatorem eis abusurum ad pugnam; ille enim abusus non oritur ex meis actionibus, quibus est ille per accidens abusurus, oritur autem per se à sola malitia provocatoris, qui ex meis actionibus honestis abripit ansam ad peccandum.

RESOL. LVIII.

An, si conventio de pugnando facta sit in rixa, & inter conventionem, & pugnam intercedat tempus, non incurratur in pœnas latas contra duellantes?

Et notatur consulentem duellum non incurrere excommunicationem, si fecit quantum potuit, revocando consilium, licet nihil profecerit. Ex part. 6. tr. 6 & Misc. 1. Resol. 21.

§. 1. Affirmativam sententiam docet Filliucius *tom. 1. tr. 15. cap. 5. num. 111. & 112.* ex duobus casibus quos ibi ponit, & ego infrà refellam: & rationem adducit, quia est duellum ex condicto prohibitum à Constitutionibus Pontificiis, cùm intercedat tempus inter conventionem & pugnam.

2. Sed mihi placet contraria sententia dummodò intra illud spatium temporis pugnantes non se vertant ad actus extraneos & alienos ab ipsa pugna, & arbitrio prudentis duret calor iracundiæ. Et ratio est, quia conventio & pugna est una actio moralis continuata, & in ipso calore iracundiæ facta, ut patet ex Suarez *tom. 4. in 3. part. disp. 22. sect. 5. num. 21. & 22.* Sed principium dictæ actionis fuit rixa, & conventio pugnæ facta fuit in rixa, & in ipso calore iracundiæ: & durante ipso calore arbitrio prudentis sequuta est pugna; Ergo pugna illa dicenda est rixa, & non duellum ex condicto factum, quia in actionibus moralibus principium semper attenditur.

3. Nec obstat interventio temporis inter conventionem & pugnam, si enim pugna sequuta est eodem die, quo facta fuit rixa & conventio; creditur commissa ex eodem calore iracundiæ, ut docet Menochius *de arbitr. judic. lib. 2. cent. 4. cas. 361. num. 53.* & Mascardus *de probat. consil. 98. n. 28.* & per consequens est una actio moralis procedens ex rixa. Vnde ex supradictis sequitur, contra Filliucium, *ubi suprà* quòd si duo exorta rixa in Ecclesia ibi ob reverentiam loci enses non educunt, sed conventione facta de pugnando in viam, vel in alium locum determinatum exeunt, ut pugnent, & pugnant, licet spatium temporis interceserit inter conventionem & pugnam, & in determinato loco sit sequuta: tamen si ad actiones extraneas & alienas à pugna non se verterunt, sed durante calore iracundiæ excitato in rixa pugnam commisetunt, non est dicendum duellum ex condicto, sed pugna exorta ex rixa, & per consequens non incidunt in excommunicationem & alias pœnas contra Duellantes inflictas, quia est una actio moralis continuata principium habens in rixa & finem in pugna, & quia principium attenditur in dictis actionibus, ut docet Bonacina *tom. 3. disput. 2. quæst. 3. punct. 48. num. 8.* & Peregrinus *de Duello, quæst. 22. num. 21.* dicenda est rixa & non duellum ex condicto. Et similiter si duo invicem contendant quorum alter, quia non habet ensem in vicinam domum se confert, ut eo accepto cum altero armato pugnet, dato quòd in ipsa contentione convenerint se pugnaturos, & ut armatus expectet, si postea pugnent, existimo non esse duellum ex condicto; sed pugna ex contentione, sive rixa exorta: & licèt sint duæ actiones physicæ distinctæ, conventio & pugna, tamen est una actio moralis, cujus principium fuit rixa. Ergo, &c.

Sup. hoc sup. in Res. 52. §. Dico decimo & infr. in Res. 64. §. ult. circa finem post med.

4. Notandum est etiam hìc obiter me his diebus probabilius respondisse, consulentem Duellum non incurrere excommunicationem, si fecit quantum potuit revocando consilium, licèt nihil profecerit: quia quantum ex se effecit, ut per illum cesset duellum; quòd si non cessavit, ipse jam non est in causa, quia novum consilium dedit efficacius de se ad revocandum duellatorem qui si non revocatur, est propter ejus pravitatem: jamque non movetur ex ejus consilio formaliter, sed materialiter. Ita in specie Cœlestinus *in Compend. Theolog. moralis tr. 3. cap. 10. n. 10.* & Hurtadus de Mendoza *in 2. 2. de fide, spe & charitate vol. 22. disp. 170. sect. 21. §. 189.*

RESOL. LIX.

An, si accusator offerat duellum purgativum, possit illud innocens acceptare ad tuenda bona temporalia?

Et an ea, quæ dicuntur de acceptatione certaminis purgativi, tandem vim habeant in certamine non purgativo?

Et an innocens possit criminatori offerre singulare certamen, quando alia ratione non potest se suaque tueri? Ex part. 5. tr. 13. & Misc. 1. Resol. 27.

§. 1. Negativam sententiam docet Lessius *lib. 2. cap. 9. dub. 8. n. 47.* Filliucius *tom. 2. tr. 29. num. 144.* Suarez *de charitate disp. 13. sect. ult. num. 5.* & ante omnes Petrus de Aragon *in 2. 2. quæst. 64. art. 3. ad tertium argumentum*, & quia casus est curiosus ponam per extensum ejus verba; sic igitur ait: Aliqui asserunt, quod innocens licitè potest accusatorem per calumniam usque ad mortem prævalentem interficere, eumque provocare ad singulare certamen. Nã cùm accusator tunc injustè innocentem aggrediatur gladio materiali judicis, & quicumque invasus gladio licitè possit etiam cum morte aggressoris se defendere sit ut etiam licitè tunc possit innocens in propriam defensionem accusatorem interficere. Sed hæc sententia est apertè falsa. Primò, nam ex ea sequeretur, quòd qui accusaret innocentem bona fide ex ignorantia invincibili licitè posset ab eo interfici in propriam defensionem; consequens autem est falsum, & contra rectam rationem. Nam sic esset maxima perturbatio in Republica, & unusquisque suum interficeret accusatorem, dicens se ab eo injustè accusari, quod est absurdum; ergo & illud ex quo sequitur. Probo sequelam, si quis invaderet me bona fide ex ignorantia invincibili, ego licitè possem illum interficere in meam defensionem sed accusans aggreditur innocentem gladio materiali judicis secundùm Caietanum: ergo etiamsi ex ignorantia invincibili id faciat, licitè poterit ab innocente interfici. Secundò, quando dominus mittit servum ad me interficiendum, quamvis sit licitum occidere dominum domi manentem, ut omnes concedunt: ergo pari ratione, quamvis accusator occidat me per iudicem, non erit licitum occidere illum domi manentem. Vltimò si sententia Caietani esset vera, sequeretur quòd si quis per calumniam me accusando esset causa, quòd ego conijcerer in carcerem, aut quòd perderem bona mea, liceret mihi illum occidere.

Consequens autem est plus quàm falsum, ergo & illud, ex quo sequitur. Probo sequelam. Nam si quis per vim privata authoritate me conjiceret in carcerem, aut acciperet bona mea, licitè possem illum interficere in meam defensionem, & secundùm Cajetanum tunc infert vim accusator. Hactenus Petrus de Aragon.

2. Verùm his non obstantibus sententiam affirmativam tuetur Sanch. *in summ. t. 1. lib. 2. c. 39. n. 7.* & Banez *in 2. 2. q. 64. art. 7. dub. 4.* qui non solùm loquitur de acceptatione certaminis; sed etiam de provocatione. Et idem etiam docet Cajet. *in 2. 2. qu. 25. art. 8. ad 3. & in summ. ver. duellum*, quibus adde Hurtadum de Mendoza *in 2. 2. disp. 70 sect. 8. §. 70.* Probatur hæc opinio, quia talis acceptatio non est duellum, sed justa defensio, cùm enim licitum sit occidere injustum direptorem bonorum, quando alia ratione quis non potest ea defendere, ita in nostro casu acceptatio certaminis est medium necessarium ad defensionem bonorum ab injusta direptione: ergo licita erit ea acceptatio, dummodo provocator injustè me accusavit, & non bona fide, & præmonitus fuit, ut resipiscat, si est locus præmonitionibus, ut frequenter est in via juridica.

3. Notandum est etiam hîc cum Hurtado *ubi supra* §. 77. quòd quæ dicta sunt de acceptatione certaminis purgativi, habere vim eamdem in certamine non purgativo, v. g. Antonius me vult occidere domi, si ego ibi eum possum occidere, non possum acceptare certamen, quia interficere aggressorem injustum, quando actu mihi physicè mortem intentat, magis consentaneum est juri naturali & Ecclesiastico, quàm in campum exire ad pugnandum. Si verò ego eum non possem domi occidere, vel quia ille cum comitibus armatis, vel quacumque alia ratione me impedit, me tamen invitat ad singulare certamen, me occisurus, nisi illud acceptem, vel me bonis spoliaturus possum illud acceptare; hoc enim non est duellare, sed opportunitatem quærere, me, & mea justè defendêdi ab injusta vi. Mihi enim jus est me tuendi, etiam per necem inimici, quod si hoc in loco possum, cur non potero locum alium quærere? Certè non video, nec vel probabile vestigium ad dubitandum. Nam si domi me ille compelleret, ut cum illo pugnarem, alioquin periturus, possem pugnare, ergo etiam possum acceptare locum, quem ille mihi offert quando alia ratione non possum necem effugere, aut bona tueri.

4. Nota etiam quòd licèt non possit acceptari duellum honoris causa, tamen licita erit acceptatio certaminis, ne amittantur honores & munera publica. Dico igitur in tali casu offerente accusatore duellum purgativum, posse licitè acceptari, quando acceptatio est unicè necessaria ad dicta bona conservanda, quod probatur apertè, quia v. g. ad conservandam nobilitatem, & munera publica, est medium unicè necessarium acceptatio pugnæ, ergo est licita. Probo consequentiam, quia tunc est inculpata defensio bonorum, proportionatorum damno inferendo criminatori. Antecedens probo, quia criminator mihi crimen objecit dignum amissione nobilitatis, & munerum, cujus ego innocens sum, & alter objecit illud mala fide, quod crimen censebitur esse probatum, recusato à me certamine: hæc enim est hujus duelli natura, de quo agimus. Antecedens probo, quia conjectus sum ego in angustias, ut vel mihi pugnandum sit cum criminatore injusto, vel amissurus sim nobilitatem, & munera; ergo tunc subire certamen est unicè necessarium ad tuendam nobilitatem. Ita Hurtadus *loco citato*, §. 76. quæ omnia à fortiori procedunt in casu vitandæ mortis injustæ eo pacto, quo explicat idem Hurtadus *sect. 7. §. 16. & seq.*

5. Sed maxima difficultas est, an innocens possit criminatori offerre singulari certamen, quando alia ratione non potest se, suaque tueri? & affirmativè respondet Hurtad. de Mendoza *in 2. 2. disp. 170. sect. 9. §. 82.* ubi sic ait: Licitum est offerre certamen ei, qui mihi molitur jam mortem injustam, v. g. Antonius mihi falsum crimen objecit, neque habeo probabilem spem illum destituturum à cæptis diligentiis, sed potiùs timorem moraliter certam ad illas ab eo adhibendas, item expectare, ut me ille provocet est mihi multo periculosius, nec possum aliter certam mortem effugere. In hoc casu dico licitam esse provocationem; & ratio est, quia talis accusator infert mihi vim, in qua est actu; sed prevocatio ad certamen est medium unicum ad effugiendam mortem injustam, ergo provocatio habet rationem inculpatæ tutulæ. Confirmatur si quis me vellet domi occidere, in qua ego minimè possem me commodè tueri, possem tamen alio in loco, possem ego licitè illi dicere, ne me peteret domi sed ut egrederetur in locum ampliorem, ubi utriusque vires essent apertiores. In hoc enim nulla cernitur ratio peccati, quia si ego possum alium imperere gladio ad tuendam vitam, cur non potero eligere alium locum mihi necessarium ad eandem defensionem? sed eadem ratio est in casu nostro, ergo. Minor probatur, quia qui mihi vim injustam infert per alios in prudente æstimatione & moraliter perinde est, ac si per se ipsum illam inferret, quia per se ipsum multa facit injustè, propter quæ ego occidat injustè. Quid igitur interest me ab illo peti proptio ipsius gladio, an gladio judicis, aut servi, quibus ipse præcipit, aut consulit ut me occidant; aut ille, quod habet jus, ne ego illi linguam præcidam, qua me occidit potiùs, quàm ne illi manum secem, qua & cædit? Est igitur eadem ratio in acceptando, & offerendo certamine, quando utrumque est simpliciter necessarium ad effugiendam mortem injustam. Et ita hanc sententiam à fortiori præter Hurtadum docet cum Cajetano Bañez *in 2. 2. quæst. 64. art. 7. dub. 4. concl. 2.* & Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 2. cap. 39. num. 7.* cum Petro Navarra, asserentibus licitum esse talem accusatorem occidi occultè.

6. Nec valet dicere, quòd qui provocat accusatorem injustum, est causa ut accusator peccet acceptatione duelli. Nam respondeo hanc difficultatem esse communem omni militi justè prælianti, cui non liceret hosti prælium offerre, quod nullus dicet. Utriusque ratio est, quia qui justam causam defendit, supponit inimicum esse in actuali peccato homicidij, neque illum invitat ad amandum de novo aliquod objectum malum. Item illum non invitat simpliciter ad pugnam, sed sub conditione, id est si adhuc perseveras in voluntate me occidendi, te provoco; si verò desistere vis ab homicidio, ego quoque à certamine desisto.

7. Sed circa præsentem quæstionem, & omnia supradicta, præter citatos Doctores recognosce etiam Castrum Palaum *t. 1. tr. 6. disp. 5. punct. 7. n. 11. & seqq.* Coninch *de fide disp. 32. dub. 2. n. 17* Molina *de just. tr. 3. disp. 17. n. 7.* Navarrum *de rest. lib. 2. cap. 3. n. 289.* Valentiam *tom. 3. disp. 3. quæst. 17. punct. 1.* & alios penes ipsos, quibus novissimè adde Andream Duvallium *in 2. 2. D. Thom. tr. de charitate q. 17. art. 1.*

RESOL. LX.

An, si quis dicat alicui, tecum pugnabo prima vice, qua tibi per urbem obviam ero, incidat in pœnas Duelli?

Ex part. 5. tr. 13. & Misc. 1. Resol. 59.

§. 1. AFfirmativam sententiam docet Bonacina *de Sup. lege censuris disp. 2. quæst. 6. punct. 1. num. 7.* ubi sic in act. pr. ait:

ait. Idem valet dum quis alterum ad pugnam pravocat, cùm prima vice sibi occurrerit in urbe, adest enim assignatio loci, & temporis illius, scilicet quo sese obviam habuerint. Ita ille.

2. Sed mihi contraria sententia magis placet, quam ego olim practicavi, & postea inveni illam docere Iacobum Mancinum *in practica visitandi infirmos, pract.4.num.16.dub.9.* Nam tota urbs non est propria loci assignatio, quia locus non est certus. Nec est propria assignatio temporis, cùm sese obviam habuerint nam cùm tempus sit etiam incertum, non potest dici assignatio temporis, & in definitione duelli requiruntur necessariò hæ duæ conditiones; ita ut altera illarum deficiente, non erit duellum, ut inquit ipsemet Bonacina, qui in hoc videtur sibi adversari, & ita sensisse viros doctos à se consultos testatur Mancinus *ubi supra.*

RESOL. LXI.

In Belgio quis aspexit duellum nesciens esse prohibitum in Bullis Pontificiis sub pœna excommunicationis, quæsivit à me per literas, an in illam incideri? Ex part. 11. tract. 6. & Misc. 6. Resol. 27.

§.1. ET respondi negativè, ac induxi in terminis Andream Duvallium *in* 2. 2. D. Thom. *tract. de Duello, quæst.17. circa finem*, ubi sic asserit postrema pœna est eorum, qui consilium pugnandi in duello dederunt, aut qui ex composito se spectatores præbuerunt; hi enim sunt similiter excommunicati, dummodò sciverint istud esse ab Ecclesia prohibitum; nam si nescierint, essentque comparati, si scivissent ipsos pugnantes non aspicere, pœnam hanc excommunicationis, & alias non incurrerent; cùm sic non fuerint contumaces; contumacia autem ad excommunicationem incurrendam, ut supponimus, est necessaria. Ita Duvallius.

2. Probatur hæc opinio ex celebri, & nunquam obliviscenda doctrina, quam alibi ego adduxi, & quam me citato docet novissimè Martinus de San Ioseph *in Regul. Sancti Francisci, cap.16.num.41.* sic asserens: Adviertase aqui una cosa de mucho consuelo, y es, que no basta que la obra que uno haze, sepa que està prohibida, y es pecaminosa: si ignora que ultra de esto estan impuestas à los que hazen, penas de descommunion, suspension, ò inhabilidad para tener oficios, ò de privacion dellos, ò la prohibicion de pedir el debito los casados incestuosos, que si se ignoran estas penas, no se incurren. Sic Portel *in addit. ad dub. regul. verb. Ignorantia, n.21.* qui citat Navarrum, quibus adde Curiel *in* 1. 2. *quæst.76.art.5.dub.5.* Valentiam *tom.2. disp.6. quæst.6. punct.1.* Henriquez *lib.13. cap.23. num.2.* Suarez *de Censur. disp.4. sect.9. num.19.* Avilam *de Censur.* quos citat, & sequitur Diana *2.p. tract.5. Miscell. resol.12.* y porque algunos destos Auctores solamente hablan de censuras: sienten lo mismo de las demas penas. Navarrus *cap.23.num.47.& cap.27.num.16.& n.274.* Philiarchus *de officio Sacerdot. tom.1. part.1. lib.3. cap.4 §.3.* Manuel 1. *tom. sum. verb. ignorantia cap.140. num.15.* & alij, & reputat probabile Suarez 5. *tom. in 3.p. disp.4. sect.9. num.22.* & Sanchez *lib.9. de matrim. disp.32.n.21.* & Diana *p.2. tract.5. Miscell.* citat plurimos pro hac sententia. Y acerca de la pena puesta à los casados incestuosos, para que no puedan pedir el debito matrimonial, tienen lo mismo Portel *ubi supra*, Castrus Palaus, *tom.1. tract.2. disput.1. punct.17. num.8.* Y lo que mas es, que aunque la ignorancia destas penas sea vincible, y mortalmente culpable, como no sea crasa, escusa de las censuras y penas, docent Portel *in addit. ad dub. reg. verb. ignorantia, n.25.* Sanchez *de matrim. tom.3. dub.9. disp.32. num.31.* & citat Suarez, & exponit ignorantiam vincibilem, & crassam. Hucvsque Martinus de San Ioseph; qui paucis multa complectitur. Et ita hanc sententiam me citato tenet etiam Thomas Hurtadus *tom.1. tract.4. cap.8. resol.46. num.555. & resol.61. §.1. numer.814.* & me citato Baunyus *in Theolog. moral. tom.2. tract.8. quæst.18.* & me citato Marcus Vidal. *in Arca Theolog. moral. tit. de censuris Inquis.3. numero 113.* & me citato Carolus Zambertus *in Decisionibus Bononiensibus casuum conscientiæ mensis Septembris, cas.2. anni 1640.* Vide *cap. Vt animarum, de constit. in 6.* & Innocentius Papa *Epist.3.cap.1.* scribens Exuperio Tholosano, dicit, quod ignorabant Constitutionem Synesij Papæ ad Himerium Tarrac. *Epist.7. cap.7.* qua suspendebat Clericos incontinentes (utrumque refertur *cap. Proposuisti: & cap. Plurimos 82. dist.*) ne incurrerent præfatam pœnam, quamvis non ignorarent prohibitam incontinentiam jure naturali, & divino, quare solùm erit obnoxius pœnis latis jure divino, non verò latis jure humano, quod ignorat, & sic ignorans legem, & constitutionem qua imponitur pro aliquo delicto, vel excommunicatio, vel irregularitas, aut suspensio, has nullo modo incurrit. Itaque quamvis ignorantia sit vincibilis mortaliter, potest esse, & est sine contumacia, quæ requiritur ad incursionem censurarum ergo, &c.

vide doctrinam Resol. 232. & signanter, §.2. & aliarū Res. & §§. annot. dicti § ut ita faciliùs intelligas totam doctrinam hujus Resol.

RESOL. LXII.

An spectatores duelli incidant in excommunicationem?

Et in corpore hujus Resolutionis declaratur qui sunt, qui ex justa causa intersunt duello, & non peccant, neque excommunicantur, ut v. g. aliquis famulus, aut amicus, Chirurgus, & Sacerdos susceptarus confessionem alicujus moribundi, &c. Ex part. 5. tract. 14. & Misc. 2. Resol. 100.

§.1. CAsus iste frequenter potest accidere, & ad illum Hurtadus sic respondet *in* 2. 2. *tom. 2. disputat. 170. sect. 21. §. 79.* Spectatores duelli excommunicantur eodem loco Concilii, quos intelligo primùm, qui nullam justa occasione intersunt, sed sola curiositate: qui autem justam habent occasionem; ut non peccant, ita neque excommunicantur; hujusmodi autem sunt Magistratus privati, eorúmque satellites, & familiares, accepta enim à Principe facultate duellandi non potest Magistratus duellum impedire; debet autem providere, ne concitentur tumultus, aut duellatores pugnent armis inæqualibus, aut alia injustitia committatur. Item providere Sacerdotem, qui excipiat peccata alicujus moribundi, eamdem ob causam potest Sacerdos adesse excepturus confessiones, item adesse poterit aliquis famulus, aut amicus, ut accersat Chirurgum, aut Confessarium. Item poterit aliquis famulus deferens arma heri, & equum, quando id non potest omittere sine gravi incommodo. Idem si quis spectet duellum non in publico, sed occultè, & per cancellos, aut ita distans, ut non censeatur adesse præsens, non contrahit has pœnas, quia Concilium præcisè vult avertere à spectanda monomachia eos, qui ejus aspectu possunt eam fovere, quod non contingit in hoc casu, sic notat Pater Lessius *lib.4. cap 4. dub.9. num.83.* Addo præterea non contrahi has pœnas ab illis, qui fortè fortuna se

Sup. hoc & aliquibus ex contentis in hac Resol. sup. in Resol. 52. §. Dico quarto, & in alio ejus not.

Sup. hoc ibidem in fine dicti §. Dico quarto.

inveniunt in loco duelli, aut in illum incurrunt suum iter agentes, imò & qui illius conscius tendit in eum locum sola gratia videndi quæ illic geruntur, illa enim curiositas non damnatur in Concilio, quia ij spectatores comparatione duelli sunt per accidens, neque enim propter illos promovetur duellum, sed fortè impedietur multitudine spectatorum. Damnantur igitur à Concilio spectatores curiosi, qui ex condicto se offerunt certaminis spectatores & testes, hi enim duellum promovent tacita illius consensione; duellatores enim multum concitantur ad agendum de duello spe victoriæ coram illis, quibus coram enascitur jurgium, & causa duelli. Vult igitur Concilium his testibus terrorem injicere, ne conniveant in duello, sed ut illud impediant, quod patet ex usu communi, nullus enim Confessarius diligentiam adhibet, aut curat quid hac in re acciderit pœnitenti. Hæc omnia Hurtado de Mendosa *loco citato*, & 192. licèt contrarium videatur docere Filliucius *tom.2. tract.29. cap.8. num.177.* Bonacina *de censuris, disp.2. q.6. punct.1. num.30.* Floronus *de duello cap.13. n.2.* & Peregrinus etiam *de duello, in expositione Bullæ, num.29.* ubi verba ex condicto interpretantur, qui non casu, sed dedita opera duellum spectant. Vide Reginaldum *tom.2. lib.22. cap.7. n.77.* Coninch *disput.32. n.29.* Sanchez *in summa, tom.1. lib.2. cap.39. n.31.* Cœlestinum *in compend. Theolog. moral. tract.3. cap.10. num.5.* Ex dictis à fortiori apparet reprobandam esse opinionem illam, quam docet Peregrinus *q.37.* nempe eum, qui ad locum duelli causa suscipiendi accessit, afficit excommunicatione, etiamsi duellum, vel actus ad pugnam proximus secutus non sit. Vide Bonacinam *ubi supra.*

Sup. hoc ibidem.

RESOL. LXIII.

An si quis commodat arma amico volenti duellare, incidat in excommunicationem? Ex part.5. tract.14. & Misc.2. Resol.101.

§.1. SOlidè, ut semper solet, ad hoc dubium respondet Hurt. de Mend. *in 2.2. disp.170 sect.3. §.185.* ubi sic asserit: Meus amicus est pugnaturus armis bonitate inferioribus meis, aut equo minus forti, aut pernici meo; ego verò do illi meum equum & arma, an ne tenebor ob hoc lege Gregoriana? Respondeo non esse dubium me non teneri, si amicus suscipiat justè certamen illud, quem tunc possum ego ut innocentem juvare, comparatione cujus illa monomachia non est duellum, sed justa defensio. Secundò certum est me ea lege teneri, si illarum rerum donatio duellum promoveat, quia tunc est armorum subministratio, quando est causa duelli. Pontifex autem directè interdicit omnes causas duelli. Igitur si meus amicus creditur prudenter aut speratur destiturus à pugna, nisi à me illis armis muniatur, teneor ea lege, ut armorum subministrator. Si verò amicus non est destiturus à pugna, quâvis illis armis non muniatur, teneor eadem lege, si ea arma sint contra pactum duellatorum, e.g. si inter illos pactum sit cum solis ensibus, & pugionibus sine aliis armis offensivis, aut defensivis, vel cum solis ensibus, & palliis, non possum ego amico ministrare clypeum, aut pistoletum, quia est nova injustitia in illa armorum inæqualitate, quæ proculdubio ea lege continetur, omnis enim iniqua armorum subministratio illis legibus comprehenditur. Si verò arma non constituant inæqualitatem, quia pacta sunt in eadem specie, intra illam verò sunt mea meliora, quam quæ habet amicus, v.g. melior ensis, acutior pugio, fortior clypeus, tunc non teneor ea lege. Probatur, quia ea lege non continentur nisi qui peccant in armis subministrandis, omnes enim actiones à Pontifice recensitæ, sunt prohibitæ jure naturali; sed in eo casu ego non pecco, ergo neque ea lege præstringor. Probo minorem, quia ea actio non est intrinsecè mala, earum enim rerum donatio non est ex se vitiosa, quo differt à consilio, quod est intrinsecè malum, estque peccatum, licèt non sortiatur effectum. Neque item illa donatio est mala hîc & nunc; non enim est scandalum, quia ego non sum causa ruinæ amici, ille enim ruit independenter à me: mutuare autem illi instrumenta ego possum, cùm suppetit honesta causa, ille enim qui certus est solvere jejunium cibo noxio, possum ego præbere, cibum innoxium; ita amico pugnaturo cum majori vitæ discrimine propter arma periculosa, possum ego præbere arma securiora, ut discrimen vitæ sit minus. Neque item illa arma sunt causa, ut duelletur, sed ut minori cum periculo duellet amicus, ut non sunt causa cibi inoxij, ut amicus solvat jejunium, sed ut solvat sine corporis noxa. Imò si ego viderem hominem malè armatum laxis armorum ligulis, teneter ex charitate ligulas stringere. Imò si ejus inimicus incederet loricatus, alius autem inermis, certus tamen se illi periculo exponere teneor ego ex charitate illum loricare si possum, ut sic eum reddam immunem à discrimine imminente ob armorum inæqualitatem. Pontifex autem excommunicans subministrantes arma, loquitur de subministratione injusta, & quæ aliquo modo est causa, ut veniatur ad duellum, non verò de subministratione licita, & quæ nullo modo est causa, ut veniatur ad arma. Ita Hurtadus *loco citato.* Sed circa præsentem quæstionem vide etiam Floronum *tractat. de duello, cap.11. n.4. & 5.* & Peregrinum etiam *de duello, quæst.25. n.1.*

RESOL. LXIV.

An sepelientes mortuum in duello sint excommunicati?
Et an sit necessaria sententia judicis declaratoria, ne supradictus mortuus in duello in Ecclesia sepeliatur?
Et in §. ultimo hujus Resolutionis aliqui alij casu explanantur pro duello, sed jam omnes in hoc novo ordine supra in Resolutionibus proximè præteritis sunt discussi & appositi.
Et tandem quæritur, an famuli tantum scribentes chartas provocantes ad duellum, & non deferentes eas incurrant in excommunicationem? Ex part.7. tract.11. & Misc.2. Resol.44.

§.1. AD hoc dubium ita respondet Baunius *in Theol. Mor. disput.3. tractat.2. quæst.19.* ubi sic ait: Dico secundo, qui precibus aut sepultura monomachos impertiunt, nusquam locorum excommunicatos esse.

2. Causa est, quod Ecclesiastica vincula, nullum stringant, ob sui cum præciso consortium, nisi de nomine, publicáque omnium aut majoris civium conscientia sit talis, ut ex decreto PP. in Constantiensi Concil. Doctores colligunt, quibus hoc statuere visum ad communem salutem, *in extravag. ad evitanda*; nemo ut deinceps teneatur aliquem ratione alicujus sententiæ, vel censuræ, vitare in Sacramentorum receptione, vel administratione, vel aliis rebus externis, nisi hæc in eum specialiter sit publicata aut denunciata, vel nisi pro sacrilega manuum in Clericum injectione, eum sententiam latam à Canone, adeò notoriè constiterit incurrisse, ut nulla possit tergiversatione celari. At nec è superiori loco, unquam dicta est excommunicationis sententia in monomachum

homachum, nec eundem invisum esse Ecclesiæ, Deo, & hominibus constitit, vllo superioris decreto, cujus exemplar, è templi valvis, aut fori publici columnis, pendens, populo notum fuerit, ergo quæ per preces, aut sepulturam, intercedit cum eo communicatio, excommunicationi ac censuræ non cohæret.

3. Addo amplius, nullibi ne quidem iis in locis, vbi sunt Pontificum promulgata diplomata, videri vetitum in conflictu singulari mortuum mandare terræ, antequam id judicis mandata vetent, quia ut est *in q. proximè præced.* dictum, pœnæ quæ jure acquisito hominem exuunt, incurri non solent ante sententiam judicis, declaratoriam criminis ob quod subiit debent Sanchez, *tom. 1. in Decal. lib. 2. c. 39. & 7. de matr. disp. 13.* Filliuc. *tr. 29. c. 9. n. 178.* at fidelibus, hoc ipso quod eos Christus Dominus per baptismum in familiam asciit suam, jus ad sepulturam Ecclesiasticam competit, quo privari sine culpa aliqua sua, non patitur æquitas, dum ergo è tribunali judex non loquitur; dum ab occiso pœnas non repetit, in tumulum illum majorum inferri, conscientiæ salvo incolumique jure nihil vetat. Et tandem quibuscum dum viverent agere catholico licuit, licet & cum mortuis, sed cum tolerato ab Ecclesia congredi licet. Ergo.

4. Sed doctrinam Bauny ita absolutè prolatam aliqui non admittunt, nempe esse necessariam sententiam Iudicis declaratoriam, ne mortuus in Ecclesia sepeliatur; & ideò asserunt cum Peregrino, *tract. de Duello, q. 7. n. 3.* Quod si notorium esset, mortuum in conflictu deliquisse contra præsentem Constitutionem Clem. VIII. nullo pacto deberet sepeliri in loco sacro: quia jam incidit ipso facto in pœnam: nec exigitur actus Indicis ut executioni mandetur: & sic est usus Ecclesiæ.

5. Si verò non esset notorium deliquisse, dato quòd per sufficientes testes probari posset, & dato quòd factum esset publicum, non debet Parochus publicè denegare mortuo Ecclesiasticam sepulturam, cùm non sit notorium deliquisse contra præsentem extravagantem nec decessisse in notorio peccato mortali.

6. Nec debet sepelire eum, sed rem totam deferrè ad superiorem Ecclesiasticum, nempe Episcopum, vel ejus Vicarium, qui summariè capta informatione sententiam ferat.

7. Verum sententiam Bauny videtur docere Castrus Palaus, *tom. 1. tr. 6. disp. 5. punct. 7.* vbi postquam, *n. 17.* enumerasset pœnas inflictas morientibus in Duello, & inter illas privationem Ecclesiasticæ sepulturæ; tandem ex Sanchez, *num. 21.* sic ait: Adverte reliquas pœnas præter excommunicationem, suspensionem, & interdictum relatas in supradicto decreto Trident. & Bullis Pontificum indigere sententia judicis saltem declaratoria criminis, ut incurrantur. Quod de infamia, proscriptione bonorum, amissioneque loci, in quo duellum committitur, est certum, cùm privent jure acquisito. Et idem est ob eandem rationem de inhabilitate ad beneficia obtenta. At de inhabilitate ad beneficia, & officia obtinenda probabile reputat cum Mol. & Navarr. similiter indigere sententia judicis, quia non est usu receptum absque illa incurri.

8. Notandum est tamen hìc obiter Trullenchum, *in Decal. tom. 2. lib. 5. c. 2. dub. 13. n. 22.* me citato aliquos casus enumerare in quibus in materia Duelli excommunicatio non incurritur, itaque sic asserit. Addit Diana se consultum respondisse, non incidisse in excommunicationem, quendam qui offensus à N. illum provocavit ad Duellum certo loco, & tempore, &c. non tamen habebat animum pugnandi, & certò sciebat pugnam non esse sequuturam, quia amici erant illam impediturí, sed hoc tantùm faciebat, ad satisfaciendum honori læso, asseritque ita docere Filliucium, *tom. 1. tr. 15. c. 5. n. 115.* in casu strictiori, nempe etiam si venirent in locum designatum, sed amici vtriusque istos conventos reciperent in se; dummodo prius duellantes, de hoc securi essent, & animum pugnandi non haberent. Idem Diana *part. 2. tr. 6. misc. resol. 1.* cum Naldo asserit non incurrere in excommunicationem, provocantem aliquem, non animo pugnandi, sed honorem defendendi; nec qui ad inimicum accedit arguendo illum mendacij, si sustinere voluerit, quod sibi relatum fuit, etiam si hoc dicendo, manum ensi apponat. Item qui ex occulto spectat duellum; nec qui accessit ad locum animo aspiciendi, si duellum non fuit sequutum, nec qui legit scripta, aut habet ratum duellum suo nomine factum, nec qui consulit duellum, si fecit quod potuit, ad revocandum consilium etiam si non revocaverit. Nec qui narrat aliquod factum prævidens aliquos inde arrepturos occasionem provocandi se ad duellum. Nec famulus literas scribens, vel deferens, si aliàs ei immineret periculum mortis, vel alterius gravis nocumenti. Quæ omnia probabiliter admitti possunt præter vltimum, quia videtur intrinsecè malum. Hucvsq; Trullench; non desinam tamen admotare hunc vltimum casum à Trullench reprobatum approbare Cœlestinum, *in Compen. Theol. Moral. tr. 3. c. 10. in fine*, vbi tenet famulos tantum scribentes chartas provocantes ad duellum, & non deferentes eas, non incurrere excommunicationem, si id faciunt gravi metu mortis, aut alterius notabilis detrimenti periculo perculsi, qui verò prædictas chartas deferunt spontè, sunt inexcusabiles, ideoque innodantur excommunicatione.

Sup hoc in fine Resol. not. præteritæ, &c.

Quæ hic est sup. Resol. 52. in principio.

Sup. hoc ibidem, §. Dico secundo.

Sup. omnibus casibus seq. in hoc §. supta in Resol. 52. in §§. per hunc ordinem videndis in §. Dico quarto. Dico quinto. Dico sexto. Dico septimo. Dicò decimo. & §. vlt. & in aliis eorum annotationum.

RESOL. LXV.

An, si in ipso conflictu duelli sit aliquis vulneratus, & in eodem die, vel alio postea moriatur, privari debeat Ecclesiastica sepultura tanquam mortuus in excommunicatione duelli? Ex part. 2. tract. 16. & Misc. 2. Resol. 52. aliàs 54.

§. 1. Affirmativam sententiam docet noster P. Peregrinus, *in suo tr. de duello q. 7. n. 4.* quia in eodem conflictu dicitur mori, qui ex vulnere habito in conflictu moritur, sicut Ecclesia dicitur sanguine polluta, si quis in Ecclesia est vulneratus; licèt sanguinem non effundat in Ecclesia, sed extra illam.

Sup. hoc in Resol. seq. in fine §. Verum, & inf. in resol. 67. & 68. & in tom. 8. tr. 8. resol. 5 §. vlt.

2. At huic doctrinæ non assentior, & discedo ab opinione viri doctissimi, & amicissimi, qui pœnam Concilij Tridentini, vltra rigorem literæ extendit. Et ita nostram sententiam docet Sancius, *in selectis, disp. 36. n. 9.* qui respondet ad argumentum Peregrini. Cùm igitur verificetur satis literæ proprietas, appositæ in Concilio, negando sepulturam decedenti in ipso loco duelli, non oportet hujusmodi pœnam extendere, ut inflictam quoq; illis, qui ex vulnere in duello illato decedunt, licèt vivi discesserint à loco conflictus.

RESOL. LXVI.

An, si quis in duello percussus lethaliter, decidat in terram, & signa contritionis ostendat, sed ex defectu Confessarij non fecit confessionem, & mortuus est, possit sepeliri in loco sacro, vel censendum est, quod moriatur excommunicatus, & in peccato publico?

Et quid si moriatur vnum, aut alterum diem post duellum?

Et deducitur, quod si quis decedat ex facinoroso actu, si

tamen in vltimo vitæ, seu puncto mortis ostendat signa contritionis, non debet privari Ecclesiastica sepultura.

Et an pro illo, qui mortuus est in duello, (modo quo supra) cum signis contritionis, sepulto tamen extra Ecclesiam, & non in loco sacro, possit quis offerre Missam?

Etiamque docetur, quod excommunicato non denunciato potest applicari Missa, si ostendat signa contritionis, aut si mortuus est in iis. Ex part. 4. tract. 4. & Misc. Resol. 192.

Quamvis non plenè sup. hoc lege tamen. inf ex Resol. 109. §. 1. in fine, vers. mas si no va absuelto.

§. 1. AFfirmativam sententiam docet novissimè Laurentius Portel, *in respons. moral. part. 3. cas. 10. num. 3.* quia licèt Concilium Tridentinum, *sess. 25. cap. 19. de reform.* jubeat, ut moriens in duello non sepeliatur in loco sacro in pœnam delicti; tamen respondetur prædictam legem Tridentini esse pœnalem, ut patet, & proinde strictè intelligendam provt verba sonant; cùm ergo dicat privandum sepultura Ecclesiastica morientem in duello, videtur in illa non comprehendi hunc casum, de quo loquimur, quia non est mortuus in duello, sed finito duello, & mortuus est cum signis contritionis. Et propterea loqui videtur Tridentinum de illo, qui moritur in duello, cum claro peccato mortali sine signis contritionis; hic verò obijt cum signis contritionis. Ita Portel.

2. Sed hanc opinionem refellit Homobonus, *in consult. cas. conscien. tom. 2. part. 7. respons. 64.* qui citat Riccium, quibus ego addo à fortiori Ioannem Sancium, *in selectis, disp. 36. num. 9.* vbi asserit. Duellantibus si in loco conflictus morerentur, quamvis ibi essent ministrata sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, non esse concedendam Ecclesiasticam sepulturam: constat, quia semper verificatur in loco conflictus decessisse, ut vult Tridentinum, nec refert quidquam, quòd major, vel minor mora intercesserit inter mortem, & cessationem pugnæ; cùm semper verificetur decessisse in duello. Ita Sancius; sed adversùs illum possit quis in favorem Laurentij Portel. asserere Concilium Tridentinum prohibere ne Ecclesiastica sepultura concedatur decedentibus in ipso conflictu duelli; sed in nostro casu, licet talis moriatur in loco duelli, non tamen moritur in ipso conflictu, ut patet, quia post finitum duellum ostendit signa contritionis, vel confessionem fecit cum Sacerdote, & Eucharistiam sumpsit. Dicendum ergo est non incurrere in pœnam Concilij Tridentini: quod quidem Concilium dicendum est statuere in illis verbis, *id, quod de jure communi statutum erat*, nempe in peccato mortali publico morienti, ut moritur, qui in ipso conflictu duelli moritur, denegandam iri Ecclesiasticam sepulturam: sed ut dictum est, in nostro casu moriens non moritur in ipso conflictu, sed finito conflictu, ac proinde non moritur excommunicatus, & in peccato publico, imò contritus, & confessus. Ergo non includitur in tali prohibitione. Et ideo Abbas *in cap. cum ad Monasterium, num. 15. de statu Monach. & Regul.* deducit ex glossa, quòd si quis decedat ex facinoroso actu, si tamen in vltimo vitæ, seu puncto mortis ostendat contritionem non debet privari Ecclesiastica sepultura.

Sup. hoc in tom. 8. tr. 8. res. 5. cursim paulò post initiū.

3. Verum his non obstantibus ego puto tenendam esse sententiam affirmativam Sancij *capite 1. de torneamentis*, vbi sic habetur, *quòd si quis eorum ibi mortuus fuerit, quamvis ei poscenti pœnitentia non negetur, Ecclesiastica tamen careat sepultura.* Ita ibi, & licèt textus loquatur de torneamentis, detestabilior est duellorum vsus, quàm torneamentorum, nam in hoc fine ostentandi vires congrediuntur torneamentantes, in duello verò occidendi ad invicem, & ita sententia Sancij contra Portel. determinatur in Rituali Romano Pauli V. *rubrica de exequiis*, vbi sic habetur: *Negatur Ecclesiastica sepultura morientibus in duello, etiamsi ante obitum dederint pœnitentiæ signa.* Sic ibi: vide etiam Barbosam, *in collect. tom. 2. tit. 13. cap. 1. num. 7.* hæc tamen opinio non procedit, si quis moriatur vnum, vel alterum diem post duellum, nam, ut alibi *in part. 2. tract. 16. resol. 54.* contra Peregrinum Quidiximus, in tali casu quis non moritur in loco duelli, sed ex occasione duelli; vnde clarum est non ineludi in Concilio Tridentino, neque in Rituali Pauli V. & ideo talis potest sepeliri in loco sacro; licèt probabiliter etiam contrarium doceat Homobonus, *vbi suprà.*

4. Sed hîc oritur pulchra quæstio, an si pro illo, qui mortuus est in duello, modo quo suprà, cum signis contritionis, sepulto tamen extra Ecclesiam, & non in loco sacro, possit quis offerre Missam? Videtur negativè respondendum, quia talis moriens in publico duello mortuus est excommunicatus per multas excommunicationes positas à Comitolo *in resp. mor. lib. 6. quæst. 13.* & aliis: sed orare non licet pro publicè excommunicato oratione publica, qualis est Missa, juxta D. Thomam, *in 3. part. quæst. 79. art. 3.* & alios, ergo. Sed ego contrariam sententiam teneo cum Portel. *vbi suprà num. 2.* Primò, quia licet talis publicè in excommunicationem incurrerit; non fuit tamen nominatim declaratus excommunicatus, neque talem excommunicatum non denunciatum tenemur vitare in communicatione spiritualium, vel temporalium. Secundò, quia talis non est mortuus clarè in peccato mortali, nam licèt duellando peccaverit mortaliter, tamen post duellum signa dedit contritionis. Ergo dicendum est non fuisse mortuum in claro peccato mortali; poterit igitur pro illo oratione publica orari. Et hanc sententiam tenet Navarrus, *in manuali, c. 27. n. 36.* & in terminis *tract. de Orat. c. 19. concl. 6.* docet, quod excommunicato non denunciato potest applicari Missa, si ostendat signa contritionis, aut si mortuus est, in iis, ob quæ credo illum mortuum esse extra peccatum mortale, quod etiam docet ex Societate Iesu Henriquez, *lib. 9. c. 15. num. 3.* & Reginaldus, *tom. 2. lib. 32. tract. 1. sectione 2. numer. 76.*

RESOL. LXVII.

An qui à duello vno, vel altero die supervixerunt, aut etiam vna hora, & confessi sunt, possint in loco sacro sepeliri?

Et an Episcopus, si æquum judicaverit, possit cum his contritis, & confessis dispensare, ut sepeliantur in loco Sacro; vel an possint in suprà dicto casu sepeliri absque vlla Episcopi dispensatione. Ex part. 5. tract. 3. Resol. 141.

§. 1. NEgativam sententiam docet Duvallius *in 2. 2. D. Thoma, tr. de charitate, q. 17. art. 1. circa finem*, putat tamen, Episcopum justis de causis, & attenta contritione & absolutione quam consequutus est, posse in hoc dispensare: quamvis enim hujusmodi prohibitiones sint à Conciliis & à Sum. Pontificibus, quia tamen tantùm fit mentio eorum, qui in duello obierint, & non eorum, qui post duellum mortui sunt, nec etiam quòd pro hac sepultura & Resp. aliis in Ecclesia pro defunctis fieri solitis, recurrendum sit ad Sum. Pontificem, poterit ipse Episcopus si æquum judicaverit, cum iis contritis & confessis dispensare. Ita Duvallius. Sed ego absolutè affirmativam sententiam sine vlla Episcopi dispensatione docui *in 2. part. tractat. 2. Miscellan. resolut. 54.* & in Quæ

fortiori casu quid faciendum, quando quis contritus

vel

vel confessus decedat in loco conflictus, vide meip-
sic est sum *in 4. part. tr. 4. resol. 192.*

RESOL. LXVIII.

In Jubilæo annî Sancti 1650. Romæ in conflictu duelli quis accepit vulnus lethale, ex quo post aliquot dies mortuus est, quæsierunt tunc à me an privandus esset Ecclesiastica sepultura? Ex part. II. tr. 6. & Misc. 6. Resol. 26.

ac in §. 1. Affirmativam sententiam docet Thomas Huntadus *Var. t. 2. tr. ult. res. 5. §. 6. num. 196.* ubi sic ait: Addo cum gravissimis Doctoribus, quod si quis certantium obierit ex vulnere in duello accepto, taliter quod evidenter constet ex illo obiisse, etiamsi Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ acceperit, non debet humari Ecclesiastica sepultura; nam moritur ex vulnere in Duello accepto, & mori in Duello dicitur. Bonacina, & Peregrinus adduut, (& est contra Ioannem Sancium, *num. 9.*) hanc doctrinam veram tenere, etiamsi mors sit postridie Duellum; nam verè dicitur in Duello mori, qui tale vulnus in Duello accepit, ex quo, nisi interveniente miraculo, superstes esse non potest. Idem tenet Hurtado §. 177. ubi ait: Quod si vulnus lethale sit, aut hominem reddat ineptum actionibus humanis, ut omnino desperetur ejus salus, hîc censetur in ipso conflictu decessisse, etiamsi post duos aut tres dies, quia tota causa mortis fuit. Neque hoc est extendere verba Concilij, sed in sua propria significatione accipere, si enim quis in loco conflictus moritur, & si ibi recipiat Sacramenta, non debet sepeliri in loco Sacro, ut tenet Sancius ipse: ergo neque etiamsi extra locum conflictus moriatur, si moriatur ex vulnere lethali in Duello accepto, mortem, nisi miraculo, necessario inducente: nam quod sit in loco conflictus, vel extra, nimis accidentale est, & quod per se attenditur, est, quod moriatur in Duello, quod tunc fit verè, & propriè quando moritur ex vulnere lethali, ut diximus. Sicut sanguine dicitur pollui Ecclesia etiamsi in Ecclesia, accepto vulnere, sanguis extra Ecclesiam fundatur. Neque obstat quod Concilium Lateranense *c. 1. de Torneamentis*, dicat, si ibi moriatur; nam hæc verba accipi debent secundum usum communem secundùm quem dicitur in Duello mori, qui ex illo ita lethaliter vulneratus exivit, quod vivere, citra miraculum, nequeat. Benè verum est, quod si vulnus ita lethale non sit, quod aliquis vitæ locus relinquatur, juxtà Chirurgorum informationem, quamvis ex illo decedat, poterit loco Sacro sepeliri. Hucusque Hurtadus; qui poterat alios Doctores pro sua sententia adducere, & hi sunt, Bordonus *t. 2. res. 31. n. 111.* Lavorius *in Var. elucubr. tit. 2. cap. 12. n. 26.* Samuellius *de Sepulturis, tr. 2. concl. 8. n. 12.* Thesaurus *in Praxi, part. 2. cap. 3.* & Bicchius *in Promptuario Confessar. part. 2. cap. 18. §. 9.*

2. Sed ego de proposito casu interrogatus tunc negativè respondi secundum sententiam, quam olim docui, & postea me citato docet Lezana *in summa tom. 3. verb. Duellum, num. 14.* & me citato Bassæus, *verb. sepultura, num. 5.* & me citato Carafa *de Duello, tr. 2. sect. 3. quæst. 19. n. 9.* & me citato Vidal *in Arca Theol. mor. tit. de Duello, inspect. 6. n. 46.* & me citato Baucius *in Miscellan. tr. tom. 1. q. 438. petes 8.* & me citato Barbosa *in Collect. Concil. Trid. sess. 21. cap. 19. n. 2. de reformat.* Idem à fortiori docet Possentius *in Recoll. qq. Mor. verb. Duellum n. 6.* Mancinus *in Pract. de infirmis in ordine ad Sepulturam n. 34.* Trullench. *de jure Parochi c. 9. dub. 7. n. 7.* Machadus *tom. 1. l. 2. p. 3. tr. 17. docum. 5. num. 10.* & Remigius *in Pract. confess. tr. 2. cap. 5. §. 1. num. 11.* ubi sic ait: Fuera de la discomunion que incurren los desafiados, quedan tambien privados de la Ecclesiastica sepultura, constando notoriamente que alguno murio en el cõflicto, dixe constando notoriamente, porque si no constasse assi, no le deven negar publicamente la sepultura: Pœna enim publica, haud infligenda est, nisi ob peccatum publicum; y si à caso quedasse alguno mortalmente herido en el lugar del desafio, y del le sacassen, y muriesse confessãdes de contricion, no deve ser privado de la Ecclesiastica sepultura; porque el Concilio solamente priva della à los que en el mismo confl cto murieren. Ita ille; cui adde iterum me citato Lezanam *Consul. 49. n. 3.* loquentem de casu speciali hujus Resolutionis, de quo ego ut dixi interrogatus fui. Non sunt igitur Duellantes in tali casu privandi Ecclesiastica sepultura.

3. Sed de hac quæstione liberos esse in Gallia, & Germania tradit Stephanus Baunyus *in Theol. moral. tom. 2. disp. 3. tr. 2. quæst. 19. §. dico tertio*, ubi sic ait: Qui reos violatæ legis Ecclesiasticæ de monomachia, terræ in Francia mandant cum apparatu Ecclesiæ consueto, aut fato functos, Deo publicè in Sacrosancto Missæ Sacrificio commendant, nulla citra scandalum, aut prohibitionem Episcoporum, culpa se impiant. Probatur, si quam admitterent, ei haud dubiè initium esset à violatione legis Ecclesiasticæ de pugilibus, ut vivis, sic mortuis aversandis ob censuram, in cujus se laqueos pugnando inruere, vel certè quia per quam est turpe, pro eo, quem mors deprehendit in mortali scelere, preces fundere. At ut est hoc postremum ambiguum (nam momenta temporum, quis novit? Quis animæ ad Deum redeuntis subitos motus? Quis de admissis pœnitentiæ salutares aculeos? Quis instinctus?) ita certum est alterum, leges de monomachia Pontificias in Gallia esse incognitas. Sint hæc indicio. Primò, quod in Vrbem, absolutionis impetrandæ causa, pugiles non mittantur. Exindè quod eorum attactu cùm sunt mortui, qua si in pestifera contage, nec homines, nec religiosæ, Deoque sacratæ ædes, cum in ea sunt illati, censeantur pollui. Tertiò, quod palam, ac in omnium oculis, mortui tam suis id est gentilibus, quam alienis tumultis soleant inferri, Episcoporum miro silentio, nisi cùm id ipsæ lege prohibuere synodi; ergo cùm lex quæ promulgata, aut recepta non est, obligandi facultate careat, ut sunt omnes de monomachis in Gallia, non erit earum trangressio, prout sunt leges quædam Ecclesiæ, lethaliter culpabilis; nec proinde rei sceleris sunt futuri, qui, quod est Romæ, aut in Italia prohibitum, ejusdem homines honore sepulturæ dignabuntur, aut precum, Portellius *part. 3. cas. 10. conclus. ult. num. 3.* dicat aliquis quî verè constat, & unde, citatas Bullas, hîc omni vi, roboréque destitutas, ob earum non receptionem in Gallia. Primò, quia incertum est, an unquam populo spectandæ præstiterint, aut ei ab Episcopis, aut aliis eorundem imperio significatæ fuerint. Secundò, quia earum nullus est, aut fuit hactenus usus toto Regno: quæro enim quando, & ubi dictum aut auditum sit unquam hîc (hoc est Parisiis) aut vicinis circa oppidis, exhumata defunctorum in Duello corpora? quando reconciliatæ Ecclesiæ? quando cæmeteria? quæ eorum fuissent polluta attactu, ut fieri debuisset haud dubiè, si de monomachis scriptæ leges à Pontificibus, vigerent in Gallia? quare quod de Germania scripsit Layman *l. 3. tr. 3. part. 3. c. 5. n. 4.* dici potest pariter de aliis Provinciis, ac Septentrionales (verba sunt ejus) seu ob ignorantiam, seu quia Constitutiones illæ secundùm hunc sensum promulgatæ, & in usum deductæ non sunt, à censura excusari. Hucusque Baunyus: Sed quidem nimis laxe: Vnde non gravabor adversus Gallum, alterum Gallum

oppo

opponere, & is est doctus & pius Andreas Duvallius Professor Regius inclyti musæi Sorbonici, *ubi supra, in 2. 2. D. Thoma, tr. de charitate q. 17. in fine*, ubi sic asserit: Quæret aliquis, an hæ pœnæ tantùm incurrantur in publicis Duellis, quæ fiunt cum authoritate Principis, cum Patrinis, sociis, & omnibus qui interesse volent spectatoribus, nec non cum loci & temporis determinatione, cæterisque cæremoniis in his talibus Duellis observari solitis: an etiam in privatis, quæ cum sola provocatione, absque ullis cæremoniis, patrinis, & spectatoribus fiunt. Respondeo, in privatis Duellis has pœnas similiter incurri, ut patet ex Bulla Gregorij XIII. quæ incipit, *ad tollendam detestabilem*, promulgata 13. Decembris anno 1582. & ex altera edita à Clemente VIII. quæ quamvis non sint in Gallia promulgatæ, sunt tamen usu receptæ (quod ad inducendam legis obligationem, promulgatione sola præstat) eo quod Duella ipsa sub pœnis capitalibus prohibentur, nec non sub proscriptione omnium bonorum, atque etiam perpetuæ infamiæ, itemque sepulturæ privatione; quod non fieret, si tota Gallia non annueret, aut sentiret, ipsos Duellantes privatos, esse de facto de excommunicatos. Ita Duvallius. Vnde ego rectè, his diebus interrogatus, damnavi eos qui in Gallia Ducem de Nemours in Ecclesia sepelierunt, qui tamen mortuus erat in Duello inito cum Duce de Beauffort.

4. Ad id verò quod de Germania tradit ex Layman Pater Baunyus *ubi supra*, respondeo, quod amicissimus & sapientissimus Pater Arriaga *in Cur. Theol. t. 5, disp. 49 sect. 3. n. 20.* nominatim Layman impugnat, & firmat Bullas Pontificias Gregorij XIII. & Clementis VIII. esse in vigore in Germania cum eorum pœnis. Et quidem Clemens VIII. directè loquitur contra Regiones Septentrionales; sic enim ait, Verum, quia cum magna animi nostri molestia intelleximus adhuc in quibusdam, præsertim Transalpinis ac remotis regionibus, & potissimum ubi bella vigent, &c. nos nefaria Diaboli arma, &c. & paulò post: Insuper auctoritate & tenore præmissis decernimus & declaramus, easdem constitutiones ac decretum locum habere ubique gentium, & terrarum inter quascumque personas etiam armatas, & in castris seu propugnaculis militantes, etiam ubi nostrorum, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, aut fidei Catholicæ hostium furor impunè grassatur, vel in dominiis per eos occupatis, & detentis. Hæc Pontifex. Vnde ex his refellendus venit Marcus Vidal *in Arca Theol. mor. tit. de Duello, inspect. 6. n. 49.* Sed ipse loquitur stante attestatione Layman.

RESOL. LXIX.

An excommunicatus toleratus moriens sit privandus Ecclesiastica sepultura, si publicè innotuerit fuisse excommunicatum? Ex part. 5. tr. 3. Resol. 140.

§. 1. Affirmativam sententiam docet Avila *par. 2. cap. 6. disp. 9. dub. 6. & disp. 4 dub. 8. concl. 2.* & novissimè hanc sententiam docet in sua erudita tractatione de Monitoriis Theophilus Raynaudus *par. 2. c. 3. n. 7.* ubi sic ait. Est admodum probabile quoscumque excommunicatos, etiam dum viverent toleratos, nunc quoque post Martini V. decretum prohiberi sepultura in loco sacro, dummodo tamen publicè innotuerit eos fuisse excommunicatos; nam jure antiquo hæc pœna cadebat in excommunicatos toleratos; nec potest negari quin sit bonum quoddam, nec exiguum mortuorum, ut in loco sacro condantur. Sed Ecclesia non intendit ullum favorem excommunicato ipsi præstare, quando indulsit ne vitaretur, ergo, &c. Sed ego puto non esse recedendum à negativa sententia, quam tuetur Suarez *in 3. part. tom. 5. disp. 13. sect. 4. num. 4. & tom. 3. disp. 81. sect. 4.* Henriquez *lib. 13. cap. 7. num. 2.* Toletus *lib. 1. cap. 13. n. 10.* Gutierrez *in qq. Can. lib. 1. cap. 1. num. 30.* Ricciullus *de jure pers. lib. 4. cap. 60. num. 4.* licèt novissimè sententiam Raynaudi doceat etiam Blondus *de censuris disp. 4. art. 14. asser. 3.*

Sup. hoc in res. seq. & infr. in res. 209. §. 1. in fine, quamvis ibi non distinguitur inter excommunicatum toleratum, vel non toleratum, lege ibi vers. mas si no va absuelto.

RESOL. LXX.

An sub prohibitione cap. Sacris, & Clem. 1. de sepult. *ne excommunicati sepeliantur in loco sacro, excludantur excommunicati tolerati?*

Et advertitur, quod non polluitur Ecclesia sepeliendo excommunicatum, nisi sit ille vitandus. Ex part. 5. tr. 9. Res. 97.

§. 1. Prima sententia absolutè docet omnes publicè excommunicatos ea comprehendi. Ita Cajet. *ver. excommunicatio, cap. 46.* & quidam alij. Secunda absolutè negat toleratos ea comprehendi. Ita Suar. *disp. 22. sect. 4. n. 5.* Navarr. *cap. 17. num. 247.* Henriq. *lib. 13. cap. 7. num. 2. & cap. 11. num. 13.* Ratio est, quia prohibitio sepulturæ immediatè dirigitur non ad mortuum, qui ejus est incapax, sed ad vivos, qui jam non prohibentur communicare cum toleratis. Tertia sententia est media, docétque prohiberi tales sepelire in loco sacro, quia hoc directè cederet in eorum favorem, tamen contra facientes non incurrere censuram, quia jam licèt nobis cum iis communicare, nisi fortè alij sepeliantur hæretici, quos absolutè sine respectu ad excommunicationem *cap. quicunque, citato*, prohibemur sepelire loco sacro. Ita Avila *2. p. cap. 6. disp. 9. dub. 6. §. ad primum, vers. per hæc patet*, juncta *disp. 10. dub. 1. concl. 3. sub fin. & dub. 6. concl. 3.*

2. Verùm ego puto adhærendum esse prorsus secundæ sententiæ, & ita præter DD. citatos, docet Mercetus *de Sacr. in 3. p. q. 21. dub. 7.* Turrianus *lib. 2. disp. 11. dub. 3.* Filliucius *tom. 1. tr. 12. c. 4. n. 106.* Cornejo *in 3. p. tr. 5. de excomm. disp. 10. §. 8.* Gordonus *lib. 7. tom. 2. q. 8. c. 3. n. 38.* qui benè advertit, quòd non polluitur Ecclesia sepeliendo excommunicatum, nisi sit ille vitandus.

RESOL. LXXI.

Qui sunt illi, qui sepelientes excommunicatum in loco sacro incurrunt excommunicationem?

Et an qui excommunicatos, etiam hæreticos notorios, sed non denunciatos in loco sacro sepeliunt, incurrant excommunicationem?

Et an locus sacer sepulturâ excommunicati, aut hæretici nondum denunciati violetur? Ex part. 5. tr. 9. Resol. 98.

§. 1. In Clement. 1. *de sepult.* sic habetur. *Qui propria temeritatis audacia in cœmeteriis excommunicatos publicè, aut nominatim scienter sepelire præsumunt, &c. nullatenus absolvantur, &c.* Vnde videtur comprehendere nedum actu deferentes cadaver ad sepultoram, sed etiam eos, qui propria authoritate faciunt sepelire in loco sacro, juxta *cap. mulieres, §. illi verò, de sententia excommunicationis*, per illa verba. *Cum committat verè cujus authoritate, vel mandato delictum committi probatur*, & Faber *de censur. in 4 sent. dist. 25. quæst. 1. disp. 4. cap... n. 188.* putat tutiorem esse illam sententiam, quæ extendit hanc censuram ad comitantes, cantantes, deferentes crucem, fossores sepulturæ, portatores cadaveris, & similes. Verùm multi volunt

volunt eos solos hanc pœnam incurrere, qui propriis manibus cadaver fossæ imponunt, quia hi soli propriè dicuntur sepelire, & verba pœnam importantia in rigoroso sensu sunt accipienda. Ita Cajetan. *ver. excommunicatio, c.*46. Navar. *c.*27. *num.* 137. & alij: ob quorum auctoritatem hæc sententia videtur non esse improbabilis, & verba legis in rigore possent hu jusmodi accipi. Quid ego sentiam accipe. Dico igitur per eos, qui sepeliunt, etsi in rigore, qui propriis manibus tradunt sepulturæ intelligi videantur; attamen ex consueto vsu comprehenduntur etiam mandantes, non autem comitantes, & alij qui deferunt crucem, & lumina, vel etiam cantant, propriè enim hi non dicuntur sepelire. Nec etiam cooperantes remotè, aut negative, quia scilicet non impediunt, cùm possent, nisi favor tantus esset, ut jure dicerentur auctores. Et ita docent Suarez, *disp.*12. *sect.*4. *n.*10. Coninch *de Sacram. disp.*14. *dub.*8. *n.*68. Filliuc. *tom.*1. *tr.*12. *c.*5. *n.*111. Mercerus, *de Sacram. in* 3. *p. q.*21. *dub.*7. & Megalius, *in* 3. *p. lib.*2. *c.*6. *q.*1. *n.*15. vbi asserit ligari hac excommunicatione eos, qui sepelire faciunt, cujusmodi sunt hæredes, aut consanguinei, ad quos hoc pertinet, & Rectores atque Clerici Ecclesiæ, vbi cadaver sepelitur, nam & ipsi sepelire dicuntur, quamvis propriis manibus hoc non faciant, ut probatur *ex cap. ad hæc, de privil.* vbi hospitalarij, de quibus ibi, sepelisse dicuntur, & tamen non est verisimile, hoc illos fecisse propriis manibus. Nam quamvis mandantes regulariter non comprehendantur in censura lata contra facientes, tamen comprehenduntur quando alioquin esset frustratoria, vel quasi, ut probatur *ex c. si civitas, de sent. excomm.* Verùm sententiam Cajetani & Navarri, non puto improbabilem, quam ex Henriquez, & Avila docet etiam Bonac. *de cens. disp.*2. *q.*2. *punct.*3. §. 3. *n.*8.

2. Non desinam tamen hîc adnotare aliquos docere quòd qui excommunicatos, etiam hæreticos notorios, sed nondum denunciatos, in loco sacro sepeliunt, non incurrunt excommunicationem *Clem.*1. *de sepulturis*, latàm adversùs eos, qui excommunicatum scienter sepeliunt, neque incurrunt excommunicationem, *cap. quicumque de hæretic. in* 6. latam contra eos, qui hæreticos, eorúmque fautores, &c. scienter in loco sacro sepeliunt; denique neque locus sacer sepultura excommunicati, aut hæretici nondum denunciati violatur. Hæc est communior, quam leges apud Navarr. *c.*27. *man.n.*137. Henriquez, *lib.*13. *c.*11. §. 3. Ægid. *tom.*3. *disput.*14. *in fine*, *dub.*10. Avilam, *part.*2. *c.*6. *disp.*10. *dub.*6. Nam eo ipso quòd tales vitandi non sunt, sed tolerati, nulla ex ipsorum communicatione à fidelibus, aut sacris locis censura incurri potest, & ita etiam docet Layman, *lib.*2. *tract.*5. *part.*2. *c.*4. *n.*8.

RESOL. LXXII.

An Hæreticus non denunciatus possit absque incursione excommunicationis in Ecclesia sepeliri?

Et an hoc extendatur ad Hæreticorum fautores, & defensores?

Et an peccent, qui cum Hæreticis quibuscumque non denunciatis simul orant, vel concionem sacram, aut Missam audiunt?

Et an Ecclesia, in qua sepelitur Hæreticus, (modo quo supra,) aut excommunicatus non denunciatus, remaneat polluta?

Et notatur, quod si aliquis reperiretur mortuus in puteo, vel laqueo suspensus non est statim privandus Ecclesiastica sepultura.

Et aliqua alia docentur, quæ contingere possunt in supradictis casibus. Ex part. 9. tract. 8. & Misc. 3. Resol. 11.

§. 1. Affirmativam sententiam docet Henriquez, *lib.*13. *cap.*11. *n.*3. vbi sic ait: [Prohibentur Christiani propriis tantùm manibus deponere in sepulchro loci sacri cadaver ejus, qui fuerat publicè denunciatus, & incurrunt excommunicationem majorem, si id scienter præsumant. Si tamen denunciatus non fuerat, non peccat sepeliens: quia sepultura pertinet ad divinum Officium, in quo tunc tantùm peccat, cùm inducit excommunicatum non paratum: in proposito autem constat, non peccare cadaver defuncti. Sub eadem excommunicatione prohibetur sepelire Hæreticos, vel illorum fautores. Qui casus sub priori comprehenditur, in quo oportet fuisse denunciatos de hæresi.] Ita ille. Sup. hoc sup. in Resl. 70. §. 1. post med. & in Resl. 71. §. vlt. in principio & in tom. 8. tr. 8. Resl. 5. in princ. sed lege eam per totam.

2. Confirmatur hæc opinio ex his, quæ notat Hæreticus Nicolaus Millerus, *in addit. ad Commen. Martini Rumelini super Auream Bullam Caroli IV. part.*3. *dissert.*2. *num.*6. vbi ita asserit: [Observandum, cùm ad antiquissimam Pataviæ Academiam innumeri studiosi Augustanæ Confessioni, ac Reformatæ Religioni addicti accedere soleant, ibique sæpè vnus, vel alter, ut fert fortuna mortalium, è vivis decedat; Serenissima Respublica Veneta nationibus hisce exoticis, etiamsi diversæ Religionis sint, singulari privilegio jus sepulturæ in Ecclesiis concessit. Quod jus, cùm meo tempore, Anglo cuidam Reformatæ Religionis piè defuncto ab Ecclesiæ Parocho denegaretur, eo quòd privilegium hoc Pontificum decretis repugnaret; contrariæ enim Religioni addictos in Cœmeteriis Catholicorum sepelire Canonibus adversatur: attamen Parochus Anglo sepulturam concedere à prætore Civitatis Patavinæ per viam juris adactus fuit.] Ita ille.

3. Sed ego puto cum Filliucio, *t.*2. *tr.*22. *c.*7. *n.*229. & Trullencho, *in Decalog. tom.*1. *lib.*1. *c.*3. *dub.*14. *n.*1. ut Hæretici sint privati Ecclesiastica sepultura, non esse necesse, ut sint nominatim denunciati; sed satis esse, manifestè constare ipsorum hæresim: nam hoc specialiter cautum est in Hæreticis propter criminis enormitatem: debet enim Hæreticus ita notoriè decedere, ut nulla tergiversatione ejus malitia celari possit; aliàs privari non debet sepultura. Et hanc opinionem tenet etiam Castrus Palaus; *tom.*1. *tr.*4. *disp.*4. *punct.*4. *n.*1. sic asserens: [Non est dubium, Hæreticum, utpotè excommunicatum, privatum esse omni officio, & munere, quo excommunicatus privatus est. Quapropter neque potest Sacramenta recipere, neque ministrare, neque actum Ordinis exercere, neque alia munia obire, quæ interdicuntur excommunicato. Quòd si moriatur, caret Ecclesiastica sepultura, cap. *Sicut. de Hær. in fin.* Et cap. *Excommunicamus, elect.*1. §. *Credentes de Hæreticis.* extenditur ad Hæreticorum fautores, & defensores: debet autem Hæreticus ita notoriè decedere, ut nulla tergiversatione ejus malitia celari possit, aliàs privari non debet sepultura. Quòd si, non obstante hac notorietate, sepelire illum præsumpseris, excommunicatione innodaris, ex cap. *Quicumque de Hæreticis*, *in* 6. & *ibi* Glossa, & suspectus de hæresi redderis.] Hæc Palaus. Et ideò optimè observat Baldellus, *in Theol. mor. tom.*2. *lib.*1. *disp.*42. *num.*1. quòd cùm Hæretici non sint vitandi, nisi quando à Iudice sunt denunciati; rectè colligitur generaliter, quòd non peccent, qui cum illis liberè tractant, & conversantur, etiamsi certò sciant eos esse Hæreticos excommunicatos; imò etiamsi id sit notorium, & publica voce circumferatur; & sive id accidat in iis locis, in quibus hæreses impunè grassantur, verbi gratia in Anglia, & Germania; sive in aliis quibuscumque. Ex quo principio colligitur specialiter, quòd non peccant, qui cum Hæreticis quibuscumque

cumque non denunciatis simul orant, vel Concionem sacram, aut Missam audiunt, more, & ritu verè Catholico, vel eorum funus comitantur, eosque ad sepulturam deducunt, quando sepeliuntur more Hæreticorum. Quia hæ communicationes, cùm sint in rebus licitis, licitæ omninò sunt, quantum est ex rei natura; neque fiunt illicitæ ratione excommunicationis, & censuræ, cùm hæc non operetur obligationem vitandi, etiam in divinis, nisi sequuta denunciatione. Et quemadmodum licitum est comitari excommunicatum viventem, non denunciatum, cúmque deducere, quocumque voluerit: ita & est licitum comitari jam mortuum, ejúsque funeri adesse, cúmque deducere ad sepulturam; cùm vniversaliter licitum sit in iis omnibus communicare defunctis, in quibus est licitum communicare vivis, cap. *Sacris de sepult.* cap. *Ad hæc, de privil.* Sed hoc advertit Baldellus procedere, dummodo sepultura non fiat in loco sacro: quia, ait ipse, licèt excommunicatus quicumque non denunciatus non sit vitandus in sepultura, aut in funere, quando est mortuus; sicut nec fuit vitandus, sive in divinis, sive in humanis, cùm esset vivus, ut *paulò antè* diximus ex cap. *Sacris de sepult.* & cap. *Ad hæc de privileg.* vitandus tamen omninò est, quando funus, & sepultura fit in Ecclesia, aut loco sacro; non, quia hæc obligatio inducatur per excommunicationem non denunciatam à Iudice; sed quia inducitur ex ipsa rei natura, ex qua malitiam contrahunt, & digni sunt morte, non solùm qui mala faciũt, sed etiam qui consentiunt facientibus, vt patet ex Apostolo *ad Rom.* 1. quod certè est verum, etiam præscindendo ab excommunicatione, & sive illa sit denunciata, sive non. Vnde ex his patet responsio ad argumentum adductum ab Henriquez.

Sup. hoc sup. in fine Resol. 70. & in Resol. 71. §. vlt. ad medium.

4. Si autem inquiras, an Ecclesia, in qua sepelitur Hæreticus, modo quo *supra*, remaneat polluta? Respondeo negativè: quia execratio, vel profanatio Ecclesiæ, aut loci sacri per sepulturam excommunicati, ea tantùm de causa inducitur in sacris Canonibus, quia non debemus communicare mortuo, cui non communicavimus vivo, cap. *Sacris*, & cap. *Ad hæc, cit.* & ideò nec debemus celebrare Missas, & divina Officia, vbi ille jacet mortuus, & tumulatus: sicut nec debuimus celebrare, vbi ille extitit vivus. Ex his infertur, quòd non inducitur dicta execratio, vel profanatio Ecclesiæ, aut loci sacri, nisi per sepulturam excommunicati vitandi, cum quo solo ratione excommunicationis prohibemur modò communicare in divinis, post Extravag. *Ad evitanda.* Et ita hanc sententiam tenet Baldellus, *loc. cit.* firmans ex supradictis, quòd per sepulturam Hæretici excommunicati non vitandi, non execratur, nec profanatur Ecclesia, aut locus sacer.

Sup. hoc in tom 2 tr. 8 Resol. 4. & lege §. ejus annot.

5. Notandum est hîc obiter cum Trullench. *tr. de jure Parochi, c. 9. dub. 6. n. 10.* quòd si aliquis reperiretur mortuus in puteo, vel laqueo suspensus, non est statim privandus Ecclesiastica sepultura: quia, vbi non constat, quòd seipsum interfecerit, vel præcipitaverit, non id est præsumendum, cùm potuerit per insidias, aut vim in puteum projici, vel suspendi, aut ex furore, seu mentis alienatione id facere.

RESOL. LXXIII.

An Sacerdotes in domibus suis audientes Lectorem legum, vel medicinæ incidant in excommunicationem?
Et quid de Regularibus?
Et quid est dicendum si supradicti studeant legibus civilibus in scholis publicis, quatenus conducunt, vel possunt conducere ad notitiam Canonum?
Et an hoc intelligatur in foro interiori, nam in foro exteriori semper præsumuntur excommunicati?
Et an Diaconi, & Subdiaconi non comprehendantur subdita prohibitione, & excommunicatione, nisi sint personatus. Ex part. 3. tr. 5. & Misc. 1. Resol. 27.

§. 1. Affirmativè videtur respondendum ex auctoritate Filliuci j, *tom. 1. tract. 14. cap. 7. num. 103.* & Suarez, *in censur. disputat. 23. sect. 3. numer. 19.* & aliorum.

2. Sed tu contrariam sententiam tene, quam docent noviſſimè Barbosa, *in collect. tom. 1. lib. 3. tit. 50. cap. vlt. num. 3.* Squilante, *de obligat. cler. part. 2. dub. 8.* Homobonus, *de statibus p. 1. c. 18. num. 6.* Gambatupta, *de casibus reserv. c. 9. n. 6.* Villalobos, *in summa, tom. 1. tr. 17. diffic. 28. n. 4.* & Sanctarellus, *tr. de Apost. cap. 2. dub. 3. num. 21.* & alij penes ipsos. Dico igitur, in excommunicationem latam *in cap. super specula, ne Clerici, vel Monachi*, &c. non incurrere Sacerdotes sæculares, & Regulares habentes privatim in domibus suis lectorem legum, vel medicinæ, qui eos doceat privatim has facultates.

3. Imò nec incurrunt hanc excommunicationem prædicti, si studeant legibus civilibus in scholis publicis, quatenus conducunt, vel possunt conducere ad notitiam Canonum. Ita Sanctarellus, *loc. cit.* & Barbosa, *n. 7.* & Squillante, *de oblig. cler. part. 2. dub. 18. n. 17.* & alij penes ipsos.

4. Sed nota hoc verum esse in foro interiori; nam in foro exteriori præsumerentur excommunicati. Notandum est etiam, quòd Diaconi, & subdiaconi non comprehenduntur sub dicta prohibitione, & excommunicatione, licèt beneficium habeant, nisi sit personatus. Ita DD. citati.

RESOL. LXXIV.

An si mandans, vel consulens revocet mandatum, vel consilium, incurrat adhuc excommunicationem, si delictum, hoc non obstante committatur?
Et quid, si revocatio non innotescat mandatario?
Et quid est sentiendum de irregularitate?
Et an teneatur restituere damna ex tali homicidio emersa?
Et si mandans homicidium mortuus fuerit, antequam mandatarius occideret, non contrahat excommunicationem, quæ solùm ligat viventes, non autem defunctos? Ex part. 5. tr. 9. Resol. 58.

Sup. hoc tom 2 tr. 8 Resol. 4. in num. 11.

1.1. Affirmativam sententiam docet quoad consulentem Bonacina, *de cens. in com. disputat. 1. quæst. 1. punct. 6. num. 7.* Molina, *de Iust. tom. 4. disput. 52.* & reprobat. *num. 2* Navarr. *cap. 27. num. 253.* & Coninch, *de Sacrament. disputatione 14. dub. 15. quæst. 6. à num. 176.* & ratio est, quia in tali casu mandans, aut consulens verè est contumax, seu inobediens Ecclesiæ, quæ eidem prohibuit mandatum, aut consilium, & hoc sub censura, ergo.

2. Verùm ego negativæ sententiæ tanquam probabiliori adhæreo, quam tenet Tabiena, *vers. excom. 5. cas. 1. n. 35.* Avila *part. 2. c. 5. disp. 3. dub. 7.* Sayrus, *lib. 3. c. 26. n. 33.* & noviſſimè Hurtado, *de cens. in comm. diſſic. 15. num. 67.* quia per revocationem, seu per resipiscentiam ex se efficacem cessat, imò destruitur inobedientia habitualiter perseverans. Ecclesia autem supposita institutione censurarum, vel non potest validè, vel non intendit ligare censura eum, qui ante incursionem jam non est inobediens adhuc habitualiter, sed pœnitens efficaciter, sicut etiam debet absolvere à censura incursa eum, quem efficaciter

ter quantum est ex se, pœnitet inobedientiæ factæ, & hæc omnia docet Hurtado, *vbi supra*, & novissimè Cœlest. *in comp. Theol. mor. tr. 3. c. 9. d. sic. 6.* vbi sic ait. Vtrùm qui consuluit homicidium Clerici, & postea retractavit seriò consilium, & retractatio pervenit ad cum, cui factum est consilium, sequuto homicidio incurrerit in excommunicationem & irregularitatem, & an teneatur restituere damna, ex tali homicidio emersa? Respondetur quòd non, si adhibuit omnem diligentiam, ut prius consilium everteret, vel ostenderet, omnibus consideratis, esse iniquum, & non amplectendum, quia in eo casu non videtur executor ipsius consilio moveri, sed potiùs sua malitia. Vnde sequitur quòd hujusmodi consulens nec incurrit excommunicationem, neque irregularitatem, neque obligationem, ad restituenda damna, quod idem dicendum de mandante, qui ante factum homicidium revocavit mandatum, & revocatio pervenit ad notitiam mandatarij, quòd revocatio non innotescat mandatario, incidit in excommunicationem sequuto homicidio, & consequenter contraxit irregularitatem & obligationem restituendi omnia damna; si verò mortuus fuerit priusquam mandatarius occideret; non contrahit excommunicationem, quæ solum ligat viventes, non autem defunctos. Ita Cœlestinus, & quia hic casus frequenter potest accidere, diligenter notandus est ab omnibus Confessariis.

RESOL. LXXV.

An censura lata contra facientes comprehendat mandantes, aut consulentes?

Et aliqua alia circa hoc notantur; & tandem advertitur quod non ligatur excommunicatione, qui paratum occidere Clericum, consuluit tantum percutere. Ex par. 5. tract. 9. Resol. 57.

Affirmativè respondet Panorm. *in c. significavit, de Iudæis, n. 2.* Sylvest. *ver. excom. 10. q. 40.* Rosella, *eod. ver. 1. cas. 43. num. vlt.* & ratio est, quia facientes & consentientes, pari pœna debent puniri. Secundò, nam *in c. mulieres. de sent. excom.* dicitur quod illi qui non per se ipsos, sed eorum authoritate vel mandato alij violenter imponunt manus Clerico, incurrunt excommunicationem Canonis, & redditur ibi ratio, cùm is verè committat, cujus authoritate, vel mandato delictum committitur. Tertiò, nam quod per alios facimus, per nos facimus.

2. Sed tu contrariam sententiam tene cum Avila *part. 2. c. 5. disp. 3. dub. 2. concl. 1.* Portel *in dub. Regul. ver. excommunicare, n. 7.* Finellio, *de cas. reseru. cas. 4. n. 20.* Alterio *tom. 1. lib. 3. disp. 2. c. 2.* Vgolino, *tab. 1. c. 9. §. vlt.* Covar. *in c. Alma mater, part. 1. §. 10. n. 15.* Suar. *disp. 13. sect. 3. n. 5.* Ioan. Henriq. *in comp. cas. moral. c. 20. n. 10.* Sanchez, *de matr. lib. 3. disp. 49. n. 2.* & aliis & ratio est, quia cùm lex pœnalis sit odiosa, ejus verba strictè accipienda sunt, secundùm propriam & rigorosam acceptionem: atqui qui mandat aliquid fieri propriè & in rigore non potest dici illud facere, quia mandare & facere sunt actiones distinctæ. Ergo non incurrit censuram latam in facientem, nisi exprimatur. Tertiò, quia quando Pontifices volunt suis censuris comprehendere etiam mandantes, expressis & distinctis verbis illud declarant, ut patet *ex c. vlt. de pœnis in 6. & Clem. 1. eod. tit.* & pluribus aliis juribus quod non facerent, si mandantes semper comprehenderentur sub facientibus. Dicendum est igitur absolutè censuram latam in facientem aliquid, non ligare mandantem nisi hoc exprimatur, saltem implicitè, ut si excommunicetur committens homicidium, aut quacumque ratione ejusdem causa existes, certum enim est tunc non solùm mandantem, sed etiam consulentem comprehendi. Sed cùm hæc doctrina sit vera, tamen Coninch *de Sacram. disp. 14. dub. 5. n. 188.* excipit ab illa casum, nempe quando lex esset ferè frustratoria, si non comprehenderet mandantes; ut esset lex prohibens sepelire excommunicatum defunctum, si sola persona, quæ suis manibus sepelit, incurrat excommunicationem, & non id mandantes. Is tamen absque sufficienti fundamento excipit, ut in eo casu non habeat locum nostra doctrina supradicta, ob quam *in cap. Si civitas 17. de sent. excomm. in 6.* necessarium fuit, ut interdictum quo civitas interdicitur, etiam comprehenderet suburbia, quòd Pontifex illud extenderet ad suburbia, quamvis esset ferè frustratorium, si illa comprehenderet, docet ita Hurtado, *de censuris in excom. difficul. 14. n. 64.* Sup. hoc sup. in Resol. 71. §. 1. in fine.

3. Notanda sunt tamen hîc aliqua. Dico igitur primò, quod quando sit dubium, vtrùm in excommunicatione comprehendantur mandantes, seu consulentes judicandum est quod non comprehenduntur.

4. Dico secundò, quando excommunicatio extenditur ad consulentes, quando consilium est ita simplex ut non influat in effectum, quia alter erat alioqui facturus, & consilium non anxit voluntatem, nec conatum illius, non incurrit consulens. Et si petis quomodo cognoscatur vtrùm consilium influxerit, vel ne? Respondeo ab ipso, qui recepit consilium, accipiendum est, & ex aliis conjecturis, scilicet si ille qui recepit consilium asserat se motum esse aliquo modo ex tali consilio, & voluntatem ejus auctam fuisse, hoc sufficiet, si autem hoc non possit sciri ab ipso; attendendæ sunt conjecturæ, nam si ego dedi consilium alicui ad aliquod delictum, & ille ardenti voluntate illud commeat, statim signum est quòd meum consilium influxit: at verò quando non exequitur statim, sed post multos dies, non potest ex hoc sumi certa conjectura, vtrùm meum consilium influxerit, nam licèt pro tunc, quando ego dedi consilium, forsan excitaverim, & intenderim ejus voluntatem, postea tamen transactis multis diebus potuit ille fervor elanguescere, & voluntas redire ad pristinum statum, in quo erat ante consilium, & tunc quamvis delictum comittatur, ego non ero causa, ac per consequens non incurro excommunicationem: si autem facta diligentia, & consideratis omnibus circumstantiis, fuerit dubium, vtrùm meum consilium influxerit in effectum licèt quantum attinet ad restitutionem; non maneam ego obligatus, quia in dubiis melior est conditio possidentis, tamen quantum ad excommunicationem debeo me reputare excommunicatum. Sup. hoc inf. in tr. 5. Resol. 105 cursim in fin. & inferius in tr. 6. Resol. 23. §. Tertio, in fin. & in tom 8 tr. 5. Resol 88. §. Sed an. & in aliis ejus annot.

5. Dico tertiò quòd excommunicatio quæ extenditur ad mandantes non comprehendit eum, qui mandavit delictum fieri, si mandatus erat aliàs facturus delictum tam prompto animo, & tanto conatu, ac si sibi non esset mandatum, & hæc omnia invenies firmata apud Avilam *vbi supra*.

6. Nota etiam quòd non ligatur excommunicatione qui paratum occidere Clericum consulit tantùm percutere, quia non dicitur culpabiliter influere in effectum prohibitum sub censura. Nam ad illam incurrendam requiritur peccatum prohibitum sub censura; sed in nostro casu, qui consulit minus malum parato facere majus, non peccat; ergo, &c. Sup. hoc inf. in tr. 2. Resol. 17. § Sed hic & melius inferius in tr. 6. ex doctrina Resol. 46. signanter ad med. & ex doctrina aliarum Resol. ejus not.

RESOL. LXXVI.

An licitum sit vendere Agnos Dei, & retinere illos sine incursione censurarum?

Et an peccent laici, si absque contemptu eos tangant?
Et an dicta excommunicatio sit Pontifici reservata? Ex p.3.tr.6.& Misc.2. Res.12.

§.1. NEgativè respondet Pater Azorius, *tom.* 1. *lib.*9.*c.*9.*posi* 9.5.*ver.quæres*, etiam si vendantur tantum ratione materiæ, ex quadam constitutione Greg. XIII. quæ incipit, *omni arte audio*, &c. apud Quarantam *in summ.Bullarij*, *ver. Agnus Dei*. Lavorium *de Iubilæo*,*c.*23.*n.*88.& alios.

2. Verùm si sint albi,& non minio confecti,posse vendi sine vllo scrupulo ratione materiæ, ac laboris, & impensarum in eis asportandis, docent Flavius Cherubinus,*in comp.Bull.tom.*2.*const.*2. *Gregorij XIII. schol.*1. Naldus,*in summa*,*ver.sacrilegium*,*n.*9. Homobonus,*de exam.eccles.part.*2.*tr.*9.*c.*5.*q.*9. Villalobos, *in summ.tom.*2.*tr.*37.*diffic.*11.*n.*4. Suarez, *de Relig.tom.*1. *tr.*3.*lib.*4. *c.*14.*n.*6. Bonac. *tom.*3. *disp.*2. *q.*2. *punct.*29. *n.*2.Sanchez,*in summ.tom.*1.*lib.*2.*c.*43.*n.*27. qui etiam optimè notat præfatos Agnos Dei retineri posse,postquam in excommunicationem incursum est eos depingendo;prohibetur enim in constitutione illa pingere, vel retinere Agnos depictos ad vendendum, secus autem si depicti retinerentur non ad vendendum. Et hanc opinionem Sanchez, probabilem putat Bonac. *vbi supra*, quam novissimè tenet etiam Scort. *in Bull.Pont.theorem* 330. & Fagundez, *vbi infrà*; quidquid in contrarium teneat Raynerius, *in catal. cens. c.*9.*excom.*64.*in fine*, cum aliis. Vnde ego olim consului, potuisse quem in donum recipere, & retinere Agnum Dei depictum,& miniatum.

3. Nota etiam cum Azorio laicos non graviter peccaturos, si absque contemptu dictos Agnos tangant. Imo ego puto cum Sanchez, nullam esse culpam illos tangere, eò quòd obtinuerit, ut à laicis etiam fœminis tangerentur.

4. Et tandem non retinebo hîc describere verba Vincentij Filliucij, *tom.*1.*tr.*14.*c.*6.*n.*93. vbi sic asserit: Hæc excommunicatio à multis omittitur, & nescitur, ut propterea crediderim extra Vrbem non fuisse receptam: passim enim cernuntur Agni Dei depicti quos non est verisimile fuisse depictos cum licentia Papæ. Ita Filliuc. Verùm Fagundez, *part.*1. *lib.*1.*cap.*4. *num.*25. docet hanc excommunicationem esse in viridi observantia;non est tamen Pontifici reservata, ut ex multis tradit Barbosa, *de potest. Episc. part.*3.*alleg.*50.*n.*150.

RESOL. LXXVII.

An furantes Reliquias præter peccatum aliquam excommunicationem incurrant?
Et notatur quod Romæ extat excommunicatio, ne Reliquiæ ex vrbe extrahantur?
Et docetur posse sine vllo peccato ab Infidelibus Reliquias subtrahi.
Et an licitum sit Christianis & absque peccato Simoniæ emere ab Infidelibus Reliquias? Ex p.10. tract.14. & Misc.4.Res.20. aliàs 18.

§.1. AFfirmativè respondet Azorius, *tom.*1. *lib.*9. *cap.*8. *quæst.*10. vbi sic ait: Quæritur, an in Excommunicationem incidat, qui Reliquias Sanctorum ex loco Sacro in quo reconditæ, aut positæ sunt, furatur? Respondeo *in cap. quisquis*, §. *Si domum* 17. *q.*4. esse constitutum: Si quis domum Dei violaverit, & aliqua sine licentia illius,cui commissa esse dignoscitur inde abstulerit donec in conventu admonitus legitimè satisfaciat, sciat se communione privatum. Si verò post secundam & tertiam conventionem coram Episcopo satisfacere recusaverit, nemini Fidelium misceatur. Hæc ibi. Ex quibus verbis deducit Sylvester, eum hominem, ante quamlibet admonitionem Excommunicationem minorem contrahere donec satisfaciat, hoc est,nisi prius satisfecerit, non posse Sacramentum altaris suscipere:ter verò admonitum, nisi satisfecerit, esse Excommunicatione majore mulctandum. Ita Azorius.

2. Verùm ego cum Magistris Lezana, *in summa*, *QQ.Regular.tom.*4.*verb. Reliquiæ Sanctorum*, *numer.*5. Texeda *in Theolog. Moral. tomo secundo*, *libro tertio*, *tractat.*2.§.3.*contr.*8. *quæstion.*2. *numer.*37. contrarium sentio. Primò, quia non extat Textus, ex quo hoc intelligatur: nam *cap. Quisquis inventus*,*verb. Si quis domum* 17. *quæstion.*4. adductum ab Azorio, non loquitur de pœna Excommunicationis, sed de separatione ab Eucharistiæ vsu. Secundò, quia ut bene Cajetanus, *Sum.verb. Excommunicatio*, Sotus 4. *d.*22. *quæstion.*2. *artic.*3. docent eam excommunicationem etiamsi extaret,per non vsum non valere. Vide etiam Baucium, *in Miscellan.tom.*2.*opusc.*4.*quæst.*30 qui bene docet, posse Reliquias ab Infidelibus subtrahi, quia sunt in justi possessores, * & si Reliquiæ essent apud infideles etiam tunc ad redimendam vexationem posse adhiberi pretium, ut possideantur, ac retineantur à Fidelibus. Ratio est, quia Infideles vexant Fideles retinendo injustè Reliquias illas; ita Philiarchus, & Vgolinus, quos citat, & sequitur Sanchez, *in summa*,*tom.*1.*lib.*2.*c.*43.*n.*22. Adverte tamen, quod Romæ extat Excommunicatio, ne Reliquiæ ex Vrbe extrahantur.

3. Nota etiam hîc obiter,quod optimè docet Sylvester, *verb. Simonia*, *quæstione secunda*, Vgolinus, *de Simonia*,*tab.*1.*capite* 38.*numero quinto*, Torr.2.2.*tom.*1. *quæstion.*94. *articulo tertio*, licitum esse Christianis ab Infidelibus Reliquias emere, quia licèt absolutè loquendo,Reliquias emere,vel quæstus causa illas venditioni exponere, sit aperta Simonia; ut habetur *capit. fin.de Reliq. & Venerat.Sanct.* & in Tridentino, *in Decreto de invocation. veneration. & reveren. Sanct.* & quia res spiritualis pretio æstimatur, & emitur; tamen quando ab Infideli emuntur,emptio illa formaliter non est emptio rei spiritualis,sed pretio dato redimere vexationem, quam exerceret Infidelis Reliquias injustè retinendo.

RESOL. LXXVIII.

An Alienatio Reliquiarum includatur in prohibitione Paulinæ de rebus Ecclesia non alienandis?
Et explanatur particula præsumpserit *posita in dicta Extravag. Pauli II. quæ denotat temeritatem, & non comprehendit eum, qui bona fide ignoranter, aut imprudenter, seu inadvertenter facit aliquid contra dictam extravagantem.* Ex part.10.tract.14.Misc.4. Res.23. aliàs 21.

§.1. QVidam Prior bona fide donavit cuidam Magnati partem Reliquiæ insignis; quæsivit à me Provincialis, an deberet declarare incidisse Priorem in Censuras,& pœnas dictæ Paulinæ:Et respondi negativè;quia licèt opinio Doctorum asserentium, alienationem reliquiarum esse inclusam in prohibitione Paulinæ de Rebus Ecclesiæ non alienandis, sit communior,probabilior, & in praxi consulenda; tamen contraria sententia, ut ego * alibi adnotavi,sua non caret probabilitate. Verum supradictus Provincialis instabat auctoritate Patris Pasqualigi, qui nominatim contra me asserit *in QQ. Can.Cent.*2.*q.*181. *numero secundo*, hanc sententiam non posse ut probabilem

* Quia

* Alibi tom.1. ex act. §. Nec

bilem sustineri. Sed ego respondi quod Pater Pasqualigus excessit in censura hujus opinionis; & ideò meritò contra illum novissimè nominatim insurgit Bordonus *in Miscellaneis, decisione 494. per totam*; ubi respondet, & infringit omnia argumenta, quæ Pasqualigus *ubi suprà* in favorem suæ sententiæ adduxerat. Et ideò sententiam asserentem alienationem Reliquiarum non esse prohibitam in Bulla Pauli II. præter Riccium, Castrum Palaum, & alios à me alibi adductos, tenet Antonellus *de Regimine Ecclesiæ Episcopalis, tom. 1. lib. 1. capit. 4. §. 7. num. 16.* Barbosa, *de Potestate Episcopi, parte 3. allegat. 95. numero 39.* & me citato Pellizzarius, *in Man. Regular. tom. 2. tract. 6. cap. 8. num. 91.* ubi sic ait: Quæres an alienatio Sanctarum Reliquiarum cadat sub hac prohibitione, ita ut non possint à Regularibus alienari sine debita solemnitate? Respondetur non cadere, quamvis, si perpetuæ sepulturæ sint traditæ extrahi non possint, & aliis tradi absque consensu Sedis Apostolicæ. Ratio nostræ responsionis est, quod in hac prohibitione non comprehenduntur, nisi Bona temporalia pretio æstimabilia: Reliquiæ autem Sanctorum sunt suprà omnem temporalem æstimationem, nec pretio æstimari possunt. Ita ille.

2. Sed etiam stando in opinione Pasqualigi, & aliorum, puto dictum Priorem non incidisse in pœnas latas contra alienantes absque assensu Sedis Apostolicæ, quia Paulus II. in dicta Extravagante utitur verbo, * *Præsumpserit*, quod dolum, & temeritatem denotat: ut notat Baldus *censur. 486. n. 5. vol. 4.* Barbat. *capit. Prudentiam, notab. 1. de Offic. deleg.* Decius *in cap. 2. sub numero 6. versic. Secundò principaliter, de judic.* Hippol. *in leg. de Minore, in princip. numero 39. Digest. de quæst.* Iacob. de Crassis *in aureis decision. libr. 1. cap. 13. num. 72.* Navarr. *in Manual. cap. 27. numero 156. cum sequent.* Menoch. *cons. 763. num. 10.* Sanchez *de Matrimonio, libr. 9. disputat. 32. num. 38.* Lotter. *de re benefic. lib. 2. quæstione 14. à num. 54.* Rot. *in Aquen. irregularitatis, 14. Maij 1607. coram Cardinal. Cavalerio.* Erasm. à Cochier. *de Iurisdict. Ordin. in Exemptos, lib. 4. quæst. 75. num. 4.* Glorit. *resp. 12. numero 26.* Vnde dispositionem punientem aliquid præsumentem non comprehendere illum, qui id bona fide ignoranter, aut imprudenter, sive inadvertenter facit, tradunt Navarr. *in cap. Accepta de restitut. spoliat. oppositi. 8. numero 33. & in Extravagant. de datis & promissis, num. 35. versic. Audeat, sive præsumat, & in cap. Statuimus 19. quæst. 3. numero 62. in fine, vers. Nota septimò, & in Manual. cap. 27. num. 155. in fine.* Avendan. *de exequend. mandat. libr. 1. cap. 4. num. 38. vers. Verum sicut penè*, quos refert Cened. *ad Decretal. collectan. 45. n. 3.* At in casu nostro Prior supradictus operatus est bona fide, & cum auctoritate Doctorum: ergo in Paulinæ pœnas incidisse minimè dicendum est: Et ita mecum tunc senserunt multi viri docti de hoc consulti.

RESOL. LXXIX.

An Superiores in contractu licito possint absque solemnitate obligare bona Ecclesia sub hypotheca generali, non obstante Paulina, & Decreto Vrbani VIII.

Et an pecuniæ ad cambium, vel mutuo acceptæ cum solutione lucri cessantis, vel damni emergentis comprehendantur sub Decreto Sacræ Congregationis, & Paulina Ambitiosæ?

Et An obligando tantum fructus bonorum immobilium, & mobilia pretiosa possit Prælatus, & Capitulum Ecclesiæ, seu Monasteriorum absque solemnitate, quam jura ad alienationem bonorum Ecclesiasticorum requirunt, pecuniam mutuo accipere?

Et an hoc procedat, si mutuum sit acceptum absque ulla obligatione, aliquid pro eo solvendi, alioquin non possit fieri, etiam si tantum fructus, & mobilia, & non immobilia, & pretiosa obligentur? Ex part. 10. tr. 16. & Misc. 6. Resol. 53.

§. 1. AFfirmativam sententiam tenet Bordonus *in Cons. regul. tom. 1. resol. 27. num. 13.* Pyrrhus Corradus *de Dispens. lib. 9. c. 9. num. 31. in fine*, & Doctores, quos citat, & sequitur Ciarlinius *tom. 2. cap. 183. n. 107.* ubi sic ait: Certum est, Prælatum Ecclesiæ, vel Capitulum Cleri tam Regularis, quàm Sæcularis, non posse speciali hypotheca obligare bona stabilia, vel pretiosa pro quocumque contractu, sive mutui, sive empti, vel alterius generis sine licentia Pontificia, & juris solemnitate, quia specialis hypotheca est à jure prohibita, ut habetur *in cap. nulli*, ubi Bero. *num. 9. de reb. Eccles. non alien. & in §. nos igitur, in fin. & §. quia verò, in auth de non alien. & permut.* Verùm si loquimur de contractu celebrato ab Ecclesia, ejusve Prælato ex aliqua justa causa, non prohibito per dict. Extravagant. *Ambitiosa*, neque per *dictum cap. nulli*; aut alias jure; ut est emptio, venditio, locatio, mutuum, commodatum, & similia quæ, permittuntur etiam Prælatis Ecclesiasticis ob Societatem humanam conservandam; nimis enim incommodum esset Ecclesiarum Prælatis, & Ecclesiasticis, si nullo modo contrahere possent, tunc si hujusmodi contractui licito, & permisso per se; accedat hypotheca generalis omnium bonorum Ecclesiæ, vel Monasterij, utique talis obligatio tenet sine aliqua solemnitate assensus Apostolici: quia leges hypothecam prohibentes loquuntur de hypotheca nullum supponente contractum licitum ex parte hypothecantis; non autem quando contrahens Ecclesiasticus suo contractui licito, & ex causa justa adjungit hujusmodi hypothecam; quia tunc illa sequitur naturam contractus, cui apponitur, sicut accessorium suum principale, & ideò sicut permittitur ille contractus licitus emptionis, vel mutui, aut similium, sine beneplacito Apostolico, ita generalis hypotheca ei accessoria, & sic communiter tradunt omnes, quod obligatio generalis bonorum Ecclesiæ contracta occasione emptionis, vel contractus permissi sit valida absque assensu Apostolico, ut latè probat Bero. *in dict. cap. Nulli, num. 11. 12. 13. 14. & 15. de reb. Eccles. non alien.* Covarr. *var. resol. lib. 2. cap. 16. num. 7.* Redoan. *d. tr. quæst. num. cap. 16. n. 12. & quæst. 51. cap. 29. num. 12.* ubi habetur, quod Prælatus contrahendo potest generaliter pro observantia contractus obligare bona Ecclesiæ sine licentia Episcopi, prout in praxi servatur; sic etiam tenet Molin. *de just. & jur. tr. 2. disp. 466. in princ.* Bonac. *disput. 3. de contract. feud. quæst. 8. part. 4. num. 32. in fine.* Ferdin. à Castro Palao *moral. part. 2. tr. 12. disput. unic. punct. 15. §. 2. num. 12.* Plures refert Barbosa *in collect. ad d. cap. Nulli. num. 5. de reb. Eccles. non alien.* Latè etiam Bordon. *dict. resol. 27. num. 4. 13. 58.* ubi rationes adducit. Lezan. *in summ. quæst. regular. verb. alienare, num. 5. post medium, verb. An autem possint, tom. 3.* ubi ponit rationes; & ita censuit Rota *in Amerina bonorum coram Eminentissimo Verospio, 19. April. 1645. Et coram Roias 21. Februarij 1642. & 2. Iunij 1645. §. Nam licet*, ubi ponit rationes. Et ita fuit decisum per sacram Congregationem Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, sub die 14. Iulij 1638. ubi censuit in prohibitione nuper edita de rebus Regularium non alienandis, non esse comprehensam hypothecam generalem; & ratio est,

quia, cum Ecclesia ex hujusmodi contractibus, acquirat, & penes se recipiat pecunias, vel bona secum contrahentis, potest sub hypotheca generali obligare sua bona, quia talis obligatio generalis non est comprehensa sub prohibitione alienandi bona Ecclesiastica, ut per Doctores *in dicto capit. Nulli.* Vbi Berous *numero* 12. 13. *& sequent.* & Barbos. *num.* 5. *de rebus Eccles. non alienan.* Redoanus *dicto libro.* Nam hypotheca generalis per se ipsam nihil sapit alienationis, cum per eam non transferatur ius in re §. *item Seleuciana, Institut. de action. leg. si rem*, §. *propriè, Digest. de pignorat. action.* Et ideò licet in Extravagant. *Ambitiosæ*, ubi interdicitur alienatio bonorum Ecclesiæ prohibeatur etiam hypotheca simpliciter sub forma generis; tamen cum sub se non contineat nisi ea, quæ sunt ejusdem naturæ, secundum Bald. *l.* 1. *n.* 1. *C. commendat.* sequitur quod non possit comprehendere hypothecam generalem tanquam diversæ naturæ ab alienatione, ad quam hypotheca generalis non est directè, & principaliter ordinata; sed ut magis creditori cautum sit adeò ut per eam non possit sequi alienatio, nisi in consequentiam, & secundariò, ut in *l. si quis nec causam, Digest. si cert. pet.* Concludendum est, generalem hypothecam non esse à iure prohibitam, ut per Bordon. *d. resol.* 27. *num.* 13. ubi docuit etiam iura ex adverso allegata procedere in casu, ubi hypotheca sit sine ullo contractu, quod vix dari potest. Et ideò sic ut suprà dictum est bene, melius fuit dictum in hac parte, per Rot. *in d. Amerina bonorum* 2. *Iunij* 1645. §. *nam licet Dominici.* Hucusque Ciarlinius.

2. Itaque secundùm hos Doctores, & præsertim Ciarlinium, quando Ecclesia, seu Prælatus, & Capitulum ex justa causa celebrat sine assensu Apostolico aliquem contractum, ex iusta causa non prohibitum in dict. Extravagant. *Ambitiosæ, nec in dict. cap. nulli*, puta venditionem, emptionem, locationem, mutuum, commodatum, & similia, quæ permittuntur etiam Prælatis Ecclesiasticis ob Societatem humanam conservandam, pro ejus observatione possunt licitè, & validè omnia bona obligare absque assensu Apostolico. Quòd etiam confirmat, quoniam incommodum, inquit, esset Ecclesiarum Prælatis, & Ecclesiasticis, si hujusmodi contractui licito, & permisso per se, & ex quo Ecclesia acquirit, & penes se recipit pecunias, vel bona secum contrahentis, non posset absque alia solemnitate assensus Apostolici addere hypothecam generalem omnium bonorum, & Ecclesiæ, & Monasterij: leges enim hypothecas prohibentes loquuntur de hypotheca nullum supponente contractum licitum ex parte hypothecantis, non autem quando contrahens Ecclesiasticus suo contractui licito, & ex causa justa adjungit hujusmodi hypothecam, quia tunc illa sequitur naram contractus, cui apponitur, sicut accessorium suum principale; & ideò sicut permittitur ille contractus licitus emptionis, vel mutui, aut similium sine beneplacito Apostolico; Ita generalis hypotheca ei accessoria. Subdit tamen Ciarlinius, quod si Prælatus Ecclesiæ vellet ex se vendere bona stabilia generaliter hypothecata pro satisfaciendo creditoribus, non posset id facere sine assensu Apostolico, quia tunc venditio est potius voluntaria, quam necessaria per tradita à Quaranta, *verb. alienatio, num.* 58.

3. Sed his non obstantibus huic sententiæ non adhæret novissimè Angelus Bossius *in Moral. var. tomo* 1. *titul.* 18. *num.* 6. tùm quia stante hac opinione facilè fieri posset fraus legi; Tum quia verba dict. Extravag. *Ambitiosæ*, & dict. Decreti sacræ Congregationis sunt ita generalia, ut nulla ratione admittant interpretationem à Molina, Ciarlinio, & aliis datam, & debent intelligi de sola hypotheca speciali; & dum tam in Paulina Ambitiosæ, quàm in dicto Decreto excipiuntur casus à iure permissi, intelliguntur casus permissi à iure, scilicet, necessitas Ecclesiæ, vel alendorum pauperum, vel Ecclesiæ utilitas; inteliiguntur etiam casus, qui expresè non sunt in iisdem Paulina, & Decreto vetiti, cujusmodi est hypotheca omnis, cum sub nomine hypothecæ comprehendatur tam generalis, quàm specialis, & colligitur etiam ex fine Summorum Pontificum in dict. Paulina, & in d. Decreto, qui fuit excludere omnem viam, per quam Ecclesiis, & Monasteriis sequi posset detrimentum ex bonorum immobilium, & pretiosorum mobilium facili alienatione, & distractione inconsulto Romano Pontifice, ut constat ex procæmio dicti Decreti. Hinc pecuniæ ad cambium, vel mutuo acceptæ cum solutione lucri cessantis, vel damni emergentis comprehenduntur sub Decreto S. Congregationis, quod prohibet Regularibus quamcumque alienationem bonorum Monasteriorum immobilium, & pretiosorum mobilium. Ad ea verò, quæ tradit Ciarlinius, & Bordonus respondetur non posse dici legitimum contractum, per quem Ecclesia contrahit debitum, pro cujus satisfactione, seu solutione debeant alienari, vel deveniti possit ad alienationem bonorum immobilium, vel pretiosorum mobilium, si celebratus fuit sine assensu Apostolico, vel licentia expressa Sacræ Congregationis, supposita dict. Extravagant. *Ambitiosæ*, & d. Decreto Sacræ Congregationis, in quibus prohibetur, bona prædicta Ecclesiæ, vel Monasteriorum, obligari, ac subjici hypothecæ cuicumque absque assensu Apostolico, aut licentia ejusdem Congregationis; & ita prorsus sentit Additionator ad Quaranta *loco, n.* 4. *citato*, ubi advertit quod tunc dicitur debitum legitimè contractum ab Ecclesia, quando fuit cum assensu Apostolico, alioquin non possunt bona Ecclesiæ obligari, ut fuit dictum suprà ampliatione tertia, scilicet, ut tradit Quaranta *allegato, n.* 17. Quod autem ad illam declarationem Sacræ Congregationis à Ciarlinio citatam, si extat, videtur illa repugnare alteri declarationi mox adductæ. Vnde ex his optarem resolutionem huius dubij, re maturius itetum considerata à Sacra Congregatione declarari.

4. Notandum est tamen hîc, quod etiam stando in opinione Bossij, supradicta procedere obligando in genere bona immobilia, vel pretiosa mobilia, nam obligando solùm fructus bonorum immobilium, & mobilia non pretiosa Prælatus, & Capitulum Ecclesiæ, seu Monasterium poterit absque solemnitate, quam iura ad alienationem bonorum Ecclesiasticorum requirunt, pecuniam mutuo accipere; cum Prælatus, & Capitulum, & Monasterium habeant liberam administrationem fructuum, & aliorum bonorum mobilium non pretiosorum, ut etiam tradunt Panormitanus *in dict. cap penult. num.* 5. *de fide jussoribus*, & Molina, *tom.* 2. *de Iustit. dict. disputatione* 300. *numero* 2. *versic. Quando vero.* Qui proinde dicunt, quando Prælatus, & Capitulum accipiunt mutuum, ad cuius solutionem non est necesse devenire ad alienationem bonorum immobilium, vel pretiosorum mobilium, sed posse satisfieri de fructibus, & aliis bonis, cùm Prælato, & Capitulo competat libera administratio horum bonorum, ad illarum alienationem non esse necesse, quod constet in Ecclesiæ utilitatem evidentem fieri; atque adeò etiam qui mutuo dedit pecuniam Prælato, Capitulo non consentiente illam repetentem, non teneri

teneri probare pecuniam fuisse in vtilitatem Ecclesiæ versam.

5. Declaro tamen, id procedere si mutuum sit acceptum absque vlla obligatione aliquid pro eo solvendi: nam si à Regularibus accipitur, petitur cum obligatione solvendi lucrum cessans, vel damnum emergens, id non posset fieri, etiam si tantùm fructus, & alia bona mobilia, & non immobilia, nec pretiosa mobilia obligarentur pro restitutione pecuniæ mutuò acceptæ, & solutione lucri, & damni: hoc enim Regularibus prohibere intendit, & citra dubium prohibet sacra Congregatio in dicto Decreto, quod datum fuit Romæ die 21. Maij 1626. & per extensum refert Barbosa, *de Iure Ecclesiastico lib. 3. capite 30. numero 16.*

RESOLVTIO LXXX.

An bona Ecclesiastica legata, vel donata, possint alienari sine assensu Apostolico, & in proprios usus converti possint, & stante hoc, absque dicta solemnitate alienari?

Et an quamvis permutatio bonorum Ecclesiasticorum maxime cum laicis sit jure prohibita, tamen permutatio cum Imperatore, & Principe patriæ sit permissa absque solemnitate?

Idem est cum Fundatore, sed solemnitate præmissa. Ex part. 10. tr. 16. & Misc. 6. Resol. 85.

§. 1. NEgativam sententiam tenet Glossa, & Abbas, *in capit. votum, de condit. appos.* Covarruvias, *in cap. tua numero sexto, de testament.* Quaranta *in summa, Bullar. numer. 31.* Bonacina, *tomo secundo, de alien. bonorum Ecclesiasticorum, disputatione secunda, quæst. unica, punct. 6. num. 11.* Marcellus Vvlpe, *in praxi fori Ecclesiast. cap. 6. num. 15.* Antonellus, *de regim. Eccles. Episcop. lib. 1. capite 4. §. 3. numer. 5.* Barbosa, *de potestate Episcopi, parte 3. allegat. 95. num. 70.* Et ratio est, quia illa conditio rejicienda est tanquam turpis, & habenda pro non apposita; siquidem est juri contraria. Item relictum Ecclesiæ incapaci retinendi sub conditione, ut retineatur, non est obligata retinere, sed potest illud alienare. Ergo similiter relictum sub conditione, ut possit alienare, non servata solemnitate, debet illicò retinere, si solemnitatem in alienatione non servat.

2. Verùm his non obstantibus, affirmativæ sententiæ adhæret Castrus Palaus, qui inter præstantissimos Societatis IESU Theologos non infima subsellia obtinet, *tomo secundo, disputatione unica, punct. 15. numero decimoquarto.* Quia tum Ecclesia ex potestate accepta à testatore legatum alienat: testator autem poterat suam rem absque solemnitate alienare. Ergo transferens rem Ecclesiæ, potuit cum ea potestate conferre. Secundò testator potuit relinquere Ecclesiæ hæreditatem, ea clausula apposita, ut post aliquos annos teneatur illam transferre in aliquem ex consanguineis, quem Ecclesia elegerit: sed ad hanc translationem nullus consensus Pontificius, nullusque tractatus requisitus est, *argument. libro primo, & tertio, Cod. quando decreto opus non est*, & tradit Quaranta *verb. alienatio rerum Ecclesiæ, numero 45. limitatione decimasexta*, Vgolinus, *de potestate Episcopi, allegation. 95. numero 62.* Ergo neque etiam requiritur in nostro casu, cum in eo etiam sit quoddam fideicommissum, & ex voluntate testatoris alienatio non procedit. Neque obstant contrariæ rationes. Ad primam nego rejiciendam esse illam conditionem, tanquam turpem, & juri contrariam, cum jus solum prohibeat alienare res Ecclesiæ, quæ illius sunt absolute; secus illas, quæ non sunt absolutè, & perpetuò Ecclesiæ, sed quandiu Ecclesiæ placuerit illas retinere. Ad secundam respondeo esse disparem rationem. Qui enim legat Ecclesiæ incapaci retinendi ea conditione, ut retineat, manifestè constat obstare Ecclesiæ dispositioni, ac proinde turpem esse illam conditionem, & rejiciendam. At qui legat ea conditione, ut Legatum alienet, quando voluerit, non opponitur dispositioni, & juri Ecclesiæ: hæc enim Ecclesia impedita non est alienare sine solemnitate in omnibus casibus, sed solum in illis, in quibus res Ecclesiæ sibi absolutè relinquuntur, non in illis, in quibus pro limitato tempore conceduntur, ut fit in præsenti, siquidem conceditur legatum pro tempore, quo ipsa Ecclesia illud retinere voluerit. Hucusque Palaus.

3. Quid ego sententiam, dicam breviter? Ejus opinio, speculativè loquendo, videtur mihi probabilis; Ego tamen non auderem in Praxi recedere à sententia negativa; quia est communis inter Doctores, & magis secundum stylum Curiæ, & præsertim pro casu, de quo interrogatus fui; quia consulens erat Vicarius Diœcesis in statu Ecclesiastico, & erat Vicarius Episcopi Cardinalis.

4. Sed quia hîc incidit sermo de alienatione bonorum Ecclesiasticorum, apponam casum discussum à Patre Vvadingo, *in tract. de contract. disputatione secunda, dub. 8. §. 3. numero quarto*, vbi sic asserit: Quamvis permutatio bonorum Ecclesiasticorum, maximè cum Laicis sit jure prohibita, tamen permutatio cum Principe patriæ est permissa. *In authentic. de alienandis.* Imperator permittit libere, ut fiat permutatio secum, & *leg. hoc jus correctum, Cod. de Sacrosanct. Eccles.* & relata est illa *lex in decretum, cap. hoc jus 10. quæstione prima, & in capite primo, de rerum permutation.* absolutè conceditur, ut quando est rationabilis causa, possit Ecclesia cum Principe permutare possessiones, verbi gratia, quando Princeps vellet dilatare suum palatium, aut vivarium facere ex aliquo prædio Ecclesiæ, aut habet aliam causam rationabilem vtendi pro suis communibus vsibus aliqua possessione Ecclesiastica, tunc potest, & debet Ecclesia consentire in permutationem, etiamsi Princeps non compensaret dando possessionem majoris valoris, modo det æqualis. Vide *in capite primo, de rerum permutatione.* An autem hic casus ita sit à jure privilegiatus, ut non requirantur solemnitates ad alias alienationes necessariæ, disputatur: plurimi enim secuti Innocentium, negant; Zabarella, Imola, Henricus, & alij asserunt, vere ita esse privilegiatum, ut non requirantur solemnitates, Hostiensis *in cap. citato*, Archidiac. *cap. hoc jus 10. quæst. 1.* Nevizanus *cons. 100.* & aliqui recentiores, ut Tuschus *verb. Alienatio concl. 273.* alios citans, quæ opinio videtur rationabilis, quia ut benè argumentatur Hostiensis, Ecclesia voluit aliquod singulare privilegium concedere Imperatori, vel supremo Principi tanquam Patrono, & Fundatori: parum autem concessisset, si voluisset requiri in illa permutatione easdem solemnitates, quæ requiruntur in privato, nec satisfacit Ioannes Andreas, quem communiter alij sequuntur, dicentes, in hoc aliquid peculiare statui in Principe, quod Ecclesia sit contenta permutatione pro re æquali, quod tamen in privatorum permutationibus non sufficeret, in quibus debet fieri permutatio pro magis vtili. Ad hoc enim posset responderi negando vnquam in tali casu inæqualem fieri permutationem, sed semper illum contractum fieri pro majori Ecclesiæ vtilitate: quia fatentur omnes, Ecclesiam, & posse, & debere facere donationes remuneratorias, de quibus infra, & dicunt; donationem fa-

ctam ex gratitudine benefactoribus eximiis esse ad majorem Ecclesiæ, vel Monasterij vtilitatem, quia animantur alij ad benefaciendum, quando vident Ecclesiasticos esse gratos. Vnde existimo, si privatus aliquis fundator peteret communicationem æqualem, fore illam causam licitam permutationis, servatis tamen solemnitatibus: quia æquum est, & valdè expedit Ecclesiæ sic permutare: ergo cum secundum omnes in hoc *cap.* fiat Imperatori, vel Regi singulare privilegium, debemus fateri, in hoc consistere, quod sine solemnitatibus possit fieri. Reliqua enim omnia sunt, ut dixi Imperatori communia cum quocumque fundatore privato. Deinde ad hoc adhuc amplius inducor, quod videam in dicto capite primo statui, ut Imperator de hac permutatione pragmaticam edat sanctionem, quasi tacitè, jus in gratiam Principis optimè meriti commutare solemnitates tractatuum, & instrumentorum, quæ solent requiri ex parte Ecclesiæ, in illam solam, ut ipse Princeps faciat instrumentum permutationis. Hucvsque Pater Vvadingus. Sed ejus opinionem in praxi non video observatam.

RESOL. LXXXI.

An cogentes fœminas intrare in monasterium educationis causa incidant in excommunicationem latam in Concilio Tridentino, sess. 25. c. 18.

Et quid de peccato in quacumque opinione circa hoc?

Et an si metu reverentiali, vel importunis precibus Parentes, vel alij suadeant puellis intrare in Monasterium incurrant in excommunicationem Concilij?

Et notatur non incurrere hanc censuram illum, qui filiam relinquit hæredem cum pacto, ut aliquod Monasterium ingrediatur.

Et multa alia explanantur pro supradictis casibus. Ex part. 2. tr. 15. & Misc. 1. Res. 56.

Sup. hoc in Res. seq.

§. 1. REspondeo distinguendo, vel dictæ fœminæ sunt impuberes, vel sunt puberes; si sunt impuberes, dico parentes illas cogentes non incurrere in hanc excommunicationem: nam pater, & mater ex jure Canonico, ut probat Sanchez, *in summa, tomo primo, libro quarto, capite 19. numero 8. & 9.* habent jus naturale offerendi filios religioni, & talis filius sic oblatus tenetur obedire patri ordinanti suam educationem; & antequam annos pubertatis attingat, non potest à Monasterio exire, & hoc jus Canonicum non fuit hìc à Concilio revocatum. Et ita hanc sententiam in terminis docet Suarez, *de Religion. tom. 3. lib. 5. cap. 9. num. 4.* & doctus Portel, *in addit. ad dubia regular. vers. clausura Monialium, num. 4.* quidquid postea, quod valdè miror, dubitanter asserat *in vers. Moniales, num. 18.* Si autem dictæ fœminæ cogantur intrare Monasterium puberes, id est, post annos duodecim.

Sup. hoc in Res. not. seq. §. 2. paulo post initium, vers. Vnde

Sup. hoc. in Res. seq. §. vlt.

2. Prima opinio est affirmativa, etiamsi cogentes non dicant, ut intrent ad habitum suscipiendum, neque ad professionem emittendam, sed solùm, ut ibi maneant cum habitu sæculari, usque ad occasionem nubendi. Ita docet Barbosa, *de potest. Episcop. p. 3. alleg. 104. n. 5. & in collect. tom. 1. lib. 3. tit. 31. c. 12. n. 4* Rayne-rius, *in catalogo censur. c. 6. excom. 63.* Megala, *in 3. part. lib. 4. c. 6. n. 100.* Zipæus, *in jure Pontificio novo, lib. 3. de Reg. n. 30* Ledesma, *in addit. ad Sum. tom. 2. tr. de statibus, c. 5. concl. 8.* Zerola, *in praxi Episc. part. 2. vers. Moniales, q. 13.* & Filliuc. *tom. 1. tr. 14. c. 6. num. 89.* & ante omnes, sapientissimus senex Navarrus, *cons. 56. de sent. excom. in 1. edit. & cons. 6. de regul. in 2. edit.* & Filliuc. cum Raynerio citant pro hac sententia Suarez, *de cens. disp. 23. sect. 5. num. 9.* Sed ipse postea, ut infrà videbimus, explicuit circa præsentem materiam sensum suum, non ut citati DD. accipiebant.

3. Secunda opinio limitat supradictam sententiam, & asserit, tunc cogentes fœminas intrare Monasterium, incurrere in dictam excommunicationem, quando coactio illa ingressus efficeretur in ordine, vel cum animo ad postea suscipiendum habitum Religionis, sive suasionibus Monialium, sive alia via: secus si hoc nullo modo intenderent ipsi cogentes, tunc enim non incurrerent. Ita ex Emmanuele Rodriquez, *in sum. tom. 2. cap. 8. n. 9.* Portel, *in addit. ad dubia regul. verb. Moniales, n. 14.* & Sanchez, *in summ. tom. 1. lib. 4. c. 4. n. 12.*

4. Tertia opinio est P. Suarez, *de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 9. dub. 4.* vbi ait Concilium loquutum fuisse, non de omni ingressu Monasterij, sed de illo, qui per se ordinatur à parentibus ad susceptionem habitus; & sub hac conditione, seu pactione fit. Igitur secundùm Suarez, videtur tunc cogentes fœminas intrare Monasterium, incurrere in excommunicationem, quando haberent animum, ut ibi invitæ permaneant, & suscipiant habitum; secus autem si habeant animum, ut ibi custodiantur, vel etiam, ut paulatim afficiantur, & postea, si voluerint, habitum suscipiant.

5. Quid ego sentiam, dicam breviter. Omnes supradictæ opiniones sunt satis probabiles, & tutæ in praxi; sed ego primam libenter amplector, quia Concilium, sicut expressit susceptionem habitus, aut professionem; sic etiam expressit disjunctivè Monasteri j ingressum, sed in alternativis sufficit alterius partis veritas. Ergo, &c. Item Concilium expressit, ac prohibuit, sine vlla distinctione, sed simpliciter, ingressum Monasterij; ergo vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; & optimè, sanctèque Concilium absolutè loquutum est; quia per illum ingressum, ut sic dicam, datur occasio, ut postea puella in Monasterio ob verecundiam fœmineam, & Monialium suasionem suscipiat habitum involuntariè. Ergo, &c. Nota verò, quòd Concilium non solùm prohibet directam, sed etiam indirectam coactionem. Vt si, verbi gratia, parentes malè tractent puellas in victu, vestitu, verbis, & aliis actionibus, contumeliosè illas tractando; nam si ita facerent, dictam excommunicationem vtique incurrerent. Et hæc dicta procedunt quoad excommunicationem: nam quoad peccatum, puto non excusari parentes cogentes fœminas ad ingressum Monasterij, etiam stando in quacumque opinione, ex supra positis. Nam, ut benè observat Suarez, cùm fœminæ majoris ætatis sint sui juris in omnibus his, quæ ad statum animæ suæ pertinent, non possunt licitè, & sine peccato à parentibus cogi ad tam arctam custodiam, & rigidam clausuram, & talem vivendi modum, etiam temporalem; secus si ad aliquod tempus talis ingressus censeatur moraliter necessarius ad decentiam, & custodiam ipsarum.

6. Ex his apparet, quàm cautè debeant parentes in hoc tam gravi negotio incedere. Sed quia vtplurimum puellæ nobilium ingrediuntur Monasterium tantùm ex metu reverentiali, & non ex minis, seu coactione, ut in supradictis suppositum est; ideò quæritur ad Confessariorum, & Pœnitentium consolationem, an in tali casu parentes incidant in excommunicationem Concilij? Respondeo negativè cum Riccio, *in praxi, tom. 1. res. 599. n. 4.* & Portel *in addit. ad dubia regularia, verb. Moniales, n. 11.* & quia codex rarus est, ponam ejus verba. In hoc casu (ait) credo metum reverentialem non inducere excommunicationem, quia parentes, vel consanguinei in illo timore incutiendo, non se habent activè, etiamsi manifestent puellæ statum monachalem illi convenire, & quod non habeat dotem pro matrimonio, vel eo quòd non illi

illi securum erit manere in sæculo, absque matrimonio, & absque monachatu. Et hæc est praxis in tota ferè Ecclesia, juxta quam facientes parentes nemo judicat excommunicatos; imò etiam si parentes, vel alij importunis precibus suaderent puellæ, ut ingrederetur, non incurrerent, quia suasio etiam importuna non est coactio. Ita Portel, cui etiam addam Villolobos *in summa*, *part.1. tract.18. dub.31. n.11.* ubi sic asserit. [Se libran de la excommunicacion los Padres nobles, que embian à sus hijas siendo niñas à criarse en los Monasterios, para que sean monjas, ò siendo ya grandes les dizen, que no tienen dote para casarlas, y ansi que solo les queda entrarse en un Monasterio, que estos no les hazen fuerza, pues siempre, quedan libres para no ser monjas.] Hæc ille. Vbi etiam observat, & post illum etiam notavit Suarez, Cardinalium Congregationem docuisse, non incurrere hanc censuram illum, qui filiam relinquit hæredem, cum pacto, ut aliquod Monasterium ingrediatur; quòd si renuerit, ipsum Monasterium hæredem instituit, & filiæ solùm alimenta necessaria relinquit. Ratio est, quia illa non est coactio, nec inductio per vim, sed potiùs per modum concupiscentiæ: quæ omnia notent Confessarij; sunt enim multum conducentia ad sedandos multos scrupulos, & pro praxi Confessariorum. Salva semper, &c.

RESOL. LXXXII.

An Pater incurrat excommunicationem Concilij Tridentini sess.25. cap.18. *si cogat filium impuberem intrare Monasterium?*

Et infertur filios impuberes sic à Parentibus in Religione oblatos non posse egredi sua voluntate ante annos pubertatis.

Et notatur Parentes cogentes filiam etiam puberem intrare Monasterium non in ordine ad professionem, sed tantum ut ibi educetur, donec nuptui apta sit, non incurrere dictam excommunicationem Tridentini. Ex part.4. tract.4. & Misc. Resol.42.

§.1. NEgativè respondi *in 2.p. tract.1. Miscellan. * resol.56.* cum Laurentio de Portel & Sanchez, quia Concilium *in illo loco* non revocat jus, sed jura, ut patet *ex cap. addidistis 20. quæst.1.* & aliis capitibus, conceditur parentibus offerre Religioni filios impuberes, secus autem si essent puberes, &c.

2. Sed hanc sententiam, me citato, impugnat Megalius *var. resol. tom.2. resol.157. n.5. & 9.* quia ait ille, jura adducta concedunt parentibus hoc fieri posse filiis non repugnantibus. At si hoc esset verum, nulla differentia esset inter filios impuberes, & puberes; dicendum est igitur parentes offerre posse Religioni filios impuberes vigore supradictorum canonum sine eorum consensu, quia ut optimè asserit Suar. *de Relig. tom.3. lib.5. cap.2. n.15.* filius in illa ætate non tam sua, quàm patris voluntate regendus est. Vnde infert filios impuberes sic à parentibus in Religione oblatos non posse egredi sua voluntate ante annos pubertatis, quod etiam antea docuerat Sylvester *verb. Religio 2. 9.10.* & ideo hanc sententiam præter Suarez, Sanch. & Portel à me *in d. resol.* citatos, tenet etiam novissimè Bartholomæus à Vecchis *in praxi novitiorum, disp.2. dub.6. n.5. concl.2.* & Barbosa *in collect. tom.4. part.2. Decreti 20. quæst.2. cap.1.* & ante omnes D. Antoninus *in summ. 2. part. tit.11. cap.2 §.8. notab.4.* ubi asserit posse patrem offerre Religioni filium impuberem contradicentem, sicut etiam invitus ad scholam potest ponere, & ad artificium. Ita ille, quæ quidem verba etiam ponit Paludanus *in 4. sent. dist.38. art.3. num.36.* hanc etiam opinionem docens. Restat modò respondere ad argumentum quod adducit Megalius *num.10.* Dico igitur Leonem Papam *in dicto capite*, loqui de puellis adultis, & §. *cum ergo*, non est Leonis Papæ, ut asserit Megalius, sed Gratiani, & ideo Glossa super dicta verba sic asserit. Concludit hoc Gratianus ex supradicto capitulo à contrario sensu, quòd si à parentibus coactæ fuerunt recipere habitum, ipsum deserere possunt. Postea solvit, dicens, quòd *c. illud puellæ*, loquitur de puella nubili, quæ post duodecimum annum à patre cogi non potest Monasterium ingredi; sed si esset innubilis, secus esset. Ita *ibi* Glossa; unde apparet verba, quæ adducit Megalius, non esse verba Pontificis, ut dixi, sed Gratiani Doctoris privati, & non destruere, sed confirmare magis nostram sententiam, ut patet ex Glossa, dicta verba, *ut supra*, interpretante. Ad alia verò jura contra nostram sententiam adducta, respondeo quòd loquuntur de puberibus.

3. Notandum est tamen hîc obiter quòd etiam stando in opinione Megalij, patrem cogentem filiam etiam puberem intrare Monasterium non in Ordine ad professionem, sed ut tantùm ibi educetur, donec nuptui apta sit, non incurrere in dictam excommunicationem Tridentini, quia Concilium consuluisse videtur libertati Religionis, & licèt absolutè & simpliciter loquatur de ingressu in Monasterium, ipsius mens colligi debet ex subjecta materia, de qua in ea sessione. Ita probabiliter novissimè Bonacina *tom.3. disp.2. q.2. punct.2. n.6.* & alij; quos *loco cit.* adduxi, licèt ego magis probabiliter contrarium ibi docuerim. Igitur etiamsi parentes filias impuberes non possint cogere ad intrandum Monasterium in casu de quo loquitur Megalius, poterit adhuc peter excusari probabiliter ab excommunicatione, quia cogit filiam ad ingressum Monasterij non in ordine ad professionem, aut habitus susceptionem, sed in ordine ad educationem tantùm, ergo, &c.

Sup. contento in hoc §. in Resp. præcrita §. Prima.

RESOL. LXXXIII.

An si quis insideret suprà murum Monasterij Monialium, incideret in censuram?

Et plura circa clausuram Monialium notantur.

Et pro praxi quæritur, an si aliqua Monialis ascendat super tectum Monasterij, frangat clausuram?

Et an detur parvitas materiæ in violatione clausuræ, tam respectu exitus, quam ingressus, vel respectu temporis?

Et quæ quantitas sit parvitas materiæ in prædictis casibus? Ex part.11. tract.8. & Misc.8. Resol.25.

§.1. NEgativam sententiam, & benè docet eruditus Pater Giballinus *de clausur. sanctimon. disquisit. 1. cap. 2. §.17. sect.4. numer.37.* ubi sic ait. In secundo casu, Monialis, quæ conscendit murum Monasterij sive curiositatis causa, sive quo alio animo, imò quæ illi inequitat, nondum violat clausuram, quia re vera nondum extra clausuram est: quod idem dicendum erit de externo, qui murum Monasterij conscendisset, illique insideret, ut cum Moniali colloqueretur etiam malo animo: peccaret enim, sed non violaret clausuram: quare si ex composito Monialis ex altera parte conscenderet eundem murum, atque ita colloquerentur, turpiaque agerent gravissimè quidem peccarent; nullus tamen clausuram violaret: sicut neque si eadem admitterent aperto ostio Monasterij, ex quo neque Monialis egrederetur, neque externus in illud etiam ingrederetur. Ita ille: Et quoad Monialem idem docuit Suarez *de Religione tom.4. libr.1. tract.8. cap.19.*

num.7. Tamburinus *de jure Abbatiſſar. diſput.19.q.5. num.7.* Thom. del Bene *de immunit. tom.2. cap.19. dub.51. num.6.* & alij.

Sup. hoc in tom.7. tr.1. Reſ.340.

2. Sed quid dicendum ſi aliqua Monialis aſcendat ſuper tectum Monaſterij, an frangeret clauſuram? De hoc caſu interrogavi Epiſcopum Avellini coram Sanctiſſimo Domino noſtro Innocentio X. & ipſe negativè reſpondit. Eminentiſſimus Dominus meus Cardinalis de Lugo huic reſponſioni non videbatur annuere, ſed ego illam tutatus ſum. Probatur, quia qui confugit ſupra tectum Eccleſiæ, gaudet ejus immunitate, quia ſtans ſupra tectum Eccleſiæ, dicitur ſtare in Eccleſia. Ergo Monialis ſtans ſupra tectum Monaſterij, adhuc dicitur ſtare in Monaſterio.

3. Confirmatur, nam ibi dicitur aliquis eſſe propriè ubi pedes habet, licet à tali corpore non circundetur; unde Corpus Chriſti eſt in Cœlo, quia pedibus calcat ſuperficiem convexam Cœli, licet à corpore cœleſti non circundetur, ut docet Divus Thom. *in 3.p.quæſt.57.art.4. in reſponſione ad 2.* Et ita hanc ſententiam præter Texedam à me alibi adductum docet Sanchez, *in ſumma tom.2. lib.6. cap.15. num.7.* Thomas del Bene *de immunit. tom.2. cap.19. dub.4. numero 4.* & me citato Giballinus *ubi ſupra*, Tamburinus *de jure Abbatiſſ. diſputat. 19. quæſt. 4. num.4.*

4. Nota tamen quod poſt hæc ſcripta inveni ſententiam Eminentiſſimi Cardinalis de Lugo docere Patrem Bordonum *in controverſ. moral. controverſ.19. numero 2.* quia clauſura eſt ambitus ex omni parte clauſus, & limitatus, intra quem, vel extra quem nulli patet aditus ſine licentia, ergo monialis ſuper tegulas gradiens, non dicitur eſſe in clauſura; cùm ſit extra ambitum, qui ex omni parte debet eſſe limitatus, & ſicut viris per illam non licet intrare; ita neque Monialibus illinc exire. Vtriuſque enim par obligatio. Ita Bordonus. Vnde puto utramque ſententiam probabilem eſſe, ſed noſtra opinio à Doctoribus eſt magis recepta.

Sup. hoc in tom.7. tr.1. Reſ. 338. & 359. per totas, & hic inf. in Reſ. 123. §. penult. à lin. 5. & verſ. Nam Nald.

5. Verùm hîc etiam diſcutienda venit alia difficultas. An detur parvitas materiæ in violatione clauſuræ, tam reſpectu exitus, & ingreſſus, quàm reſpectu temporis? Alibi affirmativè reſpondi, & dedi caſum, quando, videlicet, Monialis uno pede ſit extra, & altero ſit intra clauſuram; & ita hanc ſententiam me citato tenet Thomàs del Bene *de Immun. Eccleſ. tom.2. cap.19. dub.53. num.3.* ubi ſic ait. Licet Naldus *verb. Clauſura, n.4.* & Merolla *tom.1. diſputat.1. cap.2. difficult.7. num.502.* putent, modicum eſſe, ſi ingreſſus ſæcularis in Monaſterium Monialium, vel egreſſus Monialis è clauſura ſui Monaſterij, vel ingreſſus fœminæ in Monaſterium virorum ſit per duos pedes; moti ex eo, quia etſi ille, ſit verus & perfectus ingreſſus, vel egreſſus, tamen eſt in parva materia, & ſic non ſufficiens ad peccatum mortale; ſicuti licet furtum unius argentei ſit verum, & perfectum furtum, tamen quia eſt in parva quantitate, non eſt ſufficiens ad peccatum mortale, nec ad contrahendas pœnas latas contra furantes; quod mihi non improbatur, ſi abeſt periculum peccati, & cum illo modico ingreſſu, vel egreſſu conjungitur parva mora temporis, nihilominus probabilius ſit, modicum in hoc caſu, ſeu in hoc egreſſu, vel egreſſu eſſe, quando hæc non ſunt perfecta, & conſummata, itavt nimirum pars corporis (ſive major, ſive minor) ſit intus, altera foris, ſeu totum corpus non ſit intus, vel totum foris, ut ſi quis, v. g. uno pede clauſuræ januam exierit, altero intus extiterit. Ita ille.

6. Non deſinam tamen hîc adnotare quod amiciſſimus P. Bordonus magis ample quam fecerat Graffius, Naldus, & Merolla, loquitur circa præſentem difficultatem; ſic enim aſſerit *dicta controv.19. num.3.* Exitum à Monaſterio per plures paſſus, v. g. tres, aut quatuor ſtatim regrediendo non judicatem peccatum mortale, cùm is egreſſus ſit modicus, quod probatur. Tum quia in Tridentino prohibetur extitus Monialibus à Monaſterio etiam per breve tempus, loco citato, ergo non per breviſſimum tempus ſaltem cum illo rigore, quod tranſgreſſio ſit peccatum mortale, nam tempus momentaneum leges non conſiderant, *l. fin. C. de bonis quæ liber.* niſi ex eo producatur aliquis juris effectus, ut patet de ætate ſexdecim annorum completa ad profitendum in eo, & in ſimilibus caſibus momentaneum tempus ſpectatur. Doctoribus citatis Barboſa *ad cap.15. ſeſſ.25. num.14.* & in aliis materiis alter Barboſa Senior, *l. Dotalem 62. ff. de ſolut. matrimon. numero 13.* Tum quia non cenſetur propriè fugitivus ille, qui ad fugam gradum unum, aut alterum promovit, immo qui cœpit currere, *l. quis ſit fugitivus: §. Item ait, de ædil. edic.* Ergo neque perfectè exiſſe Monialis per illos paſſus paucos. Tum quia quod aiunt præcitati, exiſtentem cum uno pede intra, & cum altero extra, dicitur imperfectè, & incompletè non placet, quia exitus de ſuo formali dicit eſſe extra, ergo excludit à ſuo conceptu eſſe intra, conſequenter ille dicitur eſſe extra, qui locum ad intra omnino reliquit, ac proinde per extra præcisè dicit attentationem exitus, exitus autem non priùs conſtituitur in ſuo eſſe formali, poſtea dividitur. Tum quia licet perfecta ſit egreſſio, in quantum Monialis ſecundùm ſe totam eſt extra clauſuram, non tamen inde deducitur quod talis ſit in genere tranſgreſſionis peccati mortalis, quod oſtendo exemplificando in furto unius oboli, & argentei, ſiquidem tam eſt furtum acceptio unius oboli, quam unius argentei, cum in utroque reperiatur ratio perfecta furti; utraque enim eſt iniqua ablatio rei alienæ, nihilominus unum peccatum mortale, alterum peccatum veniale; ſic in caſu noſtro, utraque egreſſio, ſive per unum paſſum, ſive per plures, habet rationem perfectam exitus, hæc tamen ratio de ſe non infert peccatum eſſe mortale, aut veniale, ſed id aliunde deducitur ex gravitate rei, & aliis circumſtantiis.

7. Remanet difficultas circa brevitatem temporis, certum eſt breve tempus interdici in Tridentino, & cum præter tempus breve detur etiam breviſſimum, quod non prohibetur, aliud enim eſt breviſſimum tempus, & momentaneum, quod leges non conſiderant in hoc caſu, aliud breve quod conſiderant; ex uno non licet in odioſis inferre ad aliud, cùm odioſa ſint reſtringenda. Quare tempus breve crederem eſſe; ſi Monialis per unum, aut alterum Credo perſiſteret extra prope portam colloquendo, exempli gratia, cum conſanguinea, in multis enim tempus breviſſimum excuſat à peccato mortali, ergo & in hoc.

8. Nec obſtat, quod per unum Credo Monialis poteſt exire per quamplures paſſus, & non tantum per tres, aut quatuor, nam tunc violat clauſuram reſpectu paſſuum, qui exitum perficiunt, & gravant, non verò reſpectu temporis; ideò dixi ſi Monialis perſiſtat intra illos duos paſſus. Graffius *part.1. lib.4.cap.23.num.15. & de caſibus reſervatis lib.1.cap.5. num.45.* dicit non incurrere pœnas tranſgredientes clauſuram per duos pedes, vel paulò plus, & ſequitur Naldus *verb. Clauſura, num.11.* Quæ dicta ſunt de Monialibus, locum habent etiam reſpectu virorum ingredientium, cum utriuſque omnino ſit idem judicium.

9. Ve

9. Verùm quidem est, quod doctrina allata habet magis locum post factum, quàm ante factum; nam tunc restringendus est exitus, ne detur materia peccandi alicui; nihilominus adductæ rationes mihi videntur multum persuadere probabilitatem hujus opinionis Graffij, & aliorum; neque enim videtur rationabile pro levi exitu, & celeri, arguere Monialem de peccato mortali, & censuris. Hucusque Pater Bordonus sed ego non discedo ab opinione, quam olim docui, & quam communiter tenent Doctores, quos ego alibi citavi, & ex me adducit Del-Bene *ubi supra*, quibus adde Giballinum *ubi supra con-* *sect. 2. num. 34.*

RESOL. LXXXIV.

Notabilia quædam circa prohibitionem colloquendi cum Monialibus.

Et in textu hujus Resolutionis decem casus adducuntur pro praxi, & exemplis prædictæ difficultatis.

Et tandem superest hæc quæstio, an, nimia frequentia Monasterij Monialium absque legitima causa sit peccatum? Ex parte 3. tractatu 2. Resolutione 48.

§. 1. NOta primò, quòd aliqui dixerunt non incurrere excommunicationem qui loquitur cum Moniali ea nihil respondente, quia verba legis pœnalis non sunt extendenda, sed *colloqui* significat, simul loqui, & cætera. Verùm contrariam sententiam, & meritò docet Graffius *tomo 1. consil. 22. de sentent. excommunicationis, num. 30.* Sed an idem dicendum sit de eo, qui audit Monialem sibi loquentem, quamvis ipse illi non respondeat? affirmat Graffius *ubi supra, numero 21.* At ego contrariam sententiam teneo, quia excommunicatio lata est contra loquentes cum Monialibus, sed audire non est loqui, etiam ex lata significatione vocabuli. Ergo, &c.

2. Nota secundò, quod qui per nutus, & signa Moniales alloquitur, incurrit in excommunicationem, quidquid asserant aliqui Neoterici moti eo, quod sic loquens non loquitur more humano, loqui etenim est voce articulata internos conceptus explicare; ergo si quis nutu illos manifestet, non est propriè loqui. Sed affirmativa sententia, ut dixi, est tenenda, & illam docet Graffius *de cas. reservat. libro 2. capite 5. numero 35.* Vbi etiam tenet idem dicendum de eo, qui loqueretur per interpositam personam in præsentia Monialis audientis, & per eamdem interpositam personam respondentis, quia id in effectu idem est, ac si cum ipsa Moniali colloqueretur. Sed ego in hoc contrarium teneo, & ita in praxi etiam à viris timoratis observatur, & à fortiori non incurreret in excommunicationem, qui mitteret moniali absenti nuntium, vel epistolam.

3. Nota tertiò, quod loquentes cum Abbatissis sine licentia Episcopi, incurrunt in excommunicationem, & ita tenet Graffius *de casib. reservat. libro 2. capite 5. numero 31.* Verùm mihi contraria sententia magis placet, quia sicut nomine Monachorum non venit Abbas, ut notat Glossa *in capite final. de simonia*, &*ibi* Panormitan. *num. 2.* Cardinalis *in Clem. 1. num. 7. in 6. oppositi. de Regular.* ita dicendum est, quod nomine Monialium non veniat Abbatissa.

4. Nota quartò, quod qui per interpretem loqueretur, ut si loquatur aliqua lingua, quam Monialis non intelligit, sed alius explicaret Moniali sensum verborum, secundùm Graffium *de casib. reservat. libro 2. cap. 5. num. 34.* incurreret in excommunicationem; sed ego contrariam sententiam teneo, quia talis verè non loquitur cum Moniali, sed cum illo interprete; quare idem est, ac si dictæ Moniali, nuntium mitteret.

5. Nota quintò, contra dictum Graffium *tom. 1. consil. 22. de sentent. excommunicationis, num. 9.* pueros, puellásve ante annum decimum quartum completum, loquentes cum Monialibus non incurrere in excommunicationem, per ea, quæ adducit Bonacina *de censur. disputatione 1. quæstione 1. punct. 4. numero 7.* cum aliis. Idem dicendum est de advenis, & peregrinis si cum Monialibus colloquuntur in aliqua civitate ubi domicilium non habent, ex his, quæ diximus *in tractatu de legibus.* Et idem asserendum puto de Episcopis, qui ut experientia demonstrat sine scrupulo cum Monialibus loquuntur absque Ordinariorum licentia. Et ita docet Graffius *de cas. reserv. lib. 2. cap. 5. num. 27. & 54.* licèt contrarium teneat Gratianus *tom. 2. cap. 393. num. 20.* & hìc Panormi observatur.

Sup. hoc ib. §. ult. ad medium, v. Et tandem.

Sup. his in resol. not. seq. §. Nota quinto, &c.

Sup. hoc inf. in resol. 87. §. Nota quæ-to.

6. Nota sextò, quod, ut alibi diximus, collocutio de rebus indifferentibus cum Moniali per spatium unius *Miserere*, & aliquid amplius ratione parvitatis materiæ, non sufficit ad incurrendam excommunicationem, licèt aliqui asserant sufficere decem verba, imò duo, vel tria tantùm, si collocutio esset de rebus obscœnis. Adde etiam quod aliquando quælibet, licèt longa, collocutio etiam de rebus obscœnis, non sufficit ad incurrendam excommunicationem, ut v. g. si dominus, qui solitus est minas exequi, comminaretur aliquod grave malum servo, vel ancillæ, nisi ad colloquendum cum Moniali de rebus turpibus, accedat; quia lex Ecclesiastica non obligat cum tanto rigore, ideo in tali casu servus, & ancilla, licèt peccent, non tamen in hanc excommunicationem incurrunt.

Alibi infr. in res. 124 à lin. 2 & in t.t tr 5. res. 46 post medium, §. 1.

7. Nota septimò, quod excommunicatio lata contra accedentes ad Monasteria ad colloquendum cum Monialibus, non ligat illum, qui loquitur cum Moniali, quæ est intra clausuram de domo, quæ propinqua est illi Monasterio, quia talis excommunicatio cùm sit pœnalis, strictè est interpretanda; cùm ergo sit lata contra accedentes ad Monasterium ad colloquendum, non est extendenda ad illum, qui non accedit ad Monasterium, sed cum Moniali loquitur de domo. Et ita hanc sententiam tenet Graffius *tomo 1. consil. 22. de sentent. excommun. numero 23.* licèt contrarium, & magis probabiliter tenendum sit, quia principaliter, & per se prohibetur in tali casu ipsa collocutio, accessus verò ad Monasterium prohibetur per accidens; ergo, &c. Et ita videtur apertè docere Henriquez *lib. 13. cap. 26. num. 2.*

Sup. hoc inf. in res. 87. § sed hic, propè finem.

8. Nota octavò, quod omnes Regulares, etiam exempti alloquentes cum Monialibus absque licentia, possunt puniri ab Episcopo ex constitut. Gregor. XV. & ex Declaratione Cardinalium Romæ typis excusa anno 1624. & hoc etiam si alloquantur in Monasterio ipsis Regularibus subdito, ut notant Bellochius *in praxi de Cas. reserv. part. 2. quæst. 9. numero 17.* Bonacina *de clausur. quæst. 3. punct. 4. numero 8.* & alij. Notandum est tamen contra Duardum *in Bull. Cœn. t. 1. cap. 1. quæst. 3. num. 119.* quod non colligitur ex dicta Declaratione Cardinalium Episcopos, etiam tanquam Apostolicæ Sedis Delegatos, posse peculiali statuto prohibere Regularibus exemptis, sub pœna excommunicationis, ne cum Monialibus colloquantur. Vnde infertur etiam contra Graffium *in decis. part. 1. lib. 2. cap. 49. numero 68.* & alios, quod Religiosi exempti non afficiuntur censuris ab Episcopo impositis contra accedentes ad Monasteria

Sup hoc cõtento in hoc §. in t. 7. tr. 1 resol. 314. & late in res. 315. à principio, usque ad §. ultim. exclusivè.

Sup. hoc ibidem.

nasteria Monialium absque licentia. Et ita tenet Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 33. num. 33.* Rodriguez *in qq Regul. tom. 1. quæst. 45. art. 2.* & alij, quos citat, & sequitur Barbosa *de potest. Episcop. part. 3. alleg. 102. n. 73.*

9. Nota nonò, non incurrere in excommunicationem latam contra colloquentes cum Monialibus, si quis loquerefur cum Novitia, & ita docet Graffius *tom. 1. cons. 22. de sent. excomm. n. 26.* quia in odiosis, & pœnalibus Novitiæ non comprehenduntur sub nomine Monialium. Vnde si aliquis accessit ad Monasterium cum licentia colloquendi cum aliqua Moniali, si ex industria ad se vocari faciat Novitiam, & cum ea colloquatur, non incurrere in excommunicationem dicendum est.

Quoad hoc lege infr. doctrinam Res. 93. quamvis ibi sit pro ingressu Monasterij Monialium Et pro contento à medio hujus §. & v. Et si data fuerit, late infra in Res. 89.

10. Nota decimò, quod in conscientia ad evitandum peccatum, & pœnam excommunicationis, non est necesse ut licentia Ordinarij colloquendi cum Monialibus sit in scriptis; & nota etiam quod hanc licentiam dare potest non solùm Episcopus, sed etiam ejus Vicarius; & si data fuerit indefinitè, & absque temporis præfinitione, extinguitur per primam collocutionem. Vide Graffium *ubi supra num. 40. & 41.* Sbrozium *de vicar. Episcopi, lib. 2. quæst. 109. & 210.* Mastrillum *decision. 97.* Riccium *part. 3. collect. 587.* & alios.

11. Et tandem notandum est hîc obiter, quod *in cap. Monasteria, de vita, & honest. Cler. & in cap. periculoso, de stat. Regul. in 6.* prohibetur frequentare Monasteria Monialium. Sed difficultas est, an nimia frequentatio absque legitima causa sit peccatum? affirmat Hieronymus Llamas *in Methodo Curationis in append.* quam ponit *in fine* §. 4. & idem docet Rodriq. *in qq. Reg. tom. 1. q. 45. art. 4.*

12. Sed mihi absolutè loquendo placet opinio Sanchez *in summa, tom. 2. lib. 6. cap. 16. num. 120.* asserentis, seclusis aliis extrinsecis scandalis, aut mali finis circumstantiis, non esse culpam mortalem dictam frequentiam absque justa causa, & licentia, nisi frequentans ab Episcopo monitus non desistat, verùm rarissimè dicta frequentatio non generat scandalum.

RESOL. LXXXV.

An ligentur excommunicatione accedentes ad Monasteria Monialium Regularibus subjecta, si statutum Episcopi ferat censuras contra accedentes ad Monasteria Monialium?

Et an incurrant in prædictam censuram latam per modum statuti contra loquentes cum Monialibus, quia alloquutio fit in loco exempto? Ex part. 5. tract. 9. Res. 71.

Sup. hoc in Res. seq. & lege etiam aliam ejus primæ not. & infr. ex Res. 102. §. ult. post medium.

§. 1. AD hunc casum respondet Aloysius Bariola *in Aphor. lit. E, verb. Episcopus, §. ult.* sic enim asserit: Episcopi statutum ligans excommunicatione accedentes ad Monasteria sibi subjecta, non autem accedentes ad Monasteria Regularibus subjecta, nisi specialis mentio fiat de Cœnobiis exemptis. Sed replicari potest, statutum Episcopi afficere accedentes ad quæcumque Monasteria absque exemptorum speciali mentione; quia ex Concilio Tridentino Episcopi à sancta Sede sunt delegati pro conservanda Monialium clausura, quæ ob frequentes accessus posset aliqua ex parte violari. Ita Bariola, qui pro negativa sententia adducit Genuensem, pro affirmativa verò Riccium. Verùm non desinam hîc apponere ea, quæ asserit circa præsentem quæstionem Bonacina *de censur. disputatione 1. quæstione 1.* Sup. hoc in *punct. 11. num. 9.* ubi docet accedentem ad Monasteria exempta Monialium incurrere censuram latam per statutum ab Episcopo contra accedentes ad illa Monasteria, nam accessus fit in territorio, non vere incurrit ceusuram latam per modum statuti contra loquentes cum Monialibus, nam allocutio fit in loco exempto. Ita ille. Res. seq. n. 1. v. Et & Res. 89. §. ult. in Res.

RESOL. LXXXVI.

An sæculares loquentes, & accedentes ad Moniales exemptas, incidant in censuram ab Episcopo latam?

Idem est de statuto contra ingredientes dicta Monasteria.

Et quid, quando expresse non est vetitus accessus, vel aditio ad Moniales, sed tantum loquutio?

Et docetur, quod non potest Episcopus Moniales exemptas colloquentes cum suis subditis punire.

Et etiam advertitur quoad omnes leges Episcopales Regularium, Monasteria esse loca exempta, non solum ratione personarum inhabitantium, sed etiam ratione loci per se, & ideo posse aliquem in loco exempto posito intra eamdem Diœcesim ipsius Episcopi laborare in diebus festivis de præcepto ejusdem Episcopi, & ejus jejunia non servare; & hoc idem dicendum est de aliis Episcopalibus legibus. Ex parte 10. tractatu 14. & Miscell. 4. Resolutione 50. alias 48.

§. 1. NEgativam sententiam tenet Pater Vidal *in Sup. hoc Arca Theologiæ moralis, titulo de Monialibus, Inquisitione 2. numero 101.* ubi sic ait: Deducitur, quod excommunicatio lata ab Episcopo contra accedentes absque licentia ad Monialium Monasteria, non ligat accedentes ad exempta, ut sunt Monasteria Regularibus subjecta: Hoc mihi clarum videtur; quoniam ad incurrendam excommunicationem duo necessariò requiruntur, nempe formalis accessus, & allocutio; cùm ergo in casu nostro utrumque consummetur in loco exempto, sequitur quod non incurritur excommunicatio; licet etiam actio accedendi inchoetur in loco non exempto, consummatur tamen, & completur formaliter in loco exempto, sicut accidit de locutione, quæ inchoatur, & perficitur in loco exempto, ut patet, & ibi delictum committi dicitur, ubi exterius consummatur: ergo non contrahitur excommunicatio; nam paria sunt locum esse Territorium, & esse exemptum, ut ex Glossa communiter recepta *in capite, Vt animarum,* & Glossa *final. de Constitution. in 6.* & sentiunt Doctores; sed Episcopi excommunicatio ex communi Doctorum lata per modum Statuti, non ligat delinquentes Subditos extra Territorium, cum Episcopi jurisdictio non extendatur extra suam Diœcesim, *ex capite 2. de Constitutionib. in 6.* ergo neque etiam ligat formaliter delinquentes in loco exempto. Ita Vidal; cui adde Alphonsum de Leone, *de Censur. Recollect. 2. numero 385.* ubi sic asserit: Sequitur, primò, quod loquens cum Monialibus exemptis, vel earum Monasterium intrans, non incurrit excommunicationem latam ab Episcopo contra ingredientes, & loquentes cum Monialibus. Avila *parte 2. capite 3. disputatione 2. dub. 5. versicul. Ex dictis sequitur.* Sylvester, Armilla, Sayrus, & Henriquez, quos sequitur Fagundez *libro 1. in primum præceptum Ecclesiæ, cap. 7. numero 9. ad finem.* Idem de statuto contra ingredientes dicta Monasteria docet Alterius, *libro 3. disputatione 9. cap. 5. versic. Ex his etiam inferri potest.* Laymann. *libro 1. tract. 4. cap 11. numero 5. versic. idem Suarez.* Sicut de loquentibus, scribit etiam Bonacina, *disp.*

disp.1.de Censur.quæst.1.part.11.num.9. ratione de qua suprà; quia licet in his casibus delictum inchoëtur in territorio Episcopi, consummatur tamen in loco exempto. Limitant hoc Avila, & Bonacina, *locis citatis*, ubi excommunicatio lata esset contra accedentes, seu euntes ad Monasteria Monialium, quia hoc casu delictum non tantùm inchoaretur, sed etiam consummaretur in territorio Episcopi. Quam opinionem sequitur Diana *tom.5.tract.9.resol.71.* Sed contrarium est verius, neque hoc casu incurri dictam excommunicationem. Ita post Henriquez, & Sayrum, docet Fagundez *loco supra citato*, quam opinionem allegatis, Sylvestro, Rosella, Rolando à Valle, & Campanile, sequitur Barbosa *de potestate Episcopi alleg.102.num.73.* quando expressè non est veritus accessus, vel aditio, ut ita dixerim, ad Monasteria etiam exempta; quod etiam videtur probare Bariola licet dubitanter, apud Dianam *loco suprascripto.* Hucusque Alphons. de Leone.

2. Sed ego in loco citato à Leone non explicavi sententiam meam: Sed adduxi Bariolam pro negativa, & Bonacinam pro affirmativa; nunc autem assero utramque sententiam probabilem esse; sed affirmativæ tanquam probabiliori adhæreo, quam novissimè tuetur Ioseph Ianuarius, *de casibus reservatis, resol.34.num.22.* Tum quia Episcopus est delegatus Apostolicus ad conservandam clausuram, ut dixi ex Concilio Tridentino, & ad Clausuræ conservationem spectat prohibitio collocutionis cum Monialibus, ut docet Barbosa, Sanchez, Bariola: ergo ut delegatus potest excommunicare colloquentes cum Monialibus exemptis, ut hoc Vgolinus *de potestate Episcopi, capite 21.§.4.num.4.* Tum quia Episcopus non amittit jurisdictionem in suos subditos, ex eo quia sunt in Monasteriis exemptis Monialium, nam loca Monialium dicuntur exempta ratione personarum tantum, unde Monasteria hæc Monialium non dicuntur esse extra Diœcesim, sed in Diœcesi, *argument.text. in capite, Cum Episcopus, de Officio Ordinarij*, ubi hoc notant Doctores; & Glossa *in Clement.1. de foro competen.verb. Aut earum parte.* Cagnol. aliis relatis, *in lege ultima, numero 13. ff. de Iurisdictione omn. Iud.* de quo vide Merollam, *tom.2. disputat.4. capite 3. numero 489.* Et hoc patet evidenter: nam si Moniales illæ exeant, ab illo loco, & in alio Monasterio, vel loco inhabitent, locus ab ipsis habitatus efficitur exemptus, & locus derelictus, & quæ in ipso habitant remanent subjectæ Iurisdictioni Episcopi, intra cujus Iurisdictionem invenitur. Insuper Episcopus existens, seu habitans in his Monasteriis exemptis, verè dicitur residere in sua Diœcesi, & ideò alternativa gaudet, Gomez *in regul.8. Cancellaria, glossa 43. quæstione 7. num. 108. & sequentib.* Gratianus *tom.5.discept.Forens. capite 918.numero 14.* Adde quod si Episcopus non posset punire inibi delinquentes, neque Superiores Monialium subjectarum Regularibus, e. g. ergo delicta ibi patrata remanerent simpliciter impunita; quod non est dicendum. Non potest tamen Episcopus Moniales exemptas colloquentes cum suis subditis punire, ut testatur Sell. *in Select. Canon. cap.30. num.18.* quod sit decisum *sub die 8. Augusti 1621.* Vide Barbosam *in Collect. in Concil. Trident. sess.25.cap.5.num.121.* Hæc omnia Ianuarius, *ubi suprà*, qui citat Suarez, Coninch, Salas, Palaum, & Filliucium, quibus ego addo Novarium *in Pragmat.3. de Monialibus, Collect.4. num.3.* Campanilem, *in Diver. Iur. Can. Rubr.12. cap.16.numero 45.* Barbosam, *de potest. Episc. part.3. alleg.102. num.45.* Gratianum, *tom.2. Discept.Forens.cap.303.numero 21.* & novissimè Squillante *de oblig. & priv. Episc.part.1. cap.13. num.46.* ubi sic ait: Nulla tamen adest censura, & pœna imposita à jure communi contra loquentes cum Monialibus, sed tantum per Edictum Episcopi solent imponere pœnam excommunicationis, in quam excommunicationem incidunt quoque colloquentes cum Monialibus exemptis, quando expresse petitus fuerit accessus ad Monasteria exempta, si absque licentia colloqueretur cum illis: nam licet Episcopus jurisdictionem non habeat in Monasteria Monialium exempta, nisi habito respectu ad clausuram puniendi violantes ex sacro Concilio Tridentino, *sess.25.cap.5* nihilominus potest excommunicare subditos, si absque licentia cum his Monialibus loquuntur, quia in eos habet jurisdictionem, & potest hoc facere ad tollendam suis subditis occasionem peccandi. Ita ille.

3. Sed ut dixi, negativam sententiam probabilem esse puto, & ut talem etiam admittunt adversarij. Et ideo Ianuarius, *ubi suprà, resol.47. num.4.* Sic ait: Suppono, rationem, qua probatur Episcopum, uti Delegatum Apostolicum, posse excommunicare subditos in Monasterio exempto colloquentes, non habere omnimodam evidentiam; ita quod omnino improbabilis remaneat opinio opposita. Fundatur enim in delegatione Apostolica communicata Ordinariis in ordine ad clausuram; & accessus ad loquendum cum Monialibus ad clausuram spectat, secundum Barbosam, &c. At quod accessus ad colloquendum spectet ad clausuram, adhuc evidens non est, sed est sub opinione probabili, quæ opinio secum admittit oppositam etiam probabilem; ergo ratio non est omnino evidens; Nec ratio dicens, quod sit prohibitus accessus, est simpliciter vera. Ita Ianuarius. Et absolutè me citato putat Pater Vidal *supra, n.103.* quoad omnes leges Episcopales, Regularium Monasteria esse loca exempta, non solùm ratione personarum inhabitantium, ut sentit Suarez *de cens. disput.5. sect.4. num.6.* verùm etiam ratione loci per se, ut affirmant Bonacina, & Paulus Squillante quos probat Diana, *part.3. tract.5. resol.74. §. Dico, in fin.* Ideo cùm in loco exempto, qui pro extraneo habetur, quis possit licitè non servare leges Episcopales; sequitur hoc idem affirmandum esse in Monasteriis regularium ab Episcoporum jurisdictione exemptis. Vnde ait Fagundez cum aliis, quos refert Diana, *part.1. tract.10.resol.14. §. Ex his omnibus*, posse aliquem in loco exempto posito intra eandem Diœcesim ipsius Episcopi, laborare in diebus Festivis de præcepto ejusdem Episcopi, & ejus jejunia non servare; hoc idem quoque est dicendum de aliis Episcopalibus legibus. Hæc Vidal.

Sup. hoc in § præterito, paulo post initium, & inf. in Resol. 97. §.1. ad med. &c.

Quæ hic est inf. Resol.99. & in Resol. 102. &c.

Quæ nùc est in to 6. tr.1. Resol.48. & in tom 4. tr.6. Resol.41. §.1. post med. lege à vers. Vnde.

RESOL. LXXXVII.

An prohibitio contra colloquentes cum Monialibus afficiat, etiam si ipsa Monialis non respondeat?

Et quid è contra, si audierit Monialem sibi loquentem, si ipse illi non respondeat?

Et an peccet contra prohibitionem, qui loquitur cum Moniali per interpretem?

Idem est dicendum de eo, qui de domo posita propè Monasterium loquitur cùm Monialibus.

Idem est de loquentibus cum Abbatissa.

Idem de scribentibus ad illas.

Idem de advenis, peregrinis, pueris, & puellis antè 14. annos accedentibus ad colloquendum cum Monialibus.

Et quid de declarante Moniali aliquem casum conscientiæ?

Et an Episcopi loquentes cum Monialibus includantur in Edicto

Edicto Ordinarij illius loci, contra colloquentes cum Monialibus?

Et quid de Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, an includantur in prædicto casu, & Edicto, vel possint ad Monasteria Monialium accedere, & cum ipsis loqui?

Et tandem deducitur, quod legis mens magis est attendenda, quam verba. Ex part. 10. tract. 14. & Mis. 4. Res. 51. aliàs 49.

Sup hoc sup. in Res. 84. § 1. in princ. & in tom 9. tr. 7. Res. 100. §. 1. ante medium, vers. Vnde, & seq.

§. I. NEgativam sententiam docet Pater Vidal *in Arca Theol. Mor. tit. de Monialibus Inquis. 4. num. 25.* ubi sic ait: Apertè colligitur ex verbis Decreti Sacræ Congregationis, ubi prohibetur Regularibus accessus ad Moniales ad colloquendum cum illis, colloqui est simul loqui, nempe sit locutio ex parte utriusque, allocutio autem sit ex parte tantùm unius. Ita Graffius *in quinque casibus, lib. 2. cap. 5. num. 1.* Nota Lector distinctionem, & tuta conscientia sequere nostram opinionem. Ita ille. Et hanc opinionem loquendo de casu reservato Ecclesiæ Neapolitanæ firmat Ioseph de Ianuario *de Casibus reserv. resol. 39. per totam*; quia prohibitio stante verbo *Colloquentes*, requirit reciprocam locutionem: at qui loquitur tantùm, non colloquitur: ergo, &c. Confirmatur; quia ea quæ notabiliter fiunt, nisi specialiter notentur, videntur neglecta à lege, *leg. Item apud Labeonem §. Ait Prætor. ff. de Injuriis.* Sed alloqui, & colloqui faciunt sensum notabiliter diversum, & non sunt specialiter notata: ergo signum est, quod alloquutio est neglecta à nostro statuto, & consequenter qui alloquitur non facit contra intentionem statuentis. Confirmatur Secundò: nam statutum editum principaliter in favorem, si pœnam continet, habet naturam odiosam, & ut odiosum est restringendum, ut optimè Sanchez; *lib. de Matrim. disp. 1. num. 5. in fin.* qui citat Gloss. *in leg. 2. Cod. de in jus vocando, verb. Liberis*, ubi Bartolus, *num. 1.* Baldus, *num. 4.* Alexander, *num. 5.* Sed hæc constitutio etsi favorabilis, pœnam excommunicationis continet: ergo ejus verba sunt restringenda, & accipienda secundùm suum proprium significatum: sed colloqui propriè non est alloqui: ergo colloquium non debet extendi ad alloquium, & consequenter qui alloquitur in pœnalibus non colloquitur. Confirmatur Tertiò: nam potuit Episcopus reservans uti verbo alloquendi, si intendebat comprehendere omnes quomodocumque alloquentes.

Sup. hoc in tom 6. tr. 2. Res. 31. §. 1. in fin. & latè in cæteris aliis ejus annot.

2. Sed his non obstantibus, Merolla, *tom. 1. disp. 1. cap. 2. num. 589.* affirmativam sententiam mordicus tenet, Primò, quia consuetudo, quæ potest legem facere, multò magis potest legem interpretari, & ideò dicitur optima legum interpres, *leg. Si de interpretatione 37. ff. de legibus. & cap. Cùm dilectus, de consuet.* At verò, quamvis verba dicti statuti Synodalis propriè significent duorum simul locutionem, tamen consuetudo semper illud intellexit, etiam de simplici allocutione: unde communiter omnes, non solùm rudes, & illiterati, verùm etiam periti ita loquuntur, quod scilicet alloquens Moniales sine licentia Ordinarij est excommunicatus. Sed communis usus loquendi præfertur proprio significato vocabuli, etiam in materia pœnali, & odiosa, ut ex materia statutorum. Textus est notabilis, *in leg. Labeo*, & ibi Bartolus notat, *ff. de Supell. leg.* & docent idem Bartolus, *in leg. Omnes populi, 9. 6. principali, vers. Iuxta præmissa quæro, ff. de Iust. & Iur.* Deinde, licet verba legis pœnalis regulariter non sunt extendenda ultra proprium significatum; tamen hoc limitatur nisi lex redderetur inutilis, & finis, seu mens Legislatoris frustraretur; tunc enim impropriari debent verba legis, & extendi ultra proprium significatum, ut docent communiter Doctores. *Argum. cap. Si Civitas de sentent. excommun. in 6.* Et de verbis *Testamenti*, quod impropriari debeant, ut voluntas Testatoris locum habeat, asserunt. Socinus, *sen. cons. 2. num. 8. volum. 4.* Decius, *consil. 399. num. 7. volum. 2.* Surdus alios referens, *consil. 116. numero 69. volum. 1.* At in nostro casu, si nomen collocutionis non extenderetur ad quamlibet allocutionem, statutum prædictum redderetur inutile, & mens, seu finis Prælati statuentis frustraretur, ut clarè patet: nam & statutum contemneretur, & Prælatus non assequeretur finem intentum, qui est tollere occasionem peccati, & removere impedimenta, quæ Moniales ab acquirenda perfectione retardare possunt. Nota tamen, quod Ianuarius *ubi suprà* conatur respondere ad hæc argumenta.

3. Sed ego non recedo ab opinione Merollæ: nam res morales, moraliter, & non metaphysicè tractandæ sunt, & ideò ista duo verba *Colloqui*, & *Alloqui*, in præsente materia tanquam sinonyma sumenda sunt, & tanquam idem significantia; & ideò in primo Decreto Sacræ Congregationis contra Regulares accedentes ad Monasteria Monialium, anno 1590. & in secundo anno 1623. Eminentissimi Cardinales id quod primum statuerunt, & prohibuerunt cum verbo *Colloqui*, postea statim statuunt, & prohibent cum verbo *Alloqui*, ut Legentibus patet aperte in dictis Decretis appositis per extensum à Lezana *in Summa tom. 4. verb. Moniales, num. 18. & 19* Adde, quod lex non est posita verbis, sed rebus, ut patet *ex leg. 2. in fine, Cod. Communia de legat. leg. fin. Cod. de Vsuris, cap. Secundò requiris, de Appellat.* Surdus *Aliment. tit. 9. quæstione 21. numero 20.* Abbas, *consil. 93. in quæstione, colum 2. circa med. vers. At idem facit, lib. 2.* Romanus, *consil. 428. in terminis numero 12.* Stephanus Gratianus, *discept. Forens. cap. 156. numero 17.* Ferrerius *in Constitut. Cathaloniæ, glos. 5. numero 160.* Sigismundus Scacc. *de Appellat. quæstione 17. limit. 10. numero 14.* Et ideò legis mens magis est attendenda, quam verba; *leg. Scire leges, Digest. de legibus, leg. Non aliter, ff. de legat. 3. leg. Neminis, & rei, §. Verbum ex legibus, Digest. de verb. signif.* Surdus, *de alim. cas. 35. num. 14.* Marcus Antonius Genuensis, *in Practicab. Ecclesiast. quæst. 144. numero 3.* Ferrerius *in Constitut. Cathaloniæ, glos. 5. numero 66.* cum cumulatis à Tiraquello *in leg. Si unicam, verb. Libertatis, num. 47. de revocanda donatione.* Escobar à Corro *de utroque Foro, art. 6. num. 106.* Donello *in Commentariis libr. 1. cap. 13.* & *ibi* Osualdus *lit. B*, cum aliis. Existimo tamen ut * alibi docui Graffium, non contravenire Decreto Sacræ Congregationis, neque edicto Episcopi aliquem, si audiret Monialem sibi loquentem, & ipse illi non respondeat, quia prohibitio est lata contra loquentes, non contra audientes, & audire non est loqui etiam ex larga significatione vocabuli: ergo. Et ita nostram sententiam me citato tenet Pellizarius *ubi suprà*, & me citato Zambellus *in Reper. Cas. Conscien. verb. Moniales, numero 24.* & me citato Lezana *in QQ. Regul. tom. 4. verb. Moniales, num. 20.* cum Vidal *ubi supra, Inquis. 2. n. 93.* & Merolla, *num. 591.*

4. Sed hîc obiter ad ornatum materiæ, notanda sunt aliqua. Et Primò contra Lezanam, *ubi suprà*, non contravenire Decreto Sacræ Congregationis, aut Edicto Episcopi aliquem, si loquatur cum Moniali per interpretem. Ita me citato tenet Pellizarius, *numero 215.* & me citato Zambellus, *numero 24.* & me citato Ianuarius, *num. 15.* & me citato, Tamburinus, *ubi infrà numero 4.* & Vidal *numero 93. qui num. 94.* etiam putat non peccare contra

pro

prohibitionem loquentem cum Moniali in lingua ab ipsa non intellecta, etiamsi quidam alias explicet Moniali sensum verborum, quoniam in hoc casu ille talis loquitur propriè cum Interprete, non cum Moniali: ergò. Confirmatur ex Sanchez *lib.2. mor. cap.10.num.51.* ubi docet, legentem Librum prohibitum, conscriptum tamen lingua sibi omninò ignota non affici pœnis latis contra legentes libros prohibitos; nam cùm tantùm materialiter legat: non datur periculum subversionis; & ideò pro illo casu particulari cessat finis legis prohibentis: ergo hoc idem à pari in casu nostro. Idem docet Merolla, *numer.608.* Pellizarius, *num. 216.* Et idem dicendum videtur de eo, qui de domo posita propè Monasterium loquitur cùm Monialibus, quod me citato concedit Tamburinus *de Iure Abbatissarum, disp.25. q.8. num.1.* & me citato Lezana, *ubi suprà*, & me citato Pellizarius, *num.214.* & me citato Ianuarius, *n.25.* & alij penes ipsum; quibus adde Vidal *numero 87.* & Pacem Iordanum *in variar. Elucubrat. tom.1. lib.7. tit.12. numero 37.*

5. Nota Secundo contra Merollam: loquentes cum Abbatissa, non contravenire Decreto; & ita docet me citato Lezana, *num.22.* & me citato Tamburinus, *n.5.* & me citato Ioseph de Ianuario *resol. 44.per tot.* qui respondet latè & doctè ad omnia argumenta contrariæ sententiæ quam adduxerat Merolla. Et hanc sententiam me citato tenet etiam Zambellus, *ubi supra*, & me citato Pellizarius *num.208.* & Vidal, *numero 89.* Vnde non est audiendus novissimè Squillante *de Privileg. Episcop.part.1. cap.13. num.58.* qui me citato auctoritate Patris Megala contrarium videtur docere.

6. Nota Tertiò, prohibitionem contra colloquentes cum Monialibus non afficere scribentes ad illas: Ita me citato tenet Squillante, *ubi suprà num.48.* & Ianuarius, *resol.46.* qui citat Sanchez, Tamburinum, Merollam, Graffium, & Bonacinam, quibus adde Barbosam *de Potest. Episcop.part.2. alleg.102.n.78.cum seqq.* licet contrarium asserat Campanili *in Rubr.12. cap.6. n.46. cum seqq.* Pax Iordanus *in Var. Elucubrat. tom.3. lib.7.tit.12.num.60.* & alij.

7. Nota Quartò, quod Episcopi loquentes cum Monialibus non includuntur in Edicto Ordinarij illius loci, vel ex consuetudine, seu præsumpta licentia ipsius Ordinarij, vel quia dum Edictum non ligat proferentem, neque debet ligare æqualem, *ex cap. Cum inferior, de major. & obedientia, & ex leg. penult. ff. de Arbitr.* & ita me citato tenet Pellizarius, *num.210.* Ianuarius *num.15.* & alij penes ipsum. Non tamen assentior Patri Vidal, qui *ubi suprà* docet, non solùm Episcopos, sed etiam Canonicos Ecclesiæ Cathedralis, posse ad Monasteria Monialium accedere, & cum ipsis colloqui: hoc enim est prorsus negandum, ut patet praxi quotidiana.

8. Nota Quintò; Peregrinos, & Advenas habentes animum permanendi in aliena Civitate pro minori anni tempore accedendo ad Moniales absque legitima licentia, etiam sine necessitate, neque mortiferè peccare, neque incurrere pœnas specialiter latas in illo loco. Probatur; Peregrini non obligantur servare leges, & statuta locorum, in quibus permanere non intendunt per longum temporis intervallum; quia cùm non sint pars illius Communitatis, quæ est subdita illi Legislatori, neque subjiciuntur ejus Iurisdictioni, neque forum acquirunt; ut constat *ex leg. hæres absens, §. Proinde, ff. de Iudiciis*, & ita me citato docet Pellizarius, *n.211.* Ianuarius, *resol.34. num.24.* Et ita hanc sententiam tenet etiam Vidal *num.88.* qui etiam *n.93* extendit ad declarantem Moniali aliquem casum conscientiæ; nam talis locutio habet potius speciem sermonis, & exhortationis, quàm propriæ locutionis. Idem docet Ianuarius *ubi suprà, num.17.* Et tandem me citato docet Pellizarius; *num.221.* quod non possent dici transgressores prohibitionis Episcopi, Pueri, & Puellæ, si ante 14. annum sine licentia accedant ad Moniales cum ipsis colloquantur, tum quia respectu illorum non concurrunt causæ ex quibus solet induci dicta prohibitio; sicque procedit doctrina, quod *cessante fine legis, cessat lex*; tum quia Ecclesia non solet cogere quemquam suis Censuris ante annos pubertatis, compatiens fragilitati illius ætatis; constat autem quod talis prohibitio solet fieri sub aliqua Censura. Et ita tenet Ianuarius, *num.15.* Merolla, *num.620.* Pellizarius, *num. 221.* Et plura ex his à me alibi notata, iterum adnotare volui, vt illa magis auctoritate Doctorum firmarem: cautè tamen, & maturè procedant Regulares; nam in foro exteriori ab Episcopis supradicta difficulter admittenda esse puto; ideò videant quid faciant.

Sup. his supra in Res. 84. §. Nota quinto, in principio.

Alibi in omnibus Res. præteritatum annotationum hus jus Res.

RESOL. LXXXVIII.

An colloquentes cum conversis Monialibus incidant in censuras latas ab Episcopo; vel si sint Regulares in pœnas Sixti V. & Sacræ Congregationis?

Et an loquentes cum Monialibus signis, aut nutibus, vel per intermediam personam, aut per scriptum peccent, & incurrant pœnas? Ex p.10. tract.14. & Misc.4. Resol.53. aliàs 51.

§.1. NEgativam sententiam docet novissimè Marcus Vidal *in Arca Theolog. Mor. de Monialibus, Inquis.2. num.91.* ubi sic ait: Addo Secundò, non incurrere pœnas, neque moraliter peccare loquentem cùm Monialibus Conversis: nam, ut asserit Tuschus *litt. M. verb. Moniales, concl.333.* Conversæ non sunt veræ Moniales, quamvis Professionem emittant, differunt etiam in multis, nempè nomine, exercitio, & in multis locis non servant rigorosè Clausuram, non habent vocem, non tenentur ad divinas preces, & multas differentias congerit Federicus de Senis, *cons.213.* Afflict. Franc. Abb. hæc ille: ergo. Ita Vidal.

2. Sed ego affirmativæ sententiæ adhæreo, quam etiam novissimè tenet doctus, & amicissimus Ioseph de Ianuario *de Casibus reserv. resolut 34. numero 48.* sic asserens: Nota duodecimò, quod nomine Monialium, veniunt etiam Conversæ inservientes Monialibus, *can. Vt lex. 27. quæst. 1. capite. Non dubium de sentent. Excommunicat.* tenentur enim istæ observare Clausuram sicut & cæteræ Moniales Choristæ, &c. ut rectè observat Graffius *lib.2. de Casibus cap.5. numero 40.* Sicut nomine Monialium veniunt etiam Monasteria Sororum, ut ex consuetudine optima legum interprete habetur.

3. Sed si aliquis hîc obiter quærat, an loquentes cum Monialibus signis, ac nutibus peccent, & incurrant pœnas? Respondeo affirmativè. Et ita docet Baucius *de Casibus reserv. Eccles. Neapolit. cas.4. petes 2. fol.20.* & me citato etiam Ianuarius, *ubi suprà, n.49.* ubi sic asserit: Nota quod qui loquitur cum Monialibus per nutus, & signa, incidit in casum nostrum: Nam verè explicat suos in-

Sup hoc sup. res. 84 §. Nota secundo, in principio.

ternos affectus, ad quos explicandos est instituta loquela? Quod verò hæc explicatio fiat per verba vel alia signa hoc idem significantia parum refert. Sicut si Monialis haberet linguam Turcicam, & loquens polleret eadem lingua, si loquela Turcica colloqueretur, verè incideret in casum nostrum. Sic quando loquuntur per signa, quibus ipsi soli se intelligunt, verè loquuntur; cum verè explicent affectus internos. Secus verò dicendum est, si quis loquatur per intermediam personam; nam tunc etsi verè explicaret suos internos affectus, explicaret alteri, & ex hoc Moniali, quod non est prohibitum; sicut si per scriptum quis suos affectus internos explicaret, non incideret in casum nostrum. Ita ille. Vnde contra Patrem Pellizarium *de Monialibus*, *cap.5.sect.5.n.215.* apparet, me consequenter loquutum fuisse in loco ab ipso adducto.

Sup. hoc medium §. not. præteritæ, & in alia Ref. ejus annot. Et per scriptum contentum in hoc textu in Ref præterita, §. Nota tertio, & in alio vers. ejus annot.

RESOL. LXXXIX.

An qui habet licentiam indefinitam colloquendi cum Monialibus, possit sæpius cum illis loqui?

Idem est dicendum de licentia ingrediendi clausuram Monialium, data licentia indefinita.

Et an, quando quis habuit licentiam colloquendi cum Monialibus, & antequam ea utatur, Prælatus concedit licentiam generalem cuilibet colloquendi cum Monialibus tali die, iste possit colloqui bis in eodem die?

Et cursim deducitur facultatem concessam Episcopo testandi non esse restringendam ad primam vicem. Ex part. 10. tractat. 14. & Misc. 4. Resol. 56. aliàs 54.

Sup. hoc sup. in Ref. 84. §. Nota decimo, ad medium, vers. Et si data.

§. 1. DIctam licentiam extingui in prima colloquutione docet Merolla, *tom.1. disp.1. c.2. difficul.6. num.629.* Primò, quia hæc colloquendi facultas, est quasi dispensatio quædam in lege, ac proindè tanquam odiosa restringenda est. Secundò, quia sermo simpliciter prolatus; maximè in odiosis, intelligitur in prima vice, *leg. Boves, §. hoc sermone, ff. de verb. significat.* Et idem dicendum est de licentia ingrediendi Clausuram Monialium data indefinitè, quia militat eadem ratio. Et hanc opinionem tenent Iason, *leg. Duobus reis §. ei qui, num.75 ff. de Iurejur. & in leg. Si quis mihi bona §. Iussum, n.28 ff. de acquir. hæred.* Sbrozius *de Offic. Vicar. l.2.q.210.* Graffius, *cons. 21. de sentent. excommunication. num.38. tom.1.* Mastrillus *decis.97.* Riccius *collect. decis. part.3. collect.587.* & alij.

2. Sed his non obstantibus, satis probabile esse puto talem licentiam non extingui, nisi revocetur; & ideò qui illam sic obtinuit posse loqui cum Monialibus toties quoties. Et hanc sententiam novissimè docet Ioseph. de Ianuario, *de Casib. reser. res.28. per totam*; quia sermo indefinitus æquivalet universali *arg. leg. cum inter veteres vers. Maximè Cod. de Fideicomm. liber.* gloss. *in cap. ut circa: verb. Aliorum de elect. in 6.* Covarruvias *lib.1. variar. cap.13. num.8.* qui videndus est. Sanchez, *de Matrimonio lib.3. disputat.44. num.2. pag.310. circa medium vers. Confirmatur, &c.* sed licentia in casu nostro fuit indefinita: ergo æquivalet universali, & consequenter idem est dicere, Vade, loquere, ac loquere, toties quoties volueris.

3. Ad argumenta superius adducta respondet Ianuarius *loco citato*, qui etiam *num.6.* contra Merollam etiam firmat, quod quando quis habuit licentiam colloquendi cum Monialibus, & antequam ea utatur, Prælatus concedit licentiam generalem cuilibet colloquendi tali die: si iste talis colloquitur ex licentia generali, potest iterum colloqui, utendo sua licentia speciali. Et ratio est quia talis licentia, non est dispensatio legis, sed est ipsissima lex: nam hoc tantum lex præcipit, nempe loqui cum licentia. Addo, cùm hoc sit favor, & adhuc eo usus non sit, non revocatur per gratiam generalem omnibus concessam, *arg. leg. in commodato, §. sicut, ff. commodat. & cap.1. de commodat.* aliter enim non esset melioris conditionis hic talis, qui reciperet gratiam specialem, quàm qui nullam habuit gratiam: & gratia à Principe concessa potius noceret huic, & nihil operaretur respectu hujus, quod non est dicendum. Quod verum puto, etiam si licentia sit addicta eodem die, quo viget licentia generalis, poterit enim eodem die bis loqui; quicquid in contrarium dicat Merolla. Ego ut dixi hanc sententiam puto probabilem, & confirmatur ex doctrina Sacræ Rotæ, quam adducit, & sequitur Riccius *in Praxi, tom.3. resol.386. numer.2.* nempè, facultatem concessam Episcopo testandi, non esse restringendam ad primam vicem; quicquid in contrarium asserat Covarruvias, & alij.

Quod hæc in num. 1. 2. 3. dictorum Ref. 91. Quæ pœna Gabrielis in hoc casu.

RESOL. XC.

An Greg. XIII. excommunicationem incurrant ingredientes Monasteria Monialium non prætextu licentiarum, sed absque ulla prorsus licentia, etiam ad malum finem?

Et an lex quantumcumque pœnalis extendatur ex ratione identitatis ad casum similem? Ex p.1. tract.16. & Misc.2. Res.30. aliàs 32.

§. 1. AFfirmativam sententiam amplexus est Navarr. *in manuali, cap.27. num.50.* Quaranta *in summ. Bullarij, ver. Monasteria Monialium*, Azor. *part.1. lib.13. cap.8. q.vlt.* Beja *part.1. cas.30.* Villagut *de usuris, q.35. num.vlt.* & novissimè Flavius Cherubinus *in compen. Bullarij, tom.1. constit.28. Greg. XIII. schol.1* Homobon. *in exam. Eccl. p.1. tract.5. cap.9. q.60.* Aloysius Riccius *in praxi, tom.1. resol.544. n.4.* Filliuc. *tom.1. tract.15. cap.5. n.119.* Raynerius *in Catalogo censurarum, cap.9. excom.15.*

Sup. hoc §. antepenult. & ult. Ref. 91. vide quod dictum in hoc Ref. ejus primo.

2. Probatur primò, nam, ut ait Navarrus, & Villagut, ita declaravit Pius V. & Gregorius XIII. Secundò, quia lex, quantumcumque pœnalis, extenditur ex rationis identitate ad casum similem, ut probat Lambertin. *de jurepatron. lib.2. p.1. q.10. art.4.* Gomez *var. vit. hujus lib.1. c.5. n.12* Molina Iurisconsultus *de primog. Hispan. lib.1. cap.5. n.10.* Gutier. *qq. canon. lib.1. c.10. n.3. & cons. 50. n.8.* Roland. à Valle *cons.27. n.48. vol.1.* & alij. Et ita, ait Beja *ubi supra*, receptum est in tota Italia.

Sup. hoc §. antepenult. & ult. Ref. 91. & in fin. ejus primo.

3. Sed contrariam sententiam probabiliorem esse judico, quam tuetur, & docet Sanchez *in sum. tom.2. lib.6. cap.16. n.78.* qui citat Suarez, Zerolam, Philiarchum, Sayrum, & Rodriquez, quibus ego addo Mirandam *in manuali prælat. tract. de Monialibus, q.2. art.10. concl.1.* Megal. *in 3. p. lib.4. cap.3. q.2. n.11.* Barbosam *de potest. Episc. p.3. alleg.102. n.37.* Hier. Campanilem *in diver. jur. can. rubr.12. cap.16. n.24.* Ratio est, quia cùm excommunicatio sit pœnalis, non est amplianda, sed potiùs restringenda, nec extendenda ad alium casum, etiamsi ei sit similis, aut etiam major ratio. Et cùm hæc Bulla sit valdè rigida, & contineat gravissimas pœnas, non est extendenda ad casum in illa minimè comprehensum, solùm igitur incurrunt in excommunicationem fulminatam in dicta Bulla, admittentes, & ingredientes prætextu licentiarum, non autem qui admittunt & ingrediuntur sine licentia, etiam si ingrediantur, & admittantur ad malum finem.

4. Ad

4. Ad primum argumentum contrariæ sententiæ respondetur, de illis Pontificiis responsionibus non constare authenticè. Ad secundum respondetur, non esse certum, legem pœnalem extendendam esse quoad pœnam in ea contentam ad casum non expressum, etiamsi in illo eadem inveniatur ratio, imò oppositum est verius, & omnino tenendum. Ita docent Barbosa *de potest. Episc. p. 3. alleg. 101. num. 82.* Anton. *c. fin. n. 58. de consuet.* Castrus *lib. 1. de leg. pœn. c. 7. doc. 3.* Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 10. disp. 4. n. 3.* & alij communiter. Vnde etiam pro confirmanda nostra sententia, Cajetanum *ver. excomm. in principio, & in c. 47.* & glossam communiter receptam *in Clem. 1. de consangu. & affin.* pro quo etiam fecit Decret. *in c. quicumque, de sent. excomm.*

RESOL. XCI.

An ingredientes Monialium Monasteria cum licentia, si finito Ministerio multo spatio ibi morentur ob malum finem, non solum peccent, mortaliter, sed etiam incurrant excommunicationem latam à Greg. XIII?

Et an in supra dicto motu proprio, & prohibitione Concilij Tridentini sess. 25. c. 5. de Regular. comprehendantur Reges, Reginæ, & Cardinales?

Et an Religiosi habentes privilegium absolvendi a casibus Summo Pontifici reservatis possint absolvere ab hac excommunicatione?

Et an infantes nondum doli capaces possint in Monasteria Monialium admitti, nec sint inclusi in prohibitione Greg. XIII. & Concilij Tridentini?

Et notatur, quod Confessarius potest intrare clausuram Monialium, non solum quando Regula confiteri præcipit, sed etiam quoties infirma dixerit se indigere Sacramento Pœnitentiæ; vel Prælatus in aliquo casu electionis Abbatissæ, seu Priorissæ. Ex part. 3. tr. 2. Resol. 67.

§. 1. Affirmativè respondet Bonacina *de clausura tom. 1. q. 4. punct. 4. num. 22.* & novissimè Merolla *in disp. Theolog. moral. tom. 1. disp. 1. diffic. 7. n. 498.* in ex quo fit ab hac excommunicatione non posse absolvere Religiosos habentes privilegium absolvendi à casibus Summo Pontifici reservatis, quia hîc casus excipitur à Clem. VIII. in quodam Decreto. Nam in illo reperitur violatio clausuræ. Hæc opinio est probabilis.

2. Sed ego contrariam sententiam non minus probabilem, & tutam in praxi existimo, & ideò illam tenet Sanchez *in summ. tom. 2. lib. 6. c. 16. n. 69.* quia sic ingrediens non ingreditur absque licentia, contra quem Summus Pontifex excommunicationem tulit, & hanc sententiam tenet etiam Zerola *in praxi ver. Moniales, ad 8. quæsitum.* ubi asserit, non incurrere censuras ex causa justa, & legitima licentia ingredientem, si cum Moniali intra Monasterium fornicetur.

3. Ad argumentum verò, quòd pro affirmativa sententia adducit Merolla, nempe motum Gregorij XIII. non esse odiosum, sed favorabilem, respondeo, quod contrarium asserunt Doctores, & novissimè inter illos Hieronymus Rodriquez *in compen. qq. Regul. resol. 26. n. 18.* & ideò non videtur extendendus. Vnde puto cum Suarez *tom. 4. de Religion. lib. 1. c. 7. num. 5.* Sanch. *lib. 6. c. 16. n. 3. & c. 77. n. 5.* & aliis, quod sub prædicto motu proprio Greg. XIII. & prohibitione Concilij Tridentini, *sess. 25. c. 5. de Reg.* non comprehenduntur Reges, Reginæ & Cardinales; licet contrarium asserat Merolla *ubi supra diff. 3. n. 470.* Constitutio enim pœnalis non comprehendit personas supradictas tam insignes.

4. Notandum est hîc obiter primò, quod Confessarius potest intrare clausuram, non solùm quando Regula confiteri præcipit, sed etiam quoties infirma dixerit se indigere Sacramento Pœnitentiæ, & ita ex Rodriquez notat Portel. *in dub. regul. ver. clausura Monialium, n. 9.* & post illum Villalobos *in summ. tom. 2. tr. 35. diffic. 47. n. 4.*

5. Nota etiam secundo cum ipso Villalobos *diffic. 46. n. 12.* [que no es causa bastante el hazer la eleccion de Abadessa, ò Priora, para que el Obispo, ò Prelado entre en el Monasterio, que esto se puede hazer por la parte de afuera, recibiendo los votos à la graticula, conforme al Concilio Tridentino *sess. 15. c. 7. de Reg.* Mas estenderse esto hablando regularmente, porque, si se diesse caso en que las monjas estuviessen inquietas, y huviesse sospecha de soborno, fuerza, ò otra causa justa por donde sentendiesse, que no se haria canonicamente la elecion, si no entrassen alla à tomar los votos, se podria hazer, porque esta es causa necessaria, y tal podria ser el alboroto que fuesse necessario entrar seys, ò ocho frayles.] Ita ille, & ego.

Sup. hoc in t. 9. tr 7. Resl. 109 §. 1. post med. à vers. Quod confirmatur, & in §. Ad confirmationem.

6. Nota tertiò contra Naldum *in summ. ver. clausura, n. 3.* Vgolinum *de potest. Episc. c. 21. §. 3. n. 3* Comitolum *lib. 6. q. 22.* Fuscum *de visit. lib. 2. c. 18. n. 25.* quod infantes nondum doli capaces, possunt in Monasteria Monialium admitti, nec esse inclusos sub prohibitione Greg. XIII. & Concil. Trident. *ubi supra.* Et ita tenet Ioan de la Cruz *de statu Relig. lib. 1. c. 5. dub. 2. concl. 3.* Granador *in 1. 2. D. Thom. controv. 7. tr. 3. part. 1. disp. 6. sect. 5.* Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 6. c. 16. n. 4.* & alij, quos ad satietatem adducit, & sequitur Merolla *ubi supra*, quibus ego addo Hieronymum Rodriquez *in compen. qq. Regul. resol. 26. n. 7.*

RESOL. XCII.

An intrantes cum licentia Monasteria Monialium, si finito negotio ibi notabiliter commorentur, incidant in censuras? Ex parte 4. tract. 4. & Miscell. Resol. 90.

§. 1. IN partem affirmativam videtur inclinare Naldus *in summ. ver. Monialis, n. 15.* ubi ait: Monialium clausuram cum debita Superioris licentia ad inserviendum Monialibus in opere necessario ingressus, si ibidem opere jam expleto ad quod fuerat admissus, notabiliter commoretur, fortè non videtur immunis ab excommunicatione violatæ clausuræ. Ita ille.

Sup. hoc in resl. præterita, & lege etiam §. antenot. seq. ad med. & in t. 7. tr. 1. Resl. 244 § Finitis. & in Resl. 349 §. ult. ad med.

2. Sed non reticeam adversùs illum negativam sententiam docere Aloysium Bariolam *in Aphor. litt. M. ver. Moniales, §. 8.* ubi ita asserit: Monialum Monasteria intrantes cum licentia finito negotio, cujus causa sunt ingressi, si curiositate ducti aliò divertant, nec peccant, nec censuras contrahunt, licèt oppositum sentire videatur Naldus. Ita Bariola *loco citato.*

Sup. hoc in t. 7. tr. 1. Resl. 243. lege doctrinam ejus §. ult. & alterius Resl. & §. ejusprimæ not. & §. ult. annot. præteritæ.

RESOL. XCIII.

An licentia ingrediendi Monasteria Monialium debeat esse in scriptis etiam quoad forum conscientia? Ex part. 3. tr. 2. Resl 129.

§. 1. DE hoc casu novissimè interrogatus fui à Gregorio Pollaccho, viro quidem docto, & amicissimo, qui Venetiis moratur. Prima opinio affirmat, & ita docet Suarez *de Relig. t. 4. lib. 1. c. 10. n. 15.* Sanchez *in summ. t. 2. lib. 6. c. 16. n. 30.* & alij unde asserunt esse peccatum mortale ingredi Monasteria Monialium

Quoad hoc sup. ex Resl. 84. lege §. Nota decimo, quamvis ibi sit pro Collocutione cum Monialibus.

nialium, cum licentia Superioris oretenus concessa, & hoc ex Concilio Tridentino *sess. 25. de Regul. cap. 5.* ibi, *sine Episcopo, aut Superioris licentia in scriptis obtenta.*

2. Verùm non desunt DD. negativam sententiam tenentes, ut Homobonus de Bonis *tr. de casibus reservatis, p. 2. cap. 5.* & Petrus Belluchius *in praxi Theol. mor. pæ. 2. q. 9. n. 162.* ubi sic ait. Licèt licentia ad ingrediendum septa Monasterij per decretum Concilij Trident. in scriptis obtenta requiratur, hoc quoad forum exterius intelligitur; nam in interiori animæ foro, in quo veritas attenditur, sufficit ut consensus jure naturali requisitus interveniat. Ita ille, qui citat Innocentium. Abbatem, & Felinum.

3. Notandum est tamen, quòd etiam stando in prima opinione licentia in scriptis non requiritur semper in casibus ordinariis, puta quoad Medicos, Chirurgos, carpentarios, cœmentarios, & alios similes operarios, quorum opera passim indigent Moniales, sed pro his licet Abbatissis dare licentiam, ex præscripta interpretativa voluntate Superioris, vel ad majorem cautelam Superior hanc generalem facultatem potest in scriptis committere Abbatissis, vel Monialium Confessariis pro similibus casibus. Et ita ex multis docet Hieronymus Rodriquez *in compend. qq. Regul. resol. 26. n. 8.* & Villalobos *in summ. tom. 2. tr. 35. dissic. 46. n. 4.* & nota etiam contra Graffium *in dec. par. 1. lib. 4. c. 23. n. 6.* & alios, quòd licentia data ad concedendam facultatem ingrediendi Monasteria non debet necessariò esse in scriptis, sed sufficit, ut sit oretenus concessa; nam Concilium loquitur de licentia ingrediendi tantùm, non autem de licentia ad concedendam facultatem ingrediendi.

RESOL. XCIV.

An cessante excommunicatione Papali cesset etiam Episcopalis? Ex part. 5. tr. 9. Resol. 70.

§. 1. NEgativè videtur respondendum per ea, quæ adducit Graffius *decis. aur. par. 1. lib. 1. cap. 13. n. 62.* ubi sic ait: Annotandum est quòd si Summus Pontifex super aliquo incidenti excommunicationem ferat, & super eodem Episcopus alia excommunicatione subsequatur; si Summus Pontifex suam excommunicationem abstulerit, legitima causa superveniente, non censetur de jure Episcopalis excommunicatio sublata, quia quando sunt duo impedimenta, uno sublato alterum non tollitur, arg. *c. ex tuarum, de auth. & usu pall. l. si domus, ff. de servit. urb. præd.* unde non poterit de jure quilibet Sacerdos proprius absolvere. Ita Graffius. Et post illum docet etiam Aloysius Bariola *in Aphorism. litera E. ver. excommunicatio, §. 13.* Sed ibi observant contrarium in praxi servari, ut etiam observat Ragucius *in Lucerna Parochorum, tit. de Absolutione, quæst. 133. n. 2.* & ideò Naldus *in summa verb. Episcopus, n. 8.* sic ait. Episcopali censura concurrente cum Papali, id est, quòd idem peccatum censuræ subdatur per Papam & Episcopum, tunc si Papalis tollitur, usu communi interpretari dicitur, ut etiam Episcopalis reservatio sublata censeatur. Ita ille, & ego.

RESOL. XCV.

An Episcopi possint excommunicare Inquisitores, & è contrà Inquisitores Episcopos? Ex part. 5. tract. 9. Resol. 51.

Sup. hoc inf. §. 1. in tr. 10. Resol.

CAsus est practicabilis, & accidit in hoc Regno annis non multis elapsis. Aliqui negàt, affirmant alij, ut observat Trimarch. *de Confess. solli. tit. & non cit. dist. 8. sect. 3. n. 37.* Sed Megalius negativæ sententiæ adhæret *in 3. lib. 1. c. 3. q. 2. n. 43.* ubi sic ait: Nec Episcopi ab Inquisitoribus ligari censuris possunt, cùm sit ipsis Inquisitoribus generaliter prohibitum nè contra Episcopos procedant, *c. Inquisitores, de hæret. in 6.* Nec ipse Episcopus hanc jurisdictionem habet contra ipsos Inquisitores, cùm sint Officiales Summi Pontificis, qui censuris ligari non possunt, ut *in d. Extravag. cum Matthæus.* Ita ille. Verùm Didacus Cantera *in qq. Crimin. cap. 1. de hæret. n. 65.* testatur Inquisitorem Conquensem excommunicasse Episcopum ejusdem civitatis.

RESOL. XCVI.

An contra incendiarios sit lata aliqua censura?

Et an sufficiat, ut dicta denunciatio fiat Edicto generali, vel an ab Episcopo sint excommunicandi, & si postea denuncientur, tunc talis excommunicatio sit Papæ reservata?

Et difficultas adhuc superest, an Episcopi teneantur sub aliqua pœna contra incendiarios excommunicationem ferre? Ex part. 9. tr. 8. & Misc. 3. Resol. 10.

§. 1. QVicquid asserat Bonacina *de censuris, tom. 3. disp. 2. quæst. 3. punct. 4. §. n. 1.* ego cum communi sententia Doctorum existimo, nullam esse in jure latam excommunicationem ipso facto contra incendiarios. Ita docent Eminentissimi Cardinales Cajetanus, & Toletus, ille *in Summa, cap. 22. hic lib. 1. cap. 35. num. 5.* cum Navarro *in Man. cap. 27. num. 74.* Suarez *de censur. disp. 22. sect. 2. n. 15.* Filliucio *tom. 1. tr. 15. cap. 2. q. 5. num. 52.* Avila *de censur. par. 2. cap. 7. disp. 1. dub. 9.* Gambartupta *de cas. reser. cap. 6. n. 4.* Emmanuel Sà *verb. Excomm. Papæ reserv. n. 7.* Sayro *de censur. lib. 3. cap. 29. n. 8.* Megala *tom. 4. lib. 4. c. 6. n. 7.* Homobono *de consult. at. cas. conscien. vol. 1. part. resp. 53.* Leone *de cens. recollect. 4. verb. Incendiary:* & ex Iurisconsultis hoc etiam observavit Barbertius *in Viatorio Iuris, par. 1. rub. 22. n. 6.*

2. Dicendum est itaque, incendiarios nullam ipso facto excommunicationem incurrere, sed esse quidem ab Episcopis excommunicandos: & si postea denuncientur, tunc talis excommunicatio erit Papæ reservata, ut patet ex cap. *Tua nos de sentent. excommun.* Et hic casus, ut benè observat Coninch *de Sacram. disp. 13. dub. 5. n. 37.* in quo aliquis potest ligare, & non solvere. Quod etiam notant omnes DD. *superiùs* citati. dicta verò denunciatio an sufficiat fieri edicto generali, discrepant Doctores: nam affirmat Suarez *ubi supra, num. 18.* Bonacina *n. 6.* & Filliucius *num. 53.* Sed negat Megala *num. 10.* Sayrus *num. 12.* Et hanc sententiam esse magis communem testatur nominatim contra Suarez, Pater Turrianus *de censur. lib. 3. dip. 30. dub. 2.* & Thesaurus *in Praxi de pœnis, part. 2. verb. Incendiarij cap. 1.* Itaque secundùm sententiam horum Doctorum, ut excommunicatio contra incendiarios lata, sit Papæ reservata, non sufficit, latam esse per edictum generale, sed facienda est ab Episcopo expressis nominibus incendiariorum.

3. Verùm difficultas est, an Episcopi teneantur sub aliqua pœna contra incendiarios excommunicationem ferre? Et affirmativè respondeo, sub pœna suspensionis per annum à ponificalibus, ut patet ex cap. *Pessimis* per annum à ponificalibus, ut patet ex cap. *Pessimis per annum à ponificalibus, ut patet ex cap. Pessimis per annum à ponificalibus, ut patet ex cap. Pessimis per annum à ponificalibus, ut patet ex cap.

disp.4. punct.10. §.5. num.11. & Bonacinam *de censur. tom.3. disp.3. q.5. punct.9.* asserentes quidem, pœnitentiam *in dict. cap. Pessimam*, contra incendiarios impositam serviendi Ierosolymis, vel in Hispania, non esse receptam: sed hoc minimè asserunt de suspensione contra Episcopos latam, si incendiarios non excommunicent. Quod etiam patet ex aliis Doctoribus, qui de hac suspensione mentionem faciunt, ut est Filliucius *tom.1. tract.27. cap.8. n.159.* Sayrus *de censur. lib.4. cap.12. n.44.* Barbosa *de potestate Episcop. part.3. allegat.11. num.23.* Honorius *in Compend. Iur.can. lib.5. tit.17. n.9. & 10.* Machadus *de perf. Confess. tom.1. lib.1. part.3. tract.11. docum.6. n.22.* Bassæus *in Floribus Theolog. verb. Suspensio*, 4. *n.57.* Megala *tom.4. lib.5. cap.4. quæst.5. num.8.* Præmolus *in Catalogo Suspensionum, cap.1. num.19. in fine, Man. Clericorum.* Non est igitur admittenda opinio Patris Thesauri.

RESOL. XCVII.

An Episcopus possit excommunicare subditum committentem delictum in Monasterio Regularium existente in sua Diœcesi?

Et an Religiosi ubique terrarum possint aliàs Superioribus ligari censuris, sive annexis statuto perpetuo, sive præcepto? Ex part.5. tract.9. Resol.66.

§.1. REspondent aliqui quòd licèt qui commisit delictum juxta proprij Episcopi Diœcesim, in loco tamen exempto, non possit ab Episcopo excommunicari, quia locus extra Diœcesim, & locus exemptus intra illam, æquiparantur, quantum ad hoc, quod est non posse Episcopum in eo jurisdictionem exercere, ut habetur *in cap. cum Episcopus de officio ordinarij in 6. cap.1. de privileg. eodem cap. luminoso 18. quæst.2. in Clemen. Archiepiscopo, de privilegiis.* Nomine autem loci exempti intelligendum est oppidum, aut Parochia, quæ sunt alterius jurisdictionis Ecclesiasticæ, nec satis est quòd exemptus sit præcisè ratione personarum, ut sunt Monasteria Religiosorum, quia subditi Episcopi, qui intra ea Episcopi statuta violarent, revera censuram incurrerent, quia locus ille exemptus non est nisi præcisè quantùm ad Religiosorum personas, & ita docet Cornejo *in 3.p. tract.5. de cens. in gen. disp.6. dub.2.* Naldus *in sum. verb. exemptio, n.5.* & novissimè Gordonus *in summ. tom.2. lib.7. q.2. cap.3. §.3. num.35.* Vnde Hurtado *de cens. in comm. disp.8. n.33.* sic ait: Nomine loci exempti quoad hunc effectum intelligitur locus exemptus ratione sui, ut sunt Abbatiæ aliquæ, & prioratus aliqui, & non intelliguntur Monasteria Religiosorum, ut contra Henriquez & Avilam docent Suarez *disp.5. sect.4.* & Ægidius *disputat.13. dub.7.* quia locus Monasterij non est exemptus, sed tantùm Religiosi ipsi, qui non ratione loci, sed ratione sui sunt subditi suis Prælatis Religiosis, sicut filij parentibus, & uxor marito, & ideò ubique terrarum possunt à suis Superioribus ligari censuris, sive annexis statuto perpetuo, sive præcepto, ut advertit Ægidius *n.64.* quod intelligimus de censuris annexis statuto totius Religionis, & præcepto Generalis; quoad Provincialem verò, & Superiores immediatos domorum, standum est legibus & consuetudini Religionum. Ita Hurtado.

2. Sed contrariam sententiam ego teneo, quam præter Henriquez & Avilam, tenet etiam Marcellus Vulpe *in praxi fori Eccles. cap.1. n.32.* & novissimè ex Societate Iesu Theophylus Raynudus *in tract. de monit. part.1. cap.1. q.9.* ubi sic ait: Hoc aliqui restringunt ad locum plenè exemptum, qualia aiunt esse, non Monasteria & Ecclesias Regularium exemptorum, sed oppida exempta, aut parœcias quasdam à jurisdictione Episcoporum subductas. Non video tamen quam disparitatem afferre possint quæ ad rem faciat, aut cur domos exemptas potiùs, quàm oppida, aut parœcias velint esse diversæ, & deterioris conditionis hac in parte. Similiterque non video cur Ancharanus *in cap. ut animarum, de constit. in 6.* subscribente, ut videtur, S. Antonino *part.3. tit.24. cap.75. §.1.* id quod diximus restringi voluerit ad locum exemptum, cujus Prælatus ex forma privilegij habeat in eo loco jurisdictionem Episcopalem, hoc, inquam, non video quanto jure dicatur. Nam quomodolibet se habeat Prælatus loci exempti (quod ad rem præsentem non videtur pertinere) dummodò locus ipse plenè exemptus sit à jurisdictione illius Episcopi intra cujus diœcesim materialiter claditur, militat semper eadem ratio, ut qui in eo deliquit, non ligetur talis Episcopi monitorio. Quare eodem planè modo philosophandum videtur de monitorio lato ob culpam in loco exempto admissam, quicumque demum is locus sit & quomòdocumque se habeat ejus Prælatus, ac de monitorio lato ob culpam admissam extra Diœcesim materialiter sumptam. Hæc omnia Raynaudus, unde hanc sententiam tutò in praxi sequi poterimus.

RESOL. XCVIII.

An Episcopus possit citare subditum suum existentem in aliena Diœcesi?

Et an Episcopus possit jurisdictionem contentiosam exercere extra Diœcesim, quando causæ cognitio non vertitur, & effectus confertur in suam Diœcesim?

Et negatur posse Episcopum sententiam excommunicationis ferre contra subditum suum, existentem tamen in alieno territorio, etiam pro delicto commisso in suo territorio.

Et quid dicendum est, quando adsit privilegium, vel per consuetudinem, an possit in alieno territorio suos subditos citare, & in eos jurisdictionem exercere?

Et an Prælati Regulares respectu suorum subditorum Regularium censeantur habere totum mundum pro territorio, ita ut possint exercere jurisdictionem, & capere suos subditos in quocumque territorio sint, etiam non implorato brachio judicis sæcularis, vel Episcopi?

Et an hoc locum habeat, ubi Prælati Regulares jurisdictionem cum territorio habeant? Ex part.5. tract.9. Resol.34.

§.1. AFfirmativa sententia suaderi potest. Primò, ex doctrina Bartoli *in l.1. §.1. n.5. ff. de requirendis reis*, Cyni, Pauli Castrensis, Angeli, Alexandri, & aliorum penes Carnevalium *tom.1. de judiciis, lib.1. tit.1. disp.2. n.20.* asserentium, quod quando duo territoria subsunt uni Superiori, tunc unius judex potest, citare in territorio alterius, quia, in tali casu Princeps Superior videtur permittere & authoritatem præbere, ut judex citet in alieno territorio; sed omnes Episcopi subsunt eidem Superiori, nempe Summo Pontifici, ergo videtur, ut in terminis observat Sigismundus Scaccia *de judiciis, &c. lib.1. cap.43. n.4.* quòd unus Episcopus potest citare subditum in Diœcesi alterius Episcopi.

2. Secundò, & hoc est validissimum argumentum, citatio non est actus judicialis, ergo potest ab Episcopo exerceri in aliena Diœcesi. Ita ex Iurisconsultis docet Abbas *in cap. licèt, n.41. de foro compet.* Bossius *tit. de citatione, n.20.* Choxier *de Iurisd. part.4. q.109. num.10.* Ancharanus *in cap. cum contingat, num.41. de foro compet.* & ex Theologis Paulus Layman *in Theolog. mural. lib.1. tract.4. cap.4. num.7.* ubi sic ait.

Si subditus ratione domicilii commisso delicto fugiat, etiam absens per nuntium, vel literas potest citari, isque comparere debet, & si cõtumax sit, excommunicari poterit, cujus rei rationem dat Abbas, quia citatio decernitur in proprio territorio ipsius judicis, licèt nuntius exequatur extra territorium, sed illa executio nuntij judicialis non est. Ita Layman ex Abbate. Vnde Tuschus *litera I, concl. 546. n. 5.* teste Giurba *cons. 32. num. 7.* dixit, quòd citatio sine causæ cognitione, vt est in casu nostro, voluntariæ jurisdictionis censeri potest, quæ licet Episcopis in aliena Diœcesi, ut tradit *gloss. 2. in l. fin. ff. de jurisdict. omn. judic.* & *ibi* Iason, & Orosius. Confirmatur supradictum argumentum ex illa celebri doctrina, quam docet Gonzalez *in regul. 8. Cancellar, gloss. 62. n. 11.* & post illum Gratianus *in discept. forens. tom. 2. cap. 127. n. 8.* & novissimè Barbosa *de potestate Episcopi, part. 2. allegat. 6 num. 11* nempe posse Episcopum jurisdictionem contentiosam exercere extra suam Diœcesim, quando causæ cognitio non vertitur, & effectus confertur in suam Diœcesim. Vnde Vgolinus *de censuris cap. 27. tab. 1. §. 1. n. 4.* docuit Episcopum, ubi causæ cognitio non adhibetur, ac pro tribunali non sedetur, ac propterea alienum territorium non læditur extra Diœcesim posse jurisdictionem exercere. Sed hoc accidit in casu nostro, ubi nulla adest cognitio causæ in alieno territorio, & effectus dictæ citationis confertur in Diœcesim Episcopi citantis, ergo, &c.

3. Et tandem tertiò probatur hæc opinio ex verbis textus *in cap. Romana, §. contrahentes, de foro compet. in 6.* ibi: *Si eorum auctoritate citati*, quibus apertè significatur judicem posse sibi subditum ratione contractus citare in alieno territorio auctoritate propria, & sine interventu judicis territorij.

4. Verùm his non obstantibus puto negativæ adhærendum esse sententiæ, quia Episcopus non potest exercere jurisdictionem in aliena Diœcesi, *ex cap. fin. de const. cap. Episcopum 9. q. 2. ex l. fin. ff. de jure omn. judic. ex Clementina 1. de foro compet.* & *ibi* Glossa, nam quoad jurisdictionem contentiosam pro privata persona habetur Episcopus extra suam Diœcesim, *ex l. 2. de offic. Procons.* & *ex l. fin. de offic. Præt.* jurisdictio enim cohæret territorio, *l. fin.* & *ibi* Bartolus *C. ubi*, & *apud quos.*

5. Hoc supposito sic argumentor, Episcopus non potest exercere jurisdictionem in alieno territorio: sed citare aliquem inconsulto Episcopo territorij, est exercere jurisdictionem: ergo. Probo minorem, quia, vt doctè observat ex Theologis Petrus Cornejo *in 3. part.* D. Th. *tract. 5. de cens. in gener. disp. 6. dub. 2. § dico quintò*, citatio est actus judicialis, sive consideretur quatenus pronunciatur à judice in proprio territorio sive quatenus in alieno territorio intimatur à Nuntio, quia tam pronunciatio mandati, quàm ejus promulgatio & intimatio ad actum judicialem pertinent, unde asserunt Iurisconsulti, quòd citatio est fundamentum judicij, & Giurba ex variis juribus & Doctoribus *in consil. 89. num. 22.* probat citationem esse actum & usum jurisdictionis, & habetur *in l. cùm Clericus, & l. omnes, C. de Epis. & Cler.* Hinc Summ. Pontifex *in Clementina pastoralis, de sent. & re judic.* determinat judicem non posse aliquem citare in alieno territorio. Et ita nostrã sententiam præter Cornejum *ubi supra* tenent ex Theologis Societatis Iesu, Avila *de censuris part. 2. cap. 3. disp. 2. dub. 2. conclus. 3. & 4.* Hurtadus *de cens. in communi diff. 8.* Megalius *in 3. p. lib. 1. cap. 3. n. 94* Idem etiam docet Covarr. *pract. qq. cap. 10. n. 7.* Petr. Barbos. *in l. hæres absens, §. 1. ff. de judic. n. 84.* ubi cum Aretino dicit hanc sententiam esse communem inter Canonistas, quam sequitur Rebuff. *in rubr. de literis requisitoriis à n. 4. & seq.* & alij Doctores *infrà citandi*, & quos citat ad satietatem Carnevalius *ubi supra, n. 21.* quibus ego addo Novarium *de gravaminibus vasallorum tom. 1. gravam. 285. n. 3.* & Riccium *p. 2. decis. 28. num. 11.*

6. Nec valet dicere quòd subditus excommunicari potest à proprio Episcopo pro crimine intra territorium commisso, ergo etiam potest à proprio Episcopo pro eodem delicto citari, & moneri judicialiter; quia non videtur major ratio unius, quàm alterius, imò majus videtur excommunicari, quam citari. Secundò censura est invalida, nisi præcedat aliqua specialis juris monitio & citatio, ergo vel non potest Episcopus excommunicare subditum extra proprium territorium existentem pro delicto in proprio territorio commisso, si non potest eum citare ibi, & monere, vel si potest excommunicare, potest citare.

7. Respondetur quòd ingeniorum phœnix Basilius Pontius *de matrim. lib. 5. cap. 7. §. 2 num. 20.* negat posse Episcopum sententiam excommunicationis ferre contra subditum suum, existentem tamen in alio territorio, etiam pro delicto commisso in suo territorio. Vel meliùs respondetur, negando consequentiam cum Petro Cornejo *ubi supra*, est enim dispar ratio inter excommunicationem & citationem, quia excommunicatio exequitur sine strepitu judiciali, & sine actu corporali intra aliam Diœcesim exercito, cum secum trahat effectum suum; secus verò citatio judicialis.

8. Ad secundam verò probationem respondet idem Cornejo, subditum qui post delictum commissum malitiosè fugit extra territorium suum, dolosè impedire ne à proprio Episcopo in sua propria persona citetur, & moneatur; cùm autem dolus & fraus nemini patrocinentur, satis est quòd in propria subditi domus, quam intra territorium habet, aut in loco publico ejusdem territorij citetur, & in eo censura proferatur & promulgetur. Igitur ex supradictis remanet satis firmata opinio negativa, nempe non posse Episcopum citare subditum suum in alieno territorio existentem: quam opinionem esse in praxi & usu receptam, testantur Doctores citati, quibus adde Iulium Clarum *lib. 5. q. 31. n. 19* Follerium *in praxi crim. part. 1. secunda part. rubr. vel eos verbaliter citari.* Scacciam *de judic. lib. 1. cap. 40. n. 6.* Covarruviam, Barbosam & alios *ubi supra.*

9. Restat modò respondere ad argumenta contrariæ sententiæ, & ad doctrinam Bartoli, in qua fundatur, primum argumentum, dico non subsistere, quia *in l. 1 §. Præsides ff. de requirendis reis*, statuitur ut judices loci delicti mittant litteras ad Magistratus locorum, ubi rei consistunt ad eos citandos, cùm tamen eo tempore imperio Romano subjectæ essent omnes Provinciæ Orbis in quibus illud jus civile vigebat. Et *in §. si quis vero comprehensorum, in Authent nulli judicum, collat. 9.* ex quo defumpta est Auth. *si verò criminis, C. ad leg. Iul. de adult.* requiritur epistola publica missa ad judicem loci ubi reus degit, id est, literæ deprecatoriæ, seu rogatoriæ, ut reus citetur, & tamen, ut est dictum, eo tempore Provinciæ uno superiori, videlicet Imperatori Romano, subditæ erant. Ex quibus labefactatur opinio Bartoli, quæ licet de jure esset vera, quod mordicus negamus cum DD. suprà citatis, tamen in usu & practica nostra negativa sententia observatur, ut testantur in specie Iul. Clarus & Sigismundus Scaccia *locis cit.* quibus addendus Carnevalius *de judiciis, lib. 1. tit. 1. disp. 2. q. 1.* Adde quòd Avila *de cens. part. 2. cap. 3. disp. 3. dub. 2. concl. 4.* licèt sequatur opinionem Bartoli, docet tamen procedere quando territoria sunt subjecta, eidem Episcopo secus autem si Diœceses sint distinctæ, nam in tali casu docet Episcopum non posse citare suum subditum in aliena Diœcesi existentem.

10. Ad

10. Ad secundum Argumentum patet responsio ex dictis, vbi satis firmatum est citationem in vero jurisdictionis exercitio versari, & esse actum judicialem ut præter DD. citatos docet etiam Correa *de immunitat. Eccles. 2. part. 2. n. 27.* vnde licet Episcopus ea quæ sunt jurisdictionis voluntariæ, possit extra suum territorium exercere, ut docet Gratianus, *in discept. forens. tom. 2. cap. 127. n. 1.* tamen fallit hæc doctrina in casibus, in quibus ad voluntariam exercendam jurisdictionem necesse est alterius citatio, ut ex Alexand. *cons. 67. num. 8. volum. 1.* & Petra *de potestat. Principis, cap. 32. num. 39. & 40.* & tradunt Giurba, *cons. 52. n. 27.* Vnde doctrina adducta in argumento ex Gratiano non potest applicari in casu nostro, nam idem Gratianus, *ibidem n. 10. & 12.* docet citationem dari non posse in aliena Diœcesi, sine illius Episcopi licentia, vnde non est admittenda sententia Layman, & aliorum.

11. Ad tertium respondeo cum Barbosa, *in l. haeres absens. §. 1. ff. de judic. num. 91.* & aliis, quod authoritate judicis contractus videtur facta citatio, quando mediantibus literis deprecatoriis ea fit per illum judicem, in cujus territorium citandus degit, quoniam videtur jussu requirentis facta prædicta citatio; ex *l. à Divo Pio, §. 1. ff. de re judicata*, vnde textus ille *in dict. cap. Romana*, non pugnat cum nostra doctrina. Adde quòd dictus textus loquitur, quando citatio efficitur ratione contractus; tunc enim potest fieri de vno Episcopatu ad alterum: secus est de citatione ratione personæ, quoniam citatio, quæ fit ratione contractus, non afficit immediatè personam, sed rem, scilicet ejus bona: at verò citatio ratione delicti immediatè afficit personam. Ita Avila *de cens. part. 2. cap. 3. disp. 2. dub. 2. concl. 4.* Sed mihi magis placet responsio Barbosæ, quam sequitur novissimè Carnevalius, *de iudiciis lib. 1. tit. 1. disp. 2. q. 1. n. 30.*

12. Notandum est tamen quod supradicta sententia à nobis tam rationibus, quam Doctorum auctoritate fulta, nempe judicem & Episcopum non posse citare suum subditum in alieno territorio existentem, limitatur à DD. variis modis, & præter alios primò limitatur, nisi adsit privilegium in contrarium. Vide Tassonum *in pragm. de Antifato ver. 3. observ. 4. n. 209.* Novarrium, *de gravaminibus vasallorum, tom. 1. gravam. 285. n. 14.* Abbatem *in cùm contingat, de foro compet. n. 3.* Cochier, *de jurisd. part. 4. q. 109. num. 12.* & alios. Secundò limitatur, nisi quis per consuetudinem in alieno territorio posset subditos suos citare, & in eos jurisdictionem exercere: nam si alterius jurisdictio præscribitur, multo magis, ut propriam quis in alieno territorio exerceat, consuetudine, præscriptioneque acquirere potest. Ita Vgolinus, *de cens. c. 27. tab. 1. §. 1. n. 5.* Surdus, *cons. 465. n. 6.* Gratianus, *in discept. tom. 2. c. 127 num. 12.* & alij. Et tandem tertiò limitatur quoad Abbates, Guardianos, Præpositos, Priores, Provinciales & Generales Regularium: hi enim circa suos subditos possunt exercere jurisdictionem in quocumque territorio sint, quia Prælati Regularium habent immediatè jurisdictionem in personas Religiosorum, ideóque etiam Episcopi jurisdictio finitur certis locorum limitibus; illorum autem jurisdictio nullis finitur locis; certis personis, quæ vbicumque sint, eodem modo iis subjectæ sunt, & eodem modo ab iis coërceri possunt. Cùm igitur Prælati Regulares nullum habent territorium, ac proinde vsus jurisdictionis quam habent non est alligatus certo territoro, sequitur quòd ea possunt vti in alieno, ex *l. cui jurisdictio, ff. de jurisd. omn. iud.* vt etiam de judice arbitro habetur *in l. si cum dies, ff. de arbitris, §. arbiter.* Igitur Prælati Regulares respectu suorum subditorum Regularium censentur habere totum mundum pro territorio. Vnde Petrus Cornejo, *vbi suprà*, docet posse Prælatum Regularem capere subditum suum, etiam non implorato brachio judicis secularis, vel Episcopi. Vide etiam docentem hæc omnia Villalobos, *in summa, tom. 1. tr. 16. diffic. 16. n. 6.* Sayrum, *de cens. lib. 1. c. 14. n. 6.* Coninch *de Sacr. disp. 13. dub. 7. n. 64* Gord. *in summa, tom. 1. lib. 7. c. 3. q. 2. §. 3. n. 32. & 38.* Præpositum *in 3. part.* D. Thom. *q. 1. de censuris in communi dub. 5. n. 28.* Vgolinum, *de cens. c. 27. tab. 1. §. 1. num. 6.* qui tamen notat hæc locum non habere, vbi Prælati Regulares jurisdictionem cum territorio haberent.

RESOL. XCIX.

An subditi incurrant excommunicationem latam per statutum in Diœcesi, si contra illud agant extra Diœcesim; vel intra Diœcesim, in loco exempto existentes?

Sed major difficultas est, quando censura lata est per sententiam.

Et quid est dicendum, si delictum subditi perpetratur in Diœcesi; an, in tali casu possit illum excommunicare, etiam si extra Diœcesim commoretur?

Et an pro delicto extra territorium commisso, si ad suam Diœcesim redeat, possit Episcopus subditum punire?

Et infertur, quod non potest Episcopus præcipere Clerico peregrinaturo sub pœna suspensionis, ne ludat, nec arma prohibita ferat, nec dicat Sacrum, & similia in aliena Diœcesi. Ex part. 3. tractat. 5. & Misc. 1. Resol. 74.

§. 1. REspondeo negativè, subditus enim non incurrit excommunicationem latam per statutum propriæ diœcesis, si contra illud agat extra diœcesim, vel intra diœcesim, in loco exempto existens; ut hîc Panormi est Ecclesia sancti Cataldi. Et ita docet Covarruvias, *in c. Alma, p. 1 §. 10 n. 12.* & alij communiter *ex c. 2. de const. in 6. & ex l. vlt. ff. de jurisdict. omnium judicum.* Sup. hoc in tribus resp. seqq. & in alio vers. eatum primarum annotationum.

2. Sed major difficultas est, quando censura lata est per sententiam; affirmant Suarez, *de cens. disp. 5. sect. 5. n. 9.* Laym. *in theol. mor. lib. 1. tr. 5. p. 1. c. 4. n. 7.* Vgolinus, *de cens. tab. 1. c. 9. §. 3. num. 4* & alij. Et ratio est, quia statutum dirigitur ad territorium, & ideo neminem ligat extra illud; præceptum verò, & sententia immediatè tendit ad personas subjectas, ideo illas ligat quocumque vadant. Sup. hoc in ref. seq. §. 1. post med. vers. Vbi asserit, & in aliis ejus not.

3. Verùm mihi contraria sententia probabilis etiam videtur, quam tuentur Avila *de cens. p. 2. cap. 3. disp. 2. dub. 5.* Coninch *de Sacram. disp. 13. dub. 7. concl. 6. n. 1.* Henriquez, *lib. 13. c. 26. n. 1.* Sayrus, *de cens. lib. 5. cap. 6. n. 40. ex l. vlt. ff. de jurisdict. omnium judicum.*

4. Dico igitur Episcopum non posse excommunicare etiam per sententiam suum subditum existentem extra suam diœcesim, nisi in ea aliqua ratione delinquat, quantumcumque extra eam delinquat, quia Episcopi jurisdictio non extenditur extra suam diœcesim, *ex cap. 2. de constit. in 6.* Hinc contra DD. citatos non potest Episcopus præcipere clerico peregrinaturo sub pœna suspensionis, ne ludat, ne arma prohibita ferat, ne dicat sacrum, vel ut singulis hebdomadibus sacrificet, &c. nisi forte quatenus ob justam causam posset ei præcipere, ne diœcesim egrederetur, & tunc quidem non peccaret propriè dicendo sacrum, ludendo, &c. sed egrediendo diœcesim. Et hæc doctrina procedit etiam, ut benè observat Coninch *vbi supra num. 63.* quando subditus delinquit in loco exempto, etsi intra diœcesim sit. Excipienda tamen sunt ex mente Suarez, *de censuris, disp. 5 sect. 4.* Sup. hoc inf. in ref. 102. §. Verum in fine, & in ref. 103. §. vlt. à lin. 8. Sup. hoc sup. in ref. 86. §. Sed ego pau-

Iò post initium, & in Resol. 97. per totam, & signanter, §. 1. ad med. &c.

num. 6. Monasteria Regularium, aut similia loca, quæ non sunt per se exempta, sed tantùm ratione personarum inhabitantium; sed adversùs Suarez, tenet Bonac. *de cens. disp. 1. q. 1. punct. 15. n. 8.* quem sequi videtur novissimè Paulus Squillante *de privil. Cler. c. 2. dub. 6. num. 68.*

Sup. hoc inf. in Resol. 101. §. Nota secundò, & etiam §. Nota tertio, & in alio §. ejus annot.

5. Notandum est tamen, quòd omnia supradicta procedunt quando delictum subditi perpetratur extra diœcesim; secus autem si illud commiserit in diœcesi, nam in tali casu potest Episcopus illum excommunicare, etiamsi extra diœcesim commoretur. Non reticeam tamen, attende Lector, contrariam sententiam docere Basilium Pontium, *de matr. lib. 5. c. 7. §. 2. num. 20.* vbi sic ait: Ex eodem principio colligo contra nonnullos, Episcopum non posse sententiam excommunicationis ferre contra subditum suum, existentem tamen in alio territorio: id quod etiam docuit Gabriel *in 4. dist. 18. quæst. 2. concl. 2.* Ita Pontius, qui tamen putat pro delicto extra territorium commisso, si ad suam diœcesim redeat posse Episcopum subditum punire.

RESOL. C.

An delinquentes extra territorium possint ligari lege, & statuto?

Et quæ differentia inveniatur inter excommunicationem latam per sententiam, & per modum statuti?

Et an quis contrahat censuram homicidio, & stupro impositam, si existens in suo territorio occideret existentem in alieno, vel si decepit in territorio virginem, & extraxit à territorio, & in alieno violavit. Ex part. 3. tract. 6. & Misc. 2. Resol. 78.

Alibi in Res. præterita, & in duabus seqq. & in alio vers. earum annotationum.

§. 1. NEgativam sententiam alibi docui, & communiter docent Doctores *ex c. ut animarum, de const. in 6.* verùm in gratiam curiosorum non desinam hîc apponere sententiam affirmativam Ferdinandi de Castro Palao, *in opere morali tom. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 24. §. 5. n. 21.* vbi ex pluribus rationibus probat esse satis probabile, posse ligari lege, & statuto delinquentes in alieno territorio, atque adeò posse sub excommunicatione ipso facto incurrenda, prohiberi subditis, vbicumque existant furtum, homicidium, adulterium, & quamlibet aliam actionem prohibitione dignam: lege illum, & non pigebit: vide etiam Salas, *de legibus, disp. 14. sect. 7. n. 90.* & Basilium Pontium, *de matr. lib. 5. c. 7. §. 2. n. 19.* vbi asserit se nullam differentiam invenire in excommunicatione lata per sententiam, vel per modum statuti, sed delinquentes extra territorium per sententiam, & generale præceptum subduntur, verbi gratia, excommunicationibus, ut tradit Suarez, *in 3. part. tom. 5. disp. 5. sect. 5.* Bonacina, *de cens. disp. 1. q. 1. punct. 11. num. 11.* & alij, communiter. Ergo subduntur etiam per legem, & statutum, cæteras rationes videbis apud Castrum, *loco citato.*

Sup. hoc in Res. præterita §. Sed & in Res. seq. §. Notandũ est & in Res. 1. post seq. §. 1. ad medium.

Sup. hoc inf. in Res. 102. §. Sed obiter & latè in Res. 103.

2. Notandum est tamen hîc obiter, te non contrahere censuram homicidio, & stupro impositam, si existens in tuo territorio, occideres existentem in alieno, vel si decepisti in territorio virginem & extraxisti à territorio & in alieno violasti; quia censura non est imposita ob inchoationem delicti, sed ob ejus consummationem, at consummatio est extra territorium; ergo, &c. Et ita contra Vgolinum, *de cens. tab. 1. cap. 9. §. 3. in fine*, docet Suarez, *de cens. tom 5. disputat. 5. sect. 4. num. 8. & 9. & de legibus, lib. 3. cap. 32. num. 5. & 6.* Salas *de legibus disput. 14. sect. 5. num. 71.* & aliis.

RESOL. CI.

An Episcopus possit excommunicare subditum existentem in alieno territorio, quando censura est annexa præcepto sive generali, sive speciali?

Et an si censura lata sit per modum sententiæ sive particularis, sive generalis, liget proprios subditos extra proprium territorium peccantes?

Et quid, si censura sit pro crimine, vel ratione delicti commissi in proprio territorio, & Episcopus. Ex part. 5. tract. 9. Resol. 32.

§. 1. AFfirmativè respondet Suarez, *disp. 5. de cens. sect. 5.* & Sayrus, *lib. 1. cap. 7* quia præceptum & censura ei annexa non tam respiciunt territorium, seu locum jurisdictionis; sed personam subditam; ergo obligat subditos, & censura ei annexa eos afficit vbique.

2. Verùm ex Henriquez & Coninch Hurtadus, *de cens. in commun. disp. 8. n. 34.* contrarium docet quia jurisdictio Episcopi non extenditur vltra suum territorium, ut satis significat Pontifex *in d. cap. 2.* dum reddens rationem, ob quam qui extra territorium Episcopi furantur, non ligentur statuto Episcopi excommunicantis fures, ait, quia extra territorium jus dicenti non paretur impunè; vbi per *jus dicere* non intelligit ferre statutum, seu legem, quia ferè idem esset, non potest ferre statutum, quia non potest illud ferre, sed idem est ac vti jurisdictione, ac proinde Episcopus tantùm habet jurisdictionem in personas ratione territorij, quando in eo habent domicilium, aut quasi domicilium. Vnde vtramque sententiam probabilem esse existimo cum Præpos. *in 3. part. q. 1. de cens. in comm. dub. 5. n. 31.* vide etiam Avilam *part. 2. c. 3. disp. 2. dub. 2. concl. 1.* & me ipsum *in 3. part. tr. 5. res. 21. & tr. 6. resol. 78.*

3. Notandum est tamen hîc primò, si censura lata sit per modum sententiæ sive particularis, sive generalis, ligat proprios subditos, etiam extra proprium territorium peccantes, probatur quia censura lata per modum sententiæ pro futuris culpis abstrahit à territorio, & solùm respicit ipsas subditorum personas, ergo vbicumque existant, eas ligat: nec obstat diversitas territorij, cùm ut hæc censura incurratur, nulla exterior vis necessaria sit, ut dictum est. Vnde si non propter bonum territorij directè, sed propter bonum ipsius subditi, vel aliarum personarum Episcopus præcipiat sub censura alicui particulari subdito, aut omnibus generaliter ut jejunent, v. g. sexta feria, aut ab exercitio alicu jus operis abstineant, revera censurâ incurrent, quamvis extra territorium delinquant & in hoc differunt censura lata à jure & ab homine: secus autem dicendum est si excommunicatio feratur pro culpa jam commissa, nam doctrina superiùs adducta intelligitur de censura lata pro culpis futuris evitâdis.

4. Nota secundo, posse Episcopum ferre censuram in subditum existentem in alieno territorio pro crimine, quod in proprio territorio commisit. Ita Sotus *loco citato*, & omnes communiter. Probatur tum ex vsu, tum etiam, quia aliàs Ecclesiastica Episcoporum potestas facile contemneretur, & esset in cujusvis potestate se ab eorum jurisdictione eximere, quantum ad delictorum punitionem, & se immediatè subjicere soli Papæ, quod probatur, quia ille, qui Salmanticæ furtum commisit, & statim ad Pinciam confugit, non potest excommunicari ab Episcopo Pinciæ, cujus subditus non est, nec ab Episcopo Salmanticæ vbi peccavit, quia jam extra territorium ejus est, ergo nullibi potest pro tali delicto puniri Ecclesiastica censura, nisi tantum à solo Papa.

5. Nota

5. Nota tertiò subditum existentem in alieno Episcopatu, posse ligari censuris à suo Episcopo ratione delicti commissi in proprio Episcopatu, ut si habens curam animarum non resideat, quia est absens & existens in alieno Episcopatu, quia tunc omissio residentiæ fit in proprio Episcopatu, aut si quis furtum fecit in proprio Episcopatu, & in alieno existens non satisfacit. Quia ratione delicti sortitur quis forum, ut dicitur *in cap. ult. de foro competenti.* Vnde in dictis casibus existens in alieno Episcopatu incurret censuram annexam statuto, aut præcepto sive generali, sive speciali notificato, (sive ante egressum à suo Episcopatu, sive pòst ex consensu Episcopi loci, in quo est, qui requisitus consentire debet, quia aliter Episcopus habet jus ratione delicti) quia ex una parte statuto, aut præcepto notificato censura, quæ ei annectitur, executioni mandatur absque actu aliquo judiciali faciendo in alieno territorio, quia in eo invalidè fieret absque consensu Episcopi illius territorij, quamvis injustè negato, & ex altera parte, ratione delicti commissi in proprio Episcopatu manet in alieno territorio subditus suo Episcopo. Et hæc omnia docet Cornejo *in part. 3. tr. 5. de cens. in gen. disput. 6. dub. 2.* & Hurtado *de cens. in com. diffic. 8.* & de his etiam infrà redibit sermo.

RESOL. CII.

An subditus Episcopi in alieno territorio ligetur censuris annexis præcepto sive generali, sive speciali sui Episcopi?

Et quid, si censura sit pro crimine, vel ratione delicti commissi in proprio Episcopatu?

Et an si delictum sit inchoatum in proprio territorio, & consummatum in alieno, subditus incurrat censuram statuti generalis, sive Episcopi?

Et si aliquis committat aliquod delictum in loco exempto intra proprium territorium Episcopi, an Episcopus possit eum censura ligare? Ex part. 5. tract. 9. Resol. 37.

hoc in §. 1. comm. seq.

AFfirmativam sententiam docet Suar. *de cens. disput. 5. sect. 5.* Sayrus *de cens. lib. 8. cap. 7.* & alij, quia superior potest suum subditum etiam extra territorium dirigere, atque adeò superior per præceptum intendit eum dirigere ubicumque sit, cum præceptum respiciat personas. Vnde hanc sententiam tenet etiam Petrus Cornejo *in 3. part. D. Th. tr. 5. de censuris in genere, disp. 6. dub. 2. §. Dico septimò*, ubi sic ait: Si censura lata sit per modum sententiæ sive particularis sive generalis, ligat proprios subditos, etiam extra proprium territorium peccantes, quia censura lata per modum sententiæ pro futuris culpis abstrahit à territorio, & solùm respicit ipsas subditorum personas. Ergo ubicumque existant, eos ligat. Nec obstat diversitas territorij, cùm hæc censura ut incurratur, nulla exterior vis necessaria sit: unde si non propter bonum territorij directè, sed propter bonum ipsius subditi, vel aliarum personarum Episcopus præcipiat sub censura alicui particulari subdito, aut omnibus generaliter, ut jejunent, v. g. sexta feria, aut ab exercitio alicujus operis se abstineant, reverà censuram incurrent, quamvis extra territorium delinquant, & in hoc differunt censura lata à jure, & ab homine. Ità Cornejo.

2. Verùm opinio negativa probabilis etiam mihi videtur, quam docet Ioan. Præpositus *in 3. part. quæst. 1. de cens. in gen. dub. 5. num. 31.* & Hurtado *de cens. in gen. diffic. 8. n. 34.* ubi citat Henriquez & Coninch, quia peccatum inferioris physicè, & moraliter in tali casu consummatur in alieno territorio, ubi non paretur impunè jus dicenti, juxta *cap. ut animarum de constit. in 6.* id est, delinquens ex eo pœnam non patitur. Hinc infertur me olim probabiliter respondisse, quòd si Episcopus prohibeat Sacerdotibus sub pœna suspensionis, ne in aliena Diœcesi celebrent, illam non incurrere celebrando. Sup. lìbc sup. in Ref. 99. §. Dico, in lin. 6. & in alio §. ejus annot. Et pro contento in hoc §. not. est, in Ref. prærerita §. Nota tertio, & lege etiam §. Nota secundo, & §§. ejus not.

3. Non est tamen negandum cum Hurtado *ubi suprà*, & aliis subditum existentem in alieno territorio posse ligari censuris à suo Episcopo ratione delicti commissi in proprio Episcopatu, ut si habens curam animarum non resideat, quia est absens, & existens in alieno Episcopatu, quia in tali casu omissio residentiæ fit in proprio Episcopatu, aut si quis furtum fecit in proprio Episcopatu, & in alieno existens non satisfecit. Vnde ego olim dixi cum Avila *de cens. part. 2. cap. 3. disp. 2. concl. 3.* quòd si Episcopus præcipiat sub excommunicatione, ut omnes Clerici subditi veniant ad Synodum, Clerici subditi, licèt existant in alieno territorio, ligantur. quod etiam docet Præpositus *loco cit. num. 26.* & Villabos *in summ tom. 1. tr. 16. diffic. 16. num. 9.*

4. Sed obiter attingam hîc pulchrum dubium, an si delictum inchoatum sit in proprio territorio, & consummatum in alieno, subditus incurrat censuram statuti generalis sui Episcopi? Negativè respondet Petr. Cornejo *ubi supra, in 3. p. tr. 5. de cens. in genere, disput. 6. dub. 2.* ubi citat Suarez. Vnde asserit, quod si stuprum, v. g. sit prohibitum in hac Diœcesi sub excommunicatione, & quis raperet Virginem, & eam extra territorium portaret, & ibi violaret eam, non incurreret censuram, quamvis per tactus, oscula, & raptum intra territorium inchoaret stuprum. Et ratio est, quia hæc censuram lata est absolutè contra stupratores, & non contra quomodocumque stuprum inchoantes: ergo quousque stuprum consummatum sit, incurri non debet; sed in hoc casu consummans stuprum est extra territorium, ubi non ligatur per statutum. Ergo. Quod confirmatur, quia si feratur censura contra homicidas in Ecclesia, ille, qui intra Ecclesiam existens sagittam projiceret, qua hominem extra Ecclesiam existentem occideret, revera non incurreret censuram illam, etiam si homicidium fuerit intra Ecclesiam inchoatum Hæc Cornejo. Nec adversùs hanc doctrinam facit Villalob. *in sum. t. 1. tr. 16. diffic. 16. n. 4.* ubi sic ait. [Si el peccado começò dentro del territorio, y se acabò fuera del, quedaria ligado con la censura, como si heriò algun en el territorio, y murio, quando estava fuera del, o si le mandaron que no sacasse la mercaderia del territorio.] Ità ille, & ante illum Sayrus *de cens. lib. 1. cap. 6. n. 41.* & alij. Non, inquam, adversantur sententiæ negativæ ista exempla, nam concedit Cornejus probabilius esse homicidam illum incurrere censuram in supradicto casu, quia quamvis homicidium consummatum sit extra territorium, quantum ad ultimum ejus effectum, qui est mors: tamen tota actio exterior à qua provenit; scilicet vulnus lethale, causata fuit intra territorium ratione cujus dici potest, homicidium fuisse intra territorium consummatum, quantum ad totam actionem, ex qua mors sequuta fuit, cui favet, quòd iste homicida non possit conveniri pro homicidio in alio territorio, ubi mors fuit sequuta, cùm in eo nullum delictum commiserit, ex quo sequitur quòd accusari debeat in proprio territorio, non solùm ratione vulneris illati, sed etiam homicidij. Ad alium casum respondet etiam idem Cornejo delictum illud deferendi triticum extra propriam Diœcesim, quoad actionem, qua defertur, consummari intra propriam Diœcesim, quamvis quantum ad terminum extrinsecum assumatur in aliena. Sup. hoc in Ref. seq. & sup. in Ref. 100. §. ult. Sup. hoc in Ref. seq. §. Nec. Sup. hoc in §. not. præteritæ.

5. Et tandem nota pro coronide hujus resolutionis, quòd si aliquis aliquod crimen committat in

tat in loco exempto intra proprium territorium, priùs Episcopus non potest eum censura ligare, quia talis locus comparatur alieno, quod secundum aliquos, ut alibi dictum est, intelligitur, si locus sit absolutè exemptus, & non solùm quoad personas. Ita cum Suar. & Coninch docet Hurtado *ubi supr. diffi. 8. num. 33.* Alij verò id absolutè pronunciant, & intelligunt etiam de Monasteriis Regularium. Ita Henriq. *lib. 13. cap. 26. num. 2.* Sà *ver. Excommunicatio num. 12.* Avila *de cens. part. 2. cap. 1. disput. 2. dub. 5.* quorum sententiam probabilem esse satis indicat Præpositus *ubi supra num. 27.* quia, ait ille, in dictis Monasteriis Episcopus pro Tribunali sedere non potest; & licet locus exemptus sit de Diœcesi, & territorio Episcopi, tamen locus exemptus, & locus extra territorium æquiparantur quoad jurisdictionem, nam locus ille est quidem de territorio Episcopi quantùm ad situm, non autem quantùm ad jurisdictionem. Vnde ex his infertur, quod si Episcopus præcipit sub excommunicatione ne aliquis furetur rem sacram, si subditus ejus furetur calicem in loco exempto, non incurrit, & ideo ex dictis infert Avila, quòd si Episcopus ponat excommunicationem contra ingredientes Monasteria Monialium ad loquendum cum illis, qui ingreditur Monasterium exemptum, non incurret, secus est si ferret excommunicationem contra accedentes ad Monasteria etiam exempta. Nam licèt Monasterium sit exemptum, tamen via, qua pergitur ad illud, non est exempta, & ratio discriminis horum casuum est, quòd in primo excommunicatio non ponitur propter accessum, sed propter peccatum quod committitur intra Monasterium; in secundo ponitur propter accessum ad Monasterium. Igitur olim ego probabiliter docui, ludentes, & cudentes monetam falsam in Monasteriis Regularium contra prohibitionem Episcopi id prohibentis sub censura, illam non incurrere; sed de his * infrà redibit sermo.

Alibi sup. in Ref. 99. §. Dico igitur, & in Ref. 86. §. Sed ego, paulò post initium. & §. ult. ad méd. & in aliis notatiorum dicti §. & in Ref. 87. per tot. & in t. 1. tr. & Ref. 51. §. penult. & ult.

Supp. his seqq. cum eodem Avila, & aliis sup. in Ref. 85 per tot. & in Ref. 86 §. 1. per tot & lege doctrinam alterius Ref. earum an notationum.

*Infr. in Ref quæ hic est supra 85.

RESOL. CIII.

An si delictum inchoatum sit in proprio territorio, & consummatum in alieno, tunc subditus incurrat censuram Statuti generalis sui Episcopi?

Et an Episcopus per Statutum possit prohibere sub censura, ne Sacerdos subditus in aliena Diœcesi celebret, & similia? Ex part. 5. tr. 9. Resol. 33.

Sup. hoc sup. §. 1. in Ref. 100. §. ult. & in Ref. 102. §. Sed. obiter.

REspondeo non incurrere. Ita Suarez *de censuris disput. 5 sect. 4. num. 7. & sequent.* Vnde si stuprum, v. g. sit prohibitum in hac Diœcesi sub excommunicatione, & quis raperet virginem, & eam extra territorium portaret, & ibi violaret eam, non incurreret censuram, quamvis per tactus, oscula, & raptum intra territorium inchoaret stuprum. Et ratio est, quia hæc censura lata est absolutè contra stupratores, & non contra quomodocumque stuprum inchoantes. Ergo quousque stuprum consummatum sit, incurri non debet; sed in hoc casu consummans stuprum est extra territorium ubi non ligatur per statutum, ergo. Confirmatur quia si feratur censura contra homicidas in Ecclesia, ille qui intra Ecclesiam existens sagittam projiceret, qua hominem extra Ecclesiam existentem occideret, revera non incurreret censuram illam, etiamsi homicidium fuerit intra Ecclesiam inchoatum. Ergo. Vide etiam Gordonum *in summ. tom. 2. lib. 7. cap. 2. §. 3. num. 34.* ubi ita ait. Quid si cùm delictum inchoatum est in proprio territorio, & consummatum est in alieno? ubi in primis adverto, peccatum quoad censuras, forùmque exteriùs consummari in actu, & effectu externo prohibito, ut jam putavit in exemplo non residentis, quicquid, sit de voluntate mala respectu Dei alibi inchoata. Quale in contrahendis censuris spectandum est ubi dicto modo sit consummatum delictum, & quidem si delinquens consummat delictum in alieno territorio, & nullo ex hactenus dictis titulis censetur præsens, sed planà absens, ille tunc non contrahet censuram annexam huic delicto per statutum proprij Episcopi, nec pœnæ huic subjicietur. Dixi *quoad censuras*, nam quantum ad alias pœnas, vel effectus, recepta sententia est, quando delictum in uno loco inchoatur, & consummatur in alio, posse delinquentem utrobique puniri, ex *l. 1. C. ubi de crimine agi oportet*, per illa expressa verba, *ubi commissa vel inchoata sunt.* At vero censura non solet ferri, nec fertur, ut nunc pono, propter inchoatum delictum, estque hæc mens legislatoris. Ita Gordonus.

2. Nec valet dicere quòd ex his sequuntur duo absurda. Primum est, quod qui alterum lethaliter in propria Diœcesi vulneravit, ubi homicidium est prohibitum sub censura, non incurrat illam, si vulneratus extra propriam Diœcesim moriatur, quod est falsum. Secundum est, quòd non possit Episcopus per statutum prohibere sub censura, ne triticum, v. g. extra Diœcesim deferatur, aut ne Sacerdos subditus in aliena Diœcesi Missam celebret, cum hujusmodi delicta consummari non possint, nisi extra Diœcesim, ubi talem censuram incurrere non possunt. Huic objectioni respondet Suarez *numero decimo, & undecimo*, negando sequi illa duo absurda. Et ad primum dicit probabilius esse homicidam illum incurrere censuram in eo casu, quia quamvis homicidium consummatum sit extra territorium, quantum ad ultimum ejus effectum, qui est mors, tamen tota actio exterior, à qua provenit, scilicet vulnus lethale, causata fuit intra territorium, ratione cujus dici potest homicidium fuisse intra territorium consummatum quantum ad totam actionem, ex qua mors sequuta fuit; cui, favet, quòd iste homicida non possit conveniri pro homicidio in alieno territorio ubi mors fuit sequuta, cùm in eo nullum delictum commiserit, ex quo sequitur, quod accusari debeat in proprio territorio, non solùm ratione vulneris illati, sed homicidij. Ad secundum inconveniens respondet *in num. 11.* delictum illud deferendi triticum extra proprium Diœcesim quoad actionem, qua defertur, consummari intra propriam Diœcesim, quamvis quantum ad terminum extraordinarium assumatur in aliena. Et idem est dicendum ad illud de Sacerdote cui, Episcopus sub censura prohibuit celebrare extra propriam Diœcesim: nam cùm hæc prohibitio sit suspensio quædam personalis imposita Sacerdoti intra proprium territorium pro territorio alieno non incurritur de novo à Sacerdote, quando existit in aliena Diœcesi, sed eam secum defert, aut portare censetur, quando à proprio territorio exivit, & hæc omnia præter Suar. docet Cornejo *in 3. part. tract. 5. de cens. in gen. disput. 6. dub. 2.*

RESOL. CIV.

An Episcopus existens extra suam Diœcesim possit excommunicare suum subditum, si res adeo manifesta sit, ut non requirat cognitionem causæ? Ex part. 5. tr. 9. Resol. 35.

§. 1. LIcèt Episcopus existens extra proprium territorium non possit subditos suos excommunicare, ex *cap. Episcopum 9. quæst. 2.* juncta glossa, quia jurisdictio contentiosa, qualis est jurisdictio ad excommunicandum, non potest exerceri in alieno territorio,

ritorio, *ex c.novit, de officio delegati & l.2.de offic. Proconf.* Tamen Avila *de censuris part.2.c.3.disp.2. dub.1.* ex Navarr. & Sylvestro limitat hanc sententiam, quando crimen est adeo clarum, ut non requirat cognitionem causæ, & etiam docet Bizozerus, *in summa, de excomm.c.2.n.2.*

2. Sed adversùs hanc sententiam insurgit Io. Præpositus *in 3.part.D.Th.q.1.de censuris in communi dub.5. n.14.* quia in tali casu verum est, quòd Episcopus in alieno territorio non habeat Tribunal, & quantumcumque causa sit clara, ferre censuram est actus fori contentiosi, quod in aliena Diœcesi exerceri nequit, ex *Clem. unica, de foro compet. in pr.* Vnde Episcopus quantum ad exercitium jurisdictionis contentiosæ, est veluti quidam privatus, postquam Diœcesim suam est egressus, & censura ab eo ibi lata non solùm est illicita, sed etiam nulla & invalida, ut latè ostendit glossa *in cap.novit, de officio Leg. ver. terminos*, & colligitur manifestè ex ipso textu, vbi Pontifex non aliter salvat censuram interdicti à Legato contra Regem Franciæ latam, quàm ex eo quòd nondum fuerat terminos suæ legationis egressus ergo si jam extra illos, censura illa nulla fuisset.

3. Verùm his non obstantibus sententiam Avilæ & Navarri tenet novissimè Petrus Cornejo, *in 3.part. D.Th.tr.5.de censi in genere, disp.6, dub.2.q.2.* quia cùm causæ cognitio necessaria non sit, cessat ratio prohibitionis quod intellige modò monitiones præmittat, & huic sententiæ favet textus *in c.cùm sit, § fin.de appell. & cap. evidentia de accusat. & c.manifestat.1.q.1.* Vnde puto vtramque opinionem esse probabilem, sed ego affirmativæ libenter adhæreo.

RESOL. CV.

An ratione delicti possit Episcopus excommunicare subditum alienum?

Vbi etiam invenies aliud pulchrum dubium videlicet; an si Episcopus Panormitanus ferat excommunicationem contra scientes quinam fecerit tale furtum, & non manifestantes; si Petrus verbi gratia, originarius Diœcesis Montis Regalis perveniat ad Civitatem Panormi post latam hanc sententiam & ibi acquirat domicilium & cognoscat furem, & non manifestet, an ligabitur censura?

Ex quo infertur, quod censura lata ab Episcopo per viam sententiæ generalis non ligat nisi subditos ratione personæ, & domicilij, non autem eos, qui subditi non sunt, etiam si intra ejus territorium existant. Ex part.5.tr.9.Res.36.

§.1. Respondeo affirmativè, dum manet in sua Diœcesi, vel etiamsi talis alienigena profectus sit ab ea Diœcesi, antequam ferretur excommunicatio, tamen fuerit præventus citatione, vel si ad requisitionem Episcopi ejus territorij, in quo deliquit, citetur à proprio Episcopo, ad quod Episcopus requisitus tenetur, ut notant Doctores *in c.fin.de foro comp.* & observat in specie ex neotericis Petrus Cornejo, *in 3.part.D.Th.tr.5.de censuris in genere, disp.6. dub.2.q.3.* Hurtad. *de cens.in genere, diffic.9.num.36.* & Avila *de censuris part.2.c.3.disp.2.dub.3.concl.2.* in tali enim casu reus tenetur respondere, & si non faciat, potest excommunicari ab Episcopo territorij, in quo deliquit.

2. Sed insurgit hîc practicabile, ac curiosum dubium, nempe an si Archiepiscopus Panormitanus ferat excommunicationem contra scientes quisnam fecerit tale furtum, & non manifestantes? Si Petrus, v.g. originarius Diœcesis Montis Realis perveniat ad civitatem Panormi post latam hanc sententiam, & ibi acquirat domicilium, & cognoscat furem, & non manifestet, an ligabitur censura? Affirmativam sententiam tenet Ioan. Præpositus, *in 3.part.D.Th.q.1.de cens.in comm.dub.5.n.50.* Hurtado, *vbi suprà, n.39.* qui citat Suarez, & Coninch: quia non apparet ratio, propter quam talis non ligetur censura, cùm etiam post publicationem edicti duret ejus obligatio, & impositio pœnæ. Verùm mihi contraria sententia etiam probabilis videtur; quia sententia referenda est ad tempus, in quo pronunciatur, tunc enim incontinenti sumit vires adversùs eos, contra quos fertur. Ergo solùm habet vim contra eos, qui tunc erant subditi. Ex quo inferunt viri docti, quòd licèt tempore, quo profertur hujusmodi sententia, ille alienigena existat in civitate Panormi, si tamen nondum est factus subditus ratione personæ, quia nondum acquisivit domicilium, non ligabitur censura quoniam tempore prolationis sententiæ non erat subditus, nec ratione delicti, nec ratione personæ. Ita Avila, quem sequitur Cornejo, *vbi supra*, & Sayrus. vlt. in fine. Quamvis non plenè dicant Sup. hac q.

3. Hinc à fortiori dicendum est cùm suprà citatis DD. quòd censura lata ab Episcopo per viam sententiæ generalis non ligat, nisi subditos ratione personæ & domicilij, non autem eos, qui subditi non sunt, etiamsi intra ejus territorium existant: vnde qui in alieno Episcopatu, vbi furtum prohibitum est sub censura, non habet domicilium, non ligatur illa censura: & ratio est, quia censura per modum sententiæ etiam generalis directè fertur in personas secundùm se, præscindendo à territorio. Ergo solùm ligat eas, quæ secundùm se subditæ sunt; sed alienigena non est subditus, ergo. Sup. hoc ex doctrina Res. seq. signanter in fine.

RESOL. CVI.

An peregrini obligentur censuris locorum generali sententia aut statuto decretis?

Et ideo excommunicatio lata contra eos, qui sciunt aliquod furtum seu delictum esse commissum, non ligat transeuntes, advenas, & peregrinos. Ex p.3.tract.5. & Misc.1. Res.73.

§.1. Affirmativè respondent glossa *in c. à nobis de sent.excomm. & ibi* Abbas, *n.7.* Vgolinus, *de cens. tab.1.c.9.§.2.n.4.* & DD. quos citat, & sequitur Barbosa, *in collect. tom.2. lib.5. c.21. n.4.* & hanc sententiam docet etiam Suarez, *de cens.disp.5.sect.5.n.12.* quando censura lata est per statutum, quia cùm territorio inhæreat, affici debent etiam peregrini. Et absolutè hanc sententiam docet Basilius Pontius *de matr. lib.5.c.7.§.2.n.19.* sive excommunicatio sit lata per modum statuti, sive per modum sententiæ.

2. Sed ego contrariam sententiam teneo ex textu claro *in cap.1. nobis, et 1. de sent. excomm.* nam potestas jurisdictionis tantùm se ad subditos extendit, sed sicut sententia, & statutum manat à potestate jurisdictionis. Ergo solùm ligat subditos, non autem advenas & peregrinos. Et ita novissimè adversus Suarez, docet Layman. *in Theol. moral. lib.1. tr.5. p.1. cap.4. num.5.* vnde contra Basilium, *vbi suprà*, excommunicatio lata contra eos, qui sciunt aliquod furtum seu delictum esse commissum, non ligat transeuntes. Ita Coninch *de Sacr. disp.13.dub.7.cõcl.5.n.60.* Sup. hoc in Res. præterita § vlt. Sed lege eam per totam.

RESOLVTIO CVII.

An Collegium vel communitas possit excommunicari?

Et

Et quid est dicendum, si quilibet sigillatim excommunicetur, etiamsi omnes ejus Collegij excommunicentur? Ex part.5.tr.9.Res.38.

§.1. AD hoc dubium, quod in praxi sæpiùs potest accidere, sic respondet Hurtado, *de excomm. diffic. 2.n.7.* Quamvis communitas excommunicari non possit ab homine ob crimen commune in aliquo vno negotio, potest tamen excommunicari excommunicatione juri annexa, & quamvis non possit cõmunitas excommunicari ab homine, possunt tamen excommunicari plures communitatis ex iis qui astiterunt ei negotio etiam ut membra communitatis ob idem commune crimen in aliquo vno negotio, dum non excommunicentur omnes illi, qui in eo negotio assistentes, & repræsentantes communitatem, illud crimen commiserunt, quia omnes isti non possunt ut communitatis membra excommunicari ab homine, quamvis aliqui communitatis non astiterint ei negotio, possunt tamen omnes ut membra communitatis excõmunicari ab homine ob diversa crimina, alij ob vnum, & alij ob aliud, & etiam omnes ut particulares personæ etiam ob idem commune crimen ab illis, ut à particularibus personis commissum, quia in dicto cap. tantùm est sermo de excommunicatione ab homine lata contra communitatem ut talem ob peccatum commune ab ea commissum, quia non præsumitur omnes communitatis, qui assistunt alicui negotio, delinquere eodem communi crimine. Ita Hurtado, & ideo Vasquez, notat Turrian. *de cens. lib.2. disp.23.dub.2.* doctrinam prædictam, scilicet non posse Collegium, seu communitatem excommunicari, intelligendam esse, quando vnica sententia excommunicatur Collegium, hoc enim est, quod prohibetur *in cap. Romana, de sent. excomm. in 6.* Si verò quilibet sigillatim excommunicetur, erit valida excommunicatio, etiamsi omnes ejus Collegij excommunicentur, quia hoc non est prohibitum. Ergo, si cætera adsint, valida erit sententia. Vide etiam Coninch *de Sacram. disp.13.dub.6.n.48.*

RESOL. CVIII.

Sup. prima diffic. huius tituli in duabus res. seq. & in t.1. tr.3 res.50. §.vlt. in pr. & in Res.83. §.vlt. & in tom 2. res 5. §.7. Ex quibus, ad medium.

An pueri statim post vsum rationis teneantur censuris, & pœnis?

Et difficultas est de censuris latis à jure.

Et an puer impubes occidens aliquem incurrat, & contrahat irregularitatem?

Et an pueri, si in ea ætate ante vsum rationis decedant, possint sepeliri in loco interdicto? Ex part.3. tr.6. & Misc.2. Res.88.

§.1. DE censuris ab homine latis, quod pueri non adstringuntur quousque ad pubertatem deveniant *ex cap.1. & c. referente, de delict. puer.* tradunt Vasquez, *in 3.par.tom.4.q.90.art.2.dub.4.n.3.* Corduba, *in summa, q.60.dict.5.* Sanchez, *in summa, tom.1.lib.1. c.12.n.7.* Sancius *in selectis. disp.26.n.18.* & alij penes ipsos.

Sup. hoc in res.2. not. præteritæ, & in res.3. in eodem §. ad medium, & in res.5 eodem §.

2. Sed difficultas est de censuris latis à jure, & affirmativam sententiam *ex cap. super eo, c. pueris cap. quamvis. de sent. excom.* tradunt Vgolinus, *de cens. c.17. §.3.n.5.* Suarez, *in 3.part.tom.5.disp.5.sect.1.n.19.* Azorius, *tom.1. l.7. c.41.q.10.* Henriquez, *lib.8. c.42. n.8.* Sanchez, *in summa, loc.cit. n.8.* Sancius, *n.18.* & alij.

Sup. hoc inf. in tr.2. ex doctr. res.68. quamvis ibi pro absolut. in hoc casu.

3. Verùm Castrus Palaus, *in opere morali, tom.1.tr.3. disp.1. punct.24. §.2.n.9.* absolutè probat, solùm sententiam excommunicationis ipso jure latam ob percussionem Clerici, propter ejus gravitatem contrahi à pueris doli capacibus ante pubertatem, quia in supra dictis textibus ita habetur. Aliæ autem censuræ, & excommunicationes ab homine latæ, etiam generaliter non comprehendunt pueros ante pubertatem, & sequenda est communis decisio *in cap.1. de delictis puer.* quia odia sunt restringenda. Ita Castrus.

4. Ex quibus infertur cum Avila *de cens. part.7. Sum. disp.6.sect.1 dub.13.* & aliis contra Layman, *in Theol. mor lib.1.tr.4.c.10.n.6.* Sanchez, *in summa, tom.1.lib.1. c.12.n.8.* & alios puerum impuberem occidentem non incontrahere irregularitatem, vide Henriquez, *lib.13. de Irregular. c.3.n.4. in glossa littera Z.*

5. Notandum est tamen hîc obiter, quòd licèt pueri ante vsum rationis adstricti non sint legibus, & censuris Ecclesiæ, ut probatum est, at si in ea ætate decedant sepeliri non possunt in loco interdicto, quia hæc prohibitio non tam ipsos, quam sepelientes respicit. Ita Salas *de legibus disput.14. sect.13. num.126.* Suarez, *de cens. disp.35. sect.1. num.2.* Henriquez, & Sanchez, *vbi supra.*

RESOL. CIX.

An impuberes incurrant excommunicationem latam, v.g. ab Episcopo contra non observantes præceptum annuæ confessionis vel communionis in Paschate? part.4. tr.4. & Misc. Res.207.

§.1. AFfirmativè respondet Hurtado, *de Sacr. dis. put.7. de pœnit. diffic.6.* vbi sic ait: Impuberes non implentes præceptum annuæ confessionis incurrunt excommunicationem majorem, quæ in aliquibus diœcesibus ipso facto imponitur. Ita ille, quod etiam docuit *de censuris in communi, diffic.7.* vbi probat, pueros impuberes ratione vtentes posse validè ligari censuris ab homine.

2. Sed his non obstantibus contrariam sententiam docet Corduba, *in summa, q.6.* & Petrus de Ochagavia, *de Sacr. tract.2. de Euchar. q.7.* quibus adde novissimè Gulielmum Mercerum, *de Sacr. in 3. part. D.Th. q.6. art.5.n.7.* vbi loquendo de pœnis, quæ possunt incurri ex violatione præcepti annuæ confessionis, asserit per constitutionem Synodorum particularium posse incurri excommunicationem ipso facto; sed subdit non extendi ad pueros, etiamsi peccent contra divinum, & humanum præceptum, quia, ut dicitur *in cap. de delictis puerorum*, in pueris relinqui solet inultum, quod in aliis progressionibus ætatis humanæ leges ducunt severiùs puniendum. Sic Mercerus, vnde puto hanc sententiam, ut alibi dictum est, probabilem esse, quam, præter Doctores citatos, docet etiam Homobonus de Bonis, *in consult. casuum conscientiæ, vol.2. part.5. responsi. 126.* vbi citat Sotum Comitolum, & alios vide etiam Vgolinum, *de cens. capite 17. §.3. numer.5.*

RESOL. CX.

An pueri ante annos pubertatis incidant in excommunicationem latam tam à jure, quam ab homine?

Et an ex vi monitory teneantur impuberes revelare? Ex part.5.tr.9.Res.46.

§.1. AFfirmativam sententiam docet Hurtado, *de Sup. cens. in comm. diffic.7.n.30.* vbi sic ait. Pueri impuberes ratione vtentes possunt simpliciter ligari quacumque censura à jure ut constat *ex cap.1. & vlt. & de sent. excom.* quia ex vna parte possunt peccare ad hoc mortaliter, & ex altera nullo jure censura contra

tra eos lata irritatur. Imò possunt validè ligari censuris ab homine; quia ex vna parte possunt peccare adhuc mortaliter, & ex altera nullo jure censura contra eos lata irritatur, imò nec prohibetur contra eos ferri, ac proinde, ut indicat Ægidius, id potest licitè fieri à Superiore. Quòd verò non percipiant ordinem judiciarium, non obstat, ut ligentur censuris generaliter latis, quia tunc non est necessarium ad incursionem, quod interveniat cum illis ordo judiciarius, imò nec obstat ut ligentur censuris specialiter latis contra illos, quia instrui possunt de ordine judiciario, sicut etiam possunt ligari alij puberes ordinem judiciarium ignorantes, quia etiam possunt instrui, imò & quamvis non possent, cùm possint medio procuratore se defendere. Quòd si impuberes ratione vtentes possunt censuris ligari, etiam de facto ligantur, quando in eis est causa sufficiens. Ita Hurtado, qui citat Suarez & Coninch.

2. Sed contraria sententia non caret probabilitate, & ideo illam tenet Cœlest. *in comp. Theol. moral. tr. 3. c. 6. n. 9.* vbi sic ait: Dico quòd vi monitorij non tenentur impuberes revelare, quia illi excusantur à censuris ante pubertatis annos, idque est intelligendum tam de censuris à jure latis, quam ab homine. Sic ille, & Emanuel Sà correctus *ver. censura, n. 2.* docet, censuras neminem incurrere ante annum decimum. Vide Vgolinum, *de censt. ab. 1. c. 17. §. 3. n. 5.* & Vasq. *in 3. p. tom. 4. q. 90. art. 2. dub. 4.* cum Sayro, *de cens. lib. 1. c. 8. n. 4.*

RESOL. CXI.

An excommunicatus possit esse Tabellio, & an ejus acta sint valida?

Et an predictus Tabellio peccet mortaliter exercens munus suum Tabellionis, quantumcumque ab aliis requiratur, si sit excommunicatus non toleratus, vel si se ingerat?

Toleratus verò non peccet, si requiratur ab aliis. Ex part. 5. tr. 9. Resol. 112.

§. 1. REspondeo negativè, *ex c. 1. de except. in 6.* & ejus acta esse invalida, ex Henriquez, Avila & Coninch, tradit novissimè Hurtado, *disp. 8. de excom. diff. 5. n. 8.* quia, ut dicitur *in c. nullus, 3. q. 4.* à nemine credenda sunt, quæ ab anathematizatis dicuntur, vel scribuntur, ergo eorum instrumenta non sunt valida, quia valor eorum in hoc consistit, quod eis sit credendum, quod est verum etiam de instrumentis factis à tolerato, quia non est obligatio ei credendi, sicut nec communicandi cum illo. Instrumentum ergo ab excommunicato adhuc tolerato factum rei jei potest in judicio, vtpotè nullum. Addunt tamen Ægidius & alij, quòd si non rejiciatur, erit validum, sumpto argumento à factis actoris excommunicati, quæ dum non repelluntur, valida sunt; sed hoc additur absque sufficienti fundamento, quia pro nullitate instrumenti Tabellionis est expressus canon pro valore, quando non repellitur, & est expressus pro valore factorum ab actore, quando non repelluntur. Hæc Hurtado. Et ante illum Faber, *de cens. in 4. sent. dist. 25. q. 1. disp. 4. c. 6. n. 201.* vbi sic ait. Non potest excommunicatus exercere tabellionatum. Patet, quia hæc est communicatio maxima & gravis cum aliis fidelibus, ut patet, ideo peccat mortaliter; an verò instrumenta ejus sint nulla, dicendum est si loquamur de actibus & instrumentis factis ab ipso publicè & authoritate publica esse nulla ipso facto, est enim communis sententia Canonistarum, quòd acta à publicè excommunicato ratione publici muneris sunt ipso jure nulla. Aliqui tamen dicunt, si excommunicatus Tabellio à partibus scientibus esse excommunicatum ex consensu communi inducatur ad faciendam aliquam scripturam publicam, licèt peccaret, tamen illam scripturam valere, & obligare partes ad illam observandam, quia jam in illam convenerunt in foro conscientiæ. Quam opinionem probat Suarez, *disput. 16. sect. 5. num. 5.* Ego tamen oppositum sentio, quia jam Ecclesia prohibet illi publicum munus faciendi instrumenta, ablata autem hac potestate, scripturæ illæ non habent valorem à publica authoritate; ergo nullæ sunt. Ita Faber.

2. Sed his non obstantibus ego puto quòd excommunicatus non toleratus peccat exercens munus Tabellionis quantumcumque ab aliis requiratur: toleratus verò non peccat, si requiratur ab aliis. Vtrùm verò acta illius sint valida quando non toleratur, potest dubitari. Varij negant, præsertim Canonistæ, quorum sententia ut sit vera pro foro exteriori, omnino tamen verius est dare firmitatem contractui in foro interno, quando admittitur ex consensu partium cognoscentium ejus excommunicationem. Ita sentit Suarez, *disp. 16. sect. 5. n. 4.* quia textus, qui in contrarium adferuntur, non ostendunt acta non sufficere ad faciendum fidem, si Tabellio excommunicatus admittatur, sed solùm quòd non debeat admitti, ut *Can. nullus anathematizatorum 3. q. 4.* vbi Stephanus Papa dicit. *Nullus anathematizatorum suscipiatur, nec à quoquam credantur, quæ ab eis dicuntur, vel conscribuntur.* Quibus verbis non sufficienter declarantur irrita ad faciendam fidem acta Tabellionis excommunicati, sed solùm quòd admitti non debeat. Et hæc omnia docet etiam Præpositus *in 3. part. q. 2. de excomm. dub. 13. n. 89.* & Turrian. *lib. 2. disp. 14. dub. 4.* licèt asserat in foro exteriori servandam esse consuetudinem, juxta quam recepta est communis Canonistarum opinio, & addit duo. Vnum est, grave videri peccatum Tabellionis, si instrumentum publicum faciat contra prohibitionem, res enim videtur magni momenti. Alterum est post Concilium Constantiense, antequam iste Tabellio sit denunciatus, posse alios vti officio illius, & valida esse instrumenta in vtilitatem eorum, quia prohibitio respectu eorum ablata est. Vnde Filliucius, *tom. 1. tract. 12. c. 7. n. 186.* asserit quòd peccabit graviter Tabellio exercendo munus Tabellionis in excommunicatione, & quidem si vitandus sit, non est dubium tum propter communionem illi denegatam, tum propter dubium faciendi actus irritos, & expositos nullitati, & litibus. Si non est vitandus, peccabit si se ingerat; si tamen requisitus aliquid sui muneris faciat, non peccabit. Possunt enim alij cum ipso agere, & consequenter etiam ipse in tali casu cum aliis.

RESOL. CXII.

An excommunicatus possit esse testis, & ejus testimonium sit validum?

Quæritur etiam, quodnam peccatum committat, si excommunicatus sit testis in judicio, vel extra illud?

Et an supradicti excommunicati possint esse testes in causa matrimonij, ut etiam in causa hæresis? Ex par. 5. tract. 9. Resol. 113.

1. §. REspondeo negativè, *ex c. veniens 3. de testibus* & ejus testimonium esse nullum, ex Vasquez, tradit Hurtado, *disput. 8. de excom. diff. 6. num. 10.* vbi sic ait. Addendum est testimonium excommunicati esse nullum cùm ei credendum non sit, ut dicitur *in Can. nullus 3. q. 4* quod contra Ægidiũ & alios verum existimamus, etiamsi non repellatur (ut potest non repelli quando

Sup. hoc sup. Resol. 24. circa finem §. 1.

quando testis est toleratus) sicut diximus de instrumento Tabellionis, qui est testis qualificatus; & id etiam existimamus verum, quamvis testis sit toleratus, quia ei, quamvis tolerato, non est obligatio credendi, valor autem testimonij consistit in eo quòd ei debeat credi. Vide etiam Cornejo *in 3. part. tr. 5. de excomm. disp. 10. §. 9. q. 6.* & Philippum Fabrum, *de cens. in 4. sent. dist. 25. q. 1. disp. 4. c. 6. n. 202.* vbi ita asserit: Est dubium an validum sit testimonium excommunicati in scripturis extrajudicialibus, & privatis, ut in testamentis, contractibus, &c. & aliqui tenent esse validū, & Suar. *vad. disp. 16. n. 7.* quia, inquit, licet jure prohibeatur, ut non licitè fiat, non tamen cavetur ut validè non fiat in scripturis privatis. Verùm ego hoc non intelligo, nam omnis scriptura facta per Tabellionem auctoritate tabellionatus mihi videtur publica, quia authoritas Tabellionis est publica. Vnde testis testificans in tali scriptura, mihi videtur testificare publicè, quia licèt actu non sit deducta ad judicium, tamen potest deduci, & est apta nata deduci. Itaque mihi videtur includi in illis actibus de quibus dicitur *cap. licet de sent. excom. in 6.* in quo dicitur excommunicatum tam in judicialibus, quam extrajudicialibus, à legitimis actibus esse removendum. Ita Faber.

2. Verùm ego puto quòd excommunicatus non potest esse testis, ut patet *c. decernimus, de sent. excom. in 6.* vbi decernitur ut judices sæculares per censuras Ecclesiasticas compellantur tales repellere. Si tamen admittatur ejus testimonium est validum, quia non apparet vllum jus irritans ejus testimonium, quando admittitur. Vide Henriq. *lib. 13. c. 7. n. 5. in fine*, quod non solùm verum est in judiciis, sed etiam in testimonio lato extra judicia quoad contractus, & testamenta, &c. Videri potest Sayrus, *tom. 1. Thesauri casuum lib. 2. c. 8. n. 1. & 4.* Toleratus si requisitus testetur, non solùm validè, sed etiam licitè id facit, & hæc omnia docet præter Suarez Præpositus, *in 3. part. q. 2. de excom. dub. 13. n. 90.* vide etiam circa præsentem quæstionem Turrian. *lib. 2. disp. 14. dub. 4.* & Filliuc. *tom. 2. tr. 12. c. 7. n. 178.* vbi *n. 188.* quærit quodnam peccatum committat, si excommunicatus sit testis in judicio vel extra? Et respondet peccare tantùm venialiter, etiamsi vitandus sit, quia tantùm est communicatio humana.

Sup. hoc pro matrimonio in tom. 2. tr. 6. Ref. 83. §. 1. in fin. &c. & pro causa hæresis inf. in tr. 10. latè in Ref. 41. &c.

3. Nota tamen quòd stando in prima sententia, excipiendi sunt testes excommunicati in causa matrimonij, ut notat Sanchez, *de matr. l. 3. disp. 41. n. 5.* & ex Avila docet etiam Cornejo *vbi sup.* nam in casu matrimonij testes excommunicati non repelluntur, ut etiam in causa hæresis, *ex c. in fidei, de hæret. in 6.*

RESOL. CXIII.

An excōmunicatus possit esse Advocatus, aut Procurator? Et an matrimonium contractum per Procuratorem excommunicatum sit validum? Ex part. 5. tr. 9. Ref. 114.

Sup. hoc sup. in Ref. 24. §. 1. propè finem, & in tom. 6. tr. 9. Ref. 2. §. Et Advocatus.

§. 1. REspondeo quòd conveniunt DD. excommunicatum non posse licitè advocare, nisi quando est toleratus, & inducitur à fidelibus, & quando non est toleratus, non posse licitè admitti ad id, ut supponitur *in c. decernimus 8. de sent. excom. in 6.* Quòd si à judice de facto admittatur, & ei non objiciatur excommunicatio, patrocinia ab ipso facta valida sunt, quia nullibi irritantur, & tunc poterit pro illis stipendium accipere, non verò pro factis, postquam ei objecta est excommunicatio & repelluntur, quia tunc fiunt irrita ad decisionem causæ, & ita docet Hurtado, *disp. 8. de excom. diff. 7.* cui adde Villalobos, *in summa, tom. 1. tr. 13. diff. 14. n. 8.* vbi sic ait. [Tambien no puede el descomulgado ser abogado, que esto es communicacion, y especialmente le està prohibido en derecho, y assi le puede el juez repeler, y lo deue hazer si fuesse denunciado, o notorio percussor de Clerigo. Mas si de hecho abogasse, lo que hiziere valdrà, que no esta irritado por derecho, y solo en esso pecarà venialmente.] Ita ille.

2. Sed an excommunicatus possit esse Procurator? Sup. l. Respondeo negativè ex generali prohibitione communicandi cum aliis, & in speciali facta in juribus supra relatis, ex quibus solùm permittitur excommunicato, ut se defendat in judicio, quod verum est tam in Procuratore ex parte actoris, quàm ex parte rei, licèt reus excommunicatus possit defendere se in judicio, ut dictum est, hoc tamen concessum est ei propter necessariam defensionem. Procurator verò voluntarius est, ejus tamen acta valida sunt, quamdiu à judice non repellitur, si institutus fuit Procurator ante excommunicationem; si verò quando institutus fuit, excommunicatus erat, res est difficilior, sed probabilior pars affirmativa, & hæc omnia docet Cornejo *in 3. part. tract. 5. de excom. disp. 10. §. 9. q. 3. &* 4. Philip. Faber *de cens. in 4. sent. dist. 25. q. 1. disp. 4. c. 6. n. 203.* cum Turriano *lib. 2. disp. 14. dub. 5.* & Præposito *in 3. p. q. 2. de excom. dub. 13. num. 91.* vbi docet etiam matrimonium contractum per Procuratorem excommunicatum esse validum.

RESOL. CXIV.

An excommunicatus possit esse Tutor, vel Curator? Et virum validi sint contractus ab eis facti? Ex part. 5. tract. 9. Resol. 115.

§. 1. REspondetur negativè ex generali prohibitione communicandi cum aliis, & quia excommunicatus non potest officium publicum habere, vnde tutor excommunicatus peccavit administrando res pro illis, tam in judicio, quàm extra; verùm autem validi sint contractus ab eo facti, Canonistæ negant quos sequitur Sylv. *ver. excom. 3. n. 2. &* 3. Sed probabilis est pars affirmativa, cujus ratio est, quia nullum datur jus eos irritans, quam sententiam ex Suarez, tenet Cornejo *in 3. part. tr. 5. de excom. disp. 10. §. 9. q. vlt.* & Turrianus, *lib. 2. disp. 14. dub. 5.* Vide etiam Villalobos, *in summa, tom. 1. tr. 17. diff. 14. n. 10* vbi sic ait. [El poder que se dà al Procurador vale, come dizen Decio, y otros, aunque estè descomulgado, como dezimos en la elecion del escrivano, que como lo que haze, no es irrito, tanpoco es irrita la elecion por donde se va para allà, que basta que se pueda irritar, y no prueban mas vnos textos, que se alegan por la parte contraria, como advierte Suarez. Lo mismo se ha de dezir del tutor, y lo mas oficios semejantes, que pecaran venialmente los que los reciben, o exercitan estando descomulgados, porque son ciertas comunicaciones, mas valdrà lo que hizieren.] Hæc Villalobos.

Sup. hoc tom. 6. tr. 9. Ref. 5. Tucc.

RESOL. CXV.

An excommunicatus possit esse actor in judicio? Et an sit peccatum mortale ex objecto, si excommunicatus jus suum in judicio petat? Ex part. 5. tractat. 9. Resol. 110.

* Sup. hoc inf. in tr. 10. Ref. 41. §. 1. de & fin. & Ref. 14. per fin. & cautio. §. 1. Respondeo negativè, ut constat *ex cap. decernimus, de sent. excomm. & ex cap. 1. de except. in 6.*

2. Notandum est tamen hic Turrianum, *lib. 2. disputat. 14.*

putat.14.dubit.3. ex Suarez docere non esse peccatum mortale ex objecto, si excommunicatus jus suum petat in judicio, donec vel per exceptionem, vel per officium judicis repellatur, si aliàs revera petat justitiam debitam, & non vtatur vi, aut fraude. Et hoc etiam docet Cornejo *in 3.part.tr.5.de Excom.disp.10. §.9.quæst.1.*

3. Nota etiam cum Hurtado, *disp.8.de excomm. diffic.3.num.6.* si excommunicatus sit toleratus, quamvis possit à judice rejici, quia potest non communicare cum illo, non tamen tenetur cum, quamvis publicum, rejicere, (nisi ad petitionem partis sufficienter probantis excommunicationem) quia non tenetur eum vitare.

RESOLVTIO CXVI.

An excommunicatus vitandus possit petere à suo debitore suum creditum, & is ad id teneatur. Ex part.5. tract.5. Res.130.

§.1. NEgativè respondent aliqui, quos citat & sequitur Sayrus, *lib.2.c.9.n.10. & 21* vbi tandem concludit, quemquam non teneri solvere excommunicato, quod promisit solvere cum juramento ante excommunicationem, quia communicare cum excommunicato non licèt, quia ut ait Hostiensis, opinio hæc magis tendit in favorem fidei, & censuræ Ecclesiasticæ, tum etiam in favorem animarum ipsorum excommunicatorum, & in odium peccatorum suorum, hac enim ratione excommunicati ipsi citiùs resipiscent à contumacia, & absolutionem procurabunt, ut quod sibi debitum est, recuperare possint, & alij etiam non excommunicati videntes quòd debita sua non recuperabunt, si excommnnicentur, sibi ipsis magis cavebunt, ne aliquid faciant ob quod excommunicationem incurrant. Et hanc opinionem ego puto cum Lessio *lib.2.cap.16. dub.9. num.77.* esse probabilem.

2. Sed mihi magis placet opinio affirmativa, quam tuetur Avila *part.2. cap.6. disputat.11. dub.4.* Alterius *lib.2.disput.4.cap.1* Lessius, *vbi suprà num.79.* & ratio est, quia neque jure divino, neque etiam jure humano debitor liberatur à tali debito statim solvendo post elapsum terminum. Non jure divino, quia nullum tale jus reperitur, præsertim cùm etiam Ethnicis & publicanis debita solvenda sint, ut colligitur *ad Roman.* 13. nisi fortè spes esset tua dilatione ipsum conversum iri, & reconciliandum Ecclesiæ, quod interdum vsu venit, quando debitor est magnæ auctoritatis, & recusat solvere creditori, nisi redeat ad Ecclesiam. Non jure humano, quia jura citata non loquuntur de debito pecuniario, sed de debito fidelitatis, & obsequij, leges enim pœnales sunt strictè interpretandæ, quamvis Medina, & quidam alij putent etiam agere de debito pecuniario, quod promissione, & stipulatione juramento confirmata sit contractum, & de omni alio debito solis verbis conflato, quod est probabile.

RESOL. CXVII.

An excommunicatus possit in judicio respondere per scriptum, vel cogatur respondere per procuratorem? Ex part.5.tr.9.Res.111.

§.1. QVòd cogatur respondere per Procuratorem, docet Avila, *part.2.c.6. disp.2.dub.2.* Hurtado, *disp.8.de excomm.diffic.4.num 7.* & in hanc sententiam magis videtur inclinare Turrianus, *lib.2. de Iustitia & iur.disp.14. dub.3.* & ratio est, quia id significatur, *in cap.intelleximus, de judiciis.*

2. Sed verius ego puto posse respondere per se ipsum, quia non videtur tali excommunicato negari quod communi jure cuivis reo conceditur, aliàs plerumque sentiret nimis magnum gravamen, si non posset per se respondere. Confirmatur *ex cap. cùm inter, & cap. vltim. de exceptionibus*, quibus absolutè conceditur excommunicato potestas respondendi, ergo etiam per se, si tamen priùs possit obtinere absolutionem ab excommunicatione, omnino decentius est, ut ante illam per se non respondeat. Ad *cap. intelleximus*, respondetur particulam, *per alium*, non excludere ipsum reum, quasi per se respondere non possit, sed per eam Summum Pontificem velle, quòd saltem per alium debeat reus respondere. Et ita hanc sententiam docet Præpos. *in 3. part. quæst.2. de excomm.dubit.13.num.87.* & Coninch *de Sacram.disp.14. dub.11.num.116.*

RESOL. CXVIII.

An excommunicatus possit testari, & si aliquis instituat aliquem excommunicatum pro hærede, testamentum sit validum?

Et an, in supra dicto casu, omnes convenientes ad testamentum peccent? Ex part.5.tr.9.Res.129.

§.1. REspondeo quod excommunicatus non potest licitè testari, & omnes convenientes ad testamentum peccant, tamen si testetur, testamentum est validum, secundum omnes, *cap. veritatis, de dolo, & contumacia*, & aliis juribus. An verò si quis instituat aliquem excommunicatum pro hærede, validum sit testamentum, non est ita certum. Summistæ, ut Sylvester *ver. hæreditas 3.num.2.* Armilla, Angelus, *ver. hæres, num.22.* Tabienna, Hostiensis, *n.20.* & alij negant, hoc fundamento, quòd excommunicatus sit incapax hæreditatis, testamentum autem tunc est nullum, cùm hæres tempore testamenti est inhabilis & incapax hæreditatis, *l. sed si conditioni, §. solemus, & l. si alienum, §. in extraneis, ff. de hæredibus instituendis.* At Suarez, optima ratione *disputat. 15. sect.9.* hanc opinionem confutat, quia supponit fundamentum falsum, scilicet quod excommunicatus propter excommunicationem sit incapax hæreditatis; nam excommunicatio per se, sicut non privat excommunicatum dominio rerum suarum, ita non privat potestate acquirendi dominium aliarum, vnde si aliquando excommunicatus privatur bonis suis, ut contingit in hæretico, hoc non provenit ratione excommunicationis, ita quod hic sit effectus ejus proprius, sed ex accidenti in odium, & punitionem peccati hæresis. Ergo, &c. Et ita docet Philippus Faber, *de cens.in 4. sent.dist.25.q.1.disp.4.c.6. num.206.* Mercerus, *de Sacram.in 3.p.q.21.dub.13.* & Filliucius, *tom.1.tr.12.c.8.n.207.* qui tamen optimè notat, quòd si excommunicatus non sit vitandus, etiamsi ipsi non liceat condere testamentum, tamen si velit, aliis est licitum adesse, ut Notario, testibus, quia ipsis non est prohibita communicatio. Ille etiam qui sperat se hæredem instituendum, potest testatorem inducere ad testamentum, quia id est in sui favorem non excommunicati: quod si vitandus sit, tunc neque aliis licebit communicare, nisi soli hæredi instituendo, excusatur enim propter vtilitatem, ob quam etiam fortè possunt excusari Tabellio, & testes vocati ab hærede instituendo.

Sup hoc in Res. seq.

Sup. hoc hæretico in Res. not. præteritæ §. Limitanda.

Sup. hoc, & etiam excommunicato vitando ibidem, § Vnde ex his

2. Nota enim ex eodem Filliucio, *num.*209. posse institui hæredem excommunicatum non vitandum. Ratio, quia cum tali possumus communicare; ipse verò hæres sic institutus non potest adire hæreditatem ob communicationem prohibitam, eæ tamen actiones, quæ sine communicatione fieri possunt, ut tacita hæreditatis acceptatio, possessio realis per vsurpationem, &c. poterunt licitè fieri.

RESOL. CXIX.

An excommunicati vitandi possint validè condere testamentum?

Et quid si talis sit excommunicatus pro hæresi, pro vsuris, & propter injuriam factam Cardinali?

Et infertur excommunicatum vitandum hæredem instituì posse?

Et sequitur contractum initum cum excommunicato vitando esse validum, non solùm in favorem contrahentium, sed etiam in favorem ipsius excommunicati.

Et hinc fit validam esse venditionem, emptionem, locationem, & donationem tum ab excommunicato, tum ipsi excommunicato factam.

Et quid de prædictis contractibus factis à Prælato excommunicato, Tutore, Curatore, & similibus? Ex part.11.tr.4. & Misc.4.Res.20.

Sup.hoc in Res. præterita.

§.1. AD hoc dubium respondet Hulricus Hunnius, *in Comm. ad Trutlerum vol. 2. d.*10. *Thesaur.2.quæst.*15. vbi sic ait; Quod ad excommunicationem attinet; distinguendum censeo inter excommunicatum excommunicatione majori, & excommunicatum excommunicatione minori: Nam duplex est excommunicatio, major, & minor. Illa excommunicatum non solum ab vsu Sacramentorum, sed ab omni etiam fidelium conversatione, ac consortio prorsus separat; Itavt cum fidelibus nullum actum, nullum commercium exercere possit, *cap.*24.§. *aliquando enim causa* 11. *quæst.*3. *cap.*16.*c.*19. *cap.*32.*cap.*33.*de causa* 11.*quæst.*3. minor verò excommunicatio ea dicitur, qua quis non prorsus à communione, & conversatione fidelium excluditur, & separatur, sed ab vsu dumtaxat Sacramentorum, vsque dum pœnitentiam agat; arcet, *capite* 5. *de sentent. excommun.* Hæc igitur testamenti factionem non impedit, nec eam excommunicato aufert: Illa verò omnino testamenti factionem impedit; cùm qui eam passus est, non possit testes habere, quos adhibeat testamenti ordinationi; non possit etiam instruere fidelem in testamento hæredem, quia hæres pro vna persona cum defuncto habetur, vt suo loco demonstrabitur.

2. Non obstat quod excommunicatus nullibi prohibeatur facere testamentum, omnes autem testamenta facere possint, qui specialiter prohibiti non reperiuntur, *l. si quæramus, ff. qui testament. facere poss.* nam præterquam quod regula hæc dubia adhuc sit, & incerta, ut ex prædictis constat; satis etiam superiori ratione excommunicatum testari prohiberi existimo, qui enim fideles adhibere testes prohibetur; is etiam jure Romano testari prohibetur, cum hodie Cives Romani fideles sint, *ut supra sub littera F*, demonstratum fuit. Et sanè ipse Covarruvias confitetur majorem excommunicationem excommunicato omnem cum fidelibus conversationem auferre.

3. Non etiam adversatur quod porrò vrget Covarr. quod quoties ex quibusdam personis vna quid facere expressè prohibetur, idem cæteris permitti intelligatur *l. cum prætor.* 12. *ff. de judic.* Excommunicati verò propter percussionem Cardinalis in specie nominatim & expressè prohibentur facere testamenta; ille quidem *in cap. excomm.* §. *credentes de hæret.* Auth. *credentes Cod. de hæret.* Ille verò *in cap. felicis de pœn. in* 6.

4. Verùm respondeo ad propositionem majorem ex *d.l.cum prætor*, desumptam, quod procedat quando non constat, quod cæteris quoque personis vel expressè, vel in consequentiam idem facere sit interdictum, vti hoc loco de cæteris excommunicatis ex ratione adducta satis constat.

5. Hucvsque Hunnius, cujus sententiam contra tenuerunt aliqui Iurisconsulti, quos adducit Manlius, *vbi infra.*

6. Verum affirmativam sententiam sustinendam esse puto, quam tuentur Doctores, quos ad satietatem adducit & sequitur Thomas Manlius, *tract. de vltimis voluntatibus, lib.*2. *tit.*2. *n.*20. & hanc sententiam tenet ex Theologis *l.*1. *de excomm. c.*9. *num.*2. Avila, 2. *part. de censur. c.*6. *disp.*6. *dub.*6. Coninch. *disput.*14. *dub.*12. *in fine.* Paul.Layman. *l.*1. *tr.*5. *part.*2. *cap.*2. *num.*17. Vasquez, *de testam. dub.*8. *n.*31. Molina, *de iust. disp.*137. & Card. Lugo, *de inst. tom.*2. *disp.*24. *sect.*4. *num.*69.

7. Limitanda tamen venit hæc opinio, primo si aliquis sit excommunicatus pro hæresi, auth. *credentes Cod. de hæret.* & ibi Bartol. & Salic. & ponit istam limitationem Archidiacon. *in cap. pia. colum.*3. *de excep. in* 6. Bald. *in l.*1. §. *his quibus ff. de leg.*3. Franc. *in rubr. de testam. in* 6. *folio* 16. Bart. *in l. si quæramus ff. de testam.*

8. Secundò, si quis esset excommunicatus pro vsuris qui testari non potest, nisi juxta formam *cap. quamquam de vsur. in* 5. & ponit Philip.Franc. *in rubr. de test. in* 6. *col.*16.

9. Tertiò, si esset excommunicatus propter injuriam factam Cardinali, juxta dispositionem *c. felicis de pœn. in* 6. Et ponit Philip.Franc. *in d. rubr. de testam. in* 6. *col.*16.

10. Itaque seclusis istis casibus omnis excommunicatus potest testari, & rario est, quia omnes possunt testari qui jure expressè non prohibentur, at excommunicatus in jure non prohibetur testari. Ergo, &c.

11. Ad argumenta verò, quod superius in contrarium adducit Hulricus Hunnius, quod ex eo quod illicitè excommunicatus faciat testamentum, vocando testes, & cum illis & cum notario communicando, inferri nequit irritum esse, sicuti non est irritus quilibet alius contractus illicitè celebratus. Præterea omnibus permissum est testamentum conficere, nisi aliqua lege expressa prohibeantur. Vti habetur §. *final. institut.* quibus non est permissum facere testamentum, *leg. si quæramus ff. de testament. leg.* 1. *Codice de sacrosanct. Eccles.* At excommunicato non est generaliter interdicta testamenti confectio; ergo.

12. Vnde ex his infertur, excommunicatum vitandum hæredem institui posse; minus enim requiritur ad capiendum ex testamento, quam ad testamentum conficiendum; cùm plurimi incapaces sint testandi, non tamen ut hæredes instituantur, ut constat ex *toto tit. Institut.* quibus non est permissum facere testamentum. Et *leg. si quæramus*, juncta *glossa ff. de testament.* & tradit Baldus, *leg.* 1. *numer.* 17. *Cod. de hæret. institut.* Vgolinus, *tab.*2. *de censur. capite* 21. §. 1. Sayrus aliis relatis *libro secundo, de excomm. capite* 9. *num.*9. Stephanus, Davila, & Coninch. *loco citato.*

13. Infertur etiam absolutè contractum initum cum excommunicato vitando, esse validum non solùm in favorem cõtrahentium, ut docent relati à Mariano Soccino *in c. sacris, num.*458. *de sent. excom.* Sed etiam

etiam in favorem ipsius excommunicati, quod colligitur ex *cap. cum illorum de sent. excomm. cap. significasti de eo qui duxit in matrimonium*, *cap. inter dilecta de donation. cap. de pœn. in 6.* Ratio est manifesta, quia annullatio, irritatioque contractus vtpotè odiosa inducenda non est absque manifesto textu & ratione. At nullus est textus, ex quo hæc irritatio colligi possit. Nam esto legibus Ecclesiasticis interdicantur contractus cum excommunicato, non tamen irritantur. Non enim quidquid contra legem fit pro infecto habendum est, aliàs contractus non solùm in favorem excommunicati, sed etiam in favorem aliorum non excommunicatorum irritus esset; siquidem ipsis etiam non excommunicatis indicta est cum excommunicato vitando communio.

14. Et ita docet Hurtadus *de excomm. d. 9. dif. 1. n. 5.* Coninch. *de sacram. disp. 54. dub. 12. n. 119.* Sayrus; *de cens. l. 2. c. 9. num. 11.* & alij. Hinc fit, validam esse venditionem, emptionem, locationem ab excommunicato factam, ut colligitur ex *cap. si verò de sent. excomm. & cap. quoniam multos 11. q. 3.* Item validam esse donationem tum ab excommunicato; tum ipsi excommunicato factam, *cap. inter dilectos, de donationibus.*

15. Ita docet Vasquez, *de excomm. dub. 8* Bonacina, *de cens. disp. 2. q. 2. punct. 5. num. 1. & alij vbi suprà*, licet Sayrus hoc admittat *num. 13.* ut doctrina superius adducta procedat in contractibus nomine proprio celebratis, secus verò in iis, qui auctoritate publica, & ratione publici officij celebrantur; vti sunt contractus alienationis & venditionis facti à prælato excommunicato, à tutore, & curatore, & similibus circa res pupilli, & minoris.

16. At ego adhæreo sententiæ Patris Sanchez; *in summa, tom. 2. lib. 5. c. 4. n. 58.* & Suarez, *de censur. disp. 16. sect. 8.* asserentium, prædictos contractus validos ob rationem sæpè dictam, quia nullibi irritantur, & irritatio absque firmo fundamento inducenda non est.

RESOL. CXX.

An validi sint contractus, quia ab excommunicato fiunt. Ex part. 5. tr. 9. Res. 128.

1. §. 1. Respondeo esse illicitos, nec ratione illorum datur ipsis actio in foro exteriori durante excommunicatione; sed difficultas est an sint invalidi? Et negativè respondeo. Probatur ex *cap. felicis, §. de pœnis in 6.* vbi excommunicato absoluto conceditur repetitio debitorum, quæ contracta fuerant de postmodum acquisitis; non fuisset autem locus repetitioni debiti, nisi contractus tempore excommunicationis facti essent validi.

2. Probatur secundò inductione, & exemplis contractuum, qui non obstante excommunicatione, validi esse admittuntur. Matrimonij, *capite significasti, de eo qui duxit*, &c. Professionis in Religione, juxta Abbatem *capite cum illorum, de sententia excomm.* Donationis factæ ab excommunicato, *capite inter dilectos, de donationibus.* Nec refert quòd contractus isti sint prohibiti, multa enim fieri prohibentur, quæ facta tenent, vbi scilicet intercedit sola simplex prohibitio, & nulla facti irritatio, & ita res se habet in proposito, quia nusquam generatim leguntur irritari ejusmodi contractus, sed specialiter in hæreticis, & schismaticis, *cap. excommunicamus, 1. de hæreticis, § credentes.*

3. Notandum tamen ex tribus causis fieri posse ut contractus ab excommunicato initi, nulli sint. Primò si sint initi virtute rescripti supplentis conditionem aliquam ad valorem ejus requisitam, nam juxta *caput 1. de rescript. in 6.* rescriptum impetratum ab excommunicato super alio quàm articulo excommunicationis, vel appellationis, nullum est. Secundò si sint initi ab eo ut à persona publica, & ut à Ministro per potestatem, quam habet ex vi sui muneris, vel beneficij. Ratio est ex defectu jurisdictionis ad contrahendum, quæ per excommunicationem suspensa est. Tertiò si in contractu fiat promissio de alio contractu excommunicatione durante faciendo. Nam talis promissio, vtpotè de re illicita, nulla est, & ita docet Filliucius, *tom. 1. tract. 12. cap. 9. num. 200. & seqq.* Mercerus, *de Sacram. in 3. part. quæst. 21. dub. 13.* Covarr. *in cap. alma mater, part. 1. §. 1. num. 9.* & alij communiter.

RESOL. CXXI.

An non restituens ex opinione probabili, si condemnetur à judice restituere sub excommunicatione, illam incurrat?

Et quid est dicendum, quando opinio in favorem rei excommunicati est probabilior? Ex part. 5. tract. 9. Resolut. 72.

1. §. Respondeo affirmativè cum Avila, *de cens. p. 2. cap. 6. disputat. 1. dubit. 2. concl. 2.* vbi sic ait. Quando causa est dubia ex vtraque parte, si feratur excommunicatio in favorem vnius partis, ligat in conscientia; verbi gratia Petrus & Ioannes litigant super fundum, & Advocati insignes pro vtraque parte dicunt justitiam esse pro sua parte, judex præcipit Petro sub excommunicatione latæ sententiæ quòd intra certum terminum tradat fundum Ioanni, tenetur obedire sub excommunicatione in foro exteriori, & etiam in intentiori; si non appellet, vel quærat alia remedia juris, & si celebrat post talem excommunicationem, erit irregularis, quantumcumque sui Advocati dicant talem sententiam esse injustam, & probatur. Iudex habet jus ad determinandum vnam, vel alteram partem, provt judicaverit esse conforme juri: ergo ejus sententia est justa, & per consequens illi est obediendum. Et ita hanc sententiam tenet etiam Ioannes Sancius; *disp. 48. num. 33.* & ante omnes Soto, *in 4. dist. 21. q. 1. art. 5.* Sup. hoc sup. in Res. 30. & 31. & in tom. 9 tr. 2 Res. 207 §. Et tandem.

2. Nota tamen quòd Avila, *loco citato* intelligit hanc doctrinam esse veram, quando justitia causæ esset dubia quantum ad jus, quia ex vtraque parte habet rationes & opiniones probabiles; at verò quando esset dubia quantum ad factum, & judex reputans esse justam, ex falsa præsumptione ferret sententiam excommunicationis contra Petrum, licèt durante hoc dubio Petrus se gerere debeat vt excommunicatus in publico, & in secreto, tamen si in rei veritate causa non fuit, justa excommunicatio in rei veritate erit nulla, & non ligabit in conscientia. Ita videtur tenere Soto *loco citato*, & Medin. *C. de restit. 3. causa 7. vers. quando autem* qui docent, quòd quando sententia est declarativa, licèt sit lata secundùm jura & allegata, & probata, non reddit securum in conscientia eum, in cujus favorem lata est, si innititur falsæ probationi, vel præsumptioni, quia talis sententia non aufert directum dominium, nec alteri accrescit jus, vnde si postea constet de veritate, non est habendus pro excommunicato, quamvis antea peccaverit mortaliter non obediendo, quia in dubio tenebatur parere.

3. Sed quid dicendum quando opinio in favorem Rei excommunicati est probabilior? Bonacina *de cens. disp. 1. q. 1. punct. 10 num. 11.* docet, quòd quando

probabilior est sententia affirmans causam, propter quam lata est censura, esse invalidam; valdè probabiliter sustineri potest subditos non ligari censura. Ita ille, qui citat Suarez, sed de hoc supra dictum est.

Sup. in res. 1. not. præferitæ.

RESOL. CXXII.

An excommunicatio lata contra aliquos, quorum vnusquisque tamen minimam quantitatem furati sunt, sit valida?

Et an in tali casu si vnusquisque non restituat suam partem, quamvis minimam, an peccet mortaliter, & ex eo incurrat in prædictam excommunicationem? Ex part. 5. tr. 9. Res. 54.

§. 1. Affirmativè respondeo, & idem docet Moscosa *in summa, tr. 6. cap. 5. num. 7.* vbi sic ait: [Quando se pone censura contra los que hurtando cada vno vna pequeña cantidad sin saber vnos de otros, hurtan toda la vua de vna viña, atento que el pecado de cada vno fue venial; ay controversia entre los autores, como puede la excomunion mayor ligar à cada vno: facil es de entender considerando la restitucion que cada vno deve hazer, porque aunque el hurto es venial, luego que viene à su noticia el notable daño que al dueño se le ha hecho por su hurto, y los demas, a de restituyr su parte so pena de pecado mortal, y la descomunion cae sobre este pecado mortal, y la contumacia de no querer restituyr.] Ita ille, & communiter DD.

RESOL. CXXIII.

An detur parvitas materiæ in excommunicatione Papali, contra extrahentes libros à Bibliotheca communi?

Et quid est dicendum, si aliquis extraheret extra Bibliothecam librum magni valoris per tres, vel quatuor passus, an excusetur ab excommunicatione ratione parvitatis materiæ?

Et an possit intra dictum spatium permanendo, illum per multum tempus legere? Ex part. 10. tract. 11. & Misc. 1. Res. 29.

§. 1. Dari parvitatem materiæ excusantem à censura docet Pater Pellizarius, *in Man. Regul. tom. 2. tr. 7. c. 2. sect. 3. n. 231.* Cum autem (ait ipse) Concilium Tridentinum, *sess. 25. c. 3. de Reformatione*, statuat hujusmodi excommunicationes debere fieri solum ob rem non vulgarem, & Lessius *lib. 2. c. 12. n. 31.* hinc dicat: Non facilè excusaverim eos, qui pro 3. aut 4. florenis excommunicant: constat judicio Lessij, parvitatem materiæ in nostro casu dari in libris non excedentibus valorem 3. aut 4. florenorum, & quidem grandiorum. Ita ille. Addit tamen, subesse huic excommunicationi illum, qui successivè extrahit alios, & alios libros, salva tamen singulis vicibus parvitate materiæ: si perveniat ad materiam notabilem: idque etsi singulis vicibus non habeat intentionem continuandi illas extractiones. Quia ad incurrendam hanc censuram non requiritur talis intentio: sed sufficit prævisio notabilis damni, & cùm sic objectum ex continuatione materiæ evadat mortale, & de tali objecto constet Ecclesiæ: datur sufficiens materia ad incurrendam hanc censuram. Secus dicendum, si successivè extrahat libros, salva singulis vicibus parvitate materiæ, sed pluries id faciat, ita tamen ut non extrahat librum posteriorem, nisi priorem antea extractum bibliothecæ restituat: idque etsi intentionem habeat continuandi talem extractionem. Moveor, quod sic adest semper materiæ parvitas, excusans à censura, & alioqui intentio continuandi modo dicto extractionem impertinenter se habet ad illam censuram incurrendam; ut jam ostensum est. Hucusque Pellizarius.

2. Sed quid dicendum, si aliquis extraheret extra bibliothecam librum magni valoris, per tres, vel quatuor passus, an excusaretur ab excommunicatione, ratione parvitatis materiæ? Et probabiliter affirmativè respondeo: nam Naldus, *verb. Clausura num. 2.* & Graffius, *de cas. reservat. cap. 5. n. 45.* excusant monialem ratione parvitatis materiæ, quæ extra portam clausuræ exiret ad vnum, vel duos palmos: quorum sententiam tanquam probabilem admittit etiam Pellizarius, *de Monialibus cap. 5. sect. 1. n. 19.* Ergo & in nostro casu, extrahentem per tres, vel quatuor passus librum è bibliotheca, non peccare mortaliter ratione parvitatis materiæ, dicendum est. Et cùm sit magis considerabilis egressio è clausura, quàm extractio librorum è bibliotheca, dixi non duos passus, sed quatuor constituere in nostro casu parvitatem materiæ ab incursione censuræ excusantem.

3. Sed quid dicendum? si potest infra tres, vel quatuor passus extrahere librum è bibliotheca, an posset etiam intra dictum spatium permanendo, illum per multum tempus legere? Respondeo affirmativè, quia ratione parvitatis materiæ videtur moraliter idem esse, ac si illum legeret intra bibliothecam. Sed hæc omnia dicta esse volo salvo meliori judicio, & an probabiliter, judicent alij.

RESOLVTIO CXXIV.

An quis non incidat in excommunicationem ratione parvitatis materiæ?

Idem dicendum est de casibus reservatis, ut si verbi gratia, modicitas rei subtractæ in Ecclesia excusat à mortali, ita etiam à reservatione.

Et extra alios casus pro colloquentibus cum Monialibus tandem quæritur, quod tempus dicatur breve, ut cum illis colloquentes non incidant in excommunicationem? Ex p. 3. tr. 5. & Misc. 1. Res. 69.

§. 1. Respondeo affirmativè, & ita docet Graffius *in decis. part. 1. lib. 4. cap. 8. num. 5.* sic asserens: Si excommunicantur colloquentes cum monialibus, non comprehenditur, qui transeundo Monialem salutaret, vel parum cum ea loqueretur. Idem docet Finellius, *de cas. reserv. cap. 5. num. 10.* vbi sic asserit: Si paucis alloquaris Monialem, vel transiens illam salutes, aut salutatus respondeas, sive de statu ejus ipsam interroges, sive interrogatus respondeas, non incidis in excommunicationem propterea. Ita ille. Sed difficultas est in isto exemplo de excommunicatione contra colloquentes cum Monialibus, quod tempus dicatur breve, ut cum illis colloquentes non incidant in excommunicationem. Aliqui tenent esse quadrantem horæ, quod mihi non placet: sed si quis per spatium vnius *miserere* cum illis loqueretur, puto ratione parvitatis materiæ in dictam excommunicationem non incidere.

2. Idem quod dictum est de excommunicatione, dicendum est de casibus reservatis, & si verbi gratia, modicitas rei subtractæ in Ecclesia excusat à mortali, sic etiam excusabit à reservatione.

RESO

RESOL. CXXV.

Dubius utrum excommunicationem contraxerit, an censendus sit excommunicatus?
Et idem dicendum est in dubio de suspensione, & interdicto.
Et dubius de alterius excommunicatione, & denunciatione; an debeat illum vitare?
Et quid dicendum est, quando excommunicatio est conditionalis, & dubium est, an conditio fuerit impleta? Ex part.4. tract.3. Resol.35.

§.1. IN dubio facti censendum esse excommunicatum, secus in dubio juris, censet Molina *de just. tom.4. tract.3. disp.67. n.7.* Azorius *tom.1. lib.2. cap.19. quæst.10. & 11.* & Sayrus *in clavi regia lib.1. cap.13. n.23. & 24.* vide etiam Turrianum *de censur. lib.8. disp.57. dub.4. circa finem*, & Vasquez *in 1.2. disp.66. cap.1.* hæc opinio est probabilis.

2. Sed non minus probabilem contrariam esse existimo. Dico igitur nec in dubio facti, nec in dubio juris aliquem censendum esse excommunicatum, & ita ego in facti contingentia consului non fuisse excommunicatum quemdam virum notabilem, qui dubitabat etiam post factam diligentiam, an percussérit Clericum; & ratio est, quia in dubio melior est conditio possidentis. Cùm ergo unusquisque possideat jus communicandi cum fidelibus, non debet in dubio ea possessione privari, unde hanc sententiam docet Sanchez *in summa tom.1. lib.1. cap.10. num.55.* Layman *libro 2. tractatu 5. capite 5. §.4. numero 38.* & alij.

3. Notandum est etiam hîc cum Filliucio *tom.1. tract.13. cap.7. num.129.* quod dubitans de alterius excommunicatione & denunciatione, non debet illum vitare, quia faceret illi in juriam, cum in dubio melior sit conditio possidentis; ergo non debet privare illum communione in re dubia, sed quando dubium esset de validitate actus, ut si quis confiteri vellet ei, quem dubitat esse denunciatum, tunc abstinendum esset, ne se exponeret periculo faciendi Sacramentum irritum, modò absque scandalo, vel alio periculo fieri posset; sed de hac quæstione alibi actum est à nobis fusiùs.

4. Quod autem dictum est suprà de excommunicatione dubia, idem dicendum est de suspensione, & interdicto dubiis, quia eadem ratio militat. Ita Sanchez *loco citato num.62.*

5. Et nota etiam, quòd quando excommunicatio est conditionalis, & dubium est an conditio fuerit impleta, ea non ligat, quandiu non constat de impletione conditionis. Ita Emanuel. de Moura *opusc.2. de ensal. & incantat. sect.1. cap.5. n.8.* qui etiam *n.9.* cum Suarez, & Garsia docet titularem obligatum ad pensionem solvendam in certo termino sub excommunicatione in forma Cameræ non illam incurrere adveniente termino, prius quàm pensionarius declaret, etiam authenticè suam voluntatem esse, ut ipse incurrat: proindéque quandiu de ea dubitatur (dubitari autem justè posse quamdiu eam non declaret authenticè) excommunicatio non operatur.

RESOL. CXXVI.

Dubius an censuram incurrerit, quid facere debeat?
Et quid in simili de irregularitate. Ex part.5. tract.9. Resol.44.

§.1. DIco primò semper esse consultissimum sub conditione absolutionem procurare, ac interim se gerere ut excommunicatum, quantum fieri sine infamia & scandalo potest. Secundò à communione abstinendum, si inde sequatur scandalum, quod quidem communiter sequetur, si communis sit persuasio, aut rumor, de excommunicatione contracta. An autem, & quando secluso scandalo teneatur aliquis in dubio se gerere ut excommunicatum, vel non, haud satis liquet. Illud tamen probabile est, quod in simili de irregularitate cum Covarr. *in Clement. si furiosus, p.1. §.1. num.3.* docet Valent. *disput.7. quæst.19. punct.2.* si dubium sit de jure, tunc nec in foro externo contrahi excommunicationem propter regulam juris, *Odia restringenda, & favores ampliandi*, ex qua colligitur nullam pœnam incurri, nisi in casibus à jure expressis. Si autem sit dubium facti, tunc in utroque foro se gerere debere ut excommunicatum, ut colligitur *ex cap. ad audientiam, & c. significasti 2. & c. petitio, de homicidio*, ubi tamen solùm est sermo de irregularitate. Imò verius est nec in dubio quidem facti aliquem se gerere debere tanquam excommunicatum. Et ita docet Tannerus *tom.4. disp.6. quæst.10. dub.4. num.60.* Sed circa præsentem quæstionem vide me ipsum *in 4. part. tract.3. * resol.35.*

Sup. hoc in Res. præterita, & in aliis ejus primæ notationis.

* Quæ hîc est Rei. antecedens.

RESOL. CXXVII.

An excommunicatus aliquando possit recipere Sacramenta sine peccato? Ex part.5. tract.9. Resol.81.

§.1. SVppono non solùm excommunicatum denunciatum, & publicum percussorem Clerici, sed etiam excommunicatum occultum & toleratum non posse licitè Sacramenta recipere. Hoc supposito ita respondeo ad quæstionem propositam affirmativè & primus casus est. Si ignoraretur invincibiliter ejusmodi prohibitio, cùm enim positiva sit humanáque, potest cadere in eam ignorantia, quæ esset juris. Secundus si ignoraret se esse in excommunicatione, vel non adverteret, quæ esset ignorantia facti, ut frequentiùs potest accidere. Tertius si esset vrgens necessitas recipiendi Sacramenta ob vitandam gravem infamiam, sive scandalum, sive damnum, ut periculum mortis, vel quid simile, & ita docet Præpositus *in 3. part. quæst.2. de excomm. dubit.7. num.39.* Filliucius *tom.1. tract.12. cap.3. n.56.* Mercerus *de Sacram. in 3. part. quæst.21. dub.4.* & alij. Sed videamus.

Sup. hoc primo, & secundo casu contentis in hoc textu sup. in Res.35. & in aliis ejus not.1. & 2. & pro tertio casu in to.1. tr.5. Res 35. §.Ex his, &c. & hic inf. lege doctrinã Res. seq. &c.

RESOL. CXXVIII.

An extra casus predictos in preterita Resolutione, si non licitè, saltem validè excommunicatus recipiat Sacramenta?
Et quid saltem de Sacramento Pœnitentiæ?
Et an ipso jure pœnam incurrant, qui excommunicatis vitandis Sacramentum ministrant? Ex part.5. tract.9. Resol.82.

§.1. REspondeo affirmativè quoad alia Sacramenta, præter sacramentum Pœnitentiæ. Nam de hoc adest controversia, quibusdam asserentibus absolutionem sacramentalem impensam excommunicatio esse nullam, ita sentiunt plures, cum quibus sentit Vasquez *dub.4. de excomm. num.9.* quinimò idem tenet de eo, qui solùm ligatur minori excommunicatione, quia *cap. vlt. de Clerico excomm. ministrante*, dici-

Sup. hoc pro Sacramento Pœnitentiæ in tom.1. tr.4. lege doctrinam Res. 25. & 38. & ibi in tr.5. Res 14 §.Sed quid, & seq.

& in fin. Resol. 27. & 34. & in to. 9. tr. 7. Resol 114. §. Sed difficultas; & vt melius hanc quæst. terminare possis vide tom 1. tr. 5. vide doctrinam Resol 32. & aliarum ejus notationum, & in tom. 9 tr. 7. ex Resol. 23. inter principium, & medium à versi. Imò in tali casu, & aliarum Resol. & §§, annot 2. dictæ Resol.

tur à participatione Sacramentorum remotus; sed alij probabilius censent posse subsistere Sacramentalem absolutionem impenſam excommunicato, antequam absolvatur ab excommunicatione. Ita plures, quos citat & sequitur Suarez *disp.* 10 *sect.* 7. *num.* 9. Valent. *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 17. *punct.* 2. §. *Esse autem Sacramentum*, Saxtus *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 3. quibus adde noviſſimè Raynaudum *de monit. part.* 2. *cap.* 2. *num.* 168.

2. Dico igitur primò quòd ſi interveniat peccatum mortale in receptione pœnitentiæ, Sacramentum nullum eſt. Ratio, quia id eſt contra ſubſtantiam ejus, & reddit illud irritum vt ſuppono ex materia de confeſſione. Quare ſi excommunicatus ſciens ſe non poſſe confiteri, niſi priùs abſolvatur ab excommunicatione, vel reticeat illam malitioſè, & conſequenter faciat confeſſionem non integram, vel exprimat illam, & velit nihilominus abſolvi à peccatis ante abſolutionem ab excommunicatione, quia in his omnibus caſibus committit peccatum mortale in ipſa confeſſione, confeſſio erit nulla.

3. Dico ſecundò, ſi nullum interveniat peccatum mortale ex parte excommunicati, quia ſcilicet excuſatur, vel ob ignorantiam, vel ob aliam neceſſitatem, vt poteſt aliquando contingere, tunc valida erit etiam pœnitentia, & habebit effectum ſuum gratiæ, & remiſſionem peccatorum. Et ratio eſt, quia per excommunicationem nihil tollitur quod ſit de ſubſtantia Sacramenti, neque enim tollitur juriſdictio aliorum in excommunicatum, nec ipſe eſt incapax, cùm cenſura tantùm ſit vinculum, quod habet adjunctum præceptum non recipiendi Sacramenta, conſequenter tantùm reddit receptionem iniquam, non autem invalidam; ſi ergo ſit cauſa aliqua excuſans à peccato, & à tranſgreſſione præcepti, erit valida & fructuoſa receptio pœnitentiæ, neque contrarium poteſt vllo jure probari, & ita docet præter Doctores citatos Præpoſitus *in* 3. *part. quæſt.* 2. *de excommunic. dub.* 7. *num.* 40. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 12. *cap.* 3. *num.* 58. & 59. Mercerus *de Sacrament. in* 3. *p. quæſt.* 21. *dub.* 4. *num.* 2.

4. Sed ſi quis hîc quærat, an ipſo jure pœnam incurrant qui excommunicatis vitandis Sacramenta miniſtrant? Reſpondeo aliam non incurrere, quam quæ generatim lata eſt propter communicationem cum excommunicatis in Sacris, quæ eſt excommunicatio minor, & interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, *cap. Epiſcoporum de privileg. in* 6. Addit tamen Pontifex *cap. ſignificavit, de ſententia excommunicationis*, eum qui participaverit ab ipſo excommunicato, incurrere eandem excommunicationem. Sed vt hæc pœna incurratur, requiruntur multæ conditiones, ſcilicet vt excommunicatio ſit Papalis. Secundò vt participatio fiat recipiendo excommunicatum in Officiis. Tertiò vt participans ſit Clericus. Quartò vt ſcienter & ſponte id faciat de quibus gloſſa *ad cap. ſtatuimus, de ſententia excommunicationis in* 6. & Cajetan. *in ſum. verb. excomm. cap.* 58. vbi & ampliorem reſtrictionem adjungit juxta Extravag. *Ad vitanda*, ſcilicet vt excommunicatus non ſit toleratus, ne nimium rigorem hæc conſtitutio Papalis contineat, vide Mercerium & Filliucium *ubi ſuprà.*

RESOL. CXXIX.

An excommunicatus non audiendo Miſſam peccet contra Eccleſiæ præceptum, ſi ſit negligens in obtinenda abſolutione excommunicationis?

Et an excommunicatus qui per annum non audierit Miſſam in diebus feſtivis, ſi poſtea obtenta abſolutione excommunicationis confitetur, teneatur ſe accuſare, quod peccaverit toties contra præceptum audiendi Miſſam? Ex part. 4. tract. 4. & Miſc. Reſol. 57.

§. 1. AFfirmativam ſententiam mordicus docet Didacus Nugnus ex Illuſtriſſima Religione D. Dominici *in* 3. *p. tom.* 1. *q.* 83 *art.* 6. *poſt dub.* 2. qui ait quòd omnis, qui tenetur ad aliquem finem, tenetur ad media per ſe ordinata ad illum; ſed tollere impedimentum in caſu noſtro per ſe moraliter ordinatur ad audiendum Miſſam; ergo quando modò habet præceptum audiendi Miſſam, conſequenter habet præceptum procurandi abſolutionem excommunicationis. Patet minor, excommunicatio directè & per ſe moraliter eſt impedimentum audiendi Miſſam, ſiquidem hoc ipſum habet ex intentione præcepti Eccleſiæ; ergo tollere illam, per ſe loquendo ordinatur ad implendum præceptum audiendi Miſſam.

2. Deinde confirmatur, quia ſi quis ſit excommunicatus in Paſcha, & non velit procurare abſolutionem, cùm tamen poſſit, peccat contra præceptum confeſſionis, & contra præceptum communionis: ergo idem dicendum eſt in noſtro caſu. Hæc Nugnus, contra Suarez *in* 3. *part. tom.* 3. *diſp.* 88. *ſect.* 6.

3. Verùm ego his non obſtantibus, ſententiam Suarez tenendam eſſe puto, quam docet & tuetur Coninch *de Sacramentis diſp.* 14. *dub.* 7. *n.* 56. Avila *de cenſuris part.* 2. *cap.* 6. *diſp.* 4. *dub.* 7. Sayrus *de cenſ. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 24. Navarrus *in manuali cap.* 122. *num.* 3. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 7. *num.* 2. & noviſſime Gaſpar Hurtado *tract. de excommunicatione, diſput.* 5. *difficult.* 2. *n.* 4. ubi ſic ait: Excuſatur excommunicatus ab audiendo Miſſam; quamvis negligens ſit in obtinenda diſpenſatione, quia obſervatio præcepti audiendi Miſſam, non eſt tanti momenti, vt obliget ad tam remotam diſpenſationem, nempe ad acquirendam capacitatem audiendi Miſſam; ſicut etiam incarceratus ob debita excuſatur ab audiendo Miſſam, quamvis poſſit ſolvere, & non ſolvendo peccet contra juſtitiam; non tamen excuſatur excommunicatus à præcepto confeſſionis, & communionis annuæ, quando facilè poteſt abſolutionem obtinere, quia obſervatio horum præceptorum eſt magni momenti. Ita Hurtado. Vnde patet reſponſio ad argumenta ſuperiùs adducta à Nugno, quòd ſi excommunicatus, v. g. per annum non audivit Miſſam in diebus feſtis, ſi poſtea obtenta abſolutione confitetur, non teneatur ſe accuſare, quod peccaverit toties contra præceptum audiendi Miſſam, quia negligens fuit in obtinenda abſolutione.

RESOL. CXXX.

An ſi excommunicatus negligens ſit in procuranda abſolutione excommunicationis peccet contra Eccleſiaſticum præceptum de audienda Miſſa, annua confeſſione, & communione? Ex part. 5. tract. 9. Reſol. 88.

§. 1. REſpondeo primò non peccare contra præceptum audiendi Miſſam, quia quamdiu in excommunicatione eſt, Miſſam audire non debet, ſed neque ratione præcepti obligatus videtur, vt ſe diſponat, & impedimentum tollat, cùm ea diſpoſitio valdè remota ſit; quemadmodùm nec is, qui ſua culpa in vinculis detinetur contra præceptum de Miſſa audienda feſto die delinquit. Reſpondeo ſecundò excommunicatum voluntariè in excommunicatione perſiſtentem peccare contra præcepta, etiam quatenus Eccleſiaſtica ſunt, ſuſcipiendi ſacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ. Et ratio eſt, quia iſta præcepta obligant ad mundandam animam, & conſequenter ad tollenda vincula tum mortalium peccatorum etiam ex-

commu-

communicationis. Ita Layman *lib. 2. tract. 5. part. 2. cap. 2. num. 3.* & ante illum Coninch *de Sacrament. disp. 14. dub. 7. num. 56.* ubi sic ait: Nota excommunicatum non peccare non audiendo Missam, etiamsi negligens sit in petenda absolutione, & hac ratione forte contra charitatem sui, & obedientiam Ecclesiæ debitam peccet (quæ per censuras intendit eum ad subjectionem, & reconciliationem compellere.) Ratio est, quia quamdiu est excommunicatus, Missam audire non potest, nec illud præceptum tanti momenti est, ut ipsum obliget, ut tam remotè se disponat, ut fiat capax audiendi Sacrum, sicut incarceratus propter debita, etsi peccet contra justitiam non solvendo creditoribus, cùm facile posset, non tamen peccat non audiendo Sacrum, nec tenetur ideò citiùs solvere ut possit audire Sacrum. Secus de omissione confessionis & communionis annuæ. Nam si excommunicatus omittat procurare absolutionem, cùm eam facilè obtinere posset, peccat illam omittendo, tum quia hoc præceptum est magni momenti, nec admittit tam faciles excusationes; tum maximè, quia præceptum confessionis directè obligat peccatorem, ut procuret sibi solutionem omnis vinculi, quod eum dividit ab unione Dei & Ecclesiæ, & consequenter ut procuret absolutionem ab excommunicatione, si ea ligatus sit. Idémque etiam convenit præcepto communionis, quæ cùm instituta sit, ut perfectiùs Christo ejúsque corpori uniamur, obligat nos, ut tollamus ea omnia, quæ hanc unionem impediunt. Vide etiam circa præsentem quæstionem Avilam *part. 2. c. 6. disp. 4. dub. 7.* & Suarez *in 3. part. t. 3. disp. 88. sect. 6.* Hurtad. *disp. 5. de excomm. diffic. 2. num. 5.*

RESOL. CXXXI.

An excommunicatus cum alio legens privatè Horas Canonicas, vel Officium B. Virginis, &c. peccet?

Idem est de recitante cum excommunicato. Ex part. 5. tr. 9. Resol. 89.

Sup. hoc inf. §. 1. Ref. 147. in fine.

§. 1. IN tali casu Navarrus *cap. 27. num. 36. §. ad 5.* putat excommunicatum non peccare legendo horas Canonicas, aut alias preces privatim cum aliquo alio, quia non orat ut minister Ecclesiæ, & aliàs potest esse hæc communicatio utilis ad conversionem excommunicati. Sed hoc repugnat communi sententiæ. Vnde melius Gordonus *tom. 2. l. b. 7. quæst. 8. c. 2. n. 23.* Suarez *disp. 12. sect. 2. num. 18.* & Henriquez *lib. 13. c. 7. n. 2.* dicunt eum peccare venialiter tamen, quia talis recitatio in ratione communicationis est materia levis. Et ita etiam docet Cornejo *in 3. p. tr. 5. de excom. disp. 10. §. 4. sect. 8. dub. 1.* Mercerus *de Sacr. in 3. p. q. 21. dub. 6.* Præpositus *in 3. p. q. 2. de excom. dub. 9. n. 56.* Coninch *de Sacr. disp. 14. dub. 7. n. 55.* Turrian. *de cens. lib. 2. disp. 11. dub. 2.* Covarr *in c. alma mater. §. 53. num. 8.* & Megalius *in 3. part. vol. 2. capit. 2. q. 4. n. 52. & 53.* & id quod dictum est de excommunicato, dicendum est de recitante cum illo.

RESOL. CXXXII.

An excommunicatus possit uti aqua benedicta? Ex part. 5. tr. 9. Resol. 90.

§. 1. ALiqui, ut Bonacina *de censur. disp. 2. quæst. 2. punct. 3. §. 2. num. 8.* docent usum aquæ benedictæ esse excommunicatis prohibitum, ex eo quòd illa est benedicta per orationem Ecclesiæ, ut ex imperatione Ecclesiæ prosit fidelibus, & ita cùm Ecclesia privat excommunicatum omni oratione, videtur planè privare usu aquæ; & ita fatetur Pater Suarez *sect. 3.* si usus aquæ, illius fiat ex intentione faciendi orationem Ecclesiæ, secus si alia intentione fiat. Aliis verò non videtur prohibitus usus aquæ benedictæ, quia non hoc videtur expressum, aliqua lege Ecclesiæ & quod dicit de privatione suffragiorum, intelligi, ut tempore excommunicationis non fiant suffragia communia Ecclesiæ pro excommunicato, secus de applicatione, & usu aquæ benedictæ. Vide Turrianum *lib. 2. disp. 11. dub. 3.* qui putat secundam opinionem esse piam, sed primam esse magis probabilem. Vide etiam Gordonum *t. 2. lib. 7. quæst. 8. c. 3. num. 36.* Hurtad. *disp. 5. de excomm. diffic. 3. n. 3.*

RESOL. CXXXIII.

An excommunicatus possit ingredi Ecclesiam?

Et an possit ibi orare, etiamsi alij fideles in Ecclesia privatim orent, dummodo separatim ille oret?

Et an excommunicatus in eademmet Ecclesia cum aliis in communi possit audire concionem?

Et quid est dicendum, si excommunicatus Ecclesiam ingrediatur, quo tempore celebrantur ibidem divina officia; non quidem ut interfit illis, sed ut transeat per Ecclesiam ob commoditatem itineris, etiamsi transeundo genuflectat, & privata oratione oret? Ex part. 5. tract. 9. Resol. 86.

Sup. hoc pro parte infr. in Ref. 147. §. 1. in princ. & propè finem dicti §.

§. 1. NEgativè respondet glossa *in cap. 1. dist. 21. in fin.* Abbas *in cap. 2. num. 2. de foro competent.* & Hostiensis *in summ. n. 17. ver. sed numquid. de sent. excomm.* Verùm hæc opinio non est tenenda, ideo excommunicatus potest ingredi Ecclesiam, & in ea esse, ut docet Abbas sibi contrarius *cap. 1. num. 9. de vita & honest. Clericor.* Navarr. *cap. 27. num. 17.* Covarruvias *in cap. alma, part. 1. §. 3. n. 7.* & alij. Et non solùm potest excommunicatus esse in Ecclesia, sed etiam potest ibi orare, ut patet ex glossa *in cap. qui studet. 1. q. 1.* Navarr. *num. 19* quod est verum etiamsi alij fideles in Ecclesia privatim orent, dummodo separatim ille oret, v. g. ipse in uno sacello, alij in alio, quia sic non censetur communicare. Navarr. *dicto num. 19.* & Cajetanus *in summa cap. de participatione cum excommunicato, §. illicita autem.* Imò de oratione privata hoc verum est, etiamsi excommunicatus oret in eodem sacello, in quo alij similiter, id est, privatim orant. Nam nec sic est inter eos communio, cùm non sit communis oratio. Ita Cajet. *loco cit.* asserens posse hos omnes orare simul privatim in eodem cubiculo (& similiter seorsim comedere) ut contingit de oratione; cùm pulsatur ad salutationem Angelicam, seorsim enim orant & pulsatur tunc ad orationem privatam. Denique potest etiam excommunicatus in eademmet Ecclesia cum aliis in communi audire concionem. Et ita ex multis docet Raynaudus *de monit. part. 2. cap. 2. n. 21.* Quod autem Tertullianus *lib. de pudicitia, c. 4. & 14.* asserit, excommunicatos à limine & omni tecto Ecclesiæ submoveri, accipiendum est de absentia à templo tempore Sacri, aut divinorum Officiorum, modo tamen quo infrà.

2. Et ideo quæro quid si excommunicatus Ecclesiam ingrediatur quo tempore celebrantur ibidem divina officia, non quidem ut interfit illis, sed v. g. solùm ut transeat per Ecclesiam ob commoditatem itineris? Respondeo posse fieri. Nam sic non dicitur communicare in divinis. Paludanus *in 4. dist. 18. quæst. 4. & qu. 6.* Cajetanus *loco citato*, qui addit hoc verum esse, etiamsi transeundo genuflectat & privata oratione oret; & denique universè loquendo idem dicendum est, quoties excommunicatus tempore divinorum ingreditur Ecclesiam, non causa orandi, aut ut inter

interſit divinis, ſed ob aliud quodvis negotium, ut tradit Paludanus jam citatus *quæſt.6. art.1.* Innocentius *cap. nuper, de ſent. excommunic.* Angel. *verb. excomm.* §.4. Et hæc omnia docet etiam Gordonus *in ſum. tom.2. lib.7. quæſt.8. cap.1. §.4. num.27. & ſeqq.* Vide etiam Coninch *de Sacram. diſp.14. dub.7. n.53. & 58.* & Megala *in 3. part. lib.2. cap.2. q.3.* Turrian. *lib.2. diſp.11. dub.3.*

RESOL. CXXXIV.

An qui dubitat ſe eſſe excommunicatum poſſit audire Miſſam?

Et an ſimiliter liceat aliis, ſimili dubio exiſtente, cum eo communicare? Ex part.4. tract.3. Reſ.66.

Quoad hoc lege ſup. doctrinam Reſ. 125. & 126. &c.

§.1. AFfirmativè reſpondeo, & ita præter alios docet Petrus Cornejo *in 1. 2. D. Thomæ tract.8. q.19. diſp.4. dub.2.* ubi probat, licitum eſſe dubitanti an ſit excommunicatus, audire Sacrum, & alia excommunicatis prohibita facere, ac ſi excommunicatus non eſſet, & ſimiliter licere, aliis ſimili dubio exiſtente cum eo communicare, & hoc ait Cornejo, vt vitet periculum imminens, aut præjudicium notabile ſpirituale, vel temporale in propria perſona rebus, aut honore; ſicut non tenetur ſecundùm illum ad recitandum Officium divinum, qui habens tenue beneficium dubitat in jure, an teneatur recitare, quia cùm hoc ſit grave onus non poteſt incurri, niſi propter cauſam certam.

bup hoc dubio in Reſ. 1. not. præteritæ, & in aliis ejus annot. ſecundæ.

RESOL. CXXXV.

An excommunicatus incurrat aliquam pœnam, ſi Miſſæ, aut divinis Officiis aſſiſtat?

Et an aliquam pœnam incurrant admittentes excommunicatos ad divina Officia? Ex part.5. tract.9. Reſ.95.

§.1. REſpondeo negativè. Nam in tali caſu nullam ſpecialem pœnam expreſſam in jure invenio, nam non incurrit irregularitatem, cùm hæc aſſiſtentia non ſit actus Ordinis; neque incurrit excommunicationem minorem, quia hæc ſolùm eſt impoſita fidelibus communicantibus cum excommunicato, non verò ipſi excommunicato communicanti cum fidelibus. Et ita docet Cornejo *in 3. part. de Sacram. diſp.10. §.4. ex errore 8. dub.2.* Sed ſi quæras an aliquam pœnam incurrant admittentes excommunicatos ad divina Officia? Cornejo *ubi ſuprà dub.3.* reſpondet ſolùm incurrere excommunicationem minorem, *vt in cap. is qui, de ſententia excommunicationis in 6.* Nam quamvis *in cap. Epiſcoporum, de privilegiis in 6.* incurratur etiam interdictum, cæterùm ille textus non procedit generaliter de omnibus, ſed ſolùm de exemptis ab Epiſcopis.

RESOL. CXXXVI.

Quid facere debeat Sacerdos, ſi excommunicatus denunciatus intret in Eccleſiam, dum Miſſa celebratur?

Et an ſit omittenda Miſſa poſt inceptum Canonem, ſi conſecratio non ſit facta?

Et notatur prohiberi, ne quis ſimul cum excommunicato audiat Miſſam eamdem.

Sed præter excommunicationem minorem, poterit excuſari à mortali, ſi careat inductione, & cooperatione, & fiat abſque contemptu, & ſcandalo. Ex part. 5. tract.9. Reſol.92.

§.1. SI Miſſa non eſt incepta, & ſuperveniat excommunicatus, conandum eſt vt expellatur per admonitionem, & per coactionem, ſi neceſſaria fuerit; quòd ſi non ſufficiat, diſtinctione opus eſt; vel enim deventum non eſt ad conſecrationem, vel eſt deventum; ſi non eſt deventum, omittenda eſt Miſſa. Si tamen facta eſt conſecratio, perficienda eſt Miſſa, quia ſacrificium perficiendum eſt ex jure divino, de quo in materia de ſacrificio Miſſæ, vel in materia de Euchariſtia, & in caſu hujus dubij hæc eſt communis doctrina.

2. Reſtat dubium, an ſit omittenda Miſſa poſt inceptum Canonem, etiamſi conſecratio non ſit facta? Et Suarez *ſuprà*, refert contrarias ſententias, & dicit rem eſſe utrimque probabilem, & liberum eſſe Sacerdoti quam voluerit partem eligere, quamvis totius putet ante conſecrationem omittere Miſſam, etſi Canon ſit inceptus. Vide Turrian. *lib.2. diſp.11. dub.1.* Layman *lib.2. tract.5. part.2. cap.2. num.6.* Filliucium *tom.1. tract.12. cap.4. num.90.* & Mercerum *de Sacram. in 3 part. q.21. dub.6.* ubi notat prohiberi ne quis ſimul cum excommunicato audiat Miſſam eamdem; ſed quia hæc communio eorum qui ſimul Miſſam eamdem audiunt, eſt minima inter eas, quæ reſpectu talis rei eſſe poſſunt, non habet peculiarem pœnam impoſitam præter excommunicationem minorem, poteritque à mortali excuſari, ſi careat inductione & cooperatione, & fiat abſque contemptu & ſcandalo, ex neceſſitate, aut pietate.

RESOL. CXXXVII.

An pro excommunicatis toleratis liceat publicè orare, & Sacrificia offerre?

Et ſi excommunicatus toleratus petat pro ſe offerri ſuffragia communia, an peccet? Ex p.5. tract.9. Reſol.74.

§.1. NEgativam ſententiam tenet Filliucius *tom.1. tract.12. cap.2. n.40.* Gordonus *tom.2. lib.7. quæſt.8. cap.1. num.4.* Vaſquez *de excommun. dub.2.* Avila *part.2. cap.6. diſp.9. dub.6.* Sotus *in 4. diſt.22. quæſt.1. art.4. concluſ.2.* Mercerus *de Sacrament. in 3.p. q.21. dub.3.* Suarez *de cenſ. diſp.9. ſect.2. num.17. & ſeqq.* & alij. Probatur primò, quia hæc prohibitio ante hanc conſtitutionem habebat in illis locum. Ergo etiam poſtea, cum expreſsè dicat Concilium Conſtantienſe ſe nolle eos in vllo relevare, nec aliquod ſuffragium eis præbere; relevaret autem ſi pœna hæc in illis non haberet locum poſt iſtam conſtitutionem. Nec dici poteſt eos directè non relevari, ſed indirectè, & conſequenter propter favorem aliis fidelibus directè exhibitum. Non enim hoc ſpectat ad favorem aliorum, vt qui neque hoc intendunt, neque fructum ullum inde percipiunt. Probatur ſecundò, quia ex primis verbis patet hanc conſtitutionem tantùm loqui de communicatione externa, tam in divinis Officiis, quàm in negotiis civilibus, non autem de hac interna communicatione per participationem ſuffragiorum. Nec refert quòd addatur generaliter, *aut aliis quibuſcumque divinis*, hoc enim convenienter accipitur de divinis Officiis v.g. audienda Miſſa, & horis Canonicis publicè recitandis.

2. Sed his non obſtantibus affirmativam ſententiam tenendam eſſe puto cum Megala *in 3. part. lib.2. cap.2. num.20* Hurtado *diſp.3. de excomm. diſſicult.4. n.10.* Coninch *de Sacram. diſp.14. dub.6. n.40.* Henriquez *lib.3. cap.11. n.2.* Navarro *cap.27. n.36.* Probatur, quia Concilium Conſtantienſe abſolutè concedit ut poſſimus cum talibus communicare in omnibus Officiis divinis; atqui ſub hac communicatione comprehendit etiam illam applicationem ſuffragiorum.

rum. Ergo hanc concedit. Minor probatur primo, quia cùm talis concessio sit favorabilis, extendenda est, quantum verba patiuntur; hanc autem secundùm communem loquendi modum facilè patiuntur, nam ob hanc applicationem & participationem dicitur in Ecclesia esse communionem Sanctorum, hinc Ecclesia semper hæc duo pro eodem accipit, Nos cum aliquo communicare, & orationes publicas pro eo facere, ut patet *ex cap. sacris* 38. *& cap. nobis* 28. *de sent. excommunicationis*. Secundò, quia, ut ex eisdem capitibus patet æqualiter hæc duo ab Ecclesia permittuntur, aut prohibentur, scilicet pro aliquo publicè orare, & recipere oblationes ab eo, vel pro eo factas. Nam hoc ipso quo Ecclesia has recipit, significat se eum facere participem suorum suffragiorum, quod nullo modo convenit eam fictè facere; atqui talis receptio est aperta quædam communicatio in Officiis divinis. Ergo cùm generatim omnis talis communicatio concedatur, etiam illa receptio conceditur, & consequenter ut oretur pro talibus excommunicatis.

3. Notandum est tamen hîc, suffragia communia, vt sacrificium & orationes nomine Ecclesiæ factæ, (& suo modo indulgentiæ) quando solùm generaliter & indefinitè fiunt, aut offeruntur pro fidelibus, non fieri, nec offerri pro prædictis excommunicatis, ac proinde eis non prosunt, nisi quando specialiter, sive expresè, sive implicitè fiunt, aut offeruntur pro illis, quia absque dubio minister Ecclesiæ, quando id specialiter non intendit, vult conformari Ecclesiæ, excludenti illos à dictis suffragiis, etiamsi indulgeat illi, ut si velit, id faciat pro dictis excommunicatis. Quòd si excommunicatus toleratus petat pro se offerri suffragia communia, peccat, quia petitione ipsa communicat per modum commercij cum eo, à quo petit, non verò, quia petit suffragia, quia alter, à quo petit, ea potest pro eo offerre, ac proinde petendo tantùm peccat venialiter, quia ea petitio tantùm est mala, quia est communicatio in locutione, & ita docet Hurtado *disp. 3. de excom. diffic. 4. n. 12.*

RESOL. CXXXVIII.

An liceat offerre suffragia Ecclesiæ pro excommunicatis non toleratis, si per contritionem justificentur, ante obtentam absolutionem?

Et an liceat applicare communia suffragia Ecclesiæ ei, cujus Excommunicatio est occulta, si mortuus est in gratia? Ex part. 5. tract. 9. Resol. 75.

§. 1. Affirmativè respondet Megalius *in 3. part. lib. 2. cap. 2. n. 18.* Henriquez *lib. 9. cap. 15. §. 3. in glossa lit. P.* Sayrus *de cens. lib. 2. cap. 3. n. 5.* Avila *de censur. part. 2. c. 6. disp. 4. dub. 2. concl. 1.* Navarr. *c. 27. n. 36.* Covarr. *in cap. Alma, part. 1. §. 6. n. 4. concl. 9.* & alij, eo quòd Ecclesia non videatur velle suffragia subtrahere iis, qui Deo sunt reconciliati, & hanc sententiâ docet etiam Philipp. Faber *de cens. in 4. sent. dist. 25. q. 1. disp. 4. c. 4. n. 142.* quia, ait ille excommunicatio est pœna ordinata contra contumacem & inobedientem ipsi Ecclesiæ. Cùm ergo tollitur inobedientia, & contumacia, tollitur quoque excommunicatio in foro interiori; & apud Deum, quia excommunicatio est effectus proveniens à peccato mortali contumaciæ, tanquam à causa; cessante autem causa, cessat & effectus ejus. Cùm ergo apud Deum per contritionem sit absolutus, etiam apud Deum restituitur ad pristinum statum, & sic gaudet suffragiis, aliisque bonis, quibus per excommunicationem privabatur.

2. Negativam tamen sententiam docet Suarez *disput. 9. sect. 3. n. 2.* Vgolinus *tab. 2. c. 9. §. 1. n. 4.* Filliucius *tom. 1. tr. 12. c. 2. n. 45.* Gordonus *tom. 2. lib. 7. q. 8. c. 1. n. 7.* Layman *l. 2. tract. 5. part. 2. cap. 2. n. 4.* Turrian. *de cens. l. 2. disp. 9. dub. 2.* Vasquez *de excommunication. dub. 2. & 11.* Coninck *de Sacrament. disp. 14. dub. 6. n. 49.* Sotus *in 4. dist. 22. q. 1. art. 1.* Cornejo *in 3. p. tract. 5. de excom. disp. 10. §. 3. dub. 1.* Præpositus *in 3. p. q. 2. de excommunicat. dub. 6. n. 38.* Hurtado *disp. 3. de excommunicatione, difficult. 5. n. 14.* Mercerus *de Sacrament. in 3. p. quæst. 21. dub. 3. n. 2* ubi sic ait: Quæritur an pœna ista locum habeat in excommunicatis contritis, sed à censura nondum absolutis? Negant S. Anton. & Navarr. eo quòd verisimile non sit Ecclesiam velle subtrahere communia suffragia membris vivis fide, & charitate conjunctis. Probabilius affirmant Adrianus, Sotus, & Alanus, quia censura non tollitur per solam interiorem pœnitentiam, alioqui postea absolutione opus non esset, quod constat esse falsum.

3. Dices hunc effectum ex intentione Ecclesiæ suspendi, etiamsi censura plenè non tollatur. Resp. contrarium innuit Innocent. III. *cap. sacris, de sententia excomm.* significans pro talibus excommunicatis ante absolutionem, neque oblationes recipiendas, neque orationes Deo offerendas.

4. Dices secundò, in his excommunicatis nulla ampliùs culpa est. Ergo nec pœna. Respondetur licèt pœna non inferatur nisi ob culpam, tamen pœna sæpè manet post culpam coram Deo ablatam, donec etiam judicio Ecclesiæ auferatur, & ita fieri conveniebat ad timorem & reverentiam hujus censuræ. Hæc omnia Mercerus. Vnde puto utramque sententiam probabilem esse, licèt hæc secunda sit probabilior. Certum est autem apud me, quod etiam non improbabile putat Præpositus *ubi supra n. 37.* & Suarez *disp. 7. sect. 1. num. 7. in fine*, licere applicare communia suffragia Ecclesiæ ei, cujus excommunicatio est occulta, si mortuus est in gratia, cùm enim in eo casu communius, moraliter loquendo, non possit impetrari absolutio sine aliqua defuncti infamia, potest sine peccato negligi, non videtur autem Ecclesia velle privare hominem communibus suffragiis, quo casu non possit absque nota absolvi ab excommunicatione. Capitula citata apertè agunt de eo, cujus publica & nota erit excommunicatio.

RESOL. CXXXIX.

An pro excommunicato jam per contritionem justificato liceat applicare Sacrificium Missæ ante obtentam absolutionem? Ex part. 5. tract. 9. Resol. 76.

§. 1. Negativè respondent aliqui ex dictis in superiori resolutione, & Suarez *disp. 9. sect. 4.* circa præsens dubium duo docet. Vnum est si Sacerdos offerat ut minister Christi, & applicet pro excommunicato prodesse illi. Probat, quia ablata indignitate, sola manet prohibitio, quæ illum non facit indignum. Ergo sacrificium ex opere operato poterit illi prodesse. Secundò explicat à simili de administratione Sacramentorum. Nam aliquod Sacramentum potest excommunicatus prohibitus administrare, quod in suscipiente habebit effectum. Secundum est, nomine Ecclesiæ non prodesse illud sacrificium excommunicato, quia contraria est intentio Ecclesiæ, nec citat pro se, aut contra se authorem aliquem. Sed contrariam sententiam tenet Sotus *in 4. dist. 22. q. 1. art. 3.* Vasquez *tract. de excomm. dub. 11. n. 73. & tom. 3. in 3. p. disp. 217. cap. 3. n. 26.* & alij communiter, qui absolutè docent hoc sacrificium non posse offerri pro excommunicato, & mihi placet. Ratio verò sumenda est ex dictis, quia censura fuit justa, & non est ablata per solam internam justificationem, ergo si habet Ecclesia veram potestatem excommunicandi, constituit

hominem

hominem incapacem ejus effectus. Aliàs sequeretur posse Sacerdotem Sacrificium applicare pro excommunicato peccatore, qui non conteratur; & non solùm pro excommunicato in statu justitiæ, & pœnitentiæ, quod est contra communem sensum Doctorum: hæc omnia docet Turrianus *lib. 2. disput. 9. dub. 2.* & Cornejo *in 3. part. tract. 5. de excommunicatione, disput. 10 § 3. dub. 2.*

2. Verùm his non obstantibus affirmativam sententiam tenet ex multis novissimè Philippus Faber *de cens. 4. sent. dist. 25. q. 1. disp. 4. cap. 4. n. 148.* ubi sic ait: Ex eodem fundamento videtur esse respondendum ad dubium de oblatione Missæ pro hujusmodi excommunicato contrito, videtur enim dicèdum primò quòd Sacerdos offerens Missam pro tali excommunicato, non peccet mortaliter, nec venialiter, quia non est prohibitum hoc modo offerre Missam pro excommunicato tali, quia si hæc prohibitio adesset, maximè haberetur ex prædictis *ex c. a nobis 2 & c. sacris.* At in eis non habetur talis prohibitio, sed solum habetur ibi quòd in casu particulari, quo aliquis excommunicatus pœnitens deferretur ad Pastorem Ecclesiæ, non habet pro eo orationes, & sacrificium facere priusquam absolverit, sed debere eum priùs absolvere: at in generali non habetur quòd non possit offerri sacrificium pro excõmunicato sic pœnitente, quando absolutio ab Ecclesia ei conferri non potest, vt diximus. Et hoc videntur dicere illi authores, qui asserunt non posse publicè nominatim, sed solùm secretò pro tali excommunicato Missam offerri: si enim pro tali delato ad Ecclesiam orationes & Missa celebraretur, celebraretur publicè nominatim pro excommunicato quod prohibetur ab Ecclesia; nominatim autem, sed secretò non prohibetur. Secundò videtur dicendum quòd hujusmodi sacrificium valeat & prosit ipsi excommunicato pœnitenti, sive Sacerdos offerat in persona Christi, quod concedit Suarez, sive in persona Ecclesiæ, seu vt particularis persona, quod negat Suarez. Ratio est, quia Ecclesia non intendit hunc pœnitentem excludere ab his suffragiis, sed solùm contumacem, neque ipse vt particularis persona peccat, sed opus bonum, & rectè facit, ideo vt est ab illo, vt etiam est particularis persona valet, & ei prodest. Ita Faber *ubi supra*; unde puto tam negativam, quàm affirmativam sententiam satis probabilem esse.

RESOL. CXL.

An liceat privatas Orationes, & bona opera pro excommunicatis offerre?

Sed difficultas est, an Sacerdos possit orare pro excommunicatis in Memento Missæ, *etiam si sint denunciati?*

Et circa Orationes privatas pro excommunicatis, alij etiam casus notantur, & explanantur. Ex part. 5. tract. 9. Resol. 77.

§. 1. NEgativam sententiam (attendas quæso amice Lector) tanquam probabilem docet Philippus Faber *de cens. in 4 sent. dist. 25. disp. 4. c. 4. dub. 151.* ubi sic ait: Aliqui Doctores Catholici tenent excommunicatum privari nedum communibus & publicis, suffragiis, & orationibus Ecclesiæ, sed etiam privatis, & particularibus, atque hujus opinionis fuit Latomus *art. 7. contra Lutherum*, ut refert Suarez *ubi supra*. Ego quidem opinioni communiori me opponere nolo, tamen probabiliter mihi videtur posse dici excommunicatum etiam esse privatum fructu suffragiorum, & orationum particularium. Ratio, est quia in sacris Canonibus habemus excommunicatum esse ejectum extra Ecclesiam, esse privatum communione fidelium: at in communione fidelium, quæ explicatur in Symbolo, nedum includuntur bona, orationes, & suffragia communia Ecclesiæ, quæ scilicet à Ministris publicis Ecclesiæ fiunt in sacrificiis, & sacris orationibus, sed omnes orationes, & opera pia, quæ fiunt ab unoquoque fideli privatim, ut sunt jejunia, macerationes, peregrinationes, & similia, neque enim negandum est fideles omnes his juvari, siquidem habemus in sacra Scriptura quòd propter decem justos Deus parcit integris civitatibus. Cum ergo hæc bona pertineant ad communionem fidelium, mihi videtur excommunicatum privari fructu istorum quoque. Accedit quòd Christus instituens & significans essentiam excommunicationis dedit exemplum, *sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus*; at certum est, quod Ethnici & infideles non gaudent fructu orationum & precum particularium fidelium. Ergo neque excommunicatus. Tertiò vel orationes privatæ juvant fideles ad satisfactionem pro eorum pœnis, vel ad impetrandum eis aliquod bonum spirituale & temporale in ordine ad spirituale. At excommunicatus contumax non est capax alicujus istorum bonorum, quia pro ipso non potest satisfacere cum sit in peccato, & inobediens. Neque est capax bonorum spiritualium, vel temporalium in ordine ad spiritualia, quia Ecclesia intendit directè privare illum hujusmodi bonis, cùm illum tradat Satanæ in pœnam suæ contumaciæ. Quòd si quis dicat, prosunt ad resipiscentiam. Respondeo quòd hoc modo etiam prosunt fidelibus peccatoribus non excommunicatis, sed unitis Ecclesiæ, at Ecclesia intendit privare eum omnibus bonis, quibus fideles existentes in communione sua fruuntur. Ergo cum illum excludat à sua communione, intendit etiam illum privare hujusmodi bonis & fructibus. Quartò authores contrariæ sententiæ non adducunt aliquem Canonem, vel aliquam authoritatem Sanctorum qui hanc distinctionem faciant de oratione publica, & non privata, vt videre est. Vnde cùm communiter dicatur excommunicatum privari communione fidelium, ejici extra Ecclesiam, tradi Satanæ, convenientiùs exponitur de exclusione à quocumque bono Ecclesiæ tam publico, quàm privato, quàm à solo publico; hoc tamen probabiliter sit dictum; quia est contra opinionem communem. Vnde Suarez ipse *ubi suprà* contra Latomum disputans, rationes quidem rejicit, de opinione autem sua inquit: Quidquid sit de assertione, rationes ejus non sunt magni momenti; judicavit ergo illam probabilem.

2. Verùm his non obstantibus affirmativam sententiam docent communiter DD. Durandus *in 4. distinct. 15 quæst. 3.* Gabriel *q. 2. dub. 1.* Paludanus *q. 1. art. 1.* Richardus *art. 7. quæst. 2.* & ideo observat Cornejo *in 3. part. tract. 5. de excomm. disputat. 10. §. 3. dub. 3.* hanc non esse communicationem prohibitam ex vi censuræ, imò neque, propriè loquendo, esse communicationem in bonis spiritualibus, aut actum amicitiæ, benevolentiæ, sed esse actum misericordiæ & eleemosynæ spiritualis, quæ ex propriis bonis licita est, sicut etiam eleemosyna excommunicato facta. Vide etiam Mercerum *de Sacrament. in 3. part. quæst. 21. dub. 3.* & alios.

3. Sed difficultas est, an Sacerdos possit orare pro excommunicatis *in Memento Missæ?* & negativam sententiam docet Ledesma *in 2. part. q. 22. art. 1.* Medina *in summa lib. 1. c. 11. §. 1.* & Avila *part. 2. c. 6. disp. 9. dub. 5. in fine.* Sed mihi placet opinio affirmativa, quia licèt tunc Sacerdos sit publicus Ecclesiæ minister, ferens personam privatam, vt non possit ex propria sua intentione & nomine orare pro quocumque velit, simul cum oratione nomine Ecclesiæ facta, imò & ipsas easdem orationes communes & suffragia, quæ nomine Ecclesiæ offert pro non excommunicatis, potest simul nomine suo pro aliquo particulari & excommunicato

municato offerre, dummodo id actu mentali faciat, non nominando illum exteriùs, & ita docet Hurtado *disp.3. de excomm. difficult.6. num.15.* Gordonus *in summa tom.2. lib.7. quæst.8. cap.1. §.5. num.19.* & Cornejo *ubi suprà*, licèt quoad hoc ultimum, nempe posse Sacerdotem orare pro excommunicatis in orationibus publicis Missæ non nominando illos, Turrianus *lib.2. disput.9. dub.2.* dissentiat, cùm oratio illa fiat nomine totius Ecclesiæ, unde si de illa formaliter loquamur, putat non esse verum quod dicit Gordonus & Cornejo, quòd si loquuntur de intentione privata concomitante, verum asserunt. Sed quicquid sit de hoc, rectè ex supradictis Filliucius *tom.1.tract.12.cap.2.num.51.* infert: Primò licere Sacerdoti vt est privata persona orare pro excommunicato, vel in *Memento*, vel in aliis partibus Missæ occultè & secretò, etiamsi excommunicatus esset denunciatus, quia etiamsi Missa sit publicum suffragium, & Sacerdos exerceat publicum ministerium, tamen non desinit esse privata persona, & potest simul etiam privatim orare, non tamen offerre Missam pro excommunicato, nec nominare illum in Canone, aut alia oratione publica.

4. Infertur secundò licere Sacerdoti, dum publicè orat in persona Ecclesiæ, simul etiam intentione privata orare pro excommunicato, & facere pro eo eandem petitionem, dummodo exteriùs illum non nominet.

5. Infertur tertiò licere Sacerdoti totum pium opus dicendi Missam, vel Officium divinum, quatenus est proprium, per quod habet suum meritum, & satisfactionem, vel impetrationem ex opere operantis offerre pro excommunicato privata intentione. Ratio est, quia hoc modo illud opus aliàs publicum fit privatum, & de hoc nulla facta est prohibitio, quod non possit offerri pro excommunicato.

6. Nota, hìc etiam Hurtado docet *disp.3. de excom. difficult.6. num.16.* celebrantem posse pro excommunicatis etiam non toleratis offerre actionem ipsam celebrandi quoad valorem privatum ipsi celebranti correspondentem, quia verè est privatus & particularis.

RESOL. CXLI.

An declaratus per sedulones incurrisse in aliquam excommunicationem, si intra terminum appellavit, possit liberè cum omnibus communicare?

Idem est de recusatione judicis excommunicantis.

Et notatur appellationem legitimam, id est, ex rationabili causa factam antequam judex ferat excommunicationem ipso facto ob peccatum factum impedire excommunicationis majoris incursionem. Ex part.5. tract.9. Resol.30.

§.1. HIc casus potest facilè occurrere, & responsio est affirmativa, quam tuetur novissimè Marcellus Vulpe *in praxi judiciali fori Ecclesiastici, cap.1. n.5.* & ante illum Genuensis *in praxi Archiep. cap.22. n.1.* omnino videndus: quibus adde Cenedum *in Can. 99.q.45.n.45.* Humada *in leg.21. tit.9. p.1. glos.1.n.10. & glos.5.n.2.* Ioannem Valerum *in differ. utr. fori, verb. excom. differ.16. n.2.* Megalium *in 3.p. lib.3.q.1.cap.2. n.7.* Bonacinam *de cens. disp.1.q.2.punct.2.n.8.* Gordonum *in sum. to.2. lib.7.q.3.c.5.n.31.* Bariolam *in Aphor. lit.E.verb.excomm.§.8.* Hugolinum *de cens. tab.1.c.21. n.10.* & ex Theologis Avila *de censuris p.2.c.5.disp.5. dub.11. concl.2.* ubi sic asserit: Appellatio suspendit declarationem excommunicationis, v. g. Iudex declarat me incurrisse excommunicationem latam ab homine, vel à jure; ego appello à declaratione, allegans quòd non feci id, propter quod erat imposita excommunicatio, vel quòd factum est dubium, talis appellatio suspendit declarationem; sic glos. recepta, *c. punientes, §. quod si per viginti, verb. privatus, de elect. in 6.* Angel. *verb. appellatio §.8.* Navarr. *5. consil. de sent. excomm. consil.12. & consil.20. n.5.* Unde talis denunciatus non est vitandus post appellationem. Sic Navar. *consil.12.* addit Navarr. *cons.20.* quòd licèt à facto vero notorio non possit appellari, tamen à sententia judicis declarantis factum esse notorium, potest appellari, quia judex posset hoc injustè declarasse. Hæc Avila *loco cit.* & eadem Hurtado *de excomm. disp.13. diff.4.* ait. Appellatio à sententia declaratoria excommunicationis non solùm devolvit causam ad Superiorem, sed etiam suspendit eam sententiam, quia sententia declaratoria non secum trahit executionem. Id autem quod dictum est de appellatione, dicendum etiam est de recusatione judicis excommunicantis, quia eadem est ratio.

2. Notandum est etiam à fortiori appellationem legitimam (id est, ex rationabili causa) factam antequam judex absolutè ferat excommunicationem ipso facto ob peccatum factum, impedire incursionem excommunicationis majoris (nisi quando judici concessum est, vt non obstante appellatione procedat in causa) vt constat *ex cap. pastoralis, 53. de appell. in 6.* quia, vt dicitur *in hoc cap.* per appellationem à puncto appellationis eximitur quis quoad eum articulum à potestate judicis, & ejus potestas dormitat, & vt dicitur *in cap. si à judice 10. eod. tit.* ejus jurisdictio suspenditur, ergo latio excommunicationis post appellationem facta est nulla, vtpotè facta à non judice, seu à judice suspenso, & dormitante.

RESOL. CXLII.

An quis legendo inscriptionem, seu titulum libri alicujus hæretici incidat in censuram Bullæ Cœnæ?

Et quid, si legit Indicem, Præludia, Operis intentionem, Epistolam ad Lectorem, & his similia?

Et an, in hoc detur parvitas materiæ?

Et quid est dicendum de legentibus, unam epistolam hominis hæretici, hæresin continentem?

Et notatur non ligari hac censura legentem, retinentem, aut imprimentem epistolam, aut concionem, aut aliam papyrum hæretici solutam, & non in tractatus, aut formam libri continuatam?

Et an si hæresis una, vel altera, quæ continebatur in libro, penitus inveniatur abrasa, aut ea folia detracta, dicendùm sit ex ejus lectione non contrahi excommunicationem?

Et an ex pluribus ejusdem operis voluminibus possit legi, in quo hæresis non reperitur?

Et an, si liber unius voluminis in duo redigatur, alter illorum, in quo hæresis non sit, legi possit? Ex part.10. tract.12. & Misc.2. Res.48. aliàs 47.

§.1. AFfirmativam sententiam docet Dominicus Pueronus *in Comment. ad Bull. Cœnæ, cap.1. §. Ac eorundem libros, numero 184.* ubi sic ait: Itaque ratione periculi, immo & odij, quod adversus Hæreticos hac inhibitione intenditur, convenit inter omnes, nec in ea parte ubi scitur hæresim non esse, nec de Religione tractari, posse legi. Quia qui librum prohibet, singulas etiam partes prohibere censetur, *argum. cap. in tit. de Regul. Iur. in 6. l. Iulianus, ff. de leg.3.* Potiori jure nec fas erit legere Indicem, Præludia, Operis intentionem, Epistolam ad Lectores, & his similia; quia in his summatim Auctores, ea de quibus fusus agunt, proponunt, ac insinuant. Quibus adderem & Titulum; tum quia in eo forma totius operis inspicitur, tum quia inibi solet opus

celebrari, & periculum est curiositatis concipiendæ. Ita ille.

2. Sed hæc opinio mihi non placet, nam, vt observat Fagundez *in Præcept. Decalog. tom.1.lib.1.c.14. num.4.* & Becanus *in 2. part. Summæ, cap.15. quæst.1. num.8.* Excommunicatio Bullæ non fertur ratione periculi uniuscujusque particularis, sed communis: Vnde nimis rigorosè loquutus est Pueronus *ubi suprà* circa parvitatem materiæ, in legendis libris Hæreticorum. Hinc, vt alibi diximus magis placet sententia Sanchez, Emanuelis Rodriguez, Vivaldi & Sà asserentium esse unam paginam, quod bene explicat Sanchez etiam quando liber fuerit ex voluminibus magnis, quæ vulgò vocantur, de Marca mayor. Ratio est, quia minor quantitas videtur insufficiens (quidquid dicat Suarez *de Fide, disput.20. sect.2. numero 20.*) ad peccatum mortale, tam gravem censuram incurrendam. Et quamvis legat, non videtur legere librum hæretici, vt loquitur Bulla Cœnæ.

Alibi in to. 4 tr.3. Ref. 42 & hic inf. in tr 10. in ref. 145 § Notandum, & seq. & latè in Ref. 146.

Sup. hoc in tom.4 tr. 3. Ref. 45.

3. Nota hîc etiam obiter, Vgolinum docere excommunicatione Bullæ Cœnæ ligari etiam illum, qui legit unam epistolam hominis hæretici hæresim continentem. Ratio illius est, quia licet Bulla solius libri meminerit eo quod sæpius libri, quam epistolæ ad manus veniant, & quod in libris, quam in epistolis frequentius hæreses inserantur; ubi tamen Legislator mentionem unius rei facit ob frequentiorem ejus usum, non censetur excludere id, quod minus frequenter contingit, *argum. lib.1. Cod. de raptu virg.* Sed ex Fagundez *ubi suprà, num.11.* asserit, non ligari hac Censura legentem, retinentem, aut imprimentem epistolam, concionem, aut aliam papyrum hæretici solutam, & non in tractatus, aut formam libri concinnatam, eo quod pœnæ non sint ampliandæ & in communi hominum usu & loquendi modo hæc non dicuntur libri. Nec militat eadem ratio in his quam in libris; libri enim diutius permanent & latius extenduntur: in pœnalibus autem ita intelligenda res est, vt salventur verba pœnæ; & non extendatur amplius.

Sup hoc ibidem in §.2.

4. Sed vt verum fatear, ego sententiæ contrariæ adhæreo, quam præter Vgolinum tenet Trullench *in Decalog.tom.1.lib 1.cap 3. dub.9 §.5. n.16.* & Castrus Palaus, *tom.1. tract.4.disp.2. punct.10. §.1. n.4.* Et ratio est, quia prohibitio librorum non est lex odiosa sed favorabilis, quia est in favorem Fidei, & defensionem Catholicorum.

Snp. hoc inferius in tr. 10. ref 145. §. Cavendum, in ptincipio.

5. Non tamen deseram hîc pro curiosis adnotare Pueronum *ubi suprà num.180.* docere, quod si hæresis una, vel altera, quæ continebatur in libro, penitus inveniatur abrasa; aut ea folia detracta, dicendum est ex ejus lectione non contrahi excommunicationem; quia tunc liber revera non continet hæresim, nec adest reperiendi periculum. Vnde subdit, quod

Sup. hoc ibidem §. vlt.

inconsequenter videntur loquuti; qui ex pluribus ejusdem operis voluminibus alterum in quo hæresis non reperitur, legi posse concedunt cum communi ex Vgolino, Sanchez, Bonacina, & Duardus *locis cit.* nec tamen, si liber unius voluminis in duo redigatur alterum illorum, in quo non sit hæresis, legi posse. Nam aut attenditur periculum hæresis; & æquè benè effugitur in utroque casu, aut odium hæreticorum, eorumque doctrinæ, & in neutro declinatur. Sed hæc omnia, præter DD. citatos, non admittunt Suarez, Alterius & alij.

RESOL. CLXIII.

An ad evitandum excommunicatum sufficiat tantum, vt sit per publicam sententiam damnatus de aliquo crimine, cui certum est esse annexam excommunicationem, vt v.g. de hæreticis, schismaticis, apostatis, simoniacis, &c. vel necessarium sit, vt specialiter, & expressè denunciata sit excommunicatio? Ex part.5. tract.9. Resol.62.

§.1. HOc sufficere putat Sotus *in 4. dist.1. qu.5. art.6. & dist.22. q.1. art 4.* Henriq. *lib.13. cap.5.n.4.* Suarez *de cens.disp.9. sect.2. n.10.* & Gutierrez *in can. lib.1. cap.1. num.42.* ubi sic ait: Observandum est quòd nomine excommunicatorum nominatim veniunt hæretici, schismatici, & apostatæ, si sint hæresis, apostasiæ, & schismatis condemnati, atque etiam simoniaci, & omnes, qui per sententiam fuerint pronunciati, & condemnati alicujus criminis, cui annexa sit excommunicatio, & præterea quicumque nomine proprio propter aliquod delictum fuerit denunciatus.

§.2. Sed licèt hæc sententia sit probabilis, probabilior mihi videtur contraria. Dico igitur non sufficere vt lata sit sententia qua aliquis sit damnatus, ac denunciatus de aliquo crimine, cui annexa est excommunicatio, vt evitari debeat, sed ulteriùs requiri vt expressè sit denunciatus excommunicatus. Ratio est, quia *in d. Extravag. ad evitanda*, dicitur neminem teneri evitare excommunicatum, nisi censura fuerit denunciata contra personam specialiter & expressè: at verò quoties quis denunciatur de solo crimine, cui constat excommunicationem annecti, non est denunciata censura specialiter, & expressè, sed solùm virtute, & per quamdam consequentiam. Accedit quòd cùm decretum d. Extravag. in favorem animarum emanaverit, potiùs est extendendum vt requiratur expressa ac formalis censuræ declaratio, quam restringenda, vt sufficiat tacita ac virtualis. Idem dicendum quamvis in sententia declaretur illum esse hæreticum, vel alterius criminis reum, & incurrisse omnes illius pœnas ac censuras, quia adhuc non est specialiter & expressè denunciata excommunicatio. Ita Coninch *de Sacram. disp.14. dub.2. n.10.* Reginaldus *in praxi tom.1 lib.1.cap.10.n.118.* Sanchez *in sum. tom.1. lib.2. cap.9. num.4.* & alij penes ipsos.

RESOL. CXLIV.

An licitum sit communicare cum hæretico, in quem lata est sententia eum hæreticum declarans, vel necessarium sit, vt publicè, & nominatim, atque expressè denuncietur excommunicatus?

Et doctrina hujus quæstionis est applicanda omnibus delictis secum ferentibus excommunicationem. Ex part.5. tract.14. & Misc.2. Resol.97.

§.1. NEgativè respondet Suar. *tom.5 disp.9 sect.9. n.10. & de fide, disp.21. sect.3.n.7.* Gutierrez *in qq. can. lib.1.cap.1.n.42.* Sotus *de justitia, lib.9.q.1.* Henriquez *lib.13.cap.5.n.4.* & alij, quia cùm publicè denunciatur excommunicatus, publicè ac nominatim constat de ejus excommunicatione: ergo.

2. Sed contrariam sententiam tenet Sanch. *in sum. to.1.lib.2.c.9.n.4* ubi docet hæreticum in tali casu non censeri nominatim excommunicatum, nec esse vitandum, donec expressè denuncietur excommunicatus; & ratio est, quia in Cœcilio Constantiensi dicitur neminem teneri vitare excommunicatum, nisi censura fuerit à judice denunciata contra personam specialiter, & expressè. At quoties quis denunciatur de solo crimine, cui constat excommunicationem annecti, non est denunciata censura specialiter, & expressè, sed sola virtute, & per quamdam consequentiam, ergo, &c.

Dicen

3. Dicendum est igitur ex supradictis opinionibus cum Hurtado de Mendoza *in 2.2. vol. 1. disp. 76. sect. 1. §. 10.* quòd ex opinione Suarez sequitur nos non posse communicare cum hæretico damnato ab Inquisitoribus. Ex opinione Sanchez sequitur oppositum. Et nota quòd supradicta doctrina applicatur omnibus delictis, secum afferentibus excommunicationem.

RESOL. CXLV.

An nominatim denuntiatum, vel publicum Clerici percussorem in uno loco, teneat vitare in alio, ubi delictum est occultum? Ex part. 5. tr. 9. Resol. 134.

§. 1. ABsolutè affirmativam sententiam tenet Bonacina *de cens. disp. 2. q. 2. punct. 6. §. 2. n. 48.* tum quia experientia constat delicta unius publica in uno loco præscribi ad alia loca; tum quia delinquens amisit jus ad suam famam per publicitatem, seu notitiam publicam delicti; tum quia tenemur obedire præcepto Superioris præcipientis vitandum esse excommunicatum non toleratum, (& excommunicatio suum utique præstat effectum,) tum quia excommunicatus facilius resipiscet, si ubique evitetur. Neque obstat ipsum excommunicatum hoc malè accepturum, & inde tristitiam passurum, hoc enim sibi debet imputare, cum ego habeam jus permittendi illius contristationem ob præceptum Ecclesiæ, & ob ipsius excommunicati utilitatem.

2. Quod respondent communiter talem in publico vitandum non esse, sed in occulto. Ratio est, quia à lege antiqua recedendum non est, nisi quatenus in lege nova exprimitur, *l. præterea, in fine, C. de appellat.* Cùm igitur in Extravagan. Constantiensi nihil decretum sit circa modum excommunicatum vitandi publicè, an occultè, sed solùm circa qualitatem excommunicatorum, utrùm denunciati sint, necne, ideò standum est juri antiquo *cap. cum non ab homine, de sententia excommun.* ut excommunicati (intellige nunc denunciatos) publicè vitentur, si eorum excommunicatio publicè nota sit; occultè verò si publicè ignota sit. Et ita docet Sylvester *ver. excommunicatio, 5. num. 1.* Armilla *eodem ver. num. 61.* Sanchez *in summa t. 1. lib. 2. cap. 11. num. 20.* Avila. Layman *ubi infrà.* Vasquez *de excommunicatione, dub. 8. num. 2.* Henriquez *lib. 13. cap. 24. n. 1.* & alij.

3. Verùm sententiam asserentem supradictum excommunicatum non solùm in publico, sed neque in occulto vitandum esse, puto probabilem esse. Et ideò Ioannes Præpositus *in tertia part. quæst. 2. de excommunicatione dub. 16. num. 114.* sic ait: Nominatim excommuniearus juxta supradictam explicationem est ubique vitandus, ut in superioribus diximus; non est tamen improbabile, quòd si is aliò se transferat, ubi censura passim ignoretur, is qui novit censuram, non teneatur illum vitare. Avila quidem concedit de communicatione publica, in qua sentit non posse vitari; asserit tamen debere vitari in occulto, videri potest 2. *p. cap. 6. disp. 11. dub. 12.* Alij censent etiam in publico vitandum, quantum scilicet fieri potest sine ulla ejus nota; sed quod diximus, est probabile, etiam de communicatione occulta. Ita Præpositus & alij citati ab Henriquez *lib. 13. cap. 6. in glossa litt. C.* & quoad publicum percussorem Clerici hanc sententiam admittit etiam Avila *ubi supra*, ubi sic ait: Vir quidam doctus licèt admittat conclusionem respectu illius, qui est publice denunciatus in una civitate, non tamen admittit respectu illius, qui in una civitate est notorius percussor Clerici, & in alia est occultus, nam de hoc dicit, quòd non teneor illum vitare, non solùm publicè, verùm nec occultè, & ait esse de mente Durandi *in 4. dist. 18. quæst. 5. circa finem* & Paludani *quæst. 6.* dicendum quòd quando aliquis est publicè excommunicatus in uno loco, non debet censeri publice excommunicatus in alio. Et probat hanc sententiam, quia iste in hoc loco non est notorius percussor Clerici; & potest confirmari. Primò. Nam post Concilium Constantiense, ut ego teneat vitare etiam in occulto percussorem Clerici, requiritur, quòd sit notorius percussor; sed in hoc loco non est notorius Clerici percussor, ergo. Secundò, nam hæc notorietas percussionis Clerici non est per sententiam judicis, ut suppono, sed tantùm per notorietatem facti, ergo ubi factum est occultum, non est notorius percussor Clerici. Propter quæ videtur mihi hæc sententia valdè probabilis, præcipuè cùm favorès sint ampliandi. Ita Avila, quem novissimè sequitur Layman *lib. 2. tract. 5. part. 2. capit. 5. numero 4.*

RESOL. CXLVI.

An quis possit resalutare excommunicatum non toleratum, vel respondere ejus chartis? Ex part. 5. tr. 9. Resol. 116.

§. 1. NEgativè respondet Navarrus *cap. 27. num. 20.* Toletus *lib. 1. c. 12. n. 4.* Avila *p. 2. c. 6. disp. 9. dub. 9.* & Hurtado *disp. 9. de excommun. diff. 1. num. 4.* ubi contra Henriquez & Coninch putat non solùm prohibitum esse salutare excommunicatum, sed etiam resalutare, & ita etiam docet Gordonus *in summ. t. 2. lib. 7. q. 10. cap. 5. num. 60.*

2. Sed ego puto sententiam affirmativam probabilissimam esse, quam præter Henriquez & Coninch docet Præpositus *in 3. part. quæst. de excommun. dub. 14. num. 95.* Filliucius *tom. 1. tr. 13. cap. 5. num. 84.* Ioan. Franciscus Suar. *in Enchirid. lib. 6. ver. excommunicatio §. vale.* Reginaldus *tom. 2. lib. 71. disp. 1. cap. 12. numero 81.* & novissimè alter Henriquez, Ioannes Sc. *in Compend. cas. moral. cap. 20. n. 20.* ubi sic ait. [Advierte, que quando el descomulgado saluda à otra persona, o escrive alguna carta, se le puede bolver à saludar, y responder a la carta, porque esto no es saludarle, ni escrivirle, sino pagar una deuda, lo qual no se prohibe por derecho alguno.] Sic ille. Adde quòd multi Doctores asserunt per particulam *Vale*, solùm prohiberi salutationem verbalem, non autem aliis signis factam, ut aperiendo caput, aut assurgendo, &c. Ita Sayrus *lib. 2. cap. 3. n. 7.* Cujus opinionem sequens asserit Megalius *in 3. part. lib. 2. cap. 5. q. 3. n. 19.* excusandos esse à peccato, & incursione excommunicationis, & ideo Turrianus *lib. 2. disp. 13. dub. 1.* docet, prohibitionem salutationis in nostro casu intelligi eam per verba, ita ut non sit prohibitum aliud signum reverentiæ, v. g. aperire caput, & hujusmodi signa, quæ urbanitatis causa fieri solent ex communi hominum more, sed pro contraria sententia adducit Vasq. *de excom. dub. 8. n. 5.* & Suarez *disp. 15. sect. 1.* Vnde puto utramque probabilem. Vide etiam Mercerum *in 3. part. de Sacr. q. 21. dub. 10.* & Fabrum *de cens. in 4. sent. dist. 25. qu. 1. disp. 4. cap. 6. n. 196.* & Layman *lib. 2. tr. 5. part. 2. cap. 2. n. 16.*

RESOL. CXLVII.

An in communicatione cum excommunicato non tolerato detur parvitas materiæ?

Et quid in Divinis, & Sacris?

Et quid, si communicet in crimine criminoso, vel in aliis casibus, in quibus fideles communicando cum ex-

communicato incurrunt majorem excommunicationem?

Et an si excommunicatus judicet, peccet mortaliter?

Et quid, si unum tantum testem recipiat, vel quid simile?

Et quid, si aliqui legunt officium divinum cum excommunicato?

Et an excommunicatus agens in judicio regulariter loquendo, non peccet mortaliter ratione parvitatis materiæ, & secus si sæpius agat?

Et tandem quæritur, an lavari interdum cum Iudæo in balneo, nonnunquam excipere, vel excipi in convivio; & alia hujus generis varius effecta sint tantum peccatum veniale ob materiale vitatem? Ex part. 5. tr. 5. Resol. 21.

Sup. hoc sup. in Res. 133. per totam.

§. 1. Affirmativam sententiam docet Avila *de cens. p. 2. cap. 6. disput. 8. dub. 3. concl. 2.* ubi sic ait: Vtrùm fideles semper peccent mortaliter communicando cum excommunicato in rebus prohibitis? Primò ergo dico, quòd si communicent cum illo in rebus secundi generis, est peccatum mortale ex genere suo, dico *ex genere suo*, nam ex parvitate materiæ erit veniale, ut si audiret simul cum excommunicato non tolerato parvam partem Missæ, v. g. usque ad Evangelium, vel illud, quod dicitur post consumptionem corporis, & sanguinis Christi. Secundò dico quòd si communicent in rebus secundi & tertij generis, tantùm est veniale, nisi communicent in crimine criminoso, vel in aliis casibus in quibus fideles communicando cum excommunicato incurrunt majorem excommunicationem, vel in contemptum Ecclesiæ Ita Avila, qui etiam *concl. 1.* notat, quòd si excommunicatus judicet, peccat mortaliter, quia usurpat jurisdictionem, cùm ligata sit ejus potestas, & ideò facit injuriam ei, qui communicavit jurisdictionem, cujus actum usurpat. Vsurpare autem jurisdictionem est res gravissima, nisi aliquando excusetur ex levitate materiæ, ut si recipiat unum tantùm testem, tunc enim venialiter tantùm peccabit. Ita ille. Hinc Ægidius Coninch *de Sacr. disp. 14. dub. 14. n. 146* docet, quòd communicatio in Sacris cum excommunicato est prohibita sub mortali, sed excipit casum, quod hæc communicatio esset valdè exigua, ut quando excommunicatus transeundo per templum ibi attentus hæreret donec unus brevis Psalmus caneretur, ut notat Avila, *p. 2. cap. 6. disp. 8. dub. 3. concl. 1.* idémque addit dicendum esse de communicatione, qua aliqui simul legunt aliquoties Officium divinum privatim, quia hæc non continet illam repugnantiam cum fine legis, quam continet ea, quæ fit in officiis publicis.

Sup. hoc inf. Res. 149. §. Notandum est, cursim post med. Et pro si ex communicatus judicet, contento in hoc textu sup. in Res. 21. &c.

Et pro hac communicatione in Sacris lege sup. doctrinam Res. 133.

Sup. hoc sup. in Res. 131. per totam.

2. Et tandem non desinam hic adnotare id, quod docet Bonacina *de excom. disp. 2. q. 2. punct. 7. n. 11.* nempe excommunicatum agentem in judicio, regulariter loquendo, non peccare mortaliter ratione parvitatis materiæ, secus si sæpiùs agat.

Sup. hoc sup. in Res. 115. &c.

3. Notandum est etiam hîc obiter cum Hurtado de Mend. *de fide vol. 1. disp. 76. sect. 2. §. 45.* quod lavari interdum cum Iudæo in balneo, nonnunquam excipi, vel excipere convivio, & alia id genus rariùs effecta, non sunt peccata mortalia, si desit occasio ruinæ, sed est peccatum veniale ob materiæ levitatem.

RESOL. CXLVIII.

An licitum sit communicare cum excommunicato tolerato, ac si non esset excommunicatus non solùm in humanis sed etiam in Sacramentis, & in quibuscumque aliis divinis? Ex part. 5. tr. 9, Res. 117.

Sup. hoc pro communicatione in

§. 1. Casus est frequentissimus, & ad illum negativè respondet Avila *par. 2. cap. 6. disp. 8. dub. 1. concl. 3.* ubi sic ait: Quando ipse excommunicatus tolleratus non se ingerit, neque est paratus ad communicandum cum aliis, non est licitum fidelibus illum provocare, vel invitare ad communicandum in divinis, neque in humanis, sed ipse peccabit in hoc, & divinis excommunicatus ipse peccabit communicando, quamvis sit inductus, vel invitatus. Hanc tenet expressè Cajet. *ver. absolutionis impedimenta.* Sylv. atque alij DD. Probatur primò, excommunicatus ipse peccat tunc communicando, ergo etiam alij peccabunt invitando eum, cùm non sit paratus. Secundò Concil. Constant. noluit in aliquo favere ipsis excommunicatis toleratis, sed si talis excommunicatus licitè posset communicare cum fidelibus quotiescumque invitaretur ab illis, etiam nulla interveniente necessitate, multum redunderet in favorem excommunicati, & ferè nullum præstaret illi impedimentum excommunicatio, ergò. Tertiò, nam si prima opinio esset vera, etiam haberet locum in receptione Sacramentorum, quod tamen negant, communiter, ergo, &c.

2. Sed ego contrariam sententiam tenendam esse puto cum Hurtado *disput. 2. de excomm. diff. 4. numero 13.* ubi docet fideles posse licitè absque ulla prohibitione divina & naturali communicare cum excommunicato tolerato, ac si non esset excommunicatus, non solùm in humanis, etiam eum provocando, in quo DD. convenire videntur, sed etiam in Sacramentis, & in quibuscumque aliis divinis. Quia Ecclesia *in c. 11. n. 4. Extravag. ad evit. scandala*, id concessit & indulsit fidelibus, dum dixit, *Nemo prætextu censuræ abstinere teneatur*, &c. Quia si supposita excommunicatione fideles indirectè ne cooperentur cum excommunicato, aut ne illum inducant ad communicationem actiuam, vel passivam, tenerentur abstinere, non diceretur in Extravag. ita simpliciter & absque ulla restrictione neminem teneri abstinere à communicatione prætextu censuræ, id est, quamvis ille, cum quo communicat sit censura innodatus. Et confirmatur, quia si fideles non possent omnino liberè absque peccato aliquo cum excommunicato tolerato communicare, ac si non esset excommunicatus, non satis consultum fuisset scrupulis conscientiarum timoratarum, ut ibi consuli intenditur, & hanc sententiam docet Ledesma *in 2. 2. p. 4. q 5. art. 6. dub. 13.* & probabilem esse fatetur ipsemet Avila *loco citato.*

Sup. hoc inf. Res. 149. §. Notandum est, cursim post med. in c. 11. n. 4. Extravag. ad evit. scandala, in fine. Et pro si excommunicatus judicet, contento in hoc textu sup. in Res. 21. &c. Sup. hoc sup. in Res. 117. per totam. Et pro hac communicatione in Sacris lege sup. doctrinam Res. 133. Sup. hoc sup. in Res. 131. per totam. Sup. hoc sup. in Res. 115. &c. Sup. hoc pro communicatione in

RESOL. CXLIX.

An communicatio in humanis, & civilibus cum nominatim excommunicato, vel denunciato sit peccatum mortale?

Et an communicans cum prædicto excommunicato nominatim præter peccatum veniale incurrat etiam excommunicationem minorem?

Et an detur aliquis casus, in quo incurrat etiam excommunicationem majorem? Ex p. 5. tr. 9. Res. 2.

§. 1.* Casus quotidie accidit, & affirmativè videtur respondendum per textum *in c. sacris, de his quæ vi.* ubi absolutè deciditur communicationem cum excommunicato esse peccatum mortale. Et *in cap. §. sed exceptionem, de exceptionibus*, dicitur communicationem cum excommunicatio in periculum animæ redundare, quod de solo peccato mortali verificandum videtur. Et ita hanc sententiam docet Faber *de cens. in 4. sent. distinct. 25. quæst. 1. disp. 4. c. 2. n. 51.* ubi sic ait: Hæc communicatio, licèt ex suo genere sit peccatum veniale, tamen quatenus specialiter est prohibita, est peccatum mortale, & hoc modo intelligendum est *cap. sacris, de iis quæ vi*, & alia jura, in quibus dicitur peccare mortaliter eum, qui communicat cum tolerato excom

excommunicato, sensus enim est, quòd licet ipsa communicatio ex genere suo sit peccatum veniale, tamen quatenus est prohibita, est peccatum mortale, & hoc eodem modo videntur intelligere velle Doctores, dum dicunt communionem, cum excommunicato esse peccatum veniale, & tamen per illum incurri excommunicationem minorem, cùm teneant excommunicatum minori excommunicatione esse privatum participatione passiva Sacramentorum, certum est enim per peccatum veniale neminem excludi à perceptione Sacramentorum. Vnde cùm quis per excommunicationem minorem excludatur à participatione passiva Sacramentorum, sequitur esse peccatum mortale. Non ergo potest intelligi veniale, vt ipsi quoque tenent, nisi prædicto modo, qua in re ipsi sunt valdè obscuri.

2. Sed his non obstantibus absolutè, & sine ulla distinctione asserunt DD. communicationem in humanis, in nostro casu esse tantum peccatum veniale. Ita Cornejo *in 3 p. tract. 5. de excom. disp. 10 post §. 10. dub. 1.* Ioan. de la Cruz *in director. conscien. part. 2. de excomm. ante dub. 14 n. 14.* Turrian. *de cens. lib. 2. disp. 12. dub. 1.* Sylv. *in 3. p. D. Th. q. 23. art. 3.* Mercetus *in 3. p. de Sacram. q. 21. dub. 10.* Avila *de cens. part. 7. cap 6. disp. 8. dub. 3.* Sayr. *lib. 2 cap. 11. n. 3.* Suar. *tom. 5. disp. 15. sect. 1. n. 2.* Sotus *in 4. dist. 22. q. 1. art. 4.* Emanuël Sà *verb. excommunicatio, n. vlt.* Henriquez *lib. 13. cap. 8. n. 1.* Toletus *lib. 1. cap. 11. in 3.* & hanc opinionem probabilem, & in praxi securam esse docet Ioan. Præpositus *in 3. part. q. 2. de excomm. dub. 15. n 99.* Et ratio est, quia materia hujus communicationis levis est in civilibus, & secundùm se, & in ordine ad legem excommunicationis, cùm ita indirectè tantùm, & secundariò prohibeatur, unde tam ipse excommunicatus cum aliis, quàm cæteri communicantes cum ipso in humanis & temporalibus peccant tantùm venialiter. Et hanc sententiam veram esse puto contra Coninch *de Sacram. disput. 14. dub. 14. n. 149.* Suarez *loco citato, n. 11.* Filliucium *tom. 1. tract. 13. cap. 3. num. 43. & cap. 5. num. 92.* etiamsi cum excommunicato vitando frequentissimè quis communicet, etiam in tali casu non peccatur, nisi venialiter. Ita Alterius *lib. 1. disput. 12. cap. 6.* Sayrus *num. 4.* Avila *concl. 2.* & Reginaldus *tom. 2. lib. 31. cap. 13. num. 92.*

3. Notandum est tamen hîc primò cum Hurtado & DD. citatis, communicationem aliàs ex objecto venialem; posse fieri mortalem ex circumstantia aliqua, vt ex circumstantia contemptus, si ex eo fiat, vel ex circumstãtia scandali, vt si ex communicatione cum excommunicato ipse excommunicatus animetur ad perseverandum in sua contumacia mortali, quod rarò eveniet. Imò hoc est communicare cum excommunicato in * crimine criminoso, vel ex circumstantia finis noviter intenti à judice ad noviter prohibendam communicationem cum excommunicato, vt contingit, quando fertur excõmunicatio major contra communicantes, seu participantes cum excommunicato. 4. Notandum secundò in tali casu præter peccatum veniale incurri etiam excommunicationem minorem, vt patet *ex cap. à nobis 2. de exceptionibus*, nisi in quibusdam casibus, in quibus incurritur excommunicatio major, de quibus vide Hurtadum *loco cit. difficult. 3.* Sed regulariter hi casus non occurrunt.

RESOL. CL.

An communicare cum excommunicato non tolerato in rebus Politicis, & Civilibus sic tantum peccatum veniale?

Sed difficultas est, an extra praedictas causas in hoc versu inclusas, utile, lex, humile, res ignorata, necesse, si quis communicet cum excommunicato denunciato in Civilibus peccet mortaliter? Ex part. 7. tract. 11. & Misc. 2. Resol. 47.

§. 1. ESse peccatum communicare cum excommunicato seclusis aliquibus causis hoc versu inclusis; *Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse*; communiter tenent Doctores; sed difficultas est an extra prædictas causas, si quis communicet cum excommunicato non tolerato in civilibus, peccet mortaliter? Et negativè novissimè respondet Stephanus Baunius *in Theol. mor. part. 2. disput. 6. quæst. 5.* ubi sic ait: Dico tertio, communicare cum non tolerato in rebus tertij generis, hoc est politicis, ac civicis quæque nobis cum infidelibus sunt communes, non esse communiter nisi veniale. Sup. hoc in Resol. præterita, & lege etiam doctrinam resol. & §§. ejus primæ not.

2. Quia non sunt hæ nisi quid leve, nec proinde cum contemptu conjunctæ clavium, aut Ecclesiæ, Paludan. *in 4. dist. 18 quæst. 6. art. 3.* Adrianus *in 3. q. de clavibus excep. 8.* Thesaurus *in part. 2. praxis Ecclesiæ cap. 4.*

3. Quam sententiam Sotus *in 4. dist. 22 quæst. 1. art. 4.* assignat cunctis Theologis, quos asserere ait in communione civili, inesse tantum levem culpam, extra tempora ante patefacta, pro qua opinione sunt hæc argumenta.

4. Primum, quod veri speciem nullam habeat, velle Ecclesiam matrem utique sapientissimam, æternis aliquem addici flammis, ob colloquia, verbaque aliquot, temerè cum excommunicato habita, id enim nec communis boni ratio, nec lex charitatis permittit.

5. Quid quod ejus pœnæ nulla extent in canone vestigia? quod nonnisi gravia crimina, quæque mortifera, turpique animum macula inquinant, plecti hac pœna sint solita? cujusmodi vocem esse aliquam consultè non satis prolatam, quis dicet?

6. Sanè cum tam sint homines ad loquendum proclives, non decuit iis ab Ecclesia peccandi causam objici, non eorum conscientiis laqueum injici, non ob solita humanitatis inter se officia, hominisque unius cujuspiam salutationem, multos æternæ damnationis mortiferæque noxæ periculo objicere, quod tamen faceret, si communionem cum excommunicato in re temporaria, ac civili fidelibus lethalem esse vellet.

7. Objiciunt adversæ partis defensores, ac patroni, quod præcepti cujuslibet Ecclesiastici violatio, crimen habeat, quo proinde cavere non posse asserunt, qui legem de excommunicato vitando, ejúsque congressu, collocutione & consuetudine, non servant.

8. Respondendum, non omnia Ecclesiæ præcepta, eaque præcipuè, quæ pœna nocentes afficiunt, obligare ad mortale, sicut nec cuncta divina, vt est præceptum de vitanda communione excommunicati in humanis, cui qui non paret, peccatum quidem contrahit, sed non lethale ob levitatem materiæ. Ita Baunius; qui *paulò infrà* sic etiam asserit: Sanè constat eos qui communicant cum excommunicato in politicis, & merè civilibus negotiis vt sunt humana commercia, convictus quotidiani, in eo non peccare nisi venialiter, quia talis communicatio est res levis, nec primò & per se repugnans fini censurarum, qui est communicatio in rebus Ecclesiasticis, & spiritualibus, non autem in politicis, nisi indirectè ac secundario. Ita ille. Sed de hac quæstione à nobis alibi actum est. Alibi in Resol. quæ hic est antecedens.

RESOL. CLI.

An liceat communicare cum excommunicato in diversa mensa.

Idem est de lecto.

Et an prohibeatur hæc communicatio etiam in diversis mensis, facto convivio in eadem domo, & eodem tempore per modum vnius?

Et quid, si in prædicto casu mensæ sint in diversis cubiculis? Ex p.5. tract.9. Res.121.

§.1. AD hoc dubium ita respondet Avila *part.2. cap.6. disp.9. dub.7.* ubi sic ait: Contingere potest quòd mensæ sint materialiter diversæ, & nihilominùs sit communicatio in mensa, ut si multi invitati ad idem convivium comedant in diversis mensis intra idem cubiculum, imò etiam in diversis cubiculis. Sic ille. Cui adde Præpositum *in 3. p. q.2. de excomm. disp.14. n.96. in fine*, & Cornejo *in 3. p. tract.5. de excomm. disp.10. §.10. q.vlt.* vbi quærens quid prohibeatur nomine mensæ? respondet prohiberi participationem in communi cibo & potu, unde non licet comedere & bibere simul cum excommunicato in eadem mensa, neque in diversis quando ad idem convivium spectant, etsi sint in diversis cubiculis, quia cùm ad idem convivium spectent, eadem mensa debet censeri. Sic Cornejo. Qui tamen addit ab hoc vltimo, quando mensæ sunt in diversis cubiculis, dissentire Durandum *in 4. dist.18. q.5. num.7.* & Suar. *disp.15. sect.1. num.7.* quibus ego addo Mercerum *de Sacram. in 3.p.q.21. dub.10.* ubi sic ait: Addit Navarrus prohiberi convivium etiam in diversis mensis factum in eadem domo & eodem tempore per modum vnius: ut si quis invitaret multos, quos una mensa non caperet, quod videtur verum, si mensæ sint ordinatæ in eodem refectorio, vt componant unam artificialiter; secus fortè si sint in diversis cubiculis. Hæc ille, & Bonacina *de censur. disput.2. quæst.2. punct.6.§.2. num.6.* Vnde puto hanc sententiam probabilem esse.

2. Notandum est etiam cum Avila *ubi suprà*, quòd si in aliquo hospitio sit aliqua mensa mediocris longitudinis, & in una parte mensæ comedat excommunicatus non toleratus, & in altera parte comedat alter non excommunicatus in eodem tempore nullam facientes societatem, sed unusquisque per se, non censentur communicare in mensa, quamvis iidem cibi apponantur illis, quia illa sunt diversa veluti prandia, sic aliqui viri docti. Dixi *mediocris longitudinis*, nam quando mensa est parvula, censebitur communicatio in mensa. Hæc Avila. Sed quoad hoc ultimum tu cogita, quia quando casu & absque societate comeditur, quamvis fiat in eadem mensa, licèt parvula, tunc verè unus non communicat cum altero per modum societatis ergo; & ideo ex Suarez Hurtado *disp.9. de excomm. diff.1. num.6.* docet, loquens de cohabitatione significata per particulam, *communio*, quòd non prohibita sit, quando casu, & solùm materialiter accidit, etiam in eodem lecto. Si igitur quis non dicitur communicare cum excommunicato, si casu communicat, & dormiat cum illo in eodem lecto, dicendum est etiam non communicare cum illo, si comedat in eadem mensa, licèt parvula, quando, v. g. si aliquis in eodem hospitio pernoctaret, & una mensa, licet parvula, assignaretur simul cum excommunicato, vt de eodem lecto diximus cum Hurtad. *suprà*, & dicit Mercerus *de Sacr. in 3. p. q.21. dub.10.* Præpositus *in 3.p.q.2.de excom.dub.1.n.96.* & Faber *de cens.in 4.sent.dist.25.q.1.disp.4.cap.6.n.207.*

RESOL. CLII.

An sponsus excommunicatus possit communicare cum sponsa?

Et distinguitur inter sponsas de futuro, & de præsenti? Ex p.5. tract.9. Res.126.

§.1. NEgativè respondet Sanchez *lib.9. disput.14. n.8.* Sayrus *lib.2. cap.10. num.7.* Filliucius *tom.1. tract.13. cap.6. n.105.* & alij. Sed hæc opinio procedit quoad sponsos de futuro, quibus viri, & uxoris nomen convenire non potest; sed secus dicas quoad sponsos de præsenti, quamvis per copulam matrimonium non consummaverint, quia nuptias non concubitus, sed consensus facit, *l.nuptias, ff. de reg. jur.* Vnde meritò post Covarr. *in 4. Decretal. 2.p. cap.1. in initio, n.2.* & alios, quos sequitur, Gutierrez *de jur. confirm. part.1. cap.51.n.2.* omnia jura loquentia de marito & uxore accipienda esse, quando matrimonium per verba de præsenti contractum est, licèt copula non sit secuta.

RESOL. CLIII.

An uxori liceat, communicare cum marito excommunicato?

Et quid, quando excommunicatio est causa matrimonij?

Et alij casus excipiuntur in textu hujus resolutionis, in quibus uxor non potest uti communicatione viri excommunicati?

Et difficultas adhuc superest, an si mulier scienter contraheret matrimonium cum excommunicato, possit cum illo communicare? Ex part.5. tractat.9. Resol.122.

§.1. REspondeo uxorem non peccare cohabitando cum marito excommunicato, nec communicando etiam cum illo non tolerato, tam in petitione, & redditione debiti, quàm in omnibus aliis obsequiis & actibus quæ ad matrimonium spectant, vt in gubernatione domus, in communi mensa, in familiari colloquio, & cæteris omnibus, ac si excommunicatus non esset, *ex cap. quoniam nullus 11. q.3.* ubi absolutè subtrahitur ab obligatione abstinendi à communicatione cum marito, & cùm iste favor sit, non est cur limitetur. Excipitur primo quando excommunicatio est lata causa matrimonij, qualis est an sit legitimè contractus; nam tunc abstinere debet uxor à communicatione, vt fugiat periculum fornicationis. Excipitur secundò si conjuges essent divortio separati, quia cùm ratione divortii ab obsequiis mariti libera sit uxor, non potest cum viro excommunicato communicare durante divortio; verum est tamen posse cum ea reconciliari etiam durante excommunicatione, & cum eo habitare. Excipitur tertiò; quando communicatio est in his, propter quæ excommunicatio lata est, quia hoc esset communicare in crimine, quod nunquam licet, *cap. inter alia, de sent. excomm.* Excipitur, quartò quando maritus excommunicatus est simul cum alio excommunicato, ita vt sine utriusque communicatione non possit uxor viri communicatione vti, unde si maritus invitet talem excommunicatum: non potest uxor in eadem mensa manducare. Excipitur verò quando vir est excommunicatus ob hæresim, *arg.c.decrevit, de hæret. in 6.* & aliorum jurium, 28.q.2. quamvis hoc non tam sit propter censuram, quam propter periculum infectionis, & hæc omnia docet Cornejo *in 3.p.tr.5. de excomm. disp.10. §.10. dub.2.q.2.* & Gord. *ubi infrà, num.68.*

2. Sed difficultas est, an si mulier scienter contraheret matrimonium cum excommunicato, possit cum illo communicare: Prima opinio affirmat, & ita docet Avila *part.2. cap.6. disp.11.* Coninch *de Sacram. disput.14. dub.12. num.125. & 129.* Vgolinus *de censuris tab.2. cap.23. §.6.* quia verba Gregorii *in cap. quoniam*

quoniam multo 11.*q.*3. generalia sunt. Secunda opinio negat. Ita D.Thom.*in* 4.*dist.*18.*q.*2.*art.*4. Gordonus, *in summa, tom.*2.*lib.*7.*q.*10.*c.*6.*n.*72. Faber, *de cens. in* 4. *sent.distinct.*25.*q.*1.*disp.*4.*c.*7.*n.*217. Filliucius, *tom.*1. *tr.*13.*c.*6. *n.*103. Suarez, *disp.*15. *sect.*4.*n.*6. Cornejo, *in* 3.*part.tr.*5.*de excomm.disp.*10 §.10.*dub.*2. Mercerus, *de Sacram.in* 3. *part.q.*21. *dub.*11.& ratio est,quia non videtur ut contractus factus in injuriam excommunicationis tribuat jus ad cõmunicationem per ipsam censuram. Confirmatur, quia si quis directè se obligaret ad cõmunicandum cum excommunicato, contractus esset nullus, cùm sit de re illicita ergo contractus matrimonialis cum excommunicato factus, non potest esse efficax,quantum ad vim obligandi ad cohabitationem, & ad alios actus vxoris durante alterius conjugis excommunicatione, aliàs jam valida esset obligatio communicandi cum excommunicato. Excipitur tamen casus, quando vxor bona fide contraxit cum ignorantia excommunicationis,& è contra, quia tunc nihil agit contra censuram, & sic non est cur jure benè acquisito privetur, vnde quando postea scit viri excommunicationem, non debet ab vsu juris sui abstinere. Et idem est si scienter contraxit cum viro excommunicato tolerato,& post matrimonium denunciatur.

3. Sed, ut verum fatear, ego puto cum Turriano *de cens. lib.*2. *disput.* 13. *dub.*2. priorem affirmativam sententiam amplectendam esse, quia cùm res non sit expresè definita in jure, non est causa,ob quam ita strictè velimus loqui in hac materia;& ita hanc sententiam præter DD. citatos tenet Villalobos, *in summa,tom.*2.*tr.*17. *diffic.*13. *num.*12. vbi sic ait: [La palabra *lex*, da de entender que por la ley del matrimonio puede communicar la muger con el marido que està descomulgado, como consta del derecho, donde no solamente se dize que puede,sino que està obligada; de suerte que puede pagar el debito, dormir, y comer con el, y hazer los demas servicios, que los textos que hablan desto,generalmente hablan: y entendiendosè esto, aunque el marido estuviesse descomulgado antes del matrimonio, como tiènne probablemente Vgolino, porque las palabras de los textos son generales.] Hæc ille.

RESOL. CLIV.

An maritus possit communicare cum vxore excommunicata?

Idem est, si contigerit vtrumque esse excommunicatum.

Et si maritus neglexerit Vxorem corripere de contumacia ob quam excommunicata est,an peccet? Ex par.5. tract.9.Resol.123.

§.1. IN hoc dubio Sylvester, *ver. excomm.*5. *num.*4. Atmilla, *eod. ver.n.*4. putat non posse maritum communicare cum vxore excommunicata. Primò, quia maritus potest cogere vxorem ut petat absolutionem. Secundò, quia *in cap.quoniam multos*, tantùm decernitur quod vxor possit communicare cum marito.Tertiò à simili,quia *in cap.de filia* 27.*q.*1. contrarium videtur decerni.

2. Sed contrariam sententiam tenendam esse puto, quia eadem conditione maritus, & vxor esse debent. Postremò idem dicendum est si contingeret vtrumque esse excommunicatum, nam concurrentes hæ excommunicationes non faciunt majus impedimentum, nec tollunt communicandi concessionem in dicto *c.quoniam multos* 11.*q.*3. concessam.

3. Nec valet dicere quòd in dicto *cap. quoniam multos*, solùm excipitur vxor, & non vir, & meritò. Nam cùm vir sit caput,vxoris facilè potest eam inducere & compellere ut absolutionem petat, quod si non faciat ei imputatur, vnde excusandus non est à communicatione cum illa. Sed respondetur ibi excipi vxores, quia frequentiùs viri,quàm vxores in excommunicationem incidunt, per hoc tamen non excluduntur casus similes minùs frequentes, sed potiùs includi censentur ex glossa *in Clem.*1.*verbo, Præsidentes, de rescriptis.* Et ita hanc sententiam docet Gord. *tom.*2.*l.*7.*q.*10.*c.*6.*n.*76. Faber, *de cens.in* 4.*sent.dist.*25. *q.*1.*disp.*4.*c.*7.*n.*219. Cornejo, *in* 3. *p.tr.*5. *de excomm. dist.*10.§.10.*dub.*2. Turrian. *lib.*2. *disp.*13. *dub.*3. Vasq. *de excom.disp.*9. Suarez,*disp.*15 .*sect.*4.*n.*14. Hurtado, *de excom.disp.*9.*diffic.*4.*n.*23. Coninch.*de Sacr,disp.*14. *dub.*12.*n.*123. Villalob.*in sum.tom.*1.*tr.*17.*diffic.*13.*n.*14. Præpos.*in* 3. *p.q.*2.*dub.*17.*n.*125. & Mercerus, *de Sacr. in* 3.*part.q.*21. *dub.*11. vbi benè notat,quòd si maritus neglexerit vxorem corripere de contumacia,ob quam est excommunicata, graviter peccabit,eo quòd Superior ejus sit, non tamen incidit in excommunicationem. Porrò idem dicendum erit, si vterque conjux sit excommunicatus, non enim privabuntur mutua ad invicem communicatione,quod etiam notat Layman,*lib.*2.*tr.*5.*part.*2.*c.*2.*n.*16. & Avila, *part.*2. *cap.*6. *disp.*9.*dub.*5.*resp.ad* 2.

RESOL. CLV.

An nepotes,pronepotes,nurus,gener,socer,privignus, privigna,spurius,& pupillus comprehendantur nomine filiorum,ita ut possint cum excommunicato communicare?

Idem est dicendum de pupillo respectu Tutoris.

Et consequenter etiam nomine Patris intelliguntur auus, abauus, &c. Ex part.5.tr.9. Res.119.

§.1. AFfirmativè respondeo cum Cornejo, *in* 3. *part.tr.*5.*de excom.disp.*11 §.10.*dub.*3.*q.*3. vbi sic ait: Si roges an nomine filiorum sint intelligendi nepotes & pronepotes,&c. Respondetur affirmativè, ex *l. filij appellat. & l.liberorum, ff. de verb. significat.* & consequẽter nomine etiam patris intelliguntur auus, abauus, &c. Si inquiras an in communicatione comprehendantur qui ratione affinitatis loco filiorum sunt ut nurus & gener, spurij, soceri, & privignus & privigna respectu novercæ, &c:Respondetur affirmativè,ex *c.affinitatis, Inst. de nupt.* vnde si extra convictum suorum correlativorum non sunt, licita est inter eos communicatio;secus verò si jam quasi emancipati sint,quia non manet in illis naturalis illa obligatio, quæ in filiis naturalibus, sed manet sola affinitas,quæ non est radix tam strictæ obligationis ut sic causa communicandi cum excommunicato.Si autem iterum inquiras,an hoc etiam intelligatur de pupillo respectu tutoris? Respondetur affirmativè, si sit sub ejus cura in eadem domo, quia respectu ejus parentis vicem gerit,aliter verò solùm poterit eum communicare in his,quæ ad munus tutoris pertinent.Hæc omnia Cornejo.Cui adde Hurtado,*disp.*9.*de excom.diffic.* 4.*n.*21.Turrian.*lib.*2.*disp.*13.*dub.*4. Mercerum *de Sacr. in* 3.*part.q.*21.*dub.*11. Gordonum, *tom.*2.*lib.*7.*q.*10.*c.*6. *n.*76.qui notat ea quæ dicta sunt de nepotibus & aliis personis;aliquos recentiores limitare ad tempus,quo tales personæ sunt intra convictum,& habitationem mutuam, sed revera etiam quando sunt extra convictum, manet affinitatis gradus & nepotis vinculum naturale,licèt non ita propinquum ut in filio. Quare non videtur illis aliqua saltem deneganda communicatio, quantum scilicet morali modo requirit earum personarum status,& conditio. Hæc Gordonus.

RESOL. CLVI.

An filij etiam emancipati, naturales & adoptivi cum patre excommunicato possint communicare? Ex par.5. tract.9. Resol.118.

§.1. PRima opinio negat. Ita Philippus Faber *de censi.in 4.sent.dist.25.q.1.disp.4.c.7.n.221.* D.Th. *in 4.dist.18.q.2 art.4.* & communiter Theologi & Iurisperiti; & ratio est,quia talis filius iam non est sub potestate parentis, estque quasi extraneus, neque in illo habet locum ratio subjectionis actualis, quæ est in filio sub potestate patris constituto.

2. Secunda opinio est Suarez, *disp.15 sect.5* qui distinguit,& ait filium emancipatum posse considerari vel secundùm quòd filius est,vel quatenus emancipatus est. Docet deinde filium, ut filium posse communicare cum patre,non tamen filium ut emancipatum, & explicat, quia filius excommunicati tenetur obedire patri, & succurrere etiamsi sit excommunicatus. Ergo hac ratione potest cum illo communicare; ut vero emancipatus est,non potest communicare in his quæ non communicat ut emancipatus, v.g. in eadem domo, mensa, &c. in quibus ante excommunicationem non communicabat, & hoc modo dicit se intelligere, vel limitare communem sententiam, & ita hanc limitationem ponit etiam Cornejo, *in 3.p.tr.1. de excomm.disp.11.§.20.dub.3.q.3* Filliuc, *tom.1.tr.13. cap.6.n.108.* Sed Turrianus, *lib.2. disp.13.dub.4.* putat hanc limitationem non esse contra primam opinionem communem,authores enim illius solùm contendunt non esse loquendum eodem modo de filio emancipato,& de filio non emancipato, cùm enim subest aliqua obligatio filio respectu parentis,ratione illius poterit filius communicare,quia ut suprà dicebamus debitor tenetur solvere debitum creditori etiam excommunicato. Et eodem pacto ut de filio adoptivo dictum est, philosophatur Turrianus de filiis adoptivis & illegitimis.

3. Tertia opinio,cui ego adhæreo, absolutè docet filium emancipatum posse cum patre excommunicato communicare, & ita docet Mercerus, *de Sacr.in 3. part.q.21 dub.11.* Præpos. *in 3.part.q.2. de excom.dub. 17.n.6.* Paludanus,*in 4.dist.18 q.6.art.2.* & Vgolinus,*de censur. tab.2. cap.23.* & hanc opinionem etiam quoad filios adoptivos & illegitimos novissimè tenet Hurtado,*disp.9.de excom.d. fic.4.n.21.* vbi sic ait:Nomine liberorum etiam comprehenduntur filij emancipati, quamvis non sint commensales, ut contra non paucos docet Paludanus, quia verè sunt filij, & etiam comprehenduntur illegitimi, ob eandem rationem etiam comprehenduntur adoptivi,quamdiu non sunt emancipati,qui quandiu non sunt,verè dicuntur filij; & *in c. quoniam multos 11. q. 3.* privilegiantur liberi absque vlla restrictione. Ita Hurtado *vbi suprà*, satis quidem probabiliter, quicquid in contrarium asserat Turrianus,*loc.cit.* vbi putat sententiam Paludani quam sequitur Hurtado *loc. cit.* esse improbabilem; sed in censurandis opinionibus semper excedit Turrianus, vnde nostram sententiam probabilem & tutam in praxi vocat Villalobos,*in sum.tom.1.tr.17.diffic....n.15.* & Suarez,*disp.15 sect.5.n.4.*

RESOLVTIO CLVII.

An pater possit communicare cum filio excommunicato? Idem dubium est de servo.

Et docetur excommunicationem incurrere Parentes communicantes cum filia excommunicata, eo quod post professionem in Religione matrimonium duxerat.

Et quid, si censura incursa est à patre, filio, &c. ob crimen hæresis,si instet periculum infectionis?

Et infertur,quod si filius patris Parochus sit, non licebit ei Sacramenta ministrare,nec coram eo divina facere. Ex part.5.tr.9.Res.120.

§.1. REspondeo affirmativè, quia eadem est ratio, nempe idem animarum periculum,quod quis prætendit evitare, & quia in juris regula, quod in vno correlativo disponitur, de altero dispositum esse censetur, nam licèt ad patrem spectet curare, quòd filius resipiscat & absolvatur;hoc tamen non semper poterit obtinere,quamvis procuret,& dato quòd non procuret, peccabit quidem contra præceptum naturale, sed non contra Ecclesiasticum de vitandis excommunicatis, ut supra diximus de marito respectu vxoris,& si objicias textum *in d.c.de filia distinct.27.* vbi habetur excommunicationem incurrere parentes communicantes cum filia excommunicata, eo quòd post professionem matrimonium duxerat. Respondetur tantùm procedere in casu, quo parentes fovent illam in crimine criminoso in quo casu etiam non licet filio cum parentibus communicare, sicut neque quando censura incursa est ob crimen hæresis, si instet periculum infectionis, & sicut alij etiam probabiliter limitant in humanis. Vnde si filius patris Parochus sit,non licebit ei Sacra ministrare, nec coram eo divina facere, cùm communicatio hæc non competat ei quatenus filius. Ita Cornejo *in 3. par.5. de excomm.disp.10.§.10.dub.3.* & Gordon. *tom.2.lib.7. quæst.10.cap.6.num.85.*

RESOL. CLVIII.

An servi possint communicare cum Domino, excommunicato?

Sed difficultas est,quando servitus non præcessit, sed fuit posterior excommunicatione, quod idem dicendum est de famulis aut etiam operariis.

Et an vxor, filius, servus & supradicta personæ possint communicare cum marito, patre, domino excommunicato,etiam in Sacris? Ex part.5.tr.9.Res.124.

§.1. REspondeo affirmativè; sed difficultas est quando servitus non præcessit, sed fuit posterior excommunicatione, & in hoc casu servos non posse communicare cum dominis excommunicatis,docet Gordonus, *in summa,tom.2 lib.7.q.10.c.6. num.79.* vbi sic ait:Sed quæres quid de servis & famulis, aut etiam operariis, qui post latam excommunicationis sententiam suas operas locant excommunicato? Respondeo hos posse adhuc communicare cum illo,si bona fide suas operas illi locaverunt, *ex alia, de sententia excommunicationis*, si autem mala fide, & scientes illum esse excommunicatum, tunc & peccant, & incurrunt minorem excommunicationem, tenenturque illum relinquere, quod tamen intelligendum est, nisi aliunde ex præcepto, scilicet charitatis ob excommunicati necessitatem excusentur à peccato,aut si non possint,sine damno suo recedere. Præterea quando excommunicatus servos emptione, aut donatione libera obtinuit, tunc similiter tales servi non peccant in illa nova servituris acquisitione (si ipsi donantem, aut vendentem ad id non induxerunt) sicut nec postea peccant inserviendo; quia contractus, per quem facti sunt servi fuit validus, & non est illicitum persolvere excommunicato quod illi debetur.

2. Et

2. Et hæc omnia docet etiam Angelus *ver. excom. municatio 8. n. 11.* Ioan. Præpositus *in 1. part. q. 2. de excomm. dub. 17. num. 126.* Philippus Faber *de cens. in 4. sentent. dist. 25. q. 1. disp. 4. c. 7. n. 223.* Navar. *cap. 27. n. 27.* Sylvester *verb. excommunicatio 5. n. 4.* Megala *in 3. p. lib. 2. cap. 5. q. 4. n. 53.* Layman *lib. 2. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 17.* Alterius *disp. 15. lib. 1. cap. 3.* Suarez *disp. 15. sect. 5. n. 13.* Filliuc. *tom. 1. tr. 13. cap. 6. n. 117.* Mercerus *de Sacr. in 3. par. q. 21. dub. 11.* & confirmatur hæc opinio, quia *in cap. inter alia, de sentent. excomm.* dicitur ideò tales personas teneri ad familiare obsequium excommunicati, quia ante excommunicationem ad id tenebantur, quod debitum post excommunicationem adhuc durat; quæ ratio cùm deficiat in iis, qui alteri non obligabantur ante excommunicationem, ipsi non videntur illi posse communicare.

3. Verum mihi placet opinio contraria, quam novissimè tuetur Hurtado *disp. 9. de excommun. diffic. 4. numero 24.* ubi ita ait. Eximuntur omnes prædicti, etiamsi ipsi excommunicati, & alij post horum excommunicationem denunciatam fiant tales, nempe & conjuges, & famuli, & domini & Superiores, & inferiores, ut contra Angelum docent Ægidius & alij, quia quamvis post excommunicationem modo declarato illicitè fiant tales (nisi ratione utilitatis, aut necessitatis,) nihilominus absolutè fiunt, & sunt tales, & isti tales eximuntur absolutè, & absque restrictione. Et ita etiam docet Turrianus *de cens. lib. 2. disp. 13. dub. 5.* & Coninch *de Sacr. disp. 14. dub. 12. n. 129.* qui *num. 132.* rectè observat supradictas personas subjectas posse communicare cum excommunicato, etiam in Sacris: hinc famulus potest dominum excommunicatum euntem ad Sacrum comitari, sicut etiam ejus uxor, aut liberi; item Sacellanus poterit cum suo Episcopo legere horas, aut famulus domino celebranti inservire, quia ejusmodi obsequia & communicatio à talibus ex officio eis debita sunt ante excommunicationem, nec per hanc ea obligatio eliditur: ut patet ex *cap. inter alia, 31. de sententia excommunicationis.* Vide etiam Mercerum *ubi suprà*, & Layman *lib. 2. tract. 5. part. 2. c. 2. n. 16.*

4. Non desinam hîc adnotare Philippum Fabrum *de cens. in 4. sentent. dist. 25. q. 1. disp. 4. cap. 7. num. 222.* docere Gregorium non voluisse concedere privilegium quibuscumque subjectis, & servis excommunicati, sed illis solum, qui in honestis & necessariis rebus inserviunt, non autem iis, qui in peccatis, & sceleribus parent. Sed hoc videtur nimis rigorosum, & Doctores loquuntur absolutè, & sine ulla limitatione.

RESOL. CLIX.

An servi ejusdem Domini, quando unus illorum est excommunicatus, possint alij cum illo communicare?
Et idem est de filiis respectu alterius filij.
Et an Dominus possit communicare cum servis excommunicatis? Ex part. 5. tract. 9. Resol. 125.

§. 1. REspondeo affirmativè, quia vix possunt communicare uni tertio sicut domino, quin communicent inter se, cæterùm hoc ita intelligi debet, quòd communicatio sit ejus tantùm, quod supposita cohabitatione & famulatu vitari moraliter minimè nequeat. Et ita docet Cornejo *in 3. part. tr. 5. de excomm. disp. 10. §. 10. dub. 3. diffic. 4.* Gordonus *t. 2. lib. 7. q. 10. c. 6. n. 83.* Mercerus *de Sacr. in 3. part. qu. 21. dub. 11.* Turrianus *lib. 2. disp. 13. dub. 5.* cui adde Villalobos *in summa, tom. 1. tr. 17. diffic. 13. num. 17.* ubi sic ait. [Los criados e inferiores de la misma familia no pueden comunicar el uno con el otro, quando el uno dellos está descomulgado, porque no tienen privilegio para esto, como notò Felino; mas podran tener la comunicacion, que moralmente no pudieren escusar, presupuesto que viven de una puerta adentro.] Hæc ille.

2. Notandum est etiam hîc obiter, quòd dominus potest communicare cum servis excommunicatis, quamvis aliqui citati à Navarro *in Manuali, cap. 27. num. 27.* oppositum tenuerint, quos refellit Navar. cum Adriano *in 4. de clavibus, quæst. 3.* & Suarez. Nam cùm dominus & servus sint correlativi, quod conceditur servis, videtur quoque intelligi concessum dominis. Absurdum est enim quod liceat uxori communicare cum marito, & non liceat marito communicare cum uxore. Præterea dominus non potest privari jure suo in servos propter delictum servi. Vnde Navarrus cum Adriano dicit hoc magis reduci ad utile, quam ad humile. Verùm hoc videtur habere locum in servis & aliis familiaribus, & subjectis, qui obligati sunt domino, & dominus illis carere non potest sine aliquo incommodo; at cùm sunt servi, qui liberè possunt discedere à domino, & dominus eos potest licenciare absque aliquo ejus damno, puto non posse cum illis communicare, quoniam revera textus ille, *quoniam multos*, loquitur de servis, & non de dominis, neque in dominis est obligatio ad servum & subjectum, sicut in servo ad dominum, & ita docet Faber *de cens. dist. 25. quæst. 1. disp. 4. c. 7. num. 225.* sed quoad hoc ultimum tu cogita.

RESOL. CLX.

An testes de jure privilegiati teneantur revelare crimen occultum sui conjuncti, si non adsint alij testes propter excommunicationem latam in aliquo monitorio? Ex part. 3. tr. 5. & Misc. 1. Resol. 63.

§. 1. AFfirmativè respondeo cum Navarro *in manuali cap. 24. num. 49.* Felino *in cap. 1. de testibus cog.* Capella Tholosana *decis. 4.* & ibi Auffrerius *decis. 412.* Lazario *de monitoriis sect. 3. quæst. 11. num. 18.* & aliis asserentibus privilegiatos esse astrictos ad revelandum, si alij non adsint testes. Sup. hoc in duabus Resl. seqq.

2. Non reticeam tamen contrarium docere Gabrielem Pereira *tract. de manu Regia cap. 10. n. 36.* ubi sic asserit: Plures sunt casus, in quibus testes à revelatione excusantur, ut quando ille testis esset de personis à jure privilegiatis qui crimen sui conjuncti revelare non tenebitur propter naturale debitum, quo inter se cojunguntur; & sic exploditur sententia Navarri, & aliorum; dum existimant, quòd hi non excusantur à revelando, quando alij testes non adsunt; non advertentes quòd tales conjuncti nullo modo possunt testificari, ex *l. lege Iulia, ff. de testibus, & cap. injustis 4. distinct. 4.* ne tollantur inter conjunctos pietatis officia, quæ innituntur rationi naturali, illorumque opinio admitti potest in aliis privilegiatis, de quibus agit *lex inviti ff. de testib.* qui non ob naturale fœdus, sed ob alias rationes minus juri naturali consonas privilegiati existunt, veluti miles, senex, valetudinarius, de quibus *in leg. inviti 1. & 2.* agitur. Ita Pereira, sed an probabiliter, judicent alij, cùm sententia contraria sit communis.

RESOL. CXLI.

An testes privilegiati de jure teneãtur ex vi monitorij revelare crimẽ sui conjuncti, etiamsi non adsint alij testes?
Idem est de conjunctissimo amico, & de benefactore plane insigni.

Et

Et an nec intelligatur tam in causis criminalibus, quam in civilibus?

Et an filius spiritualis vi monitorij teneatur detegere patrem spiritualem?

Et quid, si casus sint pertinentes ad Tribunal sanctæ Inquisitionis?

Et explanatur, qui sunt dicti privilegiati. Ex part. 5. tract. 13. Misc. 1. Resol. 67.

* Quæ hic est Resol. antecedens, & in Resol. seq.

§. 1. CAsus est frequentissimus, & *in 3. part. tr. 5. * resol. 63.* pro negativa sententia adduxi Pereiram, quem novissimè, me citato, citat & sequitur Theophilus Raynaudus *de monitoriis, part. 1. cap. 3. q. 20. & quæst. 14.* ubi docet, quòd neque pater filium, neque maritus, uxorem, aut è contrario nec frater fratrem, aut sororem tenetur detegere vi monitorij. Id tamen intelligo de patre & fratre secundum carnem. Nam filium spiritualem teneri vi monitorij detegere patrem spiritualem, contra Franciscum Curtium *lib. de testibus, concl. 30.* docet & rectè, Navarr. *repetit. in c. inter verba, conclus. 6. corollar. 6. num. 412.* & Farinac. *tr. de testib. q. 54. n. 194.* & cum multis Barbosa *de potestate Episcopi allegat. 96. num. 55.* An quoad alios cognatos præter prædictos sit eadem à monitorio immunitas, etiamsi à conscijs non detegantur, ambigunt aliqui. Sed placet quod statuunt Angelus, & Sylvester *ver. familia,* & cum aliis Avila *2. part. c. 5. disp. 5. dub. 2.* idem pronunciandum esse de socero & genero, déque cognatis omnibus intra quartum gradum. Ita enim necesse est asserere, ut vitentur dissensiones & odia in cognatos, quorum jurgia tam noxia sunt Rebuspublicis, támque tetram mephitim inhalant quoties interveniunt. Absque dubio autem intervenirent jurgia & odia, si cognatus intra prædictos gradus adversùs cognatum ageret testem, aut denunciatorem. Quare ad id non urgentur lato in quosuis conscios monitorio. Neque est adhibenda temperatio non necessaria, quam huic resolutioni apponunt Naldus *ver. revelare, num. 8.* & Bonacina *tr. 6. ex variis p. 1. §. 3. n. 5.* nimirum quòd hi quoque sint ad detegendum cognatum obligandi monitorio, si detegere possint sine gravi damno. Voco hanc limitationem non necessariam eamque idcirco rejicio, quia ratio adducta demonstrat non posse à tali revelatione abesse grave damnum personæ conjunctæ detegentis. Eodémque modo rejicitur limitatio alia quam adhibent nonnulli rejecti ab Avila *2. p. c. 5. disp. 5. dub. 1. concl. 1.* nimirum quòd cognati à denunciandis cognatis tantùm excusentur in criminali causa, non autem in civili. Verùm ratio proposita urget universaliter, ex eáque ritè perpensa effici insuper videtur idipsum, quod de cognato vi monitorij non detegendo, dictum est, dicendum similiter esse de amico coniunctissimo, & de benefactore planè insigni, quorũ detectio graviter exasperaret, & feritatem, vel non levem ingratitudinem redoleret. Et hæc omnia docet Raynaudus *loco citato*, satis quidem probabiliter; quicquid etiam probabiliter in contrarium asserat Graffius *in decis. p. 1. lib. 4. c. 8. n. 32.* & alij, seclusis tamen casibus pertinentibus ad Tribunal sanctæ Inquisitionis, de quibus ego alibi, & me etiam citato, *ibid.* Raynaudus.

Alibi ex doctrina Resol. seq. & signãter in Resol. ejus ult. not. & etiam secundæ.

RESOL. CLXII.

An consanguinei usque ad quartum gradum teneantur testificari vigore Edictorum, si non sint alij, qui denunciare valeant?

Et an nomine consanguineorum complectatur, conjux ipsi

Et a[illegible]ligatur tam in criminalibus, quam in civili[illegible]?

Et quid non solum in causa hæresis sed etiam in alijs delictis pertinentibus ad Tribunal S. Inquisitionis? Ex part. 8. tr. 7. & Misc. Resol. 10.

§. 1. CAsus passim occurrit, & pro negativa sententia * alibi aliquos adduxi. Scio quendam Religiosum, nescio an Theologum, vel Theologastrum contra me obmurmurasse; sed immeritò quidem: nam dicta sententia est satis probabilis, & illam novissimè tuetur Bannius *in Theol. mor. p. 2. disp. 4. tr. 3. q. 10.* ubi sic asserit. Ea quorum est conscius revelare non tenetur, qui de jure nequit ad testificandum adigi, Vgolinus *proximè* citatus, Barb. *de offic. Episc. alleg. 96. n. 52.* at consanguinei usque ad quartum gradum inclusivè ad testificandum contra gentiles suos, ac consanguineos produci nequeunt. Avila *2. p. c. 5. disp. 5. dub. 2. concl. 1.* Gutierrez *lib. canonic. quæstionum, c. 11. n. 55.* nisi in casu hæresis, cò quòd hæc in detrimentum commune vergat; læsæ insuper Maiestatis, ac blasphemiæ in Deum, cujus rei est hæc causa, quòd Dei honos, ac gloria, Regisque ac Regni incolumitas, ut & parentum ac propinquorum reverentiæ præferri debeant. Consanguineorum autem nomine intelliguntur parentes, & alij ascendentes, socer, gener, vitricus privignus, fratres, & uxorum filij, & reliqui intra 4. gradum: itaque licèt isti sciant, quòd aliquis cognatus retinet scripturas, vel facit furtum & tamen non vult patere, non tenentur denunciare. Avila *proximè* citatus, ejus rei causam reddit duplicem primam, quòd amicitiæ fœdera inter cognatos sancta esse firmáque oporteat, dissolui autem ea sit necesse per revelationem admissorum ab iis criminum. Alteram quòd filio nocere pater denunciando ejus crimen nequeat, nisi & sibi obsit, & quidem non vulgariter; facit enim naturæ communio, sanguinisque, quæ inter utrumque intercedit, communia utriusque ut sint mala, lædíque unus sine alio nequeat.

2. *Secundò*, complectitur etiam consanguineorum nomen, conjugem ipsam, Barb. *sup. n. 59.* Nav. *in Canonem, inter verba, concl. 6* pro qua sententia Lazarus *de monitione, sect. 3. q. 11. & de blasphemia q. 12. n. 67.* Menochius *de arb. caus. 248.* quia vir & uxor censentur una caro: at nemo se judici dedere, nemo se ei occidendum tenetur tradere: ergo nec vir suam conjugem accusare.

3. Quid si præter eos non sunt ulli, qui denunciare valeant? Montalvus *lib. 2. legum fori, titulo 8. lib. 9.* Capella Tholosana *in decis. q. 3.* Sanch. *in cons. lib. 6. c. 11. dub. 18. n. 9.* Imbertus *in praxi fori, lib. 1. c. 41.* docet, cùm desunt, qui denuncient, aut testentur, privilegiatos, id est consanguineos omnes, uxorémque adeò in virum producí posse, & vice versa. Regulariter (inquit Nav. *c. 25. Summa n. 48.*) privilegiati possunt cogi ad testificandum in defectum aliorum testium, etiam maritus contra uxorem; & è contrario, quæ est etiam opinio Aufrerij *in q. 3. Capella. Thol. §. tunc enim*, nisi fortè uterum uxor gereret, prægnánsque esset, Baldus *in l. imiti, ff. de testib.* nam cùm tunc ad jurandum cogi nequeat, secundùm Aufrerium *loco proximè citato* nec in testem vocari potest, cùm hanc obire provinciam non alij queant, ac debeant, quàm jurati.

4. In oppósita sunt opinione Gregor. Lopez *p. 3. tit. 16. lib. 11.* & Stephanus Avila *loco citato*, quam quia probabilem, tutámque censeo, existimo privilegiatos cujusmodi consendos esse omnes consanguineos, edictis Episcoporum non compreh endi, nec proinde excommunicationem incurrere; si quæ de crimine, aut re, cujus gratiâ promulgata sunt monitoria, non responderint.

5. Ratio est, quòd contra jus commune non possint judices inferiores aliquid statuere; ergo cùm habeant

beant à jure communi, id est, naturali, consanguinei ut sanguine sibi vinctos, denunciare non debeant, ad id ab Episcopo, aut quodlibet alio judice Ecclesiastico cogi nequeunt Sylv. *in verbo, correctio, q.7.* quòd etsi in causis criminalibus dumtaxat valere velit, etiam in civilibus admittendum puto, quia cùm illi sibi invicē agnatione cohæreant & sanguine, ut contra se dicere ita nec contra cognatos debent; vniversè enim loquuntur Navarr. *c.25.n.27.* & Avila, *loco antè cit.* nec ad criminalia eorum privilegium revocant, ac contrahunt. Hucusque Pater Baunius; ex quo apparet, ut dixi, sententiam negativam satis probabilem esse, & praxi multùm deserviet. Et hanc sententiam novissimè tenet etiam doctus Escobar, *tract. de confess. sollicitant. c.2. q.2.§.3.n.40.* vbi firmat, consanguineos & affines vsq; ad quartum gradum non teneri denunciare etiamsi veritas aliter haberi non posset. *Nota* tamen hanc opinionem minimè admittendam esse, non solùm in casu hæresis, sed etiam in aliis delictis pertinentibus ad nostrum Tribunal Sancti Officij.

RESOL. CLXIII.

An non revelantes ex vi monitorij teneantur restituere damna inde sequuta? ut v. g. qui tenetur denunciare furtum non solum incurrat excommunicationem, sed insuper teneatur restituere damnificato?

Et an testis vocatus à judice ad testificandum, intimato præcepto, si fugiat, teneatur restituere damna inde sequuta? Ex p.5.tr.13.& Misc.1. Res.68.

§.1. CAsus passim accidit, & affirmativè respondet Avila *de cens. part.2.c.5. disp.4 dub.3. concl.8.* vbi sic ait. Qui cùm tenetur denunciare furem non denunciat, non solùm incurrit excommunicationem, sed insuper tenetur restituere damnificato. Ita ille: qui citat Navarr. & Sotũ, quibus adde Aragonium *in 2.2. q.70.art.1.* & Carbonium, *q.51. de restit.* & hanc sentẽtiam docent etiam Doctores, asserentes testẽ vocatum à judice ad testificandũ, intimato præcepto, teneri ad restitutionem si fugiat. Ita Turrianus, *t.2. disp.52. dub. vnic.n.2.* Valentia, *tom.3. disp.5.q.14. punct.1* & alij.

2. Non desinam tamen hìc adnotare (attendas quæso amice Lector) negativam sententiam docere novissimè Theophilum Raynaudum, *de monitoriis, par.1.c.3. q.24.* vbi fatetur affirmativam sententiã esse communem; non potest tamen diffiteri oppositam, tametsi minore authorum numero subnixam, esse admodum verisimilem, quia scilicet negatur jus esse parti post interpositum Superioris præceptum, ut conscij rem aperiant. Debent quidem conscij parere præcepto; idque nisi faciant, & obedientiam Superiori debitam violabunt, & peccabunt in charitatem parti exhibendam. Nullum verò est caput, ex quo prodatur eam culpam esse contra justitiam, quæ est totus & vnicus fons obligationis restituendi. Ita Molin. *tr.2. de Iust. disp.83.§.de teste, & disp.70.n.4.* Lessius, *lib.de Iust.c.13. n.76. & cap.30.n.59.* tametsi vacillat saltem in specie *n.60.* Quòd autem inter obnoxios restitutioni in vulgatis versiculis numerari soleat non manifestans, ex quo Saytus, *loc.cit.* intulit, apud omnes certum esse testem jussum testificari, nec parentem, esse injustam causam damnorum silentium consequentium, & ad eorum restitutionem teneri, non gravatè eliditur. Nomine quippe non manifestantis in illis versiculis intelligendus est is dumtaxat, qui ex officio suo ac munere tenebatur impedire damnum, quod scivit accidere, cùm posset aperiendo alicui id impedire. Quia ergo hæc sententia, quæ testem jussum testificari solo contra obedientiam & charitatem peccato inquinat, est admodum verisimilis, non ausim damnare eos, qui ad monitorij interpellationem tacentes nulli restitutioni obnoxios faciunt, quamvis damna aliqua inde sequantur parti: non modò si ante promulgatum monitorium conscij de ejus futura promulgatione se subducant, (in quo eventu rectè Valent. *quæst.illa 14. part.1.* & Torres, *disp.52.cit.n.4.* contra Sotum, negant esse obligationem quicquam restituendi, quemadmodum qui se subducit præscius se jubendum agere tutorem, solam obedientiam erga Magistratum non servat exquisitè, & charitatem pupillo debitam violat, nihil tamen tenetur restituere;) sed etiamsi lato jam monitorio conticescant. Hucvsque Raynaudus.

RESOL. CLXIV.

An ex vi monitorij quis teneatur revelare furtum domesticum factum à filio familias?

Et quid de famulis, vel aliis sociis furti filiorum? Ex p.5.tr.13.& Misc.1.Res.69.

§.1. AFfirmativè respondet Naldus, *in summa, verb. excomm.n.8 & verb.filius num.3.* vbi sic ait: Filio familias furante vna cum socio bona paterna, si excommunicatio feratur contra non revelantes, cùm verisimile sit patrem nolle filium excommunicatione ligari, ipse quidem erit immunis ab ea, non sic autem socius prædictus, in quo non militat eadem ratio, quæ in filio. Ita ille, vbi citat Vgolinum.

2. Sed hanc sententiam refellit Raynaudus, *de monitoriis, part.1.c.3.q.14.* nisi aliunde constet mentem patris, qui monitorium impetravit, velle, ut filij si rei sint, manifestentur, quod pro negotij qualitate, & circumstantiis prudenter dijudicandum est, cùm verba nihil peculiare exprimunt quoad istos sicut censerentur exprimere, si adhiberetur clausula, *nullo excepto*, aut *nemine dempto*, qua significaretur voluntatem partis, atque adeo etiam judicis esse, ut quicumque tandem reus sit, aperiatur, alioqui enim personæ tam conjunctæ, non sunt ex obligatione detegendæ vi monitorij; sunt qui id extendant ad earum cõplices, v.g. ad famulos socios furti filiorum, ac similiũ. Nam quandoquidem is, qui monitorium impetravit, præsumitur noluisse filios, v.g. includi in monitorio, ut eorum complices detegantur, ne consequatur infamatio personarum, quas habet charissimas; existimo tamen censuisse obligationem monitorio injici ad hos complices personarum conjunctarũ detegendos, quia hæc videtur esse mens patris, nec præsumpta ejus voluntas quo ad ipsas personas conjunctas, extendenda est ad earum complices, ac socios, quia etiamsi ex complicum detectione sit indirectè consequutura infamatio aliqua personarum conjunctarum, tamen id incertum est, fortassis enim non detegentur, & quidquid sit de infamatione, immunes erunt tam multis damnis excommunicationis. Hæc omnia Raynaudus.

3. Sed ut verum fatear, hoc vltimum non caret difficultate, nam eo ipso quòd revelantur socij & complices, certum est moraliter detegendos esse filios. Ergo, &c. Ideo tu cogita.

RESOL. CLXV.

Quando quis virtute alicujus monitorij teneatur revelare scripturas?

Et tota doctrina hujus resolutionis est valde notanda pro circumstantiis, quæ in prædicto casu contingere possunt. Ex p.9.tr.9.& Misc.4.Res.49.aliàs 48.

§.1. Casus

§. 1. CAsus est frequentissimus, & illum præ manibus necesse est vt habeant Confessarij, & Resp onsores Casuum conscientiæ; ideò Apponam hic verba Gregorii Sayri *in Clavi Regia lib. 12. cap. 20. n. 30. & seqq.* ubi sic ait: Dubium est, quid dicendum sit quando excommunicatio fertur in omnes, qui talem scripturam, vel instrumentum habent, si intra certum tempus non exhibent, aut edant; & contra omnes qui sciunt talem scripturam, vel instrumentum esse penès Petrum, an qui sciverit teneatur sub pœna excommunicationis revelare? Notandum est, quod instrumenta, vel scripturæ istæ possunt esse in duplici differentia; vel enim sunt publica, vel propria rei, vel propria actoris, vel communia reo, & actori. Publica voco illa, quæ continent acta causæ in judicio, scilicet confessiones, interrogationes, responsiones, & cæteras obligationes factas in judicio. Instrumenta rei voco, quæ pertinent ad jus ipsius rei, & numerantur in bonis ipsius, licèt in illis aliqua dicantur, quæ faciunt pro jure actoris, & favent illi. Instrumenta communia voco illa, quæ tam pertinent ad jus rei, quàm ad jus actoris, & tam in bonis actoris, quàm in bonis rei numerari possunt, nihilominus tamen reus est possessor earum. Instrumenta propria actoris illa voco, quæ solùm pertinent ad jus illius & solùm numerantur in bonis illius, juxta quæ sequentes propositiones subjungam.

2. Prima propositio: Instrumenta publica reus prodere tenetur, & similiter testis ea revelare. Ratio est quia illa sunt publica, & ad publicum judicium pertinentia, & consequenter ad justitiam publicam administrandam exhibenda, & revelanda sunt, vt *ex c. G. perpetuus Vicarius, de fide instrumentorum*, constat.

3. Secunda propositio: Reus propria ipsius instrumenta prodere non tenetur, quamvis faciant pro jure actoris, neque testis ea revelare tenetur. Ratio est, quia non tenetur reus arma contra se præbere inimico, idemque de teste dicendum est. Etenim excommunicationes istæ, quæ feruntur, intelligendæ semper sunt ferri contra eos, qui retinent scripturas alienas, & pertinentes ad jura, & bona actoris, tunc enim cùm bona sint actoris, injustè contra voluntatem ejus detinentur, & cum debito restituendi. Cùm autem testis sciat scripturas esse pro jure ipsius rei, non tenetur eas revelare.

4. Tertia propositio: Quando instrumenta sunt communia reo, & actori, non videtur obligatus reus ad prodendum illa, si faciant pro jure alterius, & contra jus proprium rei. Ratio est, quia cùm sint utrique communia, & in bonis utriusque numerentur, & reus sit in possessione, si cætera sint paria, melior est conditio possidentis. Neque testis similiter ea revelare tenetur; quia verè tunc non occultantur scripturæ, quæ sunt actoris propriæ, quia etiam sunt propriæ rei, & reus est possessor earum.

5. Quarta propositio: Si reus scripturas illas actoris bona fide acceptas retinet, & in causa, & lite habet certo, & evidenter justitiam, tunc non videtur obligatus ad prodendum illas, si prodendo illas justitiam in causa, & litem pendere timeat. Ratio est, quia nempè ad restitutionem cum tanto suo damno, & incommodo non obligatur: unde si detrimentum sit magnum, quod passurus est eas prodendo, non censetur obligatus eas exhibere: sicut neque testis in tali casu eas revelare tenetur, & non prodendo, aut non revelando in eventu excommunicationem non incurrunt. Hucvsque Sayrus.

6. Sed circa hanc ultimam propositionem Sayri, in qua semper solet esse difficultates, cùm agatur de scripturis alienis, clarius rem totam explanabo. Et ideò distinguendum esse puto; nam illa scriptura aliena, vel possidetur mala fide, quia fuit furata, & tunc possidens sub excommunicatione eam manifestare tenetur: nam pars habet integrum, & totale jus in hanc scripturam: ergo mandatum Prælati justum est. Imò etiam ante præceptum judicis tenebatur ex justitia; nam talis scriptura, etiam ante mandatum judicis, est applicata alteri parti litiganti: ergo possidens tenetur ex justitia reddere vero domino, tanquam retinens rem alienam, qui ante sententiam judicis tenetur reddere vero domino. Ita Sylvester *verb. Falsarius 9. 3.* Hinc sequitur, quòd si non manifestet scripturam, tenetur restituere damnum inde sequutum parti. Ita Sylvester *ibidem.* Vel scriptura aliena possidetur bona fide, & tunc si ex illius manifestatione pateretur possidens grave detrimentum, tunc non teneretur illam virtute Monitorii manifestare; nam qui statum justè acquisitum conservat cum bonis partim injustè acquisitis: non tenetur restituere bona, quæ injustè acquisivit cum gravi detrimento bonorum, quæ justè acquisivit: ergo ille, qui justè possidet scripturam, non tenetur eam manifestare cum gravi detrimento, imò, ait Avila *ubi infra*, hæc ratio etiam tenet in casu, quòd per fraudem quis obtinuerit scripturam. Vide Doctores, quos citat, & sequitur doctus, & amicissimus Barbosa novissimè meritóque ad Episcopatum assumptus, de potestate Episcopi, *part. 3. allegat. 96. n. 50.* & Escobar *tract. de Confessar. sollicit. part. 2. q. 2. §. 3. n. 15.* quibus adde Henriquez *l. 13. cap. 18. n. 2.*

7. Verum licèt hæc doctrina sit vera, circa illâ tamen multi naufragantur, nam limitanda venit, si creditor patiatur ex occultatione scripturæ tantum detrimentum, quantum pateretur debitor ex illius manifestatione; nam in tali casu debitor tenetur sub pœna excõmunicationis scripturam revelare, nam in tali casu melior est conditio creditoris, qui est dominus illius scripturæ: quod perpetuò menti tenendum est; & ita asserit Avila *de Censur. p. 2. c. 5. disp. 4. dub. 1. concl. 1.* ubi sic ait: Quando scriptura est propria alterius partis, quæ impetravit excommunicationem, & non est possidentis, tenetur possidens sub excõmunicatione eam manifestare. Hæc cõclusio unam habet limitationem, nempè quando scriptura hactenus est possessa bona fide, & ex manifestatione patietur possidens grave detrimentum: tunc enim non tenetur manifestare, licèt feratur excommunicatio. Hic tamen valde notandum est, quòd si ex occultatione talis scripturæ dominus ejus patietur tãtum detrimentum, sicut possidens tenebitur certè (meo judicio) eam manifestare, quod quamvis patiatur damnum in pecuniis, tenebitur solvere, si creditor ex dilatatione patitur equale detrimẽtum, quia in hoc melior est conditio creditoris. Ita verè, & doctè Avila; qui etiam subdit, quòd saltem quando per fraudem obtinuit scripturã, & non manifestat, vt evitet detrimentum in pecuniis, quando cessaverit hoc incommodum, tenebitur restituere domino scripturæ valorem illius spei, quam habebat vincendi in illa lite ad arbitriũ boni viri, si ego manifestarem scripturam; nam quando debitor differt solutionẽ debiti, ne patiatur detrimẽtum in pecuniis propriis, tenetur postea resarcire creditori interesse, & damnũ, quod patitur ex tali dilatione, ut tradit Cajet. *2. 2. q. 62. art. 8.* quod saltem est verum, quãdo debitum fuit in justè contractum: ergo similiter in præsenti.

8. Cõcludo igitur cum docto, & amicissimo P. Theophilo Raynaudo *tr. de monitoriis p. 1. c. 2. q. 15* tunc tantùm esse obligationem exhibendi, vel prodendi qualcumque scripturas, cùm earum suppressio, aut retentio erit mortalis. Qualis non erit, cum magnum damnum mihi imminebit, quod merito præferri debeat incommodo alterius, cõsecuturo suppressionem scripturæ à me factam. Ita ille, qui concordat cum Avila. Vnde non est audiendus Sotus *in 4. sent. distinct. 22. quæst. 1. art. 1. cas. 3.* ubi asserit quòd dum sub censura præcipi

præcipitur, vt quicunque habuerit has, vel illas scripturas, quæ quoquo pacto ad aliorum jus attinent, tunc proferendæ omnino sunt, nec sufficit, vt qui habet se excuset dicendo, quòd inde vexationem timet, nisi forsan omni dubio procul manifestissimum sit taliter illas ad meum jus conducere, vt nullatenus ad alterius jus confirmandum attineant. Ita Sotus, cui adde ex Societate Baunium *in Theol. mor. tom. 2. disp. 4. q. 10. assert. 3.* sic aientem: Excipiendus est casus, in quo scriptura, quæ reddi præcipitur sub excommunicationis incurrendæ pœna, Adversarii foret, non ejus qui possidet, aut apud quem latet, quia cùm creditoris, ac domini conditio melior sit, quàm cujusvis alterius, res ei debita etiam cum dantis detrimento reddi debet. Hæc ille. Sed Sotus, & Baunius temperandi sunt modo quo suprà difficultatem explicavimus.

9. Notandum est tamen hìc cum Henriq. *ubi sup. lib. 13. cap. 18. n. 2* quòd si absolutè feratur, vt quicunque Scripturas habeat de tali causa, manifestet: & tamen præcedit via inquisitionis absque præcedenti infamia, & semiplena probatione: non tenetur reus Iure Canonico proferre in medium instrumenta contra seipsum, quamvis essent partim aliena: vt si instrumenta sint utrique parti communia, nisi sibi noceat, & amittat verum jus suum.

10. Et tandem in hac materia cautè legendus est Panormit. *in c. 1. de probationib.* ubi latè tractans hanc materiam dicit, quòd possidens Scripturas, non tenetur eas manifestare, si sit reus, & actor petit eas ad intentionem suam probandam. Respondeo primò, hanc doctrinam Panormitani intelligendam esse quoad forum exterius, imò dico, quòd etiam in foro exteriori. Et ita docet Avila, *ubi supra:* nam ex communi praxi judicum, quoad petitionem actoris, etiam ad intentionem ejus fundandam, semper cogitur reus edere instrumenta: quæ consuetudo est valdè consona rationi; nam qui retinet instrumenta, tantùm minus habet juris, quantum magis habet suus adversarius mediante instrumento: ergo contra rationem vult agere, vel se defendere, ac si haberet integrum, & perfectũ jus; si autem possidens instrumentum, non possit illud per se manifestare sine detrimento famæ, poterit dare occultè alicui Religioso, qui manifestet illud tacito nomine possidentis. Sed hæc doctrina limitanda est, nisi ex manifestatione talis Scripturæ timeat sibi grave detrimentum in vita, vel fama, quòd non possit evitari, vel etiam in bonis, quæ justè possidet: tunc enim non tenetur manifestare. Probatur: nam testis etiam juridicè interrogatus non tenetur respondere, si ex testificatione timeat sibi aliquod grave malum. Sed circa præsentem quæstionem ne deseras recognoscere Lazarium *de monit. sect. 3. q. 1. per totam.*

RESOL. CLXVI.

An præsentatio facta à Patrono laïco excommunicato sit valida?

Et quid, si præsentatio sit facta à Patrono Ecclesiastico excommunicato?

Et an supradicta præsentatio facta à laïco ita sit valida, vt teneatur Episcopus eam admittere?

Et an quoad hoc idem dicendum sit, etiam si Patronus sit excommunicatus toleratus? Ex p. 5. tract. 9. Res. 105.

§. 1. NEgativam sententiam docet Turrianus *lib. 2. disp. 13. dub. 5.* ubi quærit, an præsentatio beneficii facta ab excommunicato sit valida? & respondet quòd in hac controversia prima opinio est asserentium præsentationem esse validam, quia non videtur expressum jus quo talis præsentatio irritetur. Secunda opinio distinguit inter præsentationem factam à persona Ecclesiastica, vel à laïco: primam dicit esse invalidam, secundam esse validam; & hoc modo distinxit decisio Rotæ *2. titulo, de jure patronatus, in antiquis, & decisio 527. in antiquis*, quam doctrinam observatam esse in quadam causa Zamorensi, testatur Ludovic. Gomez *in tract. expectativarum, n. 6.* Tertia opinio simpliciter docet talem præsentationem esse validam, hanc tenet Covarr. *in cap. alma mater, 1. p. §. 7. n. 9.* & alij, quos citat Covarruvias, & dicendum est præsentationem factam à patrono Ecclesiastico excommunicato esse nullam, quòd fusè explicant nonnulli; sed probandum est, quòd per excommunicationem privatur excommunicatus omni jurisdictione, & præsentatio est quoddam genus electionis, & ideo Authores de præsentatione facta à patrono Ecclesiastico, sicut de electione loquuti sunt. Secundò existimo eodem modo esse philosophandum de præsentatione facto à patrono laïco, quia in jure non est talis distinctio, & hæc disputatio à jure pendet. Ita Turrianus, & novissimè Hurtado *disp. 7. de excomm. difficult. 2. n. 9.* ubi sic ait: Præsentatio ad beneficium facta à Patrono excommunicato, est illicita & nulla, quamvis fiat à laïco, vel Clerico vt laïco; quia per præsentationem non solùm factam à Clerico, sed etiam per eam quæ fit à laïco, confertur jus ad beneficium, quod non potest ab excommunicato conferri nec licitè, nec validè: cùm beneficium sit bonum commune omnibus membris Ecclesiæ, & excommunicatus sit extra eam. Verum est jus collatum à laïco ita usque ad institutionem, seu collationem factam ab Episcopo manere pendens in conservari ab ipso patrono laïco, vt patronus pro libito possit absque injuria præsentati alterum præsentare, vt deducitur *ex cap. cum autem 24. de jure patronatus.* Hæc ille.

2. Sed ego contrariam sententiam teneo cum Villalobos *in summa tom. 1. tr. 17. diff. 12. n. 3.* ubi ita asserit: [Tambien es invalida la presentacion del beneficio, hecha por el descomulgado, que queda dicho. Assi lo tiene Covar. con Abad, y la comun. El fundamento es, porque la elecion y presentacion se equiparan en el derecho, como se colige de vn texto, y assi el que no puede eligir, tan poco puede presentar. La difficuldad està, en si procede esto, no solo de la presentacion que haze el Clerigo, sino tambien de la que haze el lego. A lo qual Covar. (siguiendo à Lambertino) dize que si, mas yo tengo por muy cierto la contraria, la qual se guardò en a Rota en el año de 1533. en una causa de la Ciudad de Zamora, como dize el mismo Covarr. y la tiene Luis Gomez, y Rebufo dize, que es comun. El fundamento desto es, porque en un Capitulo de derecho dize el Pontifice, que la presentacion que haze el lego, se puede mudar antes que se haga la institucion, mas nos la que haze el Clerigo, de lo qual coligen Abad y otros, que la presentacion que haze el Clerigo no difiere de la elecion, porque dà derecho al presentado, mas la del lego si, que no dà derecho, y esto con razon, porque el lego no puede dar derecho spiritual, qual es el derecho al beneficio Ecclesiastico.] Ita ille, & ante illum Cornejo *in 3. p. tract. 5. de excomm. disp. 10. §. 5. dub. 1.*

3. Sed dubitatur an prædicta præsentatio facta à laïco sit ita valida, vt teneatur Episcopus eam admittere? & respondet negativè Cornejo, quod verum est, etiá si persona præsentata digna sit, & sola excõmunicatio præsentantis obster. Cujus ratio est, quòd cum iste patronus peccet præsentando, potest Episcopus licitè, imò tenetur ejus præsentationẽ non admittere, ne eam admittendo cum excommunicato communicet; quare quãvis vt talis illicita præsentatio sufficiens sit, Episcopi acceptatio accedat, vt institutio & collatio sit valida, non tamen est efficax, ex quo fit vt si patronus excommunicatus in mora sit præsentandi, aut si

Episcopus nolit præsentationem ab eo factam acceptare, potest Episcopus alteri, cui voluerit collationem beneficii facere, quoniam ob morem jus præsentandi ad Episcopum devolvitur. Propter quod existimat Suar. *n.*21. valorem, quem suprà diximus, habere præsentationem factam ab excommunicato, quando ab Episcopo admittitur, nō provenire ab ipsa præsentatione, sed ab acceptatione Episcopi, in quem est virtualiter devolutum jus præsentandi, juxtaque hanc doctrinam sustineri potest opinio, quàm tenuit Covar. *ubi supra*. Et quidem quoad hoc idem est dicendum, etiamsi patronus sit excommunicatus toleratus, quia cùm illi nullus favor fiat per Extravag. *ad evitanda*, illicita erit præsentatio ab eo facta, nisi jure, aut alia justa causa fuerit ab ipso præsentatio postulata, atque adeò non erit efficax, ut cogat Episcopum eam acceptare, nam quamvis licitum sit cum tali excommunicato communicare, nullus tamen ad hoc obligatur. Dixi *nisi ab eo sit postulata*, quia in hoc casu jam erit licita, & hæc omnia docet Cornejo *ubi suprà*, cui adde Præpositum *in 3.p.q.2.de excom. dub.11.n.69.* & Hurtadum *ubi supra*. Quicquid in contrarium asserat Vasquez *de excomm. dub.5.* Covarruvias *in cap. alma mater, part.1. § 7. num.9.*

RESOL. CLXVII.

Quam pœnam incurrant conferentes beneficium excommunicato? Ex p.5. tract.9. Resol.107.

§.1. REspondetur præter excommunicationem minorem incurrere ipso jure suspensionem, à collatione ejusdem beneficii, *arg. cap. cum in cunctis §. Clerici, de electione*, vt ita puniantur in eo, in quo peccaverunt: à collatione verò aliorum beneficiorum non sunt ipso jure suspensi, sed post binam monitionem suspendi debent, vt habetur *in cap. postulasti, de Clerico excommunicato ministrante*; nam licèt Panorm. *in d.cap.postulasti, n.3* velit suspendi debere à collatione aliorum beneficiorum sine aliqua monitione, verius tamen est monitionem requiri, juxta ea quæ habentur *in cap. gravem, de præb.* vt dicit Sayrus *lib.2.c.5.n.3.* licèt aliter sentiat Suarez *disp.15.sect.1. n.3* adversùs quem etiam insurgit Cornejo *in 3.part. tract.5. de excom. disp.10. §.7.dub.un.q.vlt.*

RESOL. CLXVIII.

An electio ad beneficium excommunicati excommunicatione minori sit irritanda, si electores illam ignoraverint?

Et an eligentes scienter excommunicatum excommunicatione minori sint privati voce? Ex part.5. tract.9. Resol.132.

Sup.hoc inf. in Resol.180. §.1.& 2 & in Resol 182. §. vlt. ad med.

§.1. CAnonistæ communiter affirmant, vt patet apud Covarruviam *in cap. alma mater, p.1.* §.8. *n.3.* quos sequitur Suarez *disp.24.sect.2. num.18.* & Coninch *de Sacram. disp.14. dub.17. num.263.* quia talis electio reprobata est non ob culpam eligentium, sed ob incapacitatem electi, sicuti ex adjuncto: ergo, &c.

2. Sed negativam sententiam tuetur Avila *part.2.c.6. disp.12.dub.4.concl.4.* quia *in c.vlt.de Cler.excom.* dicitur, *talis electio est irritanda, si scienter electus sit*, ergo talis electio cum ignorantia censuræ facta non est irritanda, quia verba legis pœnalis rigorosè interpretanda sunt, & jus ejus scientiam videtur requirere. Deinde vocula illa, *scienter*, ita explicari debet, vt non sit superflua, esset autem omnino superflua, nisi dicamus electionem talis excommunicati cassandam non esse, nisi scienter facta sit ab electoribus: ergo, &c.

3. Sed hæc sententia non satisfacit Laymano *lib.2. tract.5. part.2. cap.3.n.5.* Siquidem in hac electionis cassatione non tam electores puniuntur, sed potiùs electus, ergo non ad illorum, sed ad hujus potius culpam, attendendum est. Quare placet mihi solutio glos. *in cit. cap. vlt. verb. scienter*, sensum illorum verborum esse: Si tamen scienter talis, id est, sciens minorem suam excommunicationem, atque inhabilitatem electus fuerit, irritandam esse, sive scierint electores, sive ignorarint. Omnes istæ tres sententiæ sunt probabiles. Vide Sebastianum à Bononia *ubi infra, cap.3. dub.65.*

4. Notandum est tamen hîc Richardum *in 4. dist. 18.art.7.quæst.4.* glossa *in cap. si celebrat. verb. scienter, de Cler. excomm.* & Alterium *de cens. tom.1. disput.4. cap.2. §. Requiritur etiam*, docere, quòd eligentes scienter excommunicatum minori excommunicatione sunt privati voce. Sed mihi magis placet opinio negativa, quam tuetur Sebastianus à Bononia *tract. de elect p.2.cap.2. dub.61. num.12.* & Gordonius *tom.2. lib.7. q.11. cap.4. §.3. n.26.*

RESOL. CLXIX.

An collatio beneficii facta excommunicato tolerato sit valida?

Et quid, si ipse suam excommunicationem ignoret, vel bona fide beneficium accipiat in excommunicatione, & an postea re cognita, teneatur illud relinquere, sed possit retinere fructus interim perceptos, qui respondent congruæ ipsius sustentationi?

Et notatur, quod si provisus ignoret se esse excommunicatum ignorantia probabili, tunc electio, & collatio beneficij non erit irrita?

Et tandem quæritur, an collatio beneficij facta ab excommunicato tolerato sit valida? Ex part.5. tract.9. Resol.99.

Sup. cons. in hoc §. seq. & §.3. Quæ- cunctum- biam & ram & in alios §. seq. Quod- cunctum- ne dubium.

§.1. SVppono *ex c.pastoralis, de cler.excom.* collationem beneficij factam excommunicato invalidam esse. Sed difficultas est, an hoc sit verum etiamsi excommunicatus sit toleratus? & affirmativè respondet Coninch *de Sacr. disp.14.dub.9.n.70.* Avila *p.2.c.6. disp.5.dub.2.concl.1* & alii communiter: nam, etsi Concilium Constantiense permittat nobiscū talibus communicare, non tamen reddit eos habiles ad beneficia acquirenda, quia sic immediatè iis magnum favorem præstaret. Item etiamsi ipse suam excommunicationem ignoret, vt quia oblitus est se eam incurrisse, aut falsò putat se validè absolutum esse, quia etsi ignorantia excuset aliquem à peccato, non tamen reddit eum habilem ad aliquem actū, ad quem aliàs inhabilis est. Ita communiter DD. quibus omnibus adde novissimè Raynaudum *de monit.p.2.cap.2.n.29.* Sanchez *in opusc. tom.1.lib.2.cap.2.dub.10.n.7.* Fabrum *de cens.in 4.sent. dist.25.q.1.disp.4.cap.4.n.193.* Cornejo *in 3.p. tract.5. de excom.disp.10.§.7.dub.1.* Turrian. *lib.2.disp.16.dub.1.* & Villalob. *in sum. tom.1. tract.17.diffic.9.num.5.*

2. Non desinam tamen hîc adnotare, doctum Hurtado *disp.6.de excomm.diffic.2.n.6.* contrariam sententiam docere, sic enim ait: Nomine excommunicati, quem dicimus inhabilem ad beneficium obtinendum, communiter intelligitur à DD. etiam toleratus; quia per Extravag. *ad evitanda scandala*, per quam tolerator, nullus intenditur fieri favor tolerato, fieret autem si non esset inhabilis, & si collatio beneficii ei facta esset valida; id tamē difficile existimamus, quia si collatori licitū est excommunicato tolerato beneficium conferre, juxta dictam Extravag. non minus, quàm sacra

sacramenta administrare, ut diximus *disp.* 11. *difficult.* 4. quo modo collatio illi facta erit nulla, cùm jure naturali illicitum sit conferre beneficium inhabili. Quando verò in Extravag. dicitur, quòd nullus ei intenditur fieri favor, est verum, quamvis fiat, aut maneat habilis, quia hoc non fit ut ei faveatur, sed ut faveatur fidelibus, ut absque scrupulo possint cum illo communicare, ergo, &c.

3. Notandum est tamen etiam stando in prima sententia docere Coninch *ubi suprà*, & Suarez *disp.* 13. *sect.* 1. *num.* 3. excommunicatum, qui bona fide beneficium accepit in excommunicatione, eique deservivit, & si postea re cognita, teneatur illud relinquere, posse tamen retinere fructus interim perceptos, qui respondent congruæ ipsius sustentationi, quia hi ei pro servitio impenso debentur, qui tamen huic sustentationi superflui sunt, restituendi sunt, quia ipse non habet jus nisi ad congruam sustentationem; nisi fortè bona fide eos ita expendisset, ut ex iis non esset factus ditior, tunc enim nec teneretur ad restitutione rei acceptæ, quia hæc nullo modo extat, nec ratione injustæ acceptionis, quia fructus bona fide recepit, & consumpsit. Secus est de eo, qui novit suam inhabilitatem, quia hæc omnia injustè facit. Notat tamen Henriq. *lib.* 13. *cap.* 3. *n.* 3. si talis postea illud beneficium legitimè obtineat, posse eos fructus retinere, quia hoc beneficium cò usque vacavit, & fructus beneficij vacantis debentur successori. Sed ut hoc sit probabile, necessarium est, ut ipse interim per se, vel per alium curarit fieri omne officium illi beneficio debitum, nam aliàs melioris esset conditionis, qui invalidè, quàm qui validè beneficium, obtinuisset.

4. Notandum est etiam contra Coninch, Turrianum Villalob. & Sanch. *ubi suprà*, quòd si provisus ignoret se excommunicatum ignorantia probabili, tunc electio & collatio beneficij non erit irrita. Et hanc sententiam probabilem esse docent ipsimet adversarij, ut Lessius *lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 22. *n.* 117. & illam absolutè tenet contra Suarez Philippus Faber *de cens. in* 4. *sent. dist.* 25. *quæst.* 1. *disp.* 4. *c.* 4 *n.* 191.

5. Et tandem pro coronide hujus resolutionis nota quòd collatio beneficij facta ab excommunicato tolerato valida erit. Ita ex Vasquez docet Turrianus *lib.* 2. *disp.* 15. *dub.* 2.

RESOL. CLXX.

An excommunicatus, cui facta est collatio beneficij, possit post absolutionem retinere, vel acceptare illud sine nova collatione?

Et infertur eum, cui in excommunicatione beneficium est collatum, debere illud resignare in manus collatoris pure, & simpliciter, sed poterit collator ei secundo conferre? Ex part. 5. tr. 9. Res. 101.

§. 1. NEgativè respondent communiter Doctores, putant enim eo casu opus esse post absolutionem nova collatione. Ita Coninch *de Sacr. disp.* 19. *dub.* 9. *num.* 73. & Lessius *lib.* 2. *c.* 34. *dub.* 22. *n.* 119. Probatur primò, quia jura absolutè irritant talem collationem, actus autem irritus est, ac si non esset. Secundò, quia quando alicujus consensus essentialiter requiritur ad alicujus rei valorem, si ille detur eo tempore, quo objectum est incapax, est ita nullus, ut postea non convalescat, atqui hic consensus fertur circa objectum incapax (excommunicatus enim est incapax beneficij acquirendi.) Ergo collatio ei facta nunquam convalescit. Et confirmatur, quia matrimonium invalidum ob aliquod impedimentum dirimens nunquam convalescit sine novo consensu. Et ita etiam hanc sententiam tenet Præpositus *q.* 2. *de excomm. dub.* 11. *n.* 65. ex quo infert eum, cui in excommunicatione beneficium est collatum debere illud resignare in manus collatoris purè & simpliciter, cùm talis collationis nullum jus acquisierit, poterit tamen collator eidem secundo conferre, quòd etiam videtur verum cùm priori vicè noverat excommunicationem, quamvis in eo casu aliqui contrarium censeant; sed ex nullo jure potest ostendi, quòd collator eo casu sit privatus potestate secundo conferendi. Unde si collatio pertinebat ad Episcopum, ille potest iteratò idem conferre. Adde varios probabiliter sentire, quòd licèt pertineat ad alium si justæ causæ subsint, & collator non possit adiri sine infamia, possit Episcopus titulum revalidare, idem possit, quando non potest Pontifex adiri, cujus erat secundo conferre.

2. Sed licèt hæc sententia sit probabilior, probabilem tamen esse affirmativam sententiam, docet ipsemet Lessius & Coninch *ubi suprà*, cum Sanch. *de matr. lib.* 8. *disp.* 7. *num.* 12. cum his tamen limitationibus. Primò ut impedimentum sit occultum, alioquin actus nullum haberet colorem; sed esset plenè irritus in foro externo. Secundò ut id in nullius cedat præjudicium: si enim duo electi essent, præferendus esset qui caret impedimento, quia hic solus habet jus absolutè. Tertiò ut si sciens suum impedimentum acceptaret collationem beneficij, non solùm impetret dispensationem illius impedimenti prioris, sed etiam illius, quod incurrit per talem acceptationem, ita enim acceptandò beneficij collationem, incurrit vitium incursionis, per quod fit inhabilis ad idem beneficium (etsi non ad alia, ut infrà dicetur) undè etiam eget dispensatione hujus impedimenti, qua obtenta poterit beneficium retinere, quæ sententia sic probari potest. Nam electio illa fuit valida, & efficax, ex parte eligentium, ut supponitur. (Idem dicendum de præsentatione, & collatione,) sed solùm requiritur capacitas in electo, ergo simulatquè fuerit capax factus, sublato impedimento ex vi prioris actus jus aequiret, sicut cùm quis acceptat in excommunicatione collationem sibi factam ante excommunicationem, sublato illo impedimento jus acquirit absolutum ex vi illius acceptationis, ut ante dictum est. Deinde, quia electores in priore voluntate manere censentur, cùm illam non revocaverint, ergo vis electionis manet, ac proinde poterit eam electionem sublato impedimento validè acceptare. Hæc omnia docet Lessius. Et hæc opinio confirmatur ex eo, quòd tradunt plures de eo, cui in irregularitate beneficium est collatum, quem docent posse retinere beneficium post dispensationem in irregularitate.

RESOL. CLXXI.

An sit valida acceptatio beneficij ab excommunicato qui tempore collationis, & electionis non erat excommunicatus?

Et an Canonicus excommunicatus validè possit optare Præbendam meliorem, & beneficium pinguius?

Sed major difficultas est, an sit valida electio, & præsentatio facta tempore excommunicationis, sed acceptata post obtentam absolutionem excommunicationis, modo tempore acceptationis electores, & præsentatores permanserint in sua prima voluntate?

Et quid, si periculum imminet infamiæ, & scandali, an excommunicatus occultus in electione, vel collatione beneficij non teneatur suam excommunicationem prodere, sed possit sine ullo scrupulo acceptare beneficium, & postea quamprimum occultè petere

dispensationem ? Ex part. 4. tractat. 4. & Misc. Resol. 56.

Sup. hoc in Res. seq. & cursim in aliis §§. ejus primæ not.

§. 1. TAlem acceptationem esse invalidam, docet Coninch *de Sacram. disp. 14. dub. 9 num. 78.* Hurtado *de excommun. disp. 6. difficult. 3 num. 8.* Covarruvias *lib. 3. var. cap. 16. num. 4.* & alij, quia quod *in cap. postulasti, de cler. excomm.* intenditur; est inhabilitare excommunicatum ad acquirendum beneficium, id autem non minus fit annullando acceptationem quàm collationem, quia, ut experimur *in cap. si tibi absenti 17. de præb. in 6.* acceptatione beneficij acquiritur jus in illo, non quia sibi conferat tale jus qui acceptat, sed quia acceptat quod sibi ab altero offertur, imò meliùs fit annullando acceptationem, quia per hanc proxime acquiritur, & non per collationem, seu oblationem nisi inchoativè. Addit etiam Hurtado *ubi suprà n. 10.* & alij dictam acceptationem tempore excommunicationis factam adhuc non valere ut postea subsequuta absolutione acquiratur beneficium, quia quamvis acceptatio illa quamdiu non retractatur perseveret habitualiter adhuc post absolutionem, quia tamen à principio fuit nulla, ideo nequit postea convalescere & fieri valida.

2. His tamen non obstantibus dicendum est in supradicto casu validam esse acceptationem beneficij, ab eo, qui tempore collationis non erat excommunicatus, licèt sit excommunicatus tempore acceptationis beneficij; & ita docet Turrianus *de cens. lib. 2. disput. 16. dub. 2.* Vasquez *in 3. part. tom. 4. tract. de excommun. dub. 6. n. 9.* Alterius *de cens. tom. 1. lib. 2. disp. 6. cap. 5.* Avila *de cens. part. 2. cap. 6. disp. 5. dub. 8.* Præpositus *in 3. part. D. Thomæ quæst. 3. de excommunicatione dub. 11. numero 67.* Parisius *de resignat. benefic. lib. 20. quæst. 8. num. 39.* Sayrus *de censuris lib. 2. cap. 5. numero 11.* & alij penes ipsos, quia jura solùm irritant collationem, & electionem beneficij, non verò acceptationem, nec aliam interpretationem admittunt, nam versantur in materia odiosa, ergo, &c.

Sup. hoc in fine res. not. præteritæ & sup. in Res. 26 §. Notandum est, cursim ad lin. 4. &c.

3. Hinc infertur quòd Canonicus excommunicatus validè potest optare præbendam meliorem, & beneficium pinguius. Ita Vgolinus *de censuris tab. 2. cap. 13. §. 2. n. 15.* Sayrus *lib. 2. cap. 6. n. 13.* Alterius *loco cit.* quicquid in contrarium asserat Filliuc. *tom. 1. tr. 12. cap. 5. n. 121.*

Sup. contento in hoc & seq. §. lege doctrinam præcedentis Res. & alterius §. ejus not.

4. Sed major difficultas est, an sit valida electio & præsentatio facta tempore excommunicationis, sed acceptata post obtentam absolutionem excommunicationis, modò tempore acceptationis electores, & præsentatores permanserint in sua prima voluntate? Negativam sententiam docet Lessius *lib. 2. c. 34. dub. 22. n. 119.* Coninch *de Sacr. disp. 14. dub. 9 n. 74.* & alij, quia in tali casu retineretur beneficium sine titulo, cùm titulus electionis fuerit invalidus, ut potè collatus excommunicato, qui ad illum est inhabilis. Quod confirmatur, nam frustrà videretur impositus iste effectus excommunicationis, quia in tali casu quilibet excommunicatus differre potest acceptationem donec absoluatur.

5. Verùm Martinus Bonacina *de censuris disp. 2. quæst. 2. punct. 4. § 1. num. 10.* licèt supradictam opinionem dicat esse veriorem & probabiliorem, nihilominus contrariam non existimat improbabilem, quam tuetur Henriquez *lib. 13. cap. 13. num. 1. in glossa lit. D.* Covarr. & alij, quos citat Sanchez *de matrimon. tom. 3. lib. 6. disp. 1. num. 12.* Et ratio est, quia in tali casu prior electio, & præsentatio videtur ratificari, & approbari per continuationem, seu permanentiam in prima voluntate.

Sup. hoc inf. in tr. 3. res.

6. Notandum est etiam hîc obiter, quòd si periculum imminet infamiæ, seu scandali, excommunicatus occultus in electione, vel collatione beneficij, non tenetur suam excommunicationem prodere, quia Ecclesia non censetur obligare in tali casu cum tanto incommodo, & ideo potest sine ullo scrupulo acceptare beneficium, debet tamen postea quamprimum cùm occultè petere dispensationem. Ita Suarez *de censuris disp. 13. sect. 1. num. 11.* & alij.

RESOL. CLXXII.

An excommunicatus validè accepter beneficium si ante excommunicationem fuerit ei collatum?

Et quid dicendum est de antiquiori Canonico qui licet sit excommunicatus, an validè possit acceptare pinguiorem Præbendam, licet collatio suspendenda sit, donec absoluatur? Ex part. 5. tr. 9. Resol. 102.

§. 1. NEgativè respondet Raynaudus *de monit. p. 2. cap. 2. num. 29.* Hurtado *disput. 6. de excommun. difficult. 3. num. 8.* Layman *lib. 2. tract. 5. part. 2. cap. 2. quæst. 3. num. 11.* Coninch *de Sacram. disput. 14. dubio 9. num. 78.* quia, ut patet ex *cap. si tibi absenti, de præbend. in 6.* non minus quis acquirit jus in beneficium per validam collationis acceptationem, quàm per ipsam collationem, atqui ipsa collatio facta excommunicato est omnino invalida, quia hic est incapax ad acquirendum jus in beneficium; ergo similiter acceptatio ab eodem facta erit invalida. Nec refert quòd talis acceptatio sufficiat ad declarandum consensum acceptantis, & quòd censeatur in eo permanere donec absolutus sit, quia etiam collatio facta excommunicato, sufficit ut declaret collatorem habuisse verè voluntatem conferendi tale beneficium, & potest in ea permanere donec tollatur excommunicatio, & tamen ut alter validè beneficium acquirat, debet secundo conferri.

2. Dices esse diversam rationem, quia collatio confert verum jus alteri, acceptatio verò nullo modo, sed tantùm est conditio requisita ut collatio suum effectum operetur. Respondeo negando assumptum, nam ut res aliqua fiat mea, non minus dependet à meo eam acceptantis consensu, quàm ab alterius eamdem dantis, atque ideo utriusque consensus prout componit integrum pactum, est simpliciter causa acquisitionis dominij.

3. Verùm his non obstantibus ipse Coninch fatetur contrariam sententiam esse probabilem, quam absolutè præter Covarruv. *lib. 3. var. cap. 16. n. 4.* tenet Lessius *lib. 2. c. 34. dub. 22. n. 118.* Vasquez *de excomm. dub. 6.* Toletus *lib. 1. c. 13.* quia *in c. postulasti*, quamvis invalidetur collatio beneficij excommunicato facta, non tamen acceptatio; adde quòd in eo cap. tantùm invalidatur actio, per quam acquiritur jus ad beneficium; acceptatione autem non acquiritur jus ad illud, quia nullus sibi confert jus, ergo, &c. Deinde acceptatio solùm est declaratio propriæ voluntatis, qua certum est non privari per excommunicationem, *l. ex facto, §. si quis rogatus 2. ff. ad SC. Trebellianum*, & præsertim cùm acceptatio ad factum potius, quàm ad jus pertineat.

4. Nec valet dicere quòd licèt per electionem, aut collationem detur jus ad beneficium, & non per acceptationem ipsam, cùm acceptans non det jus sibi ipsi, sed accipiat illud ab electore, aut collatore, non tamen acquiritur hoc jus, nisi per acceptationem electionis, aut collationis, ut expressè dicitur *in cap. si tibi absenti, de præbend. in 6.* ergo quando acceptat beneficium, tunc acquirit jus; sed quamdiu est excommunicatus, est incapax acquirendi, ut suprà dictum est

est, ergo etiam est incapax ad accipiendum beneficium, atque ita talis acceptatio nulla erit. Sed respondetur, hoc argumentum solùm probare illam acceptationem non esse validam quantum ad acquisitionem juris, quod etiam nos fatemur, non tamen esse invalidam, quantum ad consensus declarationem, in quo sensu procedit nostræ conclusionis doctrina; itaque si post talem acceptationem absoluatur ab excommunicatione, non est opus alia nova collatione, aut acceptatione, sed cùm primùm absoluitur, acquirit jus in beneficium, & non antea: unde si post absolutionem moriatur, illud beneficium vacat de novo; secùs verò si moriatur antequam absolutus sit, etiam post acceptationem, quia in hoc posteriori casu nondum beneficium acquisierat, & ita non vacat de novo, quod attendendum est, ut sciatur ad quem ejus collatio pertineat. Ex quo infero quod si ille, qui ante excommunicationem obtinuerit literas ad beneficium vacaturum, tempore quo vacat, si sit excommunicatus, poterit illud acceptare virtute Bullarum, & acceptatio erit valida, ita ut post absolutionem non desideretur nova acceptatio, sed sola collatio, quia literæ ad beneficium vacaturum non conferunt jus sine collatione, cùm solùm promittant collationem, quæ fieri nequit durante excommunicatione, neque opus est ut fiat postea, & idem est de antiquiori Canonico, qui licèt sit excommunicatus, potest validè acceptare pinguiorem præbendam, licèt collatio suspendenda sit, donec absoluatur. Et ita hanc posteriorem sententiam præter Doctores citatos ex Vasquez docet Turrianus *lib. 2. disp. 16. dub. 2.* & Mercerus *de Sacr. in 3. p. quæst. 21. dub. 8.*

RESOL. CLXXIII.

An excommunicatus privetur fructibus beneficij, ante excommunicationem legitimè obtenti?

Et si excommunicatus est pauper, & fructibus indigeat ut sustentetur, an possit aliquid de fructibus percipere?

Ex part. 5. tract. 9. Res. 104.

hoc in §. 1. Affirmativè respondet Filliucius *tom. 1. tract. 12. cap. 5. num. 129.* Vgolinus *de cens. tab. 2. cap. 12.* Covarr. *lib. 2. var. cap. 13. num. 8.* Suarez *de cens. disp. 13. sect. 2.* Toletus *lib. 1. cap. 13.* & Mercerus *in 3. p. q. 21. dub 8. num. 6.* quia, ait ille *in c. pastoralis, de appellationibus*, significat quod excommunicatus non faciat fructus suos, & simul rationem dat his verbis: Illi proventus Ecclesiastici meritò subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur, quamquam particulariùs probari possit, quòd excommunicatus sit ab officio suspensus, ergo etiam à fructibus, quia datur beneficium propter officium, sicut merces propter opus; favent enim verba capituli, si benè expendantur, est enim sermo de illo, in quem sententia excommunicationis lata est, & dicitur consequenter ipsum beneficiis spoliari posse; id est, administratione & fructibus beneficiorum, deinde hunc effectum non impediri propter interpositam appellationem, eò quòd excommunicatio secum trahat executionem. Verbum quoque, *subtrahuntur*, sonat ipsum factum, non autem præceptum judici privaturo impositum.

2. Sed contrariam sententiam tenet Coninch *de Sacr. disp. 14. dub. 9. num. 81.* & Hurtadus *disp. 6. de excomm. diffic. 1. num. 2.* ubi citat Vasquez & Navarr. & docet excommunicationem majorem non privare fructibus beneficij, ac proinde excommunicatum posse adhuc licitè percipere fructus sui beneficij, dummodo per se, aut Vicarium satisfaciat officio, & meritò; quia excommunicatio ex eo quòd generaliter est privatio communionis fidelium, non privat dictis fructibus, quia perceptio eorum non est communicare cum fidelibus, quia cuilibet excommunicato conferri possent, nec excommunicatio privat illos jure aliquo peculiari, quia si aliquo, maximè jure dicti *cap. pastoralis*, eo autem non fit, quia in eo cap. tantùm est sermo de subtractione faciendâ per judicem media sententia nova superaddita excommunicationi, quòd ille, qui consuluit Pontificem, supponit; interrogat enim an excommunicatus, qui excommunicatione jam incursa appellavit, possit, non obstante appellatione denunciari, seu publicari excommunicatus, & ad tempus spoliari beneficiis, id est proventibus beneficij? supponit ergo excommunicatione non spoliari, quia potiùs interrogaret, an excommunicatione ipsa maneret spoliatus, & Pontifex eo supposito respondet posse denunciari, & ei meritò subtrahi proventus; sententia verò superaddita judicis, sicut etiam actu superaddito excommunicationi denunciatur, & hæc omnia docet Hurtado *ubi suprà*, qui etiam addit, quòd quamvis de rigore juris excommunicatus eo ipso absque nova sententia judicis esset privatus fructibus sui beneficij, consuetudine tamen non privatur, quia dicto juri, quamvis esset, fuisset dicta consuetudine derogatum, & hanc opinionem tanquam probabilem admittit etiam Præpositus *in 3. part. quæstione 2. de excomm. dub. 11. n. 68.* ubi sic ait: Notandum communiori sententia excommunicatum privari fructibus beneficij antea obtenti, ex §. *verùm, cap. pastoralis, de appellationibus*, ex quo communiùs docetur ipso facto eis privari, & suos non facere, ac proinde obligari ad eorum restitutionem ante omnem sententiam. Aliqui tamen censent non privari ipso facto fructibus. Ita glossa *in §. cit. ver. subtrahuntur*, Avila *c. 6. cit. disp. 6. dub. 1.* Rebuffus *repetit. in c. postulastis, num 8. de clerico excommunicato & ministrante*, citatus à Suar. *disp. 13. sect. 2. in fine*, qui sentit saltem ex consuetudine non privari, ex qua sententia sequitur non teneri ad eorumdem restitutionem ante sententiam judicis, quod non videtur omnino improbabile, cùm contrarium non sit ita evidens. Ita ille. Vnde Mercerus *ubi suprà*, licèt suam opinionem putet esse veram ex dispositione juris, addit quòd quia non soleat excommunicatus privari fructibus beneficij sui, potest se conformare huic consuetudini, quia cùm jus illud sit positivum, potest ei derogari per contrariam consuetudinem.

3. Sed stando in prima opinione, quæritur, an si excommunicatus sit pauper, & fructibus indigeat ut sustentetur, possit aliquid de fructibus percipere? Affirmat Avila *2. part. disput. 6. dub. 5. conclus. 3.* cujus fundamentum est, quòd iste potest fructus restituendos dare pauperibus, ergo potest reservare sibi, cùm non videatur peioris conditionis, quàm cæteri pauperes. Confirmatur. Nemo obligatur rem alienam restituere, qua indiget ad sui sustentationem, ergo. Sed contrarium tenet Cornejo *in 3. part. tract. 5. de cens. disp. 10. §. 6. dub. un. n. 4.* quia cùm hæc sint bona Ecclesiæ, non potest contra ejus voluntatem sibi usurpare quovis prætextu necessitatis non extremæ; quæ hîc esse non potest, cùm iste excommunicatus possit pro sua voluntate à contumacia discedere, & fructus percipere, & victum alio modo sibi procurare.

RESOL. CLXXIV.

An Beneficiarius, si incidat in excommunicationem, sit privatus fructibus, redditibus, seu distributionibus beneficij?

Sive excommunicatus sit curator animarum, sive

Canonicus, sive habeat beneficium simplex? Ex part. 4. tr. 4. & Misc. Resol. 54.

Sup. hoc in resol. præterita.

§. 1. DE hoc casu olim per litteras consultus fui, & affirmativam sententiam docet Toletus *lib. 1. cap. 18.* Garzias *de beneficiis tom. 2. part. 7. cap. 13. num. 92.* Filliucius *tom. 1. tract. 12. cap. 5. n. 129.* Suarez *de cens. disp. 1. sect. 2. n. 4.* Henriquez *lib. 13. c. 13. n. 4.* Sayrus *de cens. lib. 2. c. 5. n. 14.* Reginaldus *tom. 2. lib. 32. tr. 1. c. 7. n. 36.* Moneta *de distrib. part. 2. q. 15. n. 22.* Covarruvias *lib. 3. var. c. 13. n. 8.* Alterius *de censur. tom. 1. lib. 2. disp. 6. cap. 8.* & alij penes ipsos asserentes, excommunicatum non facere in conscientia fructus suos, ideóque absque alia sententia teneri illos restituere, vel curare eorum condonationem à sacra Pœnitentiaria exposita causa paupertatis, vel ignorantiæ, vel injustæ excommunicationis, vel diligentiæ, in procuranda absolutione, sed dilata culpa aliorum; & ratio est, quia id exprimi videtur *in cap. pastoralis, de appellat.* dum dicitur, illi proventus Ecclesiastici meritò subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur.

2. Sed ego tunc negativam sententiam mordicus sustinui, & consulentem liberavi à restitutione magnæ quantitatis, quia excommunicatio ex eo quod generaliter est privatio communis fidelium, non privat dictis fructibus, quia preceptio eorum non est communicare cum fidelibus, nec excommunicatio privat illis jure aliquo peculiari, quia si aliquo, maximè jure dicti *cap. pastoralis*; eo autem non fit, quia *in eo cap.* tantùm est sermo de subtractione facienda per judicem media sententia nova superaddita excommunicati, quod ille, qui consuluit Pontificem, supponit, interrogat enim an excommunicatus, qui excommunicatione jam incursa appellavit, possit non obstante appellatione denunciari, seu publicari excommunicatus, & ad tempus spoliari beneficiis, id est, proventibus beneficij: supponit ergo excommunicatione non spoliari, quia potiùs interrogaret an excommunicatione ipsa maneret spoliatus, & Pontifex eo supposito respondet posse denunciari, & meritò subtrahit proventus, sententia videlicet superaddita judicis; sicut etiam actu superaddito excommunicationi denunciatur, & hanc sententiam negativam docet Præpositus *in 3. part. D. Thom. q. 2. de excommun. dub. 11. num. 68.* Hurtado *de cens. disp. 6. diff. 3. num. 3.* Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 3. disput. 51. num. 22.* Coninch *de Sacrament. disput. 14. dubit. 93. n. 80.* Vasquez *opuscul. de beneficiis cap. 3. §. 3. dub. 4. num. 229.* Navarra *de restitut. lib. 2. cap. 2. num. 238.* Avila *de censur. part. 2. cap. 6. disput. 6. dub. 1. concl. 2.* & alij penes ipsos. Igitur cum Doctoribus citatis dicendum est in tali casu non adesse obligationem restituendi modò beneficiarius excommunicatus exequatur onera & officia beneficij, sive excommunicatus sit curator animarum, sive Canonicus, sive habeat beneficium simplex. Imò addo cum Hurtado *loco citato*, quòd quamvis de rigore juris excommunicatus eo ipso absque nova sententia judicis, esset privatus fructibus sui beneficij, consuetudine, tamen non privatur, quia dicto juri, quamvis esset, fuisset dicta consuetudine derogatum.

RESOL. CLXXV.

An recipiens beneficium animo illud resignandi, vel permutandi, peccet mortaliter, & incurrat in excommunicationem latam per Paulum IV. & reservatam Papæ? Ex part. 8. tr. 7. & Misc. Resol. 14.

§. 1. NEgativè respondet Lessius *lib. 2. cap. 34. dub. 21. num. 136.* Sanchez *de matrim. lib. 7. disput. 45. num. 12.* Castrius Palaus *tom. 2. tr. 15. disp. 4. punct. 7. num. 11.* & alij penes ipsos. Et ratio est, quia recipiens beneficium non est obligatus illud semper retinere, sed potest illud permutare, vel resignare, ut passim efficitur. Ergo habens hanc voluntatem cùm beneficium suscipit, nihil juri contrarium facit, tametsi unico die illud retinere proponat, & ideò Vasquez *de benef. cap. 3. §. 2. dub. 1. n. 43.* sic ait. Dico quòd non est peccatum quodcumque beneficium recipere, donec pinguius possit obtineri, nec obligatur iste ad restitutionem fructuum, quia ista, nec alia beneficia curata non postulant animum perpetuò illa habendi, & ob ea serviendi, sed fructus respondent labori præsenti. Ita Vasquez.

2. Sed his non obstantibus affirmativam sententiam docet Filliucius *t. 1. tr. 41. c. 5. n. 43.* ex Bulla Pauli IV. prohibentis sub pœna excommunicationis latæ, & Papæ reservatæ, recipere beneficium animo resignandi, vel permutandi.

3. Verùm novissimè Ioannes Machadus *de perfecto Confess. tom. 1. lib. 3. part. 3. tr. 1. docum. 8. num. 11.* circa præsentem quæstionem, & opinionem Filliucij, sic asserit. *El quinto requisito es, que el que huviere de acquerir el beneficio no tenga intento de resignarles, por lo qual siempre, que se confiren en la Curia Romana, se le pide juramento al Beneficiado de que no le recibe con animo de resignarle.*

4. *Que pecado sea tener semejante animo, es una question muy dudosa. Porque Filliucio refiere una constitucion de Paulo IV. por la qual prohibe el recibir beneficios con animo de permutarles, ò resignarles so pena de descomunion mayor reservada à la Sede Apostolica, ipso jure lata, y privacion de todos los beneficios, è inhabilidad para conseguir otros despues, sin que para incurso de las dichas penas sea necessaria declaracion, ni sentencia del Iuez. Palabras son traducidas de Filliucio.*

5. *Por otra parte considero, que muchissimos Autores que he visto sobre el punto ninguno haze mencion de la dicha Bulla; y muchos enseñan, que no es pecado mortal tener semejante intencion el que ha de recibir el beneficio, fundados en que si es licito à tiempo hazerlo, tambien lo sera al principio tener esse animo, con que me persuado, ò que Filliucio refirio demas la dicha Bula, ò que la ignoraron todos lo demas, ò que ella no esta recibida.* Ita Machadus.

6. At dubitare de dicta Bulla Pauli IV. adducta à Filliucio, est error clarus; nam invenitur in Bullario *tom. 1.* sub nomine Pauli IV. *constitut. 12.* & incipit, *Inter cætera*, & fuit edita die 27. Novembris 1557. & illam etiam per extensum apponit Gonzales *in regul. 8. Cancellar. glossa 15. num. 90.* Quòd autem non sit usu recepta, est falsum, nam in Romana Curia petitur juramentum, quòd non accipitur beneficium animo resignandi. Cogita tamen, an dicta Bulla Pauli IV. sit intelligenda de recipientibus beneficia, ut resignent in favorem illius, qui de vacatione dedit notitiam, ita quidam Modernus: sed ego video praxim Romanæ Curiæ esse in contrarium, nam absolutè petit juramentum, & absolutè loquitur Pontifex in Bulla, & omnes Doctores, qui tangunt difficultatem Bullæ loquuntur de resignatione facta quibuscumque personis. Rejecta itaque hac opinione adhæreo sententiæ Garciæ *tom. 2. part. 11. cap. 3. num. 291.* asserentis Bullam Pauli IV. intelligendam esse de habentibus animum, & intentionem resignandi beneficia postmodum statim, seu infra parvuum tempus: non de habentibus animum & intentionem ea resignandi post aliquos annos, seu longum tempus, in hoc enim nulla apparet inordinatio, nec tenetur quis habere animum tenendi semper beneficium, & ita videtur usu

rece

receptum. Et ita etiam videtur accipiendum juramentum, quod Romæ exigitur. Præterea dicta constitutio, & etiam dictum juramentum non videtur procedere in obtinentibus beneficia cum animo dubio; aut conditionali illa resignandi etiam in favorem aliorum. Rursus ista conditio procedit in sic obtinentibus, seu impetrantibus beneficia in Curia Romana, seu à Papa, non ab Ordinariis, seu extra Curiam & hæc omnia docet Garcias *ubi suprà*.

RESOL. CLXXVI.

An licitum sit procurare, & obtinere beneficium animo resignandi illud, &c. Ex part. 9. tr. 7. & Misc. 7. Resol. 55. aliàs 52.

§. 1. DE hoc casu *alibi* ego egi, & de illo ferè singulis diebus interrogor, negativè respondeo, stante Bulla Pauli IV. Verùm novissimè benignam opinionem circa materiam hanc invenio apud Castrum Palaum *tom. 6. disp. 3. punct. 30. num. 8.* ubi sic ait, loquens de supradicta Bulla Pauli IV. [Denique excommunicat Pontifex eos, qui pro seipsis beneficia impetrant; animo tamen illa resignandi in favorem aliorum. Bonacina *disp. 2. quæst. 3. punct. 28. num. 6.* existimat, te hac censura ligari, esto, animum habeas resignandi ex consensu, & licentia Pontificis, & non aliàs: quia dolum & fraudem committere censeris ea intentione beneficium impetrans, cujus Pontifex, si conscius esset, non conferret. Sed verius oppositum existimo: quia impetratio sub ea intentione non est dolosa, & fraudulentia secluſa hac lege, ut de se constat. At hæc lex fertur ad purgandas sordes, fraudes, & dolos, qui in Curia Romana significabantur adesse in beneficiorum impetratione, antequàm Pontifex legem tulisset. Ergo lata non fuit ad excludendam prædictam impetrationem. Et confirmo: Pontifex hac lege removere intendit fraudem, & dolum cognoscibilem in beneficiorum impetratione; at in dicta impetratione: nequit ullus dolus cognosci, maximè si intentio animo retenta sit. Ergo hac lege non continetur hæc impetratio. Adde non videri improbabile ex his, quæ tradit, Bonacina *disp. 2. q. 3. punct. 18. in fin.* hanc Constitutionem non esse receptam quoad omnes actiones, sed solùm quoad primam de simulatione personæ, & subjectione supposititia examini pro beneficio obtinendo; quoad reliquas verò in eventibus tantùm simoniace privatis. Quippe Pontifex intendit hac Constitutione, & censuræ prolatione removere à Curia Romana, quod aliàs de se illicitum erat in beneficiorum impetratione.] Hucusque Palaus.

2. Sed Vide, an sit admittendum id, quod asserit nempe, Bullam Pauli IV non esse usu receptam, cùm vigore illius in Curia, quando quis obtinet beneficium, præstatur ei juramentum, quòd illud obtinet animo non resignandi: ideo tu cogita; nam doctrinam Palaï nec approbo, nec damno.

RESOL. CLXXVII.

An resignatio beneficij ab excommunicato facta in favorem tertiæ personæ sit valida?
Et an hoc etiam locum habeat in excommunicato vitando? Ex part. 5. tr. 9. Resol. 106.

§. 1. NEgativè respondet Filliucius *tom. 2. tract. 12. cap. 6. num. 163.* quia quando resignatio est in favorem tertij resignans cõcurrit etiam ipse ad collationem beneficij, nominando, determinando personam, & resignando cum conditione, dummodo detur illi & non alteri, unde acquiritur aliquod jus nominato, & acquivalet præsentationi: at excommunicatus est privatus omni jure spirituali, ergo, &c.

2. Sed ego puto contrariam sententiam non esse minus probabilem, quam tuetur Turrian. *lib. 2. disp. 15. dub. 3.* ubi sic ait: Quæritur de resignatione beneficij ab excommunicato facta in favorem tertiæ personæ, an sit valida? Et aliqui judicant non esse validam, & probant, quia excommunicatus est privatus omni usu beneficij sui. Ergo multo magis potestate donandi illud alteri. Secundò quia resignatio in favorem tertiæ personæ videtur esse quædam præsentatio, cùm designet personam, & sic videtur philosophari Pater Suarez *suprà disp. 14. sect. ult. n. 35.* Sed alij sentiunt validam esse renunciationem, quia neque est præsentatio, neque electio, neque institutio beneficij. Ergo. Non est electio, ut pater. Non præsentatio quia ille non habet jus patronatus ad præsentandum, sed solùm vult relinquere beneficium sub conditione, ut detur alteri, & licèt iste posset peccare in communicatione, tamen non apparet jus, ob quod dicimus nullam esse resignationem. Ad argumenta contrariæ opinionis facilè respondetur. Ad primum hoc est facile, quia ille non privatur potestate absolutè relinquendi illud sub conditione, & Doctores contrariæ opinionis fatentur posse illud dimittere, quod est per se manifestum. Ad secundum constat ex dictis, & sanè si resignans non esset excommunicatus vitandus, facilè concedunt DD. validam esse resignationem. Verum nisi sit vitandus, non video probari nullitatem illius. Hæc omnia Turrianus *ubi suprà*.

3. Notandum est tamen quòd prima sententia locum habet in excommunicato vitando, si enim resignet simpliciter, valida est, quia est merum factum, & res pendens à voluntate. Si in favorem est invalida, quia pertinet ad jurisdictionem: in eo autem qui vitandus non est, non videtur neque invalida, etiamsi fiat in favorem tertij, quia potius est in favorem resignatarij, neque illicita quando requiritur ab aliis. Vt enim non est vitandus in aliis actionibus, ita neque in hac. Ac propterea servatur id quod dicitur in Extravag. *ad evitanda*, ut non releveretur in aliquo ipsemet excommunicatus, sed alij tantùm. Ita Filliucius *loco citato*.

RESOL. CLXXVIII.

An excommunicatus sit inhabilis ad recipiendas pensiones?
Et an hoc locum habere debeat in pensionibus, quæ dantur titulo spirituali, non vero in his, quæ non sunt beneficiũ, quia dantur titulo sæculari. Ex p. 5. tr. 9. Resol. 103.

§. 1. AFfirmativam sententiam docet Gordonus *in summa, tom. 2. lib. 7. quæst. 9. num. 45.* Filliucius *tom. 1. tract. 12. cap. 5. n. 123.* Villalob. *in summa, tom. 1. tr. 17. diffic. 9. num. 3.* ubi sic air. [Tambien è inhabil el descomulgado para recibir pension perpetua, que se da en titulo de beneficio, porque essa es beneficio, y assi lo dize Abad. Covar. Suarez, Soto, y otros, y es lo que llamamos prestamo. De las demas pensiones ay mayor duda entre los Dottores, tengo por mas cierto, que tambien està inhabil para ellas, porque como no puede hazer los frutos suyos, no podra recibir la pension, que es derecho para recibirlos. A esta parte se inclina Covar. y la tiene Gigas, y la favoreze el estilo de la Curia, que todas las vezes que se conceden estas pensiones, se concede que le puedan absolver de las censuras para este efeto] Ita ille. Vide etiam Suarez *disp. 15. sect. 1. n. 9.* & Mercerum *de Sacr. in 3. part. quæst. 21. dub. 8.* Sup. hoc lege doctrinam Ref. not. seq.

Sup. hoc in Resol. seq. & in Resol. 1. post seq. §. Dico secundò, & inferius in tr. 5 Resol. 141 §. An vero.

2. Sed solùm hæc opinio locum habere debet in pensionibus, quæ sunt beneficium Ecclesiasticum, quia dantur titulo spirituali, non verò in his, quæ non sunt beneficium, quia dantur titulo sæculari, quia jura loquuntur solùm de beneficiis, & ita docet Turrianus *lib. 2. disp. 16. dub. 1.* Vasquez *de excommun. dub. 6. n. 5.* Henriquez *lib. 13. c. 13. n. 2.* Layman *lib. 2. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 8.* Cornejo *in 3. p. tr. 6. de excomm. disp. 10. §. 7. dub. 1.* Imò Avila *p. 2. c. 6. disp. 5. dub. 5. concl. 2.* putat esse probabile quòd pensio spiritualis, quæ fundatur in titulo spirituali, collata excommunicato sit valida. Et hanc sententiam absolute tenet (nota Lector) Ioannes Præpositus *in 3. p. q. 2. de excomm. dub. 11. n. 64.* quia constat excommunicatum non esse ex natura rei incapacem beneficij, vel pensionis. Ergo incapacitas debet provenire ex jure positivo: dicimus autem non probari in particulari ex jure, quòd concessio pensionis facta excommunicato sit irrita, nec sufficienter ostendi ex eo quòd collatio beneficij sit irrita, cùm pensio etiam collata titulo Ecclesiastico non sit beneficium, nec de ea sit discurrendum, sicut de beneficio sine jure expresso, propter aliquam inter ea convenientiam, præsertim in materia odiosa, & quantum fieri potest semper restringenda. Hæc præpositus, licèt novissimè adversùs illum insurgat Theophilus Raynaudus *de monit. part. 2. c. 2. n. 29.*

RESOL. CLXXIX.

An collatio pensionis facta excommunicato titulo Clericali sit invalida? Ex part. 4. tractat. 4. & Misc. Resol. 55.

Sup. hoc in Resol. præterita, & in Resol. seq. §. Dico secundo, & seq. & inferius in tr. 5. Resol. 141. §. An vero.

§. 1. AFfirmativam sententiam docet Villalobos *in summa t. 1. tr. 17. diffic. 9. n. 3.* Turrianus *de cens. lib. 2. disp. 16. dub. 1.* Saytus *de cens. lib. 2. c. 5. n. 15.* Lessius *lib. 2. c. 34. dub. 22. n. 127.* Vasquez *in 3. part. t. 4. tr. de excom. dub. 6.* Henriquez *lib. 13. c. 13. n. 3. in glossa lit. N.* Suarez *de cens. disp. 13. sect. 1. n. 9.* Filliucius *t. 1. tr. 12. c. 5. q. 4.* Reginaldus *t. 2. lib. 32. tr. 2. c. 7. n. 43.* Alterius *de cens. t. 1. lib. 2. disp. 6. c. 4.* & alij. Ratio est, quia excommunicatus est incapax privilegiorum; ergo est incapax pensionum. Adde quòd multi asserunt talem pensionem esse beneficium, unde ex hac sententia sequeretur obtinentem pensionem tituli clericalis non posse fructus percipere; nec ullum jus ad illos habere.

2. Sed licet hæc opinio sit probabilior, contrariam tamen etiam probabilem esse judico, quam tuetur Avila *de cens. p. 2. c. 6. disp. 5. dub. 5. concl. 2.* & hanc sententiam absolutè docet ex neotericis Gaspar Hurtado *tr. de excomm. disp. 6. diffic. 3. n. 6.* ubi sic asserit: Nomine beneficij ad quod excommunicatus est inhabilis, intelligitur quodcumque beneficium, sive cum animarum cura, sive sine illa, sive ex majoribus, ut Episcopatus, sive ex minoribus: & quamvis excommunicatus sit privatus beneficio, non tamen pensione, quæcumque sit, ac proinde consignatio illius facta excommunicato est valida, ut contra non paucos docent nonnulli, quia pensio non est beneficium, quia nulla ex re est jus perpetuum ad fructus, quod deinceps est conferendum, quod requiritur ad rationem beneficij, & excommunicatus non est privatus, nisi beneficio. Ita ille, & ante illum ex eadem Societate Ioannes Præpositus *in 3. p. D. Thom. q. 2. de excommun. dub. 11. n. 64.* unde, ut dixi, non dubito hanc sententiam esse probabilem & tutam in praxi; unde non obligarem pensionarium in tali casu ad restitutionem. Nec valet dicere cum Vasquez, Suarez & aliis, quòd excommunicatus est suspensus ab officio. Ergo est incapax saltem pensionis, quæ datur titulo Ecclesiastico; nam respondeo negando consequentiam, quia non obstante eo, quòd in antecedente assumitur, constat excommunicatum non esse ex rei natura incapacem beneficij, vel pensionis; ergo incapacitas debet provenire ex jure positivo. Dicimus autem non probari in particulari ex jure, quòd concessio pensionis facta exnommunicato sit irrita, nec sufficienter ostendi ex eo, quòd collatio beneficij sit irrita, cùm pensio etiam collata titulo Ecclesiastico non sit beneficium, nec de ea sit discurrendum, sicut de beneficio sine jure expresso, propter aliquam inter ea convenientiam, præsertim in materia odiosa, & quantum fieri potest restringenda ergo, &c.

RESOL. CLXXX.

Excommunicatus excommunicatione minori absque dispensatione impetravit pensionem, quam posset sine licentia Papæ extinxit, adiit Confessarium, qui illum ad me misit, quæritur, &c.

Et infertur, quod excommunicatus minori excommunicatione potest opponi ad beneficium Curatum in concursu, cujus admissio ad examen, & oppositio valida erunt, sicut & collatio, &c.

Et asseritur non posse pensionem absque authoritate Papæ redimi sine culpa.

Et probatur simoniam esse extinguere pensionem sine assensu Apostolico. Ex part. 11. tractat. 5. & Misc. 5. Resol. 5.

Sup. hoc in Resol. præterita, & in Resol. seq. §. Dico secundo, & seq. & inferius in tr. 5. Resol. 141. §. An vero.

§. 1. TVnc infra scripta consideravi. Dico igitur primò, aliquos asserere excommunicatum excommunicatione minori non esse incapacem ad beneficia Ecclesiastica, ita ex 19. Doctoribus firmat Thomas Hurtadus *Var. t. 2. tr. 52. c. 7. §. 17. num. 963.* Probatur clarè, quia Gregorius IX. *c. si celebrat. de clericis excom.* dicit, quod *excommunicatus minori excommunicatione eligere non prohibetur, vel ea ratione jurisdictionis sibi competunt exercere si tamen scienter talis electus fuerit, ejus electio est irritanda.* Quibus verbis Pontifex declaravit *c. postulastis eod.* ubi Innocent III. Greg. antiquior determinat quod collatio facta excommunicatis sit nulla, & irrita ipso facto, quod intelligatur de excommunicatione majori, quia facta excommunicato minori non est irrita, sed irritanda. Et quidem satis prudenter est ita statutum, quia cùm tempore Greg. IX. non liceret communicare cum excommunicatis, & qui communicabat, incurrebat excommunicationem minorem, si ista redderet incapacem ipso facto aliquem ad beneficia, erat occasio multarum inquietudinum, & scrupulorum. Quare Gregorius volens conscientias sedare fidelium, declarat mentem Innocentij, ut ejus decretum non intelligatur de excommunicatione minori sed quod electio facta in tali excommunicatione irretiti, non sit ipso jure irrita, sed irritãda. Quòd cum simus in pœnalibus, in sua propria significatione est intelligendum, & non ad improprium detorquendum, & inferiùs *n. 969.*

2. Ex his infertur, quòd excommunicatus minori excommunicatione potest opponi ad beneficium curatum, in concursu cujus admissio, examen, oppositio, valida erunt, sicut, & collatio, quæ si ignoranter facta est excommunicationis, non est irritanda, sicut nec irritanda est electio sic excommunicati ad dignitatem, seu ministerium politicum temporale, sive Cathedram Sacræ Scripturæ, si non habet beneficium annexum, quibus omnibus est incapax excommunicatus majori: Vnde non est admittenda opinio contraria, quam tenent Sanchez, Azorius, Garzias, Vgolinus, & alij quos citat Hurtadus *loco citato.*

3. Dico

3. Dico secundo, etiamsi standum esset in hac posteriori sententia, videlicet quod excommunicatus excommunicatione minori sit incapax beneficij Ecclesiastici, assero probabilitate non carere validam esse collationem cujuscumque pensionis excommunicato factæ. Ita sustinet Layman *lib. 6. sum. tr. 5. part. 2. c. 2. n. 8.* Eman. Sà *verb. homicida n. 21.* indicat Suar. *disp. 44. de cens. sect. 3. n. 33.* favetque declaratio Sacræ Congregationis *sess. 14. c. 7.* dicens, hoc decretum de incapacitate homicidæ ad beneficia, non extendi ad pensionem. Ratio verò est, quia nullibi habetur pensionem excommunicato collatam nullam esse, quia textus *in c. postulastis, & c. ult. de clerico excomm. ministr.* de beneficio Ecclesiastico loquuntur, quorum decisio extenditur ad pensionem; eò quod loco beneficij succedat, & illius naturam imitetur. At cum sola pensio quæ præstimonium est, vel quæ ob exercitium spirituale conceditur, perfectè naturam beneficij imitetur, & illius loco succedat sit sanè solam illam pensionem irritam esse excommunicato collatam, non autem eam quæ à beneficij natura recedit & subsidij temporalis conditioni congruit. Satis namque est decretum pœnale, & irritativum beneficij extendi ad pensionem purè spiritualem, ita Palaus *tom. 6. de cens. disp. 2. punct. 10. n. 8.* vide etiam Avilam *de cens. part. 2. Excomm. diffic. 2.*

4. Scio contrariam sententiam nempe collationem pensionis, quæ simul est temporalis & spiritualis, irritam esse docere Doctores, sic Sayrus *l. 2. c. 5. n. 15.* Vgolin. *tab. 2. de cens. cap. 13. §. 2. n. 8.* Henriq. *lib. 13. c. 13. n. 3.* Vasq. *de excom. dub. 6.* Bonacina *disp. 2. punct. 4. q. 2. §. 1. num. 4.* Suar. *disp. 13. sect. 1. num. 9.* Reginald. *lib. 32. c. 45.* Filliuc. *tract. 12. cap. 5. quæst. 4.* Garzias *de benef. 1. p. c. 5. n. 506. & sequent.* moventur tum quia hæc pensio naturam beneficij imitatur, & loco illius succedit, cùm non detur aliis à Clericis. Tum quia excommunicatus incapax est cujusvis clericalis privilegij: Tum denique quia in collatione hujus pensionis, solet Pontifex absolutionem à censuris præmittere, quod frustraneum esset, si censuræ prædictam collationem non impedirent. Ita Palaus *ubi supra n. 7.* & hanc sententiam præter Doctores citatos tenet etiam Patolettus *in Palæstra Clericali p. 2. sect. 1. c. 2. litt. G. n. 3.* Tamen hoc non obstante, licèt hæc opinio sit communis & sequenda, ac consulenda, præsertim ante factum; tamen, ut dixi, priorem sententiam existimo probabilem, & ad fundamentum sententiæ communis patet ex dictis responsio. Ad illud verò de absolutione pontificis, dicimus concedi, tum ne illius rescriptum invalidum fiat, juxta textum *in cap. 1. de rescriptis in 6.* tum ne repellatur in judicio à petenda pensione.

5. Dico tertiò, Stephan. Baunium *in praxi, de benef. d. 11. quæst. 9. assert. 4. & ult.* asserere, non posse pensionem absque auctoritate Papæ redimi sine culpa. Ratio est, quod Stylus Rom. Curiæ instar sit legis, ad quam nos, nostraque singere est necesse, ob quam causam *c. 2. ex litt. de constitutionib.* is recipiendus à suo Episcopo, in aliorum magistratuum consortium dicitur, qui parere post excommunicationem est paratus: *Quod tam juris, quam nostri moris existat,* inquit Pontifex, *ut is qui propter contumaciam communione privatur, cum satisfactionem congruam exhibuerit, restitutionem obtineat.* Verùm est ergo, stylum curiæ pro lege habendum esse: ergo cùm hîc Papa ante non consulto pensionem redimi non sinat, statuatque ut facta aliter redemptio non valeat, erit hæc absque licentia Papæ omnino irritanda. Idem docet Reginaldus *t. 2. lib. 30. c. 8. n. 233.* & alij communiter. Licet contrariam sententiam teneat Valentia *t. 3. disp. 6. q. 16. punct. 3.* & Cajet. *in opusc. septemdecim respons. resp. 10.* Lessius *lib. 2. c. 35. dub. 22. n. 124. & 129.* Tolet. *lib. 5. c. 92. n. 1. dict. 3.* Suarez *lib. 4. c. 26. num. 24. & 26.* Rationem hujus conclusionis optimè reddit Valent. supra, quia illud quod per se, & immediatè acquirit redimendo pensionem, est immunitas, & libertas ab obligatione & onere pendendi quotannis illam partem fructuum, ut de se constat: libertas autem ab hoc onere, & obligatione non est spiritualis, neque spirituali per se annexa: nam estò inde sequatur beneficium tibi fore magis utile, & facultatem habere retinendi omnes fructus, hoc est extrinsecum, & accidentarium redemptioni pensionis: siquidem redemptio per se non respicit hanc utilitatem, sed solùm illam libertatem, & immunitatem à quotannis solutione. Adde, quod redemptio pensionis aliud non est, quam quædam anticipata solutio fructuum, quos singulis annis tenebaris exhibere. Cùm igitur fructus vendi possint, etiam & redimi; Nihil ergo spirituale, neque spirituali annexum emitur. Ita Palaus *tom. 3. disp. 5. de Simon. punct. 13. n. 10.* & hanc sententiam novissimè docuit omnino videndus Pater Vrbanus ab Assumptione *in Theol. mor. tr. 3. tit. 17. §. examinatur natura pensionis fol. 665.* His tamen non obstantibus ego non audeo recedere à prima sententia Baunij, & aliorum stante stylo curiæ, ut probat Garzias *de benef. p. 1. c. 5. n. 3.* & alij. Sed stando in hac opinione difficultas est an extinguens pensionem absque Papæ licentia sit declarandus simoniacus? Et affirmativam sententiam ex neotericis tenet Cartharius *in decis. Archiepisc. decis. 16. n. 63.* cui adde Ioan. Bapt. Ciarlin. *contr. for. t. 2. c. 202. n. 22.* ubi sic ait: & communis omnium fere DD. est, ut beneplacitum non sit necessarium, quando gratis fit remissio, illud autem omninò requiratur; quando mediante pecunia, seu anticipatis solutionibus fit remissio, cessio, cassatio vel diminutio, quia hodie negari non potest, quin pensio sit spiritualitati annexa, non solum consequenter & dependenter, quia prærequirit ordinem Clericalem, vel primam tonsuram, sed etiam concomitanter, quia pensionarius obligatus est ad dicendum officium parvum B. M. V. *ex decreto Pij V. 12. Kal. Octobr. 1571* quo fit, ut si quis pecuniam receperit pro extinctione pensionis sine beneplacito Apostolico Simoniæ labe inficiatur. Navarr. *in cap. fin. de Simon.* ubi testatur quæstionem hanc fuisse disputatam coram Cardinali Alciato, & ita fuisse decisum, idem Navarr. *cons. 52. sub n. 2. vers. pro p. & n. 3. de prabend.* Major *in 4. dist. 25. qu. 5* Petr. de Aragon. *in comment. ad 2. 2. D. Thom. d. justit. & jur. qu. 100. de sim. art. 4. vers. 3. concl. 10.* Gambar. *de offic. & auth legat. de Later. lib. 6. tit. de pensionib. n. 624. & seqq.* Gig. *de pens. q. 99. num. 14.* Sayr. *de censur. lib. 2. c. 5. num. 15.* Eusch. *de visitat. lib. 2. cap. 26. num 40.* latissimè Garz. *de benef. part. 1. cap. 5. num. 20. & multis seqq.* ubi alios allegat, & probat simoniam esse extinguere pensionem mediante pecunia sine assensu Apostolico, quia licet sit principaliter jus temporale, est tamen spirituali annexa. Idem tenet Borellus *in summa decis. p. 1. tit. 30. n. 80. & 81.* Gratian. *Decis. March. 158. n. 12. &* Lotherus *de re Beneficiar. lib. 1. quæst. 42. num. 8. & 9.* verùm his non obstantibus negativam sententiam docet Baunius *ubi supra in præx beneficiorum disp. 11. q. 9. assert. ult.* Nec videtur obstare stylus Curiæ, nam respondetur, non valere consequentiam; contractus est contra stylum Curiæ, ergo simoniacus, cùm ad inducendam simoniam alia requirantur, quæ in extinctione pensionis pretio facta, Romano Pontifice inconsulto, non concurrunt, inquit Chart. *decis crim. 16. n. 53.* & quidem durum videtur aliquibus dãnare aliquem de labe simoniæ, dum in sui favorem habeat plures Doctores, & magni nominis, tantò magis quod judex in cõflictu opinionum adhærere debeat sententiæ, quæ faveat reo; sed quia opinio affirmativa, ut supra visum, est communiter à Doctoribus recipitur, non audeo ab illa discedere,

cedere & ideo non desinam hîc apponere verba Ioan. Paroletti. *in paræstra Cleric. part. 2. sect. 1. cap. 1. tit. de personal. lit. G, fol. mihi 29.* ubi sic asserit; Ad redemptionem anticipatæ solutionis requiritur Papæ authoritas, quia pensio est jus spirituali annexum, immo esset simonia, quia habet annexam obligationem spiritualem recitandi officium B.V. ita est stylus Curiæ; Sot. *de Just. l. 9. q. 7. art. 2.* Azor. tamen *cap. 10. quæst. 10.* excusat à pœnis simoniæ, non à peccato & punitione in foro exteriori. Immo Cajet. *tom. 1 opusc. tract. 3. resp. 10.* innuit privata authoritate licere, quia pensio est quid temporale, vt fructus. Prima tamen est verior. Ita Parolettus *ubi supra.*

DE ABSOLVTIONE Excommunicationis.

RESOL. CLXXXI.

An Pontifex possit aliquem absolvere à censuris actu solo interiori?

Et aliqua primo supponuntur pro solutione prædictæ quæstionis.

Et docetur, quod in foro conscientiæ in Sacramento, vel extra non debet absolvens verberare excommunicatum; nec cum Psalmis, & Precibus illum absolvere, sed, &c. Ex part. 11. tract. 3. & Misc. 3. Resol. 36.

§ 1. SVppono alios à Summo Pontifice non posse; nam verbis, vel scriptura censuræ absolutionem præstandam esse non solùm in foro exteriori & judiciali, sed in foro conscientiæ probat usus; & colligitur *ex cap. cum desideres, de sententia excomm. & Clem. vn. eodem tit.* ubi non censetur absolutus ab excommunicatione is quocum Summus Pontifex scienter communicat. Addit tamen Gaspar Hurtado *disp. 14. de excom. diff. 4.* non esse mortale aliis signis absolutionem conferre, quod non credo maximè in absolutione judiciali, tum quia adversatur consuetudini receptæ in re gravi; tum quia est satis dubium, an ea absolutio subsistat; & ita docet Palaus *tom. 6. disp. 1. punct. 11. § 3. num. 3.*

2. Difficultas est, quoad casum propositum de Summo Pontifice, & ad illam affirmativè respondet Magister Hynojosa *in direct. decision. regular. verb. absolutio 3. fol. 13.* ubi sic ait: Absolventes in foro conscientiæ, in Sacramento, vel extra ab excommunicatione non debent verberare, nec cum Psalmo, & Precibus absolvere excommunicatum, quia hæc intelliguntur de absolutione solemni in foro exteriori judicialiter facta, debet tamen parti satisfieri; Immò absolvere potest ab excommunicatione per actum interiorem Summus Pontifex, quia non subjacet formæ absolutionis traditæ in jure. Immò potest voluntate tollere legem suam. Quod nequit alius quispiam inferior Papa facere; etiamsi cum voluntate absolvendi salutaret excommunicatum, quia subjiciuntur omnes formæ traditæ in jure circa absolutionem ab excommunicatione; quia tamen constare nequit de actu interiori Papæ nisi exprimat: ideo oportet saltim dicere, quod voluit absolvere. Ita ille.

Sup. hoc ritu, & validitate absolutionis, & juramento petendo hic sequentibus, inf. in resol.

3. Sed id, quod ipse asserit de juramento non petendo, non est ita absolutè admittendum; ideò asserto, quòd Ritus servandus in absolutione judiciali à censura excommunicationis præscribitur *in cap. à nobis, 28. de sententia excomm.* & habetur in Pontificali Romano, Hujus omissio neque absolutionem invalidam reddit, ut omnes fatentur, neque illicitam graviter, nisi in solemni aliqua absolutione ad satisfactionem Ecclesiæ facta, ut notavit Gaspar Hurtado, *disp. 14. de excomm. diffic. 4.* in absolutione autem pœnitentiali, etsi expediat regulariter prædictas cæremonias servari, vt censuratus cautior in posterum sit; certum est absque gravi culpa omitti posse, vti viri timorati faciunt. Si excommunicatio ob grave delictum incursa est; v.g. ob incendium, gravemque clerici percussionem necessario sub gravi culpa exigendum est juramentum ab absolvendo; quod in simile delictum non incidet, juxta *Textum ex cap. ex tenore cap. de cætero, cap. cum desideres, de sentent. excomm.* & tradunt ferè omnes DD. Procedit que tam in absolutione judiciali, quàm pœnitentiali. In absolutione verò excommunicationis, alteriusve censuræ incursæ ob delicta leviora, non est prædictum juramentum ex obligatione exigendum, vti docet Henriquez *lib. 13. cap. 28. n. 4.* Avila *2. p. de censur. cap. 7. dis. 3. dub. 1.* Coninch *disp. 14. dub. 16. num. 204.* Gaspar Hurtado *disp. 14. de excom. diffic. 4.* Ab hac tamen obligatione juramentum præstandi eximuntur impuberes *argument. cap 1. & fin. de sent. excom.* Vbi pueri ob percussionem Clerici jubentur absolvi nulla mentione juramenti facta, & tradit Sylvester *absol. 3. n. 3.* Henriquez *l. 13. cap. 29. n. 3.* Vgolin. *de censur. tab. 1. cap. 19. §. 5. n. 2.* Sayrus *l. 2. Thesauri casuum cap. 17. n. 3.*

RESOL. CLXXXII.

De effectu excommunicationis minoris, & de ejus absolutione?

Et an excommunicatus excommunicatione minori, licet validè administret Sacramenta, peccet tamen in eorum administratione?

Et an simplex Sacerdos non approbatus ab Ordinario possit absolvere ab excommunicatione minori, quamvis sic excommunicatus habeat peccatum mortale?

Et quid quamvis suprædicta excommunicatio incursa sit ob peccatum mortale?

Et an ex delegatione non solum simplex Sacerdos, sed etiam Diaconus, aut quilibet alius Clericus possit à minori excommunicatione absolvere?

Et an si excommunicatus excommunicatione minori celebret, vel recipiat aliquod Sacramentum incurrat irregularitatem, vel majorem excommunicationem?

Et notatur electionem passivam ejus, qui est irretitus excommunicatione minori non esse irritam, sed irritandam. Ex part. 5. tract. 9. Resol. 3.

§. 1. EXcommunicatio minor directè tantùm privat à receptione, seu passiva participatione Sacramentorum, vt patet *ex cap. 2. de excep. & ex cap. vlt. de Cler. excommunicat. & ex cap. penultimo, de sent. excomm.*

2. Sed primò difficultas est, an excommunicatus excommunicatione minori, licèt validè administret Sacramenta, ut patet *ex d. cap. vlt. de Cler. excom.* peccet tamen in eorum administratione? Prima opinio docet peccare mortaliter; Ita Vasquez, Sylvester, & Armilla. Secunda opinio docet peccare tantùm venialiter; Ita Avila, Sotus, Toletus, Coninch, & Alterius Tertia opinio, quæ mihi tanquam probabilior magis placet, asserit excommunicatum excommunicatione minori non peccare administrando Sacramenta, quia excommunicatio minor id non prohibet, cùm non privet activa administratione Sacramentorum, sed tantùm eorum receptione, vt patet ex juribus allegatis, & ita docet Filliucius, Suarez Navarr. & alij quos citat, & sequitur Præpos. *in 3. p. q. 2. de excomm. dub. 5. n. 16.* & Hurtado *de excomm. disp. 16. diffic. 1. n. 4.*

3. Secundò difficultas est, an simplex Sacerdos non appro

approbatus ab Ordinario possit absolvere ab excommunicatione minori? Prima opinio negat, quia excommunicatio minor est pœna à judice inflicta: ergo requirit jurisdictionem contentiosam in absoluente, quam non habet simplex Sacerdos. Ita Tannerus *tom.4. disput.6.quæst.8. n.6.* Cornejo *in 3.part. tract.1. de excommun. disp.11.dub.ult.* Coninch. *disp.14 dub.17. n.265.* Vasquez & Avila. Secunda opinio affirmat, maximè quando sic excommunicatus non habet peccatum mortale. Ita Felinus, Tabiena, Armilla, Navarr. & Toletus. Vnde non desinam hîc apponere verba Ioannis de la Cruz *in direct. consc. part.2. de excommun. notab.2.* ubi sic ait: Sententia, quòd omnis Sacerdos potest absolvere ab ista excommunicatione, est satis probabilis, ut videtur colligi ex D. Thom. *in addit. quæst.24. art.1.* ubi ait: Qui potest absolvere à peccato participationis, potest absolvere à minori excommunicatione; sed peccatum participationis solet esse veniale à quo quivis Sacerdos absoluit: Ergo, & sic, qui juxta istam sententiam absoluit, non incurrit excommunicationem Clementinæ *Religiosi, de privileg.* contra Religiosos non expositos absoluentes ab excommunicatione. Ita Sylvester *ver. excommunicatio 7.* Tabiena *ver. excommunicatio 5.* & Manuel Rodriquez *in quæst. regularibus, tom.1. q.61. art.11.* Maximè, quia nomine excommunicationis intelligitur absolutè excommunicatio major, juxta *cap. si quem, de sent. excommun.* Ita Ioan. de la Cruz. vide etiam Philippum de la Cruz *de Confess. tract.2. §.1.* Sed quidquid sit de hoc, ego teneo cum Hurtado *ubi supra, diffic. 2. num. 10.* excommunicationem minorem incursam ob peccatum veniale, etiam posse absolui à simplici Sacerdote, quamvis sic excommunicatus habeat peccatum mortale, ut judicant Tabiena & Armilla, cum ille possit absolvere à peccato, ob quod fuit incursa; sicut etiam proprius Sacerdos & Confessarius ordinarius possunt ab illa absolvere, quamvis sic excommunicatus habeat alia peccata mortalia reservata, à quibus non possunt absolvere, ex eo quòd quantum est ex se, possit absolvere, verè à peccato, ob quod fuit incursa excommunicatio. Immò posse absolvi à quolibet simplici Sacerdote, quamvis sit incursa ob peccatum mortale, judicat Felinus & Armilla, quod non est omnino à ratione alienum, quia cùm excommunicatio minor non exigat ad sui incursionem peccatum mortale, non videtur exigere absoluentem potentem absolvere ab eo peccato mortali. Ita Hurtado.

4. Notandum est hîc obiter cum Cornejo *ubi supra*, quod ex delegatione non solùm simplex Sacerdos, sed etiam Diaconus, aut quilibet alius Clericus potest à minori excommunicatione absolvere. Nota etiam cum Præposito *loco citato*, & aliis * electionem passivam ejus, qui est irretitus excommunicatione minori non esse irritam, sed irritandam; & si excommunicatus excommunicatione minori celebret, vel recipiat aliquod Sacramentum, non incurrere irregularitatem, vel majorem excõmunicationem. Ita Villalobos *in summa tom.1. tract.17. difficult.32. n.2.* & alij.

* hoc in ref.

RESOL. CLXXXIII.

An absolutio excommunicationis valeat, si dicat: Absolvo te, *non addendo, ab excommunicatione, vel suspensione?*

Et quid, si absolutio detur invito, vel detur non petenti, ut fieri solet in confessione ante absolutionem sacramentalem à peccatis, etiam quando pœnitens nihil cogitat de absolutione à censuris?

Et in §. ultimo huius Resolutionis aliqua alia valde notanda discutiuntur pro absolutione excommunicationis, & eius forma. Ex part. 5. tractat. 9. Resol. 31.

§.1. NOn esse necessarium exprimere nomen censuræ, à qua datur absolutio, ita ut talis sit valida, docet Vgolinus *de cens. tab.1. c.23* quia ambiguitas illius verbi, *absolvo*, determinatur sufficienter per intentionem absoluentis, è contra verò Sylvester *ver. absolutio 2. §. Quantum est*, docet non valere talem absolutionem eo quòd verbum, *absolvo*, ad diversa significanda trahi potest, scilicet ad peccata, & ad pœnas, nec sufficienter determinatur per solam intentionem, quia illa determinatio deberet esse sensibilis. Respondeo talem viam tenendam esse, quod si à petente absolutionem determinetur censura, tunc ut absolutio valida sit, non est opus eam exprimere, sed satis est dicere. Ego te absolvo, quia ratione petitionis sufficienter determinatur intentio, & significatio illius verbi, *Absolvo*: sicut propter eandem rationem in sacramento Pœnitentiæ satis est dicere, *Ego te absolvo*, & nulla facta mentione peccatorum ut docet D. Thom. *3. part. q.84. art.1.* Si verò absolutio à censura detur invito, quod fieri posse dicemus infrà, vel detur non petenti, ut fieri solet in confessione ante absolutionem sacramentalem à peccatis, etiam quando pœnitens nihil cogitat de absolutione à censuris, tunc ut absolutio à censura valida sit, necessarium est eam in absolutione exprimere, quia aliter non determinatur sensibiliter significatio hujus verbi, *absolvo*, quantum satis est, & ita ex Suarez docet Cornejo *in 3. part. disp. 11. dub.3. q.2.* Villalobos *in sum. tom.1. tract.16. diffic.23. n.1.* Turrianus *de cens. lib.2. disp.24. dub.3.* Coninch *de Sacram. disp.14. dub.5. n.31.*

Sup. hoc in to.1. tr.4. ex lata doctrina Res. 5. §. Dico paulò pòst initium, à vers. Confirmatur, quia si quis.

Sup. hoc an sit licita talis absolutio inf. in Res. 189. & inferius in tr. 8. Res. 18. circa fim ad med. vers. Y cõtra su voluntad. & in tom. 3. tr. 2. ex doctrina Res. 82. §. Nec fundamenta, breviter à lin. 25

2 Notandum est tamen hîc obiter, per se loquendo, non esse necessarium explicare causam, ob quam quis incurrit censuram, potest tamen esse necessarium, quando quis esset ligatus pluribus censuris, & solùm ab una absolveretur, tunc enim aliquo modo vel expressè, vel implicitè ex circunstantiis debet constare, de qua censura absoluatur. An verò sit necessarium, ut absolutio per verba, vel per scriptum proferatur, dico validam esse absolutionem per verba, vel per scripturam; difficultas verò est de aliis signis, seu actionibus, & quidem sermo potest esse vel de summo Pontifice vel de inferioribus Prælatis, & de his Doctores docent nihil efficere, nisi verbis, aut scriptura absolvant, & colligunt ex *Clement. ult. de sent. excomm.* quod revera pendet ex jure positivo. Si verò de Pontifice sit sermo, certum esse debet, qualibet alia actione id posse facere, ut docuit P. Suar. *supra*. Ex dictis intelligitur de essentia hujus formæ absolvendi ab excommunicatione solùm esse ea verba, quæ sensum hujus absolutionis exprimunt. Solet verò à DD. inferri hæc forma: Absolvo te à vinculo excommunicationis, ob talem causam, & restituo te Sacramentis Ecclesiæ & communioni fidelium, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Sed ex dictis patet non omnia hæc verba esse de essentia formæ. Vide Turrianum & Cornejo *locis citatis*, quibus adde Sayrum *libro 2. c.21. n.2.*

RESOL. CLXXXIV.

An sit peccatum mortale relinquere cæremonias in absolutione excommunicationis?

Et in quo sensu intelligatur iuramentum, quod exigitur ab excommunicato? Ex part.5. tract.9. Res.23.

§.1. REspondeo negativè, secluso contemptu & scandalo, & ita ex Suarez docet Tannerus *tom.4. disp.6 q.10. dub.6. num.124.* Turrianus *de cens. lib.2. disp.24 dub.3.* Avila *part.2. cap.7. disp.3. dub.2.* & Villalobos

Sup hoc sup. in Res.181. §. ult. cursim in princ.

Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 16. diffic. 14. n. 5.* sed mē-dicantes, ut observat etiam ex Suarez Turrianus, habent privilegium absolvendi sine solēnitatibus: unde si quis in absolutione excommunicati sine contemptu non exigeret juramentum, vel non recitaret aliquem Psalmum pœnitentialem, aut orationem Dominicam, &c. non peccaret, nisi tantum venialiter.

2. Sed hic obiter quærendum est quo sensu intelligatur prædictum juramentum, quod exigitur ab excommunicato, ut suprà retulimus. P. Suarez *n.* 10. dicit non inducere obligationem observandi omnia mandata Ecclesiæ, quia esset novum onus imponere fidelibus, quo peccent malitia speciali contra Religionem juramenti, quoties aliquod Ecclesiæ præceptum violarent. Addit intelligi de non violando legem ob cujus transgressionem imposita fuit excommunicatio; sed neque habetur usu receptum, & saltem ob ignorantiam excusantem homines à novo peccato. Ita Cajet. *in sum. verb. absolutio*, docet hoc juramentum non esse postulandum nisi in magnis criminibus, interdum verò juramentum solum de satisfactione exhibenda, & ita docet Turrianus *ubi suprà*, quod est valde notandum.

Sup. hoc in ref. seq. §. 1. & in §. not. præteritæ.

RESOL. CLXXXV.

An juramentum de parendo, &c. præstandum sit semper in absolutione excommunicationis majoris, & si omittatur, quando debet præstari, an absolutio sit nulla? Ex part. 5. tract. 9. Ref. 68.

§. 1. CAsus sunt practicabiles, & ad primum respondent Sylvester & D. Anton. quos sequitur Cajetanus, solum esse exigendum in magnis criminibus, ut in hæreticis, incendiariis, falsariis, Clericorum percussoribus, ac similibus. Pro contraria tamen sententia facit quòd jus discrimen nullum ponat in criminibus, ut constat ex *c. cum desideres, de sent. excomm.* Dici tamen potest servari posse, quod docent illi authores citati, ea in absolutione, quæ datur in foro interiori; in foro autem exteriori standum esse consuetudini loci, si legitimè præscripsit.

Sup. hoc in fin. præced. Ref. Sed lege eam per totam, & pro contento in hac ref. sup. in Ref. 181. §. ult.

2. Ad secundum dubium an absolutio quando omittitur juramentum, sit utilis, seu valida? Respondeo omisso juramento, cùm à jure præscribitur, placuit quibusdam non valere absolutionem, ut refert gl. *in d. c. cum desideres, de sent. excommunicat. verbo, nisi forma.* & adscribitur Hostiensi. Nihilominus dicendum est valere absolutionem, ut docet, glossa citata, Abb. *ibid.* probatur communis sententia ex *cap. super eo. 2. de sententia excommunicationis*, ubi absolutio data illi, qui jurare noluit, valida asseritur, nec ulla constitutio juris est, quæ ostendat juramentum esse de essentia absolutionis, aut ad ullam ejus causam intrinsecam spectare, & hæc omnia docet Gordonus *tom. 2. lib. 7. q. 12. c. 9. §. 3. n. 75.*

RESOL. CLXXXVI.

An excommunicatus, si non potest satisfacere, debeat saltem confessario præstare cautionem iuratoriam?
Et an ille processus satisfactionis, & cautionis pignoratitiæ & juratoriæ intelligendus sit pro foro pœnitentiali deficiente possibilitate pœnitentis, propositum ejus firmum tantum valeat? Ex part. 2. tract. 16. & Misc. 2. Ref. 42. alias 44.

Sup. hoc quamvis ex vi Cruciatæ lege tamē in

§. 1. DOctores communiter affirmativam sententiam docent, sed cùm viderem confessarios etiam communiter in praxi non observare, non parum laboravi, ut invenirem aliquos Doctores, pro tuenda eorum praxi, & pro contraria sententia firmanda, & tandem inveni Ioan. Valerum *in differentiis utriusque fori, ver. absolutio, differ. 5. n. 3. & differ. 11. in fin.* & Henriquez *lib. 7. c. 13. n. 2. in glossa littera I. & c. 28. n. 3. in gloss. littera A.* asserere, in foro conscientiæ, satis esse propositum firmum pœnitentis, quia cautio juratoria, *cap. solet. de sententia excomm. in 6.* requiritur tantùm pro foro exteriori, in casibus expressis. Et ita etiam docet Navarrus *c. 27. n. 278.* sic limitans quod dicit *in c. 26. n. 3.*

2. Dicendum est igitur probabiliter, cum supradictis Doctoribus, quòd ille processus satisfactionis, & cautionis pignoratitiæ, & juratoriæ, videtur intelligendus pro foro exteriori, nam in foro pœnitentiali deficiente possibilitate pœnitentis, propositum ejus firmum tantum valet, quantum datio pignorum, vel fide jussorum, in foro judiciali. Ergo in foro conscientiæ satis erit credere pœnitenti.

RESOL. CLXXXVII.

An excommunicatus, ut absolvatur, sufficiat dare fidejussoriam cautionem, si non potest dare pignoratitiam?
Et qui incurrit excommunicationem, eo quod cum potuit, non solvit decimas, si postea fiat impotens, an possit absolvi per Bullam cum cautione, non obstante Concilio Tridentino sess. 24. cap. 12. de Reformat. *dicente talem non esse absolvendum, nisi plena restitutione subsequuta?* Ex p. 5. tract. 9. Ref. 39.

§. 1. LIcet Cajetanus *ver. absoluto cap. 4.* & Navar. *c. 26. n. 7.* dicant, quòd si pœnitens potest dare pignoratitiam cautionem, tenetur ad illam, & si hanc non, ad fidejussoriam, & si nec istam, tenetur ad juratoriam. Probabilius tamen est, quòd cautio, quæ exigitur à jure, intelligi debet disjunctivè, ita quòd si excommunicatus habet pignora, non tenetur dare illa, sed sufficiat dare fidejussoriam. Videtur autem quòd si potest dare alteram illarum cautionum, non satisfaciat in conscientia, dando juratoriam, quia hoc potest vergere in grave detrimentum partis læsæ. Et ita docet Ludovic. de la Cruz *in Bulla Cruc. disp. 1. c. 4. dub. 2. n. 15.* imò probabiliter aliqui, quos ego alibi citavi, docent sufficere cautionem juratoriam, etiamsi possit dare fidejussoriam, vel pignoratitiam, quod est valde notandum.

Sup. dubium commune hoc §. & ref. ejus auct.

Alibi fuse ter tractat.

2. Notandum est hîc obiter, quòd qui incurrit excommunicationem, eo quòd cùm potuit, non soluit decimas, si postea fiat impotens, potest absolvi per Bullam cum cautione, non obstante Tridentino *sess. 24. c. 12. de reformatione*, dicente talem non esse absolvendum, nisi plena restitutione sequuta, quod idem in simili dicunt DD. *in expositione constitutionis de largitione munerum Regularibus interdicta*, quam nuperrimè edidit Sanctiss. Clemens VIII.

Sup. citata in hoc §. n. 4. Ref. 38. Quæ tamen dicta, ita intelligenda sunt, ut non procedant, si pœnitens

RESOLVTIO CLXXXVIII.

An pœnitens oblitus censuræ exigentis satisfactionem remaneat absolutus per generalem absolutionem collatam à confessario potestatem habente?
Et an pœnitens in confessione etiam extra jubilæum facta, si nullam faciat mentionem censurarum, remaneat absolutus ab illis, quarum sit inculpabiliter oblitus, etiamsi Superior Confessarius non habuisset expressam intentionem ab his absolvendi?
Et difficultas est, an pœnitens talis remaneat absolutus ab his, quas culpabiliter non expresserit, quoties absolutio

lutio sit collata ab habente potestatem ordinariam? Ex p. 7. tract. 10. & Misc. 1. Res. 12.

§. 1. NEgativè respondet Coninch. *de Sacramentis, disputatione octava, dub. 17. numero 97.* Bonacina *de Sacramento Pœnitentiæ, disputat. prima, quæst. tertia, punct. sexto, numero quarto.* Leo *de Iubilæo, parte secunda, numero 200.* Avila *ubi infrà*, & alij. Quia non est credendum Confessarium velle absolvere à censura non expressa, à qua etiamsi esset expressa non potest licitè absolvere, nisi præmissa satisfactione reali.

2. Hæc opinio est satis probabilis, sed affirmativam probabilem etiam esse puto. Et ratio est, quia stante hac oblivione inculpabili, nullum adest impedimentum, neque ex parte Confessarij, neque ex parte Pœnitentis, quominus possit & validè, & licitè absolvi, cum sufficiat efficax propositum satisfaciendi, quando impossibilis est realis satisfactio, Sed quando quis inculpabiliter ignorat, seu obliviscitur se teneri ad satisfaciendum, verè pro eo tempore satisfactio hæc dici potest impossibilis. Ergo pro eo tempore sufficiet propositum restituendi. Ergo stante hoc proposito dicendus erit pœnitens absolutus. Et hanc sententiam tanquam probabilem admittunt etiam Doctores contrarij; & ideò Avila *de Cens. parte secunda, capite septimo, disputatione tertia, dub. 9. conclusione secunda*, sic asserit. Ex secunda conclusione inferunt nonnulli juniores, quòd si aliquis est excommunicatus excommunicatione exigente satisfactionem partis, & oblitus est confiteri peccatum illud, propter quod incurrit excommunicationem, & confessus est Confessori habenti facultatem ad absolvendum à tali excommunicatione virtute Bullæ Cruciatæ, vel alterius privilegij per absolutionem generalem, quæ datur ad cautelam, verè manet absolutus à tali excommunicatione. Verumtamen quamvis hoc sit probabile, oppositum judico probabilius; quia non est præsumendum, Confessorem habere intentionem absolvendi à tali excommunicatione, quæ si à pœnitente manifestaretur, & absolveret ab ea sine satisfactione, vel cautione, peccaret mortaliter. Ita ille, cui ego libenter adhæreo.

3. Notandum est hîc obiter id quod etiam alibi adnotavi pœnitentem in confessione etiam extra Iubilæum factam, si nullam faciat mentionem censurarum, remanere absolutum ab illis, quarum sit inculpabiliter oblitus. Etiamsi superior Confessarius non habuisset expressam intentionem ab iis absolvendi; quia absolutio illa impenditur in ordine ad absolutionem sacramentalem, ad quam necessaria est absolutio ab omnibus censuris etiam reservatis. Sed difficultas est an talis pœnitens remaneat absolutus ab iis, quas culpabiliter non expresserit quoties absolutio sit collata ab habente potestatem ordinariam? Et ratio est, quia absolutio ab excommunicatione pendet à potestate, & intentione absoluentis. Ergò si absolventis intentio est ab omnibus absolvendi, tenebit absolutio, etiamsi aliqua culpabiliter non fuerit expressa. Et hanc sententiam tenet etiam Angelus Bossius *de Iubilæo, sectione prima, cas. 18. numero vigesimo primo.*

RESOL. CLXXXIX.

An licitè quis absolvatur ab excommunicatione invitus, licet non velit desistere à contumacia, & à peccato, per quod fuit excommunicatus?

Et an hoc intelligatur tantum de absolutione ab homine non autem de absolutione à jure?

Et an per Bullam Cruciatæ, Iubilæum, vel aliud privilegium concessum in favorem pœnitentis non possit absolvi invitus ab excommunicatione, secus si privilegium sit concessum in favorem Confessarij, ut si sit Religiosus, &c. Ex part. 5. tract. 9. Res. 10.

§. 1. VAlidam esse talem absolutionem non est dubium; difficultas est an sit licita? Multi Iuristæ putant esse licitam, ut latè refert & defendit Vgolinus *tabula 1. cap. 19. §. 2. num. 3.* P. Suarez docet primò si sit ab homine, posse ab eo licitè tolli, justis de causis, & observatis prudenter circumstantiis, & hoc non est contra aliquod jus divinum, aut humanum. Secundò si sit lata à jure, dicit quòd erit observanda forma assignata, si sit jure assignata, secus prudenter rem esse considerandam, ut fiat sine peccato, S. Thom. quidem *in 4. distinct. 18. quæst. 2. art. 8.* absolutè dixit posse discretè auferri, si quis videat saluti illius expedire, in quem lata est. Et P. Vasquez *dub. 18. num. 14.* breviter dixit illum non esse absolvendum, nisi majus malum sequeretur, & mihi videtur, prudenter consideratis circumstantiis, posse licitè absolvi aliquem ab excommunicatione invitum. Et hæc omnia docet Turrian. *de censuris lib. 2. disp. 24. dub. 7.* sed circa præsentem quæstionem ne deseras videre Philippum Fabrum *de cens. in 4. sentent. dist. 25. q. 1. disp. 4. c. 8. n. 261.* ubi observat ex multis licere absolvere invitum ab excommunicatione, licèt non velit desistere à contumacia, & à peccato, propter quod fuit excommunicatus, & hoc quando judex cognoscens quòd excommunicatio non prodest, sed obest, & consequenter non sit medicina, sed venenum, tunc enim si judex cognoscat prudenter, quòd si absolvatur etiam invitus & contumax, hoc proderit ipsi excommunicato, licitè poterit illum absolvere; sed hoc dicunt de absolutione ab homine, ac non de absolutione à jure. Ab hac enim dicunt nunquam licere absolvere, nisi petat absolutionem, & cesset à peccato. Tamen hoc etiam licere de excommunicatione à jure, tenent recentiores, quando in jure non cavetur, ut ullo modo absolvatur, nisi satisfaciat, &c. quia tunc videtur facultas tota commissa prudenti judicio judicis, ideo si judex expedire poterit licitè ab illa absolvere, si adsint tres conditiones. Prima quòd hoc non sit in præjudicium tertij, quia hîc esset actus contra justitiam. Secunda, dummodo non adsit scandalum, nec contemptus censuræ. Tertia, quòd sint sufficientia signa, quòd talis censura potius detrimentum afferat, quàm utilitatem, & quòd procedendo via suaviori obedientiam obtinebit; sunt enim quidam, qui magis moventur suavi admonitione, quàm rigorosa flagellatione.

Pro validitate sup. in Res. 183. §. 1. post med. vers. Si verò, & in aliis ejus not. & an sit licita inf. in tr. 8. vide Res. 18. cursim post med. vers. Y contra suo voluntad. & in tom. 3. tr. 2. Res. 82. §. Nec fundamenta, breviter à lin 2 & in to. 1. tr. 4. Res. 58 §. Secundo Canones.

2. Nota etiam quòd conclusio intelligitur de absolvente per potestatem ordinariam, & absolutam, independentem à voluntate excommunicati, unde per Bullam Cruciatæ, vel Iubilæum, vel aliud privilegium concessum in favorem pœnitentis, non potest absolvi invitus. Ita P. Henriquez, & aliqui Magistri; nam usus privilegij pendet ex voluntate utentis illo, unde si non vult uti illo, non habebit Confessarius facultatem absolvendi virtute illius. Dico concessum in favorem pœnitentis, nam si sit concessum in favorem Confessarij, ut si sit Religiosus, qui absoluit virtute privilegij concessi ipsi Religioni, credo quòd absolutio erit valida.

RESOL. CXC.

An absolutio ab excommunicatione data sub conditione

in futurum validè conferatur? Ex part. 5. tract. 9. Resol. 14.

§. 1. Respondeo, quod absolutio à censura non solùm absolutè, sed etiam sub conditione in futurum pendente, validè conferri potest. Vt v.g. Te absolvo ab excommunicatione, si infra quindecim dies, vel cras restitueris. Et ideo non desinam hîc apponere verba Turriani *de cens. lib. 2. disp. 24. dub. 1.* ubi sic ait, absolutionem excommunicationis concedi posse sub conditione; Probatur primò ex *cap. praterea, 2. de appellationibus*, ubi tanquam valida censetur hæc excommunicatio, si quis judex protulerit. Si intra viginti dies non satisfeceris, te excommunicamus. Ergò à simili posset ferri absolutio conditionalis. Idem probat Pater Vasquez à simili de eo, qui absolvit pro certo tempore, quo elapso reincidat, si non satisfecerit. Et mihi hæc sententia probatur, quia non video rationem aliquam, ob quam dicamus non posse absolutionem eo modo conferri. Ita Turrianus. Videantur etiam Suarez *de cens. disp. 7. sect. 8. num. 11.* Hurtado *de excommun. disp. 14. dissic. 2. n. 1.* Coninch *de Sacram. disp. 14. n. 218.* Præpositus *in 3. par. q. 1. de cens. in communi dub. 15. n. 110.* Henriquez *lib. 13. c. 19. n. 4.* & Emanuel Sà *ver. absolutio ab excommunicatione, n. 2.* Vnde ex his apparet refellendam esse sententiam D. Antonini *in 3. par. tit. 24. cap. 7.* Angeli *ver. excomm. 2. n. 5.* & Sylvestri *ver. absolutio 3. n. 1.* docentium absolutionem sic factam esse illicitam, & nullam, quia absolutio Sacramentalis à peccatis, cui videtur æquiparanda facta sub conditione, est illicita, & nulla. Item rejiciendus est Avila *de cens. part. 2. c. 7. disp. 3. dub. 15.* docens absolutionem sic factam esse illicitam, quia est contra rationem, quod manet in suspenso, esse tamen validam, utpotè nullo jure irritam. Igitur talis absolutio data sub conditione non solùm valida est, sed licita, quia absolutio sic facta nullo jure irritatur, ac proinde impleta conditione, sub qua fuit facta, habebit effectum tollendi excommunicationem, & quòd possit licitè fieri probatur, quia nullo jure prohibetur, quia non positivo, cùm nullum extet, nec naturali, quia sic absolvere non est contra rationem, sicut nec excommunicare sub conditione.

2. Non desinam tamen hîc adnotare ea, quæ post hæc scripta inveni apud Villalobos *in summa tom. 1. tract. 16. dissic. 22. n. 3.* ubi sic ait: [Ha se mucho de advertir que no es licito absoluer debaxo de condicion de futuro: lo uno, porque es contra la costumbre de la Iglesia: lo otro, porque ha de considerar el juez, si el reo tiene devida disposicion para absoluerle, y assi dize Navarro, que no es licito. Verdad es que en caso de grave necessidad (qual seria quando despues non pudiesse aver recurso al superior) le podrian absolver assi, porque no està prohibido en derecho, y Vgolino dize absolutamente, que es licito absolver desta manera, la qual sentencia tengo por muy verdadera en caso de necessidad.] Ita ille, quem etiam sequitur Philippus Faber *de cens. in 4. dist. 25. q. 1. disp. 4. c. 9. n. 166.*

RESOL. CXCI.

An, ut absolutus ab excommunicatione ad reincidentiam in eam reincidat, sit necessaria nova culpa?

Et an qui potest absolutè absolvere, possit etiam ad reincidentiam, quamvis excommunicare non possit? Et par. 5. tract. 9. Resol. 15.

Pro roborâ-da doctrina hujus Resol. &

§. 1. Doctè, breviter, & clarè, ut semper solet, Hurtado Complutensis *de excomm. disp. 14. difficult. 3. n. 11.* notat hanc quæstionem procedere, pro eo quando v. g. absolutus ad reincidentiam, nempe ad tres dies absque conditione, & ad reliquum tempus sub conditione alicujus operis, nullo superaddito, quo indicetur absolutio facta sub conditione operis non omissi culpabiliter: (ut quando dicitur, absolvo te ab excommunicatione ad tres dies, ita ut si intra eos non soluas, reincidas in eam,) an scil. tunc sic absolutus reincidat absque nova culpa, id est, si inculpabiliter omittat solvere, vel aliud facere, vel quia non potest, vel aliter. Hoc supposito ex Suarez & Filliucio ad dubium propositum negativè respondet Hurtado *loco cit. n. 12.* cui ego addo Turrianum *de cens. lib. 2. disp. 24. dub. 2.* Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 16 dissicult. 23. n. 6.* & ratio est, quia tunc pro reliquo tempore ultra tempus determinatum, pro quo fuit absque conditione absolutus, non absolvitur absolutè, sed sub conditione operis, nullo superaddito, quo indicetur respectus ad culpam, ergo deficiente conditione, quamvis absque culpa deficiat, non perseverat absolutus, sed reincidit in excommunicationem, & non aliunde, quàm ex vi sententiæ, quæ fuit primò lata, ex vi cujus perseveraret, quamvis excommunicatus fieret impotens ad solvendum, vel ad aliud opus, sub cujus conditione fuit absolutus pro illo reliquo tempore. Et ex his infert Hurtado quòd si excommunicatus, qui non soluit debitum, & absolutus fuit ad reincidentiam ad tres dies, sive omnino absolutè, seu priori modo dicto, sive pro reliquo tempore ultra tres dies sub conditione alicujus absolutè, posita absque aliquo indicante respectum ad culpam, non impeditur à reincidentia in excommunicationem, ex eo quòd pars consentiat, quia consensus partis tantùm potest deservire, ut sic absolutus non peccet non solvendo, quod non sufficit ut non reincidat, quia reincidit ob antiquam culpam, & vi antiquæ sententiæ, & absque nova culpa requisita, ut defectu conditionis requisitæ ad perseverantiam absolutionis, impeditur tamen quando fuit absolutus sub códitione actus omissi culpabiliter, quia consensus partis efficit, ut omissio illius actus sit inculpabilis, ac proinde ut non deficiat conditio, sub qua facta fuit absolutionis perseverantia.

2. Verùm his non obstantibus contrariam sententiam tuentur Avila *de cens. 2. par. cap. 7. disp. 3. dub. 14.* Henriquez *lib. 13. c. 29. n. 2.* Navarrus *c. 27. n. 277.* & alij, quia nemo potest de novo ligari aliqua excommunicatione sine novo peccato: atqui cùm talis fuerit verè absolutus ab excommunicatione, non potest in eam reincidere nisi de novo ea ligetur; ergo opus est novo peccato.

3. Dices majorem solùm esse veram, quando nova excommunicatio infligitur, secus autem esse quando prior redit, quæ non fuit absolutè ablata, sed solùm pro certo tempore, & pro reliquo tempore sub conditione, qua non posita, eadem ex communicatio propter idem peccatum redit. Sed contra, vel medio illo tempore excommunicatio fuit solùm suspensa, ita ut secundùm se, & quasi in actu primo verè manserit, ita tamè ut nullum habuerit effectum, sicut solet interdictum suspendi, & hoc dici nequit, quia secundùm jus ordinarium, & communem sententiam, excommunicatio non potest ita suspendi, nisi in quibusdam casibus ad certum aliquem effectum: vel est absolutè sublata, & tunc impossibile est redeat, nisi de novo producatur, quod nihil est aliud quàm absolutum de novo iterum excommunicari, quia intelligi nequit, quomodo id quod semel verè destructum est, redeat, nisi de novo producatur ea ratione qua produci potest, parum autem facit ad rem, sive dicatur esse eadem numero excommunicatio, sive diversa (de quo nolo jam disputare) quia sive hoc, sive illud

illud dicas, æquè graviter alter punitur, & propter eandem culpam bis puniri nequit. Habet igitur utraque sententia auctores & rationes pro se. Vnde meritò Ioan. Præpositus *in 3. p. quæst. 1. de cens. in comm. dub. 15. n. 113.* utramque probabilem esse putavit.

4. Notandum est hîc obiter contra Avilam, quòd qui potest absolutè absolvere, potest etiam ad reincidentiam, quamvis excommunicare non possit, quia absolvens ad reincidentiam, non est qui secundò excommuninicat, sed ille qui primò excommunicavit. Ita ex Suarez Hurtado *ubi suprà n. 14.*

RESOL. CXCII.

An si pars dilatet tempus absolutionis ad reincidentiam a judice factæ, incurratur, elapso tempore, excommunicatio, vel necesse sit aliam excommunicationem ferre? Ex part. 5. tr. 9. Res. 22.

Sup. §. 1. hîc. Ad hunc casum ita respondet Villalobos *in sum. tom. 1 tract. 16. diffic. 23. num. 4.* [Quando la parte concede al juez que le absuelvan ad reincidentiam, por quinze dias, y antes que se cumpla el termino, lo alarga la parte por otros quinze dias, en tal caso hasta que se cumplan todos los treynta dias no incurre la discomunion, como dizen Abad, Decio, Felino, Suarez, Covar. y Rebufo, el qual dize que es comun. La razon es, porque el termino del juez fue en favor de la parte, y assi ella le puede proregar, como tambien remitiendo la parte el juramento que en su favor se haze, le remitte Dios, como dize un texto. Y la prorogacion siempre se entende con todas las calidades y clausulas de la cosa que se proroga, como consta del derecho. Algunos Dotores tienen que en esto caso no se incurre la censura, sino se pone de nuevo: assi parece que lo tienen Sylvestro, Navar. Pedraza, y Iuan Guttier. fundase en que la intencion del juez fue hasta el primero termino, y assi passando de ai, no incurre sin nueva sentencia. La opinion contraria me parece llevar mucho mas camino, y la tienen muchos mas Dotores, y mas graves.] Sic ille, & ego huic posteriori sententiæ tanquam probabiliori adhæreo, quicquid in contrarium dicat etiam Henriquez *lib. 13. cap. 2.* Dico igitur elapso termino à parte prorogato incurri excommunicationem absque novo consensu judicis ex vi præcepti à principio facti, & lationis excommunicationis ei annexæ, quia judex, qui præfixit terminum, v. g. trium dierum, ut intra illum fiat aliquid, v. g. solutio, non præfixit illum ad finiendum intra illum suum præceptum, & lationem excommunicationis ei annexæ, sed tantùm ad finiendam permissionem, aut licentiam differendi impletionem sui præcepti; ergo etiam post terminum à judice præfixum, & post terminum à parte prorogatum, perseverat præceptum judicis, & annexio excommunicationis, ac proinde ex vi lationis excommunicationis in principio factæ absque novo consensu judicis incurritur excommunicatio, non quia pars directè & potestativè differat præceptum & lationem excommunicationis, sed quia differendo, seu suspendendo obligationem naturalem in actu secundo v. g. solvendi, cui judex præcepit satisfieri à debitore, consequenter, & indirectè differt, & suspendit præceptum judicis, & lationem excommunicationis ei annexæ. Et ita docet Hurtado *disput. 13. de excom. diffic. 5. num. 15.* & Ioan. Henriquez *in Compend. cas. mor. cap. 20. num. 5. & 6.* cum Sanchez *in summa tom. 2. lib. 4. cap. 55. num. 5. & 6.*

RESOL. CXCIII.

An ab excommunicatione lata ab homine generaliter, quando non reservatur possit absolvere Parochus, seu alius Confessarius, qui potest ab excommunicatione à jure latâ non reservata? Ex part. 5. tractat. 9. Resol. 4.

Sup. hoc in resol. seq. §. ult. §. 1. Negativam sententiam tenet mordicus Suar. *de cens. disp. 7. sect. 2. num. 22.* Vasquez *de excommun. dub. 19. num. 10.* & Philippus Faber. *de cens. in 4. sent. dist. 25. q. 1. disp. 4. cap 8. num. 241.* quia, ait revera excommunicatio generaliter lata contra quoscumque, qui aliquod delictum fecerint, non est excommunicatio à jure, cùm non sit registrata in corpore juris, neque sit statutum aliquod, quia hoc respicit futurum, & est de peccatis futuris non factis: hæc autem est de peccatis, seu excessibus factis & præteritis, ergo debet de ea judicari, sicut de excommunicationibus latis ab homine decernitur in jure: de illis autem decernitur quòd non possint absolvi, nisi à judice, qui illas posuit, vel à suo Supetiore, ut apertè habetur *c. nuper, de sentent. excomm, §. 4. & 5.* in quo ponitur discrimen inter excommunicationem ab homine, & à jure, & excommunicationem ab homine dicitur non relaxari, nisi à judice eam ferente, vel ab ejus Superiore, excommunicationem verò à jure posse relaxari ab Episcopo, vel à Parocho, ergo dicendum est excommunicationem generalem non posse relaxari, nisi à judice, qui illam tulit, vel à suo Superiore, ut dictum est de aliis excommunicationibus ab homine.

2. Sed ego puto sententiam affirmativam esse tenendam, quam tenet etiam Cornejo *in 3. p. tr. 5. de excommun. disput. 11. dub. 3.* Sà *ver. absolutio ab excommunicatione, num. 15.* Coninch *de censur. disput. 14. dub. 16. num. 257.* Avila *de cens. part. 2. cap. 7. disput. 1. dub. 8.* Henriquez *lib. 13. cap. 28. num. 5.* Layman *tract. 5. p. 1. cap. 7. num. 3.* & Hurtado *de excomm. disput. 15. diffic. 6. num. 21.* quia cùm absolvendo à dicta excommunicatione non turbetur tribunal judicis illam ferentis, eo ipso quòd ejus absolutio non reservatur, committi videtur cuicumque, qui potest absolvere à peccato, ob quod incurritur, non minus quàm absolutio ab excommunicatione à jure lata, quamvis in dicto cap. *nuper*, id non exprimatur, cùm eadem ratio, ob quam id declaravit Pontifex de voluntate legislatoris lege, seu jure excommunicantis, non reservantis, currat etiam pro excommunicatione latâ generaliter ab homine eam non reservante: ex dictis constat ab excommunicatione majori lata generaliter ab homine (etiam à Papa, ut homine, id est, non medio jure, sed media sententia, aut medio præcepto transitorio) quando non reservatur, posse absolvere quemcumque, qui potest à peccato, ob quod imponitur absolvere.

3. Nec valet dicere quòd talis censura est simpliciter ab homine, & non à jure, ut juxta juris regulam, ex *capite inferior, distinct. 25. cap. verbum, de pœnit. distinct. 1. capite prudentiam §. 6. de officio delegat. capite ad reprimendam, & capite pastoralis, §. præterea, de officio ordinary*, censura ab eo tollenda est, à quo lata fuit, aut ab ejus Superiore, eo quòd non minor requiratur jurisdictio ad absolvendum, quàm ad ligandum, & inferior non possit in censuram latam à Superiore. Sed huic fundamento sit satis ex supradictis, nam eo ipso quòd hæc censura generalis æquiparatur censuræ latæ à jure, & Superior, à quo imposita est, eam non reservavit, videtur absolutionem

nem commisisse cuicumque facultatem habenti, ut de censura juris non reservata dictum est, jura autem relata procedunt de censura speciali, ergo: & tandem hanc sententiam post hæc scripta invenio docere etiam Præpositum *in 3.p.q.1. de cens.in comm. dub. 13. n. 90.* ubi sic ait: Dico secundò eos, qui possunt absolvere à censuris latis à jure, posse etiam absolvere à censuris latis ab homine per sententiam generalem, quæ se habet per modum præcepti: ut si Episcopus præcipiat sub pœna excommunicationis, ut omnes beneficiarij resideant, verisimile est non solùm Episcopum posse absolvere, sed etiam alium, qui potest absolvere ab excommunicatione lata à jure, quia respectu talium censurarum non ita urgent textus, qui semper mentionem faciunt casus particularis, neque ex ullo urgenti principio contrarium videtur posse ostendi; & de cætero satis commodè idem de his potest esse judicium, quod est de censuris latis à jure.

RESOL. CXCIV.

Quisnam possit absolvere à censura juris nemini reservata?

Idem est de censura permanente, & imposita per modum statuti?

Et an absolutio excommunicationis majoris impendi possit extra Confessionem Sacramentalem, tam ab Episcopo, quàm à Parocho, aut Confessario Ordinario? Ex part. 5. tr. 9. Resol. 5.

Quoad hoc lege doctrinam præced. Resol. & signanter in t. 3. tr. 2. Resol. 24. §. ult.

§.1. HAnc potestatem non habere Parochum, aut alium Sacerdotem, docet Paludanus *in 4. distin. 8. q. 5. art. 1.* Durand. *q. 4.* Covarr. *1. p. §. 12. numero 5.* quia Parochus non habet ex suo officio jurisdictionem in foro exteriori, quæ necessaria est ad absolutionem ab excommunicatione majori. Vide etiam Fabrum *de cens. in 4. sent. dist. 25. q. 1. disput. 4. cap. 8. num. 250.* ubi firmat hanc opinionem variis rationibus.

2. Sed ego respondeo ad dubium quæsitum, quòd à supradicta excommunicatione absolvere potest Episcopus jure ordinario, ut habetur *in cap. nuper*; §. *in 2. casu, de sententia excommunicationis*, & docent omnes cum D. Thomas *in addition. quæst. 24. & 21.* Et ratio est, quam tradit Innocen. III. *in dicto cap. nuper*, quòd scil. eo ipso, quòd à jure non reservetur, videtur committi jurisdictionem habentibus, quam rationem latè expendit Suarez *sectione 4.* & quamvis in dicto cap. *nuper*, solùm fiat mentio de minori excommunicatione; ratio tamen assignata etiam currit in majori, & idem est de Capitulo Sede vacante, & de Abbatibus ac aliis Prælatis Religiosorum, qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem, hoc est, fori contentiosi, ut docet Suarez *sect. 3.* & Sayrus *cap. 19. num. 11. & sequentibus*, contra Covatruviam, & alios, quamvis Parochus hanc potestatem non habeat jure ordinario, & ex vi sui muneris, sicut habet eam Episcopus, sed ex commissione à Summo Pontifice factam in prædicto cap. *nuper*. Atque ita licèt Parochus ligare per censuram minimè possit, poterit nihilominus ex commissione absolvere: & idem existimo dicendum de quolibet Sacerdote habente potestatem absolvendi à mortalibus, quia iste dici potest proprius Sacerdos, cui in dicto cap. commissio datur. Et ita docet Cornejo *in 3. part. tr. 5. de excomm. disp. 11. dub. 1.* Præpositus *in 3. part. quæst. 1. de cens. in comm. dub. 14. n. 91.* Turrianus *de cens. lib. 2. disput. 19. dub. 6.* Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 17. diffic. 28. num. 8.* Moscoso *in sum. tr. 16. cap. 7. num. 4.* Tannerus *tom. 4. disput. 6. quæst. 10. dub. 6. num. 115.* Filliucius *tom. 1. tract. 11. c. 9 n. 283.* quibus addè Vasquez, Navarrum, Avilam, & Coninch, quos citat & sequitur Hurtado Complut. *de excomm. disp. 15. diffic. 2. n. 6.* ubi *n. 7.* observat etiam quod absolutio à dicta excommunicatione majori non solùm ab Episcopo potest fieri extra confessionem, sed etiam à proprio Parocho, & à Confessario ordinario, etiamsi prædictis remittatur ad absolutionem à peccatis seu in ordine ad eam, quia potest quis uti potestate sibi concessa quoad aliquid, & nolle uti ea in totum, ut etiam dicemus *diffic. 5.* de absolutione ab excomm. facta vi tute Bull. Cruciat. aut alterius similis privilegij. Ita Hurtado.

3, Notandum est hîc cum Villalobos *ubi supra n.* 11. [Que lo que se ha dicho de la censura, que está puesta por el derecho y no reservada, tambien se ha de dezir de la censura permanente, puesta por via de estatuto de alguna Provincia à Obispo no estando reservada, aunque estè confirmada por el sumo Pontifice, porque son de la misma manera que las otras; y corre en ellas la misma razon.] Sic ille.

RESOL. CXCV.

An Episcopus possit absolvere à censuris reservatis Papæ, existente impedimento illum adeundi; ita tamen ut cessante impedimento, teneatur adire saltem per Procuratorem, sub pœna reincidentiæ; quam obligationem teneatur illi injungere, si non sit impedimentum pueritiæ, quo adhuc cessante adire non tenetur?

Et an qui impediti sunt, si adire queant Nuncium aut Legatum Pontificis, possint absolvi ab Episcopo?

Et docetur, quod si impeditus nequeat Episcopum adire, possit cum supra dicto onere à Parocho absolvi, eoque deficiente ab alio Confessario.

Et in textu hujus resolutionis apponuntur impedimenta, quæ excusare possunt excommunicatum à recursu ad Papam.

Et an si impedimentum sit brevis temporis, tunc non possit ab excommunicatione Papæ reservata Episcopus absolvere?

Et quid, si ignoratur, quamdiu duraturum est impedimentum? Ex parte 11. tractatu 8. & Misc. 8. Resol. 1.

§.1. AD hoc dubium sic respondet Andr. Mendo *in Bull. Cruc. disp. 23. c. 3. n. 30.* Potest quis, existente impedimento, quod nequit adire Pontificem pro absolutione à reservatis, absolvi ab Episcopo, ita tamen, ut cessante impedimento, teneatur adire, aliàs reincidet in easdem censuras, nisi sit impedimentum pueritiæ, qua adhuc cessante adire non tenetur, infertur *ex capite mulieres, & alibi de sent. excommun. in 6.* Hi autem, qui impediti sunt, si adire queant Nuncium, aut Legatum Pontificis, non possunt ab Episcopo absolvi. Ita Bonacina *de censur. disput. 1. quæst. 3. punct. 2. numero 4.* probabile tamen est, posse, ut defendit P. Avila *de cens. 2. part. cap. 7. dub. 6.* quod si impeditus nequeat Episcopum adire, posse cum prædicto onere absolvi à Parocho, aut ab alio confessore, probabiliter tuetur P. Granado *in 3. parte tractatu 10. disputat. 7. numero 12.* sed verius est oppositum, quia Pontifex solùm ad Episcopos indulget in casu prædicto recursum, ut docet Cardinalis Lugo *disputat. 20. de pœnit. numero 225.* ita Mendo, cui quidem assentior.

2. Sed aliqui putant in tali casu adeundum esse Nuncium, si adiri potest. Ratio est, quia tunc jam adest ad hoc Papæ locum tenens, & ita habetur

habetur in dicto *cap. quamvis, de sententia excommun.* ubi præcipitur adire Legatum si possit. Quia verò ibi non fit mentio de aliis confessariis, qui forte habeant ex privilegio facultatem ad absolvendum ab iis, putat Coninch quòd etiamsi adsit talis, possit Episcopus absolvere. Melius tamen Lugo docet nullum esse discrimen quoad hoc inter Legatum, & habentem facultatem absolvendi, cùm ille quoque sit delegatus à Papa in ea re, & ad illum potest esse recursus, cui ex voluntate Papæ commissa est illa causa.

3. Verùm non desunt alij docentes posse etiam Episcopum absolvere à censuris eum, qui licet non possit Summum Pontificem adire, posset tamen recurrere ad Nuncium Summi Pontificis, vel ad alium habentem privilegium absolvendi; quia existente impedimento recurrendi ad Papam, restituitur Episcopo ordinaria potestas, quam per reservationem amiserat: ergo non est cur non possit absolvere, nec cur pœnitens excommunicatus, ad Legatum Apostolicum recurrere teneatur. Adde, reservationem esse odiosam, & strictè interpretandam. Vnde explicari debet de recursu ad solùm Papam; ita Hurtadus, *de excommunic. disp. 15. difficult. 3. n. 10.* contra Bonacinam, Peregrinum, & alios; Qui tamen Hurtadus observat excommunicatum sic absolutum ab Episcopo, teneri post impedimentum se præsentare Pontifici, saltem per procuratorem sub pœna reincidentiæ, quam obligationem tenetur illi injungere Episcopus, si non sit impuber.

4. In casu autem quo nec Pontifex, nec Legatus, nec Episcopus, nec alius facultatem habens, adiri posset pro impetranda absolutione à censuris Papæ reservatis, stante, inquam, tali impedimento, docet Tanner. *tom. 4. disput. 6. quæst. 10. dub. 6. num. 122.* posse talem excommunicatum absolvi à Parocho eoque deficiente, à quolibet confessario approbato. Vide me ipsum *in part. 5. tract. 9. resol. 6. §. non desinam.* Et ad confirmationem supradictorum videndus est omnino Magister Ludovicus Bertrandus Loth Dominicanus *in resol. Theolog. tract. 1. quæst. 3. art. 1.* qui in terminis fortioribus nostram sententiam confirmat.

5. Ex his omnibus infertur me rectè his diebus respondisse, posse Episcopum absolvere duellatorem justè impeditum si non posset adire Sedem Apostolicam, ita docet Navarr. *in Manuali c. 27. n 90. vers. Ad quintum & c.* Vgol. *de cens. in genere, tab. 1. c. 4. §. n. 13. in fine.* Peregr. *q. 37. de duello num. 9.* Regin. *lib. 5. n. 256.* Sayr. Suar. Sanch. Avila, Henriq. relati à Bonac. *tom. 1. de excomm. disp. 2. q. 4. punct. 5. n. 11.* Hurtadus *de excommun. disp. 15. diffic. 3. num. 10.* dicendum est itaque posse Episcopum vel per se, vel per confessarium ab ipso in casu particulari delegatum absolvere à casibus Papæ reservatis si justo impedimento aliquis ad Sedem Apostolicam non possit pro absolutione adire.

6. Sed si scire cupis quænam sunt impedimenta, quæ excusare possunt excommunicatum à recursu ad Papam. Respondetur, multa esse, quæ à Doctoribus enumerantur.

7. Primò, periculum mortis in itinere, *c. si quis suadente, & alias, de sent. excommun.*

8. Secundò, infirmitas longa etiam non periculosa. *Ex cap. quod de his de sent. excommun.*

9. Tertiò, paupertas; nam & si quis mendicare soleat, non tenetur Romam ire mendicando, & ita intelligendum *cap. ea noscitur, eod. titulo.*

10. Quartò, Ætas, sive senilis *ex dicto cap. ea noscitur*, sive impubescens, *cap. quamvis eod. tit.*

11. Quintò, sexus fœminilis, *cap. mulieres eod. tit.*

12. Sextò, subjectio filijfamilias ad Patrem, & servi ad Dominum, quando sine illorum gravi præjudicio Papam adire non possunt, *cap. relatum, eod. tit.*

13. Septimò, occupatio circa animarum, vel temporale dominium, quando subjectorum detrimentum timetur: *cap. Ne pro dilatione, de pœnit. & remissione.*

14. Octavò, debilitas in viris delicatis, qui labores itineris sustinere non possunt; *cap. Quamvis*, ut etiam debilitas in membris in cæco, & claudo *cap. Ea noscitur.*

15. Vltimò, quodlibet aliud, quod arbitrio prudentis censetur impedimentum grave, & legitimum. Vide Bonacinam *de excommun. disp. 2. q. 4. punct. 5. n. 9.* Cornejo *in 3. par. tract. 5. disp. 11. dub. 2.* Peregrinum *de duello q. 37. n. 7. & alios, ubi supra.*

16. In his igitur impedimentis potest Episcopus absolutionis beneficium excommunicatis impertiri. Quod si pro certo haberetur, vel probabiliter existimaretur, esse brevis temporis impedimentum, tunc non posset ab Episcopo absolvi excommunicatus: nam pauci temporis ratio haberi non debet. Ita docent Vgolinus *de censur. Ecclesiast. in genere tabul. 1. c. 4. §. 5. num. 16.* & Peregrinus *loc. cit.* si verò ignoraretur quandiu duraturum esset impedimentum, vel diuturnum fore pro certo, aut probabiliter haberetur, tunc sic impeditum absolvere posset Episcopus ab excommunicatione. Ita præcitati Doctores.

RESOL. CXCVI.

Quisnam possit absolvere ab excommunicatione majori lata à jure, & reservata?

Et an etiam Episcopus possit absolvere ab excommunicatione reservata Papæ, quando delictum est occultum, vel quando excommunicatio est publica, sed excommunicatus non potest recurrere ad Papam?

Et in corpore hujus Resolutionis explanantur impedimenta, cum quibus excommunicatus excusatur recurrere ad Papam, pro absolutione reservata.

Et tandem quæritur, an excommunicatus impeditus ex supradictis causis, & impedimentis; si non potest adire Papam pro absolutione teneatur adire Legatum, vel alium habentem privilegium Papæ, vel ab Episcopo absolvi possit, & si Episcopum adire non possit, Parochus, & eo deficiente, quivis confessarius approbatus eum absolvere possit?

Et an, qui absolutus est ab Episcopo, teneatur postea, cessante impedimento, se præsentare Pontifici, per se, vel per procuratorem? Ex part. 5. tract. 9. Resol. 6.

§. 1. Respondeo eum tantùm, cui est reservata, aut ejus superiorem, aut eum, cui ipsi commiserint, nisi excommunicatus sit in articulo mortis. Nam tunc potest quilibet Sacerdos simplex illum absolvere sub onere comparendi coram eo, à quo extra eum articulum erat absolvendus, ut generaliter dicitur *in cap. eos qui de sent. excomm. in 6.* exigendo tamen priùs juramentum ab excommunicato, exceptis pueris, comparendi.

Sup. hoc inf. in Res. 201. &c. & pro juramento parendi in Ref. 204. §. 1. ad med. vers. quod onus, &c.

2. Notandum est tamen hîc ex Concilio Tridentino posse Episcopos absolvere ab excommunicatione reservata Papæ, quando delictum est occultum; sed difficultas est, an etiam possit Episcopus jure ordinario absolvere ab excommunicatione, quando est publica, & excomunicatus non potest recurrere ad Papam? Et respondeo affirmativè, ut habetur *in cap. de catero, de sentent. excommun.* & docent Sylvest. *ver. excommunicatio 4. n. 7.* Navarr. *c. 27. n. 9.* & alij, ista autem impedimenta sunt.

Sup. hac diffic. in Res. seq. & in Ref. præterita à principio, & inf. in §. ult. hujus Ref. post med. vers.

Qui tamen, & inferius in tr.2. Res.72. §. Sed tria, post med. vers. Tertio, & in tom.1. tr.5. Res.16. & in tom.3. tr.3. Res.28. & in tom. 9. tr.7.Res.47. lege à §. 2.& in Res. 118. §.Assero tertio,& §. Verum ego.

3. Primò periculum mortis in itinere, *cap. si quis suadente 17. quæst.4. capite non dubium, cap. ea noscitur, cap. de cætero,cap.quod de his, cap,quamvis, de sent. excomm.*

4. Secundò infirmitas longa,etiamsi periculosa non sit, ex dicto cap. *quod de his,& cap.quamvis.*

5. Tertiò paupertas ex dictis Iuribus, nam nemo tenetur mendicare,ut ad Curiam vadat pro absolutione, ne,nisi aliàs mendicus esset,quia tunc ire teneretur,nisi fortè mendicando soleret se uxorem,atque filios alere : unde quando in d. cap. *ea noscitur*, dicitur etiam pauperes teneri, non est sermo de magna paupertate, quæ mendicare cogat in itinere ; ad pauperes tamen reducitur obligatio alendi uxorem,filios ac familiam proprio labore.

6. Quartò ætas, sive senilis, ex d. cap.*ea noscitur, & cap.quamvis* ; sive puerilis, sive impuber, *cap.1. & cap. quamvis, de sententia excomm.* quamvis petat post pubertatem absolutionem ab excommunicatione reservata,quam ante pubertatem incurrerat,ex *cap. final,de sent. excommunicationis.*

7.Quintò sexus fragilitas,ut fœmina cujuscumque conditionis,*cap.mulieres,cap.quamvis,c.ea noscitur,c.de Monialibus, de sent. excomm.*

8. Sextò alteri adstrictus,qui sui juris non est, ut filiusfamilias,& similiter servus quando Papam adire non potest sine præjudicio parentis,vel domini, *cap. mulieres , cap. relatum, de sent.excom.*

9. Septimò cura,animarum, vel temporale dominium, quando timetur quòd per absentiam oves, aut vasalli detrimentum patiantur, ex dicto cap.*mulieres , cap.de cætero,* & ex *cap.ne pro dilatione,de pœnit. & remiss.*

10. Octavò debilitas in viris delicatis,qui labores itineris sustinere minimè possunt, in dicto cap. *mulieres,& cap.quamvis*,sive etiam debilitas in membris, ut cæcus & claudus,ex *cap.ea noscitur,& cap.quamvis, de sent. excom.*

11. Vltimò quodlibet aliud impedimentum, quod arbitrio prudentis viri judicetur legitimum. Et hæc omnia docet Cornejo *in 3.p.tract.5.de excom. disp.11. dub.2.*ex Sayro,Suarez & Avila,quibus adde Hurtad. *disp.15.de excom diff.3,n.10.*

Sup. contéto in hoc §. in tom. 1. tr.5. res. 17. 18. & 19 & hic sup. in Res. præterita §. In casu, &c.

12. Nec desinam hîc apponere verba Adami Tanneri *tom.4.disp.6.q. 10.dub.6.n.122.*ubi sic ait : Similiter si excommunicatus excommunicatione Papæ reservata propter legitimum impedimentum Papam, aut alium ab eo facultatem habentem adire non possit,potest absolvere Episcopus , quòd si nec Episcopum possit adire,Parochus ; eóque deficiente, quivis approbatus Confessarius. Ita ille.

Sup. hoc in res. seq. §. Sed magis, & in aliis ejusnot.

13. Notandum est tamen hîc contra Navarrum *c.27n.89.*quòd si excommunicatus impeditus est, ex supradictis causis,adire Papam, nec tenetur adire Legatum,vel alium habentem privilegium Papæ ad absolvendum,sed satis esse non posse adire Papam,ut ab Episcopo absolvi possit ; & ratio est quòd existénte, impedimento recurrendi ad Papam restituitur Episcopo ordinaria potestas,quæ per reservationem fuerat ab eo ablata, ergo non est cur sit necessarius recursus ad Legatum, præsertim quòd cùm talis reservatio fuerit odiosa,debet strictè interpretari,ut scilicet intelligatur de recursu ad solum Pontificem,& ita docet Hurtado & Cornejo *locis citatis*,qui tamen rectè observant, excommunicatum ita absolutum ab Episcopo,teneri postea cessante impedimento se præsentare Pontifici , & hæc obligatio debet ei imponi ab Episcopo , nisi fuerit impuber,cui hoc injungendum non est : quòd si in mora fuerit , reincidet ipso jure in eandem excommunicationem : sed nota quòd talis non tenetur se præsentare Papæ per se , sed satis est id facere per Procuratorem ; nec impeditus ne personaliter Romam adeat, tenetur mittere Procuratorem pro absolutione , nec epistolam.Ita ex Henriquez notat Avila *par.2. c.7. disp.1. dub. 6. concl. 3.* & Doctores citati.

Sup. hoc sup in §. 1. Res. 195.ad li 7 & in aliis ejusnot pro hac quæst.

RESOL. CXCVII.

An excommunicatus , si non potest propter impedimentum Papam adire, teneatur impetrare absolutionem excommunicationis per epistolam, aut Procuratorem, vel possit absolvi ab Episcopo ? Sed magis difficultas est, in tali casu,an excommunicatus possit absolvi ab Episcopo si potest adire Nuntium Summi Pontificis , vel alium habentem privilegium Papæ? Ex p.4.tract.4.& Misc.Resol.58.

§.2. HIc casus in praxi solet frequenter accidere, & in illo Bonacina *de cens.disp.1.q.3.punct.2. n.4.* existimat teneri excommunicatum mittere epistolam pro absolutione obtinenda,ut patet à simili de impedimentis matrimonij ; non enim credibile est, Papam velle ab Episcopo absolutionem impendi, quando patet recursus ad Sedem Apostolicam per Procuratorem,vel per epistolam. Ita ille.

2. Verùm ego contrariam sententiam tenendam esse puto , quam docent Henriquez *lib.12.c.3.n.1.* & *lib.6. c.9. n.7.* Duardus *in Bulla Cœnæ lib. 3. §.2. q.8. n.21.* quibus ego addo Avilam *de censuris part.2. c.7. disp.1. dub.6. conclus 3.* & noviſſimè Gaſparum Hurtado *de excommunicatione disput.15. d ffic. 3. num.10.* ubi sic ait : Episcopis quoque conceditur facultas absolvendi à quacumque excommunicatione Pontifici reservata, quando excommunicatus est legitimè impeditus adire Summum Pontificem sive ætate senili , sive impubertate,sive infirmitate,sive inimicitia capitali periculosa , sive fragilitate sexus , sive cura familiæ , sive quia est sub cura parentum, sive paupertate in eo , qui non solet mendicare, sive quocumque alio impedimento,ad arbitrium viri prudentis sufficiente, quamvis possit ad Summum Pontificem mittere,& non mittat.Ita Hurtado ; & ratio est, quoniam à jure ad id non obligatur.

3. Sed magis difficultas est in tali casu, an excommunicatus possit absolvi ab Episcopo, si potest adire Nuncium Summi Pontificis ? Martinus Bonacina *ubi suprà* , negativam sententiam docet,& ideo ait in tali casu excommunicatum , qui Summum Pontificem adire non potest , non posse ab Episcopo absolvi, si possit adire legatum Summi Pontificis, vel alium habentem privilegium absolvendi , quia in eo eventu non censetur adesse , justa ac legitima causa , vel impedimentum , propter quod possit ab alio absolvi, & ita hanc sententiam præter Bonacinam tenet etiam Coninch *de Sacramentis disput.14.dub.16.n.242.* Navarrus *in manuali c.27.n.89.*Corduba *in sum. q.18.* & alij.

4. Sed tu contrariam sententiam tene, quam tuetur Avila *de censuris part. 2. capite 7. disp.1. dub. 6. conclus. 3.* & Hurtado *loco citato*, cum Henriquez *lib.12. cap. 3.num. 1. in gloſſa lit. H.* quia in his casibus absolvit Episcopus tanquam proprius pastor, & potestate ordinaria , illa enim potestas ordinaria , quæ sublata erat ei per reservationem, restituta est existente justo impedimento recurrendi ad Summum Pontificem.

RESOL. CXCVIII.

An Episcopus reservando absolutionem alicujus excommuni

munications Summo Pontifici, posit, hoc non obstante, Metropolitanus in casibus sibi permissis eam elargiri? Et in textu hujus Resolutionis adducuntur aliqui casus in exemplum dictæ quæstionis? Ex part. 3. tract. 4. Ref. 157. alias 158.

§. 1. NEgativè respondet Campanili *in diver. jur. Can. rub. 11. cap. 15. n. 132.* putat enim per hanc reservationem censeri abdicatam potestatem absolvendi etiam Metropolitano, ita quòd in casibus in jure permissis non valeat absolvere, stante tali reservatione facta, per Ordinarium.

2. Sed contrariam sententiam tenendam esse existimo, quia licèt reservatio facta per Ordinarium Papæ, tollat ipso jure potestatè absolvendi vigore renunciationis factæ, tamen hoc non potest præjudicare Metropolitano, licèt quis possit renunciare favori suo, non tamen in alterius præjudicium. Et sic primò vasallus non potest in præjudicium domini absque ejus consensu alterius jurisdictioni consentire. Secundò Clerici non possunt renunciare eorum privilegio. Tertiò, pater non potest renunciare donationi inofficiosæ. Quartò, juramentum non firmat contractum in præjudicium tertii. Et tandem etiam clausula *motu proprio*, non operatur in tertii præjudicium, nec jus in re acquisitum alteri adimit. Et ideo (ne in aliena vinea arare videar) hanc sententiam, & omnia supradicta docet doctus Iurisconsultus Io. Maria Novaria *in qq. forensibus part. 1. quæst. 66. per totam.*

RESOL. CXCIX.

An excommunicatus ab uno Episcopo possit ab illo absolvi etiam si mutaverit domicilium, vel absolvendus sit ab Episcopo cui tunc subditus est? Ex p. 5. tract. 9. Resol. 8.

§. 1. REspondet Suar. *de cens. disp. 7. sect. 2. n. 19. & n. 26.* quòd si fiat excommunicatus per generalem sententiam, poterit absolvi ab alio Episcopo, juxta probabilem opinionem, de qua egerat paulo antea: si verò per particularem sententiam, non poterit absolvi nisi ab eo, à quo excommunicatus est, quia causa est incepta, & ad illum pertinet causæ & litis consummatio. Sed P. Vasquez *dub. 20. n. 5.* videtur sentire posse absolvi ab altero, quando jam est sub jurisdictione ipsius, & non aliter, & ita etiam docet Turrianus *de censuris lib. 2. disp. 15. dub. 5.*

2. Non desinam etiam hîc apponere verba Coninch *de Sacram. disp. 14. dub. 16. num. 258.* ubi sic ait: Ex dictis sequitur Antuerpiensem, v. g. qui maxima anni parte habitans in diœcesi Mechlinienſi, ibi contraxit excommunicationem latam per jus, aut sententiam generalem, redeuntem domum posse ab ea absolvi per eum, qui habet potestatem ab ejusmodi excommunicatione absolvendi eodem modo, ac si eam contraxisset Antuerpiæ, quia cùm ejusmodi excommunicationes non sint particulatim reservatæ ei, à quo latæ sunt, nihil refert à quo latæ, vel ubi contractæ sint, quia ideo alijs non sunt minus vel magis reservatæ. Imò etsi excommunicatio quam talis incurrisset in Diœcesi Mechlinienſi, esset reservata Episcopo, si non esset reservata in Diœcesi Antuerpiensi, posset talis domum reversus à suo Pastore absolvi, quia Mechlinienſis per hoc quòd aliquas censuras reserver in sua Diœcesi, non potest impedire Antuerpienses ne ab iis absolvant. Quòd si autem Antuerpiensis contraxisset in Diœcesi Mechlinienſi censuram latam per sententiam particularem, deberet absolvi à judice, qui eam tulisset; quia hæc excommunicatio huic est singulariter reservata. Ita Coninch *loco cit.* cui etiam adde Layman *tractat. 5. part. 1. cap 7. n. 4.* & Præpositum *in 3. p. q. 1. de cens. in com. dub. 14. n. 92.* Non est igitur audiendus Philippus Faber *de censuris in 4. sent. dist. 25 quæst. 1. disput. 4. cap. 8. n. 242.* ubi docet, Episcopum, qui excommunicavit, solum posse absolutionem impartiri.

RESOL. CC.

An qui dum versabatur in alieno Episcopatu fuit excommunicatus, rediens in patriam possit absolvi à proprio Episcopo?

Idem dicendum est, si ita versatus in alieno Episcopatu fuit in aliqua causa citatus coram illo Episcopo, in qua contingat illum excommunicari. Ex part. 5. tractat. 9. Resol. 9.

§. 1. REspondeo quòd qui versatur in Episcopatu alieno, subditus illi Episcopo, ideo non potest excommunicari ab illo per excommunicationem ab homine, nec generaliter, nec in particulari pro quantumcumque gravi delicto facto, vt patet per *cap. Romana, de sent. excomm. in 6.* Ad hoc autem vt possit ab illo excommunicari, necesse est quòd fiat suus subditus vt puta ratione delicti in sua jurisdictione commissi, vel aliquo titulo, hoc autem fieri non potest, nisi priùs Episcopus fecerit statutum, quod qui fecit tale delictum, sit excommunicatus. Nam tunc peregrinus faciens illud delictum in Episcopatu alieno, fit subditus illi ratione delicti commissi, & sic incidit in excommunicationem; sed tunc illa excommunicatio non est ab homine, sed à jure, & ideo de illa est judicandum sicut de excommunicato à jure: & tunc consequenter est dicendum, quod non potest absolvi à proprio, sed ab Episcopo, in cujus Diœcesi deliquit, & à cujus excommunicatione ligatus fuit; quia à tali excommunicatione in jure decernitur, vt non nisi Episcopus ille absolvere possit, in cujus Diœcesi deliquit, quia ratione criminis illius in illa causa ille delinquens factus est subditus illius Episcopi, & exemptus à jurisdictione proprii Episcopi. Alio etiam modo poterit fieri subditus illi Episcopo quoad censuram, vt si fecit delictum in illa Diœcesi, ad quod non erat imposita pœna excommunicationis, sed Episcopus sciens illud delictum præcepit huiusmodi delinquenti, vt satisfaciat parti pro tali delicto sub pœna excommunicationis incurrenda tali tempore, nam si eo tempore non satisfaciat, fit excommunicatus, nec potest absolvi à proprio Episcopo, quia ratione delicti factus est subditus illius Episcopi in cujus Episcopatu deliquit, ideo potuit ei præcipere, & excommunicatione ligare. Idem dicendum si ita versatus in alieno Episcopatu deliquit, ideo potuit ei præcipere, & excommunicatione ligare. Idem dicendum si ita versatus in alieno Episcopatu citatus fuit in aliqua causa coram illo Episcopo, in qua causa contingat ipsum excommunicari, non potest ab alio absolvi, quia ex lite coram ipso Episcopus ille accepit jus in illum, vt habetur *cap. proposuisti, de foro competenti*, & ita docet Philippus Faber *de censuris in 4 sent. dist. 25. q. 1. disp. 4. cap. 8. num. 243.* & alij.

Sup. hoc sit. pra in Ref. 105. §. 1.

RESOL. CCI.

An absolutus à censuris reservatis in articulo mortis, si convaluerit teneatur accedere ad Superiorem?

Et obiter quæritur, an per Indulgentias non compensetur, nec tollatur obligatio adimplendi satisfactionem sacramentalem, ita vt pœnitens eximatur à debito eam exequendi?

Et quid, si pœnitentia imponatur non solum in satisfactionem. Verum etiam in medicinam & remedium? Ex part. 9. tract. 6. & Mis. 1. Res. 35. alias 36.

§. 1. NEgativam sententiam docet Petrus Marchant. *in Tribunal. Sacram. tom. 1. tract. 2. tit. 4. quæst. 7. concl. 3.* sic asserens: [Improbabilem opinionem esse censeo eorum qui volunt, absolutionem à censuris in isto articulo non posse dari, nisi cum onere, si quis convalescat, accedendi ad Superiorem, vt absolvatur. Hæc enim sententia (etsi sit plurium Doctorum) consequenter non loquitur ad textum Concilii Tridentini, & Ecclesiæ traditionem ibi expressam; quod, scilicet, in Ecclesia Dei semper custoditum fuerit vt nulla esset reservatio in articulo mortis. Si enim onus illud comparendi pro censuris remaneret, virtus reservationis illud operaretur; & tunc reservatio censeretur remansisse, virtute cujus effectus ille sequeretur.

Sup. hoc sup. in Res. 196. §. 1. ad med. & inf. in Res. seq. §. 1. & signanter, §. 2. & in Res. 204. §. 1. ante med. vers. Insuper, & inferius in tr. 8. Res. 25. §. penult. & in to. 1. tr. 4. Res. 44. §. vlt. paulò post initium, à vers. Solum adverte, & ibi in tr. 5. Res. 13. §. 1. post medium vers. Notandum est, & in Res. 39. §. penult. & vlt. & in to 9. tr. 7. Res. 127.

2. Solùm igitur debet, si convalescat illi onus imponi comparendi in censuris ad externum, sive contentiosum forum deductis, cùm obedientia aliqua ob contumaciam in externo foro præstanda est Superiori, aut etiam satisfactio partis læsæ, si læsa sit: sed hæc comparatio non pertinet ad reservationem, quæ tunc fuisset; sed ad obligationem innatam casui ob quem censura incursa fuit: sicut si quis posteà teneretur ad restitutionem famæ, vel rei ex casu consurgentem. Et ita intelligendum *cap. Eos qui, de sentent. excomm. in 6.* in quo dicuntur, qui sic absolvuntur, debere præsentari Superiori excommunicanti, recepturi, & satisfacturi, prout justitia suadebit. Quod de satisfactionibus in foro externo tantùm intelligi debet. Et *ibidem* additur, debere se repræsentare, vt passis injuriam, seu iis, quibus propter hoc obligati existunt, satisfactionem exhibeant competentem. Quæ omnia de obligationibus ex crimine natis, interpretanda sunt, cum iis quæ Doctores de similibus asseruerunt.] Ita Marchant.

3. Sed pace viri docti, aliquando nimis rigidè se gerit in censura opinionum, vt fecit in isto casu, vocando improbabilem opinionem illam, quam communiter docent Doctores, quos ad satietatem hìc possem adducere. Vnde doctus P. Vossius *de jurisd. Episc. disceptat. 1. dub. 14. n. 137.* adducit pro sententia 19. Doctores, quibus novissimè adde Castrum Palaum *tom. 4. tr. 15. disp. unica, punct. 8. §. 1. n. 10.* & Lessium *in 3. p. D. Thomæ, q. 8. de Minist. Confess. art. 3. dub. 9. n. 4.* & patet *ex cap. De cætero, cap. Quod de his, cap. Quamvis de sentent. excommunic. & cap. Eos qui, eod. tit. in 6.* Ex quibus apparet ratio hujus legis obligantis ad se præsentandum, scilicet, ne censuræ Ecclesiasticæ illuderetur, & vt tolleretur occasio fingendi falsa impedimenta ad impetrandam absolutionem ab alio, quàm à Superiore, & Ecclesiæ intentio servaretur.

4. Sic etiam excessit dictus Author in censuranda alia opinione; nam *ubi suprà, tract. 4. tit. 7. q. 5. concl. 2.* sic asserit: [Infero, improbabilem mihi omninò videri quorundam sententiam, asserentium pœnitentem, qui adverteret, se aliis piis operibus, vel indulgentiarum acquisitione satisfeciisse pœnis peccatis debitis, non teneri ad implendam pœnitentiam à Sacerdote in Sacramento sibi impositam: tenetur enim præcepto, & sententiæ Iudicis parere, eo ipso, quòd ejus judicio se subjecit, quamvis aliunde censeatur liberatus. A vinculo enim sacramentali nemo solvere potest, nisi sacramentalis Iudex. & peccata in Sacramento à Iudice retenta, coram Deo censentur retenta. Vnde, quemadmodum peccata coram Deo soluta, Clavibus nihilominùs subjici debent: ita satisfactio à Clavibus imposita, non potest tolli, nisi mediantibus Clavibus.] Ita ille. Et tamen contraria sententia est communis inter Doctores. Vide modò, si mereatur censura improbabilitatis inuri. Sed pro sententia Marchant. Vide Patrem Aversam *de Sacr. Pœnit. q. 13. sect. 9.* ubi ex pluribus rationibus probat, etiam per Indulgentias non cõpensari, nec tolli obligationem adimplendi satisfactionem sacramentalem, ita vt pœnitens eximatur à debito eam exequendi.

Sup. his aliis piis operibus in to. 1. tr. 6. Res. 53. & pro Indulgentiis in Res. 57. recitative in ejus §. 1. & in tom. 3. tr. 1. Res. 44. §. vlt. & in to. 4. tr. 5. Res. 16.

5. Verum, pace viri docti, & amicissimi fatèr obsevat Eminentissimus Dominus meus Cardinalis de Lugo *de Sacram. Pœnitent. disp. 27. sect. 2. num. 22.* esse communem sententiam, tum antiquorum, tum recentiorum, pœnitentem liberari per Indulgentiam ab obligatione pœnitentiæ: & laudat quamplures, & graves Authores. Probat autem hanc opinionem *ex cap. Cùm ex eo, de pœnitent. & remiss.* ubi *in fine illius capitis* Summus Pontifex inquit, per indiscretas, & superfluas Indulgentias, satisfactiones sacramentales enervari. Igitur per Indulgentiam tollitur obligatio adimplendi pœnitentiam: aliàs si maneret obligatio etiam in ratione medicinæ, nihil prorsus enervaretur de satisfactione. Secundò probat ex eo, quòd Glossa *in Extravagant. Antiquorum, de pœniten. & remiss. longe post medium* refert, Pontificem declarasse, anno Iubilæi, à pœnitentiariis non debere imponi alia onera pœnitentibus, præter ea quæ in Iubilæo illo erant præscripta, ne Indulgentia frustraretur. Signum igitur est, Pontificem existimasse, acquisita Indulgentia, aliam pœnitentiam non esse imponendam. Tertiò probat à priori: quia pœnitentia à Confessario imponitur, vt pœnitens pro suis peccatis Deo satisfaciat, sed, cùm per Indulgentiam tollatur debitum totius pœnæ, cessat fundamentum illius obligationis, & per consequens desinit obligatio ad pœnitentiam exequendam. Et si contra hanc doctrinam respondeatur, pœnitentiam imponi non solùm in satisfactionem, verùm etiam in medicinam, & remedium, vt pœnitens præcaveat peccatum, vt colligitur ex Tridentino *sess. 14. cap. 8.* proinde quamvis per Indulgentiam cesset pœnitentia, quatenus satisfactio; non cessat quatenus medicina. Si, inquam, aliquis ita urgeat, respondet de Lugo, verum esse, pœnitentiam frequenter imponi, vt medicinam: at Confessarius non potest obligare ad illam, nisi quatenus est satisfactio, & vindicta; sicuti Iudex, licèt curare debeat, vt pœna, quam delinquenti imponit, sit non solùm in vindictam, sed etiam in medicinam; non tamen posset exequi illam, etiam in medicinam, si Princeps supremus eam remitteret delinquenti: ita Sacerdos, cùm sit simul Iudex, & Medicus, debet injungere pœnitentiam pro peccatis, vt satisfactionem, & medicinam: at, si pœna condonetur, nequit obligare ad medicinam: quia Medicus non obligat sed consulit; intelligendo tamen de medicina, quæ non sit simpliciter necessaria ad peccata in posterum vitanda. Hæc, & multa alia fusè docet Cardinalis de Lugo, interpretando Concilium & juxta datam doctrinam, & solvendo nonnullas contrarias instantias minoris momenti, apud quem legi possunt. Vnde ex his patet, vt diximus, excessisse Marchant. in censura hujus opinionis.

Sup. hoc sup. in Res. 196. §. 1. ad med. & inf. in Res. seq. §. 1. & signanter, §. 2. & in Res. 204. §. 1. ante med. vers. Insuper, & inferius in tr. 8. Res. 25. §. penult. & in to. 1. tr. 4. Res. 44. §. vlt. paulò post initium, à vers. Solum adverte, & ibi in tr. 5. Res. 13. §. 1. post medium vers. Notandum est, & in Res. 39. §. penult. & vlt. & in to 9. tr. 7. Res. 127.

RESOL. CCII.

An absolutus in periculo mortis ab excommunicatione, elapso morbo teneatur, quam primum poterit se præsentare Superiori, aliquin incidat in eamdem excommunicationem, sicut erat prius?

Sup. hoc sup. in Res. 196. §. 1. ad med. & inf. in Res. seq. §. 1. & signanter, §. 2. & in Res. 204. §. 1. ante med. vers. Insuper, & inferius in tr. 8. Res. 25. §. penult. & in to. 1. tr. 4. Res. 44. §. vlt. paulò post initium, à vers. Solum adverte, & ibi in tr. 5. Res. 13. §. 1. post medium vers. Notandum est, & in Res. 39. §. penult. & vlt. & in to 9. tr. 7. Res. 127.

Et in dicto casu an teneatur se præsentare vel sufficiat, vt absens appareat?

Et an qui in articulo mortis fuit absolutus à censuris reservatis Papæ, aut Episcopo vi alicujus Bullæ, Iubilæi vel

vel privilegij, vel à delegatis prædictorum, non teneatur se præsentare; imo etiam satisfaceret, (quod est valdè notandum,) oneri comparendi, si coram Confessario facultatem habente ex privilegio absolvendi extra mortis articulum se præsentaret? Ex part. 5. tr. 14. & Misc. 2. Res. 59.

§. 1. COmmuniter affirmativè respondent Doctores, si absolutio fuit de censuris, secus autem de casibus reservatis, absolutus enim tempore mortis ab istis, non tenetur se præsentare Superiori; ab illis autem, videlicet excommunicationibus tenetur. Ita novissimè Granado *de Sacr. in 3. p. controvers. 7. tr. 10. disp. 4. sect. 2. n. 13.* Tannerus *t. 4. disp. 6. q. 9. dub. 3. n. 72.* & Philippus Faber. *de panit. in 4. sent. dist. 17. q. unic. diff. 27. c. 2. n. 40.*

2. Nihilominus Claudius Millardus *in summa Parochorum, de panit. c. 97. n. 10.* notat probabilissimum videri hoc onus se præsentandi coram Superiore, si quis absolutus fuerit tempore mortis ab excommunicationibus reservatis, non habere amplius locum, & cessasse post Concilium Tridentinum *sess. 14. c. 17.* quam doctrinam Cœlestinus *in compend. Theol. moral. tr. 1. c. 7. n. 3.* putat posse tuta conscientia approbari, quando excommunicatio non est notoria, vel deducta ad forum externum, aut omnino occulta, vel scitur tantùm a duobus, vel tribus. Ita ille. Sed tu cogita; nam in contrarium videtur *c. de cætero de sentent. excommun. & cap. eos qui, de senten. excommun. in 6.*

3. Notandum est tamen hîc obiter etiam stando in prima opinione, quòd qui in articulo mortis fuit absolutus à censuris reservatis Papæ, aut Episcopis, vi alicujus Bullæ, Iubilæi, aut privilegij, vel à delegatis prædictorum, non tenetur se præsentare. Imò etiam satisfaceret (quod est valdè notandum) oneri comparendi, si coram Confessario facultatem habente ex privilegio absolvendi extra mortis articulum se præsentaret. Et cùm pœnitens in casu, ut dictum est, tenetur se præsentare sufficit si absens pareat. Nam ad parendum solùm, & non ut absolvatur, jubetur præsentari. Ita ex Bonacina, Sà, & Navarro docet Cœlestinus *loco citato.*

RESOL. CCIII.

An absolutus à censuris tempore mortis, teneatur postea se personaliter præsentare superiori, vel sufficiat, si per Procuratorem se præsentet?
Et quid, si censura sit ob percussionem clerici?
Et an qui modo reincidit in eamdem censuram, quia non se præsentavit superiori, sit adhuc vitandus, ex eo quod ante absolutionem esset vitandus? Ex part. 8. tr. 7. & Misc. Resol. 66.

§. 1. AFfirmativè respondet Navarrus *in summa, cap. 27. num. 90.* Vgolinus *de censuris, tab. 1. cap. 14. §. 5. num. 4.* Saytus *de censuris, lib. 2. cap. 16. n. 15.* §. Mihi verò magis placet opinio negativa. Dico igitur quod obligatus ad se præsentandum satisfaciat huic obligationi, si per Procuratorem se præsentet. Respondeo affirmativè. Et ratio est, quia verè dicitur comparere. Ita Sylvest. *verb. Excommunicatio 8. §. 8. quæst. 7.* Armilla *verb. Excommunicatio 59.* addens satisfacere si per litteras se præsentet. Henriquez *lib. 13. de excommunicat. cap. 29. num. 3. & lib. 6. de panitentia, c. 9. in fine.*

2. Excipe tamen casum excommunicationis, in quam pœnitens inciderit ob percussionem Clerici, in quo extat *cap. quod de his, de sentent. excommunication.* expressè petens, ut sic absolutus eat personaliter Romam, & hoc in odium & pœnam percussorum.

3. *Notandum* est tamen sic absolutum si saltem per Procuratorem superiori non se præsentet, incidere in eandem censuram: sed difficultas est an Petrus, v. g. qui modò reincidit in eandem censuram, quia non se præsentavit superiori, sit adhuc vitandus, ex eo quòd ante absolutionem esset vitandus? Respondet affirmativè Bonacina *disput. 1. de cens. quæst. 3. punct. 3. num. 18.*

4. Ego verò respondeo negativè. Et ratio est, quia dato quòd constiterit illum fuisse in articulo mortis absolutum à censura, porrò potuit cum aliis participare, & alij potuerunt participare cum ipso; licèt ergo ob inobedientiam, & contumaciam, quam habet non se præsentando superiori, incidat in excommunicationem; non tamen ob id sit vitandus, quia ad hoc ut fiat vitandus, debet denuò denuntiari excommunicatus, nullus enim est vitandus, nisi vel sit denunciatus, vel notorius percussor Clerici. Vnde si hinc penderet censuræ reservatio, ex eo quòd desineret esse vitandus, desineret etiam censura esse reservata.

Secluſa in fin. & ſeq. & inf. in tr. 2. aliqs particulares, & ſpeciales caſus deciſos invenies ſup. hoc, & hic in reſ. ſeq. in §. 1. poſt med. verſ. Sed ego.

RESOL. CCIV.

Quomodo simplex Sacerdos absolvat moribundum ab excommunicatione majori?
Et doctrina hujus Resolutionis est valde notanda, & in promptu tenenda ab omnibus Sacerdotibus, & Confessariis pro praxi supradictæ quæstionis, & absolutionis dandæ in articulo mortis.
Et tandem queritur, an in articulo mortis simplex Sacerdos possit absolvere etiam ab irregularitate, quæ contrahitur ex peccato?
Et notatur, quod potest ita urgere necessitas in articulo mortis, ut sufficiat unico verbo dicere Absolvo te *intendendo absolvere prius à censuris, & postea à peccatis?* Ex p. 5. tr. 3. Res. 67.

§. 1. QVando simplex Sacerdos in articulo mortis absolvit pœnitentem ab excommunicatione majori, caveat ne absolvat nisi præmissa satisfactione, si forsan ea fieri debeat, juxt. *Clem. 1. de hær.* quod si commodè fieri non potest, absolvat cum debita cautione, secundùm gloss. *ejusdem Clem. §. Verùm, vers. ea tunc*, quæ cautio fiat vel fidejussore, vel cum pignore, si eam potest dare, sin minus, det eam, quam potest dare saltem; videlicet juratoriam; si verò articulus necessitatis urget, nihilque hotum fieri potest, absolvat, cùm ad impossibile nemo teneatur *l. impossibilium ff. de reg. jur.* At si Confessarius omittat, vel obliviscatur petere cautionem satisfaciendi, valebit absolutio. Insuper debet Confessarius in tali casu imponere onus pœnitenti, ut cessante morbo se præsentet Superiori, qui extra eum casum de jure poterat illum absolvere, commonefaciendo, quòd si non se præsentaverit, in in eamdem censuram incurreret, quod onus secundùm Sanch. *t. 1. lib. 2. c. 13. n. 26.* sub juramento imponendum erit, *c. quamvis, & c. ea noscitur, de sent. excomm.* Sed ego cum Trullenck *in Bulla Cruc. lib. 1. §. 7. c. 2. dub. 5. n. 9.* contrarium teneo; nam dispositio Canonum cùm sit odiosa, est restringenda: sed solùm ad percussionem Clerici. Et pro confirmatione supradictorum vide etiam Bellochium *in praxi Theol. moral. p. 1. q. 2. n. 136.* & Finellium *de casib. reservatis c. 8. n. 9.* quibus adde Zambranum *de Sacr. panit. c. 4. n. 6.* ubi etiam notat ita posse urgere articulum mortis, ut prætermittenda sit etiam cautio juratoria in excommunicato, antequam absolvatur, & nihilominus sic absolutus tenetur, si convaluerit, se præsentare, ut notat Palatius *in 4. dist. 27. disput. 7.*

Sup. hoc ſup. in reſ. 201. lege ejus doctrinam, &c.

Et ſup. onere contento in hoc textu, & juramento ſup. in reſ. 196. §. 1. & inf. in tr. 2. reſ. 72. §. ult. ad med. & in t. 3. tr. 3. Reſ. 28. §. ult. recitanter ad med.

2. Nota etiam cum dicto Zambrano *num.* 5. quòd posset ita urgere necessitas articuli mortis vel absolventem, vel pœnitentem, ut sufficiat unico verbo dicere, Absolvo te, intendendo absolvere priùs à censuris, & postea à peccatis.

3. Nec desinam hîc obiter adnotare, quod Henriquez *lib. 3. de panit. c. 9. n. 5.* docet in articulo mortis posse simplicem Sacerdotem absolvere, etiam ab irregularitate, quæ contrahitur ex peccato, eo quòd aliqui hanc existiment esse censuram, & privilegium Tridentini, cùm sit favorabile, & non distinguat, est latè interpretandum, & ita hanc sententiam esse probabilem putat Trullench *in Bulla Cruc. lib. 1. §. 7. c. 2. dub. 5. n. 7.* licèt ipse verius censeat oppositum.

RESOL. CCV.

A quibus censuris possit simplex Sacerdos absolvere in articulo mortis?

Et quid, si adsit Sacerdos, qui alias posset, & haberet jurisdictionem in censuris? Ex part. 7. tr. 10. & Misc. 1. Resol. 11.

Sup. hoc in Resol. seq & in t. 1. tr. 5. Resol. 2. & si prius vides ejus annotationē primam & postea consequenter legis omnes alias Resol. dictæ not. facilius hæc difficultas dissoluetur.

§. 1. Sanchez *in Summa tomo primo, libr. secundo, capite 13. numero duodecimo.* Zambranus, *de art. Mor. capit. 4. dub. 4. numero decimo-septimo.* Layman *in Theologia morali, lib. quinto, tr. 6. cap. 12. numero 13.* & alij putant posse tantum absolvere à Censuris, quæ impediunt susceptionem Sacramentorum, quales sunt Excommunicatio, Interdictum personale, Suspensio à receptione Sacramentorum, Ecclesiastica sepultura; unde asserunt à suspensione ab Ordine, Officio, vel Beneficio non posse absolvere, quia Concilium præfiget auctoritatem cuicumque Sacerdoti absolvendi à Censuris tempore mortis, ne hac occasione aliquis pereat. Ergo videtur significare facultatem tantùm pro his Censuris conferre, quæ impediunt Sacramentorum, receptionem.

2. Verum Vgolinus *de cens. tab. 1. cap. 4. §. Primo, numero secundo,* docet simplicem Sacerdotem posse in mortis articulo, seu periculo ab omnibus censuris absolvere, tam iis, quæ impediunt receptionem Sacramentorum, quàm iis, quæ illam non impediunt. Et ratio est, quia Concilium dicit, à quibuscumque Censuris, quæ particula cùm sit generalis, & universalis, nec ullam excipiat, inde esse ut omnes comprehendat; ubi enim lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. Et hanc sententiam ego puto probabilem, quam novissimè tuetur etiam Ludovicus Caspensis *in Cursu Theologico. to. secundo, tr. 25. disp. 2. sect. 13. n. 139.* ubi sic ait. In periculo seu articulo mortis, omnes sacerdotes etiam simplices, possunt absolvere à quacumque excommunicatione reservata, sicut & à peccatis reservatis, ex Trid. *sess. 14. c. 7.* Quia in hoc casu omnes Sacerdotes habent æqualem Iurisdictionem, saltem ex voluntate Pontificis, & Concilium indistinctè loquitur. Hoc autem etiam est verum secundum probabilem multorum sententiam, quamvis adsit Sacerdos qui aliàs posset, & haberet Iurisdictionem; quia cùm Concilium non distinguat, non est cur nos distinguamus: & respectu cujuscumque Sacerdotis militat ratio Concilij. Ne scilicet hac occasione aliquis existens in tali articulo pereat: quòd enim sit præsens is qui aliàs habet jurisdictionem, hoc est per accidens, & ita tenent Navarrus, Sà, Rodriq. Vega, Henriq. quos affert Sancius *lib. secundo, Decal. cap. duodecimo.* Et quamvis ipse oppositum teneat, dicens *n. duodecimo,* tantùm posse in eo articulo absolvi à censuris reservatis impedientibus Sacramentorum receptionem, vel Ecclesiasticam sepulturam, verbi gratia ab excommunicatione, & interdicto personali, non verò à suspensione, ab Ordine, vel Beneficio, vel Officio, vel ab irregularitate. Hoc tamen non placet, quia cùm Concilium non distinguat, sed absolutè concedat ab omnibus reservatis, non est cur distinguamus. Ita Caspensis.

Sup. hoc in Resol. 1. not. præteritæ, & in aliis ejus secundæ annot. quæ est apposita ad lin. 7. dictæ Resol.

RESOL. CCVI.

An in articulo mortis possit Confessarius absolvere ab omni excommunicatione?

Sed difficultas est, an in articulo mortis possit simplex Sacerdos absolvere ab excommunicatione, præsente Parocho, aut approbato?

Et an in prædicto casu simplex Sacerdos possit absolvere moribundum, etiam si posset per confessarium, vel per literas recurrere ad Superiorem?

Et notatur nullum in præsenti ponendum esse discrimen inter articulum, & periculum mortis, quantum attinet ad hanc absolutionem, sed tantum excluditur periculum in ludo hastarum, taurorum agitatione, & similibus. Ex part. 5. tractat. 9. Resol. 67.

§. 1. Respondeo affirmativè ex *cap. sin. de cens. & c. Non licet eos, de excomm. in 6.* & ex Concil. Trident. *sess. 14. cap. 7.* Sed difficultas est, an in tali articulo possit simplex Sacerdos absolvere ab excommunicatione præsente Parocho, aut approbato? Prima opinio negat. Secunda affirmat, & Doctores pro utraque ego ipse adduxi *in 1. p. tr. 5. resol. 5.* Novissimè verò doctiss. Hurtado de Mendoza tertiam docet, & novam sententiam, asserit enim *in tr. de fide, vol. 1. disp. 84. sect. 6. §. 166.* omnes Sacerdotes dicœcesanos approbatos etiam præsente prælato posse facultate non petita absolvere moribundum à quovis crimine, & censura in foro conscientiæ: negat autem hoc fieri posse à simplici Sacerdote, præsente approbato dicœcesano. Omnes istæ tres sententiæ sunt probabiles, quicquid contra secundam teneat Turrianus *de censuris lib. 2. disp. 10. dub. 2.*

2. Adverte etiam in tali casu posse simplicem Sacerdotem absolvere moribundum, etiamsi posset per Confessarium, vel per litteras recurrere ad Superiorem, non enim ad hoc tenetur Confessarius, neque imponendum est hoc onus scribendi pœnitenti, quicquid in contrarium asserat Bonacina *de cens. disp. 1. q. 3. punct. 3. n. 5.* & Zambranus *de casibus in articulo mortis c. 4. dub. 4. n. 15.*

3. Notandum est etiam hîc contra Sotum *in 4. dist. 18. q. 4. art. 4.* Canum & alios, nullum in præsentia ponendum esse discrimen inter articulum, & periculum mortis, quantùm attinet ad hanc, quam tractamus, absolutionem, dummodò tale sit periculū, quod necessario adeundum sit, & ex quo verisimili conjectura sequatur mors. Addo *necessario adeundum,* ut excludam periculum in ludo hastarum, taurorum agitatione, & similibus. Sic hæc explicata posterior sententia communis est, ut testatur Covarr. *c. Almaster. p. 1. §. 11. n. 8. vers. 3.* Consentiunt Ledesma *tr. 4. q. 2. 26. art. 1. dub. 3.* Navarr. *c. 26. n. 26.* & denique Sylvest *Confess. 1. n. 6.* cum Paludano, Adriano, & aliis. Ratione probatur, quia si deberet expectari tanta illa necessitas, & mortis certitudo, quantam volunt Sotus, contingere posset, ut multi diem clauderent sine absolutione, quod omnino est contra Ecclesiæ mentem, & ad quod evitandum damnum, ipsa facit plenam hanc suis absolvendi potestatem. Firmari idem potest ex juris locis illis ubi de hac agitur absolutione, in quibus sine discrimine periculū mortis pro articulo non tarò sumitur, quantumvis alioqui re & nomine distinguantur. Ita *c. si quis suadente 17. quæst. 4. & cap.*

os qui, de sent. excomm. in 6. quod vero dicit Sotus restringenda esse privilegia, verum id quidem est in materia odiosa, & quæ redundat in aliorum præjudicium; at verò favor in hac absolutione nihil tale habet, ac proinde, juxta regulam juris in 6. extendi potiùs, & ampliari deberet.

RESOL. CCVII.

An constitutus in articulo mortis absque alio prævio signo contritionis possit absolvi à censuris?

Et an ut simplex Sacerdos possit absolvere à sola censura in articulo mortis, necessarium sit, quod pœnitens præmiserit aliquod signum contritionis? Ex p.7. tract.10. & Misc.1. Resol.10.

§.1. VT si verbi gratia amisit loquelam, vel incidit in insaniam. Navarrus *in Man. cap.27. num.272.* & Vgolinus *de Censuris Pontif. refer. part.3. cap.3. §.2. num. 2.* licèt concedant quod in articulo mortis possit impendi absolutio à censura, etiamsi absolutio à peccatis non possit impendi; quia illa prodest ad recipienda alia Sacramenta, vt extremam Vnctionem, & ad hoc vt forsitan infirmus in loco sacro possit sepeliri. Tamen limitant hanc sententiam, & asserunt ad hoc vt simplex Sacerdos possit absolvere à sola censura necessarium esse quod pœnitens præmiserit aliquod signum contritionis.

2. Sed ego hanc limitationem prorsus refello, nam licèt hoc sit necessarium pro absolutione à Censuris, quæ sit extra Sacramentum, & etiam confertur absenti. Et etiam docet Bossius *in Disceptat. Mor. disp.2. num.8.* cui adde novissimè Caspensem *in Cursu Theologico, tomo 2. tract.15. disp.2. sect.13. num.140.* qui citat Suarez *de Cens. disp.7. sect.7.*

RESOL. CCVIII.

An notoriè excommunicatus in articulo mortis possit saltem absolvi à censuris, si submutescens nullum signum contritionis ostendit?

Et quid, si constaret evidenter ægrum privatum usu rationis omnino impœnitentem, in talem statum incidisse?

Et an in suprà dicto casu possit etiam laicus talem absolutionem moribundo concedere?

Et aliqua alia advertuntur, quæ contingere possunt in supradictis casibus. Ex part.9. tract.7. & Misc.2. Resol.13.

§.1. DE absolutione à peccatis *alibi* diximus: nunc videndum est de absolutione à censura. Navar. *in Manuali, cap.27. n.272.* & Vgol. *de censuris Papæ reserv. part.3. cap.2. §.2. n.2.* dicunt in tali casu prærequiri in infirmo, quòd priùs dederit aliquod contritionis signum; nihilominùs tenendum est, præfatam absolutionem à sola censura in illo articulo extremæ necessitatis posse dari infirmo, tametsi priùs signa contritionis non exhibuerit: idque absque eo, quòd Sacerdos absolvens peccet mortaliter, sed neque venialiter; imò potiùs mortaliter peccaret, non conferendo talem absolutionem, qua negata non posset moribundus juvari aliis Sacramentis, neque in loco sacro sepeliri.

2. Hoc tamen limita, nisi constaret evidenter, ægrum privatum usu rationis, omninò impœnitentem in talem statum incidisse. Et ita docet Bossius *disceptat. dub.4. num.38.*

3. Sed aliqui plus addunt, nempe, posse in tali casu, etiam laicum; talem absolutionem moribundo concedere. Hanc sententiam, tanquàm probabilem, ego *alibi* docui, quam scio displicuisse cuidam nobili jurisconsulto, qui tamen scire debebat, illam desumptam fuisse ex Glossa *in cap. A notis 2. verb. non potuit*, ubi etiam Abbas *de sent. excomm. & in cap. Pastoralis, §. Præterea, de offic. Ord. verb. Præterquam in mortis artic.* Idem posteà docuerunt plures Theologi ex Schola D. Thomæ Tabiena, Armill. D. Antonin. uterque Ledesma, & ex Soc. Iesu Sanch. Avila, Henriq. & alij à me *alibi* adducti quibus nunc adde P. Bossium *ubi sup. dub.10. num.87.* Et ratio est: quia, cum Ecclesia, seu Summus Pontifex possit hanc facultatem concedere laico, vt Doctores communiter tenent: existimandum est, concessisse in tali articulo, si non adsit copia Sacerdotis, vel Clerici tonsurati. Nam, quamvis laicus, sicut & Clericus non Sacerdos, non possit, sacramentaliter absolvere, neque ex commissione Papæ; tamen absolutio ab excommunicatione potest plurimùm conferre ipsi pœnitenti ad salutem animæ, quam omnibus Ecclesia in extrema necessitate, suis fidelibus procurat. Quare, sicut tunc ob hanc causam concedit omnibus jurisdictionem absolvendi à peccatis, qui sunt capaces illius; similiter censendum est tribuere omnibus, qui sunt capaces, jurisdictionem absolvendi à censuris: laici autem, vt dictum est, sunt capaces hujus jurisdictionis: & hæc ratio multò magis convincit de Clericis etiam tantùm tonsuratis.

Alibi inf. in Resol.210. 211. 212. 213. & 214. § Sed. & in tom.3. tr.1. Resol.43. §. penult.

4. Prædictæ autem absolutionis à Clerico non Sacerdote, vel à laico in articulo mortis datæ, effectus, secundùm præcitatos DD. maximus est, scilicet, quòd hæredes absoluti non teneantur adire Papam, nec excommunicatorem pro absolutione petenda. Potuerunt etiam sepelire defunctum in loco sacro, & pro eo facere Missas celebrare. Addit Henriquez saltem prodesse eam absolutionem, vt post mortem possit talis absolutus à quovis Sacerdote ab excommunicatione, vel alia censura absolvi, cùm aliàs non posset: quod tamen non placet Sanchez *loco cit.* & jure merito: quia, si fuit valida absolutio, nulla ampliùs est necessaria: si non valuit, nullum jus absolvendi, Sacerdoti aliàs non habenti, seu valenti absolvere tribuit. Hæc omnia Bossius *loco cit.* qui adducit, non esse damnandum pium Parochum hanc sententiam sequentem in praxi, & juxta eam sepelientem defunctum, & Missam pro eo publicè celebrantem, ubi de facili non potest adiri Iudex excommunicator, vt ab eo absolutio impetretur, antequàm defuncti corpus sepeliatur: quæ omnia à Bossio notata confirmant ea quæ à nobis *alibi* dicta sunt, quicquid aliqui obmurmuraverint, adversùs quos omnia *superiùs* dicta adnotare volui. Non nego tamen, contrariam sententiam esse probabiliorem, quam novissimè tuetur Lessius *in 3.p. D. Thomæ cap.7. de excomm. dub.3. num.18.*

Sup. hoc in resol.1. not. præteritæ, §. Notandum, & §. vlt. & in resol.2. §...ad med. & in resol.4. § Sed, & in fine. resol.5.

Alibi in resolutionibus præteritarum annotationum.

RESOL. CCIX.

Quid faciendum sit cum excommunicato, qui tempore mortis dedit signa contritionis, sed non fuit absolutus?

Et qui mortuus est excommunicatus, & si non constat mortuum esse in peccato mortali, an possit prælatus eum absolvere à censura, vt in Ecclesia sepeliatur, si non dedit signa contritionis, vel possit post ejus mortem sumi Bulla, si illam antea mortuus non habebat, & per eam eum absolvere ab excommunicatione? Ex part.5. tract.9. Resol.24.

§.1. AD hoc quæsitum ita respondet Villalobos *in sum. tom.1. tr.16. diffic.20. n.20.* [Advierta se mas, que el que no puede ser absuelto en el articulo de la muerte de la descomunion, si pidio penitencia, y dio señales de contricion puede ser absuelto despues de la muerte, no de los pecados (que esso es cosa llana) sino de la descomunion para que lo entierren en lugar sagrado, y digan por el Missas, &c.

y no

y no le puede absolver entonces qualquier Sacerdote (que ya passò el articulo de la muerte) sino solo aquel aquien esta reservada, como consta del derecho, y lo dizen Innocencio, Panormitano, Navarro, y Silvestro. Y estas señales de penitencia que da uno antes de la muerte, basta que se prueven con un testigo, como dize Enrico, Boich, y Astense, porque esto no se haze prejuizio à nadie: mas si no va absuelto de la censura, aunque aya dado señales de contricion, no puede ser enterrado en lugar sagrado, como dizeel texto citado.] Sic ille, cui adde Moscosum *in sum. tract. 16. cap. 7. num. 5.*

Quamvis nō plenè sup. hoc lege tamen sup. doctrinam Ref. 66 & quāvis pro excom. tolerato vide Ref. 69. & 70.

2. Non desinam tamen hîc adnotare ea quæ docet Antonius Fernandez *in instruct. sacerd. p. 6. docum. 6. n. 5.* ubi sic ait. [El que murio descomulgado sin Bula, y sin señales de contricion, como no conste que murio en pecado mortal, lo puede el Prelado absolver de la censura para el entierro en la Iglesia. Y aunque Enriquez *lib. 7. cap. 20. lit. 2.* diga que se le puede tomar Bula, y absolverle de la censura, no puede ser, porque de vivos no tiene Bula, y la de difuntos no tiene esse privilegio de absolucion.] Vide etiam Rodrig. *in add. ad Bull. §. 5. num. 53.*

Sup. hoc in tom. 4. tr. 3. Ref. 175. §. 1. propè fin. à vers. Moveor, & in Ref. 176.

RESOL. CCX.

An non solum Clericus, sed etiam laïcus possit in articulo mortis à censuris absolvere?

Idem dicendum est de interdictione.

Et si aliquis ita fuit absolutus à laïco in articulo mortis, an hæredes debeant postulare absolutionem ab eo, qui potest absolvere, vt detur ei defuncto Ecclesiastico sepultura, & possint fieri communia suffragia pro eo.

Et cursim nota, quod si censura fuit reservata, & aliquis ab illa non fuit absolutus in vita, non potest post mortem à quolibet Sacerdote relaxari, sed solum ab eo, cui reservatur, vel ejus delegato. Ex p. 5. tract. 9. Ref. 7.

§. 1. NEgativam sententiam ex Suar. & Vasquez docet novissimè Faber *de censuris in 4. sent. dist. 25. q. 1. disp. 4. cap. 8. n. 257.* & Turrianus *de censuris lib. 2. disp. 24. dub. 4.* Præpositus *in 3. p. q. 1. de cens. in commun. dub. 14. num. 95.* Villalobos *tom. 1. tract. 16. diffic. 20. num. 18.* & Hurtado *de excomm. disp. 5. diffic. 1. num. 3.* quia ea potestas nullo jure, nec consuetudine, habito, aut constante concessa invenitur nisi solis Sacerdotibus: & solùm eo fine vt à peccatis absolvant, quia absolutio à peccatis est maximè necessaria ad salvationem, non verò absolutio ab excommunicatione, quia excommunicatio ratione sui non impedit salvationem, imò id quod post mortem manet excommunicationis, auferri potest post ipsam mortem; unde non est contra pietatem Ecclesiæ, quòd eam non concedat non Sacerdotibus. Et hanc sententiam docent etiam Doctores, quos adduxi *in 3. p. tract. 4. resol. 133.*

Quæ nunc hanc sequetur, & in Ref. 212. & 213. & in Ref 214 §. Sed. ad med. & sup in Ref. 208. §. Sed aliqui, & in rom. 3. tr 1. Ref. 45. §. penult.

2. Sed ibi pro affirmativa sententia aliquos adduxi, quibus nunc addo Ragucium *in lucerna Parochorum, tit. de absolut. q. 124. n. 6.* Sancium *in selectis disp. 14. n. 7.* & Ioannem de la Cruz Dominicanum *in director. conscient. part. 2. de excom. dub. 5. concl. 1.* ubi sic ait. In articulo mortis vir baptizatus etiam laicus, etsi sit hæreticus & præscissus, absolvit ab excommunicatione. Ita Sylv. *verb. absolutio 8. & 9.* Angel. *verb. absolutio 1.* Ledesma *cap. 8. de excomm. dub. 4.* contra Soto *d. 18. q. 4. art. 4.* & Covar. *in cap. alma mater 1. p. §. 11. n. 9.* & contra alios ab eo citatos. Sed patet, nam vir baptizatus est capax jurisdictionis necessariæ pro absolvendo ab excommunicatione, ergo piè credendum est, vt ait Armilla *ver. Absolutio*, Ecclesiā concedere illam tunc, sicut in simili casu concedit omnibus Sacerdotibus absolvere ab omnibus peccatis, quia sunt capaces illius. Omnes item concedunt Clerico primæ Tonsuræ posse tunc absolvere ab excommunicatione. Ergo idem dicendum de viro solùm baptizato, cùm stando in jure divino, uterq; sit incapax talis jurisdictionis.

3. Notandum est tamen hîc quòd stando in prima opinione, si aliquis in articulo mortis absolutus fuit à laico, debent hæredes postulare absolutionem ab eo, qui potest absolvere, vt detur illi defuncto Ecclesiastica sepultura, & possint fieri communia suffragia pro eo, Ita ex Vasq. Turrian. *loco cit.*

4. Nota etiam hîc quòd Præpositus *ubi supra, n. 97.* tenet, quòd probabile est omnem Clericum posse absolvere à censura saltem excommunicationis, & interdicti personalis in mortis articulo: de excommunicatione indicatur §. *præterea, cit.* ubi habetur in mortis articulo posse etiam specialiter excommunicatum absolvi ab alio, quàm ab eo, qui excommunicavit, vel Superiore, ubi per alium videtur intelligi is, cui potest cōmitti jurisdictio Ecclesiastica.

5. Dices, talis absolutio nec magnopere utilis est, nec necessaria, quia excommunicatus, qui dedit signa doloris, poterit post mortē absolvi. Respond. negando priorem partem, licèt enim deficiente Sacerdote non sit utilis ad consequendum beneficium absolutionis sacramentalis, potest tamen esse utilis, ut amenti præbeatur viaticum, item vt publicè pro eo oretur; vt donetur sacra sepultura, quod non posset fieri à quovis post mortem, si censura esset reservata: nam quando aliquis non fuit in vita absolutus, si censura sit reservata; non potest post mortem à quolibet Sacerdote relaxari, sed solùm ab eo, cui reservatur, vel ejus delegato.

RESOL. CCXI.

Si laicus quidam absolvit ab excommunicatione morientem, quæritur, an absolutio sit valida, ita vt in loco sacro defunctus sepeliendus sit.

Et an hæredes ita absoluti teneantur adire Papam, vel excommunicantem pro absolutione; vel possint sepelire defunctum in loco sacro, & pro eo facere Missas celebrare.

Et an laicus in prædicto casu, & mortis articulo possit moribundo concedere Indulgentiam Bullæ Cruciatæ. Ex part. 3. tract. 4. Resol. 132. alias 133.

§. 1. NEgativè respondent communiter, quia ad absolvendum aliquem ab excommunicatione requiritur jurisdictio Ecclesiastica, quam laicus non habet, Ergo, &c. Et ita docent Villalobos *in summa, tom. 1. tract. 6. diffic. 20. num. 14.* Layman *in Theol. mor. lib. 1. tract. 5. cap. 6. num 2.* Coninch *de Sacram. disp. 14. dub. 16. num. 256.* Suarez *de cens. disp. 7. sect. 6. num. 6.* Sotus *in 4. dist. 18. q. 4. art. 4.* Covar. *in cap. alma mater, part. 1. §. 11. num. 9.* Garsias *de benefic. tom. 2. part. 12. cap. 5. n. 353.* & alij.

Sup. hoc in Resp. ad tertia. Sup. hoc in Resp. ad tertia. Sup. hoc in Resp. ad tertia.

existimo. Sed non damnarem pium Parochum sequentem contrariam, & juxta eam sepelientem defunctum, & Missam pro eo publicè celebrantem, maximè ubi de facili non potest adiri ad judicem excommunicantem, vt ab eo absolutio impetretur antequam defuncti corpus sepulturæ tradatur. Itaque præfata absolutio multum proderit quoad prædicta. Ita Valer. *ubi sup.* qui etiam notat, vt nos alibi diximus, laïcum in prædicto articulo mortis posse moribundo concedere indulgentiam plenariam Bullæ Cruciatæ, & citat Navarrum *de indulg. notab.* 3. *n.* 3. Sed prima sententia est probabilior, & communis, quia Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 7. solis Sacerdotibus hanc facultatem concedit.

RESOL. CCXII.

An laïcus possit absolvere morientem à censuris?
Et an possit laïcus, quando non est Sacerdos applicare moribundo Indulgentias Bullæ Cruciatæ? Ex part. 3. tract. addit. Resol. 12.

§. 1. PRo hac sententia negantes Doctores adduxi *in 3. p. tract.* 4. * *resol.* 133. sed pro affirmativa sententia ibi adduxi etiam plures authores. Cuidam Casuistæ unius summæ visæ est hæc opinio improbabilis, sed immeritò. Nam illam cum Avila *loco citato in dicta resol.* probabilem esse censeo, & præter DD. citatos absolutè tenet hanc sententiam noviſſimè Philippus de la Cruz *in thes. Eccl. tract.* 1. §. 12. *n.* 4. ubi sic ait. [Notese tambien, que quando el penitente estando la hora de la muerte, no puede confessar algun pecado, aun en general qualquiera sacerdote le puede absolver de las censuras: y ausente el sacerdote, esto es no haviendole, qualquiera, aunque sea seglar; y lo tengo por comun, Rodriguez dice lo puede hazer de prima tonsura, que en mi opinion todo es uno, esto es que todos tienen igual potencia, como lo digo en el libro que intitulo, Norte de Confessores, y es dotrina de Sylvestro, fray Pedro de Ledesma, fray Ioan. de la Cruz, y otros, losquales dizen, que qualquier fiel bautizado aunque sea lego, y aun herege, puede absolver de las censuras. Dize lo fray Ioan. de la Cruz en dos palabras:] *In articulo mortis vir baptizatus etiam laïcus, etsi sit hæreticus, & præcisus, absolvit ab excommunicatione.* [A algunos ha espandado esto, y no se porque, que doctrina es comun; digolo assi, por havermelo preguntado algunos, aquienes he satisfecho con razones, y autoridad, y assi baste esto acerca desta materia.] Ita ille. Notandum est etiam hîc obiter, posse Laïcum in articulo mortis, quando non adest sacerdos, applicare moribundo Indulgentias Bullæ Cruciatæ. Ita ego alibi, & noviſſimè Ægidius Trullench *in Expos. Bullæ Cruciatæ*, *lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 19. *n.* 6. ubi citat Navarrum & Reginaldum.

RESOL. CCXIII.

An si non adsit Sacerdos, liceat laïco absolvere moribundum à censuris, vt non careat Ecclesiastica sepultura?
Et an in tali casu, quando absolutio à Sacerdote obtenta non est, vt post mortem prosit absolutio à laïco data, expediat, vt obtineatur nova absolutio ab eo cui excommunicatio erat reservata, si commodè fieri possit: Ex part. 5. tract. 3. Resol. 77.

§. 1. PRo sententia affirmativa, & negativa plures Doctores adduxi *in 3. p. tract.* 4. *resol.* 133. & *ibi* affirmativam sententiam etiam probabilem esse docui, & docet etiam Layman *lib.* 1. *tr.* 5. *part.* 2. *cap.* 6. *n.* 2. ubi negativam sententiam, quam ipse tenet, vocat tantùm probabiliorem, & pro Affirmativa adducit glossam, Abbatem, Sylvestrum, & Armillam, quibus ego addo Philippum de la Cruz *in Norte de Confessores, tract.* 1. §. 1. ubi sic ait. [No hablo aqui de la absolucion de las censuras, que puede absolver dellas en el articulo de la muerte, no solo el aprobado, ni el simple Sacerdote, pero qualquier fiel bautizado, aunque sea herege, con la comun, como lo dizen Sylvestro, y Covarr. La razon aunque breve es, que el Clerigo de prima tonsura puede absolver de la descomunion, y assi por la misma razon ha de poder qualquier bautizado. Porque estando en derecho divino; ambos son capaces de la tal jurisdicion, como es cierto, que al de primera tonsura no se le da facultad para absolver al descomulgado por ella que no siendo Orden, no le proviene della. Y assi hemos de conceder lo general, en que pueden absolver en tal caso de las descomuniones todos los fieles, siendo bautizados, aunque son hereges, no ostante, que otros digan lo contrario.] Sic ille. Et post hæc scripta inveni hanc dotrinam docere noviſſimè Philibertum Marchinum *in suis Commentariis de bello divino, seu de peste part.* 3. *cap.* 12. *num* 3. *& seqq.* ubi probat non solùm licere sequi hanc sententiam, cùm sit probabilis! sed etiam teneri omnes illam sequi, quia cum ista absolutio lata à non Sacerdote vel à laïco, non possit nocere, sed valdè prodesse morituro vt in loco sacro sepeliri, atque communibus Ecclesiæ suffragiis gaudere possit, charitas Christiana postulat, vt data probabilitate hujus sententiæ non illum in tanto periculo & necessitate spirituali deseram absque ullo meo incommodo. Et revera si Ecclesia pro articulo mortis confert jurisdictionem absolvendi à censuris & peccatis cuilibet capaci talis jurisdictionis, hoc enim postulat Ecclesiæ benignitas, & favor animarum; sed laïcus est capax jurisdictionis absolvendi à censuris, si Papa velit eam illi demandare, quod à nemine negatur: ergo conjiciendum est illam eidem demandasse, atque hanc esse piam illius mentem, ne excommunicatus privetur post mortem communibus Ecclesiæ precibus, suffragiis, atque Missæ sacrificio, cæteras rationes videbis apud ipsum.

Sup. hoc in Resol. seq. §. 2.

2. Sed observandum est cum Trullench *in Bull. Cruc. lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 5. *num* 7. & Sanchez *in summa tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 13 *n.* 13. quòd licèt supradicta opinio, nempe laïcum deficiente Sacerdote posse absolvere à censuris, sit probabilis, expedit tamen quoties à Sacerdote absolutio obtenta non est, vt post mortem prosit absoluto, obtineatur nova absolutio ab illo, cui excommunicatio erat reservata, si commodè fieri possit, quia si opinio dicta non sit vera, carebit absolutio valore suo, ac proinde postea non proderunt absoluto Ecclesiæ suffragia.

Sup. hoc sup. in Resol. 208. §. Prædictæ, & in aliis ejus not.

RESOL. CCXIV.

An sepelientes in Ecclesia excommunicatum absolutum à censuris à laïco in articulo mortis peccent, & in pœnas, & censuram excommunicationis incurrant?
Et supponitur sepelientes excommunicatum in majori excommunicatione, imo & lavantes & vestientes, vel funus ducentes incurrere excommunicationem.
Et resolutio supradictæ quæstionis pendet etiam ab illa, an laïcus possit absolvere à censuris in articulo mortis, nam Ecclesia, & saltem Summus Pontifex hanc facultatem laïco, & Clerico non Sacerdoti concedere potest, imo etiam & fœminis?
Et docetur, quod Ecclesiastica sepultura deneganda est in casu claro, & manifesto, nam quando dubitatur, an cadaver sepeliendum sit, necne, tunc debet in loco sacro sepeliri: nam in partem favorabilem, & meliorem, inclinandum est. Ex parte 8. tract. 7. & Misc. Resol. 79.

Sup. hæc, quod hic supponitur sup. in Resol. 71.

§. 1. SVppono sepelientes excommunicatum majori excommunicatione, imò lavantes, vel vestientes, vel funus ducentes, incidere in excommunicationem, ex glossa *in cap. ad hæc, de privileg.* & ex textu *in cap. sacris, de sepulturis*, ubi Abbas, *& in cap. cùm ad Monasterium, de stat. Monach. & in cap. is cui, de sentent. excomm. in 6.* Hoc suppositio de hoc casu his diebus interrogatus probabiliter respondi, Clericos sepelientes, vt *supra*, in nullam censuram incurrisse; quia, vt benè observat Lavorius *in variis lucubrationibus, titul. 2. cap. 11. num. 155. & cap. 12. num. 71.* Ecclesiastica sepultura deneganda est in casu claro, & manifesto, nam quando dubitatur, an cadaver sit sepeliendum, necne, tunc debet in loco sacro sepeliri, nam in partem favorabilem, & meliorem est inclinandum, vt patet *ex dicto cap. sacris, de sepultur. & ex cap. non æstimemus 23. q. 2.* & docet D. Antoninus *in 3. p. tit. 10. cap. 5. § 9. in fine.*

Quoad hoc in to. 8. tr. 8. lege doctrinam Resol. 4. & signanter in to. 8. tr. 5. Resol. 50 §. vlt. ad med. à vers. & ideo salvo. & in tom 7. tr. 3. vide ex Resol. 66. §. 1. post med. & ex Resol. 67. §. 1.

2. Sed in nostro casu pro mortuo excommunicato adest opinio probabilis, quòd licitè & validè à laico in articulo mortis absolutus sit. Ergo & sepultura Ecclesiastica minimè arcendus erit, & Clerici illum sepelientes immunes sunt à pœnis inflictis à sacris Canonibus; resolutio igitur hujus casus pendet ab illa quæstione, an laicus possit absolvere à censuris in articulo mortis? & affirmativam sententiam ego probabilissimam esse puto, pro qua adduxi plures Doctores *in part. 5. tract. 9. resol. 7.* quibus nunc addo Stephanum Baunium *in Theolog. moral. part 2. de censur. in communi, tract. 1. quæst. 3.* qui has adducit rationes à me suprà breviter tactas. *Primò*, Christianus quilibet in quocunque necessitatis articulo, tenetur divina ac naturali lege, graviter laboranti opem ferre quam potest; ergo & præciso necessariis ad animæ salutem remediis indigenti, qualia sunt novæ legis Sacramenta, non negare ea, sine quibus hæc ei præberi nequeunt, nam si secus ageret, immani se scelere obligaret: istud autem est censuræ relaxatio, hanc ergo laicus negare nec potest, nec debet agenti animam, hoc est, in mortis articulo, ejúsque periculo, constituto. Si enim hæc potestas dari potest à Pontifice laico, cùm eam concedi non est necesse, quid est causæ quamobrem in extrema ægri necessitate, eam Ecclesia laico datam nolit?

Quæ hic est sup. Resol 20. & in aliis ejus primæ annot.

3. Secundum argumentum bonitate ejusdem Ecclesiæ nititur. Quàm enim est parum verisimile periclitantibus illam filiis, eo maximè tempore, nolle succurrere? aut sepultura Catholica, piorumque suffragiis privare eos velle? Deinde si redintegrandi hominis jus ac potestas, laico dari potest, cùm eam tamen concedi nihil est necesse, dubitare, an in dubiis ac periculosis ægri temporibus, illam Ecclesia, laico datam esse velit, quid est aliud quàm ejus charitati, prudentiæque injuriam facere?

4. Objiciunt adversæ partis fautores. *Primò*, glossam *can. ultimi, causæ 24. quæst. 1.* in qua est, in spiritualibus laicum, etiam in mortis articulo, nihil posse, nisi quod est illi expressè concessum in jure, quo de numero non est censuræ relaxatio, etiam in mortis articulo.

5. Respondetur huic glossæ, duas esse contrarias, *Prima* est *in cap. à nobis, verb. non poterit, de sentent. excommun. Altera in cap. pastoralis, §. præterea, de officio judic. Ordinarij.*

6. Dicendum secundò, quæ petuntur ex glossa allata, sententiæ nostræ non officere, ait enim, de omnibus quæ spectant ad officium Sacerdotis, illud solùm licere laicis, credo, in necessitate, de quibus expressum invenio. At absolvere à censuris, res non est functionis sacerdotalis necessariò, cùm non Sacerdos, jurisdictione Ecclesiastica instructus, in externo foro id possit, vt est *in cap. transmissam 15. de electione.*

7. Objiciunt secundò. Causa cur in mortis articulo, cuivis Sacerdoti liceat, de censuris quibuslibet absolvere, locum non habet in laico: nihil est ergo rationis cur ei tum in eas arbitrium detur ac potestas.

8. Antecedens probatur, ideo voluntate Dei & Ecclesiæ, Sacerdos quilibet, quemlibet in extremis versantem reddere potest Ecclesiæ, solutis tamen antè nexibus, quibus tenebatur quod peccata his manentibus ab eo remitti nequeant; ergo cùm laico jus in peccata competere nullum queat, nec in censuras competet.

9. Antecedens est negandum, cum consequentia confirmationis, nam cùm nulla sit inter censuras, peccatáque necessaria connexio, à censuris potest quis eximi, peccatis insolutis quorum est in Tribunali Dei reus, nam ex quo Episcopus, electionis suæ confirmationem accepit, quamvis sacerdotali charactere necdum insignis, Cœlestini III. judicio de talibus & consimilibus (hoc est, excommunicatis ac suspensis) præter ea, quæ majoris inquisitionis discussionem exigunt, & ministerium consecrationis desiderant, quod justum est, & Ecclesiasticæ convenit utilitati, statuendi habet liberam facultatem: remitti ergo sine peccatis censuræ possunt, necnon ab alio, quàm Presbytero. Et hæc omnia docet Baunius *loco citato*; sed quia scio quendam virum doctum ex Dominicana familia contra me olim acriter insurrexisse, non desinam hîc adnotare quòd hanc sententiam ex schola D. Thomæ docet D. Antoninus, Sylvester, Tabiena, Ioannes de la Cruz & novissimè P.M. Candidus *tom. 1. disquis. 22. art. 55. dub. 5.* ubi sic ait, Piè satis, & probabiliter dicendum mihi videtur laicum, & multo magis Clericum non Sacerdotem in articulo mortis posse absolvere à censuris, quæ obstant susceptioni Sacramentorum & Ecclesiasticæ sepulturæ. Nam Ecclesia saltem Summus Pontifex potest hanc facultatem laico & Clerico non Sacerdoti concedere, imò etiam & fœminis, vt docet Paludanus *in 4. dist. 19. quæst. 2. art. 1.* Sotus *in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 4. versus finem.* Suarez *tom. 5. de censuris, disp. 2. sect. 3. num. 7.* Navarr. *tom. 2. consil. lib. 5. de sentent. excomm. consil. 1.* ergo piè, & probabiliter credendum est in articulo mortis concessisse, & hanc esse ejus voluntatem. Probatur consequentia; quia etiamsi laicus, & Clericus non Sacerdos, non possint absolvere à peccatis, ipsa absolutio à censuris per se est valdè utilis, multúmque potest conferre ad salutem animæ, vt saltem sic absolutus possit in loco sacro sepeliri, & vt pro eo sacrificia offerantur: ergo cùm Ecclesia omnibus modis fidelium salutem procuret, & propterea in illo articulo det jurisdictionem ad absolvendum à peccatis, omnibus, qui sunt capaces illius, eadem ratione credendum est dare illam ad absolvendum à censuris, omnibus, qui sunt capaces talis jurisdictionis, cujusmodi sunt laici, & Clerici non Sacerdotes. Ita Candidus. Dicendum est igitur nostram sententiam posse ac debere amplecti, unde potest à laico in articulo mortis absolutus in loco sacro sepeliri, & pro eo sacrificia offerri.

In Indice primo hujus Tom. 5. lege Appendicem ad hunc Tract. 1. ubi reperies alias quamplurimas mistas, & dispersas per alios Tom. Tract. & Resol. quæ simul pertinent ad hunc Tract. 1. de Excommunicatione, &c.

TRACTA

TRACTATVS SECVNDVS.

De Censura ob Clerici percussionem, atque de ejus Absolutione.

RESOLVTIO PRIMA.

Quisnam dicatur manum violentam in Clericum injicere? Et quis verò excusetur ab incursione hujus censuræ? Pro quibus in textu hujus Res. diversi casus adducuntur. Ex p.9. tr.4. Res.27.

§.1. IN cap. *Si quis, suadente*, 17. *quæst.*4. ita scribitur: *si quis, suadente Diabolo, hujus sacrilegij reatum incurrerit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo, subjaceat. Et nullus Episcoporum præsumat absolvere, (nisi mortis urgente periculo,) donec apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum susciperiat.* Fuitque hæc excommunicatio lata ab Innoc.II. in Concilio Lateranensi.

2. Et, quia materia ista est quotidiana, selectiores quæstiones ad elucidationem supradicti textus discutiam. Et ideò ad dubium propositum respondeo, quod necessarium est, in juriam hanc in facto, seu opere consistentem, physicè contingere personam Ecclesiasticam, vel res adhærentes illi; alioquin vim inferens, hac censura non erit ligatus: quia, cùm violentas manus in Clericum non injecerit, hac censura vinciti non potest, quæ solùm lata est contra injicientes violentas manus; & donec actio exterior non consummetur sub ea proprietate, quam verba legis requirunt, in censuram non incurritur: nam in pœnalibus verba accipienda sunt secundùm propriam significationem, cap. *Ex litteris de sponsalibus, l. Non aliter ff. de legat.* 3. & solam actionem exteriorem Ecclesia punit, cùm ipsa de occultis non judicet c. *Sicut ejus §. fin. & c. Tua nos, §. fin. de sim.* Vnde hac censura non ligatur ille, qui per sola verba contumeliosa in juriam infert Clerico. Nec iste, qui animo percutiendi projicit in Clericum lapidem, si lapis, nec personam, nec vestes Clerico adherentes tangeret, quia physicè Clericum non percuteret. Deberétque hæc externa actio esse talis, ut ex vi sua sufficiat ad peccatum mortale: quoniam, cùm Ecclesia solùm actum exteriorem puniat, actus ipse debet esse mortalis: quia pœna excõmunicationis non afficit, dum minimè adest peccatum mortale exterius. Quapropter, si quis ita leviter percuteret Clericum, ut ex vi sua talis percussio non sit mortalis, sic percutiens non incurreret hanc censuram, quamvis habuerit animum percutiendi graviter ex quo constat, hoc esse intelligendum, quãdo percussio ex genere suo est ita parva, ut illato laico non sit mortalis, scilicet respectu ipsius percussionis: quamvis respectu intentionis mortalis fuerit. Quæ autem percussio dicenda sit parva, seu levis, inferiùs declarabo. Et quia violenta est majoris rei impetus, qui repelli non potest, *l.2. ff. de eo quod met. caus.* violentas manus in aliquem injicimus, non solùm quando illum percutimus; sed etiam quando ab eo aliquid violenter auferimus. Non sufficit tamen, ut in censuram incidamus, solus animus inferendi vim per supradicta: quamvis sufficiat ad rapinam committendam. Nec sufficit ablatio si fiat sine violentia, etiamsi res, quæ aufertur, ipsius Clerici personæ adhæreat, ut puta,* si quis ex loculo, quem gestat Clericus, occultè nummos tolleret, quamvis præcisio loculi interveniat; talis enim rei ablatio, & præcisio non ad violentiam, sed ad furtum pertinet, & censura hæc non ob furtum, sed ob violentam manuum injectionem illaqueat. At, si quis violentiam inferendo, solummodo rem Clerico adhærentem percuteret, puta, vestem, hac censura ligatur: quia violentia censetur facta personæ: & ita tenet Gloss. fin *in dicto cap. Si quis, suadente*, & *in capite. Si quis pulsatus, de pœnitentia, distinctione prima.* Et cum manus sit instrumentum aptius ad percutiendum, & violentiam inferendam, & frequentius hæc manu fiant, ideò textus de violenta manuum injectione solummodo verba facit; sed in illa comprehenduntur omnes corporis partes, quibus violentia inferri potest cujusmodi sunt dentes, brachia, pedes, genua, & alia. Nec violenta hæc manuum injectio, quoad effectum incurrendi in hanc censuram necessariò requiritur, ut immediatè fiat; sed satis erit, si fiat aliquo instrumento mediante; dummodo instrumentum illud Clerici, vel Monachi personam, vel rem ei adhærentem tangat: ut puta, si fiat ense, baculo, lapide, vel per aspersionem pulveris, aquæ, vel salivæ, vel alterius rei: nam manu, sive alio membro fit, quidquid aliquo instrumento mediante ab ipsa manu, vel membro fit; & quia, juxta vulgarem regulam, qui est causa causæ, est causa causati. Et quoniam hæc violenta manuum injectio, quasi metaphora quædam est, qua omne corporale damnum significatur, cùm violentia sine læsione corporali inferri possit, ut ex illo textu notat Panormit. *in c. Nuper, not.3. de sent excom.* in hunc Canonem incidit, non solùm qui violentas manus in Clericum injicit, sed etiam qui sine manuum injectione in corpus facta, aliquod nocumentum illi cum injuria infert, vel causat; nimirum, detrudendo illum in carcerem, ut in cap. *Nuper*, & in cap. *Contingit, il primo, de sent. excom.* nam etiam citra corporalem læsionem violentia sæpiùs circa Clericos nequiter perpetratur, ut dicit text. in d. cap. *Nuper de sent. excomm.* Vnde fit, ut hac censura ligetur ille, qui Clericum in aliquo loco includit, ita ut inde, nisi cum pudore exire non possit; aut frænis equi manus admovet, aut discindit cingulum, aut eum adeò furiosè persequitur, ut cogatur se præcipitare, aut aliud malum ad se liberandum subire, secùs autem erit, si fugiens casu caderet. Imò, quia violentia non solùm armis infertur, ut in *l.1. ff. de leg. Iul. de vi publ.* sed etiam per omne id, quod potest nocere, arg. *l. Armatos, ff. ad leg. Iul. de vi publ.* hac censura etiam illi ligantur, qui Clericum veneno necarent, vel molestiam illi inferrent, quamvis furtivè, & absque exteriori violentia hoc facerent. Et hæc omnia latè asserit & explicat Leone *de censur. recoll. 5. à n.*130. Qui *n.*146. & 147. optimè observat, comprimentem pallium, seu tunicam Clerici, vel Religiosi, asserendo: Si non esses Clericus, & Religiosus, te cæderem, incidere in censuram: sicuti si quis impelleret in Clericum personam laicam, quæ Clericum cõprimeret, incurreret quidem in censuram; sed non laicus, qui proximè Clericum compressit: secùs autem dicendum est de illo, qui deturparet portas, & fenestras Clerici apponendo ibi cornua, vel, ut vulgò dicitur, *li Carusel*, vel, *Magriata*: talis enim non incurreret in censuram, ut notat idem Leone, *n.*153

Sup hoc lege doctrinam §.not. seq. & inf. in Res.9. §.1. à lin. 8. & vers. qui animo.

Sup. hoc & seqq. usque ad not. seq. lege inf. doctrinam §.1. Res. 32. & vers. not. præteritæ hujus Res.

Sup. hoc & seq. usque annot. seq. lege doctrinam Res. & §. annot. præteritæ.

Sup. hoc inf. in primis lin. Res. 32.

Sup. hoc latè inf. in Res. 31.

3. Quis verò excusetur ab incursione hujus censuræ, dico, quòd quoties ex circunstantia personæ percussæ, vel ex modo percussionis, percussio non censetur graviter injuriosa clericali statui; locus huic censuræ non est. Ob circunstantiam personæ excusat Sotus *in 4. dist. 22. q. 1. art. 2. casu 2. §. Cùm verò*, pueros Clericos rixantes, & se invicem percutientes pugno, etiam in templo, ita ut sanguis è naribus eliciatur, quia plerumque hæc injuria inter ipsos levis censetur, tametsi aliquando gravis esse soleat, argum. cap. ult. *de sent. excomm.* quod ex circunstantiis colligendum est, ut benè advertit Coninch *disp. 14. dub. 15. n. 190.* Layman *lib. 1. Summ. tr. 5. p. 2. cap. 5. n. 8. vers. Altera.* Molina *tract. 3. disp. 51. in fine.* Ex modo percussionis excusantur ab hac censura, primò, qui ex subita passione, animo non plenè advertente, vel à fortiori, causa joci, & ludi Clericum percutiunt: nam esto percussio aliàs gravis esset; modus quo contingit gravitatem diminuit, ne culpam mortalem attingat, néve censuram contrahat, argum. cap. 1. *de sent. excomm.* & docet Suarez *disp. 22. sect. 1. n. 50.* Molina *tr. 3. disp. 51. n. 7. & 8.* Coninch *disp. 14. dub. 15. n. 190.* Bonacina *disp. 2. de cens. in practic. q. 3. punct. 6. sect. 4. n. 3.* Layman *lib. 1. Summæ, tr. 5. p. 2. c. 5. n. 8.* & alij. Secundò, excusantur ignorantes probabiliter Clericum esse quem percutiunt, quia hæc excommunicatio non propter percussionem injustam; sed propter percussionem sacrilegam, statui clericali injuriosam, statuitur: at stante ignorantia probabili Clericatus, cessat injuria ut, ut manifestè colligitur ex cap. *Si vero el 2. de sent. excomm.* ubi excusatur ab excommunicatione percussor Clerici comam nutrientis: quia probabiliter existimare poterat percussor Clericum non esse, ut multis relatis docet Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 32. n. 41.* quod adeò verum est, ut, esto, sic Clericum ignoranter percutientes darent operam rei illicitæ, nullatenus in hanc censuram incurrerent; qui comparatione status clericalis immunes à culpa sunt: ut benè tradit Navarrus *c. 27. n. 80.* Covarruvias *cap. Alma mater. 1. p. §. 10. n. 16.* Molina *dist. 53. n. 1.* quinimò, esto, animum haberent percutiendi Clericum: si tamen probabiliter ignorabant Clericum esse, quem percutiunt, ab hac excommunicatione liberantur, (quidquid in contrarium dicat Covarruvias *dicto §. 10. n. 15.*) quia non ob parvum effectum hæc injungitur excommunicatio, sed ob externam sacrilegam manuum injectionem. Vt notavit Molina *dicta disp. 53. n. 2. & 3.* Suarez *disp. 22. sect. 1. n. 54.* Coninch *dub. 15. n. 197.* quòd si Ioannem Clericum credas te percutere; at percutis Paulum Cleticum: excommunicatione innodaris: quia hæc non imponitur ob percussionem hujus vel illius, sed ob Clerici voluntariam percussionem. At eo casu Clericum percutis voluntariè, cùm percussus habitum, & tonsuram clericalem gestet, & verè Clericus sit: tametsi non sit is Clericus, quem tu percutere intendebas. Secùs esset, si Paulus percussus nullatenus se Clericum repræsentaret: eò quod in habitu laicali incedebat, quo Ioannes Clericus utebatur: quia ea actio exterior non est voluntariè sacrilega, & clericali statui injuriosa: quippe invincibiliter ignoras Clericum esse, quem percutis, casu, & quod Ioannes non sit, quem percutere intendebas. Vt rectè tradit Molina *disp. 53. à n. 2.* Layman *lib. 1. Summæ, tr. 5. part. 2. c. 5. n. 8.* Coninch *disp. 14. dub. 15. in fine.* Suarez *disp. 22. sect. 1. n. 54.* Et hæc sufficiat generaliter dixisse. Vnde ad casus particulares deveniamus.

Sup. hac causa joci magis latè inf. in Resol. 34.

Sup. hoc latè inf. in Resol. 25. & si legis alias multas Resol. ejus quatuor primarum annotationum, doctrina repleberis pro omnibus contingentibus circa hanc quæstionem.

Sup. hoc magis latè inf. in Resol. 35. & in aliis ejus primæ annot.

RESOL. II.

An in percussione Clerici detur parvitas materiæ ad excusandam excommunicationem, licet facta fuerit interius pravo animo, & mortaliter peccaminosa?

Idem dicendum est de quovis alio opere, cui annexa est excommunicatio, si opus externum est tantum veniale, & leve, licet internum fuerit mortale. Ex part. 5. tr. 5. Resol. 65.

§. 1. Respondeo affirmativè cum Portel *in dubiis Regular. ver. excommunicatio, n. 11.* ubi quærit. Percussit quis Clericum pravo animo, ita ut ex pravo animo percussio, sit mortale peccatum, at ex parte operis percussio fuit levis, & venialis, an obtalem percussionem incurratur excommunicatio? & respondet negativè, & addit hoc idem dicendum esse in quovis alio opere, cui annexa est excommunicatio, si opus externum fuit tantùm veniale, & leve, licèt internum fuerit mortale: & ratio est, quia Ecclesia non excommunicat actus internos, sed externos, & requiritur ut actus externus sit de se gravis. Ita Portel, qui citat pro hac sententia Sanchez *in summa tom. 1. lib. 2. c. 8. n. 7.*

RESOL. III.

Anſi quis percuteret Clericum pugno, vel baculo uno, vel altero ictu, incurrat in censuram Canonis. Si quis sundente Diabolo?

Et quænam parvitas materiæ excuset ab incursione hujus censuræ pro percussione Clerici?

Et docetur, quod si aliquis pugno percuteret Clericum in Schola publica, ista levis percussio ratione loci efficitur gravis, & ideo talis percussio in hoc casu non posset absolvi ab Episcopo, sed accedere debet ad Sedem Apostolicam.

Et cursim alij diversi casus adducuntur pro percussione Clerici tangente injuriosè illum sputo, aqua, oleo, pulvere; vel si quis eriperet de manu Clerici violenter scripturam, librum, vel ejiceret de capite ejus birretum, aut tangit pectus, vel tunicam, &c. Ex part. 10. tr. 14. & Misc. 4, Resol. 38. alias 36.

§. 1. Negativè respondet Marcus Vidal, *in Arca Theologiæ Moralis, tit. de Censuris, Inquisit. §. num. 33. & seqq.* ubi firmat hanc conclusionem, ut quilibet Confessarius etiam non privilegiatus, possit in Conscientiæ foro absolvere Clerici Percussorem, in quando percussio est levis ex seipsa, etiam considerantis circunstantiis omnibus, quamvis aliàs ex prava intentione percutientis, sit peccatum mortale. Probatur; quia datur parvitas materiæ excusans ab Excommunicatione in Clerici percussione. Etiamsi habeatur prava intentio: ergò habetur hæc parvitas materiæ, quando percussio est levis; & infert tantùm parvum nocumentum, sicuti id verificatur in furto & in quolibet alio opere admittente parvitatem materiæ: ergo quando percussio est levis secundùm se nunquam incurritur Excommunicatio. Ideo qui percutit Clericum cum baculo leviter, palma, pugno, uno, vel altero ictu, & his similibus, quamvis effectu odij, & pravo animo, non incurrit Excommunicationem Canonis, *Si quis*, nam hujusmodi percussiones censentur secundùm se leves, cùm non inferant gravem injuriam, neque grave nocumentum.

2. Sed objicitur: Percussio Clerici baculo, palma, pugno, arundine, & hujusmodi non dicitur levis, quia fit sine mortali peccato, sed respectu enormis levis censetur: ergo cùm hæc percussio, etiam quoad externam actionem sit culpa mortalis, sequitur quod per illam contrahitur excommunicatio Canonis *Si quis*, ac ideò non potest absolvi à quolibet Confessario, igitur falla

Conclusio,

conclusio. Respondetur, quod talis percussio, quamvis sit conjuncta cum peccato mortali, ratione pravæ intentionis percutientis, non ex hoc valet inferre, quod ipsa, vt talis habeat malitiam mortalis culpæ, cùm inferat tantùm levem injuriam, & parvum nocumentum, ideò erit semper venialis, & per consequens non incurritur excommunicatio Canonis quæ ex suo esse quidditativo exigit lethalem culpam in exteriori actione, non tantùm per solam relationem ad actum internum : ergo ruit argumentum.

3. Dices per Extravagantem, quæ incipit, *Perlectis* declaratur, quod illa dicitur percussio levis, propter quam incurritur excommunicatio, quæ fit pugno, palma, manu, baculo, aut lapide. Ergo falsum affirmatur quando dicitur, quod propter percussionem cum baculo, pugno, manu, & similibus, uno vel altero ictu, non contrahatur excommunicatio, ex eo quod illa percussio non attingit quoad actionem exteriorem malitiam peccati mortalis. Ergo. Respondetur, negando consequentiam : nam quamvis percussio facta pugno, manu, baculo, & similibus, ob multiplicatos ictus cum gravi damno, & injuria circa corpus patientis attingat in tali casu malitiam lethalis culpæ, & idcircò per illam incurritur excommunicatio, vt optimè declaratur per citatam *Extravag.* attamen non ex hoc valet inferre, quod aliquando, & etiam vt plurimum non sit tantùm culpa venialis quoad actionem externam : dum per illam infertur tantùm levis injuria, & modicum nocumentum, nempe quando uno, vel altero ictu percutitur Clericus, sine tamen sigillatione carnium, sine effractione dentium, & sine effusione multi sanguinis, non à manibus, sed aliundè. Hæc, & multa alia Vidal, *ubi suprà*.

4. Sed prorsus ad Dubium propositum affirmativè respondendum esse puto : nam ad incurrendam hanc censuram, non solùm sufficit, vt percussio corporis talis sit, vt Clericum graviter lædat, sed sufficit etiam vt actio violenta personam Clerici levissimè attingat, tamen secundùm moralem existimationem virorum prudentum, sufficiens sit ad gravem injuriam contra honorem, & reverentiam debitam tali personæ. Et ita docet ex Suarez, Filliucio, & Bonacina, Paulus Squillante *de Privileg. Clericor. cap. 6. dub. 3. num. 54.* quibus adde Castrum Palaum, *tom. 6. disp. 3. punct. 13. num. 2.* Alphonsum de Leone, *de Censuris, Recollect. 3. num. 165.*

5. Itaque, licèt aliquæ violentiæ Clericis illatæ, graves non essent comparatione corporis, attamen graves, atque mortales sunt comparatione honoris, qui contumeliosè læditur, sicuti notavit Innocentius III. *in cap. nuper, de sent. excomm.* & consentit Imperator *in leg. Item apud Labeonem, ff. de Injuriis*, quod præter Doctores citatos observat Layman, *in Theol. Moral. lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 5. n. 5.* & Avila, *de Censuris, part. 2. cap 5. disp. 2. dub. 12. concl. 2.* ubi asserit; aliquem incidere in Censuram, si infligit alapam Clerico, vel percutit baculo.

6. Nota contra Patrem Vidal, quod non dixit, Alapas, sed Alapam, & non dixit, qui percutit Clericum baculo sæpiùs, sed simpliciter, qui percutit Clericum baculo : & ita communiter loquuntur omnes alij Doctores. Vnde ex his Pater Naldus *in Summa, verb. Clericus, num. 39.* Bordonus *in Consiliis Regular. tom. 1. resol. 28. quæst. 17. num. 44.* Riccius *in Collectaneis parte 4. Collect. 244.* observant, colaphum impingere Clerico, inducere quidem Censuram, sed esse percussionem levem absolvendam ab Episcopo; & vt tradit Bordonus *in Miscellaneis, decis. 30.* si aliquis pugno percuteret Clericum, vt in Schola publica ista levis percussio, ratione loci efficeretur gravis, & ideò talis percussor in hoc casu non posset absolvi ab Episcopo, sed accedere deberet ad Sedem Apostolicam. Et quidem Graffius *in Consil. tom. 2. consil. 1. de excomm.* & alij, de quodam Rustico qui baculo minatus fuit Sacerdotem Religiosum erga ejus oculos illum invehens & tangens, non tamen percutiens, probant in excommunicationem incidisse. Quid quæso isti Doctores dicerent de opinione Patris Vidal, qui excusat ab Excommunicatione non injuriosè tantùm manu tangentem Clericum, sed ipsum pugno, & baculo bis percutientem. Et quidem Alphonsus de Leone *Recollect. 5. de Censuris, n. 147.* & alii docent, illum qui manus admovens circa pectus Religiosi, & tunicam ejus comprehendendo dixit, nisi esses Religiosus, &c. incidisse in Censuram. Idem asserit Gipsius, *de Casibus reservatis, cap. 3. n. 60.* de illo, qui eripit de manu Clerici aliquid violenter, vt Librum, Scripturam, &c. Idem tenet Bordonus *in Miscellaneis, decis. 440.* de illo quod Biretum de capite Clerici ejecit; Sylvester, *verb. excommunicatio 6. n. 5.* & alij communiter firmant, de illo, qui non instrumento aliquo, sed tantùm sputo, aqua, oleo, pulvere tangeret Clericum, Iudica tu modò amice Lector, si in supradictis casibus quis excommunicationis vinculo innodatur, quanto magis dicendum est innodari in nostro casu, in quo Clericus reciperet in faciem, vel suprà dorsum unum & alterum pugnum, colaphum, aut ictum baculi.

Sup. his diversis sequentibus in hoc §. inf. in Resol. 9. § 1. à lin. 8. usque in fin. dicti §. & in alia Resol. & vers. ejus primæ annot. & in Resol. 32. §. 1. & sup. in Resol. 1. §. 2. ante med. à vers. At si quis usque ad vers. Ex quo etiam.

7. Itaque apertè apparet contra Patrem Vidal, non solùm duas, sed etiam unam percussionem Clerici, cum pugno, vel baculo inducere in percutientem excommunicationem, cùm apud omnes viros prudentes, talis percussio, licet non sit gravis, in ordine ad læsionem corporis, tamen est gravis, & mortalis comparatione honoris. Vnde patet responsio ad ea; quæ pro sua firmanda sententia adducit Vidal, & ad id quod me citato asserit; dari parvitatem materiæ in excommunicatione contra percutientes Clericos, respondeo, hanc doctrinam esse veram, sed malè applicatam in casu nostro; & ideò, nullus vt credo, nisi Pater Vidal, si haberet duos pugnos in faciem, vel duas baculi percussiones in dorso, vel super caput, existimaret se injuriosè quoad honorem fuisse parum læsum. Ergo, &c.

8. Sed si quis quæreret, quænam parvitas materiæ excusaret ab incursione hujus Censuræ? Respondeo individualiter pro nostro casu, esse illam, quam adducit Barbosa *in Allegatione juris pro Fisco in causa Vgentinæ incursionis Censuræ, n. 38.* videlicet, si quis manu tantùm repelleret Clericum; nam talis percussio arbitrio hominum prudentum censeretur levis in ordine ad læsionem honoris; secus autem, vt vult Pater Vidal, si duobus pugnis, vel duobus ictibus baculo Clericum percuteret.

RESOL. IV.

Quandonam percussio Clerici dicatur levis, gravis, & enormis? Ex p. 9. tract. 4. Resol. 45.

§. 1. Respondeo, quòd erit levis percussio, quæ respectu percussionum mortiferarum, nec est enormis, nec mediocris. Et quamvis Navarrus *in Manuali, cap. 27. n. 91.* innuat, levem percussionem esse, quæ fit pugno, id est, palma, baculo, vel lapide; & ubi nullum membrum secatur, aut dens evellitur, nec multùm sanguinis effunditur : nihilominùs hoc non semper est verum, nec circa hoc dari potest certa

regulæ: proinde judicio boni viri, seu prudentis Iudicis, judicanda est levis percussio ex circumstantiis personarum, locorum, temporum, & ex modo percutiendi, ac lædendi; Quapropter, si Clericus solemniter ministrando in Altari, vel sacrificando, etiam leviter percutiatur, non erit injuria levis, quæ aliàs esset levis: similiter non erit levis, sed atrox, percussio facta Clerico etiam leviter, vel in Ecclesia, vel in platea, ex quo fuit notoria, Gloss. *verb. Mutilationem, in cap. Cùm illorum, de sentent. excommun.* ubi Abbas *num.6.*

2. Gravis verò percussio censebitur illa, quæ non est levis, neque enormis, de qua judicabit Episcopus, vel Abbas, quibus conceditur in certis casibus absolutio, & ideò cognoscere possunt, an eorum sit jurisdictio, argumento *cap. Super litteris, de rescriptis, & in l. Si quis ex aliena, ff. de judiciis.*

3. Enormis autem percussio illa dicitur, quæ pervenit ad occisionem, aut mutilationem membri, aut ad effossionem oculi, aut si quis Clericus ex læsione fiat inutilis ad præstandum munus suum, aut si vulnus notabile inferatur, quod vt sanetur, eget remedio Chirurgiæ, aut aliorum medicinalium: non tamen erit enormis magna effusio sanguinis solùm è naribus, nec etiam ex vulnere modico. Item, dicetur enormis, si laïcus Officialis authoritativè percutiat Clericum. Aut si quis injiciat manum in Episcopum, vel Abbatem, vel etiam in Priorem, qui est Caput Monasterii, vel est in ejus loco. Item, erit enormis percussio, ratione loci, nempe, si vulneretur Clericus in oculo, vel in facie. Item, ratione scandali, si subditus percutiat Superiorem, & inde nascatur scandalum; vel si Monachus percutiat Clericum sæcularem, & ex eo detur scandalum. Item, erit enormis ex irreverentia, nempe si in conspectu Prælati, aut Iudicis percutiatur Clericus, *Inst. de injuriis, §. Atrox.* Similiter, si quis percutiatur in Ecclesia, Cœmeterio, Dormitorio, vel in platea, argumento *cap. Pro causa, de sententia excomm. & cap. Quisquis, 17. q.4.* Eodem modo erit enormis ex facti notorietate, præsertim si percutiatur Clericus in magno aliquo concursu, puta, in foro in magna festivitate, aut in nundinis, vel mercatu celebri. Vide Molinam *tract.5. disp.57.* Palaum *tom.6. disp.3. punct.23. § 4. n.2.* & alios penes ipsos.

4. Nota tamen cum Fragoso *tom.2. lib.1. disput.2. §.3.n.53.* probabiliter Navarrum *in Manual. cap.27. n.92.* existimare, ultra mediocritatem non esse dicendam semper percussionem enormem, quæ fit in locis publicis, aut in Ecclesia, aut Cœmeterio, vel Dormitorio, aut in præsentia Iudicis, aut quæ fit in oculo, vel vultu, nisi quando percussio est gravis, vel in se notabilis, vel quando ex ea magnum oritur scandalum. Et Megala *in 3.p. Inst. Confess. lib.4. cap.1.q.2.n.11.* admittit, opinionem Navarri procedere, quando levis percussio non fuit in publico loco commissa; sed postea factum effectum est notorium. Sed ego puto, sententiam Navarri sine limitatione non carere probabilitate, vt *alibi* docui.

Alibi in res. quæ hic est infra 60. & in alia ejus primæ annot.

RESOL. V.

An quando est dubium, an percussio sit levis, vel gravis judicandum sit esse gravem? Ex part.9. tractat.4. Resol.46.

Sup. hoc inf. §.1. in res.60. §. Sed ego, in fin.

AFfirmativè respondet Castrus Palaus *tom.6. disp.3. punct.23. §.4. num.2.* Molina *disp.57. num.3.* Sayrus *de censur. lib.3. cap.28. à num.8.* Suarez *disputat.22. sect.1. num.88.* Navarrus *cap.27. num.92.* Fragos. *de Republic. Christ. tom.2. lib.1. disput.2. §.3. n.53.* & alii, asserentes, quòd in dubio potiùs percussiones debent judicari graves, & enormes, quàm leves; ne detur occasio offendendi statum Ecclesiasticum. Et ita deciditur in Extravagant. Ioannis XXII.

2. Sed, his non obstantibus, contrarium tenet Pater Bordonus *in consil. Regular. tom.1. resol.38. numero 45.* ubi sic ait: [In dubio autem percussionis levis, an gravis, judicare spectat ad Prælatum habentem jurisdictionem absolvendi, & ad eum Prælatum, qui quærit, an possit absolvere, & non est recurrendum ad Papam, vt docent Glossa, Innocentius, Abbas, & Panorm. *in cap. Cùm illorum, de sent. excomm.* Sayrus *lib.3. cap.28. num.7.* Graffius *tom.2. consil.8. de sent. excomm. num.3.* Quòd si judicium ferri non possit, seu adhuc dubium remaneat, dicit Ioan. XXII. *in dicta Extravag. Perlectis.* Prælatum potiùs debere inclinare, percussionem fuisse gravem, quam levem, ne in juriantes de vicina absolutione confisi, de facili in atroces prorumpant percussiones. Sed hoc non urget: quia ibi potiùs consilium est, quàm præceptum. Idcircò Prælatus judicare illam potest levem, ne se privet sua jurisdictione: quia in dubio nemo tenetur se spoliare. Vnde dubitans, an aliquis casus sit reservatus, potest resolvere non esse reservatum, vt de veriori sententia docet Suarez *tom.5. disput.4. sect.6. num.5.* Sanchez *lib.1. cap.10.n.74.* & ex illis Floron. *part.1. de casib. reserv. cap.5. n.30.* & Sanchez refert præsentem casum de percussione judicanda levi, ne Superior amittat suam jurisdictionem absolvendi.] Hucvsque Bordonus. Verùm, quia contra illum sententiam affirmativam tenent communiter Doctores, non audeo ab ipsis discedere. Etsi Pater Bordonus, *ubi supra, num.39.* nominatim contra me asserat, esse certam dictam Extravag. Ioan.XXII. debebat quidem in hoc casu affirmativam sententiam tenere, si Ioan. XXII. *in dict. Extravag.* hoc, *vt supra* diximus, declarasset. Sed ego puto, contra Bordon. *dictam Extravag.* authoritatem non habere: & ita ex Suarez, Filliucio, & aliis tenet Leone *de cens. recollect.5. num.332.* ubi *n.356.* nobiscum contra Bordonum tenet, in dubio percussionem judicandam esse gravem. Quod, præter Doctores citatos, tenet etiam Graffius *in cons. tom.1 cons.3. diffic.2. num.9.* Marius Antoninus *var. l.3. resol.11. num.15.* Naldus *in Summ. verb. Clericus, n.39.*

RESOL. VI.

An percussio Clerici Superioris Ecclesiastici, vel Regularis præter malitiam contra Religionem, continens etiam malitiam impietatis? Ex part.9. tractat.4. Resol.28.

§.1. HVnc casum ponit Pater Oviedo *in part.2. D. Thomæ, tract.6. contr.5. punct.3. §.5. n.47. & 48.* ubi sic ait: [Extendit Bonacina malitiam impietatis ad injurias commissas contra Clericum, cui non assentior: hæ enim tantùm habent malitiam contra Religionem in manuum violenta impositione ratione Iuris positivi Ecclesiastici. Nam, vt benè expendit Lugo *disput.6. de Pœnitent. sect.6. n.310.* si percussio Clerici minimorum Ordinum ex natura rei differt specie à percussione alius Christiani hominis, hujus percussio differt etiam in specie à percussione hominis infidelis: nam longè magis dignitate excellit fidelis infidelem, quàm Clericus minorum Ordinum fidelem alium his Ordinibus non insignitum.

2. Quòd

2. Quòd si Clericus esset Prælatus, tunc illius percussio esset contra observantiam, quæ ut docet D. Thomas 2.2.q.102 cultum defert Prælatis, & omnibus superioribus, tanquàm nostræ gubernationis authoribus; sicuti pietas parentibus, tanquàm nostræ vitæ principiis. Vnde homicidium Principis malitiam specialem lethalem habet contra observantiam: idémque sentio de gravi contumelia, aut vulneratione: non autem de quacunque detractione, etiamsi lethalem malitiam contineat: benè enim componitur, detractionem, gravem malitiam contra justitiam continere, & levem contra pietatem. Nec si rixa oriatur inter privatum hominem, & inferiorem alium Iudicem, causa nullo modo pertinente ad officium Iudicis, (veluti, si Prætor, ut persona privata, in juriam aliquam intulisset, v.g. filiam, aut uxorem civis ad turpia provocasset; vel similem in juriam patiens, vellet vindictam sumere authoritate Iudicis non interveniente, provocando ad singulare certamen inferentem injuriam, & in eo casu privatus homo Iudicem interimeret,) malitiam gravem impietatis agnoscerem. In eo enim casu non contemneretur authoritas Iudicis à Principe dimanans. Secùs esset, si Iudex occideretur propter sententiam ab eo latam, vel alium actum Iudicis exequutum.

3. Faciliùs hæc impietatis malitia reperitur in injuriis erga Superiores Ecclesiasticos, maximè Regulares: propter majorem conjunctionem eum illis: quapropter omnem percussionem Episcopi, & omnem contumeliam in eundem jactatam, quæ malitiam gravem injustitiæ attingeret, gravi etiam malitia contra observantiam inficiendam esse existimo. In his enim Prælatis bonum nomen, integritas honoris, & famæ, & reverentia à subditis debita, valdè necessaria est. Similiter omnem gravem percussionem contra justitiam Prælati regularis habentis jurisdictionem ordinariam, veluti Abbatis, Prioris, aut Rectoris, censeo gravem malitiam cõtrahere contra observantiam illi debitam: & idem judico de quacumque gravi contumelia contra justitiam. Ratio est: quia Superiores religiosi non solùm sunt Patres spirituales, sed etiam sunt loco Patrum carnalium in rebus temporalibus. Ob hanc rationem ait Ægid. *disp.2. de char. n.152.* ut minimum meliùs facturum Prælatum religiosum, si fratribus carnalibus præferat subditum Religiosum; & valdè probabile putat, posse illum præferre proprio carnali filio non solùm in distributione bonorum Monasterij, in quibus in æquali necessitate etiam patri suum subditum debet præferre, sed etiam in distributione eleemosynæ ab aliis imperratæ, cujus Superior aliàs habet liberam dispositionem.] Et hæc omnia doctè, ut semper solet, asserit Oviedo *ubi suprà*; ex quibus patet responsio ad quæsitum propositum.

RESOL. VII.

An Clericus voluntariè percutiens se ipsum incurrat in excommunicationem Canonis. Si quis suadente?

Et an Cardinalis se ipsum percutiens, aut Vulnerans, in supradictam excommunicationem incurrat?

Et an Monialis, quæ potione, aut venæ scissione aborsum intendit, incurrat in prædictam excommunicationem?

Ex part.3.tract.5.& Misc.1.Resol.82. aliàs 81.

§.1. Affirmativam sententiam docent 30. Doctores, quos citat, & sequitur Carolus de Graffis *de effectibus Clericatus effect.9.n.82.* quibus ego addo Suarez *de cens.disp.22.sect.1.n.59.* Molinam *de just. tom.4.tract.3.disp.51.n.4.* Layman *in Theol.moral.lib.2. tract.5.part.2.c.5.n.5.* Filliucium *tom.1.tract.15.cap.1. n.33.* Reginaldum *tom.1.lib.1.c.1.n.209.* Avilam *de cens. p.2.c.5.disp.3 lib.... dub.12.* Bellettum *in disquis. Cler. p.1.tit.de favore Clericorum Canon.§.1.n.11.* Fernandez *in exam.Theol.moral.p.2 c.9.§ 20.n.20.* Sayrum *de cens. lib.2.c.26.n.10.* Gipsium *de cas. reserv. c.3. n.27.* Gutierrez *de juram. confirmatorio, part.1.c.16.n.64.* Raynerium *in Catalogo censurarum, c.9. excom.1.not.6.* Villalobos *in sum.tom.1.tract.17.dissic.22.n.10* & alios penes ipsos. Probatur hæc opinio; primò, quia Canon, *si quis suadente*, non tam in favorem personæ, quàm in favorem ordinis Clericalis effectus est, ut patet ex *cap.contingit, de sent. excomm.* ergò Clericus, qui voluntariè percutit se ipsum, incurrit in excommunicationé, quia non nequit ad hoc consentire cùm injuria fiat toti ordini Clericali. Secundò, probatur *ex can.si non licet 23.q.5.* ubi habetur plus esse homicidam qui se occidit, quam qui occidit alium; ergo &c.

2. Sed his non obstantibus negativam sententiam novissimè putat esse probabiliorem Turrianus *de cens. lib.3.disp.29.dub.2.* Primò, quia prædictus Canon, *si quis suadente*, manifestè loquitur de persona distincta à percutiente Clericum. Secundò, quia oppositum nullo jure probatur, nam *cap. contingit*, loquitur de actione injuriosa, de qua loquitur Canon, *si quis*; & hic, ut dixi, de actione alterius personæ loquitur.

3. Neque est idoneum fundamentum in eo capite ad dicendum, talem censuram ligare Clericum se ipsum percutientem, aliud verò majoris momenti est, sed dico, quòd licèt dicatur magis homicida, qui se ipsum interficit, quàm qui interficit, alium; tamen, hoc nihil refert ad probandum in prædicto Canone, *si quis suadente*, sermonem esse etiam de ipso Clerico se percutiente, & hoc multi putant probabile. Hæc omnia Turrianus, & ante illum ex neotericis docet etiam hanc sententiam doctus Barbosa *in collect.an. tom.4.part.2.decreti, causa 17.q.4.n.38.& 39.* qui probat hanc sententiam ex ipsomet *c.contingit*, & respondet ad argumentum, quòd hoc privilegium sit necessarium Ordini Clericali, & quòd non possit à Clerico renuntiari; lege illum, & non pigebit.

4. Sed quidquid sit de hac opinione, non gravabor tamen hìc obiter adnotare celebrem doctrinam Ludovici Molinæ *de just. tom.4.tract.3. disp.51. n.4.* qui ex Cajetano meritò affirmat, Monialem, quæ potione aut venæ scissione aborsum intendit, non incurrere hanc excommunicationem, eo quòd ea manus injectio in se ipsam sui comparatione violenta, injustiosa, ac contumeliosa non sit, quippe cum volenti & consentienti, violentia injuriosa, ac contumeliosa non sit; neque item injuriosa est statui Ecclesiastico; ergo, &c. Sup. hoc inf. in Resol. 47. & 48 & in Resol. 32. §. Sed ad meditum.

5. Notandum est etiam hìc obiter contra Duardum *in Bull.Cœn.q.8.n.8.& q.22.n.2.* Cardinalem se ipsum percutientem, aut vulnerantem non incurrere in excommunicationem dictæ Bullæ, & ita probabiliter docet novissimè Bonacin. *to.3.disp.1.q.12. punct.3.n.3.* Sup. hoc in tom. 9. tr. 7. Resol 82. per totam.

RESOL. VIII.

An Clericus percutiens se ipsum incurrat in censuram Canonis?

Et quid, si ipse consentiat in suam percussionem, an alii percutiens, & ipse Clericus percussus pro excommunicatis habendi sint?

Et an Clerici, qui in luctu ex morte amicorum se alapis cædunt, capilloque evellunt, incidant in excommunicationem Canonis? Ex part.9.tract.4.Resol.8.

§.1. Affirmativè respondent Doctores quos citat, & sequitur Megala *in 3. part. Instit. Confess. lib.4.c.1. quæst.1. num.5.* Quia in cap. *Si non licet. 23. quæst.5.* habetur plus esse homicidam, qui se occidit, Sup. hoc in Resol. præterita, & in alia ejus primæ annot.

quàm qui alium: ergo à fortiori etiam Clericus, qui se percutit, contrahit censuram necessariò, etenim percussio hæc ponenda est in specie sacrilegij; cùm qui percutitur, sit persona sacra. Nec dicas, textum nostrũ verbis facere de tertia persona, & pœnas non esse ampliandas. Nam respondetur, textum hanc tertiæ personæ distinctionem non facere; sed simpliciter excommunicare eum, *qui, suadente Diabolo, violentas manus in Clericum, vel Monachum iniicit.* Sed hoc facit Clericus se ipsum percutiens: ergo hac censura ligatur.

2. Vnde non deseram hìc apponere verba Gordoni *in Summa, tom. 2. lib. 7. q. 13. § 3. n. 33.* sic asserentis: [Sed, quid, si Clericus ipse consentiat in suam percussionem, aut etiam seipsum percutiat? Respondeo non obstare hunc consensum, quin percussor incidat in hanc pœnam: nam Canon hic non tam in favorem Clerici, quam status clericalis editus est: ac proinde nec ipsi Clerico licet consentire in hanc injuriam, cùm sit percussio injuriosa statui Ecclesiastico. Sic Cajetan. *c. 10. notab. 3.* & constat ex cap. *Contingit. 1. de sent. excomm.* & Gloss. *ibid.* cum Panormitano. Nec obstat, quòd volenti non fiat injuria: licèt enim velit hoc Clericus percussus, non tamen id vult Ecclesiasticus status. Ex quibus primò infertur, Clericum, si seipsum ex peccato mortali percutiat, incidere in hanc pœnam.

Sup. hoc cõsensu inf. in Res. 10. per tot. & signãter in §. 1. & 2. in fine.

3. Sed ego alibi, & nunc iterum puto cum Castro Palao *tom. 6. disp. 3. punct. 23. n. 4.* Clericum seipsum percutientem non incurrere in censuram probabiliter sustineri posse: quia Pontifex videtur loquutus de tertia persona offendente, & ab offenso distincta, ut colligitur ex illis verbis: *Si quis, suadente Diabolo, manus violentas in Clericum injecerit,* &c. Et ita, me citato, hanc sententiam tenet Baunius *in Theol. mor. tom. 2. disp. 5. tract. 4. q. 2.* Primò, ait ille, quia Canon, *Si quis,* manifestè loquitur de persona distincta à percutiente, ut indicant hæc verba: *Si quis, suadente Diabolo, in Clericum violentas manus injecerit.* Secundò, quia Innocentius II. in eo Canone exigit ad effectum incurrendæ excommunicationis, ut violentia inferatur Clerico, qui percutitur: at, etsi Clericus se percutiens Ordini Clericorum injuriam faciat, ut habet Canon, *Contingit. 36. de sent.* non tamen violentiam sibi ullam affert, cùm id volens, & sciens agat, ut significat innocentius *in Decretali citata,* his verbis: *Respondeo, quòd hujusmodi manus injectio, etsi non violenta, tamen injuriosa videtur, cùm ille Canon non tam in favorem Clerici ordinati, quàm in favorem Ordinis clericalis fuerit promulgatus.* Tertiò, quia in Canone cit. *de sent.* Innocentius III. non dicit, eos, qui hactenus Clericos percusserunt, eorum precibus inducti, excommunicationem incurrisse; quòd tamen tacendum non fuerat; si res ita se habuisset: nam hoc erat in quæstione: sed prohibendos, ne id in posterum faciant. Quartò, quia in eodem Canone dicitur, quòd Clericus, qui post prohibitionem cõsentit in hujusmodi percussionem, sit tantùm excommunicandus, non autem quòd sit excommunicatus ipso facto: ut fuisset necesse, si percussioni Clerici, factæ ejus voluntate, ipso facto esset excommunicatio adjuncta; nam tunc, ut habetur in cap. *Quanta 47. de sent. excomm.* tam Clericus, quàm qui ejus voluntate, ac imperio eum verberibus afficeret, pro excommunicato habẽdus esset: cùm facientes, & consentientes, pari pœna plectendos, Catholica condemnet authoritas Innoc. III. *Quartum, de sent. excomm.* Dixi, *si ex peccato,* &c. ad excludendam pœnitentiam, religionis, & pietatis causa susceptam, aut eos insuper, qui in luctu ex morte amicorum se alapis cædunt, capillósve evellunt. Vide etiam Leonem *de censur. recollect. 5. n. 126.* qui, me citato, nostram sententiam, tanquàm probabilem, contra immodestiam cujusdam Neoterici admittit, & defendit.

Alibi in Res. not. 1. hujus Res.

RESOL. IX.

An si duo Clerici, ensibus districtis, unus contra alium digladiantur, incurrant in censuram?

Et infertur, quod qui animo deliberato per vestes Clericum apprehendit, aut percutit, Suadente Diabolo, *aliquid corpori Clerici adhærens, puta, equum, cui Clericus insidet, vulnerat, aut ei injuriam infert; vel si quis de manu Clerici per vim aufert ensem, aut illum de latere per injuriam eripiat, aut galerum, seu pileum de capite &c. est excommunicatus.*

Et an volens percutere Clericum gladio, vel sagitta, aut ictu, & casu aberret, illumque non attingat, etiamque si sagittam emittat, vel ictum dirigat, incurrat excommunicationem?

Et notatur eum, qui adhuc non est initiatus prima Tonsura, etsi in habitu Clericali incedat, inserviendo Ecclesiæ animo ascendendi ad statutum Clericalem non gaudere privilegio Canonis, & de Clericis Salvaticis idem dicendum est. Ex p. 9. tr. 4. Res. 4.

§. 1. PONit hunc casum Fragosus *in Repub. Christ. tom. 2. par. 2. lib. 1. disp. 2. §. 1. n. 13.* ubi sic ait: Quæstio tamen est, quando duo Clerici se se invicem, gladiis districtis, invadunt, & digladiantur alter in alterum irruendo, intentione, & animo se percutiendi: nullus tamen percussus fuit; sed uterque ictus in se conjectos ensibus sustinuit, utrùm sint excommunicati? Pars affirmans ex eo videtur probari: quia qui animo deliberato per vestes Clericum apprehendit, aut percutit, suadente Diabolo aliquid corpori Clerici adhærens, puta equum, cui Clericus insidet, vulnerat, aut ei injuriam infert, est excommunicatus, ut tradunt communiter Philiarch. *lib. 2. de officio sacerdotali. c. 35.* Angles *in 4. q. de excomm. art. 6. diffic. 3. concl. 8.* ergo, qui mutuis ictibus percutiunt enses, quibus se defendunt, incidunt in hunc Canonem: quia adhærent manibus clericalibus. Confirmatur: quia, si quis de manibus Clerici per vim auferat ensem, aut illum de latere per injuriam eripiat, aut galerum, seu pileum de capite, non est dubium incurrisse in supradictam censuram: igitur in nostro casu idem dicendum est.

Sup. hic vestigia hoc casu Ref. 5. Quidam alias equa not.

2. Pars tamen negans est sequenda: quia re ipsa, ut supponitur, neuter ex illis percussus fuit, nec tactus ab ense alterius, quamvis animo percutiendi alter in alterum multiplicatos ictus conjecisset, & vibrasset. Ratio: quia excommunicatio hæc non fertur, nisi ob percussionem realiter factam, & ob injuriam revera illatam, non verò incurrendam. Ita colligitur ex Hostien. *in Summa, lib. 5. tit. de sent. excommunicationis, §. In primis n. 9.* Paludano *in 4. disp. 18. q. 3. art. 3.* Summa Astensi *part. 2. lib. 7. tit. 3. art. 2. q. 7. & 19.* Angelica *verb. Excommunicatio, 5. n. 29.* & aliis, quos referens sequitur Sayrus *de censur. lib. 3. c. 26. n. 21.* quia in hoc casu non est injectio manus in Clerici personam, vel in res Clerico adhærentes; & exceptis quibusdam casibus expressis, in reliquis verba sunt intelligenda cum effectu, argumento cap. *Relatum de Clerico non residente.*

3. Nec sufficit, ut incurratur excommunicatio, conatus sine effectu, seu motus verbalis tantùm sine actu aliquo violento, aut reali, quamvis adsit intentio, proinde si quis absque manuum injectione, vel detentione corporali compellat Clericum ad se redimendum, vel aliquid illi largiendum, aut vibret hastam, aut gladium evaginet, volens eum percutere, & non percutiat, non incurret in hunc Canonem. Et hæc omnia docet Fragosus, cui ego adhæreo.

Sup. hoc

4. Vnde ex his sequitur, quòd volens percutere Clericũ gladio, vel sagitta, vel ictu, & casu aberret, illumque

Ref. 5. in Ref. 1

lúmque non attingat, etiamsi sagittam emittat, vel ictum in illum dirigat; tunc in effectu,& re ipsa manus violentas illis non infert, prout verba legis, in materia odiosa præsertim,propriè sunt accipienda.

5. Nota hîc obiter contra Ambrosinum: *cap.* 22. *de immun. Ecclesiast.n.*6. & Decianum *tr.crimin. lib.*4. *cap.*8. *num.*17. eum, qui adhuc non est initiatus prima Tonsura,etsi habitu clericali incedat inserviendo Ecclesiæ, animo ascendendi ad statum clericalem, non gaudere privilegio Canonis; & de Clericis Salvaticis, quòd non gaudeant privilegio Canonis, declavit Sacra Congregatio desuper istos edita decimo Kalendas Iunij 1613.

RESOL. X.

An percutientes Clericum consentientem incurrant in censuram?

Et an Clericus consentiens dictæ percussioni non sit excommunicatus, sed possit excommunicari?

Pro quo explanatur, quod aliud est subjicere se Clementiæ alicujus, & aliud participare cum aliquo in crimine criminoso, quod non participat se submittens misericordiæ alicujus, qui de facili solet parcere subjectis, & prostratis? Ex part. 9. tr.4.Res.9.

§.1. REspondeo, tales ligari excommunicatione hujus Canonis, percutiendo Clericum volentem, & consentientem, quia ad hoc Clericus non potest consentire cum injuria totius Ordinis clericalis,ut scribentes ex cap. *Contingit de sent.excomm.* inferunt, & tradunt Mantua *Dialog.* 35. Guttierrez *de jur.confir p.*1.*c.*16.*n.*53. Suarez *de cens. disp.*22.*sect.*1. *a n.*57. Graffius *decisionum p.*1.*lib.*2.*c.*49. *n.*6. *ex cap. Contingit, de sent. excomm.* Nam quamvis volenti, & consentienti non fiat injuria; fallit tamen ratione dignitatis Ecclesiasticæ, propter quam fuit tale privilegium emanatum: proinde non Clerico, sed dignitati Ecclesiasticæ infertur iujuria.Item,quia Clericus non est dominus membrorum suorum, *l. Sed si* §. *Si ipse servus*,& *l.Liber homo,ff. Ad leg. Aquil.*Glos.*in c. Ex part.de corp.vit.* Covarr. *in Regul. Peccatum*, 2. *p.*§.5. Atque ita non potest Clericus huic privilegio fundato super favore dignitatis Ecclesiæ renunciare,quoad pœnam Canonis; poterit tamen remittere privatam injuriam quoad proprium interesse, & commodum. Antonius de Butrio *in c. Si diligenti*, *n.* 18. *de foro compet.*& habetur in cap.*Cùm desideres,de sent.excom.* Et ita præter Doctores citatos, tenet Gordonus *in Summa,*t.2.*lib.*7. *q.*13.§.3.*n.*33.Layman *lib.*1.*tr.*5.*p.*2. *c.*5.*n.*5. Leone *de cens. recollect.*5. *n.*52. Quòd autem Clericus, consentiens dictæ percussioni, non sit excommunicatus, sed tantùm possit excommunicari, probant Doctores supracitati communiter ex verbis ipsusmet tex.*in d.c.Contingit.*

2. Nec obstat,dicere,Clericum consentientem, ut verberetur, communicare cum percutiente in crimine criminoso,& consequenter incurrere ipso facto excommunicationem: quia respondetur,ad incurrendam excommunicationem, ob participationem in crimine criminoso, necesse esse, ut participet post crimen patratum, & quòd sciat, delinquentem esse denunciatum,ut habetur in cap.*Nuper,de sentent.excom.* & asserit Navar.*in Manuali,c.*27,*n.*33. & 112. idcircò in casu præsenti,ut subjiciens se percussioni incurrat ipso facto excommunicationem, opus est, ut consentiat percussori,qui jam iterum percussisset,& quòd talis percussio esset notoria, & manifesta, & consentiens consentiret percussioni injuriosæ, non animo satisfaciendi injuriam percutienti irrogatam. Nam tunc percutiens, etiamsi jam iterum, & iterum percussisset,consentiens non ipso facto ligabitur excommunicatione, si hæc patiatur animo satisfaciendi injuriæ illatæ, ut notat Panormit. *in d. c.Contingit*, *n.*8. quia aliud est subjicere se clementiæ alicujus,& aliud est participare cum aliquo in crimine criminoso, quod non participat se submittens misericordiæ alicujus, qui de facili solet parcere subjectis & prostratis. Vide etiam Megalam *in* 3.*p.instit. Confess.lib.*4.*c.*1. *q.*1.*n.*6.& Castrum Palaum *t.*6.*disp.*3. *punct* 23. §.2. *n.*3. Villalob.*in sum.t.*1.*tr.*17.*diffic.*22.*n.*10.ubi sic ait: [Quanto à los Clerigos, que ellos de su propria voluntad se sujetan à que otros los hieran con action injuriosa,se ha de dezir, que ellos no estan descomulgados, como consta de un texto, que dize estas palabras: *Si quis autem Clericus post prohibitionem hujusmodi,sponte se subjecerit,excommunicatur.* Donde supone, que no està descomulgado: mas es seglar que le hiere, si como dize el mismo texto Felino, Panormitano, Iuan Andres, y la Glossa.] Ita ille, & Doctores communiter.

Sup. hoc in §. not. præteritæ.

RESOL. XI.

An Prælati Regulares,& sæculares percutientes Clericos titulo correctionis per alios incidant in censuram?

Et an hic alius, qui in Religione debet esse Monachus, possit esse unus è conversis?

Et an restrictio, ne fiat per laicum percussio, habeat locum etiam in Prælatis Clericorum sæcularium?

Et an captura Clerici possit fieri per laicum authoritatè Superioris Ecclesiastici? Ex part.9 tr.4.Resol.22.

§.1. REspondeo cum Gordono *in summa t.*2,*lib.*7. *q.* 13. §.4. *n.*38. & aliis, quòd quantum ad Religiosos attinet,de quibus agitur in cap.*Vniversitatis,de sent.excom.*debet Superior propria manu subditum verberare,nisi urgeat necessitas:& quando ea occurrit non debet id per laicum præstare; sed per Clericum, vel Monachum: alioqui, inquit Canon, tam præcipiens, quàm verberans contrahunt hanc censuram,ex d. cap. *Vniversitatis.*

2. Dubitat Angelus,an hic alius possit esse unus è Conversis? Certum autem videtur, posse in illo necessitatis eventu fieri per Conversum; si verè Religiosus est, quamvis non sit Clericus. Qui verò nec Clericus, nec Religiosus est, habetur hic ut laicus. Cæterùm aliud est de captura,que fieri potest per laicum authoritate Superioris Ecclesiastici,ut colligitur ex c. *Vt famæ,de sent. excom.*& hæc ex d.c. *Vniversitatis*,ubi de Abbate agitur. Secundò hùc spectat, an eadem hujus capitis restrictio,ne fiat,scilicet, per laicum percussio,habeat etiam locum in Prælatis Clericorum sæcularium?In qua re illud primò certum est, non debere Episcopum suis manibus verberare, ex cap. *Non licet,dist.*86. quia, ut pro ratione ibi subjungitur, hoc alienum est ab hac dignitate sacerdotali: quamvis verba illius capitis non significent contrahi gravem culpam, si Episcopus per se (justè tamen) percutiat. Quantùm verò attinet ad alios sæcularium Clericorum Prælatos minores,videtur ab illis quoque servandum,quod habet d.cap. *Vniuersitatis*,nempe,ut per se puniant, nisi urgeat necessitas. Ita Navarr. & quidam alij opinantur.Verùm cap.*Vniversitatis*,id non habet; sed nec ulla recepta,ac constans consuetudo,ac proinde alij censent, non esse obligandos, ut per se percutiant, præsertim cùm in d. c. hoc solùm de Religiosis exprimatur. Cæterùm altera pars capitis, nempe, ut non fiat per laicum,obligat sanè & hos Superiores,atque etiam Episcopos:quia hæc capitis particula generatim profertur;& non restrictè ad solos Religiosos, ut textum illum expendenti facilè apparebit, præsertim in verbis illis: *Tam qui tales verberare præcipit.*

3. Verùm,

3. Verùm, licèt hoc ita sit de rigore Iuris, à consuetudine tamen introductum est, ut Prælati Ecclesiasticos mediis laïcis capiant, & in vincula conjiciant, & publica flagellorum punitione afficiant, & si opus fuerit, torqueant, ac in triremibus puniant. Id enim bono communi necessarium est, ne delicta Ecclesiasticorum maneant impunita: quod sæpè contingeret, cùm rarò inveniretur Ecclesiasticus, qui has actiones præstare vellet. Præterquàm quòd non decet personam Ecclesiasticam hujus generis punitionis executio. Et ita docet Turrianus *de cens. lib. 3. disp. 29. dub. 3.* Megala *in 3. p. inst. Confess. lib. 4. c. 1. q. 3. n. 5. cum seq.* Coninch *de cens. disp. 14 dub. 15. n. 191.* Avila *p. 2. c. 5. disp. 3. dub. 12.* & alij penes ipsos.

4. Et tandem ad confirmationem supradictorum non deseram hîc apponere verba Villalobos *in Summa t. 1. tr. 17. diffic. 22. n. 9.* ubi sic ait: [Mas haze de advertir que el Obispo no tiene obligacion de açotar por sus manos al Clerigo, como todos dizen, por un capitulo de Derecho, ni tam poco los demas Iuezes Ecclesiasticos seculares, inferiores à los Obispos, que en ninguna parte està esso en uso, como nota Suarez, porque aquella forma solo està prescrita à los Prelados regulares, para que no aviendo necessidad de otra cosa, açoten por si mismos à los subditos. Y añade mas, que los Prelados de las Religiones no estan obligados à esso con tanto rigor, que pequen mortalmente, y queden descomulgados, si hazen lo contrario, porque aquel defeto no es substancial, sino accidental, y no es la materia grave, y favorece esto la costumbre, que en nuestra Religion de ordinário los Prelados mandan à los Vicarios, ò otros Sacerdotes hazer esto.] Sic ille.

RESOL. XII.

An percutiens Monachum, aut Novitium titulo correctionis incidat in censuram, si in Religione adsit statutum, ne Prælati causa correctionis percutiant Monachos?

Et quid, si Submagister corrigat contra prohibitionem Magistri principalis?

Et notatur Clericos sodomitas esse privatos per Bullam Pij V. privilegiis Clericalibus, sed intellige post declarationem criminis?

Et an sub nomine Clericorum sodomitarum in dicta Bulla intelligantur patientes crimen nefandum? Ex part. 9. tr. 4. Resol. 41.

§. 1. Respondet negativè Avila *de censur. part. 2. c. 5. disp. 3.* ubi sic ait: [Quid, si Submagister corrigat contra prohibitionem Magistri principalis? Respondetur, quòd non incurrit censuram. Ita Sylv. *part. 8.* quia per hujusmodi prohibitionem non potest auferri privilegium juris, quod est posse corrigere discipulos. Hinc infero, quòd quamvis Prælatus alicujus Religionis per se, vel per alium Religiosum verberet subditum delinquentem contra consuetudinem, vel Constitutionem suæ Religionis, prohibentem, ac illum percutiat, non incurrit: quia non agit contra jus commune.] Ita ille.

Sup. hoc in t. 1. tr. 5. Res. 63. & in alio § ejus primæ annot.

2. Notandum est hîc obiter, Clericos sodomitas esse privatos per Bullam Pij V. privilegiis clericalibus: sed intelligi post declaratoriam criminis. Sed, an sub nomine Clericorum sodomitarum in dicta Bulla intelligantur patientes vitium nefandum, negat Leone *de cens. recollect. 5. num. 73.* me citato: quia hi potiùs dicuntur molles, quàm sodomitæ, & ideò non comprehenduntur in casu, & pœna dictæ Constitutionis. Quod etiam tenet intrepidè, me citato, Marchinus *de Sacram. Ordin. tr. 1. part. 8. cap. 14. n. 29.* Sed ego non adhæsi firmiter huic sententiæ, sicut neque modò adhæreo: ideo tu cogita.

Et pro patientibus contentis in hoc textu in tom. 1. tr. 5. Res. 60.

RESOL. XIII.

An Magistri percutientes Clericum discipulum per laicum incidant in censuram? Ex parte 9. tractatu 4. Resol. 23.

§. 1. Videtur prima facie hoc fieri non posse: quia Prælatis, & Iudicibus Ecclesiasticis sola captura, tortura, & publica punitio permittitur per laïcos fieri; non autem secreta punitio, & quæ punitum non infamat: at magistris sola hæc punitio concessa est: ergo nequeunt illam mediis laïcis exercere. Sed affirmativæ sententiæ ego adhæreo: quia spectato jure naturæ hæc correctio non est illicita: non enim potest ut violenta notari, *c. 1. de sent. excomm.* At jure positivo solis Prælatis, & judicibus Ecclesiasticis invenitur interdictum, ne Clericos, vel Religiosos corrigant mediis laïcis, cap. *Universitatis, de sentent. excomm.* Cui dispositioni magna ex parte derogatum est in cap. *Ut famæ, eodem tit.* & in cap. *Si Clerici, eodem tit. in 6.* ergo, cùm magistris, parentibus, propinquis non sit prohibitum discipulos Clericos per laïcum punire, id absque timore excommunicationis præstare poterunt. Et confirmo: Magister laïcus potest Clericum in minoribus constitutum punire; & pater filium, & propinquus sibi aliqualiter subditum: ergo poterit medio alio laïco eam punitionem præstare; partim, quia in ea actione nulla injuria deprehenditur, argum. cap. *Si Clericos*, partim, quia ipsis magistris potiùs, quàm exequutoribus punitio adscribitur, ut notatur cap. *Ut famæ, de sent. excom.* Neque obstat, quòd Prælatis, & Iudicibus Ecclesiasticis interdicta sit correctio Religiosi, & Clerici subditi medio laïco: quia, cùm ipsi Ecclesiasticæ personæ sint, decebat Ecclesiasticos per se, vel per alios Ecclesiasticos corrigere, cùm correctio adhibenda est, quæ à personis Ecclesiasticis exerceri decenter potest: at magistri sæpè sunt laici, & à fortiori parentes: non est igitur mirum quòd ipsis facultas jure naturæ concessa intacta relinquatur, quæ prælatis Ecclesiasticis restringitur. Et hæc omnia docet Molina *disp. 56. n. 8.* Layman *lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 9.* & Castrus Palaus *t. 6. disp. 3. punct. 23. §. 3. n. 12.*

RESOL. XIV.

An percutientes Clericum titulo correctionis, incidant in censuram?

Et quid, si excedant modum, vel corrigant ex odio?

Et in textu hujus Resolutionis explanantur diversæ personæ, quæ hanc correctionem facere possunt sine censuræ incursione?

Et an, quando dictæ personæ excedunt modum percussionis relatæ ad correctionem, vel corrigunt ex odio, incurrant hanc censuram? Ex part. 9. tractatu 4. Resol. 21.

§. 1. Respondeo, quòd titulo correctionis licitum est prælato Ecclesiastico, & magistro discipulum Clericum, etiam in sacris constitutum, vinculis alligare, & castigatione moderata punire, prout ratio culpæ, & qualitas personæ exigit, & consuetudine receptum est. Sub magistro venit intelligendus pædagogus, & quicumque alius, qui ad honestum aliquid docendum, vel in officio Clericos continendos assumitur, ut rectè advertit Molina *disp. 56. n. 3.*

Item,

Item,is,cui ex officio incumbit pueros turbantes divinum Officium ab Ecclesia expellere. Quinimò senioribus Clericis concessum est leviter in minoribus Ordinibus constitutos punire, si divinum Officium turbent. Et ita docet Layman *lib. 5. tract. 5. part. 2. c.81. n.7.* Suarez *de cens. disp.22.sect.1. num.48.* Coninch. *de Sacram. disput.14. dub.15. num.190. & seq.* Castrus Palaus *tom.6.disp.3.punct.23. §.3.num.6.* cum aliis.

2. Verùm non desinam hîc adnotare, quòd in jure videtur aliqua antinomia, quoad supradicta:nam in cap.*Vniversitatis,de sent.excomm.* Iudex Ecclesiasticus, qui percuti facit Clericum per laïcum, censetur simul cum percussore peccare in Canonem. Vnde apparet,laïcis non esse permissum, ut doctrinæ, & instructionis causa percutiant Clericum;sed debet fieri castigatio à Clerico.E contra *eod.tit. c.1.* id magistris simpliciter permittitur.Et cap.*Cùm voluntate, eod.tit. §.Si qui vero.* Permittitur primò,senioribus Clericis, juniores vel adolescentes in minoribus constitutos,si turbant divinum Officium(non alia ex causa)leviter percutere.Secundò,idem magistris in scholares permissum, correctionis causa. Tertiò, adduntur *ibidem* hæc verba: *Quod & de his dicendum est,qui aliquos de familia sua, vel propinquos inferiorum graduum simili modo, ut cohibeant à suis insolentiis,& scientia,bonisque moribus informentur, duxerint corrigendos.*Et hæc quidem vera sunt omnia,dántque cum assignatis conditionibus potestatem etiam patri,dominis, & magistris in subditos Clericos.Ad tollendam autem antinomiam aliqui explicant dict.cap. *Vniversitatis,* prohibere laïcis illis juridicam,& publicam animadversionem in Clericos,non verò privatam.Rectiùs tamé intelligitur caput illud de laïcis,quibus non est titulus magistri,parentis,aut domini concessus,nempe,ut in cap.*Cùm voluntate.*Addo præterea illud, cap. *Vniversitatis,* priùs editum esse à Clemente III. quem pono sedisse 1188.illud verò cap. *Cùm voluntate*, posteà editum à Gregorio IX.qui sedit anno 1227.& proinde habere declarationem, & extensionem prioris legis. Quid matri, quidve propinquis concessum sit,habetur in dicto cap. *Cùm voluntate.* Porrò hæc de magistris declarant Navarr.*n.82.casu 14.*& Angelus, *Excommunicatio,n.9.*Lege citata juris,ubi habetur, nihil obstare in Clericis scholasticis, sive sint minoribus, sive sacris Ordinibus initiati: & idem de filiis, cùm castigantur à patre.Et hæc omnia docet Gordonus *in Summa, tom.2.lib.7.q.13 §.4. n.37.*

3. Sed ex his dubium oritur, an quando prædicti excedunt modum percussionis relatæ ad correctionem incurrant hanc censuram?Prima opinio est Glossæ *in cap.Vniversitatis,de sent.excomm.* affirmantis, illos incurrere hanc censuram.Et probari potest: quia facultas solùm conceditur in ordine ad correctionem: sed Glossa *in cap.Cum voluntate, citatum*, docet non incurrere illos hanc censuram. Et aliqui redigunt in concordiam has duas opiniones,secundùm doctrinam Sylvestri, *Excommunicatio,6.§.6.*ut non contrahatur, quando est purus excessus, ita ut non sit peccatum mortale. Et hanc doctrinam sequitur Tabiena. *Excommunicatio, 3.casu 2.* & Toletus *c.34. n.4.* & ex dictis potest probari utraque pars:& prior facilè intelligetur; quia sine peccato mortali non incurritur hæc censura: secunda probatur: quia fit contra facultatem gravi modo, ita ut fit peccatum mortale.

4. Sed quæri potest, quid dicendum sit, quando prædictæ personæ percutiunt prætextu correctionis; sed non ex fine corrigendi, sed ex odio? Respondent Sylvester,& Toletus *supra*,incurri excommunicationem: quia facultas est concessa ad corrigendum, ex fine correctionis: & docent esse communem sententiam,quam ego intelligo,si finis ille aliquo signo manifestetur; aliàs non potest Ecclesia eum actu punire. Quæ omnia docet Turrianus *de cens.lib.3.disp.29. dub.2.*

RESOL. XV.

An Pater correctionis causa possit percutere filium Clericum in Sacris constitutum absque metu censuræ?
Et quid in prædicto casu de Clericis in inferioribus gradibus, sive Ordinibus constitutis?
Et notatur hoc locum habere in avo, si talis filius Clericus est in ejus potestate?
Sed quid de Matre?
Et advertitur Magistrum ab excommunicatione immunem esse, si discipulum correctionis causa percutiat?
Ex part. 9. tract. 4.Res. 1.

§.1. NEgativè ex Molina, & aliis respondet Layman *Theolog.mor.lib.1. tract.5. par.2. cap.5. n.8.*ubi sic ait: [De patre majus dubium est, utrùm filium in sacris constitutum, sine nota excommunicationis castigare possit.Negat Gloss.*cap. Cum voluntate,verb.Inferiorum graduum*,quia sacer Ordo,inquit, liberat à patria potestate: intellige, quod attinet ad effectum castigationis:nam ab aliis effectibus patriæ potestatis sacer Ordo non eximit: sed solùm Episcopalis,vel Cardinalitia dignitas,sicuti Abbas *in cit. cap.Cum voluntate.* Angel. *verb. Excommun. 5.§.10.* Eandémque sententiam Glossæ sequitur Abbas *ibid.* Molina *tom.1.tract.2.disp.228. in 6. effectu, & tract.3. disput.56.*& alij apud eundem. Quia indecens esse videtur, Clericum, in sacris constitutum à patre laïco verberari:ut proinde præsumendum non sit,Iura huic rei patrocinari velle.Et cùm Canon,sive Ius commune,prohibens Clerici percussionem, favorabile sit Ecclesiastico Ordini,restringi non debet nisi expressam in Iure exceptionem reperiamus: nullibi autem expressum est, quòd pater quoscunque filios Clericos,etiam in sacris,absque nota excommunicationis castigare possit; sed solùm,quòd patri familias concessum sit Clericos adolescentes,in inferioribus gradibus, sive Ordinibus constitutos, qui de familia ejus,vel propinqui sunt,disciplinæ causa corrigere, cit.cap.*Cum voluntate,de sentent.excommun.* Hucusque Layman,cui adde Villalobos *in Summa,tom.1.tract.7. diffic.22.n.5.*

2. Sed non desunt Doctores pro opinione affirmativa: & ideò illam tuentur S.Antoninus *3.p. tit.24. cap.1.§.2. casu 12.* Sylvester *ver.excomm. 6. numero 6. casu 8.* Navarr. *c.27.n.82.* Avila *part.2. c.5. disput.3. dub.13.casu 1.* Suarez *disp.22. sect.1. n.49.* Ratio eorum est: quia pater non minorem, sed potiùs majorem in filium potestatem habet, quàm magister in discipulum; atqui in cap. 1. & cap.*Ex tenore*, absolutè,& sine restrictione, significatur, magistrum ab excommunicatione immunem esse,si discipulum correctionis causa percutiat; ergo idem de patre sentiendum est erga filium. Et hanc sententiam, præter Doctores citatos, tenet Fagundez *in Regim. Reipubl. Christ.tom.2.part.2.lib.1. disp.2. §.1.num.7.* & Graffius *lib.2. decis.c.49.n.39.& seq.* Filliucius *tom.1.tract.15. c.1.quæst.1.& 6.* Coninch. *de Sacram. disp.14. dub.15. num.192.* Bañez *in 2.2.quæst.65. art.2.* Valentia *ibidem quæst.9. punct. unico*, & novissimè Baunius *in Theolog.moral. tom.2. disp.5. tract.4. n.3.q.3.* ubi sic ait: [Quæritur, an pater animadvertens in Sacerdotem filium, reus sit violatæ legis Ecclesiasticæ de non verberando Clerico? Nequaquam: quia patri,quoad correctionem, sui subsunt liberi: Sacerdos filius est, nec à Charactere jus sibi prætexere ullum potest, vi cujus à patria potestate sit liber: nam,

quis

quis credat filium hoc ipso, quod Sacerdotio sit insignis sic juris sui fieri, ut in eum patris authoritas omnis sit peremptа? Episcopos quidem scimus, ut habetur *in Canone* 20. *disp.* 54 sui juris esse: jus enim patriæ potestatis soluit episcopalis dignitas: filios autem, sacrorum beneficio Ordinum, ab ea immunes esse non legimus: quare, si quid Sacerdos in vita, moribúsque, sacra indignum persona, quam sustinet, peccaverit, à patre emendari, quamvis sit Sacerdos, quin possit, non ambigit de Graff. *lib.* 2. *c.* 40. *n.* 36. Hoc autem intellige, inquit, etiamsi in percussione aliquis fuerit excessus, cùm non possint verbera semper suspendi in statera. Eandem sententiam sequuntur Sylvester *excommun.* 6. *casu* 8 Avila *part.* 2. *c.* 5. *disp.* 23.] Hucusque Baunius, & alij penes ipsum.

3. Verùm ego, licèt hanc sententiam affirmativam probabilem existimem, probabiliorem tamen puto negativam, quam, præter Molinam, Layman, & alios, tenet Castrus Palaus *tom.* 6. *disp.* 3. *punct.* 23. *n.* 8. quia, ait ille, in Canone, *Si quis suadente*, omnibus generaliter prohibitum est, violentas manus in Clericum iniicere: at nullibi concessum est patri, correctionis gratia in filium in sacris constitutum manus injicere violentas: quin potiùs colligitur, id expressè esse prohibitum ex dicto cap. *Cùm voluntate*, per argumentum à contrario sensu; siquidem *ibi* conceditur patrifamiliâs punire, correctionis gratia, adolescentes in minoribus gradibus constitutos. Ergo tacitè denegatur potestas puniendi, cùm sunt majoribus insigniti. Deinde potestas concessa patrifamiliâs conceditur propinquis comparatione propinquorum, qui sunt in minoribus gradibus constituti, ut constat ex dicto cap. *Cùm voluntate*, at propinquis non permittitur constitutos in sacris percutere: ergo nec parenti est permittendum. Præterea ex eo, quòd Sacerdotibus senioribus, aliisque ex officio deputatis concedatur, adolescentes pueros in minoribus constitutos turbantes divinum Officum, correctionis gratia, percutere, infert communis sententia, teste Molina *disp.* 56. *n.* 6. nullatenus permissum punire, si fuerint in sacris constituti: sed eadem restrictio, & limitatio pro patrefamiliâs facta est: ergo asserendum est, patrifamiliâs non esse permissum filios in sacris punire. Denique ob reverentiam sacri Ordinis non est permissum Prælatis Episcopo inferioribus, per alium, Clericum corrigere: & casu, quo aliquando id necessarium fuerit, cavetur, ne fiat per laïcum, sed per Clericum: quia indecens est, laïcum manus violentas in Clericum injicere, tametsi correctionis gratia fiat: at regulariter paterfamiliâs laïcus est: ergo credendum est, correctionem filiorum, saltem qui sunt in sacris constituti, ei prohibitam esse.

4. Nota tamen cum Leone *de censur. recollect.* 5. *num.* 281. nostram sententiam habere locum etiam in avo, si talis filius est in ejus potestate, ut præsuppono esse in potestate patris, nec ab ea liberari ob sacrum Ordinem: minimè autem in aliis propinquis, sed nec matri, cùm non habeat illum in potestate, & in eis major indecentiæ ratio cernitur, quàm in patre, & avo.

RESOL. XVI.

An si quis percutiat Clericum turpiter agentem cum filia illegitima, incidat in censuram?

Et quid de filia adoptiva?

Et etiam de matre, sorore, aut uxore agitur in prædicto casu, & non solum in actibus primis, ut osculis, amplexibus, & similibus, sed etiam in colloquio suspecto, & secreto.

Imo hoc procedit si Clericus turpiter infestet puerum pro nefanda libidine. Et par. 9. tract. 4. Resol. 33.

§. 1. NEgativè respondet Hieronym. Garcias in *summa morali, tract.* 1. *disp.* 3. *dub.* 1. *punct.* 4. *n.* 35. sic asserens: [El quarto caso, que escusa de censura, aunque no de pecado, es, quando uno halla a un Clerigo *in flagranti delicto* con su muger, hermana, madre, ò hija legitima, ò ilegitima, usando torpezas con ellas, y le sacudè, ò mata incontinenti.] Ita ille. Et ita etiam docet Raguccius *tit. de excomm.* 9. 66. *n.* 6. in *vase Eccles. discipl.* ubi sic ait: [Hanc excommunicationem non incurrit, qui percusserit causa honoris, puta, Clericum turpiter inventum cum filia, sorore, matre, vel uxore, nam in his tantùm quatuor personis non incurritur, *c. si verò de sentent. excommun.* & procedit non solùm si Clericus, vel Monachus fuerit inventus in flagranti crimine; * sed etiam in actibus proximis, ut osculis, amplexibus, & similibus, aut etiam in colloquio suspecto, & secreto. Imò procedit, etiamsi Clericus turpiter infestet puerum pro nefanda libidine, imò procedit, ut non incurratur in percussione Clerici inventi cum filia, etiam illegitima.] Ita ille.

2. Sed ego puto, contrarium dicendum esse, non solùm de filia illegitima, sed etiam de adoptiva, utrectè observat Coninch *de Sacram. disp.* 14. *dub.* 15. *n.* 196. & Turrianus *de caus. lib.* 3. *disp.* 29 *dub.* 2. sic asserens: [Circa matris nomen difficultas est, an illius nomine comprehendantur omnes ascendentes? Et affirmarunt aliqui, ut refert Toletus. Sed verius est, solam matrem intelligi, secundùm proprietatem nominis, ut Toletus, & alij non pauci dixerunt: & eodem modo nomine filiæ non intelliguntur omnes descendentes. Item, nomine filiæ debet intelligi ea, quæ talis est per naturam, & non per adoptionem, ut notavit Suarez juxta Glossam communiter receptam *in cit. cap.*] Itaque ex supradictis dicendum est, patrem percutientem Clericum turpiter agentem cum filia illegitima, vel adoptiva, incurrere in censuram Canonis.

RESOL. XVII.

An si quis percutiat Clericum turpiter agentem cum sponsa de futuro, incidat in censuram?

Et in §. 1. hujus Resol. *apponuntur omnes personæ, cum quibus si Clericus turpiter ageret, & percussus fuerit, percutiens non incidit in excommunicationem; & non solum si turpiter in actu fornicationis inveniatur Clericus, sed etiamsi inveniatur vacans amplexibus, osculis, aliisque tactibus turpibus, quinimo in loco suspecto.*

Et quid, si in loco honesto Clericum loquentem cum uxore, &c. post trinam monitionem reperit maritus domi cum uxore solum loquentem, si eum per 24. horas captivum detineat, aut verberet?

Et in dictis casibus adductis in corpore hujus Resolutionis, an percussio incontinenti præstanda sit?

Et an Patri, filio, fratri, marito, &c. volenti interficere Clericum in flagranti repertum, liceat alicui absque incursione excommunicationis, quando alia via non potest illum avertere, consulere percussionem tantum, vel mutilationem?

Et notatur supradictos non posse per alios percutere Clericum turpiter agentem cum uxore, filia, sorore, &c. & in tali casu tam mandans, quam percutiens mandatarius incurreret excommunicationem. Ex part. 9. tr. 4 Resol. 32.

§. 1. SUpponendum est, quòd Ius canonicum, ob difficultatem, quam agnoscit, temperandi dolorem, cohibendique impetum vindictæ in eo, qui videt suam uxorè, matrem, sororem, aut filiam turpiter [illegible] pollui

pollui ab aliquo Clerico, excusat ab hac excommunicatione percussorem illius, uti habetur *cap. Si verò de sent. excommun.* Nam esto in percussione lethale peccatum committatur, adhuc Ius canonicum, tum in detestationem illius criminis, tum ob difficultatem temperandi dolorem ex injuria accepta cohibendique vindictam, noluit percussorem excommunicatione punire, ut tradit Glossa *in dict. c. Si vero, verb. Turpiter.* Censetur autem turpiter Ecclesiasticus agere, non solùm si in actu fornicationis inveniatur; sed etiam, si inveniatur vacans amplexibus, osculis, aliisque tactibus turpibus, quinimò in loco suspecto, ita ut ex circumstantiis meritò coniici possit turpitudo. Personæ verò, quibuscú Ecclesiasticus turpiter agere inveniendus est, sunt uxor, mater, soror, aut filia pervenientis. Neque ad alias personas propinquas, consanguineas, aut affines extendenda permissio est. Nã, cùm hæc exceptio odiosa sit statui clericali, restringátque privilegium Clericis concessum, non est ulcra personas expressas extendenda. Tametsi Innocent. *in dicto c. Si verò in fine*, ad neptem, & aviam privilegiũ extendat. Nomine verò matris, filiæ, sororis venit, quæ sic propriè est, non autem quæ solùm per appellationem: quare filia, aut uxor adoptiva sub nomine filiæ, & sororis in hoc Decreto correctorio non continetur, benè tamen illegitima, quæ propriè filia, & soror est. Et tandem nomine uxoris intelligitur etiam sponsa de præsenti, cum qua matrimonium jam est initum, quamvis nondum sit consummatum: & ideo percutiens Clericum turpiter inventum cum sua sponsa de præsenti, non incidit in hunc Canonem.

2. His suppositis; difficultas est circa sponsam de futuro. Et affirmativè respondent Sanch. *lib. 1. disp. 1. n. 6.* Molina *tr. 2. disp. 55. n. 5.* Layman *lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 8.* Coninch *de Sacr. dis. 14. dub. 15. n. 196.* Turrian. *de cens. lib. 4. disp. 29. dub. 2.* & alij, asserẽtes in nostro casu nomine uxoris non comprehendi sponsam de futuro, ita ut sponsus percutiens Clericum turpiter cũ ipsa agẽte, incidat in censurã Canonis. Et ita, præter Doctores citatos, hanc sententiã tenet Rodriq. *in Sum. to. 1. c. 144. n. 18.* ubi sic ait: [Y si le halla fornicando con su esposa de futuro, y le mata, solo el Pontifice le puede absoluer como lo tiene una Glossa, comunmẽte aprovada segũ Vivaldo. Ni obsta, que el, que mata al Clerigo, que halla con su hermana, no queda descomulgado, porque si este argumẽto fuera de alguna fuerça, no quedara descomulgado el dicho desposado de futuro, lo qual todos niegã, y lo niega tabiẽ Covarruvias, que tiene cõtra nuestra cõclusion, ni es bastante la gran pena, que recibe este desposado, para que le libremos de acudir al Papa, pues el Derecho no le libra en este caso, y con dexar à su desposada satisfaze con mucha honra, dexãdo à ella por mala, y al Clerigo por vellaco.] Ita ille.

3. Sed, his non obstantibus, Madius *in tr. de sacris Ordinibus, c. 17. n. 12.* & Covar. *de sponsal. par. 1. c. 1. n. 11. ad fin.* nomine uxoris intelligunt etiam sponsã de futuro, & ex consequenti excusari, si fornicantẽ cum sponsa de futuro Clericũ percutiat. Et hanc sententia probabilem esse putat Fragos. *de Rep. Chr. tom. 2. lib. 1. d. sp. 2. §. 1. n. 36.* Sed ego non recederem à prima sententia.

4. Verùm difficultas est, an in dictis casibus percussio incontinenti præstanda sit: Alicui namq; probabile videtur, excommunicationi non subiici percussionem, tametsi longo tempore post delictum contingat; quia restrictio illa, quod percussio incõtinẽti fiat, apponitur in clausula antecedenti, ubi sermo est de defẽsione propria. Ergò tacitè indicatur huic clausulæ nõ esse necessariò accommodandam. Præterea hæc percussio non est, quæ excusatur ob titulum defensionis, sed ob difficultatem gravem temperandi tristitiam, & dolorem ea injuria conceptum, cohibendique vindictæ impetum. At hæc difficultas, etiam trãsacto actu, subsistit; quippè perseverat injuria illata, & honor læsus. Sed omnino contrarium dicendum est, videlicet, percussionem in supradictis casibus excusari, si fiat incontinenti, & nõ ex intervallo. Ita Doctores citati.

5. Sed hîc obiter quæro, an patri, filio, fratri, vel marito jam volenti interficere Clericum, *ut supra*, in flagranti repertum, liceat alicui absque incursu excommunicationis, quando alia via non potest illum avertere ab hac intentione interficiendi dictum Clericũ, consulere percussionem tantum, vel mutilationem: Et respondeo affirmativè: quia ex communi opinione Doctorum licet absq; aliqua culpa consulere minus malum, quod sit pars formaliter, vel virtualiter contẽta in malo majori, quod quis jam paratus erat perpetrare, nec alia via ab ipso, ut dixi, adduci potuit: sed vulnus, percussio, ac mutilatio est pars contenta in homicidio: ergo. Et ita hanc sententiam, me citato, tenet Leone *de cens. recoll. 5. n. 339.* asserens, in tali casu consulentem non incurrere cẽsuram nostri Canonis.

6. Nota etiam cum dicto Leone, supradictos in tali casu non posse per alios percutere Clericum inventũ turpiter agentem cum uxore, filia, sorore, &c. & in tali casu tam mandans quàm mandatarius incurreret in censuram: quia Ecclesia præsupponit, dictum doloré, & passionem dictas personas non posse temperare, & quòd ideò percutiant: quæ omnia cessant, quando intervenit tempus mandandi, & exequendi; & cessante causa, ut est regula vulgata, cessat effectus.

7. Et tandem nota, quòd dicitur turpiter agere cum matre, uxore, filia, vel sorore, etiam cũ qui amplexatur dictas personas, aut similes actus cũ iis exerceat; imò, ut verberans excusetur, sufficit, quòd reperiat solùm cum sola, loco & tempore meritò suspectis, ut cũ aliis docet Nav. *c. 27. n. 84.* Quæ vera sunt, etsi maritus, sciens vẽturum Clericũ clam se domi abscondat, ut ita repertũ verberet modò absit dolus qualis esset, si curasset eum ad dictas personas clam adeundas invitari. Addit cũ aliis Nav. maritum etiam excusari; qui post trinam prohibitionẽ reperiret domi, etiam in honesto loco, cũ uxore solùm loquẽtem, si eum per vigintiquatuor horas captivum detineat, ut tradat suo Prælato: docet tamen incursurum excõmunicationem, si talem verberaret: sed non satis consequenter: quia in *c. si vero, cit.* non magis cõceditur detẽtio, quàm verberatio. Quare Sylvest. *verb. Excom. 6. n. 6. §. Decimo*, concedit etiam excusari eum, qui talem Clericum verberat, quia *leg. si quis ei C. ad legem Iuliam de adulteriis* conceditur marito ita repertũ perimere, cò quòd præsumatur turpia tractare in c. autẽ. *Si verò*, videntur omnes dici turpiter agere, qui in similibus casibus in jure civili permittuntur occidi: quare hanc sententiam non improbabilem putat Suar. *disp. 22 sect. 1. n. 37* quæ omnia docet etiam Coninch *de Sacr. disp. 14. dub. 15. n. 196.*

Sup hoc sup. in tr. 1. Res. 75. tecitanter in §. ult. & inf. in tr. 6. res. 46 signanter ad med. à vers. Et licet, & lege etiam doctrinam Resolution. & §§. ejus not.

Quoad hoc lege §. ult. res. seq.

Sup. his sup. in §. 1. hujus Res. ad med. & in alio §. eius not. & in Res seq. §. 1. ad lin. 8. & §. Sed ego ad med. vers. Vnde.

RESOL. XVIII.

An incurrat censuram maritus, si data opera se abscondat, ut clericum adulterum inveniat cum uxore, & illum occidat, aut percutiat?

Et notatur, quod non ob actum copulæ carnalis tantum, sed etiam ob amplexus, oscula, & alia hujusmodi signa propinqua operis nefandi expleti, vel explendi cum uxore, matre, sorore, vel propria filia, &c. percutere Clericum possit sine crimine, & excommunicatione.

Imo, satis esse, ut solus cum sola reperiatur in loco suspecto, accedentibus aliis circũstantiis, suspicionẽq; moventibus?

Et an hoc extendendum sit ad sponsam de futuro, aviam, aut neptem?

Etiamq; advertitur, quod si maritus procuraverit, ut Clericus vocetur ab uxore ad illam turpem actionem, & sic eum percuteret, incurret uterque, scilicet tam uxor, quam maritus, excommunicationem.

Et tandem quæritur, an adjuvantes, seu assóciantes suprà dictum Patrem filium, fratrem vel maritum in prædicta percussione incidant in excommunicationem? Ex part. 9. tract. 4. Res. 2.

§. 1. Affirmativè respondet Layman *Theolog. mor. lib. 1. tract. 5. part. 2. c. 5. n. 8.* ubi sic asserit: [Qui in Clericum cum uxore, matre, sorore, vel propria filia turpiter inventum, manus violentas inconsulto injecerit, licèt peccet, Canonis tamen excommunicationem non incurrit, cap. *Si verò* 1 quia justum talem dolorem compescere difficillimum est, ait Gloss. *ibid. verb. Turpiter.* Turpiter autem inventus dicitur, qui actum quencunque impudicum cum ejusmodi persona exercet: imò satis esse, ut solus cum sola reperiatur in loco suspecto, accedentibus etiam aliis circunstantiis suspicionem moventibus docet Sylvester *verb. Excommun. 6. n. 5. casu* 10. Navar. *c. 27. n. 84.* Suarez *disp. 22. sect. 1. n. 37.* Ægidius *n. 196* Porrò excusatio ab excommunicationis censura locum non habet, si maritus adulterum non mox, ut in crimine deprehensus est; sed interjecto remporis intervallo, quo dolor justus sedari potuerit, occidat: item, si data opera in loco occulto se absconderat, ut deprehensum occidere posset. Ita Layman, cui adde Leonem *de cens. recollect. 5. n. 324.* Chartarium *in decis. Archiep. Mediol. 3. n. 5.* & Megalam *in 3. part. Instit. Confess. lib. 4. c. 1. q. 3. n. 27.* quia Iura loquuntur de turpiter invento, & sic in casu, quo ex impetu dolorem compescere non potest: sed in casu nostro non percutit subito dolore commotus, sed præcedente maturo judicio; nec Clericus dici potest inventus, sed expectatus. Et ita præter Doctores citatos tenet Rodriquez *in summa, tom 1. cap. 144. n. 18.* ubi sic ait: [Aunque el que mata al Clerigo hallandole fornicando con su muger, no està segun derecho, obligado à pedir absolucion al Summo Pontifice de la descomunion, però si el marido se esconde en su casa, para que ignorando esto su muger, venga el Clerigo; y hallandole con ella, le mate, incurre en esta censura; porque en este caso no mata con impeto subito, causado de dolor, que suelen concebir los maridos en este caso: mas precediendo juyzio maduro. [Ita ille.

Sup. contètis in his verf. [Qui in Clericum cum uxore, matre, sorore, vel propria filia turpiter inventum, manus violentas inconsulto injecerit, licèt peccet, Canonis tamen excommunicationem non incurrit, cap. *Si verò* 1 quia justum talem dolorem compescere difficillimum est, ait Gloss. *ibid. verb. Turpiter.* Turpiter autem inventus dicitur, qui actum quencunque impudicum cum ejusmodi persona exercet: imò satis esse, ut solus cum sola reperiatur in loco suspecto, accedentibus etiam aliis circunstantiis suspicionem moventibus docet Sylvester *verb. Excommun. 6. n. 5. casu* 10. Navar. *c. 27. n. 84.* Suarez *disp. 22. sect. 1. n. 37.* Ægidius *n. 196* Porrò excusatio ab excommunicationis censura locum non habet, si maritus adulterum non mox, ut in crimine deprehensus est; sed interjecto remporis intervallo, quo dolor justus sedari potuerit, occidat: item, si data opera in loco occulto se absconderat, ut deprehensum occidere posset. Ita Layman, cui adde Leonem *de cens. recollect. 5. n. 324.* Chartarium *in decis. Archiep. Mediol. 3. n. 5.* & Megalam *in 3. part. Instit. Confess. lib. 4. c. 1. q. 3. n. 27.* quia Iura loquuntur de turpiter invento, & sic in casu, quo ex impetu dolorem compescere non potest: sed in casu nostro non percutit subito dolore commotus, sed præcedente maturo judicio; nec Clericus dici potest inventus, sed expectatus. Et ita præter Doctores citatos tenet Rodriquez *in summa, tom 1. cap. 144. n. 18.* ubi sic ait: [Aunque el que mata al Clerigo hallandole fornicando con su muger, no està segun derecho, obligado à pedir absolucion al Summo Pontifice de la descomunion, però si el marido se esconde en su casa, para que ignorando esto su muger, venga el Clerigo; y hallandole con ella, le mate, incurre en esta censura; porque en este caso no mata con impeto subito, causado de dolor, que suelen concebir los maridos en este caso: mas precediendo juyzio maduro. [Ita ille.

Sup. hoc in Ref. 2. not. præteritæ signâter §. ult. & in aliis ejus not.

Sup. hoc in ref. præterita §. Verum.

2. Sed ego negativæ sententiæ adhæreo casu, quo absit dolus: quia ea secreta observatio, & occulta expectatio delinquentis, neque occasio est, ut ipse delinquat, neque impedit, quin turpiter agentem invenias, etsi invenias quæsitum, & expectatum. Et ita docet Avila *part. 2. c. 5. disp. 3. dub. 13. casu 16.* Coninch *de Sacram. disp. 14. dub. 15. n. 196* & alij; secus verò esset, si per dolum, vel fraudem delinquentem adduceres, ut in delicto deprehensum percuteres; quia eo casu non effugies censuram: sicuti pluribus firmat Sayrus *lib 3. Thesauri, c. 27. n. 23. in fine.* Coninch, Avila *ubi suprà.* Neque enim æquum est, ut Ecclesia deceptionibus iniquis faveat. Præterquam quòd in eo eventu non percutis turpiter inventum; sed quæsitū, & dolosè adductum. Et ideò nostram sententiam cum limitatione adductam, præter Doctores citatos, tenet novissimè Fagundez *in Regim. Reip. Christ. tom. 2. part. 2. lib. 1. disp. 2. § 1. n. 35.* & Garcias *in Summa mor. tract. 1. difficult. 3. dub. 1. punct. 4. n. 75.* ubi sic ait: [Solo ay aqui una difficultad, y es, quando se esconde el marido, ò haze llamar al Clerigo para cogerle *in flagranti delicto*; en cuyo caso convienen los Autores, que si interviene concierto entre la muger, y el marido, para coger al Clerigo adultero con engaño, y traycion, que quedarà escomulgado, si le mata, o hiere; pero que si no ay concierto, sino que solo lo haze el marido por saber la verdad, y se halla ser assi, hallandose en el caso, que no incurrirà hiriendolo, ò matandolo.] Vide etiam Baunium *in Theol. mor. tom. 2. disp. 5. tract. 5. q. 3.* qui etiam optimè notat, quòd non ob affinitatem copulæ carnalis tantùm, sed etiam ob amplexus, osculæ, & alia hujusmodi generis signa propinqua operis nefarij expleti, vel explendi cum uxore, matre, &c. percuti Clericum posse sine crimine, & excommunicatione: quia his rebus operâ dare, est turpiter, ac fedè facere. Deinde, matris, uxoris, & filiæ nomina, prout sumenda esse, nec extendenda ad sponsam de futuro, aviam, aut neptem: quia non sunt extendenda pœna ultra id, quod verba legis sonât: præsens est penalis, avia mater non est, nec sponsa de futuro uxor ergo, &c. Nota tamen, quòd si maritus procuraverit, ut Clericus vocaretur ab uxore ad illam turpem actionem, & sic eum percuteret; incurret uterq; scilicet, tam uxor, quàm maritus, excõmunicationem: quia sunt in dolo, cùm procuraverit, ut vocaretur ad turpitudinẽ. Ita Angel. *Excom. 5 n. 10.* Cajetan. *verb. Excom. c. 10.* Sayrus *de cens. lib 3. c. 27. n. 23.* Bellettus *part. 1. disquis. Oper. pag.* 181. & Layman *lib. 1. tract. 5. part. 2. c. 5. n. 8.*

3. Sed quæro, an adjuvantes, seu assóciantes dictum patrem, filium, fratrem, vel maritum, in tali percussione incidant in excommunicationem? Ratio dubitãdi est: quia tales assóciantes dicũtur auxiliatores percussoris Clericorum, qui incurrunt eandam excõmunicationem, quam incurrit percussor. Et negativè respõdet Leone *de cens. recollect. 5. n. 341. & seq.* cum Molina *disp. 99. n. 17.* quoniam eo ipso, quod jura patri, & marito, (supple, filio, & fratri,) concedunt interficere adulteros aliquos illis censetur concedere aliorum cooperationem ad eam exequutionem: quam doctrinam ampliat, sive dicti cooperatores accedãt jussi, vel rogati, aut mercede conducti, sive etiam quòd ipsimet ad id se obtulerint gratis. Favet, quod communiter docent Doctores, loquendo de eo, qui habet jus defensionis contra aggressorem, vel raptorem, mutilandi, vel occidendi, prout cõstat habere dictũ jus personas *sup.* enumeratas aggressas in honore, quòd, scilicet, aliis quoque licitum sit vim passo assistere, & auxilium ferre.

RESOL. XIX.

An mulier, Nobilis, qua fuste, vel alapa percussit, Clericum ad venerem sollicitantem, inciderit in censuram? Et quid si Clericus eã verbis tãtùm tẽtaret, vel aggrederetur. Item dicendum est in prædicto casu de puero sollicitato à Clero cum peccato nefando. Ex p. 9. tract. 4. Res. 38.

§. 1. Respõdeo, quòd excusatur ab excommunicatione hujus Canonis mulier impetita à Clerico de turpitudine, illum percutiens zelo castitatis, quamvis, aliquis excessus reperiretur. Non tamen poterit illum percutere si Clericus eam verbis dũtaxat tẽtaret, vel aggrederetur: nam tunc sufficit illũ verbis repellere, nisi molestus vehemẽter sit, & importunus; ita ut ab eo aliter nequeat expedire se quam fuste, aut verberibus. Suar. *de cens. disp. 22. sect 1. n. 33.* Coninch. *de cens. tom. 2. disp. 14. dub. 15. n. 194.* & Avila *p. 2. c. 5. disp. 1, dub. 13. casu. 18.* post plures quos ibi refert, ac sequitur, quibus accedit Sayrus *de cens. lib. 3. c. 27. n. 24.* cum aliis dicentibus, id esse licitum fœminæ quando aliter eum repellere non posset; nempe, quia nec fugere potuit, nec clamare licuit, aut existimabat infamiã esse clamare. Favet Cajet. *verb. Excom. c. 10. 8. nota secundo vers. Secundus.* in quo eventu licitè potest Clericum percutere, ut expresè docẽt Philiarchus *lib. 3. de offic. Sacerd. c. 33. notab. 3. casu 15.* & Angles *in Floribus in q. de excom. art. 5. disp. 4.* Dicendum est itaque, mulierem non incidere in censuram, quando percutit Clericum tentantẽ de turpitudine, dũmodo tẽtario fiat facto eo non solo verbo; quia tunc solùm liceret verbalis defensio. Quòd si Clericus esset nimiùm molestus verbis, & fœmina

fœmina non posset se defendere verbis, non incurreret. Vide Avilam *de cens. part. 2. cap. 5. disp. 3. dub. 13. casu 18.*

2. Vnde ex his apparet responsio ad casum propositum, ad quem respondet ex Navarro affirmativè Parer Leone *de cens. recoll. 5. n. 314.* & dicit, incurrisse in censuram quandam Monialem nobilem, ex eo, quia cuidam Ecclesiastico sibi lascivum verbum dicenti alapam impegit: nam, licèt mulier, vel masculus excommunicationem non incurrat, si Clericum, pudicitiam ipso facto tentantem, percutiat; secùs tamen esse, si eam Clericus solis verbis aggrediatur, quia tunc sufficit illum verbis repellere, nisi ita valdè molestus sit ut mulier, vel puer, aliter se ab eo liberare non possit, quàm fuste, aut verbere. Vide etiam, præter Doctores citatos, Coninch *de Sacr. disp. 14. dub. 15. n. 194.* Molinam *disp. 55. n. 41.* & Layman *lib. 3. tr. 3. p. 3. c. 3. n. 33.* & Baunium *in Theol. mor. t. 2. disp. 5. tr. 4. q. 5.* ubi sic ait: [Patet secundò licere fœminæ de stupro sollicitatæ à Clerico, eum à se pugnis, & verberibus sine metu censuræ abigere: non autem si prece tantum ac verbis: nam tunc verbis similiter repelli potest: si tamen excuti, ac dimoveri à proposito aliter quam fuste, aut verbere non posset, ab hibere utrumque foret sine crimine, metúque pœnæ] Ita ille.

3. Verùm ad confirmationem supradictorum non deseram hìc apponere ea, quæ docet eruditus Iurisconsultus Franciscus de Cuença *in Pent. de sui defensione, lib. 3. q. 3 n. 51. & seqq.* ubi sic ait: [In casu defensionis pudicitiæ, & castitatis, ob cujus tutamen non tantú vir, verùm & fœmina, jure aggressorem violare tentantem primere possunt; est Doctorum communis sententia, ut tradit Lessius *de just. & jure. lib. 2. c. 9. dub. 12. n. 76.* ubi ex Cicerone *in Orat. pro Milone*, refert, quòd adolescens, qui Tribunum occiderat volentem vim inferre ejus pudicitiæ, à Mario exercitus Imperatore, absolutus fuit. Cujus factum narratur à Val. Maximo *lib. 6. c. 1. de pudicitia, vers. 12.* in hæc verba: Hoc movit C. Marium Imperatorem, tum, cùm C. Lucium sororis suæ filium Tribunú militum, à C. Plotio manipulario milite jure cæsum pronunciavit, quia eum de stupro compellare ausus fuerat. Similiter ex Ferrerio *in sua tr. de re militari, fol. 155. n. 67.* quem sequitur Anton. Scap. *in tr. juris non scripti, lib. 5. c. 143. n. 12.* refert Baiard. ad Clarum *in §. Sodom. n. 15* famulum quendam pistoris liberatum esse, non obstante, quod tentantè hujusmodi nefarium perpetrare, interemit. Et ipso Baiardo Iudice existente, tradit impunitum reliquisse puerum, qui cum gladiolo quodam, pædagogo suo eum tentanti, veneream totam amputavit partem. Nec enim mulier, etiam contra Clericum sic castitatem suam defendendo, in Canonem, *Si quis suadente Diabolo*, incidit, Carolus de Grassis *tr. de effect. Cleric. effect. 9. n. 310.* Nec hujusmodi utentes defensione peccant etiam violare conantè occidendo, Sylv. *in Sum. verb. homic. 1. n. 9.* dum se defendere non possent fugiendo, vociferando, vel alio modo. Ita ex D. Anton 2. *p. tit. 7. c. 8. §. 2.* Aspyleueta Navarro *in Manuali, c. 15. n. 5. vers. Tertiò* Nec vit irregularitatem incurrit: sic Coninch *d. tit. de irreg. disp. 1. dub. 9. n. 89.* ex Suar. *disp. 46. sect. 2.* cum aliis. Iusta siquidè causa est defensionis, & offensionis, etiam severæ castitatis, atq; pudicitiæ tutamen: cùm nullo majori virtutum culmine, nullo ornatu, decore nullo Respublica quælibet mirificè nitescere valeat.] Hucusque Cuença *loco cit.*

4. Verùm his non obstantibus, ad casum *in tit. Resolutionu* impositum negativè respondet Rodr. *in Sum. t. 1. c. 149. n. 19.* ubi sic ait: [Quando un Clerigo solicita à una muger muy honesta, y de buena fama con Palabras lascivas, no incurre ella en descomunion, dandole de schapinazos, porque licito es segun Boëtio defenderse uno de la injuria, que de palabra le hazen dando de palos al que le injurio con ella, y aunque es licito la defension moderada, la qual moderacion regularmente acontece, quando uno con palos se defiende de otros palos, y con palabras se defiende de otras palabras, como lo dize el mismo Boëtio, però puede aver caso con tales circunstancias que ne se juzgue por acto desordenado, y sin moderacion quando uno injuriado con palabras se defiende con palos, como lo dize Folerio, y no se puede negar, que con semejantes palabras se hizo gran injuria à la dicha muger de buena fama, y noble. pues el que se las dixo, la tuvo por liviana, y no se las osara dezir, sino la tuviera por tal, por lo qual siendo honestissima recibiria notable coraje, y mas el dar de schapinazos, tengo por cierto, que seria un primer movimiento fundado en su gran honestidad, y en el mal juyzio, que contra ella se tuvo, por lo qual no la osaria yo condenar por descomulgada, aunque Navar. *c. 27. n. 85. notab.* la condena por tal.] Ita ille. Et hæc opinio est valdè notanda, licèt contraria sit communis, ut visum est.

RESOL. XX.

An percutiens Clericum, qui post inflictum fustem, vel alapam fugit, incidat in censuram?

Et an sit licitum ob honoris jacturam persequi fugientem, qui percussit aliquem fuste, v. g. & illum tantum percutere quantum ad sui honoris defensionem opus sit? Ex part. 9. tr. 4. Res. 25.

§. 1. REsolutio hujus quæstionis pendet ex illa, an sit licitum ob honoris jacturam persequi fugientem, qui percussit aliquem fuste, v. g. & illum tantum percutere quantum ad sui honoris defensionem opus sit? Et ad hoc dubium sic respondet Magister Serra *in 2. 2. D. Th. t. 2. q. 67. art. 7. dub. 1.* Postquam qui percussus est pugno, aut fuste, vel gladio, dicit Victoria *relect. de jure belli, n. 5.* credo quòd per injuriam percussus possit statim repercutere, et āsi invasor non deberet ultrà progredi. Sed ad vitandam ignominiam, & dedecus posset, qui colaphum, e. g. accepit, gladio statim repercutere, non ad sumendam vindictam, sed ad vitandam infamiam. Quod alij extendit asserentes, posse etiam fugientem insequi, & percutere, non secùs ac latronem fugientem cum re mea sequi possum, & percutere, ut eam relinquat, vel reddat, si aliter nequit recuperari. Qui enim illata gravi ignominia fugit, honorē meum quodāmodo secum defert; cùm possim illū mihi restituere, offerendo satisfactionem: ergo possum illum percutere, ut honorem meum restituat, vel saltē, ut eum sic recuperem. Bañez hic *dub. 3.* docet, id nullatenus esse licitum: nam habet rationē vindictæ, respectu præteritæ injuriæ, & est contra illud 1. Petri 3. v. 9. *Non reddentes malum pro malo, nec maledictū pro maledicto.* Et quamvis honor secundùm leges Diaboli recuperetur; recuperatur tamen per vindictam, quod est illicitum. Addit, non esse eandem rationē de latrone fugiente: quia latro adhuc est in exercitio capiēdi alienā, dum non est jam in loco quieto retinēs rem alienā. At verò, qui semel percussit, jam læsit honorē meum, neq; portat secum quicquā meum, quod ego possim eripere de manibus ejus: sicut si quis abscindat manum meam non possum ego abscindere manum ejus. Lessius *lib. 2. c. 9. dub. 12. n. 80.* sententiam Victoriæ cum extensione prædicta, ait, esse quidem speculativè probabilem; tamen in praxi non esse facilè permittendā ob periculum odij, vindictæ, & excessus, pugnarum etiā, & cædium. Mihi utraque sententia, tam, scilicet, Victoriæ, quàm Bañez, videtur probabilis; quamvis sententia Victoriæ non sit publicè prædicanda, sed solùm ea uti debeamus post factum ad pacandas conscientias.] Hucusque Serra, cujus sententiæ libenter adhæreo

Sup doctrina contenta in textu hujus Res. in 8. tr. 5. Res. 7. 8. & 9.

Alibi in Resolutionibus not. præteritæ.

2. Et quidem sententiam Victoriæ etiam cum extensione docet Navarrus, & alij, quos *alibi* citavi, quibus nunc addo Franciscum Cuençam *in Pentateuch. de suâ defensione, lib. 4. q. 2. n. 13. & lib. 3. q. 2. n. 10. & q. 3. n. 47.* Pegueram *in decisionibus criminalibus Cathaloniæ, tom. 1. decis. 78. n. 23.* & hanc sententiam speculativè esse probabilem docet Dicastillus *de just. lib. 2. tr. 1. disp. 10. dub. 7. n. 74.* unde, suppositâ probabilitate hujus sententiæ, in tali casu percutientem Clericum non incurrere in censuram docet Leone *de cens. recollect. 5. n. 367.*

RESOL. XXI.

An percutiens, vel occidens Clericum aggressorem, si possit fugere, incidat in censuram?

Et an hoc intelligatur tam de viro Nobili, quam de viro infimæ notæ, vel de Clerico aut Monacho?

Et an si aliquis extraneus, vel propinquus consulat Patri, filio, fratri, vel marito occisionem Clerici in flagranti reperiendi, vel injustè invadentis, an sequuto homicidio in personam ipsius Clerici, talis consulens incidat in excommunicationem?

Et docetur virum Nobilem, etiam si possit fugere, posse occidere invasorem absque metu irregularitatis, etiam si præcesserit culpa ex parte ejus, ut invaderetur? Ex p. 5. tr. 4. Res. 26.

§. 1. REspondendum videtur cum distinctione: nã, vel aggressus est vir nobilis, cui ignominiosa esset fuga, & tunc non tenetur fugere, sed occidendo Clericum cum moderamine inculpatæ tutelæ non incideret in censuram: secùs autem dicendum videtur, si sit vir infimæ notæ. Sed hanc distinctionem non esse admittẽdam, sed omnes tam nobiles, quàm viles posse aggressorem occidere docet novissimè Franc. Cuença *in Pentateuch. de suâ defensione, lib. 3. q. 2. n. 15. & seq.* ubi sic ait: [Ego dicerem, quòd etiamsi aliter se salvare posset defensor, & aggressorem occidat; non peccasse in excessu moderaminis inculpatæ tutelæ videatur: nec est, quòd multi fugiendo, se salvare possunt, etiãsi sine periculo fugere possint; nam quoad hominũ petulantias non sustinendas, & quoad animi, & proprij valoris æstimationem, omnes æquales creduntur, tanquam illud à natura habentes. Iura enim non distinguunt, nec vim fugiendam, sed repellendam dicunt. Et quia *tueri*, verbum, defendendi significationem habet, nõn fugiendi, sic Qsual. Illygerus ad Donel. *lib. 17. c. 2. lit. K. ad finẽ.* Fugere enim, ultra quod periculosum frequentius est, & semper animosiorem reddit adversariũ; dedecus, & ignominia judicatur.] Ita ille, cui adde Georgium Obrechtum, *de defens. necessaria, c. 10. n. 11.* cujus verba alibi per extensũ adduxi, & alios, rejicientes supradictam distinctionẽ, & asserentes simpliciter, & absolutè omnes ad fugam non teneri, sed posse invaso ẽ occidere cum moderamine. Et ita ex Theologis loquens de percussione, tenet hanc sententiam Pater Bordon. *in consil. Regul. t. 2. res. 28. n. 31.* ubi sic ait: [Fuga non est in præcepto ad evitandum excommunicationem, sed tantùm irregularitatẽ.] Et Glos. *ver. Interimeretur, c. Suscepimus, 10. de homicidio*, habet locũ præcisè in materia irregularitatis, de qua *ibi* solùm sermo est. Secundò, esse communem opinionem neminẽ debere fugere, sive fuga sit ignominiosa, sive non. Bart. *in l. 1. C. Vnde vi.* quem sequuntur Panormit. *in cap. Olim causam, de restit. spoliat. n. 17.* Angelus *verb. Excomm. 5. n. 15.* apud Sayrum *lib. 3. c. 27. n. 21.* ubi tamen tenet oppositum Coriolanus *de casib. reserv. casu 5. de judicio regul. de defensionibus, § 7. n. 24. §. Quod adeò*, ubi citat Iasonem *in l. Vt vim, ff. de just. & jure.* Alex. *lib. 1. cons. 109. n. 4.* Felinus *in cap. Suscepimus, de homicid.* Neque enim illa Glossa est tanti ponderis, ut sequenda sit, sed potius relinquenda, cùm de hac re nullam afferat rationem, aut textum, nisi exemplum Christum Domini fugientis in Ægyptum, quod non facit ad rem nostram. Tertiò, fuga est quædam injuria, *l. Item, apud Labeon. ff. de injur.* ad quam repellendam quis percutere licitè potest, Sylv. *verb. Bellum 2. n. 4.* ergo in eo casu resistere nullum est peccatum. Quartò, honor, & existimatio, cùm sit bonum naturale, non magis confervandus est à sæculari, quàm à persona Ecclesiastica, imò ab hac magis, cùm sit in nobilissimo statu: consequenter etiam Religioso fuga est ignominiosa, cùm professione non amittat naturalia, neque honorem, sed magis in eo augeantur.] Hæc Bordonus.

Sup. hoc in Res. & §§. not. seq.

Alibi signanter in c. 8. tr. 5. Res. 3. §. ult. Sed lege eam à princ. & Res ejus annotationum, & in Res. 4 § Non desinam, & signanter §. Sed omnino, ad medium, à vers. Addunt tamen, usque in fin. Res. & cursim in aliis ejus not. & inf. in Res. 26 §. 1. tr 5.

2. Sed ego non audeo à communi sententia Doctorum recedere, quos citat, & sequitur Dicastillus *de just. lib. 2. tr. 1 disp. 10. dub. 5. n. 66.* ubi sic ait: [Assero tertio: Pari ratione pro defensione honoris injustus aggressor occidi poterit: v. g. si miles aliquis, aut vir nobilis ab altero invaditur, nec potest fugam capere sine ignominia, non tenetur fugere; sed potest aggressorem pro defensione sui honoris percutere, & occidere, si aliter à rixa cessare noluerit. Ratio est: quia hujusmodi hominibus fuga est ignominiosa: sed licitum est occidere invasorem inferentem injuriam in re familiari: ergo inferentem injuriã in honore & fama, quando actu aggreditur. Hæc doctrina locum non habet in Clericis, & Religiosis, quorũ laus non in usu armorum, sed virtutũ charitatis, humilitatis, & patientiæ consistit; nec in homuncionibus infimæ sortis, quia exiguam honoris sui jacturam patientur.] Sic ille. Vnde ex his olim docui, virum nobilem, etiamsi possit fugere, posse occidere invasorem absque metu irregularitatis, etiamsi præcesserit culpa ex parte ejus, ut invaderetur. Et ita me citato, tenet novissimè Magister Serra *in 2. 2. D. Th. t. 2. q. 64. art. 6. dub. 2.* ubi sic ait: [Hinc colligitur, si quis non possit fugere sine gravi nota, & amissione honoris, non teneri ad fugiendum, nec irregularem fieri, si alium occidat se defendendo. Ita Suar. *t. 3. in 3. p. disp. 46. sect. 1. n. 6.* ubi hoc limitat cum aliquibus, nisi præcesserit culpa, & injuria ex parte ejus, qui fugere cogitur, ut si ille dedit alteri alapam, vel injuriosũ verbum dixit, vel cum uxore invẽtus est, aut pallium tollere est aggressus, & alter in eum insurgit, non solùm ut vim reppellat, sed etiam ut vindicet, & occidat. Nã tunc, licèt hîc excedat, non potest alter justè se defendere, si potest fugere, cùm ipse dederit occasionem rixæ: & ideò si fugiendo amittit honorem, sibi & non alteri imputare debet. Quæ tamen limitatio non placet Dianæ *p. 2. tr. 1. Misc. res. 16.* tũncque solùm veram esse censet, cùm id omne prævisum est, vel prævideri potuit ab inferente injuriam. Si enim omninò per accidens ea consequuta essent, posset uti jure suo permanendi: & si aliter non posset se tueri, quàm occidendo, non est, cur deterioris conditionis fieri debeat, quàm alij.] Hæc Serra. Vnde patet responsio ad quæstum hujus resolutionis, nempe, virum nobilem invasum à Clerico non teneri ad fugam; sed posse illum percutere, & occidere cùm moderamine inculpatæ tutelæ, atque ideò non incurrere in censuram Canonis.

*Secus autem si esset vir infimæ notæ, vel Clericus, aut Monachus, nam isti tenerentur fugere, cùm eis fuga non sit ignominiosa: quare, si non fugiendo percuterent, vel occiderent Clericum, præter peccatum contraherent irregularitatem, & inciderent in censuram; licèt de Clerico nobili aliqui dubitent; sed de hoc *alibi* dictum est. Vnde opinionem Bordoni prorsus quoad Religiosum non admitto: & nego disparitatem, quam ipse adducit de excommunicatione, & irregularitate: nam quoad hoc pari passu procedunt, ut patet apud Leonem *de cens. recoll. 5. n. 296. & 297.* cum aliis.

3. Notandum est hîc obiter, quod, licèt confu-

lentes

lentes occidere Clericum, ut *superiùs* diximus, incurrant excommunicationem; hoc tamen non procedit in casu, quo quis consuleret occidere Clericum injustè invadentem alium: quod patet ex his, quæ in simili dubio docet Leone *de cens. recollect. 5. n. 334.* ubi sic ait: [Quæro de casu non facto adhuc ab Authoribus. Pone, quòd aliquis extraneus, vel propinquus, consulat patri, fratri, vel marito, occisionem Clerici, in flagranti reperiendi: an sequuto homicidio in personam ipsius Clerici, talis consulens incidat in excommunicationem? Et respondeo negativè: quia iste consuluit id, quod dicto patri, fratri, filio, vel marito, permissum est respectu pœnæ excommunicationis: sed consulens incurrit hanc excommunicationem, non ut causa principalis, sed ut accessoria: ergo: consequentia probatur ex regula illa trita: *Accessorium sequitur naturam principalis*, cap. *Cùm principalis, ff. de regul. jur.* cap. *Accessorium eod. tit. in 6.* ubi Doctores. Huic opinioni favet Molina *tom. 4. disp. 99. n. 17. ad finem*, ubi tales persuadentes marito, vel patri interfectionem adulteri, &c. excusat à pœnis sicut ipsos patrem, & maritum.] Ita Leone. Quæ omnia, ut dixi, procedunt quoad consulentem percussionem, & occisionem Clerici, qui alium invaderet ad occidendum.

RESOL. XXII.

An percutiens Clericum in defensionem alterius, incidat in censuram?

Et supponitur percutientem Clericum in sui defensionem non incurrere in censuram, quod intellige, incontinenti cum moderamine inculpatæ tutelæ quamvis scienter, & deliberate operetur; secus verò si moderamen legitimæ defensionis transgressus fuerit.

Et docetur, quod prudentis viri arbitrio relinquitur, in quo consistat dictum moderamen.

Et infertur primo posse mulierem percutere Clericum tentantem suam pudicitiam facto, vel verbis, si alia via avertere à se illum non posset.

Secundo violenter expellens à domo Clericum injustè illâ occupantem in hanc excommunicationem non incidit.

Tertio, si violenter expellas Clericum tibi honorificam sedem usurpantem.

Quartò, si Clericum bona tua furantem insequaris, & ab eo violenter extrahas.

Et quid, si res furatas domi haberet depositas, easque pacificè possideret?

Quintò fugientem debitorem Clericum, aut de fuga suspectum detinere poteris, ut Superiori præsentes, debitumque recuperes.

Idem est dubium, si in flagranti delicto, vel in ejus probabili suspicione judex secularis Clericum inveniat.

Et tandem explanatur in quibus casibus consistat excessus moderatæ defensionis. Ex part. 9. tract. 4. Ref. 24.

§. 1. REspondeo, certum esse, percutientem Clericum in sui defensionem, non incurrere in censuram: quod intellige incontinenti cum moderamine inculpatæ tutelæ: quamvis scienter, & deliberatè operetur. Dicitur autem moderamen inculpatæ tutelæ, quando quis agit illud, sine quo aliter se, vel alios, vel res suas, vel alienas defendere non potest, ex Bartolo *in l. 1. Cod. Unde vi, & in l. Furem ff. ad legem Corneliam de Sicariis.*

2. Sed, quid dicendum, si percutiat in defensionem alterius? Dico itaque, quòd non incidunt in censuram, qui in defensionem sui, vel alieni corporis, honoris, famæ, & bonorum fortunæ Clericum aggressorem detinent, vel percutiunt: quia hæc non est vis, & violentia, sed defensio, uti dicitur cap. *Si verò, cap. ex tenore, de sent. excomm.* & Clementina unica, *de homicidio.* Quippe defensio non solùm propria, sed cujusvis innocentis licita est, argum. cap. *Non inferenda*, & aliis *24. q. 3.* & cap. *Dilecto de sent. excomm. in 6.* Ex his infertur primò, posse mulierem percutere Clericum tentantem suam pudicitiam facto, vel verbis, si alia via avertere à se non potest: quia est legitima, & justa honoris defensio. Vt benè docet Molina *tract 3. disp. 55. n. 4.* Navarrus *c. 27. n. 105.* Suarez *disp. 22. sect. 1. n. 33.* Avila *2. q. de cens. c. 5. disp. 3. dub. 13.* Coninch *disp. 14. dub. 15. n. 194.* Paulus Layman *lib. 1. Summ. tract. 5. par. 2. c. 5. n. 8.* Bonacina *de cens. in partic. disp. 2. q. 3. punct. 6. sect. 4. n. 1.* Secundò, violenter expellens è domo Clericum, injustè illam occupantem, quando alia via non potest suum jus recuperare in hanc excommunicationem non incidit: quia illa expulsio non est violentia; sed potiùs violentiæ remotio, ut notavit Sylvest. *verb. Excommun. 6. n. 6.* Sayrus *lib. 3. c. 27. n. 19.* Molina *disp. 55. n. 3.* Filliucius *tract. 15. c. 1. n. 20.* Bonacina *tom. 3. disp. 2. q. 3. punct. 6. sect. 4. n. 1.* Potrò, ob eandem rationem non eris excommunicatus, eò quòd violenter expellas Clericum tibi honorificam sedem usurpantem; si alia via in juriam removere nequis, uti colligitur ex Navarro à contrario sensu *lib. 5. consil. tit. de sent. excomm. cons. 40.* Quartò, immunis ab excommunicatione eris, si Clericum bona tua furantem insequaris: & ab eo violenter extrahas, quando alia via recuperare non potes: quia non infers injuriam, sed potius injuriam repellis. Secùs esset, si jam res furatas domi haberet depositas, eásque pacificè possideret: quia eo casu nõ propria authoritate, sed judicis, si id facilè præstari potest, recuperãdæ sunt; sicut advertit Nav. *c. 27. n. 76.* Molina *tract. 3. disp. 55. n. 3.* Bonacina *disp. 2. de cens. in p. q. 3. punct. 6. sect. 4. n. 1.* Notanter dixi, *si alia vi cõmodanequis rem tibi ablatam recuperare*: quia percussio, & violentia in Clericum non alia ratione licet, nisi quatenus est necessaria ad proprij, & alieni juris defensionem. Quintò, fugientem Clericum debitorem, aut de fuga suspectum detinere poteris, ut Superiori præsentes, debitúmque recuperes: quia illa detentio est proprij juris defensio, & damni inferendi remotio. Idem est, si in flagranti delicto, vel in illius probabili suspicione Iudex secularis Clericum inveniat: potest enim eum in vinculis detinere, ut quamprimùm postea Iudici Ecclesiastico remittat. Quinimò offensus à Clerico in eventu, quo is Clericus ob offensam mittendus esset in carcerem, & puniendus, potest absque timore excommunicationis eum vinculis alligare, ut suo Iudici intra 24. horas præsentet, si id necessarium est ad satisfactionem sumendam, testes examinandos, aliáque ad probationem delicti requisita. Et hæc omnia, cum citatis Doctoribus, tenet Castrus Palaus *tom. 6. disp. 3. punct. 23. §. 3. n. 5.* cui ego addo Fragosum *de Repub. Christ. tom. 2. lib. 1. disp. 2. §. 1. num. 31.*

3. Sed nota, quòd licèt, ut *superiùs* diximus percutiens Clericum in sui, & aliorum defensionem non incurrat in censuram; id tamen intelligendum est, dùmodo moderamen inculpatæ tutelæ non excedatur: non enim aliter defensio licita est, nisi cum moderamine inculpatæ tutelæ, *l. 1.* ubi Glossa, Baldus, Salycet. & cæteri, *C. Vnde vi, cap. Significasti 2.* & ibi Abb. & alij, *de homic.* Dec. *in l. Vt vim, n. 12.* & ibi etiam cæteri juris interpretes hoc ipsum communiter adnotarunt, Marc. Anton Eugen. *cons. 22. n. 64. lib. 2.* Innoc. *in cap. Olim, 1. in fin. de restit. spol.* Marian. Socin. *in cap. Pervenit. n. 207. & seq. de sent. excom.* Et ideò communiter asserunt Doctores, quod si quis Clericum percusserit, & moderamen legitimæ defensionis transgressus fuerit, incidit in sententiam excommunicationis, ut docuit Innoc. *in d. c. Olim. 1. in fin. de restit. spol.* ubi dixit, non licere modum excedere, & excedentem incurrere in excommunicationem. Hostiensis *in eod. c. Olim, n. 17. in*

Sup. citatis in hoc vers. latè sup. in Ref. 19.

fin. vers. Nec sic impugnantes, & ibi etiam Ant. de Butr. *n.* 18. & *n.* 19. Pellam. *post n.* 14. Matian. Socinus *in cap. Pervenit. n.* 20 *& seq.* ubi ait: [Quòd si quis moderamen excedat, incidit in excommunicationem. Henric. Boich. *in cap. Si verò* 1. *n.* 1. *de sentent. excommunicat.* ubi inquit, quod Clericum percutiens ad suam defensionem, non est excommunicatus, nisi modum in defendendò excedat Greg. Sayr. qui loquitur de offendente Clericum, nedum ad sui, verùm etiam ad conjunctorum defensionem, *lib.* 3. *c.* 27. *num.* 18. & Farinacius *in Praxi, tit. de homicidio, q.* 125. *n.* 318. Et ideò rectè Chartarius *decis.* 45. *num.* 7. & Leone *de censur. recollect c. n.* 318 dixerunt, moderatæ defensionis fines excessisse Canonicum, dum grandi pessulo Præpositum Ecclesiæ in capite graviter percussit: quia Præpositus ipsius Canonici fratrem pugnis, ac alapis cædebat: atque ideò Congregatio Mediolanensis declaravit, ipsum in censuram incidisse: quia poterat Canonicus vim illatam fratri solis verbis minatoriis propulsare, ac fratrem suum ab injuria defendere; quoniam cùm Præpositus esset inermis, si Canonicus Præposito mortem, vulneráve, ac percussiones pessulo minatus fuisset, certè Præpositus ab injuria inferenda destitisset, ne quid mali sibi contingeret: excessit igitur Canonicus moderatam defensionem ex proposito: Potuisset etiam Canonicus, & quidem facilè, pugnis, aut impulsibus, vel capiendo, & detinendo Præpositum, vim illatam propulsare; sed is non pugnis, nec impulsibus, aut detentione, sed pessulo, quem apprehenderat in Ecclesia, Præpositum in capite graviter percutiendũ duxit: ergo fines excessit ex proposito moderatæ defensionis. Vide Layman *lib.* 3. *tr.* 3. *c.* 3. *n.* 1. *vers. Porro*, docentem, quòd prudentis viri arbitrio relinquitur, in quo consistat dictum moderamen, seu quando in eo censeatur factus excessus gravis ad finem incurrendi hanc excommunicationem; & posteà subdit hæc verba: [Si, videlicet, aliquis consideratis circunstantiis loci, temporis, personarum, &c. contra aggressorẽ, vel insidiatorem modo faciliori benigniorive defendere se non posset, rationabiliter existimat, quàm ita ipsi resistendo, prævenindo, &c. [Vnde patet, quando insultatus baculo possit se ense defendere, & similiter; vel etiam contra eum, qui volebat mihi dare unam maxillatam manu vacua, vulgò dicitur, *sciaffo*, an possim me gladio defendere, etiam occidendo: item, quid dicendum, quando pugno percussus, haberet arma ad latus: de quibus latè per Carrer. *in sua Practica criminali, tit. de homicidio, vers. Circa quartum in princ.* Vbi etiam de debili insultato à robusto; sene insultato à juvene, &c. de quibus etiam per Clarum, §. *homicidium, n.* 34. ad finem. Vbi addentes præcipuè Bajardus *n.* 110. *& seq.* apud quem Carrerium. *vers. Circa tertium*, invenies aliquas limitationes, & præsertim *n.* 7. de se defendendo contra Officialem, suum officium exequentem, de qua re habetis in terminis hujus nostræ excommunicationis consilium Graffij 3. *sub tit. de sent. excom. vol.* 2. ubi probat, incurrisse excommunicationem quendam filium, qui cùm vidisset patrem malè tractari à Nuntio Curiæ Archiepiscopalis pro exactione cujusdam pœnæ, & ad sui petitionem noluisset illum dimittere, manu Nuntium repulit, & posteà cùm dictus Nuntius gladio evaginato tres ictus contra filium emisisset, ipse filius in illum manum injecit prope guttur, illúmque fecit parum retrocedere.

RESOL. XXIII.

An qui tantum ex charitate tenetur impedire percussionem faciendam Clerico, si non impediat, incurrat censuram?

Et quid, si dolosè non impediat talem percussionem, cum posset obviare sine periculo, & damno?

Et quid est dicendum, si non obstet propter odium, & pravum affectum, licet peccaret mortaliter?

Et quinam ex justitia teneantur obstare percussioni Clericorum?

Et notatur, quod ut non impediendo percussionem Clerici incidant in censuram, quatuor copulatim debent concurrere. Ex part. 9. tract. 4. Resol. 3.

§. 1. AFfirmativè respondet Sayrus *lib.* 3. *cap.* 26. *n.* 24. Filliucius *tract.* 1 *c.* 1. *n.* 31. Suarez *disp.* 22. *sect.* 1. *n.* 54 & alij penes ipsos: quia textus in cap. *Quanta*, absolutè, & sine restrictione loquitur de iis omnibus, qui manifesto facinori desinunt obviare, cùm possint. Addit tamen Toletus *lib.* 1. *c.* 34. *n.* 15. & alij, adesse debere dolum, & malitiam: nam, si ob verecundiam, & vanum timorem non te alienis litibus immiscendi, impedire percussionem mittas, hanc effugis excommunicationem. Et hæc omnia docet etiam Megala *in* 3. *part. Instit. Confess. lib.* 4. *c.* 24. 1. *n.* 7.

2. Sed contraria sententia magis mihi placet, asserens, ad hanc excommunicationem incurrendam requiri obligationem justitiæ. Ita tenent Doctores quos citat, & sequitur Avila *de cens. part.* 2. *c.* 3. *disp.* 3. *dub.* 8. quibus ego addo Baunium *in Theol. mor. tom.* 2. *disp.* 5. *tract.* 4. *q.* 1 Coninch *de Sacram. disp.* 14. *dub.* 15. *n.* 174. Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 2. *c.* 5 *n.* 6. Molinam *disp.* 32. *n.* 6. & hanc sententiam probabilem esse putat Garcias *in summa, tract.* 1. *difficult.* 3. *dub.* 1. *punct.* 3. *n.* 27. *in fine.* Et ratio est, quia ille consensus in percussionem Clerici censendus est hac excommunicatione puniri, qui, secundùm moralem æstimationem, consilium, aut auxilium esse reputatur, ut constat ex illis verbis: *Eos delinquentibus favere interpretamur.* Et præterea, qui statui clericali injuriosus est. At qui solùm ex charitate, & non ex officio tenetur impedire percussionem, moraliter non censetur percussioni favere, neque injuriosam actionem statui clericali præstare, quia omittens ex charitate solùm negativè se habet, non positivè etiam moraliter, ideóque damna ex facinore sequuta ei non imputantur. Quod adeò verum est, ut esto ex odio, & pravo affectu omittas impedire adhuc non ligaris excommun. quia non ob pravum affectum, sed ob actionem injuriosam hæc excommunicatio lata est.

3. Sed non deseram hîc apponere verba Squillantis *d privileg. Cler. c.* 6. *n.* 66 ubi sic ait: [Excommunicationem incurrit ille, qui potest prohibere, ne Clericus verberetur, & non prohibet, ut constat ex cap. *Quanta de sentent. excom.* quòd verò ad alios, qui ex timore, ut qui nolunt se immiscere rumoribus, hoc non præstarent; non incurrerent, secundùm communem opinionem, quando hic titulus sufficit ad eos excusandum à culpa mortali, secundùm Suarez mox citandum. Si autem dolosè non prohiberent, cùm possent obviare sine periculo, & damno, tunc incurrerent, tãquã consentientes delicto. Ita Suar. *disp.* 22. *sect.* 2. *n.* 56. quamvis Bonacina *disp.* 2. *q.* 4. *punct.* 3. *n.* 6. & Raguccius *sub tit. de excom. q.* 69. non incurrere existimant, etiamsi non obstent propter odium, & pravum affectum, licèt peccarent mortaliter, quidquid sit de foro externo, cùm non sit in jure expressum. Ita Squillãte.

4. Sed, si aliquis scire cupiat, quinam ex justitia teneantur obstare percussioni Clericorum? Respõdeo cum Avila, *ubi supra, concl.* 2. & aliis, quòd qui tenentur obstare ex officio, & ex justitia sunt, Rex, Iudex, & Ministri justitiæ, patres, tutores, heri, pædagogi, parochi, custodes, & è contra eorum filij, pupilli, famuli, parochiani, & custoditi. Sic Navarr. *c.* 24 *n.* 18.

5. Nota etiam cum Raguccio *in vase disciplin. Eccles. quæst.* 69. *de excommunic.* quòd, ut qui non impediunt percussionem Clerici, incidant in censuram, quatuor

quatuor debent copulativè concurrere. Primum, vt teneatur ex officio, vt est Officialis erga subditos, pater erga filios, dominus erga servos, & similes. Nauar. *cap.24.num.12.* Secundum, vt possint impedire sine jactura, vel periculo vitæ, honoris aut bonorum. Tertium, vt possint commodè impedire: nam non dicimus posse aliquid fieri, nisi commodè fieri possit: *leg. Nepos Proculo, ff. de verb. signific.* Quartum, vt offensio Clerici sit manifestè injusta illi Superiori, aliàs non teneretur, Nauarr. *cap.24 n.19.* & alij.

RESOL. XXIV.

An Heluetij arcentes turbam, dum Pontifex, vel alius Princeps egreditur, si percutiant Clericum, incidant in censuram?

Et quid tamen, si id facerent animo maligno ex proposito, scilicet intendentes Clericum verberare sine sufficienti necessitate? Ex p.9. tract.4. Resol.20.

§.1. RESpondeo, quòd ab hac excommunicatione excusatur ostiarius, aut alius Officialis, qui, dum arcet turbam irruentem, Clericum fortuito casu lædit: si tamen id faceret animo maligno, ex proposito scilicet, intendens Clericum verberare sine sufficiente necessitate, videtur incurrere excommunicationem, sed soli Episcopo reservatam, à quo dicitur absolvendus, nisi Clericum graviter vulneravetit, *cap.Si verò 3. de sent.excom.* Et ita docet Coninch *de Sacr. disp.14.dub 15.n.193.* Fragosus *de Rep.Christ. tom.3. lib.1. disp.2 §.1. n.29.* Sayrus *de cens. lib.3. cap.28. n.27.* Squillante *de privil. Cleric. cap.6. n.28.* Avila *de cens. part.2. cap.5. disp.3. dub.13.* Vide etiam Turrianum *de censur. lib.3. disp.29. dub.4.*

RESOL. XXV.

An percutientes Clericum ex ignorantia incurrant in censuram?

Et quid, si ignorantia sit invincibilis? & quid si sit vincibilis?

Sed major difficultas est de ignorantia crassa, seu supina, & affectata, licet ignorantia affectata procedat ex dolo, & temeritate?

Difficultas adhuc superest de ignorantia concomitante sive juris, sive facti?

Et in textu hujus Resolutionis adducuntur alij diversi casus in exemplum supradictarum quæstionum. Ex p.9. tract.4. Resol.42.

§.1. DIfficilis quæstio. Et si ignorantia est invincibilis, non est dubium tales percutientes in censuram non incidere. Dubium est, quando ignorantia est vincibilis, quæ potest esse inculpabilis, & culpabilis: item ista, (scilicet, culpabilis, de qua hîc præcipuè quæritur,) est triplex, purè vincibilis, crassa, seu supina, & affectata. Ignorantia purè vincibilis est, quando quis, cùm audisset, vel dubitasset de censura juris, vel facti, adhibuit diligentiam; sed non moraliter necessariam pro qualitate rei. Crassa, seù supina, quando modicam, aut nullam diligentiam adhibuit; tamen ex tædio & pigritia: Affectata, quando illam diligentiam non adhibuit ex malitia, ad liberiùs peccandum.

2. Hoc supposito, dico primò. Posito, quòd ignorantia purè vincibilis possit esse mortaliter culpabilis, illa excusat ab incursu censuræ. Ita Sanchez *lib.9. de matr. disp.32.n.31. & lib.1. Summæ, cap.10.n.7.* & me citato Leone *de cens. recollect.1. n.367.* Probatur *ex cap.2. de Const. in 6.* ubi habetur, ignorantiam excusare in censuris, dummodo non sit, neq; crassa, neque supina. Ista autem ignorantia purè vincibilis non est neque crassa, nec supina, ergo. Dices, sufficit, quòd mortaliter peccet quis in ea ignorantia, vt incurrat censuram. Respondetur ex supradictis, non quodlibet peccatum mortale sufficere ad incurrendam censuram; sed requiri peccatum mortale, quod habeat rationem contumaciæ, ex eo, quòd censura sit ultimum remedium contra cõtumaces: sed qui facit aliquam diligentiam, licèt non moraliter sufficientè, etsi peccet mortaliter, non tamen potest dici contumax: ergo neque pervenit ad hunc statum, vt possit incurrere pœnam istam, quæ imponitur cõtra contumaces. Hæc conclusio est contra Suarez *tom.3. disp.4 sect. 6. n.10* qui defendit, quòd eo ipso, quòd ignorantia est vincibilis moraliter, non potest excusare à censura, & vt refert, & sequitur Filliuc. *tr.11.n.273.* ait, contrariam opinionem non esse practicè probabilem: quia unum habet Authorem Lopez, qui non movetur urgente fundamento; sed ex quadam pietate ad evitanda animarum pericula. Sed fallitur, vt patet ex aliis Authoribus, quos allegat, & sequitur Duardus *lib.1. in Bullam Cœnæ, cap.2.9.1.n.5.* contrariam quoque probabiliorem asserit Coninch *disp.13.n.95.* & eam probat Alterius *lib.3. disp.2.c.3. ad finem.* Vnde ex hac conclusione deducitur pro praxi, quòd qui percussit Clericum, dubitans, an sit Clericus, vel contra percussorem Clericorum ferri de jure censuram; excusari, si fecit aliquam diligentiam ad vincendum dictum dubium juris, vel facti, licèt non moraliter sufficientem pro qualitate rei.

3. Sed major difficultas est de ignorantia crassa, & supina culpabili mortaliter: & ista etiam excusat ab incursione censuræ, quando censura est lata contra præsumentes, vel audentes facere, vel omittere aliquid, seu contra scienter, vel ausu temerario aliquid facientes. Et procedit ista conclusio, vt sit vera, non solùm, ubi talis ignorantia est ignorantia juris; sed etiam ubi est ignorantia facti. Ampliatur secundò, etiam, ubi quis daret operam rei illicitæ. Ampliatur tertiò, etiamsi talis ignorantia fuerit affectata. Ratio est: quia, licèt ignorantia affectata procedat ex dolo, & temeritate, tamen verè talem dolum, & temeritatem in hoc casu præsupponitur non esse circa excommunicationem, vel aliam censuram, sed circa ignorantiam ipsam, quod sufficit ad non incurrẽdam censuram hoc modo latam. Vnde, quando adversarii dicunt, quòd ignorantia affectata æquiparatur scientiæ, intelligitur quoad incurrendam culpam, non autem quoad incurrendam censuram latam hoc modo.

4. Et tandem difficultas est de ignorantia concomitante. Et ad hanc difficultatem respondet Leone, quòd ignorãtia cõcomitans, sive juris, sive facti, excusat ab incurrendis censuris. Ratio est: quia excommunicatio est posita cõtra contumaciã efficacem, & absolutam: sed ista ignorãtia concomitans excludit dictam contumaciam efficacem, & absolutam, & tantùm inducit contumaciam conditionalem: ergo non sufficit ad incurrendam censuram. Est contra Covarr. *in cap. Alma mater, p.1. §.10. n.15.* qui simpliciter affirmat, talem ignorantiam, quando est facti, non excusare à censuris: quam opinionem dicit falsam Hurtado *de censur. in communi, n.9.* & est contra Sayrum, & Graffiũ apud Duardum *lib.2. in Bullam Cœnæ, can.1.9.38.n.8.* qui distinguunt de censura lata simpliciter, & lata contra præsumentes, &c. aliquid facere, vel scienter, &c. aliquid facientes: primo casu affirmant incurri cẽsuram, non autem secundo casu. Vnde, quia isti Authores putant in Canone, *Si quis suadente*, per dicta verba non exigi præsumptionem, asserunt talem, occidendo Clericum, quem credit esse laicum, cum eo animo, vt etiã percuteret, si esset Clericus, non incurrere dictam excommunicationem. Addunt tamen, contrarium debere concludi in eo casu, ubi quis promeret actum hoc

alio modo: Volo nunc occidere illam feram; vel illum laicum: & si Clericus est, etiam volo eum occidere. Si enim talis de facto, vt ipsi aiunt, occideret Clericum, omni dubio procul esset excommunicatus: hoc enim casu non esset ignorantia concomitans, quia istius voluntas non est conditionalis, sed absoluta, & per consequens tam actus internus, quàm externus, esset sacrilegus; quod non contingit in primo casu, in quo licèt actus internus, scilicet, volendi occidere aliquem, etiamsi sit Clericus, seu peccatum internum sit peccatum sacrilegii, tamen actus externus non est sacrilegus; & per consequens peccatũ internum tantùm erit peccatũ sacrilegii, ob quod peccatum non potest incurri censura. Et hæc omnia docet P. Leone, *ubi sup.* sed iterum posteà docet in terminis loquendo de percussione Clericorum, *in recollect. 5. n. 175. & seq.*

5. Sed confirmantur multa ex supradictis à Villalobos *in Sum. tom. 1. tract. 17. d. ffic. 22. n. 3.* ubi sic ait: [El segundo caso es, del que le hiere con ignorancia probable, no sabiendo que es Clerigo, como dize un capitulo de Derecho. Mas bastaria para esto, si lo hiziesse por culpa lata, ò ignorancia crassa, como tienen Covarruvias *in cap. Alma mater, 1. p. §. 10. n. 16.* Thomas Sanchez *de matr. lib. 9. disp. 32. n. 41.* con otros: porque aquella palabra, *Suadente Diabolo*, solo escusa la permission licita aunque Abad *cap. 2. n. 6. de Constit.* Alexandro de Nevo ibi, *n. 49.* Sylvester, *verb. Ignorantia dist. 4 & verb. Excommun. 6. §. 6.* dizen, que se escusa el que ignora que es Clerigo, con ignorancia crassa, y culpa lata.] Ita ille. Et idem de ignorantia affectata dicendum esse putat Leone *ubi supra, n. 180.* Et, vt verum fatear, magis probabiliter ignorantiam crassam, & supinam, & à fortiori affectatam non excusare à censura tenent aliqui: & ideo Garcias *in Summa morali, tract. 1. d ffic. 3. dub. 1. punct. 4. n. 32.* sic ait [La mayor difficultad està en la ignorancia vincible ò culpable, acerca de la qual ay varias opiniones: lo mas probable es, que la ignorancia crassa, ò supina, que es quando uno deve salir de duda, y no quiere hazer diligencias para ello, ni prevenirlo, y à fortiori la affectada, que es quando uno à drede no quiere salir de la duda por pecar mas libremente, que no escusan: pero fuera destas ignorancias, la vincible puramente escusara de la censura.] Ita ille.

Sup hac ignorãtia crassa, lata, supina, & affectata sup. in tr. 1. Ref. 36 per tot. & in aliis ejus annot.

6. Vnde ex his omnibus apparet, ignorantiam aliquando excusare ab incursu hujus censuræ; quod à fortiori patet, si Clericum percutiens, arbitratus est esse laicum, quia Habitum, & Tonsuram non gestavit. Alioquin, si allegatio ignorãtiæ dubia sit, allegãs eam juramento in foro externo confirmare cogitur, *cap. Si vero de sent. excom.* Cæterũ, si quis existimet esse Ioannem Clericũ, quem percutit, cùm sit Clericus Iacobus, censuram excõmunicationis non effugiet, sicuti rectè adnotavit Covarr. *in cap. Alma mater part. 1. §. 10. n. 15. argum l. Eum qui §. Si injuria mihi ff. de injuriis*, ubi dicitur: Si injuria mihi fiat ab eo, cui sim ignotus, aut qui putet me esse Luciũ, cum sim Caius, injuriarum mihi actionem competere. Qua de re videri potest Molina *tract. 3. disp. 30.* Contrà verò dicendum, si quis * volens percutere hunc Clericum, ab eo aberret, & casu, sive præter intentionem percutiat alterum Clericum proximè astantem: talis enim excommunicationem non incurrit, sicuti rectè docet Suarez *disp. 22. sect. 2. n. 54.* Coninch *disp. 14. dub. 15. n. 197.* Ratio discriminis est: quia in priori casu voluntariè percutit hominem, quem scit Clericum esse, in quo tota ratio consistit, ob quam Canonis excommunicatio lata est: in posteriori autem casu voluntariè non percutit hominem quem scit esse Clericum: siquidem, vt ponimus, à Clerici volita percussione aberravit: alium autem hominem, qui fortè adstabat, & Clericus erat, præter intentionem, ac involuntariè percussit.

Sup. hoc juramẽto sup. in tr. 1. R. f. 6. latè in § Cõfirmatur hæc, &c. Et pro contento à lin. 7. hujus §. in Ref. 2. not. seq. &c.

* Sup. hoc in tom 8. tr. 5. Ref. 91. §. Et tandẽ, & hic inf. in Ref. 35. §. 2. ante medium, à vers. Confirmatur argumento.

RESOL. XXVI.

An mãdantes, cõsulentes, seu precibus, & promissis incitãtes, consentientes, & ratum habentes, & auxilium præbentes ad percutiendum Clericum, incidant in censuram? Et quid est dicendum, si mandatum non sit expressum, sed tacitum?

Et utrum vero mandans incurrat censuram, si mandatarius excesserit fines mandati, vt quia mandavit tantum verberare Clericum, & mandatarius illum vulneravit?

Et quid, si quis mandaret, vt tantùm inferatur Clerico injuria verbalis, & mandatarius excesserit faciendo illi injuriam personalem?

Et notatur, quod licet, si aliquis non mandet, vel consulat percussionem Clerici expressè, dicit tamen coram suis amicis, vel familiaribus se desiderare vindictam de tali Clerico, si posteà sui moti his verbis percutiant, iste incurrit excommunicationem, unde vt iste sit liber ab excommunicatione debet affirmare se non dicere eo animo, vt percutiant, & quod non desideret, vt ipsi percutiant.

Etiamque advertitur ratam habentem percussionem Clerici, etiam post factum incurrere in censuram Canonis, ad quod requiruntur tria, quæ explanantur in §. ultimo hujus Resolutionis. Ex part. 9. tract. 4. Resol. 14.

§. 1. REsp. quòd quamvis illi, qui sola authoritate, mandato, ratihabitione, aut quia consensum præstant, seu non obstant, vel quia auxiliũ, consilium, vel favorem violentiæ tribuunt, per se violentas manus injicere non dicantur, & propterea non videantur excommun. ab hoc Canone, cujus censura fertur contra fœios injicientes violentas manus in Clericos, vel Monachos: tamen ex aliis capitibus Iuris hæc excomm. extenditur ad mandantes, seu precibus, & promissis incitantes ad prædictam offensionem. Vt habetur *cap. Mulieres, §. Illi de sent. excomm.* Item, ad consentientes *cap. Quanto 47. de sent. excomm.* Item ad ratam habentes offensionem suo nomine factam *cap. Cùm quis de sent. excomm.* Et licèt in nullo textu reperiatur expressum, consulentes, auxiliúmve præbentes hac excommunicatione innodari; nihilominus Doctores communiter sub consentientibus eos comprehendunt. Satis enim consentit operi, qui illud consulit, ejusve executioni auxilium præbet. Quinimò *in d. cap. Quanto*, solùm sermo fit de consentientibus iis, qui manus violentas in Rectores Ecclesiæ injiciunt: at communis sententia extendit ad consentientes percussioni cujusvis Clerici, vel Monachi. Itaque mãdans, consulens, & favens Clerici percussioni hac excommunicatione innodatur, dummodo percussio subsequatur, subsecutáque fuerit ex vi mandati, consilii, vel favoris, quia hæ actiones tanquàm accessoriæ prohibentur. Vnde cessante actione principali, scilicet, percussione, accessoriæ non puniuntur. Ex alia parte, cùm solùm puniãtur, qui actionem principalem causant, necessariò requisitum est, vt ex vi illarum actio principalis subsequatur: sicuti docet Molina *tract. 3. disp. 52. n. 2. 8. & 9.* Navar. *c. 27. n. 51.* Coninch *disp. 14. dub. 15. n. 175.* & colligitur *ex cap. Mulieres de sent. excomm.* ibi: *Quia is committit verè, cujus authoritate, vel mandato delictum committi probatur.* Requiritur ergo mandatum: & idem est de consilio, & favore, causam esse delicti. Et quidẽ nisi de contrario constet, id semper præsumendũ est, vt benè notavit Coninch *supra.*

2. Sed, quid dicendum, si mandatum non sit expressũ sed tacitum: vt, si quis, cùm fuerit offensus ab aliquo Clerico, diceret coram amicis, vel familiaribus, se desiderare vindictam de tali injuria, prævidens, aut prævidere debens, inde eos fore excitandos ad eum percutiendum; an incurrat etiã ipse in hanc censurã, sequuta illius Clerici percussione? Dico incurrere, *arg. text. in c. pen. de homic. in 6.* & sic docet Squil. *de priv. Cleric. c. 6.* Sup. §. fin. &c.

c.6.dub.4.n.62. Suarez *disp.22.sect.1.n.55.* & Carolus de Grassis *effect.9 num. 35.* nam ille est causa moralis talis percussionis, & excitat & movet, & virtualiter mandat. Vtrùm verò mandans incurrat, si mandatarius excesserit fines mandati: ut, quia mandavit tantùm verberare Clericum, & mandatarius illum vulneravit? Et incurrere fatendum est, prout in simili dicitur de eo, qui fecit mandatum ad vulnerandum: quòd si feratur homicidium, tenetur de occiso *c.fin. de homic. in 6.* nam vulnera, & percussiones non dantur ad mensuram. Secùs autem esset, si quis mandaret, ut tantùm inferatur Clerico injuria verbalis, & mandatarius excesserit, faciendo illi injuriam personalem: quia tunc mandans non erit excommunicatus, prout ipse mandatarius: & hoc ea ratione, quia mandans jussit fieri actum, propter quem de sui natura non incurrit in pœnam excommunicationis.

3. Nota etiam, quòd si aliquis, licèt non mandet, vel consulat percussionem expressè, dicit tamen coram suis, se desiderare vindictam de tali Clerico; si postea sui moti his verbis percutiant; iste incurrit excommunicationem: quia, licèt non dixerit eo animo, tamen debebat prævidere, suos crediturос esse, quòd ipse hoc animo dicebat. Quod probatur argumento cap. ultimi *de homicidio, in 6.* Vide, ut esset liber ab excommunicatione, deberet affirmare, se non dicere eo animo, ut percutiant, & quòd non desiderat, quòd ipsi percutiant, probatur argumento cap. penultimi, *de homicidio in 6.* Vide Avilam *de cens. part. 2. cap. 5. disp.3.dub.10.concl.3*

4. Notandum est etiam hîc, tatam habentem percussionem Clerici, etiam post factum, incurrere in censuram Canonis, ut patet ex textu in cap. *Cùm quis, de sentent. excommunicat. in 6.* cujus verba sunt hæc: *Cùm quis absque tuo mandato manus injecit in Clericum tuo nomine violentas; si hoc ratum habueris, excommunicationem latam à Canone incunctanter incurris, cùm ratihabitio retrotrahatur, & mandato debeat comparari. Si verò injectio eadem tuo nomine non sit facta, tunc, licèt pecces ratam habendo, non tamen propter hoc excommunicationis illius vinculo innodaris? cùm quis ratum habere nequeat, quod ejus nomine non est gestum.* Hæc ibi. Tria tamen requiruntur, ut optimè observat Megala *in 3.part.instit.Confess. lib.4.c.1. quæst.1.num.7.* ad hoc, ut ratum habens hac censura ligetur. Primum, ut delictum sit commissum nomine suo, alioquin illud ratificare non potest, ut dicit textus. Secundùm, ut verè ratum habeat, id est, ut approbet factum nomine suo: nam, si tantum non doleret, vel gauderet, quòd sit factum, non diceretur ratum habere: tertium, ut tempore, quo fuit commissum delictum fuerit ipse habilis ad committendum illud: nam, cùm ratihabitio retrotrahatur ad tempus, priusquàm fuerat commissum delictum, necessario requiritur, ut tunc temporis ratum habens fuerit habilis ad mandandum: unde, si erat tunc infans, vel amens, ratum habere non potest. Et hæc omnia docet etiam Villalobos *Summa t.1. tr. 17. diffic. 22. num. 11.* ubi sic ait: [Aunque este Canon no habla de los, que mandan, sino solo del que por si hiere al Clerigo, otro Canon lo estiende al que lo manda; ò que por su authoridad otro al Clerico. Y otro Canon, le estiende à aquellos, en cuyo nombre se hizo, aunque lo ignorassen, si despues quando lo supieron, lo confirmaron, que esto es como si lo vuieran mandado al principio, conforme à la regla de Derecho, que dize: *Ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur.* Mas si despues no lo aprovò, si no que dixo, que le pesava dello, no quedara descomulgado, ni tam poco lo quedara el, que se holgò del agravio que se hizo al Clerigo, sino se hizo en su nombre, conforme à otra regla, que dize: *Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum,* y se colige del texto citado.] Hæc ille. Sed ne deseras videre Avilam *de censur. p.2.c.5. disp.3. dub.9.*

RESOL. XXVII.

Quis consuluit homicidium cujusdam Clerici, sed postea serio consilium revocavit, quæritur, an ex homicidio secuto incurrat excommunicationem, irregularitatem, & obligationem restituendi? Ex p.3.tr.5. & Misc.1. Res 84 alias 83.

§.1. Pulchra est hæc quæstio, & ex illa à Confessariis multi casus benignè si opus erit resolui possunt, ideo probabiliter negativè respondendum esse puto. Et ratio est, quia quando consulens fecit quod potuit, ut prius consilium evertat, vel ostendat omnibus consideratis esse iniquum, & non amplectendum, non videtur in tali casu exequutor ipsius consilio moveri, sed potiùs sua malitia. Et ideo contra Navarrum *in man.c.27.n.253.* & alios, hanc sententiam quoad excommunicationem tenent Layman *in Theol.mor.lib.2.tr.5.p.2.c.5.n.7.* Avila *de cens. p.2.c.5. disp.3.dub.7.concl.3.* & alij. Idem quoad irregularitatem contra Molinam *tr.2.c.3. poster. disp.731.* Toletum *lib.1.c.85.* & alios sic tenent D. Anton. *in 3.p.tit. 28.c.2.§.2.* Sylvester *ver. homicidium 1.n.11.§.3. & n. 12.in fin.* Petrus Navarra *de restit.lib.3.c.1.n.27.* & hanc sententiam probabilem vocat Less. *lib.2 c.13.dub.1.n. 17.* & Laym. *loco citato.* Et tandem quoad obligationem restituendi, liberant etiam consulentem qui seriò consilium suum revocavit, non ignobiles auctores, ut Tannerus *in 2.2. disp.4 q.6. dub.15.n.394.* Salon *in 2. 2.q.62.art.7.contr.6.* & expressius Petrus Navar. *de restit. loco citato.* Emanuel Sà *verb.restit.n.11.* contra Malderum *in 2.2.tr.4.c.2.dub.3.* & hanc sententiam cum Lessio probabilem etiam vocat Layman; uti revera est.

Sup. contentis in titulo hujus res. in Res. seq. & sup. in tr. 1. Res. 74. per tot. signanter §.2. ante medium, à vers. Vtrum, & pro parte, & obligatione restitutionis in to.8. tr.5. Res. 85. & pro parte irregularitatis inf. in tr. 6. lege doctrinam Res 25. & aliarum hujus. not.

2. Concludendum est igitur cum dicto Layman in gratiam Confessariorum ad tollendos omnes scrupulos, quòd qui alteri propositis rationibus homicidium injustum persuasit, si eas postea seriò, & quatenus potest efficaciter retractavit, sequuto nihilominus homicidio, nec in excommunicationem, nec in irregularitatem, nec etiam probabiliter in obligationem restituendi incurrit.

RESOL. XXVIII.

An revocantes mandatum, & consilium, si percussio Clerici sequatur, incidant in censuram?

Idem dicendum est de irregularitate, & damni compensandi obligatione.

Et quid dicendum est de illo, qui propinato veneno Clericum occidit, tametsi diligentiam adhibuerit ad damnum impediendum. Ex part. 9. tract.4. Resol.15.

§.1. Negativè respondet Sylv. *ver. Homicidium, 1.num. 11.* & §. 3. *num. 12.* Navarra *de restit.lib.3.c.4.num 47.* Avila *de cens.part.2.c.p.5.disp.3. dub.7.concl.1.* & Layman *lib.1.tr.5.part.2. c.7.num.7. in fine,* ubi sic ait: [Resolutio sit: Qui alteri, propositis rationibus, homicidium injustum persuasit, si eas postea seriò, & quatenus potest, efficaciter retractavit; sequuto nihilominùs homicidio; excommunicationem non incurrit; quin & probabiliter ab irregularitate, & damni compensandi obligatione immunis est: quamvis opposita sententia, quod attinet ad irregularitatem, & damni compensationem, æquè probabilis, aut fortasse probabilior existat.] Ita ille. Igitur, secundùm hos Authores, facta revocatione mandati, vel consilij de se efficaci, non est censendum, mandatarium, vel consiliarium ex eo moveri, sed ob suam malitiam, cùm revocationi stare possit, & debeat.

Pro excommunicatione, irregularitate & dãni compensatione contentis in hac Res. signanter lege præcedentem Res. per tot. & pro parte, vide alias Res. & §§. ejus annot.

2. Sed

2. Sed affirmativæ sententiæ adhærent Navarrus *cap.27.n.33.* Anton. Gomez *lib.3.resol. cap.3.n.40. & 45.* Molina *tr.5. disp. 52.n.2. & 3.* Coninch *disp.24. dub. 15. n. 183.* Lessius *c.13. dub.3. n.18.* contrarium opinantes: asserunt enim, si mandatarius, vel is, cui datum est consilium, dissuaderi non potuit, quum ex mandato, vel consilio, moveatur ad facinus patrandum, mandantem, vel consulentem in excommunicationem incidere: quia facinoris causa fuit medio suo mandato, vel consilio, quod de facto removere non potuit. Sicuti in excommunicationem incidit, qui propinato veneno Clericum occidit, tametsi diligentiam adhibuerit ad damnum impediendum. Ego verò utranque sententiam probabilem esse puto, licet secundam existimem probabiliorem. Vnde assero cum Castro Palao *t.6, disp.3. punct.23. §.3.n.9.* quòd si adhuc tibi constet, mandatarium, vel consiliarium tuo mandato, vel consilio moveri, vel quia non credit ex animo te revocare, vel rationes revocationis non sunt æquè efficaces ad contrarium persuadendum, etsi probabilis sit sententia, quæ te ab omni censura, pœna, & obligatione excuset: at probabiliorem reputo sententiam, quæ te condemnat, tum, quia communior; tum, quia de facto tuum mandatum, vel consilium causa fuit delicti. Nam esto malitiæ mandatarij, vel ejus, cui datum est consilium, adscribi debeat, quòd revocationi nolit adhærere, attamen dum de facto revocationi non assentitur, mandatum seu consilium firmum persistit, causaque est delicti. Ergo excommunicatio imposita iis, qui suo consilio, vel mandato in percussionem Clerici concurrunt, hos comprehendit. Non benè itaque his diebus quidam Religiosus mordicùs sustinebat, consulentem percussionem Clerici, si revocet consilium, incurrere censuram Canonis: nam opinio negativa, ut dixi, est satis probabilis. Et idem dicendum puto quoad incursionem irregularitatis, & obligationem restituendi: quicquid in contrarium asserat Layman *loco citato*, quoad irregularitatem, & restitutionem: & ita, me citato, tenet Leone *de cens. recollect. 5. num. 112.*

RESOL. XXIX.

An mandantes, & consulentes percussionem Clerici, si ante percussionem pœniteant, & conterantur, incidant in censuram?

Et supponitur non posse revocare mandatum, nec consilium.

Et an excommunicatio incurratur ab illo, qui post quàm mandavit, moritur, antequam percutiatur Clericus?

Et in conclusionem supradictæ difficultatis aliquæ aliæ adducuntur in textu hujus Resolutionis. Ex part. 9. tr.4. Res. 16.

§. SVppono non posse revocari mandatum, nec consilium. Et affirmativè respondet Cornejo *in 3.p.D.Thomæ, tr.5.de excomm disp.3. dub.ult.* ubi sic ait: [Excommunicatio de se non est incompossibilis cum gratia, nisi ratione peccati propter quod incurritur: ergo, si hoc peccatum est jam remissum, sive postquàm incursa est, sive antequàm incurratur, potest optimè esse simul cum gratia.]

Sup. hoc lege doctrinam res. 1. not. seq. à princ.

2. Quæres, quid sit iste casus? Respondetur esse, quando quis præcipit servo percussionem Clerici, & pœnitet ante exequutionem mandati; tamen propter loci distantiam non potuit intimari servo revocatio mandati ante Clerici percussionem: nam reverà mandans incurrit excommunicationem latam ipso jure contra Clericorum percussores, etsi tunc sit in gratia ratione contritionis. Ratio est, quòd iste in eo casu est absolutè voluntarius percussor Clerici: quia adhuc non revocato mandato, reverà influit moraliter in talem percussionem. Nec refert, quòd culpa sit ei remissa per contritionem, nec similiter quòd excusetur à nova culpa ex impossibilitate intimandi servo revocationem mandati: quia necesse erat ad vitandam excommunicationem, ut de facto non influeret moraliter in talem Clerici percussionem, quia influxus non tollitur ex sola interna contritione peccati; ergo quòd peccatum, propter quod censura fertur, remissum ei sit, non sequitur, quominùs in hoc casu excommunicatio incurratur.

3. Sed objicies primò: Excommunicatio est pœna medicinalis: ergo non incurritur, nisi durante infirmitate peccati. Respondetur, negando consequentiam, saltem in hoc casu: tum, quia licet excommunicatio non sit medicina respectu ipsius excommunicati, satis est, ut sit medicina respectu aliorum: tum etiam quia adhuc in hoc casu est medicina respectu excommunicati, si non ad recuperandam sanitatem de peccato jam remisso, propter quod est incursa; saltem est medicinalis respectu aliorum peccatorum, ut deinceps evitet similia peccata.

4. Objicies secundo: Correctio fraterna non habet locum de peccato præterito, de quo proximus est jam sufficienter emendatus: ergo neque excommunicatio habet locum in hoc casu. Antecedens patet, quia in eo casu jam frater est lucratus Deo; quod erat finis fraternæ correctionis. Et consequentia probatur: quia si tunc non habet locum medium suavius, qualis est correctio; multò minùs habebit locum medium acerbius, qualis est excommunicatio. Respondetur, negando consequentiam: & ratio est quod correctio fraterna ordinatur ad salutem privatam proximi, idò non habet locum, quando jam proximus à peccato resipuit: at verò punitio juridica facta ab homine vel à jure, respicit præcipue bonum commune, & publicam utilitatem, ac proinde cessare non debet, quamvis reus de peccato suo doluerit, præcipuè cùm in hoc casu maneat effectus prioris voluntatis peccaminosæ nondum sufficienter retractatus.

5. Objices ultimò: Si excommunicatus offerat Ecclesiæ satisfactionem, judicatur dignus absolutione, ex textu in c. *Quapropter, de appellat.*, ergo, si à principio ante excommunicationem prædictam satisfactionem obtulisset, non posset excommunicari: sed hanc satisfactionem obtulit, qui in hoc casu revocavit mandatum percussionis Clerici: ergo non incurrit excommunicationem. Respondetur: concesso antecedenti, & prima consequentia, negando minorem: quia cùm iste non intimaverit mandatario revocationem mandati, non censetur obtulisse perfectam obedientiam præcepto Ecclesiastico prohibenti percussionem Clerici. Nec refert, quòd non steterit per ipsum, quominùs fieret talis intimatio: nam, licèt hoc excuset illum à nova culpa, non tamen excusat à nova pœna, cùm hæc impossibilitas non auferat priorem voluntatem, ratione cujus moraliter influit in percussionem Clerici, & sibi debet imputari, quòd in tales angustias sit redactus. Et hæc omnia docet Cornejo *ubi supra.*

6. Confirmatur: quia censura est pœna: sed ad incurrendam pœnam sufficit effectus sequutus, etsi non sit peccatum, neque voluntarius: ergo. Probatur minor, per textum in cap. *Si quis insaniens, 15. quæst. 1.* ubi habetur, quòd si quis insaniens aliquem occiderit, si posteà ad sanam mentem devenerit, debet leviori pœnitentia puniri: occisio facta ab insano non est peccatum, neque voluntaria; & tamen ibi jubetur puniri, etsi leviori pœnitentia: ergo ut incurratur pœna, sufficit effectus prohibitus sequutus, etsi in eo non concurrat peccatum, & voluntarium: ergo à fortiori in casu nostro, licèt mors sequuta post Confessionem non sit peccatum novum, neque sit voluntaria, ex quo voluntas fuit præcisa per Confessionem: tamen incurritur excommunicatio.

7. Con

7. Confirmatur insuper ex opinione Vasquez, quam sequitur Sanchez *lib. 1. Summæ, cap. 16. in fine*, loquentis in casu excommunicationis contra homicidas : [Si quis, ait ipse, excessit in bibendo cum prævisione ebrietatis, & homicidii, quod solet ab ipso committi tempore ebrietatis, & si ante sequutam ebrietatem talis pœniteret dicti excessus, & confiteretur, & absolveretur ; tamen si sequatur ebrietas, & homicidium, incurreret in hanc excommunicationem : quia, inquit, ad has pœnas incurrendas sufficit dedisse causam liberam, & sequutum fuisse effectum.] Vide etiam Villalobos *in Summa, tom. 1. tract. 17. difficult. 22. n. 12.* ubi sic ait : [Ha se de advertir, que quando el que mandò herir al Clerigo, revocò el mandato, antes que se executasse, si la revocacion no puedo llegar à noticia de la persona à quien lo mandò, en tal caso en poniendose en efeto, tambien queda el que lo mandò descomulgado como tienen Angelo, y Toledo contra una glosa, y se colige de lo que diximos arriba, que assi como el que dispara un arcabuz, y antes que llegue la bala al hombre, le pesa, muda de voluntad, no por esso dexa de estar descomulgado ? ansi aqui, aunque si se sucediesse, que quando se executasse el mandato, fuesse ya muerto el que le maodò, no incurriria la descomunion : porque despues de muerto ya no es capaz della.] Sic ille quibus adde Squil. *de priv. Cler. cap. 6. n. 59.* qui citat Lessium, Bonacinam, & Layman.

8. Sed hanc opinionem aliqui non approbant : asserunt, enim, censuram (quidquid sit de irregularitate, quam fatemur contrahi hoc casu) non incurri ab hoc tali in foro conscientiæ. Primò, quia certum est, quod excommunicatio non potest contrahi absque peccato, vel contumacia : sed stante hac pœnitentia tempore, quo mors sequitur, non adest novum peccatum, neque nova contumacia præter illud peccatum vulneris, quod fuit causa mortis : ergo. Minor patet, quòd non adsit novum peccatum, neque contumacia : quia peccatum non est nisi voluntarium : at quando sequitur mors post vulnus vel ebrietatem, illa est involuntaria : ergo. De vulnerante lethaliter patet : quia jam pœnituit, & confessus fuit. De ebrio est certissimum : qui enim caret usu rationis, non potest velle. Favet huic opinioni alia opinio, quam vocat satis probabilem Bonacina *disp. 1. de cens. in genere, q. 1. punct. 6. n. 6.* & ante eum Avila *de censur. part. 2. c. 5. disput. 3 dub. 7. concl. 2. in fine*, quòd, scilicet, mandans homicidium, ubi est lata excommunicatio contra homicidas, non incurrat excommunicationem, ipso sequuto, si antequàm sequeretur dictum homicidium, pœniteret, & vellet, si posset, revocare mandatum, & fecit omne posse suum, vt talis revocatio deveniret ad mandatarium. Sequitur Duardus *lib. 2. in Bullam Cœnæ, can. 9. q. 5. in fine, & can. 11. q. 13.* ea ratione præcipua : quia ad incurrendam censuram, *vt suprà*, requiritur peccatum, vel contumacia : sed hic non adest peccatum, neque contumacia : ergo.

9. Ad rationes pro parte affirmativa allatas respondet Leone *de censur. recoll. 3. n. 143.* sic enim ait : [Aut loquimur de irregularitate, vel de censuris : si de irregularitate, concedimus : si verò de censuris, & tunc iterum distinguendum esse censeo : aut loquimur, quoad forum externum, vel quoad forum internum : primo casu sufficit causa libera data, & effectus : cùm enim jam constet Iudici, fuisse ex vulnere sequutam mortem, potest citare eum ad dicendam causam, quare non debet declarari excommunicatus, qui si compareat, & afferat causam, ob quam non sit excommunicatus, scilicet, quia antè confessus, & sit paratus satisfacere, tunc non debet ampliùs molestari, si pars est satisfacta, vel saltem debet absolvi ad cautelam : ideóque si est Sacerdos ob scandalum, quod inde evenire potest his pusillis, qui nesciunt has subtilitates, admonerem, vt non celebret publicè. Secundo casu, scilicet, pro foro interno, non sufficit causa data, & effectus sequutus ; sed requiritur peccatum vel perseverantia in peccato, sive contumacia, cùm omnis censura, vt censura, sit pœna medicinalis, vel peccati, vel contumaciæ.] Vnde *ex superiùs dictis* Pater Leone *loco citato, recollect. 3. num. 113.* individualiter docet, mandantem, & consulentem percuti Clericum, excommunicationis nexu non vinciri, si ante percussionem conteratur.

10. Nec obstat, quod in tali casu mandatarius, & consultus incurrant ; non autem mandans, & consulens : quia etiã quando quis tantùm mandat injuriam verbalem, si ipse mandatarius excedat percutiendo, non incurrit mandans, sed mandatarius : Squillante *cap. 6. de privilegiis Clericorum, n. 64.* sicut è contrario, si mandans sciat percutiendum esse Clericum, quod ignorat mandatarius, ipse mandans incurrit, non autem mandatarius. Et post hæc scripta, sententiam negativam invenio docere etiam Baunium *in Theol. mor. tom. 2. disp. 5. tr. 4. q. 1.* ubi sic ait : [Ego, aut consiliarius quilibet alius esse, ac dici causæ effectus non possumus, nisi ad eum moveatur executor vi dati ac recepti consilii : at ejus retractatione seria impeditur hic motus : videt enim cõfessione consiliarij ingenua se lapsum, ejus autem rationes non fuisse ejusmodi, quibus adhibenda fides esset : quare si agit, inductione ipse sua, motúque agit, ipsique soli, non consiliario, affigenda est effectus sequuti culpa. Idem dicendum de mandante : nam, vt quis peccasse dici queat mandando, ac excommunicationem incurrisse per actum mandatarii, debet hic ejus nomine, causáque, vim Clerico facere : at facit mandati revocatio vera, & seria, vt jam mandantis gratia opus non fiat, sed operantis solius : ergo isti soli, non soli illi imputandum : ergo factum homicidium, inflicta Clerico verbera, plagæ eidem impositæ, mandanti censuram non inferent ; sed exequutori soli, qui improbitate potiùs sua, quá alienis est rationibus impulsus ad injuriam, quam si solus luat sine mandantis, aut consulentis consortio, quis arguat ?] Ita ille, qui etiam tenet, quòd excommunicationem non incurrit, qui postquàm mandavit, moritur ; antequàm percutiatur Clericus ; nam, si post mortem aliquam incurreret excommunicationem, posset fieri, vt quo tempore quis est beatus, idem quoque excommunicatus foret, quod est contra rationem. Quid ego sentiam, dicam breviter. Primam opinionem affirmativam puto probabiliorem esse, & illam teneo ; negativam tamen tanquàm probabilem admitto.

Sup. hæc injuria verbali sup. in Resol. 26. § 2 propè finem, vers. Secus.

Sup. hoc sup. in fin. §. Confirmatur insuper. hujus Resol. & sup. in tr. 1. Resol. 74. in fin. vers. Si vero.

RESOL. XXX.

An furans cingulum, vel aliam vestem Clerico dormienti incidat in censuram ?

Et quid, si vestes è domo Clerici auferat latro, aut pecuniam ex crumena ab eo gestata arripuerit, subdolè, & sine vi ? Ex p. 9. tr. 4. Resol. 37.

§. 1. AFfirmativè respondet noster Naldus *in Sum. verb. Clericus, n. 21.* ubi sic ait : [Clerico è manu rem propriam, quæ ipsi fuerat commodata, eripiens ante tempus ; incurrit excommunicationem : & idem de suffurante ei cingulum dormienti, sive vestes auferente cum ejusdem speciali dedecore, & injuria, puta, quia coactus est domi se continere, aut nudus exire. Et quamvis Ancharanus *in Clem. 1. de pœnis, n. 4.* teneat contrarium quoad secundum dictum *superiùs*, nempe, de suffurante cingulum dormienti ; eò quia non sit violentia illa, quæ non sentitur : tamen non est discedendum à prædicta prima opinione, quam & D. Antoninus, & alij sequuntur : quamvis enim

Sup. hoc sup. in Resol. 1. circa fim ante medium §. 2. vers. Nec sufficit.

enim particularis illa persona non sentiat injuriam: sufficit tamen injuriam fieri per illum actum universo Ordini clericali, in cujus favorem lata est à jure pœna excommunicationis. Et sic videmus, quòd percutiens Clericum, etiam volentem, non evadit prædictam pœnam latam *in cap. Contingit interdum de sent. excomm.* cui sanè favori renuntiari non potest per aliquem privatum.] Ita ille.

2. Sed prorsus sententiam negativam sustinendam esse puto, & ideò dicendum est, quòd si nulla violentia facta vestes ex domo Clerici auferat latro; aut cingulum, quo actualiter cinctus est, furtivè abstulit, aut pecuniam ex crumena ab eo gestata arripuerit subdolè, & sine vi; quia non est hoc propriè violentia, sed actio furtiva, ideò fur non est excommunicatus. Ita Caiet. *verb. Excommun. cap. 10. vers. Nota secundò.* Summa Astensis *part. 2 lib. 7. tit. 3. cap. 2. q. 20.* & Angelus *verb. Excom. 5. n. 29.* Molin. *tom. 4. de just. tr 3. disp. 51.* Coninch *de cens. tom. 2. disp 14. dub. 15. n. 166.* Sayr. *lib. 3. cap. 26. n. 16.* contra S. Anton. *3. p. tit. 25. c. 1. §. Tertiò notandum, ante finem:* ubi minùs benè opinatur, per has actiones incurri excommunicationem. Sed ne recedas ab opinione Caiet. & aliorum, quam etiam tenet Suar. *de censuris, disp. 22. sect. 1. n. 34* quibus omnibus adde Fragos. *de Rep. Chr. tom. 2. lib. 1. disp. 2. §. 1. n. 17* quia vt diximus, supradictæ actiones non sunt actiones violentæ, sed furtivæ. Ergo non includuntur in verbis Canonis, *Si quis suadente.*

RESOL. XXXI.

An si quis capiat Clericum, vel Monachum per capillos, seu barbam, aut caputium dicens, si non esses Clericus, vel Religiosus, te occiderem, vel percuterem, incidat in censuram?

Et notatur Clericum indignatum elevando manum contra alium Clericum rejicientem illum aliquantisper de loco, in quo morabatur, non incidisse in censuram. Ex part. 9. tract. 4. Resol. 35.

Sup. hoc sup. §. 1. in Resol 1. §. 2. propè finem, à vers. Qui num. 146.

NEgativè respondet Bordonus *in cons. regul. tom. 1. resp. 28. n. 38.* quia ad incurrendam hanc censuram necesse est, vt injectio manuum exterius sit consummata in sua specie læsionis, & non tantùm cœpta: verba enim cum effectu sunt accipienda, *cap. Relatum, de Cler. non resid.* unde Panormitan. *in c. Cum in cunctis, §. Clerici, de elect.* dicit, quòd ubi pœna imponitur, illa nunquam incurritur, nisi delictum inchoatum sit consummatum: & Archidiaconus *in c. Qui bona. 17. q. 1. col. penult.* dicit, quòd in pœnis spiritualibus, cujusmodi est hæc, & censuris imponendis, consideratur effectus, & non affectus, & voluntas malè agendi: Tum, quia præfatæ manuum injectiones perpetratæ in laïcum, non censentur peccaminosæ mortaliter, cùm sint imperfectæ, & non lædentes: ergo neque in his casibus; ac proinde excommunicatio locum non habet in illis. Percussio enim tam subita, & tam levis quæ laïco illata non esset mortalis, excusat ab incursione censuræ, vt docent Armilla *n. 7.* Cajet. *cap. 10.* Navar. *c. 27. n. 85.* & ex illis relatis Bariola *cons. 22. §. Primò.* Tum quia, vt dicit Megala *lib. 4. cap. 1. n. 8.* hujusmodi injectio judicata levis respectu externi actus, tam secundùm læsionem, quàm secundùm injuriam, quamvis fiat suadente Diabolo, & cum peccato mortali, non ideò inducit hanc pœnam: & talis est in casu nostro. Tum, quia, in rigore loquendo, illæ non sunt injectiones manuum, neque percussiones, cùm nulla sequatur læsio: sed solùm designationes, & declarationes volendi injicere manus, quæ sine dubio hanc pœnam non inducunt, cùm in se nullam speciem læsionis habeant, licèt aliquin injuriosæ sint; non tamen in genere injectionis, quæ consistit in læsione ad distinctionem injuriæ verbalis, ad quam potiùs reducuntur illæ, quàm ad injectionem. Tum, quia hujusmodi conditionales, & protestationes relevant protestantem, cùm non sint contrariæ facto, per notata *in cap. Cùm M. de cons.* Et blasphemans cum protestatione excusatur: quia per talia verba non intendit blasphemare. Lazar. *q. 1. de blasphem. n. 31.* Floron. *cas. 3. §. 1. a n. 4.* & alios citans. Ergo idem dicendum est in nostro casu, cùm sic tangendo non percutiat, sed declaret animum suum esse, quòd percuteret, si non esset Religiosus. Ita tenet Angelus *Excomm. 5. n. 16. & 29.* Tabiena *Excomm. 5. n. 41.* vult incidere, si faciat animo injuriandi: sed id sustineri non potest; quia non punitur animus, sed factum ipsum, & in his imperfectis actionibus semper adest animus injuriandi: requiritur præterea effectus ipsius animi. Nobiscum apertè sentit Barbosa *loco cit.* Et hæc omnia docet Pater Bordonus *loco citato, n. 2.* Sed mihi magis placet opinio affirmativa; & ideò assero, in casu *superiùs* posito, illum incurrisse in censuram. Et ita tenet Graffius *part. 1. dec. lib. 2. cap. 49. n. 17. & tom. 2. cons. 1. de sent. excom. n. 8 & 13.* Grilenzonius *cons. 82.* quibus ego addo Episcopum Speretlum *in suis dec. tom. 1. dec. 45. per totam.* Leonem *de cens. recollect. 5. n. 145. & seq.* Carolum de Grassis *de effect. Cler. effect. 9. n. 132.* Ioan. Frigiderburg. *in Sum. lib. 3. tit. de sent. excom. n. 47 litera T.* & Sylvestrum, *verb. Excom. 6. §. 3.* ubi individualiter asserit, capientem Clericum per capillos, eique dicentem: Nisi esses Clericus, hæc, & hæc facerem, incurrere in censuram nostri Canonis. Quod probatur: quia ad hunc effectum non requiritur actio physicè non relevans, vt sit peccatum mortale: sed sufficit, eam esse contra immunitatem corporis proprii, seu contra jus, quod unusquisque habet in corpus suum, vel vt sit gravis contra honorem, dummodo corpus attingatur adeò vt quamvis contactus physicè consideratus levissimus sit; si tamen, secundùm moralem existimationem, sufficiat ad gravem injuriam contra honorem, & reverentiam Clerico debitam, sit satis ad hanc censuram incurrendam. Quæ doctrina profectò, tum plurimos quotidianos casus, tum nostrum potissimùm determinat, videtúrque de mente Molinæ *tom. 4. de just. disp. 57.* Reliquas rationes videbis apud Speretlum, qui respondet ad rationes adductas à Patre Bordono, præsertim ad illud argumentum, quòd talis actio non videtur constituere peccatum mortale: ergo per illam non incurritur excommunicatio: nam hoc prorsus negandum est. Adi illum. Non desinam tamen hìc adnotare, Bariolam virum doctum docere *in cons. 22.* Clericum indignatum elevando manum contra alium Clericum, rejicientè illum aliquàtisper de loco, in quo morabatur, non incidisse in censuram.

RESOL. XXXII.

An si quis porrigeret venenum Clerico, incidat in censuram?

Et quid de Moniali, sumente venenum, vt fœtus moriatur?

Et notatur propinantem venenum Clerico in censuram non incurrere, antequam venenum operari incipiat.

Vnde quæritur, an si talis isto medio tempore confiteretur, vel eliceret actum contritionis, incideret ne postea, veneno operante, in censuram?

Et in §. 1. hujus Resolutionis cursim multi, & diversi casus explanantur, pro incursione censuræ in illis qui reducuntur ad percussionem injuriosam personæ Clerici, &c. Ex p. 9. tr. 4. Resol. 36.

§. 1. NEgativam sententiam docet Avila *de cens. tract. p. 2. cap. 5. disp. 3. dub. 12. col. 2.* ubi sic ait: [per violentias

violentas manus intelligitur non solùm percussio, quæ in rigore sit violenta; sed etiam illa, quæ est injuriosa personæ Clerici, sive talis percussio fiat immediatè, vt quando aliquis infligit alapã Clerico; vel immediatè, vt cùm percutit ense, vel baculo, vel alio instrumento tangente personam Clerici, vt cùm injicit in Clericũ salivam, aut pulverem; vel etiam tangendo rem ipsi personæ Clerici conjunctam, vt si vi raperet aliquid de manibus Clerici, vel à corpore illius; nã ibi includitur violentia: vel quando includit eum in carcere, vel in alio loco, à quo sine dedecore, & pudore non potest exire: similiter si Clerico equitanti aliquis violenter apprehenderet frænum equi, vel si abscinderet cingulum ephippii, vel si ita furiosè insequatur Clericum, vt cogat præcipitè se dare in fluvium, vel in aliud discrimen ad liberandum se. At verò si Clericus fugiens cadat, & vulneretur, insequens illum non incurrit excommunicationem: nam illa vulneratio, nec fuit intenta in seipsa ab insequente, nec in sua causa, scilicet, in fuga, quæ per accidens se habet ad talem percussionem. Nota, quòd non incurrit, qui occidit veneno in cibo, vel potu: quia non infert vim personæ, sed naturæ: secùs si per vim faceret sumi venenum.] Ita Emanuel, & dicit, ita respondisse præcipuos Doctores, & Magistros Salmanticæ.] Hæc Avila.

2. Sed contrariam sententiam docet Fragos. *de Rep. Chr. tom. 2. lib. 1. disp. 2. §. 1. n. 18* Cast. Palaus *to. 6 disp. 3. punct. 23. §. 2. n. 2.* Filliuc. *tom. 1. tr. 11. c. 5 n 162.* Molina *tr. 3. disp. 51.* Suar. *de cens. disp. 5 sect. 1. n. 13.* & Machado *tom. 2. lib. 4. par. 1. tr. 14 docum. 3. n. 3.* ubi sic ait: [Queda pues dudoso, y controverso entre los Dottores; si el que mata à alguna persona ecclesiastica con veneno, incurra en esta descomunion? Avila, y otros Dottores, que en su favor alega, sienten que no: porque aunque el agravio, que se le haze, es grãde, no es con violencia de manos, que es lo que principalmente prohibio este sagrado Canon. Però la mas comun, y recebida opinion es, que incurre en ella; fundase, en que semejante accion viene à ser en su efectò mas violenta, y injuriosa, que darle de palos, bofetones, *&c.*] Ita ille. Non est igitur admittenda opinio Avilæ, quam præter citatos DD. refellit etiam Squil. *de priv. cleric. c. 6. n. 55.* Megala *in 1. p. inst.* Pereg. *lib. 5. c. 14. n. 11.* & alii. Ad id verò, quòd Avila asserit, Rodriq. & Doctores Salmanticenses suam sententiam docere; ego apud Rodriq. non invenio, qui tantùm ait, Monialem procurantem abortum non incidere in censuram, quod ego concedo, vt alibi dixi: & est dispar ratio inter utrumque casum: nam in casu Monialis, illa actio non est injuriosa personæ, & statui: sed tantùm injuriosa fœtui: in casu verò, de quo loquimur, est actio injuriosa personæ, & statui: ergo. Et ita, præter DD. citatos, hanc sententiam tenet Hieron. Garc. *in Sum. tr. 1. diffic. 3. dub. 1. punct. 2. n. 18* ubi sic ait: [Però preguntara alguno: El que mata cum veneno, incurrirá en la censura deste Canon? Rodriquez, Avila, con otros que citan, dizen que no: porque aunque el agravio, que se haze al Clerigo, es muy grande, però no es con violencia de manos, que es lo que principalmente prohibe el Canon. Però no ostante lo dicho, respondo con la comun de los Dottores, que incurrira este tal: porque esta accion no puede ser mas violenta, pues desata el alma del cuerpo, y destruye el compuesto del hombre; y assi mas violenta, y injuriosa le es al Clerigo, que si le dieran vn bofeton, ò le arrojaran polvo, ò agua: y pues por estas acciones se incurre, à fortiori se ha de incurrir por cosa que causa muerte; y si es Clerigo el que da el veneno y muere la persona, no gozarà de la immunidad ecclesiastica: però non incurrira la muger preñada, que toma veneno para mater el fœtus, porque en este caso, solo se haze violencia à la criatura, y no à su persona.]

3. Nota tamen cum Squill. *loco cit.* & Suar. contra Bejam *p. 1. cap. 46.* & Naldum *verb. Clericus, n. 29.* propinantem venenum Clerico hanc censuram non incurrere, antequàm venenum operari incipiat: nam anteà non aderat actio violenta, cùm venenum sine vlla vi fuerit exhibitum, vt suppoximus. Vnde hinc intraret quæstio, si talis isto medio tempore confiteretur, vel eliceret actum contritionis, incideréne postea, veneno operante, in censuram? Sed de hoc *alibi.*

Alibi in res. quæ hic est sup 29. & in aliis ejus not. 1, & etiam 2.

RESOL. XXXIII.

An percutientes Clericum mortuum incidant in censuram? Ex p. 9. tract. 4. Res. 39.

§. 1. NEgativè respondet Decius apud Naldum, *verb. Sepultura, n. 5* & Henriq. apud Thesaurum, *de pœnis Eccl. p. 2. vers. Injuria, c. 2. vers. Ampliatur secundo* Et hanc opinionem sustinet etiam Iacobus de Graffiis *vol. 1. cons. 7. de sent. excom n. 9.* & Pater Leone *de cens. recoll. 5. n. 55.* ubi sic asserit: [Non ea ratione, quia Clericus mortuus non habeat Ordines; nam etiam Novitius, & conversus non habent Ordinem, & tamen gaudent dicto privilegio Canonis; sed quia cadaver non est homo.] Quasi dicat: Qui non habet Ordinem, ex eo potest gaudere hoc privilegio, quia est persona Ecclesiastica: sed homo, & non cadaver, potest esse persona Ecclesiastica, quia vivus, & non mortuus, est de jurisdictione Ecclesiæ: ergo. Ex qua ratione hæc opinio redditur valdè probabilis; nam, quando dicitur ab adversariis, quòd mortuo etiam fiat injuria, conceditur totum: negatur autem, quòd dicta injuria fiat personæ Ecclesiasticæ, provt requiritur ad incurrendam hanc excommunicationem. Adde; quòd ex eo, quia talis injuria non fit personæ Ecclesiasticæ, nec habenti Ordinem, quia character imprimitur in anima, ex tali percussione non infertur injuria statui Ecclesiastico: quod etiam requiritur ad effectum incidendi in hanc excommunicationem.

Sup. hoc in tom. 8. tr 6. res. 6. §. 1. post med.

2. Sed alii Doctores affirmativæ sententiæ adhærent. Dicendum est itaq; quòd non solùm Clericus, & Religiosus vivès gaudet hoc privilegio: sed etiam, secundùm aliquos, post mortem, in tantum quòd injiciens manus violentas in eorum cadàvera, incideret in excommunicationem: nam mortuo etiam fit injuria, & violentia. Et ita, præter Naldum, & Thesaurum, *locis cit.* tenet Toletus *lib. 1. cap. 32. n. 15.* Squill. *de priv. Cleric. c. 6. n. 36.* Carolus de Grassis *effect. 9 n. 140.* Baiard. ad Clarum, *§. fin. q. 10. n. 16.* Bellettus *de favor. Cler. can. §. 1. n. 12.* & Villalob. *in Sum. tom. 1. tr. 17. diffic. 22. n. 16.* sic asserens: [Ha se de advertir acerca desto, que por este privilegio quedan descomulgados todos los que ponen manos en las dichas personas Ecclesiasticas, ora esten vivos, ora mortuos.] Ita ille, quibus omnibus adde amicissimum Episcopum Sperellum *tom. 1. dec. 45. n. 56.* qui citat Brunum, Marsilium, & Duenam.

RESOL. XXXIV.

An percutiens Clericum per jocum, si aliquantulum excedat, incurrat in censuram? Ex p. 9. tr. 4. Res. 43.

§. 1. AD hunc casum sic respondet Villalobos *in Summa, tom. 1. tract. 17. diffic. 22. num. 3.* [Hai muchos casos en los quales, el que hiere al Clerigo, ò Frayle, no està descomulgado, por no ser la accion ilicita. El primero es, quando se estavan burlando, aunque aya sido algo demasiado, como se dize en un texto: porque esto no se haze, *Suadente Diabolo*, y lo mismo es, quando se hizo à caso, como dize otro texto.]

Sup. hoc sup. in res. 1. §. vlt. inter princ. & med. vers. Vel à fortiori causa joci.

2. Sed ego circa ipsius dictum adducam ea, quæ

observat contra Coriolanum Laurentius Portel *in dubiis Regul. verb. Manus violenta in Addit. n. 4.* ubi sic ait: [Si duo Religiosi per jocum, sive jocando, se ad invicem percutiant, non incurrunt censuram, vt patet: & hoc est verum, etiamsi in joco sit excessus, & paritèr in percussione. Ita Franciscus Longus *in suis casib. reser. casu 10. n. 17. & c. 1. de sent. excom.* At in prædicto capite non fit mentio, si excedatur in joco, vel in percussione: solùm dicitur absolutè, non esse excommunicatum illum; qui percussit Clericum per jocum. Ego tamen dictum Authoris istius non condemno, in quãtum constet percussionem illam inceptam in joco, taliter crescere vt nunquam perveniat ad peccatum mortale: scio enim, posse cum aliquo motu iræ non plenè considerato percussionem inceptam à joco, devenire ad solum peccatum veniale ex defectu plenæ advertentiæ. At scio in re morali posse aliquando actũ eundem numero, materialiter in initio esse primò primum, ita, vt nec sit peccatum veniale. Deinde lucescente aliquantulùm magis ratione, posse eundem actum esse peccatum veniale, adhuc deficiente plena consideratione. Tertiò, affulgente magis rationis radio, posse eundem actum esse peccatum mortale, propter jam plenam advertentiam. Quæ omnia possunt contingere in percussione incipiente per jocum, maximè si fiat excessus in percussione non consueta in joco: & talis poterit inde oriri inquietudo, vt consulendum sit saltem pro foro interno ad cautelam petendam esse absolutionem.] Ita ille, cui ego adhæreo.

RESOL. XXXV.

An qui intendit percutere Caium Clericum. & facta diligentia percussit Titium Clericum, incidat in censuram?

Et in exemplum adducitur, quod proficiens lapidẽ, vt percuteret Sempronium Clericum, & casu inculpabiliter percussit Titium etiam Clericum illuc tunc transeuntem, is enim non incidit in censuram, nec inde morte sequuta, contraxit irregularitatem.

Et quod si percuteret laïcum in eo casu, non incideret in censuram, quamvis intentio fuerit percutiendi Clericum.

Et quod mandans occidere Petrum, si mandatarius occidat Ioannem, non incurrit mandans irregularitatem ortam ex homicidio voluntario. Ex p. 9. tract. 4. Resol. 31.

Sup. hoc sup. in Resol. 25. §. vlt. ad lin. 7. & vers. Cæterũ si quis. & in Resol. 1. propè finem, vers. quod si Ioannem. & inf. in tr. 8. Resol. 3 ex doctrina §. vlt. in fin. vers. Et quidem.

§. 1. AFfirmativè respondet Vega *in Summa, tom. 1. c. 85. casu 107.* ubi sic ait: [Pregunto, Alonso pensando que heria à Iuan Clerigo, hiriò à Pedro que lo era, empero si le conoceria no le hiriera, porque à solo Iuan tenia por enemigo: si cayò en descomunion por aquel Canon, *Si quis, suadente Diabolo* Ratio dubii est, porque si hiriera à Iuan topandole en abito secular, con esta ignorancia provable, y le hiriera por no conocerle, que era Clerigo, no cayera en descomunion, aunque con mas mal animo lo hiziera? Resp. Que esta descomulgado por aquel Canon, pues no ay ignorancia, pues sabe, que à quien hiere, es Clerigo: y assi la dicha ignorancia no es en este caso causa de algun acto involuntario, y assi en ninguna manera escusa de la pena del Canon, como elegantemente lo dize Santo Thomas *2. 2. q. 67. art. 1.* con lo dicho concuerda tambien Ledesma *de descom. diffic. 17. col. 1062.* Iacobo de Graffis *lib. 2. cap. 45. n. 17.* Covarruvias *in cap. Alma mater, de sent. excom. 1. p. §. 10. n. 15.* Fray Manuel Rodriquez *1. tom. cap. 80. concl. & n. 11.* los quales Autores concuerdan etiam diziendo, que el que hiere al secular, pensando ser Clerigo, no incurre en esta pena, porque esta pena precissamente se pone contra el que hiere al Clerigo; ni basta la voluntad, e intencion, sin esta accion exterior.] Ita ille.

2. Sed negativa sententia visa est probabilior Patri Fragoso *de Repub. Christ. tom. 2. lib. 1. disp. 2. §. 1. n. 36.* sic asserenti: [Si occidens facta diligentia, vt occideret Petrum, occidit Paulum: ratio, quia, vt suppono, sufficientem adhibuit diligentiam, ne occideretur alia persona, nisi Petrus: cùm ergo actio illa exterior respectu Pauli non fuerit voluntaria, sed merè casualis, & inculpabilis, non induxit censuram, cùm non fuerit causa illius. Item solus affectus percutiendi Clericum Petrum fuit voluntarius, sed affectus malus non est sufficiens ad excommunicationem, seu irregularitatem inducendam: atqui opus externum respectu Pauli fuit involuntarium: igitur affectus voluntarius non sufficit, quando opus externum involuntarium sequitur. Suarez *de cens. disp. 22. sect. 1. n. 54.* Confirmatur argumento projicientis lapidem, vt percuteret Sempronium Clericum, & casu, & inculpabiliter percussit Titium etiam Clericum, illuc tunc transeuntem: is enim nec incidit in censuram, nec morte inde sequuta contraxit irregularitatem. Iuvat Molina *de iust. tr. 3. disp. 53. n. 3.* vbi putat, tanquàm probabilius, non incidere in excommunicationem illum, qui credens se occidere Sempronium Clericum, occidit Titium Clericum ignorans invincibiliter illũ esse Clericum. Nam, quamvis voluerit Clericum interficere, ignorabat invincibiliter hunc esse talem: sicut etiam excusatur à censura volens percutere hunc Clericum, si aberret ab eo, & præter intentionem percutiat alterum proximè adstantem. Ægidius Coninch *dub. 15. n. 197.* ita in nostro casu, cùm respectu alterius Clerici actus ille exterior fuerit involuntarius, & merè casualis, ac præter intentionem. Probatur tandem: quoniam, si percuteret tunc laïcum, in eo casu non incideret in censuram, quamvis intentio esset percutiendi Clericum Covarruvias *in cap. Alma mater, 1. p. §. 10. n. 15. vers. vlt.* ergo similiter in nostro casu. Vide etiam Portel. *in dubiis verb. Manus violenta, n. 9.* ubi distinguit, & sic asserit: Si taliter percutiens fecit omnem diligentiam moralem, ne alia persona ibi subesset, nisi Petrus Clericus; tunc non incurrit: quia tunc illa percussio circa Ioannem fuit omninò involuntaria, & casualis: secùs si non fecit talem diligentiam. Ego pro parte negativa etiam adduco hoc aliquale exemplum. Nam Congregatio Cardinalium super Concilium Tridentinum anno 1587. declaravit, quod mandans occidere Petrum, si mandatarius occidit Ioannes, non incurrit mandans irregularitatem ortam ex homicidio voluntario. Ita habetur *in 4. tom. Declarationum, impresso ex Bibliotheca Farinacy, fol. 41. col. 1. in fine.* Si ergo taliter mandans non incurrit pœnam irregularitatis, quia non est occisus, quem intendebat; videtur etiam, quòd in nostro casu non incurret pœnam excommunicationis occidens Ioan. Clericum, quia non occidit Clericum, quem intendebat.] Ita ille.

RESOL. XXXVI.

An percutientes Clericum Sacris Ordinibus initiatum, cum quo fuit dispensatum à Pontifice, vt posset contrahere matrimonium, antequam illud contrahat, an, inquam, illum percutientes incidant in censuram?

Ex quo infertur, an professus, cum quo dispensatum est ad nuptias, teneatur ad Officium divinum, recitandum, quod idem dicendum est de Sacerdote cum prædicta dispensatione?

Et obiter quæritur, an degradatus ad pensum Horarum Canonicarum adstrictus sit? Ex p. 9. tract. 4. Resol. 40.

§. 1. NEgativè respondendum videtur ex doctrina Sanch. *de matr. lib. 8. disp. 8. n. 11.* ubi sic ait: [Dubitari potest, an Professus hic, cum quo dispensatum est ad nuptias, teneatur ad Officium diuinum recitandum? Rodriq. asserit, eum teneri ad Horas, antequã ad nuptias transeat: secùs vbi jam transiit. Ducitur, quòd ante

ante eum transitum non desierit esse Religiosus; cùm nondum statum incompatibilem assumpserit, per quem status Religiosus destruatur. Et hujus signum est: quia, si mutato proposito nollet uti dispensatione, maneret utique Religiosus novo alio actu; nec illi permitteretur in sæculo diu permanere, conjugium differendo. Verùm existimo, ab eo tempore, quo hic Habitum monachalem exuit, induens vestes sæculares, ut dispensatione utens, matrimonium ineat, eum liberari à recitandi obligatione; sicut & à cæteris monasticæ vitæ oneribus: quia cùm jam sit justè extra Monasterium, ac monasticam vitam, ab ejus oneribus eximitur, sicut & de ejecto à Religione fatentur Doctores. Quare hinc infero, Sacerdotem, cum quo dispensatum est, ut matrimonium ineat, teneri ad Officium divinum, dum Habitum non mutat ad utendum dispensatione, quòd nondum à statu sacerdotali recessit; & potest interim celebrare, ac beneficij fructibus frui, ac cæteris Clericorum privilegiis: secùs autem, ubi Clericatum deserit, habitum sæcularem induens, ut utens dispensatione, ad nuptias transeat; quòd jam translatus sit ad statum sæcularem, solo indelebili charactere manente; nec gaudeat privilegiis Clericorum: quare similiter debet manere ab oneribus exemptus Sacerdotio annexis. Nec est simile de degradato, quem omnes fatentur clericalibus privilegiis destitui, & tamen ad pensum horarium adstringi: quia hic ob suam culpam privilegia amittit; & ideò ne ex ea commodum reportet, tenetur ad onera.] Ita ille.

2. Sed contrarium docet Squillante *de priv. Cler. c.7.n.39.* quia antequàm contrahatur matrimonium à dicto Clerico in sacris, licèt solùm relinquat Habitum clericalem ad finem contrahendi matrimonium ex jam obtenta dispensatione, & non sit assumptus status contrarius, & incompatibilis Clericatui, ita frui non possit omnibus clericalibus privilegiis, ac etiam reassumere Habitum, ut non teneatur ad onera sacris Ordinibus annexa. Ideò dicerem, quòd post contractum matrimonium propter statum contrarium, & incompatibilem assumptum, talis Clericus non gauderet clericalibus privilegiis; cùm tunc nec ad onera annexa sacris Ordinibus teneatur: quamvis teneri ad onus recitandi Horas canonicas, etiam post contractum matrimonium ex Summi Pontificis dispensatione, asserat Bonacina *de Horis canonicis, disp. 1. q. 2. punct. 3. n. 5.* secùs autem dicerem, antequàm matrimonium contrahat, licèt reliquerit Habitum clericalem post obtentam dispensationem, cùm nondum sit assumptus contrarius Clericatui; in tantum quòd, si isto medio tempore committeret aliquod delictum, deberet cognosci, & puniri ab Ecclesiastico. Et ideò in terminis nostris de privilegio Canonis hoc etiam docuit idem Squillante *cap. 6. num. 20.* ubi ad *superiùs* dicta de privilegio fori se remittit.

Sup. hoc inf. in Res. 40 ad med. & in Res. 42. §. Notandum est, & lege Res. & §§. not. 1. huius Res. 2.

RESOL. XXXVII.

An qui percutit Clericum incorrigibilem, incidat in censuram?

Et an talis, Clericus amittat privilegium fori?

Et notatur, quòd excluduntur ab hoc privilegio Canonis Clerici Ioculatores, Goliardæ, aut Bufones, si per annum huic ignominioso officio vacaverint.

Etiamque excluduntur exercentes officium Carnificum, Macellariorum, Tabernariorum, modo conjugati sint, vel habitum Clericalem dimiserint.

Et an si conjugati non sint habitumque Clericalem retineant privilegio Canonis, & fori quoad personas non priventur, sed solum quoad eorum bona?

Et an Clerici excommunicati, etiam denunciati, & vitandi, suspensi, interdicti, irregulares, vel etiam depositi verbaliter, gaudeant hoc privilegio Canonis? Exp. 9. tr. 4. Res. 13.

§. 1. AFfirmativè respondet Layman *lib. 1. tr. 5. part. 2. cap. 5. num. 4.* & alij, quos citat, & sequitur Castrus Palaus *tom. 6. disp. 3. punct. 23. §. 1. n. 11.* asserentes, Clericos in Sacris constitutos privilegio fori gaudere, quousque degradentur realiter, vel per sententiam Iudicis eo privilegio denudenter. Colligitúrque *ex cap. Cùm non ab homine, de judiciis*, ubi post incorrigibilitatem remittitur potestati sæculari Clericus puniendus. Non igitur ipso jure ob incorrigibilitatem privilegio fori privatur. Consentitque cap. *Ut famæ 35. de sent. excom.* ubi laicis conceditur potestas capiendi incorrigibiles, non tanquàm propriis Iudicibus, sed tanquàm Ecclesiæ ministris, cui illi Clerici adhuc subjecti sunt. Putant igitur hi Doctores contra Covatruviam, Clarum, & alios, ad hoc ut Clericus amittat privilegium fori, & Canonis, requiri necessariò authenticam declarationem incorrigibilitatis, & regulariter sententiam degradationis, seu privationis. Vide etiam Villalobos *t. 1. tr. 17. diffic. 22. n. 14.*

2. Sed plus addit Suarez *de censur. disp. 22. sect. 2. n. 10.* Riccius *par. 4. decis. 102. n. 5.* & Squill. *de privileg. Cler. c. 6. n. 11.* quòd post prædictam declarationem talis Clericus non est omninò clericali privilegio privatus, ita ut censuram evadat, qui ipsum percuteret; cùm solùm in d. cap. *Cùm non ab homine*, limitatè dicitur: *Per sæcularem potestatem corrigatur.* Vnde respectu aliorum minimè auferri videtur immunitas Clericatus. Verum Fragosus *de Repub. Christ. t. 2. lib. 1. disp. 2. §. 1. n. 26.* putat Clericum dimisso Habitu, & Tonsura clericali in enormitatibus se intromittentem, privilegium Canonis perdere; non tamen privilegium fori: quia privilegium fori est indultum à jure divino, cap. *Quamquam de censibus, in 6.* Glossa penult. *in c. Si Imperator. 96.* Socinus *cons. 12. num. 20. vol. 1.* Rolandus *cons. num. 30. volum. 1.* & alij, quibus accedit Bellett. *disquis. cleric. part. 1. tit. de favore clericorum Canonis, §. 2. n. 44.* Deperdi autem privilegium Canonis propter enormitates, quibus Clericus se immiscet, illa est ratio quia est privilegium à Iure positivo indultum. Ita citati Authores, & Paulus Comitolus *respons. mor. lib. 1. quæst. 96.* Tiraquellus *de pœnis temper. caus. 49. n. 36. & 37.* Carolus de Grassis *de effectibus clerical. effectu. 9. n. 212.* Sayro *de cens. cap. 27. n. 9.* & alij quos sequitur Barbosa *in cap. Perpendimus 23. de sent. excomm.*

Sup. hoc in Resolutionibus not. præteritæ. Et pro privilegio fori contento in hoc textu latissimè in t. 9. tr. 2. Res. 162. & signanter in §. His suppositis. & in aliis annotationib. dictæ Res.

3. Nota tamen hìc, quòd excluduntur ab hoc privilegio Canonis Clerici Ioculatores, Goliardæ, aut Bufones, si per annum huicignominioso officio vacaverint argum. c. unic. *de vita, & honest. Cler. in 6.* & tradit Suarez *disp. 22. de cens. sect. 1. n. 14.* Layman *lib. 1. Summ. tract. 5. part. 2. cap. 5. n. 5.* Molina *tr. 3. disp. 54. n. 6.* & alij. Excluduntur etiam exercentes officium Carnificum, Macellariorum, Tabernariorum, modò conjugati sint vel Habitum clericalem dimiserint, atque ter moniti ab Episcopo non destiterint, vel, si postquàm destiterint, idem officium reassumunt. Quòd si conjugati non sint, Habitúmque clericalem retineant, privilegio Canonis, & fori, quoad personas non privantur, sed solùm quoad eorum bona, ita ut eorum negotium non sit defendendum à Iudice Ecclesiastico, & instar sæcularium soluere debeant tributa. Sic habetur *Clem. de vita, & honest. Cleric.* & docent Doctores citati penes Fragosum *num. 28.* & Palaum *n. 8. & 9.*

4. Verùm dicendum est, quòd Clerici excommunicati, suspensi, interdicti, irregulares, vel etiam depositi verbaliter, gaudent hoc privilegio. Ita Graffius *part. 1. lib. 2. cap. 49. n. 30.* Squillante *c. 6. de privileg. Cler. n. 13.* Hæc conclusio quoad primam partem de censuratis exenditur

Sup. his inf. in Res. 42. §. Notandum, post medium, vers. De Clericis, & pro parte in Res.

40. propè finem.

extenditur etiam ad denunciatos, & vitandos. De depositio verbaliter aliqui censent percuti posse sine pœna excommunicationis: sed tu contrarium dic cum suprà dicta Gloss. fin. *in c. Degradatus*, & cum Gloss. ordinaria *in c. dictum, ver. Saculariter*, 81. *dist.* quamvis alia Gloss. *ibid.* addat, hoc non credere, existimans per depositionem privilegium amitti. Sed non est hoc dicendum, cùm nullibi sit in Iure cautum: & cap. *Cùm non ab homine, de jud. in fin.* tantùm concedit licentiam Iudici sæcelari, ut illum punire possit, quæ licentia, cùm sit odiosa, non est extendenda. Et hæc omnia docet Leone *de cens. recoll.* 5. *n.* 43. Megala *in* 3. *p. instit. Confess. lib.* 4. *c.* 2. *q.* 4. *n.* 36. & alij.

RESOL. XXXVIII.

An percutiens Clericum realiter degradatum incidat in censuram?

Ex quo infertur, an degradatus, si de facto celebraret, conficeret verum Christi corpus?

Et an si degradatus restituatur, vel si degradatus moriatur, & resurgeret, deberet iterum Ordinari? Ex part. 9. tractatu 4. Resol. 29.

§. 1. Affirmativè respondet Martha *de jurisd. p.* 2. *cont.* 2. *cas.* 132. *n.* 1. ubi sic ait: [Percutiens degradatum actualiter, incidit in excommunicationem cap. *Si quis suadente diabolo* 17. *q.* 4. ut tenet Gloss. & Doctores, *in c.* 2. *de pœnis, lib.* 6. Gloss. *in c. Accidens dist.* 50. & *c.* 2. *dist.* 54 & *c. Dictum dist.* 81. Bert. *in tr. de Episcop. p.* 4. *tit. de causa finali, & effectu degradationis, n.* 2. & ratio est: quia semper retinet Ordines, & remanet character, ratione cujus, si de facto celebraret, conficeret verum Corpus Christi, ut tenet Ioan. Andreas *in novell.* & ibi Abbas *in c.* 1. *n.* 11. *qui Cleric. vel vovemes matrim. contrah. poss.* Et hæc est communis opinio omnium Theologorum, ut attestatur Abbas *in dict. c.* 1. *in fine.* D. Thomas *in* 3. *p. summæ, q.* 83. *art.* 8. concludit potestatem consecrandi Eucharistiam pertinere ad characterem sacerdotalis Ordinis: character autem quilibet, qui cum aliqua consecratione datur, indelebilis est; sicut quarumcumque rerum consecrationes perpetuæ sunt, neque possunt amitti, vel reintegrari. Ideò, si degradatus restituatur, non debet iterum ordinari, cap. *Si Episcopus* 11. *q.* 3. Speculator *in rit. de dispensationibus*, §. *nunc de Episcoporum, vers.* 65. Berthachinus *in dict. part.* 4. *num.* 6. Idem, si degradatus moreretur, & posteà resurgeret, non deberet iterum ordinari, Gloss. *in cap.* 2. 32. *quæst.* 7. Andr. Sicul. *in capit. Non potest, de re judic.* Doctores *in cap. Degradatio, de pœnis, lib.* 6. Et hæc est vera, pia, & sacrosancta opinio, quidquid alij senserint in contrarium.] Hucusque Martha.

Sup. hoc in r. 4 tr. 8 lege doctrinam Resol 23 & alterius Resol. ejus secundæ not. signanter ante medium, §. Negativam, à vers. Quia alias.

2. Sed fallitur, ut patet ex cap. *Degradamus, in fin. de pœn. in* 6. ubi per realem degradationem Clericus omni privilegio clericali privatur. Et ita tenet Navar. *in cap.* 27. *num.* 81. *vers. Nona.* Toletus *lib.* 1. *cap.* 34. *n.* 1. *vers. Sextus*, & alij. Nec est de hoc dubitandum, cùm in fine citati Canonis talis Clericus omni privilegio clericali privetur: & ita expressè tenet Gloss. fin. *in dicto cap. Degradatus*, & reprobat opinionem eorum, qui contrarium dixerunt, quam posse habere locum dicit in verbotenus depositio; non autem in actualiter degradato, qui omne privilegium amittit, unde falsò Glossa illa citatur à Martha pro contraria sententia, ea motus ratione; quia semper retinet characterem, & potestatem consecrandi: nam verissimum quidem est hoc; sed non idcircò sequitur retinere privilegium Canonis, cùm sint hæc longè diversa: etenim characterem, & potestatem consecrandi Sacerdos habet à jure divinino; sed privilegium Canonis habet ex concessione Summi Pontificis, & ab eodem tollitur per degradationem. Et ideò nostram sententiam, præter Navarrum, & Toletum, tenet Leone *de censur. recollect.* 5. *n.* 241. & alij communiter. Quando igitur Rodriq. *in Summa, tom.* 1. *cap.* 144. *num.* 15. asserit, Clericum degradatum non amittere privilegium Canonis, intelligendus est de Clerico verbaliter degradato, non autem de denudato realiter.

RESOL. XXXIX.

An percutiens Apostatam incidat in censuram?

Et quid, si dimiserit habitum suæ Religionis, & Ecclesiasticum, & percutiens sciat esse Apostatam?

Et an Novitius, si maneat extra Conventum cum habitu suæ Religionis, & licentia Superioris, etiam si illicitè, & absque justa causa fuit dicto Novitio à Superiore concessa præfata licentia, gaudeat privilegio Canonis?

Et notatur, quòd non solùm conversi laici oblati, seu donati, qui veram professionem emittunt, sed etiam ij, qui se suaque Monasterio tradiderunt, & in ipso vivunt, habitu aliquantulum mutato, gaudent privilegio Canonis?

Et quid est dicendum de percutiente manifestè Clericum Hæreticum, an censuram incurrat, etiamsi non traditus sit brachio sæculari. Ex part. 9. tr. 4. Resol. 12.

§. 1. Affirmativè respondet Leone *tr. de censur. recoll.* 5. *n.* 37. ubi sic ait: [Religiosi profes. si gaudent dicto privilegio, etiamsi maneant extra clausura sine Superioris licentia, vel quoque si sint Apostatæ. Et Novitij etiam si manerent extra conventum cum Habitu, & licentia Superioris: quia, cùm ex hoc non interrumpatur Novitiatus, adhuc esset Novitius, ut latè post alios habetur per Bartholomæum de Vecchis *in sua Praxi pro Novitiis. disp.* 11. *dub.* 3. *n.* 10. ubi id extendit, etiamsi illicitè, & absque justa causa, fuit dicto Novitio à Superiore concessa præfata licentia. Quando autem dixi, quod Apostata à Religione, cùm jam sit professus, semper retineat privilegium Canonis, intelligitur non solùm si retineat habitum, vel suæ Religionis, vel saltem clericalem, sed etiamsi dimiserit habitum suæ Religionis, & Ecclesiasticum, & percutiens sciat esse Apostatam.] Itaque, cui adde Baunium *in Theol. mor. tom.* 2. *disp.* 5. *tr.* 4. *q.* 2.

2. Notandum est etiam hîc obiter, quod non solùm Conversi, Laici, Oblati, seu Donati, qui veram Professionem emittunt, (cùm sint verè Religiosi) sed etiam ij, qui, ut dictum est, se, & sua Monasterio tradiderunt, & in ipso vivunt, habitu aliqualiter mutato, gaudent privilegio Canonis, *Si quis suadente*. Ita ut illos percutientes in excommunicationem incidant: sunt enim, ut dictum est, personæ Ecclesiasticæ. Quod secùs videtur dicendum de iis, qui in domo sua manent. Et ita docet Lezana *tom.* 2. *c.* 8. *n.* 6. Rodriquez *tom.* 3. *q.* 21. *art.* 4. & Fragosus *de Regul. Christ. tom.* 2. *lib.* 1. *disp.* 2. §. 2. *n.* 46. ubi tradit, personas deputatas, & donatas perpetuò alicui Ecclesiæ, sive sæculari, sive regulari, saltem si gerant Habitum aliquo modo religiosum, quamvis non voveant tria substantialia vota, censeri Ecclesiasticas personas, & gaudere privilegio Ecclesiastico Canonis, & fori.

3. Sed quid dicendum de percutiente Clericum manifestè hæreticum? Respondeo, in censuram non incurrere, etiamsi non sit traditus brachio sæculari. Ita Villalob. *in Summa, t.* 1. *tr.* 17. *diffic.* 22. *n.* 7. Portel. *in dubiis Regul. verb. Manus violenta, num.* 4. & alij.

RESOL.

RESOL. XL.

An percutientes Clericum damnatum ad triremes incidat in censuram?

Et docetur, quod in hoc casu, quando comes, & Magister triremis percutit Clericum sicut reliquos remigantes, non incurrit excommunicationem; secus verò si ille, vel alius rixando cum illo percutit eum.

Et quid, si prædictus Clericus damnatus ad triremes sit incorrigibilis? Ex p.9. tract.4. Resol.17.

§.1. AD hunc casum sic respondet Avila *de cens. p.4.disp.unica,dub.1.concl.1.* [Vtrùm comes, magister tritemis, scilicet, *Comite de galera*, percutiens Clericum degradatum verbaliter, vel depositum damnatum ad triremes, incurrat excommunicationem Canonis. *Si quis suadente*? Respondeo, quòd si percutiat illum, sicut reliquos remigantes, propter pertinentia ad suum officium, non incurrit: nam id facit tanquàm minister,& executor Prælati,qui damnavit illum ad triremes: consequenter enim damnavit eum ad supplicium, quo puniri solent reliqui remigantes. At verò si aliquis rixando cum illo percutiat eum, qui neque est degradatus realiter, neque incorrigibilis,incurret excommunicationem. Ita ille. Verum id,quod ipse asserit, tales ad triremes damnatos, si sint incorrigibiles non gaudere privilegio Canonis, habet magnam difficultatem: nam contrarium firmat Suarez, & alii, quos *suprà* adduximus, agentes de percutientibus Clericos incorrigibiles. Et miror, Avila quo pacto hanc sententiam docuerit, cùm ipse teneat, quòd amittentes privilegium fori, non amittant privilegium Canonis: & ideò apponam hîc verba Coninch *de Sacr.disp.14.dub.15.n.159.* sic asserentis: [Addit Navarr. *cap.27. n.9.* idem dicendum esse de quovis Clerico incorrigibili, probátque *ex cap. Cùm non ab homine 10.de judiciis*: sed ibi tantùm dicitur, Clericum deprehensum in furto, homicidio, perjurio, aut simili crimine, deponendum esse & si incorrigibilis sit, excommunicandum, & crescente contumacia,anathematizandum; & si hæc contempserit, per sæcularem potestatem corrigendum. Ex quo non sequitur, quamvis incorrigibilem, sed eos solos, qui post illos omnes actus incorrigibiles persistunt,per sæcularem potestatem comprimendos esse. Imò etiam tunc videtur requiri sententia Judicis Ecclesiastici, qui tales brachio sæculari tradat, vt colligitur *ex cap. Vt famæ 35 de sentent. excomm.*] Ita ille. Meritò igitur dixit Rodriquez *in Summa,to.1. cap.144.n.15.* [Goza del *cap. Si quis suadente*, el Clerigo descomulgado,ò condenado à galeras: por tanto los comites que los açotan, sino lo hazen por causa de castigo, y correccion, quedan descomulgados.] Vide etiam Leonem *de cens,recollect.5.n.241.* ubi docet, Clericos tantùm verbaliter degradatos, etiamsi sint damnati ad triremes, gaudere privilegio Canonis; & ideò si comites excedant modum in verberando, incidunt in censuram.

RESOL. XLI.

An percutiens Clericum, qui non habet beneficium,neque requisita Concilij Tridentini, incurrat in excommunicationem? Ex part.3.tr.5.& Misc.1.Resol.83. aliàs 82.

§.1. AFfirmativè respondendum est, quia in tali casu Clericus amittit privilegium fori; non autem canonis, vt declaravit sacra Congregatio, id testante Antonio Cardinali Caraffa in quadam Epistola directa ad Paulum Comitolum, vt habetur *in suis resp.lib.6.q.20.* ubi sic ait. [Quanto al secundo, la Congregacione ha sentito, che i clerici, che mancádo nelle cose contenute nel *cap.6.sess.23.* del Concilio, no godano il privilegio del foro, no por questò s'intendono privati del privilegio del Canone, *si quis suadente Diabolo.*] Et ita etiam hanc sententiam docent Navarrus *lib.5.conf.24.de privileg.edit.2.* Molina *de justit. tom.4.tract.3.disp.54.num.9.* Avila *de cens. part.2. cap.1. disp.2.dub.9. concl.3.* & alii.

2. Sed non desunt Doctores, qui negativam sententiam tanquam probabilem admittunt, & ita tenent Bañez *in 2.2.q.12.art.1. circa finem.* Suarez *disput.22.sect.1.dub.11.* Coninch *de Sacram. disput.14. dub.15. n.163.* & novissimè Layman *in Theol. mor. lib.2.tract.5.part.2.cap.5.n.4.* ubi sic asserit. Probabile est, nullum prima tonsura initiatum, aut in minoribus ordinibus constitutum gaudere privilegio Canonis, nisi vel Ecclesiasticum beneficium habeat, vel Clericalem habitum, & tonsuram deferre solitus alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi deserviat, aut in aliqua schola,vel universitate,cum licentia Episcopi, quasi in via ad majores Ordines versetur. Ita ille, & rationem affert. Primò, quia privilegium fori difficilius amittitur quàm privilegium canonis; ergo si Concilium aufert illis Clericis fori privilegium, dicendum est etiam auferre privilegium Canonis, tanto magis, quia privilegium Canonis ex humano jure inductum est, privilegium verò fori ex divino; at his non obstantibus tu primam sententiam tene, stante declaratione Illustrissimorum Cardinalium.

RESOL. XLII.

An qui percutit Clericum constitutum in Minoribus si non incedat in habitu, & Tonsura, & non observet requisita Concilij Tridentini, sess.23. cap.6. de reformat. *incidat in censuram Canonis?*

Et notatur, quod excluduntur ab hoc privilegio Canonis Clerici, qui deserto habitu Clericali gravibus criminibus se immiscent inverecundè, quod à fortiori procedit, si in crimen assassinii inciderint.

Et quid de Clericis excommunicatis, suspensis, interdictis, vel depositis verbaliter tantum, aut irregularibus, an prædicti gaudeant privilegio Canonis?

Et quid est dicèdum de Clericis hæreticis,& schismaticis?

Et quid dicendum erit de Clericis ordinatis per saltum, ante legitimam ætatem vel per alienum Episcopum absque dimissoriis, vel cum dimissoriis falsis, vel per Episcopum excommunicatum suspensum, vel depositum? Ex p.9. tract.4. Resol.5.

§.1. NEgativè respondent aliqui, quos ego *alibi* citavi: sed affirmativæ sententiæ adhæsi, & nunc adhæreo, stante declaratione Sacræ Congregationis. Et ita hanc sententiam, præter Doctores à me *alibi* citatos, tenet novissimè, Fragosus *de Repub. Christ. tom.1.lib.1.disp.2.§.1.n.22.* & Castrus Palaus *tom.6. disp.3. punct.23. num.3.* quia jure communi Clerico in minoribus Ordinibus constituto concessum erat privilegium Canonis, tametsi alicujus Ecclesiæ servitio addictus non fuerit, neque in aliqua schola ex licentia Episcopi versaretur: at Tridentinum solùm restrinxit privilegium fori: ergo privilegium Canonis sub dispositione juris communis relictum est, juxta *leg. Præcipimus, C. de appellationibus*, sunt enim hæc privilegia omninò distincta.

Sup. hoc in Resol. prætexta,& in aliis ejus not. & lege §§. not. seq.

2. Neque obstat fundamentum contrarium, nam esto privilegium Canonis inferius sit privilegio fori; est tamen magis necessarium personis ecclesiasticis, & earum statui cùm gravius offendantur ex vexatione personali, quàm ex forensi judicio. Præterquàm quod privilegium fori cedit aliqualiter in diminutionem laicæ potestatis: at privilegiù Canonis in nullius

cedit præjudicium. Ergo mirum non est, plures conditiones pro privilegio fori requiri quàm pro privilegio Canonis. Tridentinum verò, si benè perpendatur, nobis contrarium non est : non enim dixit servandam esse Constitutionem Bonifacii VIII. *in cap. Clerici, de Clericis conjugatis, in 6.* pro omnibus Clericis, sed pro Clericis conjugatis : hi enim nec privilegio fori nec Canonis gaudent, nisi conditiones à Tridentino præscriptas observent. Vide etiam Leonem *tom. 3. verb. Clericus, n. 5.* Igitur Concilium tantùm Clericis aufert privilegium fori, unde per exclusionem unius videtur includere alterum, *arg. Nónne de præsumpt.* & *l. Cùm Prætor ff. de judiciis.* Et casus non expressus habetur pro omisso, quando lex de aliquo casu disponit, *l. si cum dote ff. sol. matrim. l. Inter stipulantem, §. Sacer. ff. de verb. obligat.* & cùm habeatur ibi casus hic pro omisso, recurrendum est ad dispositionem antiquorum jurium, quæ determinant, Clericum non deferentem Habitum, & Tonsuram non amittere privilegium Canonis, nisi trina monitione præmissa, *vt in cap. Cùm contingat, il secundo, de sent. excomm.* vel nisi ex alio capite privilegio clericali privatus sit.

3. Si quis tamen violentas manus injiceret in Clericum non deferentem Habitum, & Tonsuram, quamvis nulla monitio præmissa sit, si bona fide crederet, licere hos Clericos sine innodatione excommunicationis percutere, non esset excommunicatus, ratione hujus ignorantiæ : quia ignorantia sufficiens est ad excusandum à censura. Hæc opinio tamen procedit, si talis Clericus fuerit ter monitus à suo Episcopo, & non se emendavit, quæ monitio sufficeret, si esset generalis, puta, per Edictum Episcopi, vt omnes Clerici reassumant Habitum intra mensem ; & non sufficere unam monitionem pro tribus, addit Bonacina *de cens. disp. 2. q. 4. n. 6.* cum aliis per ipsum citati : nam *in cap Contingit, de sent. excomm.* dicitur : *Terà te moniti.*

Sup. hoc sup in resol. 3. n. 1. & 2. & in Resol. 40. ante med. & inf. in Resol. 46. §. vlt.

4. Notandum est etiam hic, quòd excluduntur ab hoc privilegio Canonis Clerici, qui deserto Habitu clericali gravibus criminibus, utpotè tyrannidi, & seditioni, aliisque facinoribus se inverecundè immiscent, *ex textu in cap. Perpendimus, c. Cùm non ab homine, de sent. excomm.* & notat Navart. *cap. 27. n. 81.* Suarez *disp. 22. d cens. sect. 1. n. 14* Coninch *disp. 14. dub. 15. n. 157.* quod à fortiori procedit, si in crimen assassinii inciderint, juxta *textum in cap. 1. de homicidio, in 6.* & tradit Sylvester *verb. Assassini, q. 3.* & 4. Covar. *lib. 2. var. cap. 20 n. 10.* Julius Clarus *§. finali, q. 36. n. 30.* Et ita, me citato, hanc sententiam docet etiam Squillante *de privil. Cleric. c. 6. n. 12.* De Clericis excommunicatis, suspensis, interdictis, vel depositis verbaliter tantùm, aut irregularibus, dicendum est, eos gaudere hoc Canonis privilegio, vt constat *ex c. Intelleximus, de judiciis.* Non autem Clericum hæreticum, aut schismaticum, vt docent DD. *in c. Contingit 1. de sent. excomm.* nam, cùm prædicti delinquant in legem Ecclesiæ ; non debent lege Ecclesiæ juvari. Et ita docet Squillante *de privil. Cleric. cap. 6. n. 13.* & *15.*

Sup. his in Resol. 1. not. præteritæ §. Verum. & in Resol. 2. pro parte, propè finem. Et pro Clerico hæretico sup. in Resol. 39. §. vlt.

5. Nota etiam, gaudere privilegio Canonis Clericum ordinatum per saltum : & idem dicendum est de ordinato, vel ab alieno Episcopo absque dimissoriis, vel cum dimissoriis falsis : nam tales verè recipiunt Ordinem, etsi maneant suspensi ab illius exequutione. Et ita docet Marchinus *de Sacram. Ordin. tract. 2. p. 1. cap. 15 diffic. 11.* Vnde miror, quomodo Bonacina *tom. 3. disp. 2. q. 3. punct. 6. sect. 3. sub n. 7.* neget hoc privilegium ordinato ab alieno Episcopo, *vt suprà*, dum ipsemet *ibid. disp. 1. q. 16. punct. 2. n. 5.* concedat eidem, ac etiam ordinato ab Episcopo excommunicato, suspenso, vel deposito, (idem dic de ordinato ante legitimam ætatem,) privilegium fori, quod minus difficulter amittitur.

RESOL. XLIII.

An qui percutit Clericum conjugatum non deservientem alicui Ecclesiæ, incurrat in censuram Canonis ?

Et quid de privilegio fori ?

Et an uxor Clerici conjugati, & filii eorum gaudeant privilegio Canonis, & fori mariti, & Patris incedentis in Habitu, & Tonsura ?

Et quid, si manus injectio fieret uxori supradicta in odium viri ; an tunc injiciens incurreret excommunicationem, ac si ipsum percuteret ?

Idem est, si percussio fieret in personam alicujus consanguinei Clerici, in odium ipsius Clerici.

Et an ad evadendum dictam excommunicationem sufficiat, si tempore, quo percutitur talis Clericus conjugatus, non ferat Tonsuram, vel non habeat vestes Clericales ?

Et notatur, quod Clericus conjugatus non bigamus, si dimittat Habitum, & Tonsuram, & postea illum reassumat, gaudet privilegio Canonis.

Ex quo sequitur, quod Clerici bigami, bigamia vera, & interpretativa in minoribus Ordinibus constituti omni privilegio denudantur ; secùs vero de bigamia similitudinaria, vt si Clerici bigami in Sacris initiati sunt, vel ex dispensatione, vel illegitimitate, hoc privilegio Canonis gaudent, & secus in minoribus constituti.

Idem docetur de Religiosis bigamis, etiam si habitum dimiserint, quare illos percutientes erunt excommunicati. Ex p. 9. tract. 4. Resol. 6.

§. 1. COntrovertitur inter Doctores, an, vt Clericus conjugatus gaudeat privilegio Canonis, sufficiat, quòd observet illas duas conditiones *cap. unici, de Cleric. conjug. in 6.* vt, scilicet, unicam, & virginem susceperit, & habitum, & Tonsuram gestet, vel etiam sit necessaria tertia conditio addita à Concil. Trident. *sess. 23. cap. 6. de reformatione*, vt nempe, sit quoque de mandato Episcopi adscriptus servitio alicujus Ecclesiæ ? nam Toletus *lib. 1. cap 32. n. 8.* Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 46. n. 2.* Gratianus *tom. 1. suarum discept. forens. cap. 190.* Duardus *lib. 2. cap. 15. q. 3. n. 5.* Coninch *disp. 14. n. 158.* Layman *lib 1. tract. 5. p. 2. cap. 5. n. 3.* affirmant : quod etiam docuit Ciarlinius *in contr. forens. tom. 1. cap. 53. n. 11.* ubi sic ait : [Vt Clerici conjugati gaudeant privilegio fori, & Canonis oportet eos incedere in Habitu, & Tonsura, *ad text. in cap. unicum, de Cleric. conjug. in 6.* & ulteriùs oportet, quòd inserviant alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi secundùm Concilium Tridentinum *sess. 13. cap. 6 de reform.* Et propterea hodie tria copulativè requiruntur ad finem, vt Clericus conjugatus potiatur beneficio Canonis, & fori : scilicet, Habitus, Tonsura, & servitium Ecclesiæ : quorum alterum si deficiat, absque alia monitione gaudere non potest prædictis privilegiis : supposito etiam, quòd contraxerit matrimonium cum unica, & virgine ; quia, si sit bigamus, nullum habet privilegium, & si non est bigamus, hæc tria copulativè requiruntur. Et propterea ad finem, vt conjugatus Clericus fruatur his beneficiis, debet, quòd incesserit in Habitu, & Tonsura, plenè probare, necnon quòd servierit Ecclesiæ, & duxerit unicam, & virginem, quia est fundamentum suæ intentionis. Hoc verum est, quòd non tenetur probare in judicio virginem fuisse illam, quam duxit in matrimonium, sed tantùm unicum matrimonium contraxisse, & eam pro virgine fuisse reputatam : nam fœmina virgo præsumitur, nisi contrarium probetur : imò, licet puella non esset virgo ; quando ducta est, eò quòd fuerit corrupta ab eodem sponso ante matrimonium ; tamen conjugatus Clericus cum ea, gaudet dictis privilegiis, quia non est bigamus.

Sup. hoc tom. 3. privileg. Canon. tom. 3. q. 13. Verum. pt fin & idem.

Pro prima Resol. 4. vers. sed lege. 3 prac. 1. alias vide nunc.

mus. Ita Ciarlinius, cui adde Lezanam *in Summa, tom.4.verb.Clericus,num.6.* & Castrum Palaum *tom. 6. disp.3.punct.23.n.5.* & Squillantem *de privil. Cleric. c.6. num.16.*

2. Opinioni affirmativæ alij adhærent, & mihi placet, putant enim, dictam conditionem esse additam à Tridentino ratione privilegij fori, de quo *ibi* est sermo; & proinde, quòd illius dispositio minimè extendenda sit ad hoc privilegium Canonis. Et ita tenet Avil. *de cens. part.2.c.5.dub.11.concl.2.* Megala *in 3. part. Instit. Confess. lib.4.q.5. n.37.* & probabilem existimat Leone *tract. de cens. recollect.5.num.4.* Si tamen dictus Clericus conjugatus non deferat Habitum, & Tonsuram, non gaudebit privilegio Canonis, quia sic determinatur in dicto cap.unico, *de Cleric. conjugat. in 6.* quod non procedit in Clericis minoribus, ut diximus *supra*.

3. Sed, an uxor Clerici conjugati gaudeat privilegio mariti incedentis in Habitu, & Tonsura: Glossa *in c.Cler.11.q.1.* ait, uxores Clericorum sortiri forum ex personis virorum, gaudereque iisdem privilegiis uxores, & filios quibus Clerici gaudent, ut *in l.1. & 2.Cod. de Episcopis, & Clericis.* Idem vult Glossa *in cap.Eos, 32. distinct.* quam sequitur Panormit. *in cap. Nullus de foro compet.2.col.n.6. & 7.* Contrarium volunt Ioannes Andreas *in d.cap.unico, de Clerico conjugat. in 6.* & Ioannes de Imola *in d.cap.Nullus.* Mihi tamen magis placet, uxorem Clerici conjugati, quoad forum, gaudere privilegio clericali, debereque convenire coram Ecclesiastico Iudice: non tamen gaudere privilegio Canonis. *Si quis suadente*, atque ita iniiciens manus violentas in uxorem Clerici conjugati, non est excommunicatus. Ita Dominicus de S. Gemino *d.c.1. de Clerico conjugato, in 6.* & Franciscus de Aretio *in cons.131.col.2. & 3.* Et ita hanc etiam sententiam docet Squillante *de privileg. Cleric. c.6. n.21.* qui ex Carolo de Grassis *effect.9.n.115.* hoc limitat, nisi manus injectio fieret uxori prædictæ in odium viri: quia tunc iniciens incurreret excommunicationem, ac si ipsum percuteret, ut per Doctores, quos refert. Idémque dicendum esset, si percussio fieret in personam alicujus consanguinei Clerici in odium ipsius Clerici, ut per Decianum *in tract.crimin.part.3.lib.6.c.17.n.15.* Bellettum *part.1.disquis.Cleric.fol.183.n.21.* Ragucium *de excommun.q.70.* & alios.

4. An verò ad evadendam dictam excommunicationem sufficiat, si tempore, quo percutitur talis Clericus conjugatus, non deferat Tonsuram, vel non habeat vestes clericales? ex iis, quæ docent Doctores in terminis privilegij fori, possumus id faciliter decidere, quòd scilicet, non excuset, ubi talis antèa solebat illas gestare, nec putet ipse percutiens, illas dimisisse dictum Clericum conjugatum animo ipsas non ampliùs resumendi. Ita Leone *ubi supra*. Nota etiam, quòd Clericus conjugatus non bigamus, si dimittat Habitum & Tonsuram, & posteà illum reassumat gaudet privilegio Canonis: quoniam nulli auferenda est pœnitentia justa. Sylvester *verb. Excommunicatio, 6.n.4* & S. Antoninus *3.part.tit.25.cap.1.* Sayrus *lib.3. c.26.n.4.* & Bonacina *de censur.q.4.punct.1.n.2.* Ex his sequitur, quòd Clerici bigami bigamia vera, & interpretativa, in minoribus Ordinibus constituti, omni privilegio denudantur, ideóque gestatio Tonsuræ, & Habitus clericalis illis interdicitur cap.unico, *de bigamis, in 6.* & notavit *ibi* Glossa. *verb. Bigamus.* Coninch *n.157.* Molina *tract.3.disp.54.n.8.* Layman *c.5. n.4.* Bonacina *dict. punct.3. n.6. & tom.3. de censur. in part.disp.2.q.3. punct.6. sect.3. n.3. & seq.* Secùs verò dicendum est de bigamia similitudinaria, ut iidem doctores advertunt. Quòd si Clerici bigami sacris sunt initiati, vel ex dispensatione, vel illegitimitate, hoc privilegio Canonis gaudent: quia textus in cap. unico, *de Clericis, conjug. in 6.* & cap.unico, *de bigamia, in 6.* expressè loquuntur de bigamis in minoribus constitutis. Et tradit Glossa *dict.cap.unico, de bigamis.* Sylvester *verb. Bigamus, q.8.* Molina *disp.54.n.8.* Layman *ubi suprà*, quibus adde Fragosum *de Repub. Christ. tom.2.lib.1.disp.2.§.1.n.25.* qui etiam hoc docet de religiosis bigamis: nam non privantur privilegio Canonis: quare illos percutientes erunt excommunicati, quod etiam docet Palaus *tom.6.disp.3.punct.23.§.1. n.13.* Sayrus *de censur.lib.3.c.27. n.32.* Lezana *tom.3. verb.Clericus, n.6.* qui idem dicendum notat de Religioso, qui Habitum dimisit: nam per solam dimissionem Habitus, non perditur privilegium Canonis.

Sup. hoc magis latè sup. in Res. 39.

RESOL. XLIV.

An torquentes Clericum per laïcum incidant in censuram, etiamsi de licentia Episcopi hoc faciant?
Et an consuetudo in contrarium excuset à culpa?
Et an saltem in tali casu Superiores torquentes, & corrigentes Clericum per alium laïcum peccarent? Ex p.9. tr.4 Res.30.

§.1. NOn posse Clericum torqueri per laïcum, docet Glossa *in c.finali, disc.35. & ibi.* Præpositus dicit, esse notandum propter Officiales, qui quandoque torquent Clericos per laïcos, & malè faciunt, quia excommunicationem incurrunt, ut voluit glossa *in Summa dist.45.* Et quòd Clericus non possit torqueri per laïcum, etiam de licentia proprij Episcopi, firmarunt Ioan. de Anania *in c.Super eo, col. 2. in fine, de crim.falsi.* Archidiaconus & Geminian. *in Summa, distinct.45.* Anton. de Butrio, & Ancharanus *in cap. Vt fama, de sent.excomm.* & refert *ibi* Abbas *in fine*, & sequitur Dec. *in cap.Dilectis, in princip. de appellat.* Idem Ancharanus *in cap.Vniversitatis, de sentent.excomunicat.* Maranta *de ordine judic. part.4.distinct.11.n.74* latè probat Stephan. Aufrer. *in tract. de potestate sæcul. super Eccles. regula.3. fallent.12. versic. Et propterea.* Dicit Glossa *ibi*, quod laïci torquentes Clericos de licentia Episcopi, sunt excommunicati: & consuetudo in contrarium non excusat à culpa, quæ est irrationabilis. Summa Sylvestrina *in verb. Excommunicatio, in 6.§.11.* Diaz *in sua practica, c.126. versic. Nota tamen*, & *ibi* Ignat. Lopez *in additione, qua incipit: Torqueri per laïcum*, qui alios allegat. Greg. Lopez *in lege 56. Gloss.30. tit.5.partit.1.* & ex Neotericis tenet etiam hanc sententiam Marta *de jurisd. part.4. cent.2. casu 131.n.6. & sequenti*, qui asserit *n.12.* posse laïcos vocari ad ligandum Clericos, sed posteà Clerici torquebunt.

2. Sed ratione consuetudinis contrarium dicendum puto, *ut supra* probavi de magistris, & aliis, qui titulo correctionis Clericum per alios percutiunt: neque dicta consuetudo dicenda est, ut volunt adversarij, irrationabilis ut rectè observat Avila *de censur. part.2. c.5.disp.3.dub.12.* quia non contra jus naturale, aut divinum: imò decens est, & honestù, ne Clerici, vel Monachi utantur officio tam vili. Vide Suarez *de censur. disp.23.sect.7.n.44.* Coninch *de Sacramentis disput.14. dub.15.n.91.* Layman *lib.1.tract.5.part.2.c.5.n.9.* & alios penes ipsos. Et ego, ut verum, fatear non intelligo speculationem Martæ, nempe Clericos posse ligari à laïcis; sed esse torquendos à Clericis: nam, sicuti torquere Clericos per laïcos est actio injuriosa, sic etiam ligare: non est igitur in hoc Martha audiendus.

Sup. in Resolutionibus, quæ hic sunt 11. & 13. & etiam 14.

3. Sed hic inquirendum, an in tali casu Superiores torquentes, & corrigentes Clericum per laïcos, peccarent: Et affirmativè respondet Villalobos *in Summa, tom.1.tract.17.difficult.21.n.8.* ubi sic ait: [Dudan los Dotores, si el Prelado ecclesiastico, que da tor-

mento, ò açotas por la persona de un lego, al Clerigo, incurre esta descomunion. A lo qual respondo. Lo primero, que bien puede el Iuez Eclesiastico prender à su subdito por un lego, como expressamente dize un texto; mas no puede açotrale por tercera persona, sino es que sea Clerigo, ò Frayle, y si el puede comodamente hazerlo por si mismo, no puede açotrale por tercera persona, como consta de otro texto: y assi el lego que le atormenta, incurre la censura, sino es que no huviesse Clerigos idoneos para esso, como dizen Panormitano, Sylvestro, Navarro: y dize mas Panormitano, que el Iuez que siguiendo la costumbre, atormentasse, ò açotasse à un Clerigo, por la persona de un lego, no incurriria la censura, aunque pecaria.] Ita ille. Sed ego puto, ratione consuetudinis, Superiores Ecclesiasticos torquentes, & contigentes Clericos per laïcum, neque in censuram incidere, neque in peccatum: & ita tenet, & probat P. Leone *de censur. recollect. 5. n. 265. & sequent.* cum Portello *in dubio Regular. verb. Correctio, num. 47.*

RESOL. XLV.

An percutiens Religiosum invalidè professum incidat in censuram?

Et an hoc procedat etiam si propria culpa, & non tantum Religionis sit nulliter professus, imo & si contra iura receptus sit? Ex part. 9. tract. 4. Resol. 34.

§. 1. Affirmativè respondet Pater Bordonus *in consil. regular. tom. 1. resol. 28. n. 24* [Quia, licèt Professio faciat Religiosum, & non habitus; tamen in ordine ad gaudendum hoc privilegio sufficit solius habitus Religiosi assumptio, ut constat in Novitio, qui ex sola habitus assumptione dicitur participare hoc privilegium: ergo idem dicendum est de invalidè Professo: nam in hoc æquiparatur Novitio: & id puto procedere, etiamsi, ex propria culpa, & non tantùm Religionis, sit nulliter Professus; imò etsi contra jura receptus sit: quia sic receptus non attenditur ut persona talis, sed ut aliquale membrum Religionis, cui immediatè hoc privilegium conceditur: dum enim habitum gestat, intelligitur subesse Religioni; tam quoad privilegium fori, quàm Canonis; aliter Religionis decus, & exemptio periclitaretur, si quoad utrumque esset de foro laïcorum: dimisso autem habitu rediens ad sæculum, fit de illius foro, & non ampliùs gaudet eo privilegio; cùm non sit deinceps sub eo statu Religionis.] Ita ille. Sed hoc non caret difficultate: nam est dispar ratio inter Novitium, & inter nulliter professum. Ille enim gaudet privilegiis Professorum, quia est in via ad professionem: iste autem non est Professus, nec vult profiteri, cùm possit, & sua culpa ita manet in Religione; ut suppono: ergo non debet gaudere privilegiis Religionis.

RESOL. XLVI.

An percutientes Religiosum nullo ordine insignitum, & expulsum à Religione incurrant in censuram?

Et quid, si portet habitum, & Tonsuram Clericalem?

Et docetur Clericum ex defectu habitus non amittere privilegium Canonis. Ex part. 9. tract. 4. Res. 44.

§. 1. Quærit hoc Portel *in dub. Regul. verb. Manus violenta, n. 3.* sic asserens: [Quid, si Religiosus expulsus ab Ordine est laïcus, vel alius carens omninò Ordine sacro, an hunc percutiens incurrat? Innuit quòd sic Rodriquez *addit. ad Summam, tom. 3. c. 99. concl. 5.* quia adhuc est verè Religiosus in substantia, maxime si portet Habitum, & Tonsuram clericalem. Si verò hanc non portet, mihi res videtur dubia, & colligenda per alias percutientem verum Clericum non portantem prædicta.] Ita ille. Sed si hæc quæstio resolvenda esset ex principio, quod ait Portel, ego consequenter loquendo dicerem, percutientes in tali casu laïcum expulsum à Religione, & incedentem sine Habitu, incidere in censuram; sicuti incidere percutientes Clericos sine Habitu, & Tonsura incedentes. Nam, licèt privilegium Canonis inferius sit fori privilegio; quippe privilegium Canonis iure tantùm positivo est introductum, privilegium verò fori ex Iure divino provenit: ergo Clerico, cui non competit privilegium fori, nec Canonis privilegium competere debet. Deinde Tridentinum *sess. 23. de reformat. c. 6.* sub privilegio fori, Canonis privilegium videtur comprehendisse: siquidem refert cap. unicum, *de Clericis conjug. in 6.* ubi Pius II. expressè de privil. Canonis loquitur: nihilominùs contrarium dicendum est, ut *supra* docui: nec obstant adducta in contrarium: nam esto privilegium Canonis inferius sit privilegio fori; est tamen magis necessarium personis Ecclesiasticis, & earum statui, cùm graviùs offendantur ex vexatione personali, quàm ex forensi judicio; præterquàm quòd privilegium fori cedit aliqualiter in diminutionem laïcæ potestatis: ac privilegium Canonis in nullius cedit præjudicium. Ergo mirum non est plures conditiones pro privilegio fori requiri, ut perdatur, quàm pro privilegio Canonis, Tridentinum verò, si benè perpendatur, nobis contrarium nõ est: non enim dixit, servandam esse Constitutionem Bonifacij VIII. *in c Clerici de Clericis conjugati, in 6.* pro omnibus Clericis, sed pro Clericis conjugatis: hi enim nec privilegio fori, nec Canonis gaudent, nisi conditiones à Tridentino præscriptas observent. Ideò in casu proposito de laïco expulso, tu cogita.

2. Nota tamen hîc obiter Baunium *in Theol. mor. tom. 2. disp. 5. tract. 4. q. 2.* optimè docere, probabile esse, Clericum ex defectu habitus, non amittere privilegium Canonis: sed malè me citat pro contraria sententia.

RESOL. XLVII.

An Monialis, quæ sumit potionem, vel pugnis se cedit, ut abortum faciat, incurrat in censuram?

Et quid est dicendum de alio propinante potionem pro abortu faciendo Monialì, illa consentiente sequuto effectu? Ex par. 9. tract. 4. Res. 10.

§. 1. Respondeo negativè: quicquid asserat in contrarium noster Naldus *in Summa verb. Clericus, num. 4.* Et ita hanc sententiam tenet ex Molina Stephanus Baunius *in Theolog. mor. tom. 2. disput. 5. tract. 4. quæst. 2.* quia hæc non est manuum injectio in seipsam violenta, & contumeliosa; quod tamen Canon exigit. Violentam non esse, hac ratione probatur: Scienti, & volenti non fit propriè injuria. Nec est etiam percussio sui injuriosa statui Ecclesiastico: nam ad eum Monialis non pertinet: status enim Ecclesiasticus est eorum propriè, qui Tonsuram habent, & per eam aggregantur Ecclesiæ. Et hanc sententiam sustinet etiam Rodriquez *in Summa, tom. 5. c. 144. num. 12.* Garcias *in Summa, tract. 1. difficul. 3. dub. 1. punct. 2. num. 18.* Iacobus Gordonus *in Summa, tom. 2. lib. 7. quæst. 13. §. 3. n. 33.* ubi sic ait: [Infertur Monialem, quæ sibi procurat abortum, quamvis graviter peccet, non contrahere tamen hanc censu-

censuram : nam, licèt violentiam inferat naturæ, (ut in medicinæ usu contra febrim,) non tamen personæ Ecclesiasticæ, propriè, & præcisè loquendo. [Ita ille, cui etiam adde Fragosum *in Repub. Christ. tom. 2. lib. 1. disp. 2. § 1. n. 19.* qui citat Cajetanum, Angles, & Barbosam: & novissimè, me citato hanc sententiam defendit Alphonsus de Leone, *de cens. recoll. 5. n. 28.* eò quodvt dictũ est, talis violentia non est injuriosa, neque statui Ecclesiastico, neque sibi, sed fœtui duntaxat. Et idem dicendum est de alio propinante potionem pro abortu faciendo moniali, ut tradit Portel. *in dubiis Regul. verb. Manus violentæ, n. 2.* ubi sic ait: [Procurans abortum monialis, eique potum propinans, illa consentiente non incurrit excommunicationem : quia in primis non dat venenum, nec facit violentiam personæ sacræ, quia Monialem non occidit, imò illa consentit. Si verò occidit fœtum animatum, persona fœtus non est sacra : nec saltem incurrit hanc positam ob percussionem Clerici: quidquid sit de excommunicatione Sixtiana propter abortum, moderata per Greg. XIV.] Ita ille.

2. Sed contrarium docet Bordonus *in consil. Regul. t. 1. ref. 28. n. 10.* quia læditur tum fœtus, tum ipsa Monialis. Ego autem puto incidere in excommunicationem Canonis, *Si quis suadente*, cxtraneum dantem potionem, & sequuto effectu: quia fœtus est pars ventris & viscerum matris, ut in simili de fœtu mortuo cum matre sepeliendo dixit Lavorius *tit. 1. de funer, c. 12. n. 42.* Quod firmatur: quia tangens non solùm vestimentum, quo Clericus actu induitur; sed etiam equum, vel inhærentia equo, cui insidet, incidit in excommunicationem: ergo multò magis abortire faciens Monialem; cùm non adhærentia Monialí, sed partem naturalem ipsius lædat: & sic non naturæ, sed personæ religiosæ fit violentia, & corporalis læsio. At his non assentitur ex Cajetano, & aliis, Sayrus *de cens. lib. 3. c. 26. n. 17.* unde utraque opinio est probabilis: sed negativa est probabilior.

RESOL. XLVIII.

An Monialis sumens potionem mortiferam fœtui vel pugnis se percutiens ad abortum faciendum, ut postea sequutus est, non solum incidat in pœnas Bullæ Sixti V. sed etiam in censuram cap. Siquis suadente Diabolo? Ex p. 7. tr. 5. Resol. 40.

Ob hoc in Resol. præterita, & in aliis ibi quæ annotat.

§. 1. INcidere in pœnas Constitutionis Sixti V. non autem in excommunicationem dicti cap. *Si quis suadente Diabolo*, docent aliqui. Et ita docet amicissimus Bellochius *in praxi p. 2. q. 8. n. 108.* Capeavilla *de casib. reser. c. 9. quæst. 3.* & alij, quos citat & sequitur Mazuch. *tr. de cas. reserv. disp. 2. c. 3. q. 3. diffic. 3. n. 67.* quia licèt talis percussio sit violenta naturæ, non est tamen injuriosa statui Ecclesiastico, nec violenta Religiosæ personæ, cùm non intendat sibi injuriam inferre, sed tantùm fœtui: & docet etiam Avila *de cens. p. 2. c. 5. disp. 3. dub. 12. concl. 2. vers. sequent.* & Bonacina *de cens. disp. 2. quæst. 4. punct. 1. §. 1. num. 6.* quibus adde novissimè P. Alphonsum de Leone *de cens. Recoll. 5. n. 128.*

RESOL. XLIX.

An Equites D. Iacobi, Alcantaræ, Calatravæ, &c. gaudeant privilegio fori, & Canonis?
Et in utroque quid dicendum est, si dicti Equites professionem non emiserint, sed tantum habitum acceperint? Ex parte 5. tractatu 13. & Miscell. 1. Resol. 44.

Sup. hoc in Resol. seq. & in tom. 9. tr. 2. Resol. 169. §. ult. propè fin. Sed lege præcitatum §. per tot.

§. 1. NEgativam sententiam docet Lopez de Texeda *contr. 11. dub. 1. num. 16.* ubi sic ait: De Commendatariis, quos vulgo vocat *de Samiago*, Calatrava, Alcantara, & de Aris, quales sunt in Lusitania manifestum est à principio Ordinum ipsorum habuisse hoc Canonis privilegium, illóque perfectissimè gaudere, ut non solùm quia erant Religiosi in communitate viventes, & profitebantur tria vota, tametsi quidã eorum solam castitatem conjugalem profiterentur inter quos quidam eorum servabant Regulam D. Augustí. quales erant commendatarij D. Iacobi, & alij regulam D. Benedicti. Sed quia Alexander III. in Bulla quadam edita anno 1175. Commendatarios D. Iacobi approbavit, & tanquam veros Religiosos confirmavit; hodie tamen cùm hujusmodi Commendatarij per multos annos in communitate non vivant, & circa vota castitatis, & paupertatis dispensationem obtinuerint, imò nec regulam servent, & vivant ut merè seculares, & nullum habeant exercitium obedientiæ, existimo privilegio Canonis non gaudere, & ideo qui eos percusserint, non incurrerent prædictam excommunicationem, nisi aliquibus in Regnis, & Provinciis obtinuerit consuetudo, vel privilegium aliquod illis patrocinetur.

Alibi in Resolutionibus nost. præteritæ.

2. Sed hæc opinio prorsus est refellenda; & & ideo affirmativam sententiam docent communiter Doctores, quos, ego alibi citavi; unde novissimè Ioannes Henriquez *in compend. cas. moral. cap. 20. num. 70.* sic ait. [Tambien se deve avertir que los Cavalleros de las Ordenes Militares, gozan deste Indulto, porque son Religiosos; y aunque algunos Dotores afirmen, que los Cavalleros del habito de Santiago, & los demas que hazen voto de castidad conjugal, no gozan, porque se pueden casar; pero no pruevan esto con razon alguna, y assi hablan mas probablemente, los que afirman que todos gozan deste Indulto.] Sic ille; Et, me citato, tenet etiam novissimè hanc opinionem doctissimus, & amicissimus Dominus meus Illustrissimus Ambrosius Machin. Archiepiscopus Calaritanus *in defensione immunitatis Ordinis Militarium, art. 4. n. 37. & art. 5. n. 90.* ubi probat dictos Equites gaudere privilegio Canonis, etiamsi professionem non emiserint, sed tantùm habitum acceperint, quam doctrinam, ut ipsemet Illustriss. Antistes observat, ego olim docui *in 1. part. tr. 6. ref. 13.* De privilegio autem fori, quo gaudent dicti Equites, diximus *supra in tr. 1.*

Sup. hoc in Resol. seq. §. 1. in fine.

Quæ nunc est in t. 7. tr. 3. Resol. 54. Et pro sup. contento in lin. penult. hujus Resol. in §. 9. tr. 2. Resol. 169. §. 2. propè fin.

RESOL. L.

An percutientes Equites D. Iacobi, Alcantaræ, Calatravæ, &c. incidant in censuram Canonis?
Et quid de Novitiis prædictorum Equitum?
Et quæritur, quid dicendum sit de Commendatariis, in quibus major potest esse difficultas?
Et quid de consuetudinibus circa supradicta?
Et quid etiam sentiendum est de Equitibus D. Ioannis?
Et an qui non Canonicè ad statum Clericalem pervenisset, ita ut pro pœna sit à gradu dejiciendus, veluti si servus, &c. gaudeat privilegio Canonis? Ex p. 9. tr. 4. Resol. 7.

Sup. hoc in Resol. præterita, & in t. 9. tr. 2. Resol. 169. §. 2. propè fin.

§. 1. NEgativè respondet Leone *de cens. recoll. 5. n. 25.* ubi sic ait: [Pro hujus difficultatis resolutione placet sententia Molinæ *tom. 4. de justitia, disp. 50. n. 5. ad fin.* qui etsi fateatur, hos alios Ordines militares

militares in principio ipsorum habuisse hoc Canonis privilegium; quia communiter vivebant, (etsi quidam eorum solum castitatem conjugalem profitebantur,) ac etiam ob privilegiorum communicationem Religionum, quarum Regulas profitentur; cæterùm hodie cùm à multis annis ejusmodi Commendatarij in Congregatione non vivant, dispensataque habeant maxima ex parte vota castitatis, ac paupertatis; neque vivant, nisi ut merè sæculares, nullum ferè exercitium obedientiæ habentes; intuendum arbitror, quod ad privilegia clericalia, seu Ecclesiastica attinet ad consuetudinem, illíque erit standum: ubi subdit in Lusitaniæ, & Castellæ Regnis vigere consuetudinem in contrarium, nempe, quòd non gaudeant isti equites dicto privilegio Canonis. Nota, quòd Molina loquitur de Commendatariis, in quibus major potest esse difficultas, ex quo cùm Commendæ sint beneficia Ecclesiastica, illi videantur magis personæ Ecclesiasticæ, juxta notata per Duardum *lib. 2. in Bulla Cœnæ, can. 15. quæst. 5. ad finem.* Attingit hoc idem Bonacina *tom. 3. disp. 2. quæst. 3. punct. 6. num. 9.* ibi: Nisi fortè ibi contraria consuetudine fuerit abrogatum: in aliquibus enim Regnis usu receptum est, ut Equites nonnullarum Religionum non fruantur privilegio Canonum, quicquid sit de consuetudine in contrarium circa privilegium fori, de qua testatur Megala *part. 3. lib. 5. c. 10. n. 27.*) Qui Bonacina etsi subdat illa verba: An autem illa consuetudo contra libertatem hujusmodi personarum legitima sit, patet ex his, quæ dixi in Bulla Cœnæ: tamen quia eo in loco tractat de consuetudine contra libertatem Ecclesiasticam, quæ est de jure divino non potest illa doctrina applicari casui nostro, cùm nulla censura sit de jure divino, ut sæpiùs dictum fuit, nec etiam contra Hæreticos; neque dicta privilegia istis competunt de jure divino, cùm non sint verè Religiosi, ut declaravit Rota Romana apud Seraphinum, *decis. 587.* imò neque simpliciter personæ Ecclesiasticæ, sed tantùm secundùm quid, ut per Molinam *locis supra citatis.* Cùm igitur tantùm illis hoc competat ex declaratione Summi Pontificis, quæ habet vim legis, potiùs recurrendum est ad aliam doctrinam, de qua *suprà, recoll. 2. n. 716.* ubi de consuetudine excusante à pœna excommunicationis, vel alterius censuræ, ubi in specie, quòd ad hoc sit sufficiens præscriptio decennalis, & non requiratur quadragenalis, ut putat Molina *loco supracit.* & quòd in dubio negativo probabiliter possit quis judicare dictas censuras consuetudine fuisse abrogatas.] Hucusque Leo, cui adde Castrum Palaum *tom. 6. disp. 3. punct. 23. §. 1. num. 16.* & Villalobos *in Summa, tom. 1. tract. 17. diffic. 22. n. 15.* ubi sic ait: [Lo mismo se hà de dezir de los Cavalleros militares de la Orden de S. Iuan, como dizen Sylvestro, y Toledo, que estos hazen tres votos essenciales, como dize Paris de Puteo, y son Religiosos. Mas no se ha de estender esto à los demas de las Ordenes militares, sino es que sean Sacerdotes, ò Monjas, que los Cavalleros de las Ordenes, que se pueden casar, no son absoluta, y verdaderamente Religiosos, como dize el Padre Fray Manuel Rodriquez, con otros.] Ita ille. Sed à sententia affirmativa, quam docui, non recedo; & ita præter alios à me *alibi* adductos, tenet Megala *ubi suprà, num. 40.* Fragosus *de Repub. Christ. tom. 2. lib. 1. disp. 2. §. 2. n. 44.* & me citato, Pater Lezana *in Summa, tom. 2. cap. 5. n. 38.* ubi extendit hoc privilegium Canonis etiam ad Equites novitios.

Alibi in Resolutionibus not. præterita.

2. Sed non deseram hîc obiter quærere, quid dicendum de illo, qui non canonicè ad statum clericalem pervenisset, ita ut pro pœna sit à gradu dejiciendus, veluti si servus sine licentia domini Clericus efficeretur, ut in cap. *Secundò, 54. distinct.* Respondetur, & hunc Canonis privilegio gaudere: quamvis omnia alia privilegia amittat, secundùm Gloss. *in dict. c. Secundò*, quod tamen verum non censeo per verba textus ejusdem cap. *Secundò*, ubi ita scribitur: *Porrò servus non canonicè consecratus, postquam de gradu ceciderit, ejus conditionis sit, cujus fuerat ante gradum.* Ex quibus verbis constat omni privilegio privari. Et ita docet Megala *in 3. part. Instit. Confess. lib. 4. cap. 2. quæst. 5. n. 38.* cui adde Leonem *n. 3.*

Sup. hoc in Res. præterita, propè fin. vers. Vbi probat.

RESOL. LI.

An notorius percussor Equitis Ierosolymitani, Calatravæ, &c. vel Religiosi alterius Religionis Ordines non habentis sit propter excommunicationem incursam vitandus?

Et an talis percussor sit vitandus ante judicis sententiam, & declarationem?

Et an ad notorietatem per evidentiam facti requiratur, quod sciatur saltem evidenter à decem personis in oppido parvo, & à pluribus aliis in magna Civitate?

Et docetur, quod in odiosis nomine Clerici, non veniunt Religiosi, & quod interdicto Clero, non censentur interdicti Religiosi? Ex part. 10. tr. 14. & Misc. 4. Res. 11. alias 9.

§. 1. NEgativè respondet Carolus de Baucio *in Miscellaneis, tom. 2. post tractatum de paribus panitentialibus in appendice, quæstione 21.* ubi sic ait: Quis publicè percussit Monachum professum, sed nullo ordine insignitum neque prima tonsura, vel Equitem sancti Ioannis, Calatravæ, &c. Ita publicè, ut nulla tergiversatione celari possit, an sit excommunicatus evitandus etiamsi non sit denunciatus excommunicatus. Ratio dubitandi est, quia in Concilio Constantiensi fuit cautum, ut tantum excommunicati denunciati, & publici percussores Clericorum evitarentur quoad communionem in divinis, & in humanis. Respondetur non esse evitandum, quia Concilium Constantiense loquitur de percussoribus Clericorum, non autem de gaudentibus privilegio Canonis; rectè advertit Suarez, *de cens. disp. 9. sect. 2. n. 11.* Monachus professus non insignitus saltem prima tonsura, non est Clericus in rigore, & à fortiori, neque Eques S. Ioannis, Calatravæ, &c. ergo non extendenda constitutio dicti Concilij ad has personas, cùm simus in odiosis, quæ secundùm regulas juris non sunt extendenda, ut rectè docet Carolus de Grassis *de effectu Clericat.* cum Doctoribus à se citatis, *n. 148.* ubi docet, quod in odiosis, nomine Clericorum non veniunt Religiosi Ita ille.

2. Sed mihi opinio amicissimi viri non placet: nam concedo quod sub nomine Clericorum in odiosis, non veniunt Religiosi; ut observat Abbas *in c. 1. n. 7. ne Clerici vel Monachi, & in cap. 1. num. 3. de Instit.* & *in cap... n. 9. de Iuramento calumniæ.* Romanus *cons. 259.* & 418. Vnde evenit ut interdicto Clero non censeantur interdicti Religiosi, quia sumus in odiosis, & ita resoluunt, Henriquez *in Summa, lib. 13. cap. 42. §. fin.* electa lit. E. Maiolus *de Irreg. lib. 3. cap. 20. num. 6.* Vgolinus *de censuris, tab. 5. cap. 20. §. 5. num. 3.* Sayrus *in simili tract. lib. 5. cap. 4. num. 29.* Avila *eod. tract. part. 5. disp. 1. dub. 4. concl. 7.* Bonacina, *eodem tr. disp. 5. punct. 1. num. 11.* Vivaldus *in Candel. aureo, ubi de Interdicto num. 159.* contra Calderinum *de Interdicto, part. 1. num. 28.* Navarr. *in Manual. cap. 27. num. 167.* Covarr. *in cap. Alma mater, part. 2. §. 1. num. 8. vers. Quintò,* Suarez *de censur. tom. 5. disp. 31. sect. 1. num. 11.* Emman. *QQ. Regul. tom. 2. quæst. 108. art. 3. in princip.*

Sed

Sed in nostro casu non sumus in pœnalibus, sed in favorabilibus : At in materia favorabili venit quilibet Religiosus sub nomine Clericorum, ut notat Felinus *in cap. non dubium, n. 1. de Sent. excomm.* Sylvester *in Summa, verb. Clericus*, §. 1. Marius Antoninus *variar. resol. lib. 1. resol. 112. casu 63. sub. vers. 2.* Duen. *reg. 99. ampl. 3. & regul. 100. ampl. 5.*

3. Quod autem in casu, de quo loquitur Decretum Concilij Constantiensis non sit pœnale, sed favorabile, probatur: nam ut docent communiter DD. tunc lex censenda est favorabilis, etiam si contineat odium alicujus, quando per ipsam primariò intenditur favor alicujus; Glossa *in cap. Si propter verb. Prim. anni. De rescriptis in 6.* Domin. *n. 9.* Francus, *n. 6.* Item Gloss. *in c. Sciant cuncti verb. Alios, de elect. in 6.* Io. Andreas, & Geminianus, *ibid.* Felin. *in c. 1. de Sponsa. n. 14. vers. Aliud est, in cap. Non dubium, n. 2. de Sent. excomm.* Bartolus *in leg. Qui exceptionem n. 2. ff. de condit. indeb.* Io. Albertus, & Salicetus *ibid.* Castrensis, *in l. Si quis nec causam, n. 4. ff. Si cert. pet.* Everardus *lege à ratione, l. ampla, &c. n. 68.* Covarruvias, *lib. 1. Variar. c. 11. n. m. 5.* alios citans, Tiraquellus *in Retract. in Præfat. num. 56.* Mandosius, *reg. 10. de ann. q. 3. n. 7.* Menochius *de recuper. possess. Remed. 1. n. 28.* Cephalus *cons. 35. vol. 1.* Hondedeus *cons. 95. n. 17.* Sylvester *verb. Interpretatio, in fine.* Ludovicus *decis. Lucens. 26. n. 23. part. 1.* Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 1. n. 4.* Parisius *de resignat. libro 11. q. 2. n. 23.* Sed in nostro casu, tam *capitul. Si quis suadente diabolo*, quam decretum Concilij Constantiensis, licet intendat odium alicujus, nempe publici Clerici percussoris, tamen principaliter intendit favorem Status Ecclesiastici, ut de se patet: ergo in utroque casu Pontifices sub nomine Clericorum, comprehendisse Religiosos dicendum est. Vnde patet responsio ad argumenta Baucij; nam fateor *cap. Si quis suadente* loqui passivè, videlicet de his, qui gaudent privilegio Canonis, & Decretum Concilij Constantiensis activè, videlicet de percussoribus Clericorum: sed hoc nihil officit; nam in utraque dispositione Constitutiones, ut probatum est, non pœnales, sed favorabiles dicendæ sunt, ergo sub nomine Clericorum, Religiosos comprehendunt. Dicendum est itaque percutientes notorie Equites Hierosolymitanos, D. Iacobi, Calatravæ, Alcantaræ, Montesæ, &c. vel Laicos Religiosos, esse tanquam publicos percussores Clerici vitados vigore Decreti Concil. Constantiensis.

4. Nota tamen, quod in tali casu, uti alibi adnotavi, difficulter quis dici potest notorius Clerici percussor, si ante non præcedat Iudicis declaratio: nam fere semper percussio illa, licet sit publica, aliqua potest tergiversatione celari. Ergo talis percussor, non est vitandus ante, ut dixi declaratoriam Iudicis. Et ideò præter Doctores à me alibi adductos, nostram sententiam tenet me citato Franciscus de Nigro, *in Addit. ad Ruyz de Sacrificio Missæ part. 7. §. 9. n. 20.* & ex eadem Religione me citato Amicus noster Pater Trimarchi, in quadam Iuridica lucubratione contra Episcopum Agrigentinum impressa Messanæ *fol. 13.* & me citato Antonellus *in Regim. Ecclesiæ Episcopalis, tom. 2. lib. 8. c. 6. n. 14.* & me citato Bordonus *in Miscellaneis Decis. 387.* & me citato Garcias *in Summa Theologiæ moralis, tract. 1. diffic. 3. dub. 2. punct. 5. n. 42.* quibus adde Hurtadum *de excommunicatione, disp. 2. diffic. 3. n 9.* & Ludovicum Caspensem *in Cursu Theologico, tom. 2. tract. 25. disp. 2. sect. 2. n. 15.* ubi sic ait: Declarandum est, quis dicatur notorius percussor Clerici, ut illum vitare teneamur. Duplex est autem notorium juris, & facti. Ad notorietatem per evidentiam facti requiritur, quod sciatur evidenter à tota Civitate, vel populo, vel à majori parte: & quia secundum nonnullos decem personæ faciunt populum; ideò illud dicetur notorium, quod sit saltem coram decem hominibus: juxta verò sententiam aliorum, sufficit quod fiat coram sex, quia est major pars eorum, qui requiruntur ad constituendum populum, licet de facto non sint major pars populi. Sed certè non potest assignari regula certa, quia qui percutit Clericum coram decem non erit notorium in magna civitate, bene tamen in oppido parvo, & qui in domo privata percutit Clericum coram sex, vel septem, non erit notorium; si verò in Collegio, seu Conventu parvo Religiosorum, respectu illorum erit notorium; atque ita hoc relinquendum est judicio prudentum. Notorium verò Iuris dicitur illud, de quo constat per juridicam sententiam latam in legitimo judicio, vel per confessionem ipsius rei in judicio, vel per legitimam testium depositionem in eodem judicio. Vt ergo quis sit publicus, & notorius percussor Clerici ut teneamur illum vitare, talis debet esse, ut ejus percussio nulla possit tergiversatione celari, nullo juris remedio excusari; sicque non sufficit fama publica, cùm adhuc juris remedio excusari possit allegando in judicio rumoris falsitatem, vel se ebrium esse, aut in sui justam defensionem fecisse: neque sufficit ut percussio notoria sit, & patens multis, si non sit notorium iis, qui illam viderunt, percussorem nullam habuisse legitimam excusationem, qua à peccato excusaretur: hoc autem, quia constare non potest nisi per Iudicis sententiam, ideò requiritur quod illa percussio sit notorietate juris, ut nullo juris remedio possit excusari, quæ notorietas haberi non potest, nisi per legitimam Iudicis sententiam in judicio latam. Ita Caspensis, & iterum Ego.

cursim in alio vers. earum annot.

RESOL. LII.

An percutientes Eremitas, si sint sub obedientia Episcopi, vel alterius Prælati, incidant in censuram?

Ex quo infertur, quid dicendum sit de Fratribus tertij Ordinis D. Francisci, & D. Dominici, vitam in communitate gerentibus, & habitum Religionis gestantibus, an hoc privilegio Canonis, imo & fori gaudeant?

Et quid de prædictis Fratribus, qui in propriis domibus commorantur, & se, suaque bona Religioni obtulerunt?

Ex part. 9. tract. 4. Resol. 11.

§. 1. NEgativè videtur respondendum ex Castro Palao *tom. 6. disp. 3. punct. 23. §. 1. n. 14.* ubi sic ait: [Fratres tertij Ordinis D. Francisci, & D. Dominici, vitam in Communitate gerentes, & Habitum Religionis gestantes, hoc privilegio Canonis, *imò fori, gaudent: quia, esto, veri Religiosi non sint; Religionis tamen statum imitantur; idcòque privilegium Religiosis concessum, utpote favorabile, ad ipsos extenditur. Secùs verò dicendum est de iis Fratribus, qui in propriis domibus commorantur, etsi se, suaque bona Religioni obtulerint, Habitúmque illius gestaverint. Idem ferè dicendum est de Eremitis, qui sub aliqua Regula, & obedientia vitâ agerent, edito paupertatis, vel obedientiæ voto, vel pacto inito, hoc privilegio proteguntur. Secùs verò si nullam ex his obligatione susceperint, tametsi ex commissione Episcopi alicui Ecclesiæ inserviant, & Habitum gestent singularem: quia non firmum, & stabilem modum vivèdi habent, cùm pro libito possint ab eo recedere.] Ita ille, qui citat Molinam, Suarez, Layman, & alios, quibus ego addo Fragosum *de Republ. Christ. tom. 2. disp. 2. §. 1. n. 40. & 41.* & Turrian. *de censur. lib. 3. disp. 29. dub. 1. in fine*, & Coninch. *de Sacrament. disp. 14. dub. 15. num. 164.* ubi ita asserit: [Vtrùm verò Eremitæ hoc privilegio gaudeant,

* Pro privilegio fori in tom. 9. tr. 2. Resol. 175. §. Sed quid.

deant, non est ita certum: multi asserunt; alij verò negant. Vide Sylvestrum *verb. Eremita, n.* 2. Valdè probabile est, eos solos gaudere, qui alicui Religioni per vota obstricti sunt, aut saltem alicui Prælato Ecclesiastico ratione voti, aut muneris, quo alicui Ecclesiæ deputati deserviunt, sunt subjecti.] Ita Coninch.

2. Sed contrariæ sententiæ adhæret Leonis *tract. de censur. recollect. 5 n.* 32. [Eremitæ enim, ait, non solùm gaudent hoc privilegio, quando vivunt in communi sub aliquo Prælato ecclesiastico ex tacita, vel expressa Pontificis authoritate, de quibus non est difficultas apud Doctores, quibus accedit Bossius *de Iubileo, sect. 2. casu 22. n.* 60 sed etiam quando non vivunt in communi, sed seorsim cum Habitu religioso alicui sacro loco servientes sub obedientia Episcopi, vel alterius Prælati.] Hæc Leone, cui adde Squillantem *de privileg. Cler. c. . n.* 34. sic aientem:] Censeo, quòd Eremitæ, qui Religiosi non sunt, (nam de Eremitis, qui profitêtur tria vota Religionis, ut sunt Camaldulenses, non est ambigendi locus,) si ex speciali obligatione, & quasi traditione alicui Ecclesiæ, vel loco sacro dicati sunt cum speciali subjectione ad Episcopum, gaudeant hoc privilegio, cùm sint personæ specialiter Deo dicatæ, seu devotæ. Secùs verò esset dicendum de Eremitis, qui vagi dicuntur, nec definitû, aut firmum vitæ modum, neque aliquam specialem obligationem ecclesiasticam habent,] Ita ille. Vide etiam Lezanam *in Summa qq. Regular. tom. 2. c. 7. n.* 6.

RESOL. LIII.

An si quis eadem actione, quæ sit tota simul, v. g. baculo, percutiat duos Clericos, vel scalpo duos interficiat, incurrat duas excommunicationes?

Idem est dicendum de eo, qui eadem actione duo vasa rapuit diversorum dominorum, si furtum erat prohibitum sub censura.

Idem etiam de judice, qui simul duabus manibus trahit duos homines vi è templo contra Immunitatem: vel eo, qui eodem tempore conversatur cum duobus excommunicatis. Ex part. 5. tract. 9. Resol. 59.

§. 1. PRobabile est unicam dumtaxat excommunicationem incurrere, quia illa est simpliciter una transgressio & unicum peccatum, sicut qui uno verbo blasphemat de duodecim Apostolis unicum tantùm peccatum committit, & idem dico si eadem actione duo vasa furetur diversorum dominorum. Nec obstat quòd ex illa jaculatione plures passiones & plura nocumenta sequantur, cùm illa non sint plura peccata, sed plures effectus ejusdem peccati. Ita Cornejo *in 3. p. tr. 5 de cens. in gen. disp. 6. dub. ult. q. 4.* & Suarez *de cens. disp. 5 sect. 3. n.* 8. qui tamen contrariam sententiam probabiliorem putant, quia illæ pœnæ feruntur ratione injuriæ factæ tali personæ, scilicet Ecclesiasticæ, aut ratione homicidij, ergo cùm ibi sint duæ injuriæ, & duo homicidia, simpliciter & absolutè loquendo, ratione diversitatis personarum debent multiplicari pœnæ, quamvis ex eadem actione culpabili procedant. Et idem existimat Cornejo dicendum, propter eandem rationem, de eo, * qui eadem actione duo vasa rapuit diversorum dominorum, si furtum erat prohibitum sub censura; sed circa hoc contrarium sentit Suarez, unde utramque sententiam probabilem esse puto, licèt novissimè affirmativam doceat Gordonus *in sum. tom. 2. lib. 7. q. 3. c. . §. 3. n.* 23. ubi sic ait. Quæres quid si tota actio fiat simul atque omnino unica, & simul tempore terminetur ad plures personas, ut cùm quis uno ictu duos occidit, aut in judice, qui simul duabus manibus trahit duos homines vi è templo contra immunitatem, vel de eo, qui eodem tempore conversatur cum duobus excommunicatis? putant aliqui hoc delictum esse gravius, tamen unicum esse peccatum; quia cùm totum simul fiat, unica transgressio est, præsertim in moralibus. Respondeo tamen probabilius videri hîc esse plura peccata, quia simpliciter, v. g. sint plura homicidia in actu externo malo prohibito, & hoc saltem quoad excommunicationem sufficit, ut scilicet in ordine ad eam dicamus esse plura peccata, sive in speculatione Theologica de actibus malis sint plura peccata, sive non in rigore: ponderatur enim hæc externa injuria, & absolutiones pro pluribus excommunicationibus petendæ sunt, atque hoc in praxi securius est. Sed, ut dixi, contraria sententia est probabilis.

Sup. hoc in tom. 1. tr. 7. Res. 21. §. ult. in princ. & in Res. 22. §. 1. ante med. vers. Quarto.

* Sup. hoc cursim & reciranter in Res. seq. §. Ad secundum in fin.

RESOL. LIV.

An percutiens plures Clericos successivè incurrat tot censuras, quot sint Clerici percussi?

Et an ligatus una censura sit adhuc capax alterius, non tamen diversæ rationis, sed ejusdem?

Et notatur, quod plures censuræ incurruntur ab eo, qui fecit unum actum habentem plures circumstantias, pro quibus si singulis lata est sententia censuræ, si tamen dictæ circumstantiæ mutent speciem actus moralis, secus autem si non mutent speciem.

Et quæritur, si quis percuteret Monachum initiatum prima Tonsura, an duas censuras incurrat?

Et iamque notatur, quod tot censuræ incurruntur, quot sint Superiores prohibentes, quando habent diversam potestatem, secus si eandem. Ex part. 5. tractat. 9. Resol. 60.

§. 1. VIdetur negativè respondendum, quia comedere in die prohibito carnes, pisces, & ova, eadē continuata actione ex parte temporis est unica transgressio, & non plures, ut nunc suppono, quamvis subjecta sint diversa; ergo similiter occidere duos homines eadem actione cōtinuata ex parte temporis. Deinde qui continuatis asportationibus per totā noctem plura ab eodem ærario furatur, unicam tantùm excommunicationem incurrit, si illi furto sit annexa excommunicatio, & tamen istæ actiones in materia justitiæ inveniuntur; ergo similiter & in nostro casu.

2. Sed his non obstantibus contrariam sententiam docent communiter Doctores, ut Alterius *de cens. lib. 3. disp. 10. c. 8.* Bonacina *de cens. disp. 9. dub. ult. q. 3.* & alij communiter, quia istæ precussiones sunt plures formaliter, & numero distinctæ, unitas enim numerica percussionum non tantùm desumitur à continuatione temporis & actionis, verùm etiam ab objecto, circa quod exercetur actio & percussio; igitur dictæ percussiones, quamvis ex parte temporis sint continuæ, & interruptæ, ex parte verò subjecti & termini ad quem, sunt indiscretæ.

3. Ad primum argumentum respondet Cornejo negando consequentiam: & ratio discriminis est quòd actio illa occisiva duorum hominum, cùm sit in materia justitiæ respicit ipsos homines, nō solum ut subjecta, sed etiam ut terminos diversos, quia justitia & injustitia sunt ad alterum, & sic actio illa, quæ alias erat una per cōtinuationem ex parte temporis, est nihilominus duplex & discreta simpliciter non solùm ex diversitate subjectorum, sed etiam terminorum. At verò comestio illa cōtinuata, & quævis alia actio in materia temperantiæ & aliarum virtutum, quæ nō sunt ad alterum, sicut justitia, sed ad ipsum operantem, non habet terminos ad quos diversos, sed eundemmet

operan

operantem, atque adeò non sunt simpliciter interruptæ ex sola diversitate subjecti.

4. Ad secundum respondetur esse disparem rationem, quia dominus earum rerum cui offensa fit, & ad quem talis injustitia terminatur, est unus atque idem, & sic plures asportationes diversarum rerum continuatæ ex parte temporis non constituunt plura furta, nec plures transgressiones simpliciter; sicut illæ duæ actiones, quibus duo homines interficiuntur: unde si illæ res furto sublatæ essent diversorum dominorum, essent plura furta, & plures inducerent censuras.

5. Notandum est hîc obiter ex dictis. Primò quòd ligatus una censura est adhuc capax alterius, non tantum diversæ rationis, sed ejusdem: unde qui semel Clericum percussit, & contraxit excommunicationem, potest nova censura ligari, iterum percutiendo eumdem, vel alium Clericum.

6. Secundò plures censuræ incurruntur ab eo, qui facit unum actum habentem plures circumstantias, pro quibus singulis lata est sententia censuræ, si tamen dictæ circumstantiæ mutent speciem actus moralis: secus autem, si non mutent speciem, sed sint ejusdem speciei. Vnde percutiens Sacerdotem qui simul est Diaconus, & Subdiaconus, non incurrit plures excommunicationes; circumstantiæ enim Sacerdotis & Diaconi non mutant speciem in hoc casu, sed accidentaliter tantùm se habent ad transgressionem legis, quæ solùm spectavit reverentiam status Clericalis, non verò Ordinem, quo aliquis est initiatus. Sicut è contra si quis percuteret Monachum initiatum prima Tonsura, duas incurreret excommunicationes, nam illius percussio censetur duplex transgressio, una contra reverentiam debitam statui Clericali, altera contra reverentiam debitam statui Religioso; nam circumstantia Monachi diversa est à circumstantia Clerici, cùm alia sit consecratio Clerici, alia Monachi. Ita Suarez *de cens. disputat. 5. sect. 3. num. 15.* & Bonacina *loco citato num. 8.* & Cornejo *q. 5. & ult. ubi supra.*

7. Tertiò nota quòd tot censuræ incurruntur, quot sunt Superiores prohibentes, quando habent diversam potestatem: secus autem si eamdem, nam in isto casu, quamvis ferentes censuras multi sint materialiter, tamen formaliter in potestate habentur pro uno, & non censentur velle ferre plura præcepta formaliter distincta, seu condere novum jus, sed hoc non accidit in primo casu, ergo. Vnde ex his infertur ligari duplici censura, qui facit aliquod prohibitum à jure communi, & à jure particulari, aut prohibitum à Papa, vel ab Episcopo, modò isti intendant novam censuram imponere. Item dicendum pluribus censuris ligari eum, qui non denunciat, v. g. blasphemum, si ponamus sub excommunicatione deferendum ex præcepto Inquisitoris & Episcopi: secus autem dicendum est de illo, qui facit contra leges sæpiùs repetitas & innovatas ab eodem Superiore sub excommunicatione, non enim contrahit nisi unam excommunicationem. Ita Bonacina *loco citato n. 111. & seqq.*

RESOL. LV.

In quadam Civitate hujus Regni quidam percussit Clericum publicè, & notoriè, quæsierunt statim à me, an esset vitandus? Ex p. 3. tr. 5. & Misc. 1. Res. 14.

§. 1. HIc casus erit multum practicabilis, & prima facie affirmativè aliquis poterit respondere, quia ex Concilio Constantiensi, ut communiter DD. docent, tenemur vitare publicum Clerici percussorem, sed in casu proposito ille percusserat Clericum in publica platea coram omni populo. Ergo, &c.

2. Sed his non obstantibus tunc negativam sententiam consului; nam ut quis dicatur publicus percussor Clerici, vt illum vitare teneamur, necesse est, vt talis percussio nulla possit tergiversatione celari, & nullo juris remedio niti. Cùm igitur in hoc casu, & ferè in omnibus similibus possit percussor Clerici notorius dicere, se fuisse ebrium, aut in suam justam defensionem fecisse, vel ignorasse excommunicationem percussioni esse adnexam, & alia tergiversatione celari, allegando in judicio rumoris falsitatem; ideò quamdiu non constat per judicis sententiam, illum juris remedio non posse excusari, nunquam dicitur notorius Clerici percussor. Et ita hanc sententiam docent Covarruvias *in cap. alma mater, part. 1. §. 2. n. 7.* & Fagundez *præc. 1. lib. 2. c. 5 n. 12.* ubi sic asserit. Vt quis dicatur publicus percussor Clerici, vt illum evitare teneamur, requiritur, quòd nulla tergiversatione celari possit; Vnde licèt ea percussio notoria sit, & patens multis, si tamen non sit notorium iis, qui illam viderunt, percussorem nullam habuisse legitimam excusationem, qua in eo facto à peccato excusaretur, adhuc non censetur vitandus. Opus est ergo, vt constet percussorem nullam habuisse causam percutiendi, vt evitetur. Nam si potest probabiliter aliquam allegare veram causam, qua à peccato excusaretur, quamdiu non constiterit non ita esse, non erit vitandus. Hoc autem constare non potest, nisi per judicis sententiam, vel per facti notorietatem. Quamobrem rarò continget percussionem Clerici ita esse notoriam facto, vt non possit aliquo juris remedio, aut probabilitate aliqua excusari. Ita Fagund. & ante illum Sayrus *de cens. lib. 2. cap. 12. n. 18.* Igitur ex superiùs adductis censui, consulentes non fuisse adstrictos vitare supradictum publicum Clerici percussorem, & hæc notentur à Confessariis, quia passim erunt obvia, & à multis scrupulis liberi erunt.

RESOL. LVI.

An qui percussit Clericum publicè, & notoriè, sit statim vitandus ante judicis sententiam? Ex p. 5. tr. 9. Res. 61.

§. 1. CAsus est frequentissimus, & ad illum negativè respondet Cœlestinus *in comp. Theolog. mor. tr. 3 cap. 9. diffic. 3.* Nam vt vitetur publicus percussor Clerici, tanquam excommunicatus, necesse est vt talis percussio nulla possit tergiversatione celari, & nullo juris remedio, vel suffragio excusari; cùm igitur in hoc casu, & ferè in omnibus similibus, possit percussor Clerici notorius dicere fuisse se ebrium, aut in suam defensionem fecisse, vel ignorasse excommunicationem percussioni esse annexam, & alia tergiversatione celare crimen, allegando in judicio rumoris falsitatem, ideo quamdiu non constat per judicis sententiam illum juris remedio non posse excusari, nunquam dicitur notorius Clerici percussor, & ideo non est vitandus ante sententiam judicis, qui eum debet citare ad allegandum pro se. Ita Covarr. *in cap. Alma mater, part. 1. §. 2. n. 7.* & alii. Quamobrem rarò continget percussionem Clerici ita notoriam esse facto, vt non possit aliquo juris remedio, aut probabilitate aliqua excusari. Ita Cœlestinus, qui citat Fagundez *præc. 1. libro 2. cap. 5. num. 12.* quem ego ante illum citavi *in 3. part. tract. 5. resol. 14.* Vide etiam Coninch *de Sacram. disput. 14.*

Sup. hoc in Res. prætereita & in aliis ejus not.

Quæ hic est Res. antecedens.

RESOL. LVII.

An percussor notorius Clerici, eo ipso statim sit semper vitandus?

Et quæritur, quot autem testes requirantur, vt factum

dicatur notorium in Clerici percussione ?

Et an scilicet, si aliquis notoriè consuluit, vel mandavit, aut ratam habuit, vel non impedivit percussionem Clerici, sit evitandus, sicut notorius percussor ? Ex p. 9. tract. 4. Res. 18.

Sup hoc in duabus præcedentibus Res. & sup. in res. 51. §. Notandum, & superius in tr. 1. Res. 50. §. Sed ex his, & seq.

§. 1. PRacticabilis est iste casus, & de illo ego benigniorem opinionem dedi, quam me citato, sequutus est postea Pater Baunius *in Theol. mor. tom. 2. disp. 5. tr. 4. q. 2.* ubi sic ait: [Quæritur, an qui Clericum notoriè percussit, vitari debeat? Affirmativa nonnullis placet, ideò quòd Constantiense Concilium expressè habeat, publicum Clerici percussorem vitandum esse. Contraria tamen sententia defenditur à Covar. *in cap. Alma mater, p. 1. §. 2. n. 2.* Sayro *de cens. lib. 2. c. 11.* Rebuffo *in concordata rubrica de excom. non vitandis.* Sentit idem Fagundez *Præc. 1. lib. 2. c. 5. n. 12.* Diana *p. 3. tr. 5. res. 14.* * Negant enim hi Authores, percussorem Clerici vitandum esse, nisi postquam constiterit, eum justam causam nullam habuisse Clericum percutiendi: quare, licèt percussio sit notoria, & patens multis, si tamen non sit illis, qui ejus percussionis sunt conscii notum, percussorem excusandi sui legitimam nullam habere causam, à qua in eo facto excusetur à peccato, non est eorum opinione vitandus: unde, cùm de eo constare nequeat, nisi per facti notorietatem, aut sententiam Iudicis, ante eam non dicatur notorius Clerici percussor, ac vitandus. Diana *loco ante citato.* Quot autem testes requirantur, vt factum dicatur notorium in Clerici percussione, satis non constat. Quinque ad id non sufficere, tradit Aragon. *2. 2. q. 10 art. 4* imò neque sex, nisi majorem partem Congregationis componant, dixit Reginald. *lib. 1. prax. c. 10. n. 121.* Septem minimum de Communitate exigi, vt facti notorietatem inducant, scripsêre Marius Anton. *resol. lib. 13. res. 11.* Adrianus *in tr. 4. de Sacr. Euchar.* decem postulat. Communis est opinio, id judicio committendum esse prudentis viri, qui ex variis circumstantiis, qualitate actus, loci & temporis, arbitrabitur, quodnam factum dicatur notorium. Quare non est evitandus in communi vita, congressúque percussor Clerici, nisi cùm est publicus, ac notorius; pro tali autem non est habendus, nisi cùm percussio nulla tergiversatione celari, aut juris remedio niti potest; juris autem remedia sunt, Clericum ab ebrio percussum esse, aut à nesciente, ac ignaro tali actioni censuram annexam esse, aut ad sui defensionem. Quid? quod causari hîc potest, injustè de percusso Clerico diem sibi dici; innocentem se esse; in urbe, cùm cædes, aut injuria Clerico facta, non fuisse? Hæc ergo, aut eorum aliqua, quamdiu potest percussor culpæ suæ prætexere, publicus dici nequit, & notorius esse, nec is consequenter, cujus colloquia, congressúmque evitare oporteat. Ad id enim est opus, vt constet, nullam habuisse causam percutiendi, non fecisse defendendi sui gratia; nam si potest probabiliter allegare aliquam veram causam, qua in eo facto à peccato excusetur, quandiu non constiterit non ita esse, non erit vitandus: hoc autem constare non potest, nisi per Iudicis sententiam vel per facti notorietatem. Quamobrem rarò contingit, percussionem Clerici ita esse notoriam facto, vt non possit aliquo juris remedio, aut probabilitate aliqua excusari.] Hucusque Baunius, & iterũ ego: quod valdè notandum est à Confessariis, & Responsoribus Casuum conscientiæ: nam ex his à multis scrupulis, & anxietatibus, tam ipsi, quàm pœnitentes liberi erunt. Et ideò etiam hîc apponam verba Ioan. Garciæ *in Sum. moral. tr. 1. diffic. 3. dub. 2. punct. 5. n. 42.* ubi sic inquit: [El publico percussor no se ha de evitar, *si potest aliqua tergiversatione celari ejus percussio*; de suerte que si no fue la percussion delante todo el pueblo; ò convencido della por sentencia, ò confession del reo, aunque mas aya rumor, y fama que uno sacudio à un Cletigo, no se ha de evitar.] Ita ille.

* Quæ hic sup. Res. 55.

Sup. hoc in Res seq. & sup. in res. 51. § Nota tamen, ante med. à vers. An notorietatem, & inf. in Res 74 §. 1. inter princip. & med. vers. Vel quod notum.

2. Sed hic discutiendum est aliud dubium, an scilicet, posito, quod aliquis notoriè consuluit, vel mandavit, aut ratam habuit, vel non impedivit percussionem Clerici, sit evitandus, sicut notorius percussor? Et respondeo negativè, non solùm, quia sicut consulens, mandans, &c. non incurrissent hanc excommunicationem ex dispositione Canonis, *Si quis suadente*, nisi Summi Pontifices per Iura specialia id expressissent: ita etiam, dum Concilium Constantiense dum taxat jubet evitare nos debere notorios percussores, in ejus dispositione non includuntur consulens, mandans, &c. non solùm ea ratione, quod in odiosis verba sunt strictè ad litteram intelligenda, pro allegata à Mario Antonino *lib. 1. var. resol. 69. n. 2.* sed etiam, quia istæ causæ non incurrunt, quando efficaciter non influunt in effectum; & ideo licèt possit esse notorium consilium, mandatum, ratihabitio, &c. non potest tamen esse notorius ipse influxus efficax, qui est causa immediata incursus in ipsam excommunicationem, & per consequens, nisi præcedenti legitima probatione. Et ita hanc sententiam ex multis aliis rationibus firmat Leone *de cens. recollect. 5. n. 335.*

RESOL. LVIII.

Olim interrogatus fui, quot testes requirantur, vt factum dicatur notorium in percussione Clerici? Ex part. 2. tract. 16. & Misc. 2. Res. 22. aliàs 24.

§. 1. NOtitiam quinque hominum non efficere notorium facti, putavit Pet. de Arago. *in 2. 2. q. 10. art. 9.* Nec etiam notitiam sex hominum illud facere potest, nisi hi sint major pars illius Congregationis, putavit Reginald. *in praxi, tom. 1. lib. 1. cap. 10. n. 121.*

Sup. hoc in Res. 51. §. 1. vers. Quæ tamen.

2. Sed Mascardus *de probat. tom. 2. concl. 1101. n. 18.* & Marius Antoninus *variar. resol. lib. 3. resol. 11. n. 10.* putant ad inducendum notorium, ad minus septem testes requiri. Immò Adrianus *in 4. tr. de sacr. Eucharist. non longè à fine, §. oritur quæstio,* extendit ad decem.

3. Communiter verò DD. hoc relinquunt judicio prudentis viri, vt ex variis circumstantiis, & qualitate actus, loci, & temporis arbitretur, quod factum dicatur ita notorium, vt nulla possit tergiversatione celari: communiter autem ex tribus causatur notorium, scilicet ex hominum scientia, & loci, & temporis qualitate. Ita post DD. quos citat, & sequitur Bonac. *de cens. disp. 2. q. 2. punct. 1. §. 1. n. 5.* tenet etiam Sayrus *de cens. lib. 2. cap. 12. n. 2.*

4 Hinc colligit ex Navarro & Soto Avila *de cens. p. 2. n. 6. disp. 2. dub. 4.* percutientem Clericum coram decem, vel duodecim non esse notorium in magna civitate, bene tamen in oppido parvo, vicinia, seu collegio.

RESOL. LIX.

An dubius de percussione Clerici teneatur vitare percussorem?

Et docetur, vt teneamur vitare excommunicatum denunciatum, non sufficere dubium adhuc prudens denunciationis, sed requiri notitiam illius moraliter certam, quod excommunicatio sit expressè denunciata. Ex p. 4. tract. 3. Res. 71.

§. 1. * REspondeo quòd vt teneamur vitare percussorem Clerici, non sufficit dubium, quamvis prudens notorietatis, sed requiritur notitia moraliter certa. Ita Hurtado *de excommunicatione, disp. 11. difficult. 3. num. 10.* qui etiam *num. 7.* ex Suarez docet,

34. ad 43. & 44. docet, vt teneamur vitare excommunicatum jam denunciatum, non sufficere dubium adhuc prudens dictæ denunciationis, sed requiritur notitia illius moraliter certa, quòd excommunicatio sit expresè & specialiter denunciata.

RESOL. LX.

Quidam calcibus percussit Clericum in publica platea, & cum à tali excommunicatione non posse ab Episcopo absolvi dixissent aliqui viri docti, quæsierunt a me, quid in hac re ego sentirem?

Et in dubiis, an percussiones declarandæ sint potius graves, & enormes, quam leves? Ex p.2. tract.16. & Misc.2. Res.21. aliàs 23.

§.1. Respondi pro illis Theologis adesse Sayr. *de cens. lib.3. cap.28. n.6.* qui putat, quod ratione loci publici percussio aliàs levis efficitur enormis, sed cùm percussio, de qua loquimur, fuerit facta in publica platea, erit enormis, & consequenter ejus absolutio reservata Papæ. Ita etiam cum Sayro tenent Abbas, Sylvester, Tabiena, Graffius, D. Antoninus, & alii apud Maceratens. *var. resol. lib.3. res.11. n.10.* loc. in fin. & Res.4.

2. Sed ego contrariam sententiam consului. Nam puto cum Navar. *cap.27. n.92.* Aloysio Riccio *in dec. curiæ Archiep. Neap. p.2. dec.194. n.2. & dec.250. n.3.* Regin. *in praxi, tom.1. lib.1. cap.19. sect.1. n.240.* Philiarcho *in sum. de excom. lib.3. cap.33. in fine*, & aliis, injuriam factam in loco publico, tunc esse gravem & enormem, quando concurrunt duo, nempe, quòd sit notabilis, & gignat magnum scandalum. Et hanc opinionem putat probabilem ipse Sayrus *ubi suprà*, sed asserit, his non obstantibus, non esse tenendam, quia vt etiam notat Bonac. *de cens. disp.2. q.4. punct.5. n.2.* ex quadam Bulla Innocent. IV. quam affert Navarr. *suprà n.91.* in dubiis, percussiones declarandas esse potius graves, & enormes, quàm leves, ne præbeatur occasio lædendi statum Ecclesiasticum. sup. sect.5.

3. Sed respondeo cum Filliuc. *in quæst. mor. tom.1. tract.15. cap.1. n.45.* quòd supradicta Bulla est incerti authoris, & non continetur in jure. Ex his omnibus tunc putavi potuisse Episcopum ab excommunicatione dictum delinquentem absolvere.

RESOL LXI.

An calcibus percutiens Clericum in platea dicatur percussisse leviter in ordine ad obtinendam absolutionem? Ex p.9. tract.4. Res.19.

§.1. NOminatim contra me negativam sententiam tenet Stephanus Baunius *in Theol. mor. tom.2. disp.5. tract.4 q.2.* ubi asserit: [Quæritur, an censendus sit aliquis graviter esse percussus in ordine ad excommunicationem incurrendam, qui calcibus fuit appetitus in platea? Affirmat Sayrus *de cens. lib.3. c.286. n.6.* quia percussio ratione loci publici, quæ alioqui levis esset, fit enormis: ita ille cum aliis apud Maceratensem *var. resol. lib.11. n.10.* Addo ego non parum eo opere, ac simili, Clericorum dignitatem, ac nomen lædi: nam, quid ad eorum contemptum esse potentius potest, quàm unum eorum quempiam calcibus peti in oculis omnium? Opinio contraria defenditur à Diana *tr.16. resol.23.* Reginaldo *lib.1. cap:19. sect.1. n.240.* Navarro *cap.27. n.92.* quia, vt percussio censeatur esse gravis, quæ est in publico facta, debet duo habere: primò, quòd sit notabilis: secundò, quod generet scandalum. Primum deest (inquit Diana) percussioni dicti Clerici, qui calce est in platea impetitus: quare existimat cum aliis, quòd percutiens, ab Episcopo absolvi poterit ab excommunicatione incursa ob injuriam sic Clerico illatam. Hæc sententia non est probabilis: quid enim Clerico magis esse probrosum, turpéque potest, quàm spectante urbe, infra servos poni, & cum majore dedecore, ignominiáque plecti, quàm qui sunt sceleratissimi: nec enim hi, aut illi, si quid peccent, in platea vapulant; aut si ibi impudentiæ suæ pœnas pendunt, non eam calcibus, sed virgis luunt. Quare prima mihi sententia, vt probabilior, sequenda videtur in praxi.] Hæc Baunius. Sed sibi videtur contradicere: nam, si mea sententia affirmativa non est probabilis, vt ipse ait, quo pacto posteà suam sententiam negativam vocat probabiliorem? Si sua sententia est probabilior, sequitur quod nostra sit probabilis; & revera illam, tanquam probabilem, me citato, admittit Leone *de censur. recollect.5. n.382. in fine*, ex authoritate Navarri. Vide etiam Philiarchum *in Summa, lib.3. c.33. in fine*, asserentem, cum Navarro, injuriam factam in loco publico esse gravem; duobus tamen concurrentibus, nempe, si sit notabilis, & gignat aliquod magnum scandalum. Hinc rectè à fortiori fuit resolutum Papiæ, teste Mario Antonino *var. resol. lib.3 resol.11. per tot.* percutientem Sacerdotem in facie cum pugno; ex qua percussione exierunt de ore ipsius aliquæ guttæ sanguinis, incurrisse quidem in censuram, sed quia talis percussio existimata fuit levis, potuisse absolvi ab Episcopo.

Quæ hic est ante-cedens, & in alio §. ejus ultimæ not.

RESOL. LXII.

Quis potest absolvere à dictis percussionibus?

Et an hæc potestas extendatur ad quoslibet Prælatos jurisdictionem quasi Episcopalem habentes?

Et in textu Resolutionis explanantur omnes personæ in jure expressæ, quæ excusantur adire Pontificem pro absolutione ab enormem Clerici percussionem. Ex p.9. tract.4. Res.47.

§.1. REspondeo, quòd ab excommunicatione contracta ob levem percussionem potest Episcopus sibi subditos absolvere in utroque foro, vt colligunt Panorm. & communiter DD. *ex cap. Pervenit. de sent. excom. & Extrav.* Ioan. XX. *quæ incipit*, Perlectis. Sed, an hæc potestas extendatur ad quoslibet alios Prælatos jurisdictionem quasi Episcopalem habentes? non conveniunt DD. Negant Felinus, & Panorm. *in d. cap. Pervenit.* Sylvester *verb. Absolutio, 4. n.5.* quos sequitur Molina *tract.3. disp.59. n.2.* ducuntur: quia Pontifex *in d. cap. Pervenit.* committit Episcopo, vt Fratri, hanc potestatem: inquit enim textus: *Tuæ fraternitatis arbitrio duximus committendum.* Atqui nullus inferior Episcopo Frater à Pontifice nuncupatur, sed filius. Non igitur censenda est hæc potestas aliis ab Episcopo concessa. Sed hæc ratio infirma videtur: Pontifex namque, quia loquebatur cum Episcopo, nomine Fratris usus fuit; non, quia vellet hanc potestatem Episcopali tantùm characteri annectere: hæc enim potestas non Episcopo ratione jurisdictionis conceditur: aliàs eam delegare non posset, neque illius Vicario generali communicaretur, uti ipse Molina communicatam esse censet. Quapropter verius existimo, quoscumque Episcopali jurisdictione gaudentes hanc habere potestatem. Ab excommunicatione verò contracta ob gravem, & à fortiori ob enormem Clerici percussionem, jure communi spectato, nullus alius præter Pontificem, ejúsve Legatum, absolvere potest, exceptis aliquibus casibus in jure expressis, & quæ continentur in his versibus.

Regula, mors, sexus, hostis, puer, officialis,
Delicioſus, inops, agérque, senéxque, sodalis,
Ianitor, astrictus, dubius causa, levis ictus,
Debilis, absolvi sine Summa Sede merentur.

Sup. hoc Legato in to.1. tr.5. Res.16. §.Secluſa, in fine, &c. Et sup. contentis in his vers. regula.

&c. in Resolutionibus mor. seq:

Quos casus explanat Fragos. *de Rep. Christ. tom. 2. lib. 1. disp. 2. punct. ....n....* & Filliucius *tom. 1. tract. 15. n. 37.* qui omnes reducit ad tria capita, quæ inveniuntur *in cap. Quamvis, de sent. excomm.* Primò, scilicet, ad impedimentum corporale, sub quo reducuntur articulus mortis, inimicitiæ graves, paupertas, ægritudo, senectus, debilitas, cæcitas, &c. Secundò, ad impedimentum canonicum, quo asserit laborare servos, & filiosfamilias, exercentes munus publicum, & habentes aliam justam causam arbitrio boni viri. Tertiò, ad impedimentum ex juris beneficio, quo gaudent mulieres, impuberes, Officiales arcentes turbam, ostiarii, Clerici simul viventes, Regulares, & nobiles viri, aç delicati. Sed de his* *infra.*

* Infra hic etiam à Res. 65. usque ad 74. exclusivè.

RESOL. LXIII.

An quis, si pro enormi percussione non potest adire Pontificem, teneatur Romam mittere Procuratorem, vel epistolam pro absolutione? Ex p. 9. tr. 4. Res. 48.

Sup. hoc inf. in Res 72. §. Sed tria. ad lin. 4. & lege Res. not. seq. & in to. 9. tr. 7. ex Res. 117. §. 1. ante medium, à vers. solùm absolvendus, & si facilius hanc quæst. solvere velis, vide in to. 1. tr. 5. doctrinam Res 16. & aliarum ejus primæ not.

§. 1. NEgativè respondet Rodriq. *in Summa, tom. 1. cap. 144. n. 17.* ubi sic ait: [Aunque esta descomunion este reservada à su Sanctitad, però muy bien puede della absolver el Obispo, quando la percussion del Clerigo no fue enorme, sino pequeña, como esta decretado en Derecho, la qual puede hazer, no solamente el Obispo del delinquente descomulgado, mas aun el donde se hizo la percussion, como lo nota Innocencio, y lo tiene alegando otros la Cappella Tolosana. Tambien puede el Opispo absolver de la enorme, quando no se puede acudir al Papa, ni à otro, que tenga authoridad para la absolucion. Ni basta, que pueda embiar por la absolucion, para que el Obispo no absuelva; porque no obliga el Derecho à este descomulgado à embiar à Roma por ella, mas quiere que si puede vaya, y no pudiendo, que acuda à su Obispo, como lo nota Navatro *cap. 7. n. 96.*] Ita ille, cui adde Coninch *de Sacram. disp. 14. dub. 16. n. 241.* Henriquez *lib. 12. cap. 3. n. 1. & lib. 6. cap. 9. n. 7. in Glossa lit. O.* Sanchez *in Sum. tom. 1. lib. 2. cap. 13. n. 14.* & novissimè Hieronymum Garciam *in Sum. mor. tract. 1. diffic. 3. dub. 2. punct. 5. n. 39.* Castrum Palaum *tom. 6. disp. 3. punct. 23. §. 4. n. 18.* asserentes, quòd excommunicatione, seu casu Papali irretitus, qui ob legitimum impedimentum personaliter ire Romam nequit pro absolutione, potest tamen mittere procuratorem, qui ejus nomine petat, vel per epistolam petere absolutionem à Sede Apostolica, vt possit ab Episcopo suo absolvi vigore illius facultatis generalis absolvendi impeditos cum onere se præsentandi, licèt contratium asserat Bonacina *de cens. disp. 1. q. 3. punct. 2.* cum Leone, & Thesauro; testantibus de praxi, de qua ego *alibi.*

Alibi sup. in tr. 1. Res. 197. & in aliis ejus not.

RESOL. LXIV.

An Episcopus possit absolvere ex quacumque percussione Clericorum, etiam si percussor possit recurrere ad Summum Pontificem, dummodo percussio sit occulta?

Et an ferè eadem facultas Mendicantibus Religiosis concessa sit? Ex p. 9. tract. 4. Res. 63.

Sup. his pro Episcopis & Religiosis, magis latè infrà in Res. 74.

§. 1. REspondeo affirmativè: etenim ex Tridentino *sess. 24. cap. 6. de reform.* omnibus Episcopis, seu Episcopalem jurisdictionem habentibus conceditur potestas absolvendi ab hac, & ab omni alia excommunicatione, modò delictum occultum sit, neque ad forum contentiosum deductum: Mendicantibus verò Religiosis ferè eadem facultas concessa est. Et ita tenet Squillante *de privil. Cleric. cap. 6. n. 110.* Castrus Palaus *tom. 6. disp. 3. punct. 23. §. 4. n. 19.* & alii.

RESOL. LXV.

Quando ab Episcopo non est exigendum juramentum, ut absoluti à censura Canonis teneantur adire Pontificem? Ex p. 9. tract. 4. Res. 64.

§. 1. REspondeo, vt dictum est, quod quotundam absolutio ab enormi percussione permittitur Episcopo; quando, nempe, impedimentum est perpetuum: quale est in senibus, mulieribus, morbo perpetuo laborantibus, aut iis, qui membris destituti sunt: nec exigenda ab his est cautio juratoria adeundi Summum Pontificem: talis enim cautio, aut promissio in his esset inutilis, & ridicula. Et quamvis miraculo isti postèà curarentur à morbo, qui nulla naturæ vi curari potest; non tenerentur tamen adire Pontificem: quia jam plenè concessum illis est beneficium. Idémque de impubere dico, postquam adolevit: quod enim concessum est ætati, & cœpit habere locum, non cessat per ætatis accretionem.

2. Secundò, nonnulli, qui non habent perpetuum impedimentũ possunt per Episcopum absolvi ab enormi percussione, item ob inopiam, inimicitias capitales, ægritudinem, & subjectionem alterius potestati, v. g. cùm dominus grave pateretur damnum ob servi mancipii absentiam. In quo numero interdum esse possunt juvenes, quibus iter esset periculosum: Ita de his sentiunt Angelus *excom. 5. n. 59.* Panormit. *in cap. Ea noscitur de sent. excom.* Tabiena *excom. 5. casu 1. n. 47.*

3. Tertiò, officialis turbam pellens, ostiarius, & Clerici sub eodem tecto viventes, quamvis non possint ab enormi, possunt tamen à mediocri percussione absolvi per Episcopum. Sed nec his injungitur, vt adeant Sedem Apostolicam cessante impedimento. Sed de hoc *supra* etiam dictum est. Et ita docet Gordonus *in sum. tom. 2. lib. 7. q. 13. cap. 3. §. 5. num. 53.*

RESOL. LXVI.

An Principum Ianitores, Ostiarii, &c. percutientes Clericos sub prætextu officii possint absolvi ab Episcopo, quamvis percussio gravis sit, modo non sit enormis?

Et an Officialis non fortuitò, & incautè, sed titulo jurisdictionis percutiens ex odio Clericum, semper sit remittendus ad Papam pro absolutione, exceptis casibus legitimi impedimenti?

Et quæritur in hoc casu, cui incumbit onus probandi, an fortuitò, vel deliberatè Officialis, (vt supra,) percusserit Clericum arcendo turbam, ad hoc vt declaretur excommunicatio Episcopalis, aut Papalis?

Et observatur dictis Ianitoribus, & Officialibus, (dum ab Episcopo absolvuntur ab excommunicatione, Si quis suadente, contracta ob delictum enorme,) non esse injungendum onus se præsentandi postea Sedi Apostolicæ, sicut etiam mulieribus, pueris impuberibus, & delicatis magna potentia id onus non injungitur. Ex p. 9. tract. 4. Res. 55.

§. 1. REspondeo, quòd Ianitor, seu Ostiarius, qui prætextu sui officii percutit Clericum, etiam animo injuriandi, absolvi potest ab Episcopo, quamvis percussio gravis sit, modò enormitatem non attingat. Colligitur *ex c. Si vero, de sent. excom.* & *ibi* Glossa & Doctores. Idem dicendum est de officiali, seu apparitore alicujus potestatis, etiam laïcæ, qui arcendo turbam ex aliqua negligentia, non tamen ex proposito, Clericum percutit, qui ab Episcopo absolvitur, si percussio atrox non fuerit, *ex d. cap. Si vero.* Quòd si arrogando sibi jurisdictionem, & quasi id licitè præstare posset, & non in defensionem ostii sibi commissi, Ecclesiasticum percuteret, nequaquam absolvi posset ab Episcopo,

Episcopo, esto, percussio quoad læsionem corporis levis esset: quia gravis, & atrox est comparatione injuriæ statui Ecclesiastico factæ. Itaque officialis non fortuitò, & incautè, sed titulo jurisdictionis percutiens ex odio Clericum, semper est remittendus ad Papam pro absolutione, exceptis casibus legitimi impedimenti, vt colligitur ex textu *in c. Si vero*, §. *Officialis vero*, cùm ibi officiali titulo jurisdictionis, & non fortuitò percutienti Clericum, negetur favor concessus percutienti fortuitò: qui favor est solùm respectu percussionis levis, & mediocris. Et ratio hujus est: quia percussio facta ab officiali titulo jurisdictionis, licèt videatur levis; nihilominùs injuria clericalis status est gravis: quia nulli laico, inquit textus *in c. Si vero*, super Clericum tanta datur authoritas. Et hac ratione Cajet. *in Sum. verb. Excom. c. 10. vers. Demum circa*, ait, hanc percussionem Clerici titulo jurisdictionis, & authoritatiuè factam ab officiali laïco, semper esse gravem ex circumstantia personæ lædentis, nempe, quòd cùm sit laicus officialis, authoritativè percussit Clericum.

2. Et tandem observa, dictis janitoribus, & officialibus, (dum ab Episcopo absolvuntur ab excommunicatione Canonis. *Si quis suadente*, contracta ob delictum non enorme, vigore, seu beneficio juris in præallegatis textibus contenti,) non esse injungendum, onus se præsentandi posteà Sedi Apostolicæ. Et ratio est: quia talis favor in prædictis juribus non conceditur prædictis personis ratione impedimenti temporalis: sed ob rationem specialem personæ tali modo viventis, vel tale munus exercentis: sicut etiam mulieribus, pueris impuberibus, & delicatis magnæ potentiæ idem onus non injungitur, quia privilegium vt absolvantur ab Episcopo, non conceditur ob impedimentum temporale; sed ob specialem rationem personæ, vel actus, seu delicti. Et hæc omnia docet Gordonus *in Sum. tom. 2. lib. 7. q. 13. §. 5. n. 46.* Suar. *disput. 22. sect. 1. de cens.* Bossius *in discept. mor. discept. 1. dub. 19. num. 200. & seqq.* Castrus Palaus *tom. 6. disp. 3. punct. 23. §. 4. n. 16.* Molina *disp. 62.* & alii penes ipsos. Vide etiam *suprà*, ubi actum est de Helvetiis.

3. Sed quærunt Doctores in hoc casu, cui incumbat onus probandi, an fortuitò, vel deliberatè, officialis, *vt supra*, percusserit arcendo turbam, ad hoc, vt declaretur excommunicatio Episcopalis, vel Papalis? Innoc. *in d. c. Si vero*, putat incumbere ipsi Clerico percusso, ex regula: *Actore non probante*, &c. Contrarium tamen probat Panormitanus *ibid. n. 6.* quòd, scilicet, onus probandi incumbat officiali præfato percutienti: quia præsumptio est contra ipsum. Placet distinctio Alexandri de Nevo *in addit.* ad eundem Panormitanum, *littera H.* Aut exercendo officium percussit: & tunc est vera opinio Innocentii: nam ratione officij excusatur quis à dolo præsumpto, nisi contrarium probetur. Aut percussit non exercendo suum officium, quia, v. g. non aderat turba, quæ arcenda erat: & tunc est vera opinio Panormitani; quia tunc præsumptio est contra ipsum. Et hæc omnia docet Leone *de censuris, recollect. 5. num. 430.*

RESOL. LXVII.

An Episcopus possit absolvere Clericos, qui Collegialiter vivunt vel in Seminariis, Convictoribus se invicem percutientibus, non percussione levi, sed gravi?

Et notatur, quod quando dictis Clericis Collegialiter viventibus ab Episcopo absolutio censuræ impertitur, non est eis onus imponendum præsentandi se postea Sedi Apostolicæ.

Et quid est dicendum in prædicto casu de pueris ministrantibus in Ecclesia Cathedrali, vel alia Ecclesia, qui ibi communiter vivunt, & sustentantur de redditibus ab Ecclesia ad id deputatis?

Et quid de aliis pueris, qui in domo communi vivunt sub aliquo moderatore eorum? Ex p. 9. tr. 4. Resl. 58.

§. 1. REspondeo, quòd Clerici in eadem domo commorantes, sive ex redditibus communibus alantur, uti contingit in Seminariis Concilii Tridentini, & Collegiis Vniversitatum, sive unusquisque ad sui sustentationem concurrat, vt in Convictoriis Scholasticorum evenit, possunt ob percussionem gravem, modò atrox non sit, ab Episcopo absolvi, ex textu *in c. Quoniam de vita, & honestate Clericorum.* Quia ratione communis vitæ faciliùs itascuntur, seque invicem percutiunt, *l. Cujus pater*, §. *Dulcissimis ff. de legatis*, 2. ideóque fuit conveniens, ne pro qualibet injuria ad Sedem Apostolicam remitterentur. Sicuti tradit Panorm, *in dict. c. Quoniam, n. 3.* Sylvest. *verb. Absolutio, 4. n. 3.* Navar. *c. 27. n. 91.* Sayrus *lib. 3. c. 28. n. 26.* Et ideo Hieron. Garcias *in Sum. mor. tr. 1. diffic. 3. dub. 2. punct. 5. n. 39.* sic ait: [Regularmente toca el absolver de la percusion grave, y mediana, al Romano Pontifice, y à su Legado. Exceptase emperò lo primero, que los Obispos pueden absolver de la mediana à los Clerigos que viven en comunidad.] Ita ille.

Sup. hoc sup. in Resl. 65. §. vlt.

2. Notandum est tamen hìc ex Bossio *in discep. mor. de juris discept. 1. dub. 19. n. 202.* quòd quando dictis Clericis collegialiter viventibus ab Episcopo absolutio censuræ impertitur; non est eis onus injungendum præsentandi se posteà Sedi Apostolicæ: quia, vt *sup.* dictum est de janitoribus, & ostiariis Principum, talis favor in jure non conceditur prædictis ratione impedimenti temporalis, sed ob rationem specialem personæ tali modo viventis: ergo. Vide Suar. *de cens. disput. 22. sect. 1. n. 83.* Alterium *tom. 1. disp. 22. c. 2. dub. 4.* Bonac. *disp. 2. q. 4 punct. 5. n. 3* Gordonum *in Sum. to. 2. lib. 7. q. 13. §. 5. n. 47.* & Leon. *de cens. recoll. 5. n. 427.* qui cum Molina *tom. 4. disp. 62.* exemplificat hoc non solùm in commorantibus in Seminariis, & in Collegialibus Collegiorum Vniversitatum; sed etiam in pueris ministrantibus in Ecclesia Cathedrali, (vel alia Ecclesia, addo ego, vt est Neapolit Ecclesia B. Mariæ Annunciatæ, Incurabilium, &c.) qui ibi communiter vivunt, & sustentantur de redditibus ab ea Ecclesia ad id deputatis; imo etiam in Clericis, qui in domo communi vivunt, sub aliquo moderatore eorum, esto, ipsi ad suam sustentationem contribuant, vt sunt Convictoria Scholasticorum, vulgò, *Dozzine*: nam in omnibus istis militat ratio, scilicet, quòd majorem multò occasionem habeant se invicem percutiendi, quàm habeant alij, durúmque esset illos remittere ad Sedem Apostolicam pro percussione, quæ non sit atrox, & enormis, sed tantùm mediocris. Ita Leo, *ubi supra.*

Sup. in Resl. quæ hic est antecedens.

RESOL. LXVIII.

An Episcopi possint absolvere impuberes, qui Clericum percusserunt?

Idem est dicendum de puellis puberibus.

Et docetur, quod tales non tenentur postea se Sedi Apostolicæ præsentare, etiam si pueri impuberes doli tamen capaces, non petant absolutionem ante pubertatem, quamvis læsio facta tempore impubertatis sit enormis? Ex p. 9. tract. 4. Resl. 58.

§. 1.* REspondeo, quòd pueri impuberes, & sic minores quatuordecim annis, & puellæ puberes incidentes in hunc Canonem *c. Si quis suadente*, & in alium quemcunque, possunt absolvi ab Episcopis diœcesanis, *c. Pueris, 60 de sent. excom.* Sylvest. *ver. Absolutio, 4. n. 3. vers. Quintus*, dummodo sint doli capaces: nec tenentur se posteà Sedi Apostolicæ præsentare; quia beneficium semel indultum minori, ex quo cœpit habere locum, non extinguitur per ætatem majorem

* Sup. hoc sup. in Resl. 65. §. 1. & pro diffician impuberes incurrant hanc censurã sup. in tr. 1. Resl. 108. §. Verũ. Sed hic inf. pro quæst. hujus Resl. Vide §. Hinc Resl. 71.

supervenientem, Panorm. *in cap. fin. de sent. excom.* Vnde quamvis pueri impuberes, doli tamen capaces, non petant absolutionem ante pubertatem; possunt tamen absolvi post pubertatem, si postulent ab Episcopo, nec tenentur se præsentare Sedi Apostolicæ, quia illos excusat ætas à labore itineris, quamvis læsio facta tempore impubertatis sit enormis, *cap. ultim. de sent. excomm.* Sayrus *de cens. lib.3. cap.28. num.20.* Barbosa *in d.cap.Pueris, de sent. excomm.num.2. & in cap. Si quis suadente, n.87.* ubi sit sermo de pueris dumtaxat, qui pervenerunt ad majorem ætatem, hoc est, pubertatis, ante beneficium absolutionis; & tamen Summus Pontifex respondit, si postulent absolutionem, sive ante, sive post pubertatem posse absolvi ab Episcopo, Marius Alterius *tom.1. de cens. lib.1. disput.10.cap.4.fol.365.* Vide etiam Gordonum *in Sum. tom.2.lib.7. quæst.3. §.5.num.46.* Fragosum *de Repub. Chr.tom.2.lib.1.disp 2.§.3.num.59.* Bossium *in discept. mor. discept.1 dub.13.num.106.* & doctum Narbonam *in Annal. juris, an.60.q.13.n.2.* Vide etiam Baunium *in Theol.mor.tom.2.tract.1.q.3.dub.4.*

RESOL. LXIX.

An Episcopi possint absolvere mulieres cujusvis status, & conditionis percutientes Clericos ex quavis percussione?

Et an dicta absolutio danda sit simpliciter ab eodem Episcopo, & non ad reincidentiam?

Idem dicendum est, & multo magis de Monialibus?

Et an status personæ prius, & veritas negotij sit intimanda Romano Pontifici, antequam absolutio censuræ impendatur ab Episcopo mulieribus supradictis? Ex p.9. tract.4. Res.59.

Sup.hoc sup. §.1. in Res.65. §.1.

REspondeo affirmativè *ex cap. Quamvis, de sentent. excomm. & cap. mulieres, & cap. Ea noscitur, eod. tit.* Et quia absolutè dicta Iura loquuntur de habentibus fragilitatem sexus, & de mulieribus, non distinguendo, an sint sui, vel alieni juris; fortes, aut debiles; viduæ, aut maritatæ, divites, aut pauperes; ipsæ enim cujusvis status sint, & conditionis, ab Episcopo loci possunt absolvi, & quia semper in ipsis periculosum est vagari & virorum cœtibus se immiscere, dicta absolutio datur simpliciter ab eodem Episcopo, & non ad reincidentiam. Et consuetudo universalis approbat hanc expositionem, quòd Episcopi omnes fœminas absolvunt, etiam ab enormi læsione: quæ consuetudo hanc dare potuit jurisdictionem ipsis Episcopis. Quod multò magis dicendum

Sup. hoc vide infra §. vlt. Res.73.

est de Monialibus, non solùm vt mulieres sunt, provt dixit Glossa finalis, *in cap. de Monialibus, 33. eod. tit. de sent. excomm.* qua ratione continentur etiam à fortiori mulieres existentes in conservatoriis, non obligatæ ad aliquam clausuram; sed etiam, quia profitentur perpetuam clausuram, ut notant DD. ibi communiter. Et ita docet Suarez *de cens. disp.22. sect.1. num.63.* Alterius *tom.1. lib.5.disp.22. cap.2. quæst.2.* Sayr. *lib.13.cap.28.num.18.* Fragosus *tom.2.lib.1. disput.2.§.3.n.37.* Tiraquellus *in leg.10. connub.Gloss.1. part.10.n.33.* & alij penes ipsos.

2. Notandum est etiam hîc, quòd *in d. c. Mulieres,* delicioſi conceditur, vt possint per Episcopum à gravi Clericorum percussione, & aliis Papæ reservatis absolvi: hi tamen reduci possunt ad habentes corporis impotentiam, ratione cujus absque notabili vitæ, vel sanitatis corporalis periculo ad Sedem Apostolicam accedere nequeunt. Delicioſi autem dicuntur nobiles, & magnæ potentiæ viri, & ita delicati, vt laborem eundi ad Curiam Romanam sustinere nequeant, vt decernitur, *d.c. Mulieres,* ubi ita habetur: *De his vero, qui sunt magnæ potentiæ, & ita delicati, quod laborem veniendi ad Sedem Apostolicam nequeunt sustinere; respondemus, quòd status personæ prius, & veritas negotij est intimanda Romano Pontifici, & secundum consilium ejus tales erunt de commisso scelere corrigendi.* Ex quo textu constat, quòd antequam hi ab inferiori, seu ab Episcopo absolvantur à reservatis Papæ, est informandus Summus Pontifex, explicando ei statum personæ, & veritatem negotij; & secundum ejusdem consilium erunt de commisso crimine corrigendi: quod etiam tradunt omnes Doctores communiter, & præsertim Suar. *ubi suprà, n.80.* Alterius *ibidem.* Qui propterea dicunt, illis verbis textus non concedi simpliciter, vt possint prædicti delicati absolvi ab Episcopo; sed vt non teneantur absolutionem petere à Summo Pontifice Romam eundo; sed solùm consulere ad Summum Pontificem; addentes non requiri, vt ipsemet Episcopus consulat Papam; sed, quòd potest ille, qui indiget absolutione certiorem facere. An verò prædictæ personæ sint talis conditionis, & ita delicatæ, vt laborem eundi ad Sedem Apostolicam sustinere minimè valeant, ubi id non constat per evidentiam facti, id judicare pertinebit ad arbitrium Episcopi, seu Iudicum, juxta Glossam *in d. cap. Mulieres, ver. Laborem veniendi,* & Sayrum *lib.3. Thes. cap.28. n.22.* vel cujusvis prudentis viri, juxta Suarez, & Alterium *locis citatis.*

RESOL. LXX.

An Episcopi possint absolvere senes ex quacumque Clerici percussione?

Sed difficultas est, quinam dicendus sit senex? Ex p.9. tract.4. Res.60.

§.1. SEnes excusantur ab itinere ad urbem, & ideò Sup. hoc per Episcopum possunt absolvi: *ex cap. Ea* lege *noscitur de sent. excom.* Et ratio est: quia senes dicuntur infirmi, & ipsa senectus est morbus. Sed difficultas est, quinam dicendus sit senex? Aliqui tenent sensim, qui annum quinquagesimum attigit, usque ad septuagesimum. Ita Ioan. Andreas & Glossa *in cap.1. de celebr. Miss.* Ioan. Annanus *in rub. de delict. puer. col.1.* Corrasius *in l. Precibus, num.29. Cod. de impub. & aliis substit.* Grammat. *decis.34.n.4.* & de Afflict. *in comm. lit. ad Const. Neap. lib.2. rub.32. in fine.* Et pro hac opinione faciunt, *l.2. §. vlt. ff. de Dec. l.3. C. eod. & l. ultima, C. qui ætate se excus. lib.10.* quibus probatur, excedentes quinquagesimum quintum annum, (vt senes, & majores,) à muneribus personalibus excusari. Alii existimarunt, senem dici septuagenarium, nec infra hanc ætatem aliquid Iudicis; seu boni viri arbitrio relinqui. Ita Abbas *in cap. Quoniam sequentur, vt lite non contestata, n.18.* quem sequitur Stephan. Gration. *tom.5. discept. forens. cap.805.n.20.* Movetur Abbas: quia certum est, septuagenarium esse senem, cum passim à muneribus, à tutela, & à cura excusetur, *l. unica, C. qui morbo, aut ætate se excusant. lib.5. l.3. ff. de jure immunitatis, & §. Item major. instit. de excusat. tut.* Alij demum communiter id judicio Iudicis, seu boni viri relinquendum esse aiunt, qui arbitrari debet juxta qualitatem personarum. Ita Barbatia *cons.21. col.penult.lib.2.* & *cons.27.col.3.lib.3.* & *consil.45. col. penult.lib.4.* Menochius *de arbitr. lib.2. cas.59. num.3.* Mascardus *de prob. concl.1301. num.8.* Farinacius *in praxi crim. quæst.76. à num.83.* & ex nostris Sayr. *de censur. lib.3.cap.28. n.25.* Et hæc opinio est communior, (nisi senes sint in septuagesimo anno, & ultrà) nam alii aliis citiùs senescunt, juxta variam temperamenti qualitatem.

2. Dixi verò, nisi senes sint in septuagesimo anno, & ultrà:

vltrà: quia tunc mihi videtur quod judex, vel prudens, aut bonus vir non possit arbitrari non esse senes, id quòd tantùm sentire puto Abbatem, *ubi suprà*. Et quamvis superioribus ætatibus multi ultra septuagesimum, & etiam octuagesimum annum extiterint valdè fortes, & robusti, quos latè commemorat Menochius *de præsumpt. lib.6. præsumpt.46.à n.6. ad 21.* nihilominùs hodie septuagesimum annum agentes, & multò magis excedentes, sunt valdè debiles, & infirmi, & experiuntur labores, & dolores, multáque vitæ incommoda, vt tradit idem Menochius *n.21.* Ac proinde citra omne arbitrium censendi erunt senes, & nomine infirmorum comprehensi, præsertim in casu nostro, ubi agitur de senibus inhabilibus ad suscipiendum longum iter ad urbem absque vitæ periculo. Et ideò individualiter pro casu nostro Gratianus *in discept. forens. cap.805. n.18.* post Innocentium, excusat senem, quamvis sit fortis, dicens eum posse ab excommunicatione contracta ob Clerici percussionem absolvi ab Ordinario suo: quia periculosum est, senem proficisci. Addit etiam non esse illi injungendum vt cessante impedimento, Papæ se repræsentet; cùm senectutis impedimentum nunquam cesset.

3. Sed, his non obstantibus, videtur probabilis opinio doctissimi Iurisconsulti Narbonæ, qui *in Annalibus Iuris an.60. quæst.13. num.5.* ex Innocentio, & Sayro *de cens. lib 3. c.28. n.25.* absolutè docet, senes sexagenarios posse ab Episcopo absolvi, nec teneri Romam ad Pontificem adire ad obtinendam absolutionem pro gravi, vel enormi Clericorum percussione, cùm eximius itineris labor, quo frangatur opus est, qui tam immensum iter aggreditur, meritò in causa esse debeat, vt sexagenario tantundem hoc privilegium impertiatur: nam, licèt in hujusmodi ætate nonnullis robur, & optima membrorum expeditio contingat, hæc adeò lassitudini, & infirmitati existit obnoxia, vt vix sine labore, & periculo, nedum viam perficere, verùm neque proficisci valeat. Verùm plus addit novissimè Pater Fragosus *de Repub. Christ. tom.2. lib.1. disp.2. §.3. n.64. in fin.* docet enim in terminis casus nostri, quòd satis est, vt senex dicatur, si habeat annum quinquagesimum completum: & citat Corasium, & Grammaticum: sed tu cogita. Itaque, vt dixi, communiter Doctores requirunt annum septuagesimum. Ita tenet *ex leg.2. Cod. qui ætate.* Castrus Palaus *tom.6. disp.3. punct.23. §.4. num.18.* & Leone *de cens. recollect.5. num.468. & seqq.*

RESOL. LXXI.

An Episcopus possit absolvere à gravi, & enormi Clericorum percussione servos, & alios sub potestate constitutos?

Idem dicendum est de viro, qui in fraudem uxoris Clericum percuteret.

Et si supradicti fiant defluxu temporis sui juris, vel liberi, an teneantur adire Sedem Apostolicam?

Et advertitur, quod quando prædicti absolvuntur ab Episcopo injungendam esse illis satisfactionem aliquam pro recompensatione laboris in itinere. Ex p.9.tract.4. Resol.61.

§.1. REspondeo affirmativè, *ex c. Relatum, de sent. excom.* in duobus tamen casibus. Primò, si delinquant in fraudem domini, vel patris familiàs, vt eant Romam, & se subtrahant obsequio debito domino, vel patri, recurrendo ad Sedem Apostolicam pro beneficio absolutionis. Secundò, si dominus, vel pater grave damnum patiatur propter absentiam: nisi percussio sit tam gravis, vel enormis, & scandalosa, vt propter exemplum tollendum necessaria sit profectio ad Sanctam Sedem. Gama *de Sacramentis præstandis ultimo supplicio damnatis, q.5. n.22.* Sayr. *de cens. lib.3. c.28. n.28.* ubi ait, quando absolvuntur ab Episcopo, injungendam esse illis satisfactionem aliquam pro recompensatione laboris in itinere: puta, Orationem aliquam, jejunium, vel disciplinas pro aliquo tempore, Hostiensis *in d. c. Relatum, de sent. excommun.* & Astensis *in Summ. p.2. lib.7. tit.23. arg. tertio, §. Undecimus.* Idem dicendum est de viro, qui in fraudem uxoris Clericum percuteret; & de liberis, qui in fraudem patroni sui in hunc Canonem incideret, vt Romam irent; cùm non sint sui juris, & ex eorum absentia uxor, & dominus in grave damnum incurrerent. Quòd si prædicti fiant deflexu temporis sui juris, vel liberi, tenebuntur adire Sedem Apostolicam. Quod non puto verum, nisi quando excessus fuerit gravis, & enormis: quia absolutè, & sine conditione poterant absolvi ab Episcopo ex prædictis causis de percussione levi, vel mediocri, quando dominus, pater familiàs, uxor, & patronus ex eorum absentia sine culpa sua grave damnum paterentur, vt deducitur *ex c. Mulieres ex c. Relatum de sent. excommun.* Et hæc omnia latè docet Bossius *in discept. mor. de juris discept. 1. dub.13. num.119. & seq.* cum Fragos. *de Repub. Christ. tom.2. lib.1. disp.2. §.3. n.67.* & aliis.

2. Hinc non videtur admittenda doctrina Glossæ *in d.c. Mulieres, verb. Sui juris,* & quorundam aliorum sentientium prædicta procedere in filiofamilias impuberi, non autem in pubefacto, quem ait debere accedere ad Summum Pontificem pro absolutione: nam constat, prædicta procedere etiam in majori, & pubere existente in patris potestate: quia, vt dictum est in hoc casu consideratur non fragilitas ætatis, & impotentia delinquentis; sed jus patrium, & præjudicium tertij, quod præjudicium tertii ita consideratur in majori, sicut in minori, imò multò magis in majori, quàm in minori; cùm pater ex filio majori possit consequi majus auxilium, & subventionem, quàm ex minori; præterquàm quòd de impuberi adest alia dispositio, vt visum est * *supra*. Pro filio impuberi leg. sup. res.68.

3. Nota etiam, quòd licet per *d. cap. Relatum*, servus non sit cogendus ire ad Sedem Apostolicam, sed possit, & debeat absolvi ab Episcopo in illis duobus casibus, nempe, si in fraudem domini manus violentas in Clericum injecerit, vel si ex itinere dominus absque sua culpa notabile damnum patiatur, nihilominùs in eodem capite est hæc limitatio, vt sit servus, qui in fraudem percussit, etiam cum præjudicio domini, mittendus pro absolutione ad Sedem Apostolicam, quando excessus esset valdè gravis, & enormis, & ad scandalum, & pravum aliorum exemplum evitandum. Dummodo, ait textus, non sit tam gravis; & enormis excessus, vt propter vitandum scandalum, & tollendum exemplum hujusmodi servi ad Servum Servorum Dei venire debeant absolvendi. Quod idem propter identitatem rationis, dicendum est de filio familiàs: ad quod etiam facit caput, *Cùm illorum, de sentent. excommun.* ubi de hac eadem re agitur quoad Religiosos se invicem percutientes. In tali enim casu, propter vitandum scandalum, non esse habendam rationem temporalis damni ipsius domini, vel patris, vult Summus Pontifex in eodem textu. Vbi tamen duæ conditiones enormitatis, & scandali tollendi per profectionem ad curiam conjunguntur, simúlque requiruntur, & divisim non sufficiunt, vt Romam sint mittendi: ac proinde, si delictum non sit enorme, vel scandalum moraliter non timetur, vel non censetur adeò grave, vt non possit aliis modis tolli, noluit Summus Pontifex omninò illud sibi reservare in grave damnum alterius. Et ita docet Suar. *de cens. disput.22. sect.1. num.86.* & alij *ubi suprà*. * Sup. in res. quæ hîc est 68.

RESOL. LXXII.

An pauperes possint absolvi ab Episcopo, etiam si percussio Clerici fuerit enormis?

Et quid est dicendum de infirmis, & valetudinariis?

Et in textu hujus Resolutionis explanatur, qui sunt supra dicti pauperes.

Et notatur, quod infirmi, valetudinarii, aut præpediti à quacumque alia impotentia corporis incidentes in excommunicationem Canonis, Si quis Suadente, possint absolvi ab Episcopo, etiam si infirmitas sit temporalis, nempe febris tertiana vel quartana, aut podagra; & multo fortius si infirmitas sit incurabilis, & diuturna.

Et in corpore hujus Resolutionis explanantur impedimenta, pro quibus excommunicatus jure communi possit absolvi ab Episcopo, & non tenetur recurrere ad Papam pro absolutione, etiamsi percussio Clerici sit enormis.

Et an si cum prædictis impedimentis quis non teneatur personaliter adire Papam, & Romam, etiam non teneatur mittere procuratorem pro absolutione?

Et an cessante impedimento teneatur se præsentare Pontifici?

Sed adhuc duo advertuntur: Primum non esse concedendam hujusmodi absolutionem, quin excommunicatus parti læsæ satisfactionem præstet.

Secundum, in eventu, quo quis absolvitur ob temporale impedimentum exigi debere juramentum comparendi coram Sede Apostolica, vel aliàs authoritatem absolvendi habente, si convaluerit, alias in similem incidet excommunicationem. Ex p. 9. tract. 4 Res. 62.

Sup. hoc sup. lege doctrinam §. 2. Res. 65.

REspondeo, quòd tanquam impediti, à reservatis Papæ absolvi ab Episcopo possunt habentes impedimentum pauperratis, id est, qui tanta laborant paupertate, vt ad Curiam ire non possint. Ita *cap. Quod de his*, & *cap. Quamvis, de sent. excom.* & Doctores omnes. Quod si *in c. Ea noscitur*, videatur statui contrarium; id (vt observat *ibidem* Glossa *verbo Pauperes*,) intelligi debet de iis pauperibus, qui possunt ire ad Sedem Apostolicam, licèt pauperes sint. Dicuntur autem pauperes quoad hoc privilegiusti absolutionis obtinendæ ab Episcopo, etiam non mendicantes, carentes patrimonio, ex quo se alere possint, viventes tantùm ex suo artificio, qui non tenentur ostiatim, & cum verecundia sibi victum quærere in itinere: Ita Abbas *in d. cap. Ea noscitur, num. 5.* Nam pauperes dicuntur, non solùm mendicantes, sed etiam habentes congruam sustentationem; qui tamen, attento statu, & dignitate, videntur indigere. Bartolus *in l. 1. num. 35. cap. de sacros. Eccles.* Insuper, quoad hoc dicuntur pauperes, qui tenentur alere uxorem, & familiam, aut parentes suo labore, vel exercitio, non potentes iter agendo id facere, neque ex propriis bonis, quibus carent, neque alio modo. Dicitur quoque pauper, qui habet multas filias nubiles, quibus dotem dare debet ex Surdo *de alimentis, tit. 1. q. 93. n. 33.* Vbi autem quis solitus est mendicare, si aliàs est sanus, & robustus, quamvis pauper, non excusabitur ire Romam: quia mendicando ire potest, & non propterea cadit à proprio statu. Quod limitatur, nisi mendicando soleret sibi, & uxori, ac familiæ, vel parentibus providere, & iter agendo id præstare nequeat. Cæterùm, quis dicendus pauper, quæve paupertas censenda sit sufficiens impedimentum eundi ad Sedem Apostolicam, relinquitur judicio Episcopi vel alterius viri prudentis, qui attenta personarum, & circumstantiarum qualitate arbitrabitur. Vide Surdum *de alimentis, tit. 7. q. 9. n. 10.* Farinacium *in Praxi crim. q. 57. n. 93. & seqq.* Gonzalez *ad Regulam 8. Cancellariæ, Glossa 2. n. 43.* & alios penes ipsos.

2. Nota etiam, quod infirmi, seu valetudinarii, aut præpediti quacumque alia impotentia corporis, incidentes in excommunicationem Canonis, *Si quis suadente* possunt absolvi ab Episcopo, etiamsi infirmitas sit temporalis, nempe, febris tertiana, vel quartana, vel podagra. Sylvester *verb. Absolutio, 4. n. 3. vers. Nonus.* Abbas, & Innocentius *in d. cap. Quod de his, de sent. excommun.* Carolus de Grassis *de effectibus clerical. effectu 9. num. 162.* Bellettus *disqu. clerical. §. 3. num. 25.* Et multò fortiùs, si infirmitas sit incurabilis, & diuturna, Astensis *in Summ. part. 2. lib. 7. tit. 13 art. 3. §. Octavus*, & Navarrus *in Man. cap. 2. n. 88.* & Barbosa *in cap. Ad hæc de sent. excomm. n. 4. & in cap. Si quis suadente, n. 92.* ubi ait, infirmos, & valetudinarios ex consilio Medicorum esse dicendos. Farinacius *in praxi, part. 2. lib. 1. tit. 5. q. 41. n. 93.* & Menochius *de arbitr. cas. 60.* Infirmis accedunt membris destituti, qui si incidunt in excommunicationem pro Clerici percussione, Sedem Apostolicam adire non tenentur, & possunt à suo Episcopo absolvi. Vide Sayrum *de censur. lib. 3. cap. 28. num 31.*

3. Igitur breviter reassumendo supradicta, & aliqua addendo, assero, quòd ab excommunicatione Canonis, *Si quis suadente*, Episcopus Iure communi potest absolvere, etiamsi percussio fuerit publica, & enormis, quando percutiens excommunicatus est impeditus recurrere ad Papam, vt habetur *ex c. de cætero, de sent. excom.* Iusta autem impedimenta sunt hæc. Primo periculum mortis, *Can. Si quis suadente, 17. q. 4.* Secundò, infirmitas longa, etiamsi periculosa non sit. Tertiò, inimicitia capitalis. Quartò, paupertas. Quinto, ætas senis, vel impuberis, licèt post pubertatem petat absolutionem ab excommunicatione, quam ante pubertatem incurrerit, *cap. ult. de sentent. excommunic.* Sextò, esse sub cura parentum. Septimò, obligatio alendi uxorem, filios, & familiam. Octavò, cura animarum, si timeat, quòd per ejus absentiam oves patientur detrimentum. Nonò, servitus, quando talis servus non potest adire Romam sine præjudicio domini, & dominus non fuit causa, quòd incideret in excommunicationem, *cap. Relatum de sent. excom.* Decimò, fragilitas sexus, nempe, in fœmina, cujuscunque conditionis sit, *cap. Mulieres de sent. excomm.* & *cap. Quamvis eod. tit.* Et denique quodlibet impedimentum, quod arbitrio viri prudentis judicabitur legitimum.

4. Sed tria sunt notanda. Primò, quòd licèt hæc impedimenta videantur solùm esse admittenda in absolutione ab excommunicatione propter percussionem Clerici, tamen generaliter admittenda sunt. Secundò, quòd qui propter aliquod ex his impedimentis, est impeditus ire personaliter Romam, non tenetur mittere procuratorem pro absolutione, nec epistolam. Ita Henriquez *lib. 6. de pœnit. cap. 9. num. 7.* & *lib. 12. de matrimonio, cap. 3. n. 1.* Tertiò,* quòd qui propter aliquod impedimentum absolvitur ab Episcopo ab excommunicatione reservata Papæ, debet, cessante impedimento, se præsentare Pontifici. Et hæc omnia, præter alios, docet Avila *de censur. part. 2. cap. 7. disp. 1. dub. 6. conclus. 3. per totam.*

5. Adverte, quòd aliqui limitant supradictam doctrinam, quando talis impeditus potest adire Legatum, vel alium habentem Privilegium Papæ ad absolvendum. Verùm hæc limitatio non placet Henriquez *lib. 12. de matr. c. 3. n. 1. in Glossa, littera H*, ubi quod sufficit, non esse recursum ad solum Papam, & dicit ita sentire quosdam Recentiores; & ego idem judico: nam in his casibus absolvit Episcopus, tanquam proprius Pastor, & potestate ordinaria: illa enim potestas ordinaria, quæ sublata erat ei per reservationem re- stituta est existente impedimento recurrendi ad Papam. Confirmatur: hæc reservatio respectu Episcopi cessat

est odium : ergo strictè est interpretanda. Et ita docent plures, & cum ipsis Avila *loco citato.*

6. Adverte etiam cum Castro Palao *tom.6. disp.3. punct.23.§.4.num.20.* quòd pro prædictis duo advertenda sunt. Primum, non esse concedendam hujus excommunicationis absolutionem, quin excommunicatus priùs parti læsæ satisfactionem præstet, quantùm commodè possit. Secundum in eventu, quo quis absolvitur ob temporale impedimentum, exigi debere juramentum comparendi coram Sede Apostolica, vel aliàs authoritatem absolvendi habente. Quòd si postmodum non comparuerit, in similem excommunicationem incidet, juxta textum *in cap. Eos qui, de sent. excomm. in 6.*

RESOL. LXXIII.

An Episcopus possit absolvere Religiosos, si se invicem percusserunt, vel an sit necessaria licentia Superioris Regularis?

Et quid, si percussio sit gravis, aut enormis?

Et quid est dicendum, si Prælatus Regularis nolit per se, vel per alium concedere absolutionem?

Et notatur, quod idem dicendum est de Monialibus, si aliqua aliquam aliam etiam Conversam, aut Clericum percusserit : quod potest absolvi ab Episcopo in cujus Diœcesi Monasterium fuerit.

Idem est etiam dicendum de Monialibus Novitiis. Ex p.9. tract.4. Res.54.

§.1. REspondeo affirmativè cum licentia Superioris Regularis, si percussio sit levis tantùm, & non gravis. Ita Molina *tr.6.disp.61.n.4.* Avila *de censur.p.2.c.7.disp.1.dub.6.* Sanchez *in Summ. tom.1.lib.4. c.19.n.3. & seqq.* Et colligitur *ex c. Luminoso,* 18.*q.2.* ubi habetur, Episcopum posse exercere jurisdictionem de consensu Abbatis in Monasterio exempto. Neque obest, hanc exemptionem Religioni concedi : nam ipsamet Religio cõsentit medio Prælato in subjectionem Religiosi Episcopo factam, utpote sibi convenientem. Quòd si Prælatus Regularis absit, & sic illius præsentia, & licentia desit ; poterit Episcopus in defectu ejusdem Prælati, si non ex vigore juris, saltem ex æquitate, dictos Regulares exemptos absolvere, ne sint deterioris conditionis, quàm alii omnes. Verum, si Prælatus regularis nolit per se, vel alium absolutionem concedere ; inpiscendum est, an justè eam deneget, vel injustè. Nam, si justè, cò quòd atrocitas delicti petat cogere Religiosum Sedem Apostolicam adire ; nequaquam poterit Regularis à Diœcesano absolvi. At si manifestè constet injustè absolutionem denegare, (quòd rarò, vel nunquam continget,) poterit Religiosus se Episcopo subjicere, & ab eo absolutionem obtinere : quia eo casu censetur Religio, vel Pontifex jurisdictionem Diœcesano concedere : tum quia Superior regularis exemptione abutitur : tum, quia sic Religiosus injustè vexatur, illiúsque exemptio cedit in Religionis præjudicium. Vide Molin. *disp.61.* Sanch. *in Summ.tom.1.lib.4.cap.39.* Castrum Palaum *to.6.disp.3.punct.23.§.4 n.11. & seq.* cum Bossio *in discep.mor.de jur.discep.1.dub.19 n.199.*

2. Nota, quòd idem dicendum est de Monialibus, si aliqua aliquam etiam Conversam, aut Clericum percusserit, quòd, scilicet, potest absolvi ab Episcopo, in cujus Diœcesi Monasterium fuerit, *cap. de Monialibus,* ubi Glos. *fin de sent.excom.* & ibi scribentes Sylvester *in Summ. verb. Absolutio,4.num.3.* Sayrus *de cens.lib.3. c.28.num.12.* & alii. De Novitiis autem Monialibus idem dicendum est, quod scilicet, si percutiant aliquam Monialem, vel alteram Novitiã, possunt absolvi ab Episcopo. Et ita docet Fragos. *de Rep.Christ.tom.2. lib.1. disp.2. §.3. num.55.*

RESOL. LXXIV.

An Regulares possint absolvere à percussione enormi Clericorum, quando est occulta?

Et an Regulares privilegiati possint etiam hodie absolvere Seculares à casibus Bullæ Cœnæ Domini, dummodo sint occulti? Ex part.9. tract.4. Res.65.

§.1.* AFfirmativè respondet Fagundez *in quinque Præcepta Decalogi, Præcept.2. Eccles. lib.8. cap.8. num.29.* ubi sic ait : [Ex dictis infertur, quoties delictum perpetratum est coram quinque, adhuc esse occultum : & si in vicinia, aut loco, vel Collegio ad minimum sint decem, non sufficere quinque, vt publicum dicatur ; sed oportet, vt notum sit sex ; quia tunc jam est majori parti notum. Vnde patet, posse Episcopos, & Regulares ad id privilegium habentes absolvere ab excommunicatione Canonis, *Si quis suadente*, etiamsi læsio sit enormis, & gravis, modò sit occulta aliquo ex prædictis modis. Et parum refert, quòd reus laboret infamia : nam id quod aliqua tergiversatione celari potest, licèt homo laboret infamia adhuc dicitur occultum : quia opponitur notorio. Et id in hoc foro conscientiæ dicitur occultum, quod nondum publicum, aut notorium juris est : illud, quod nulla tergiversatione celari potest, vt benè etiam notat Graphius *lib.1.decisionum aurearum, cap.13.num.43.* & Sotus *de tegendo secreto, memb.2.* vel quod notum non est majori parti vicinæ, oppidi, aut Collegii. In una tamen civitate magna, non sufficit, quòd crimen notum sit decem, aut undecim, vt notorium dicatur, vt patet.] Ita Fagund. quem noviſſimè sequitur Pellizarius *in Man. Regul. tom.2. tract.8. cap.3. sect.2. subsect.2. n.87.* ubi sic ait : [Quæres, * an, & quomodo Regulares vi suorum privilegiorum possint absolvere sæculares à quinque casibus contentis in decreto derogatorio. Clem.VIII. à nobis relato *q.præced. suppos.2.* Respondetur, non posse, si sint publici, ac notorii : id enim constat ex tenore præfati Decreti, quod ad minimum debet de his intelligi : si verò sint occulti, non videri aliquibus improbabile, quòd Regulares possunt ab iis absolvere : idque ex doctrina, quam tradidimus *quæst. præced. suppos.4.* quámque approbans Fagund. *Præcep. Eccl. lib.8. cap.3.n.29.* disertis verbis docet, Episcopos, & Regulares ad id privilegiatos posse absolvere ab excommunicatione, *Si quis suadente*, etiam si læsio sit enormis, & gravis, modò sit occulta : quod idem sine dubio, si velit consequenter philosophari, debet Fagundez concedere etiam de aliis 4. casibus in præfato Decreto derogatorio contentis ; cùm sit par ratio de his, ac de illo, quem concedit de facto. Ratio autem, qua nituntur isti recentiores, est ; tum, quia Regulares privilegiati *ex dictis præced. quæst. suppos.4.* possunt absolvere à casibus Papalibus occultis ; & cùm talis potestas non extendatur ad casus Bullæ Cœnæ ob rationes adductas *quæst. præced.* nec sit necessaria ad alios casus Papales in dicto Decreto non comprehensos, (cùm ab his simpliciter, & absolutè possint absolvere, juxta dicenda *infrà, quæst. sequenti*,) ea saltem debet extendi ad hos quinque casus ; alioqui esset omninò inutilis : tum, quia restrictio privilegiorum, vt odiosa debet interpretari, ita vt minùs iis deroget, quàm fieri possit : hoc autem sit in casu nostro, si Decretum Clem. VIII. præallegatum ita explicemus, vt dicamus, per illud auferri facultatem absolvendi à supradictis quinque casibus, non quidem absolutè, (quod esset omninò derogare privilegiis Regularium,) sed solùm in casibus publicis, aut notoriis, non item occultis : quo modo utique quam minimum derogatur dictis privilegiis. Ita dicti Recentiores :

* Sup. hoc tam pro Regularibus, quam pro Episcopis supra in Res. 64.

Sup. hoc magis latè sup. in Res. 58. & in aliis ejus annot.

* Sup. hoc in tom.7. tr.1. Res.268. & in aliis ejus primæ not. & ex latâ doctrina Res. 271. cursim sed resolutivè in §. Sed postea, ante medium, vers. Injicientium manus. Sed lege antea à § Versũ non desinam, & si placet à principio dictæ Res.

Recentiores : quam probabiliter, ipsi viderint, aliique judicent. [Hucusque Pellizzarius ; qui tamen postea *in c.6.sect 3.n.189.* sine ulla trepidatione tenuit absolutè sententiam Fagundez. Sed ego prorsus teneo, non esse recedendum à sententia negativa, quam approbat stylus Curiæ & verba decreti Clementis VIII. sunt satis clara, & absolutè, & sine ulla distinctione prolata. Vnde caveant Regulares; sententiam affirmativam in praxim deducere: nam ex illa sequeretur, quòd etiam possent absolvere sæculares à casibus Episcopo reservatis, si essent occulti : nam eodem pacto Pontifex loquitur de illis quinque casibus Papalibus, ac de casibus Episcopis reservatis. Ergo, &c.

Sup. hoc in Ref. 1. not. præteritæ, &c.

2. Nota etiam hîc incidenter, non deesse viros doctos, asserentes, Regulares privilegiatos, posse etiam hodie absolvere sæculares à casibus Bullæ Cœnæ, dummodo sint occulti ; quorum rationes adducit Pellizzarius, *ubi suprà, num.72. & seqq.* Qui tamen rectè asserit, non esse recedendum à contraria sententia, nempe non posse Regulares absolvere à dictis casibus, neque publicis, neque occultis.

Sup. hoc inf. in tract.8. Ref 39. & in aliis ejus primæ annot. & etiam secundæ, & tertiæ.

RESOL. LXXV.

An Regulares possint absolvere sæculares, qui percusserunt Clericum levi percussione ? Ex p.9.tract.4. Ref.53.

§.1. NEgativè respondet noster Pater Leone *de cens. recollect.5. num.350.* ubi sic ait ? [Licèt Regulares virtute suorum privilegiorum de absolvendis ab omnibus censuris, etiam Papæ, extra tamen Bullam Cœnæ, reservatis, poterant olim absolvere percussores Clericorum, non solùm quando percussio esset levis, vt potest Episcopus, & loquitur Rodriquez *part.1. qq. Reg. q.61. art.8.* sed etiam quando erat gravis, vel mediocris, vt loquitur Ioan. de la Cruz *lib.2.de statu religiosis, & privilegiis ipsius, cap.7. dub.1. per totum :* hodie tamen ob Decretum Clem. VIII. de absolutione à casibus reservatis, sub die 26. Novembris 1602. non possunt absolvere, non solum quando dicta percussio est gravis, vel enormis ; sed neque quando est levis, nisi habeant facultatem circa casus Episcopo reservatos, aliàs incurrunt excommunicationem.] Ita ille.

2. Sed affirmativam sententiam tenet Pater Lezana *in sum.tom.3.verb.Clericus, n.18.* ubi asserit: [Ab hac excommunicatione contracta ob percussionem Clerici, vel Monachi, sive percussio sit levis, sive mediocris, sive etiam enormis, absolvunt illi Confessarii, qui facultatem habuerint absolvendi à casibus Papalibus, quales sunt aliqui Regulares. Quia tamen in Decretis Sacræ Congreg. sub Clement. VIII. *ibi* adductis declaratur, quòd per universam Italiam extra Vrbem, non possint uti dictis privilegiis quoad hunc casum injectionis violentarum manuum in Clericos; ideò solùm possunt uti illis in Vrbe, & in aliis Regularibus extra Italiam. Similiter, quia in posteriori Decreto Sacræ Congreg. in quo moderatū est prius, dum de hujusmodi casu dicitur non posse absolvi à Confessario virtute quorumcumque privilegiorum, sic habetur : Injicientium violentas manus in Clericos, juxta Can. *Si quis suadente, 17. q.4.* ac juris dispositionem : cùm juxta juris dispositionem *in cap. Pervenit de sent. excom.* levis percussio Clerici non sit Papæ reservata, sed Episcopo delegata aut commissa ; ideò videtur posse absolvere, etiam intra Italiam ab excommunicatione contracta per levem percussionem Clerici præfatos Regulares habentes dicta privilegia.] Hæc Lezana, cui adde Naldum *in Summ. verb.Clericus, num.39.* sic aientem : [Clerici percussio nuper Summo Pontifici reservata quoad omnes Confessarios, tam sæculares, quàm Regulares, ne ab illa in vim suorum privilegiorum possint absolvere, provt in Decreto Clem.VIII. casus, *in fine*, videtur intelligenda de mediocri, & gravi, non etiam de levi, ex quo illa extenditur ad mandantem consulentem, &c. id enim satis innuunt verba ejusdem Decreti *ibi*, juxta juris dispositionem, per quam extenditur Canon, *Si quis suadente.* Liquet autem, per eandem juris dispositionem Episcopo, & non Summo Pontifici reservari percussionem levem, vt habetur expressè *in cap. Pervenit. de sent. excomm.* ideò ab ipsa, vt pote Sedi Apostolicæ non reservata, poterunt absolvere Confessarii habentes privilegia absolvendi à censuris in jure Episcopo reservatis, cùm per eadem privilegia concedatur ipsis facultas absolvendi à reservatis Summo Pontifici, præter exceptas in præfato Decreto, *argum. cap. Cui conceditur. de regul. jur. in 6.*] Ita ille. Verùm, quia audio Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium die 18. Iulii 1642. quandam declarationem circa hoc evulgasse, illam consulendam esse puto.

RESOL. LXXVI.

An si in Monasterio sit tantum Superior & alius Religiosus, & se invicem percusserint, possint se invicem absolvere ?

Et an in hoc casu se invicem absolvendo, neque peccatum participando in divinis, neque irregularitatem supradicti incurrant ?

Sed advertitur, quod prius absolvens non absolvat Sacramentaliter, hoc est etiam à peccatis, sed tantum extra Sacramentum, & ab excommunicatione tantum præcisè, deinde absolutus primus potest ab utrisque absolvere. Ex p.9. tract.4. Resol.52.

§.1. DIfficultas est : quia in tali casu videtur, quòd Prælatus nequit subditum absolvere, cùm sit innodatus vinculo excommunicationis, & ideò habeat impeditum usum jurisdictionis spiritualis, vt docent communiter Doctores, per text. in Can. *Audivimus, 24.q.1.& cap.1.de offic.Vicar.in 6.& cap.Scitis, cui de offic.deleg.eod.lib.6.& ex c.1.de suppleud. neglig. Prælat.eod.lib.6.& c. Prudentiam, §.6. de offic. deleg. & cap.duobus de sent.excom.* Item eadem ratione nec etiam potest subditum in Confessorem eligere, quia subditus excommunicatus est, ideò eligi non potest.

2. Hoc tamen non obstante, aliqui respondent ad casum propositum affirmativè : quia, licèt de jure communi excommunicatus non possit alium pariter excommunicatum absolvere, ex notatis *in c. Audivimus 24.q.1.* in casu tamen necessitatis, ubi non est alius Religiosus, qui possit eos absolvere, potest alius excommunicatum alium excommunicatum absolvere, quamvis contrarium sentiat Suarez *de censur. disp.22. sect.1.n.79.* dicens, Abbatem percutientem suum subditum, si habeat Superiorem regularem, posse quidem ab eo absolvi : si verò non habeat, tunc Episcopus debebit illum absolvere : quod probat *ex c. Monachi, ibi: Quod si discretio Abbatis non sufficiat, ab Episcopo est adhibenda correctio.* Tunc enim maximè non videtur talis Abbatis discretio sufficere: quia non est ipse conveniens Iudex in propria causa : ergo absolvendus est per Episcopum. Sed tu tene nostram sententiam, quam tuetur Bossius *in disceptat. mor. de jur. disceptat.1. dub.19. n.194.* cui adde Patrem Bordonum *in const. Reg. tom.1. ref.28.n.57.* ubi ait, quando alter non est valens absolvere, potest Superior facere facultatem subdito, vt seipsum absolvat, & vice versa potest Superior absolutus suum subditum absolvere : quia is censetur casus necessitatis, in quo lex servari non potest ; ac proinde neque peccatum participando in divinis, neque irregula

irregularitatem incurrunt, si exercent actum absolutionis ab excommunicatione. Illud de peccato patet ex illo versu:

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Scilicet, ex ultima dictione, quæ non tantùm verificatur de communicante cum excommunicato; sed etiam de ipso excommunicato participante cum aliis. Alterum de irregularitate intelligendum est hoc modo, quòd primò absolvens non debeat absolvere sacramentaliter, hoc est, etiam à peccatis, sed tantùm extra Sacramentum, & ab excommunicatione præcisè: quia necessitas absolvendi refertur tantùm ad excommunicationem; qua sublata, debet deinde absolutus primùm ab utrisque absolvere, hoc est, à censura, & peccatis: hoc enim modo salvatur incursus irregularitatis, quæ ab excommunicato non incurritur, nisi quando exercet actum Ordinis sacri; non autem si exerceat actum jurisdictionis, qualis est in casu hoc absolutio à censuris extra Sacramentum, vt, aliis citatis, docet Sayrus *lib.7. de censur. cap.9. num.10.* Et hæc omnia docet Bordonus *ubi suprà*, qui citat Sorbum, & Rodriquez.

3. Verùm sententiam Patris Suarez sequitur Tamburinus *de jure Abbatum, tom.2.disp.14.quæst.11.n.4.* & ideò distinguit, sic asserens: [Si percussio non est publica, sed occulta, potest tunc Prælatus absolvere subditum, quia nondum est privatus jurisdictione, & communicatione cum illo, saltem in bonum subditi. Si verò percussio publica fuerit, cùm ob excommunicationem Prælatus jurisdictione privatus sit, non poterit subditum absolvere, aut è converso; sed debet tunc alium Sacerdotem habilem extra Religionem eligere, qui eum absolvat, & deinde ipse absolutus subditum excommunicatum poterit absolvere: quia subditus non habet eam facultatem, scilicet, sibi Confessarium eligendi, neque Prælatus ob vinculum excommunicationis potest illam concedere, quia id esset actum jurisdictionis exercere, quod non licet nominatim excommunicato, vel publico Clerici percussori. At Abbas, sibi Confessarium eligendo, non exerceret actum jurisdictionis; sicut faceret, licentiam subdito ad id concedendo; sed uteretur quodam juris privilegio sibi concesso, quod non interdicitur excommunicato. Nec obstat, quod Prælatus eligendo confessorem, delegat illi suam jurisdictionem, vt ea circa se utatur, qui videtur esse actus jurisdictionis: nam respondetur, non ipsum, sed Summum Pontificem, vel superiorem Prælatum ei talem jurisdictionem committere: quia virtute privilegium, eo ipso quòd à Prælato eligitur, immediatè illi conferuntur omnes facultates Pontificiæ, quia vices superioris Prælati in eo munere gerit.] Ita Tamburinus ex Suarez. At absolutè sententiæ Bordoni, & aliorum ego adhæreo, quam novissimè sequitur etiam Pater Lezana *in Summa, tom.3. verb. Clericus, 17.* qui citat Portel. quibus adde Fragosum *de Repub. Christ. tom.2. lib.1. disp.2. §.3. num.56.* & *lib.11. disput.24. §.15. num.28.*

RESOL. LXXVII.

An Superiores Regulares possint absolvere à censura hujus Canonis suos subditos?

Et quid est agendum, si Religiosi se invicem percutiant extra Claustrum Monasterii?

Et quid, si Prælatus Regularis percutiat aliquem subditum?

Et an Prælati Regulares, & eorum Vicarii ex privilegio possint suos subditos absolvere, etiam si percussio sit enormis?

Et notatur suprà dicta procedere, quando Religiosi se adinvicem percusserunt, nam si percutiant Clericum suæ, vel alterius Diœcesis, non gaudent prædicto privilegio.

Potest tamen in tali casu illos Episcopus absolvere, si percussio sit talis, à qua Episcopus eosdem Clericos absolvere possit, id est levis.

Et quid, si Religiosus percusserit Episcopum ipsum, vel Abbatem? Ex p.9. tract.4. Resol.49.

§.1. REspondeo, quòd possunt Superiores regulares de jure communi absolvere suos ab hac excommunicatione, modò sit contracta ex levi, vel mediocri percussione facta in se invicem, *c. Monachi, 2. de sent. excom.* & licèt *ibi* non distinguatur de levi, & enormi, tamen *c. Cùm illorum, 32.* & *cap. Canonica 50. eod.* etiam de intellectu *dicti capit.* venit solùm levis ac mediocris; & enormis reservatur Papæ, qualis mutilatio, effusio sanguinis, percussio Episcopi, vel Abbatis, vt expresè dicitur in dictis aliis duobus capitibus. Quamvis autem hæc facultas absolvendi à percussione levi tribuatur à jure Prælatis regularibus, quando eorum subditi se invicem in Claustro percutiunt nihilominùs absolvi possunt se invicem percutientes extrà Claustrum. Tum, quia Papa expressit Claustrum: quia ibi solent se percutere, ubi ordinariè manent: unde respiciendo ad id, quod vt plurimùm solet accidere, non restrinxit absolutionem ad percussionem claustralem. Tum, quia *in c. Canonica*, nullum expressit locum: ergo videtur parum referre hoc. Quare possunt absolvere illos, licèt se percutiant extra Conventum. Et hæc omnia docet Pater Bordonus *in consil. regul. tom.1. resol.28. n.49.* citans Rodriquez, Coriolanum, & Angelum, quibus ego addo doctum, & amicissimum Patrem Bossium *in disceptation. moralib. de jurisdict. Episcop. & aliorum*, &c. *discept.1. dub.19. n.190. & seqq.* qui optimè observat, quòd favor dictorum Canonum comprehendit etiam Prælatum ipsum regularem, qui si percusserit suum subditum, poterit absolvi ab alio Sacerdote subdito suo à se electo: tum quia caput non debet esse minori favore dignum, quàm membra: tum, quia appellatione Monachi venit Abbas in materia favorabili, *cap. fin. de verborum appellatione.* Et supradicta procedunt, quando percussio est gravis: secùs erit, si excessus fuerit enormis: nimirum, si sit deventum ad mutilationem membri, vel effusionem sanguinis, vel in Episcopum, aut Abbatem manus violenta injecta; quibus verbis textus *in dict. cap. Cùm illorum, de sent. excomm.* explicat enormem percussionem. Et constat *ex cap. Canonica*, & *cap. Cùm illorum, de sentent. excomm. in 6.* In quo casu enormitatis, sive subditus, sive Prælatus sit percutiens, absolutio spectabit ad Papam exceptis casibus, in quibus Papam adire non possent, dictis textibus attentis. Attamen hodie Religiosi ferè omnes privilegia habent, vt etiam à percussione enormi absolvi possint à suis Prælatis, ne alioqui, si ad Papam mittendi essent, occasio vagandi illis tribueretur. Ita Sayrus *de censur. lib.3. cap.38. num.13.* & Rodriquez *in qq. regul. tom.1. q.20. art.12.* qui referunt privilegium concessum à Clem. IV. Prælatis Ordinis Prædicatorum, & eorum Vicariis, vt à percussionibus enormibus possent suos subditos absolvere. Et hæc omnia docet etiam Fragos. *de Rep. Christ. tom.2. lib.1. disp.2. §.3. num.55. & seqq.* Vide etiam Tamburinum *de jure Abbatum, tom 2. disp.54. q.11. num.2. & 3.* Sup. hoc in Resl. seq. §. vlt.

2. Notandum est tamen suprà dicta procedere quando Religiosi se ad invicem percutiunt: nam si percutiant Clericum suæ, vel alterius Diœcesis, non gaudebunt favore prædicto, vt constat *ex d. cap. Cùm illorum.* Potest tamen in tali casu illos absolvere Episcopus, si percussio sit talis, à qua Episcopus eosdem Clericos absolvere posset, id est, levis. Ita decernitur *cap. Religioso, de sent. excom. in 6.* & cum *in d. cap. Religioso,* Sup. hoc inf. in Resl. 79. §. vlt.

sermo

sermo sit de sola levi percussione, ibi: *eo casu, quo saculari Clerico posset*, &c. vt intelligit Glossa *ibidem*: si Religiosus percusserit ipsum Episcopum, vi ejusdem favoris *in d. cap. Religioso*, concessi, non poterit (nisi ob aliquod rationabile impedimentum nequeat adire Papam) ab Episcopo absolvi; tum propter enormitatem talis percussionis, tum quia Episcopus non venit sub absoluta appellatione Clerici in his, quæ in illius, vel totius Cleri favorem non redundant. Vide Suar. *de cens. disp. 22. sect. 1. n. 74.* & Bossium *ubi suprà, num. 196.*

RESOL. LXXVIII.

An Regularis percutiens Regularem alterius religionis sit absolvendus à proprio Prælato, si percussio non fuerit enormis? Vel an sit necesse, vt Prælatus ejus, qui passus est injuriam, vt eam condonet, ac pœnam in satisfactionem definiat, sit præsens ad talem absolutionem?

Et an vero Prælatus percussi ipsum percussorem verberare debeat?

Et an talis Prælatus possit delegare talem actionem verberationis?

Et quid faciendum est in eventu, quod Prælati discordaverint in satisfactione imponenda?

Et quid est agendum, quando Regularis percutiat Regularem ejusdem Religionis, at diversi Monasterii?

Et notatur, quod hodie per specialia privilegia Prælati Regulares possint absolvere suos Religiosos ab excommunicatione propter injectionem manuum violentam in Clericum, etiamsi sit Sedi Apostolicæ reservata. Ex p. 9. tract. 4. Resol. 50.

§. 1. REspondeo, quod si Regularis percutiat Regularem alterius Religionis, potest absolvi à proprio Prælato, quando percussio non fuerit enormis, præsente tamen Prælato ejus qui passus est injuriam, vt eam condonet, ac pœnam in satisfactionem definiat, vt colligitur ex *c. Cùm illorum, de sent. excom.* quod aliqui communiter ita intelligunt, vt, scilicet, Prælatus filius, qui injuriam percutiendo intulit, juramentum recipiat, & absolvat & saltem semel percutiat delinquentem. At verò Prælatus percussi, qui passus est injuriam, ipsum percussorem verberabit, eò, quia Prælato percussi satisfaciendum est de injuria illâta suo subdito, & conventus percussoris non debet satisfactionem pro percussore suppeditare: non enim crimen subditi in detrimentum Monasterii cedere, nec retorqueri debet, argumento *cap. Cùm venerabilis, §. Intelleximus, de excep.* Neque abs re erit, si alter Prælatorum in hoc casu vices suas alii committat argumento *cap. ultimi, de Offic. Ordinarii*, & *cap. ultimi, §. Cæterùm, de offic. delegati.* Ex ea regula, quia quando Ordinarius potest absolvere ab excommunicatione, potest aliis absolutionem demandare, vt Covarruvias *lib. 3. variar. cap. 20. n. 5.* Menochius *de arbitr. quæst. 54. n. 43.* Morla *in Empor. juris civilis, part. 1. tit. 2. q. 17. n. 32.* & Petrus Barbosa *in l. Cùm Prætor. §. 1. num. 526. ff. de judiciis.* Quod intelligitur, quando absolutio committitur Ordinario ex officio suo; non autem ex delegatione: tunc enim non potest alteri delegare, vt *dicto cap. ultimo, §. Cæterùm, de officio delegati*; ubi per delegationem commissum est nudum ministerium, quod alteri non potest delegari: secùs in nostro casu *ex cap. & Canone, Si quis suadente.* In eventu autem, quòd Prælati discordaverint in satisfactione imponenda: quia Prælatus offensi acerbiorem exigit, câ quam offendentis Prælatus designat; eligendus est tertius arbiter, qui cum ipsis judicium ferat; semper tamen absolutio, impositio, executióque pœnæ Prælato offendentis, vtpote veto illius Superiori competit. Et hæc omnia docet Castrus Palaus *tom. 6. disp. 3. punct. 23. §. 4. n. 9.* Layman *lib. 1. tract. 5. part. 1. cap. 5. circa finem.* Fragos. *de Repub. Christ. tom. 2. lib. 1. disp. 2. §. 3. n. 55.* Sayrus *de cens. lib. 3. cap. 28. num. 11.* Bossius *in discept. mor. de juris discept. 1. dub. 19. num. 198.* & alii penes ipsos.

2. Sed quid dicendum, quando Regularis percuteret alium Regularem ejusdem Religionis; at diversi Monasterii, vt si v. g. Panormi, unus ex Domo S. Ioseph percuteret alium ex Domo S. Mariæ de la Catena? Respondeo cum Bordono *in cons. Regul. tom. 1. resol. 28. n. 47.* quod in tali casu injuria fit Prælato offensi: unde sine ejus consensu non debet absolvi percutiens: quod præcipuè procedit quando absolutio datur à Superiori locali, non autem à Provinciali, vel Generali: nisi sint diversarum Provinciarum; data tamen aliàs absolutio tenet.

3. Notandum est tamen, vt dixi, quòd hodie per specialia privilegia Prælati regulares possint absolvere suos Regulares subditos ab excommunicatione propter injectionem manuum violentarum in Clericum, etiamsi sit Sedi Apostolicæ reservata; quod tradit Castrus Palaus *to. 6. disp. 3. punct. 23. §. 4. n. 10.* Bossius *ubi supra, num. 197.* & latè, & doctè Pater Bordonus *n. 50.* non obstantibus Decretis Clem. VIII. editis anno 1601. & 1602. uno alterius declarativo in quo Papa sibi reservat excommunicationem ob percussionem Clerici, juxta Canonem, *Si quis 17. q. 4.* juxta juris dispositionem, id est quando percussio est mediocris, & enormis; derogando quibuscumque privilegiis & Literis Apostolicis: quia illud est contra Confessarios Regulares, qui prætextu suorum privilegiorum absolvebant ab omnibus reservatis personas sæculares: unde nihil contra nos, qui loquimur de absolutione inter ipsos Regulares exercenda: nihil ergo disponit de Regularibus, vt respondit S. Congreg.

RESOL. LXXIX.

An Superiores Regularium possint absolvere Novitium ab excommunicatione incursa propter percussionem Clerici ante ingressum Religionis?

Et quid est agendum, si postea talis Novitius ita absolutus ab ista, vel quavis alia censura egrediatur a Religione; an in illas reincidat?

Et quid est faciendum, si in prædictam Censuram Canonis Novitius incurrat anno probationis, modo non sit percussio enormis? Exp 9 tract. 4. Res. 51.

§. 1. REspondeo contra Tiraquell. *de retract. lig. §. 1. Gloss. 8. n. 31.* affirmativè: & de hoc penes me non est dubium. Ita Layman *lib. 1. tr. 5. part. 2. c. 5. in fine.* Sayr. *de cens. lib. 3. cap. 28. n. 14.* Alterius *de cens. to. 1. disp. 16. cap. 1.* & alii communiter. Difficultas est, quid dicendum, si contingat Novitium, qui in hunc Canonem incurrit, egredi à Religione, nondum facta Professione? Astens *p. 2. lib. 7. tit. 13. art. 5. §. 10.* autumat reincidere in eandem excommunicationem, eò quia propter favorem Religionis, & propter temporale impedimentum absolutus fuit: atque ita præsentare se teneri illi, qui aliàs eum posset absolvere, *arg. cap. Eos qui de sent. excom. lib. 6.* Sed Fragoso *de Rep. Chr. tom. 2. lib. 1. disp. 2. §. 3. num. 55.* placet, hanc doctrinam solùm procedere in Novitio, qui ante Novitiatum contraxit excommunicationem Canonis, *Si quis suadente*, non autem, si in eam incurrit durâte anno probationis, nisi percussio fuerit enormis: tunc enim si ante Professionem egrediatur, debet se præsentare illi, qui potest absolvere ab enormi. Nam ab incursa excommunicatione tempore Novitiatus, quæ non erat propter enormem

enormem læsionem contracta, fuit absolutè, & sine aliqua conditione absolutus : à censura autem contracta ante ingressum, & à censura propter enormem actionem fuit sub conditione, si perseveraverit in Religione, absolutus.

2. Sed negativam sententiam absolutè docet doctus Pater Bordonus *in consil. Reg. tom. 1. resol. 28. n. 56.* ubi quærens, an Novitii ab hac censura, aut à quavis alia, seu casibus reservatis absoluti, si à Religione exeant, in illas reincidant ? respondet negativè, quamvis non se præsentent Ordinariis, quibus alias de jure erant subjecti quoad reservationem. Quod procedit, sive absolvantur virtute Iuris *cap. Cùm illorum*, sive jure privilegiorum. Primum probatur : quia *ibid.* simpliciter datur hæc facultas : nullo respectu habito ad perseverantiam, aut retrocessionem. Nec obstat *cap. Eos, qui 22. de sent. excommun. in 6.* quia dictum caput loquitur, quando quis absolvitur ab eo, qui non potest absolvere, nisi in casu mortis, aut alterius legitimi impedimenti ; vt *ibidem* expressis verbis dicitur : in casu autem nostro nullum est hujusmodi impedimentum ; & de aliis impedimentis dicitur *cap. Quod de his 25. de sent. excomm.* cùm ergo neutrobique Novitiatus dicatur, neque sit ex hujusmodi impedimentis, cúmque neque simpliciter sit impedimentum, nostræ responsioni obstare non potest citatum caput. Alterum, quòd neque absoluti jure privilegiorum reincidant, probatur : tum quia illis utuntur more Professorum, quibus sunt concessa simpliciter, & non sub conditione, si remanserint : tum, quia decet concessum à Principe beneficium esse mansurum : tum quia privilegia, in quibus fit mentio de ipsis Novitiis, non ponunt clausulam reincidentiæ, nisi privilegium Clem. IV. relatum à Rodriquez *tom. 1. q. 20. art. 21* ubi ponit reincidentiam solùm, quando absolutus fuit ante ingressum, & receptionem Habitus, & non intravit mox Ordinem : quare, stando in rigore verborum, cùm jam Habitu indutus absolvatur, vel si jam absolutus egrediatur de facto, & ante Professionem retrocedat, non reincidit, quia illa reincidentia ibidem spectatur ex fraudulentia ejus, qui fingit se velle fieri Religiosum, vt præcisè absolvatur, fraus enim, & dolus nemini debent patrocinari. Compend. *resol. 3. num. 12.* dicit, quòd non reincidunt, si absolvantur virtute privilegii Clement. VII. concessi Prædicatoribus, vel Pauli III. Societati Iesu. Hæc omnia Bordonus.

3. Verùm absolutè sententiam affirmativam circa præsentem difficultatem tenet Castrus Palaus *tom. 6. disp. 3. punct. 23. §. 4. n. 10* ubi sic ait : [Verùm, si Regularis non Regularem, sed sæcularem Clericum percutiat, non à suo Prælato præsente Episcopo, sed ab ipsomet Episcopo tantùm absolvi poterit, modò percussio levis fuerit. Sicuti deciditur *cap. Religiosi, de sentent. excommun. in 6.* juncto *cap. Cùm illorum, eodem tit.* Novitius verò, sive ante ingressum, sive post, percutiens Religiosum, vel Clericum sæcularem, absolvi poterit ab eodem Prælato, à quo alii Religiosi ejusdem domus possunt ; quia in favorabilibus nomine Religiosi comprehenditur : vt adnotatur *in cap. Cùm illorum, de sentent. excommun.* hoc tamen discrimine : nam Novitius, si ante Professionem è Monasterio egrediatur, obligatus est Sedi Apostolicæ se præsentare ; alioquin in similem excommunicationem incidet, juxta *cap. Eos qui, de sent. excommun. in 6.* quia ob temporale impedimentum, scilicet, ne vagaretur, concessa illi fuit absolutio.] Ita Palaus, cui etiam adde Sayrum *de censur. lib. 3. cap. 28. n. 13.* Molina *disp. 60. n. 3.* & Layman *lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 5. in fine.* Et huic opinioni ego magis adhæreo, quam, præter Doctores citatos, tenet etiam Bossius *in discept. mor. de juris discept. 1. dub. 19 num. 192.* Dico igitur, quòd si ab excommunicatione, de qua loquimur, Novitius absolutus à Prælato Religionis intra annum egrediatur non emissâ Professione solemni, reincidit in eandem excommunicationem, nisi se præsentet ei, à quo fuisset absolvendus, nam propter favorem Religionis, & sic propter temporale impedimentum absolutus fuit : unde remanet onus se præsentandi.

RESOL. LXXX.

An virtute Bullæ Cruciatæ possint absolvi percutientes, etiam enormi percussione ?

Et infertur absolutionem virtute Bullæ Cruciatæ à censuris à jure latis valere etiam in foro exteriori, & judiciali. Ex p. 9. tract. 4. Resol. 57.

§. 1. REspondeo affirmativè, vt *alibi* satis probavi; & ita, me citato, hanc sententiam novissimè tenet doctus Pater Hieronymus Garcias *in Summ. mor. tract. 1. diff. 3. dub. 2. punct. 5. n. 41.* ubi sic ait : [En peligro de muerte, y à fortiori en el articulo, qualquier Confesor puede absolver de qualquier percusion, aunque sea homicidio ; però si escapa, ha se de presentar, salvo si se absoluio *virtute Bullæ Cruciatæ*, que en tal caso no ay obligacion de presentarse, porque el poder que dà la Bula, es absoluto, y no condicionali ; y en virtud de la Bula, de la Cruzada puede qualquier Confesor absolver à qualquier percusor de Clerigo oculto, aunque sea la percusion grave, saltim *semel in vita, y semel in articulo mortis*, y en opinion de Diana, Sanchez, y Trullench, *toties, quoties*, saltim *in foro conscientiæ*. A la clausula, *semel in vita, & semel in articulo mortis*, responde Diana *tract. 11. citato, res. 28.* y añade, que aunque el percusor sea publico, y su percusion *sit deducta ad forum contentiosum*, se puede absolver in foro conscientiæ, si bien en semejante caso en lo exterior por el escandalo, auria de portarse como à escomuigado ; pero podria ocultamente oyr Missa ; y recebir los Sacramentos ; y finalmente concluye en dichos lugares con estas palabras : *Vnde infertur, absolutionem virtute Bullæ à censuris à jure latis, valere etiam in foro exteriori, & judiciali.*] Hucusque Garcias. Vide etiam Machadum *tom. 2. lib. 1. part. 3. tract. 8. docum. 4. num. 5.* Trullench *in Bull. Cruc. lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 5.* & Ludovicum à Cruz *disp. 1. cap. 3. dub. 14.*

Alibi in Resol. quæ nunc est in to. 4 tr. 3. Resol. 62. per tot. & sup. contento in hac Resol. ibi in §. vlt. & pro parte in Resol. 63. & 64 & in aliis earũ annot.

Quæ nũc est in to 4 tr. 3. Resol. 38. Sed ibi lege doctrinam Resol. 62. pro parte hujus quæst. & Resol. & §§. ejus primæ not. & si vacas otio lege eam per totam, & alias ejus notationum.

In Indice primo hujus Tom. 5. Vide aliàs paucas quæst. mistas, & Dispersas per alios Tom. Tract. & Resol. quas invenies ibi in Apendice ad hunc Tract. 2. de Censura ob Percussionem Clerici, &c.

TRACTATVS TERTIVS, DE SVSPENSIONE.

RESOLVTIO PRIMA:

Quinam sint effectus Suspensionis ? Ex p.5. tract.10. Resol. 9.

§.1. RESPONDEO principalem effectum esse, quòd exercens actum à quo est suspensus ex suo genere, si materia gravis sit, peccat mortaliter, ac propterea violans suspensionem à divinis, exercendo, videlicet, actum alicui Ordini annexum, incurrit irregularitatem Pontifici reservatam, vt ex communi docet Navarr. aliíque: patet utrumque *ex c.1.cùm medicinalis, de sent.excomm.in 6.& c.1.de sent. & re judicata in 6.& c.si quis Episcop.in consilio,& c.si quis Episcopus damnatus 11.q.3.* excusatur tamen ab irregularitate, qui excusatur à culpa, nempe, vt, vel gravem infamiam, vel scandalum vitet, &c. cùm enim hæc irregularitas sit pœnalis, cessat, cessante culpa, vt benè Suarez *disp.26 sect.2.n.3.* qui meritò etiam *cap.6.* refellit Majolum, quòd eam irregularitatis pœnam extenderit ad usum beneficii, aut jurisdictionis, quamvis non includentem actum Ordinis, & hæc omnia docet etiam Tannerus *tom.4.disp.6.q.10.dub 6. n.136.* & Fernandez *in medulla par.2.cap.11.§.1.n.9.*

RESOL. II.

An suspensio possit ferri, & incurri propter solum peccatum veniale ? Ex p.5. tract.10. Resol.19.

Sup.hoc sup. tr.1. Resol. 13.§.Sed an. & inf. in tr. 5. Resol. 3.

§.1. AFfirmativam sententiam docet Cajetanus *in verb.suspensio.* Navarr. *cap.27.n.159.* & Avila *p.3.disp.3. dub.3.* quia excommunicatio minor privat majori bono, scilicet receptione Sacramentorum, & tamen incurritur, & de facto imponitur à jure pro veniali.

2. Sed hæc opinio ita absolutè prolata aliquibus non placet, & illam admittunt solùm de suspensione levi, quæ possit esse in ratione potentiæ proportionata veniali culpæ, vt de suspensione ab uno actu eligendi, vel à distributionibus unius horæ, vel unius diei, nam si sit suspensio gravis, qualis est ab officio & beneficio simul, vel ab altero eorum tantùm, non poterit imponi nisi pro mortali, vt videtur docere Sotus *in 4.dist.22.q.2.art.1.concl.2.* quia suspensio vt in usu Ecclesiæ acerbior pœna est, quàm minor excommunicatio, tum quia licèt ex genere suo privet minoribus bonis, tamen difficiliùs tollitur, tum scilicet, quia aliqualem infamiam secum affert, & irreparabile damnum infert, sicut de irregularitate dicemus infrà graviorem pœnam esse, quàm minorem excommunicationem, propter similes circumstantias, quamvis susceptione Sacramentorum non privet, & certè ex justitia, quam Ecclesia servat in puniendis delictis, dicendum est posse aliquem totaliter privari fructibus beneficii, aut usu officii propter solam venialem culpam, quòd si excommunicatio minor incurratur, propter veniale peccatum communicandi cum excommunicato, id factum est in odium excommunicationis rigidiùs observatum, & ita docet Hurtadus *tr. de suspen.diff.c.7.n.19.* Vasquez *in p.2.disp.153 c.5.* Suarez *disp.4.sect.4.* Coninch *de Sacr.disp.13.dub.3.* & Cornejo *in 3.p. tract.5. de suspens. disp.3.dub.2.* ubi rectè infert, quòd suspensio, quæ in jure lata est pro aliquo delicto, si suspensio gravis sit, non incurrit eam in foro conscientiæ, qui committendo delictum illud, solùm venialiter peccaverit, vel inconsideratione, vel ex parvitate materiæ, vel ex alia causa, quamvis in foro exteriori pro suspenso sit habendus.

RESOL. III.

An suspensio possit contrahi pro culpa aliena? Ex part.5 tract.10. Res.22.

§.1.* NEgativam sententiam tenet Cajet. *ver. suspensio,* & Navar. *c.27.n.151.* quos sequitur Suar. *disp.18. sect.4. n.22.* quorum fundamentum est neminem puniri debere ob alterius peccatum, quo ipse caret, ex regulis traditis *cap.2. de const. & cap.2. de his quæ fiunt à majori parte Capituli, l. sancimus, C. de pœnis & toto tit. eodem C. ne filius pro patre,* quòd maximè verùm est in pœnis spiritualibus.

Sm. hic inf. in fi. med. 2. Secundò probatur

2. Sed contrariam sententiam tenet D. Thom. *in 4. dist.18.q.2.art.3.q.2.art.2.* & Sylvester *verb. Suspensio, n.4.* & ad rationem contrariæ sententiæ respondet Cornejo *in 3.p. tract.5. de susp.disp.3.dub.2.q.1.* illam veram esse quando quis specialiter, & seorsum suspenditur; etiam tunc unus suspendi non potest pro culpa alterius; secus verò quando simul suspenditur collegium, nam pro unius culpa, quia tunc non requiritur culpa in singulis, sed sufficit culpa plurium, vel Superioris, vt infra, agentes de interdicto, explicabimus. Tunc ergo potest optimè Superior in inferioribus puniri, & communitas in membris, juxta ea, quæ habentur *in cap.si sententia, de sent. excomm. in 6.* & quamvis pœna suspensionis spiritualis sit, quia tamen, vt dictum est, non privat bonis pertinentibus ad propriam animam, potest optimè infligi pro peccato alterius, præsertim, quia vt dicemus, hujusmodi suspensio & interdictum non habet propriè rationem pœnæ respectu inferioris, cui imponitur. Vide Turrianum *lib.4.disp.41.dub.2.*

RESOL. IV.

An suspensio lata sub hac forma sit suspensus, *liget, & ad quid, an ab Ordine, vel beneficio aut officio:* Ex p.5. tract.10. Res.14.

§.1. AD hunc casum respondet Ioan. Baptista Bizozerus *in sum.tract.de susp.c.1.n.13.* ubi sic ait: Dices quam vim habeat suspensio absolutè lata in hanc formam: Suspendo te, non expresso Ordine, aut beneficio, aut officio? Quidam dicunt talem suspensionem nullam habere vim; & ratio est, quia imperitia judicis sic ferentis suspensionem non debet

debet obesse reo. Alii dicunt attendendam causam, ob quam talis suspensio fertur, quoniam qualem meretur suspensionem delictum, talis incurritur: unde si delictum meretur suspensionem ab officio, talis incurritur; similiter si à beneficio, itidem si ab utroque simul. Alii dicunt vim habere suspendendi ab officio simul, & beneficio, sicut nomine excommunicationis intelligitur major, quæ comprehendit minorem, & hæc est sententia Sylvestri *in sum. verb. suspensio*, & probabilior cæteris, & ita etiam docet Mercerus *de Sacram. in 3.p.q.24.dub.1.* ubi sic ait: Notandum quòd suspensio prolata absque vlla determinatione includat privationem tam officii quàm beneficii, non enim est ratio cur potius intelligatur privatio hujus, quàm illius, & talis habetur *Extravag. divina, de privil.* & in Conc. Trident. *sess.25. cap.14.* contra Episcopum concubinarium, qui à Synodo Provinciali monitus, se non emendat. Vide etiam Gordonum *tom.2.lib.7.q.14.cap.2.n.7.*

RESOL. V.

An suspensio disjunctiva, nempe ab officio, vel beneficio sit valida? Ex p.5. tract.10. Resol.13.

§.1. NEgativè respondet Hentiq. *lib.13. cap.22. num.4. in gloss. lit. E*, dicens suspensionem factam per disjunctionem, nempe ab officio, vel beneficio, non tenere, cùm propter ineptæ sententiæ incertitudinem, non sit major ratio, cur is, in quem fertur, non eximatur ab unius potiùs, quàm ab alterius istorum duorum suspensione, quod tamen non videtur admodum tutum. Nam fundamento, quo nititur, facilè occurri potest, dicendo in pœnis injungendis disjunctionem non adferre incertitudinem, quæ reddat sententiam irritam, vt ex eo patet quod in foro conscientiæ Confessarius possit pœnitenti injungere, vt vel aliquo certo die jejunet, vel det certam eleemosynam, & in foro externo possit aliquis damnari, vt vel ferat aliquot verbera, vel solvat certam pecuniæ summam: quare & poterit aliquis in pœnam delicti à judice suspendi ab officio, vel à beneficio, adeò vt gloss. *ad cap. latorem, de Cleric. excom. minist. verb. ab officio*, habeat sic suspensum debere abstinere tam ab officio, quàm à beneficio. Quamquam videri potest sufficere, vt ab altero eorum, quod maluerit, abstineat, sicut in aliis pœnis, quæ sub disjunctione imponuntur, nisi aliam suspendentis intentionem fuisse constet, quia censura plus dependet à voluntate proferentis illam, quàm ex verbis; & ita hanc sententiam tenet Reginaldus *tom.2.lib.32. tract.2. cap 9. n.21.*

2. Verùm non desinam etiam hîc apponere verba Hurtadi *de suspen. d. disc.4. n.11.* ubi sic ait: Quamvis Doctores communiter doceant suspensum ab officio, vel à beneficio sub disjunctione à neutro manere suspensum, quia non ab utroque, vt patet, nec ab altero, quia non est major ratio, ob quam ab uno potiùs, quàm ab altero maneat; nihilominùs, vt docent nonnulli credimus manere suspensum ab uno, vel ab altero determinatè pro optione suspensi, quam tenetur facere, sicut qui condemnatur, vt exulet, vel vt solvat certam quantitatem pecuniæ, verè manet obnoxius uni, aut alteri, & obligatur unum, aut alterum eligere, quia absque fundamento negatur judicem habere auctoritatem ad sic ferendam sententiam pœnæ, & ad obligandum reum vt eligat quam maluerit. Sic ille, & Bizozerus *in summ. tract. de suspen. cap.1. num.13.* absolutè docet suspensionem sub hac forma suspendentem ab officio, vel à beneficio nullam vim habere, & talem non esse suspensionem, & hoc etiam docet Vega *in spec. curat. p.2. cap.12. §.12. num.100.*

RESOL. VI.

An suspensio sit valida, si post illam interponatur appellatio?

Et an suspensio à voce activa, & passiva suspendatur per appellationem legitimam subsequentem? Ex p.5. tract.10. Resol.16.

§.1. AFfirmativam sententiam docet Turrianus *lib.4.disp.42 dub.2.* ubi sic ait: Notandum suspensionem non fore validam, si feratur post interpositam appellationem, juxta communem opinionem Doctorum *in cap.1. de sentent. excomm. in 6.* Si verò appellatio sequatur post latam suspensionem, non impedit effectum, vt habetur *cap. is cui, de sent. excom. in 6.* quod Abbas *in cap.2.de Clerico excommunicato minist. & cap. sapè, de appellat. in 6.* voluit esse intelligendum de sola suspensione, quæ fertur ob contumaciam, non de illa, quæ est purè pœna. Sed hæc limitatio non placet aliis, quia caput *is cui*, citatum simpliciter loquitur de suspensione absque ulla disjunctione; in jure verò utraque suspensio potest hoc nomine significari. Mihi videtur probabilis, quia videtur sermo esse de suspensione, sicut de excommunicatione, atque adeò de illo vt est censura propriè. Hæc Turrianus, quem sequitur Faber *de cens. in 4 sent. dist.25.q.1.disp.6 cap.1.n.47.* ubi ita asserit. Requiritur suspensio vt feratur ante appellationem, quia per appellationem tollitur jurisdictio: si autem appellatio sequatur sententiam, non impedit effectum suspensionis, sicut nec excommunicationis, *cap. is cui, de sent. excommunicationis in 6.*

2. Sed hæc opinio ita absolutè prolata mihi non placet. Dico igitur quòd suspensio ab officio & ingressu Ecclesiæ non suspenditur per appellationem subsequentem, quia secum executionem defert, & patet *ex cap. is cui, de sententia excomm. in 6.* secus est de suspensione à beneficio, quod *ex eodem cap. colligitur*: nam cùm ibidem singulariter dicatur suspensionem ab officio, & ingressu Ecclesiæ non suspendi per appellationem subsequentem, contrarium innuitur de aliis suspensionibus. Quidam tamen ex DD. citatis distinguunt inter suspensionem à beneficio, & à fructibus beneficii; aiúntque secundam suspendi per appellationem subsequentem, non tamen priorem, sed non video, in quo jure fundentur: Quare melius Navarrus ait omnem suspensionem per appellationem subsequentem suspendi præter suspensionem ab officio & ingressu Ecclesiæ, & sanè vel hoc, vel nihil quod ad rem præsentem faciat, ex dicto jure colligitur, & ita docet Coninch *de Sacrament. disput.4. dub.4. num.29.* & Avila *part.3. disp.3. dub.4.concl.1.* ubi etiam docet, quod suspensio à voce activa, & passiva suspenditur per appellationem legitimam subsequentem, & post hæc scripta invenio etiam docere hanc nostram sententiam Hurtadum *de cens. in comm. diffic.25. num.10.* ubi sic ait: Appellatio facta post latam sententiam censuræ, & absolutam, nequit eam impedire, imò nequit impedire denunciationem censuræ jam latæ & incursæ, vt definitur *in cap. pastoralis*, & meritò, quia denunciatio est quid accessorium censuræ, ac proindè eam sequitur, excipimus tamen suspensionem à beneficio, & ab aliis distinctis ab officio & ingressu Ecclesiæ, quæ per sequentem appellationem suspenditur, vt indicatur *in dicto cap. is cui*, dum dicitur suspensionem ab officio & ab ingressu Ecclesiæ non impediri per sequentem appellationem,

& id tacetur de suspensione à beneficio, & ab aliis. Ita ille, & ego. Vide etiam Alterium *de censur. tom.1. lib.3. cap.1. quæst.4. & tom.2. disp.3.cap.2.* hanc quæstionem doctè pertractantem. Sed ex his oritur pulchra quæstio.

RESOL. VII.

An sublata ab Episcopo suspensione ad reincidentiam, si detur interim appellatio, suspendat sententiam, ne postea suspensio contrahatur, quod idem quæritur de interdicto? Ex p.5. tract.10. Resol.17.

§.1. NEgativam sententiam docet Alterius *de cens.tom.2.disp.8.cap.6.* ubi sic ait: Dubitari potest an interdictum suspendatur ad tempus, & durante suspensione interponatur appellatio, & impediatur effectus interdicti pro futuro tempore? Respondet Calder. *in tract. de interdicto, p.2. in fine, num.31.* & primò inquit quòd interdictum personæ suspendi non potest, sicut nec excommunicatio, sed tantùm interdictum loci. Secundò ait *n.32.* appellationem interpositam in casu proposito non posse suspendere effectum interdicti pro tempore futuro: & rationem affert, quia quando suspenditur interdictum, non tollitur, sed remanet habitu, & impeditur ne producat effectum in actu. Quare transacto tempore suspensionis non fertur novum interdictum, sed illud idem numero, quod erat ante suspensionem, & remansit saltem habitu ligans, operatur suos effectus sicut priùs, ideò appellatio erit sequens interdictum. Appellatio autem sequens censuram suspendere nequit.

2. Sed affirmativam sententiam loquens in specie de suspensione docet idem Alterius *disp.3 cap.2.* quia Episcopus numquam potest tollere suam censuram, nisi illam penitus tollat, quare si appelletur, & justa sit appellatio, censura remanebit suspensa. Deinde in sententiis censurarum primus actus non potest separari à secundo, id est substantia sententiæ, quæ est primus actus, se jungi nequit ab effectu ejusdem sententiæ, qui est secundus actus, quia censuræ trahunt secum executionem, idcircò Episcopus non potest tollere effectum sententiæ, remanente substantia. Quare si suspendit sententiam, illam prorsus extinguit. Vnde si postea suspensus appellet, talis appellatio habet vim, ne Superior possit iterum ferre censuram, nisi anteà cognoscatur de appellatione, facit *cap. dilectus, vers. quia vero de appellat.* Vnde ego puto cum Abbate *in cap. ad hæc Quoniam num.5. de appellat.* utramque sententiam probabilem esse. Sed huic affirmativæ magis adhæreo, quam tenet etiam Bonacina *de cens. disp.3. punct.1. num.4.*

RESOL. VIII.

An si quis appellet generaliter à sententia excommunicationis, suspensionis, &c. suspendat censuram?

Et quando appellans ad plures diversos judices appellare potest, valeat alternativa appellatio, v.g. appello ad Archiepiscopum, vel ad Papam?

Et an appellatio non debeat recipi nisi ex justa & rationabili causa in appellatione specialiter expressa? Ex part.5. tract.10. Resol.18.

§.1. REspondeo hanc appellationem secundùm jus civile esse validam, secus autem ex jure Canonic. Sed Decius *in cap.consuluit, n.4. & 5. de appellat.* existimat quòd in usu juris nostri Pontificii inutilis non est hujusmodi generalis appellatio facta simpliciter ad judicem competentem, nam quamvis omisso medio ad Papam, ejúsve Legatum appellari possit, voluntas appellantis in dubio esse non censetur, sed potiùs præsumendum est appellationem ad proximum Superiorem judicem factam fuisse, in dubio enim jure communi potius, quàm privilegio uti præsumitur, *l. ejus militia, ff. de milit. testament. l. in testamento, C. de testamento militis.* Quæ doctrina mihi valdè probabilis videtur, & ita qui appellat verbis generalibus ad judicem competentem, proximè Superiorem debet adire, non verò majorem omisso medio, etiam si ad illum provocare potuisset.

2. Sed quid dicendum, quando appellans ad plures diversos judices appellare potest, an valeat alternativa appellatio, v.g. Appello ad Archiepiscopum, vel ad Papam? vel si appellatio formula Procuratorum ordinaria concipiatur, v.g. Appello para ante quien con derecho puedo, y devo; vel si appelletur conjuncta oratione ad diversos judices, v.g. ad illum, & ad illum, quo casu conjuncta pro disjuncta & alternata accipiatur, *l. sæpe, ff. de verbor. significat.* multi eo casu incertam & simul vitiosam appellationem esse existimant: at Panormitanus *in præsenti num.11.* eo casu non vitiari alternativam appellationem ait, quando judici competenti alius incompetens per alternationem adjicitur, quasi tunc denegata appellandi potestate ad judicem incompetentem, certitudo voluntatis restricta sit ad unum solum judicem competentem. Si verò uterque judex appellatus æquè competens sit, nonnulli dixerunt inutilem esse appellationem ratione incertitudinis ortæ ex alternatione judicum, *l. prætor, §. quod autem, ff. de testamentaria tutela.* Ego verò non puto hujusmodi alternativam appellationem adeò esse inutilem, vt pro non scripta habeatur, nam vitium incertitudinis, quod in alternatione latet, poterit ab appellante sequente declaratione purgari, v.g. si appellans unum ex alternatis judicibus elegerit, dum tamen talis declaratio, aut electio facta fuerit durante termino ad appellandum designato, videlicet intra 10. aut 5. dies à tempore sententiæ, *l. final. C. de tempor. appellat.* adeò vt eorum dierum transcursus, aut præscriptio eligendi facultatem excludat, quo casu redditur proculdubio inutilis appellatio, vt advertit, & disputat Baldus *cons.320. per totum, lib.4.* Alexand. *cons.101. num.2. lib.2. & cons.164. 167. & cons.179. vol.7.* ex multis, quos ipse retulit, & ex glossa *in cap. si is cui, de officio de leg. in 6.* & hæc omnia supradicta docet doctus Valboa de Magroviejo *in lection. de Salmat. tom.1. in cap. cùm consuluit, num.9. & 10. de appell.* qui etiam *num.18.* notat quòd appellatio non debeat recipi nisi ex justa & rationabili causa in appellatione specialiter expressa.

RESOL. IX.

An suspensio lata à jure, quæ est censura, si reservata non sit Pontifici, possit tolli ab Episcopo?

Et an Parochus, & alius Confessarius possit absolvere à suspensionibus, etiam à jure communi non reservatis?

Et an, si supradicta suspensio reservata sit Pontifici, & delictum sit occultum, possit etiam Episcopus dispensare? Ex parte 5. tractatu 10. Resol. 23.

§.1. NEgativè stando in rigore juris responder Suarez *disp.29. sect.2. n.2.* Faber *de cens. in 4. disp. 25. q.1. disp.6. c.2. n.55.* & Turrianus *de cens. lib.4. disp. 45. dub.2.* ubi asserunt non esse eamdem rationem & jus de

Quia in lege non

de excommunicatione, & de hac suspensione propter majorem necessitatem absolutionis ab excommunicatione, & absolutionis ab hac suspensione. Hæc enim suspensio non privat suffragiis Ecclesiæ, sicut privat excommunicatio, neque privat receptione Sacramentorum.

2. Sed contrariam sententiam ego teneo, quia quamvis *in cap. nuper, de sent. excomm.* solùm sit sermo de excommunicatione; ratio tamen, quæ traditur, etiam in suspensione locum habet, scilicet quòd to ipso, quòd jus non reservat absolutionem, videtur etiam concedere potestatem habenti, quæ ratio non militat in Parocho jurisdictionem non habente ad imponendas censuras, atque ita solùm ex commissione sibi facta *in cap. nuper*, potest ab excommunicatione absolvere, quæ commissio facta est ad alias censuras, quòd si talis absolutio reservata sit Pontifici, & delictum sit occultum, potest etiam Episcopus dispensare, ex Concilio Tridentino *suprà allegato*, & ita docet Layman *lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 4. num. 2.* Avila *part. 3. disp. 6. dub. 1. concl. 3. & 4* Cornejo *in 3. part. tract. 5. de suspen. disp. 5. dub. 2. q. 1.* Filliucius *ubi infra*, & Hurtadus *de suspensione, diffic. 12. n. 31.* ubi sic ait: Dicendum est suspensionem à jure latam, & censuram sive generalem, qua communitas, sive specialem, qua particulares personæ suspenduntur, posse quoties non reservatur, auferri ab Ordinario suspensi, vt efficaciter deducitur *ex cap. nuper 29. de sententia excommun.* quia ex una parte in absolutione illius, nullius tribunal turbatur, cum non fuerit lata ab homine, & ex altera ab ipso, quod non reservatur, videtur concedi inferiori, aut in eo relinqui facultas ad id, aliàs non esset necessaria reservatio, si Ordinarius non possit non reservatam auferre: eam tamen non potest proprius Parochus, & multo minus ordinarius Confessarius auferre, quia tantùm habet jurisdictionem in foro interiori, seu Sacramentali, in quo nequit suspensionem auferre, quamvis posset excommunicationem, quia suspensio non impedit absolutionem à peccatis, sicut impedit excommunicatio. Hæc Hurtadus. Sed quoad hoc ultimum dissentit Vivaldus *in suo Candelabro tit. de suspens. n. 31.* quam affert, nec improbat Filliucius *tom. 1. tract. 17. cap. 4. n. 70.* & hanc opinionem tenet etiam Præpos. *in 3. p. q 3. de suspens. dub. 4. n. 31.* quando suspensio lata est indefinitè, & quando ponitur in pœnam propter peccatum præteritum, si retineat rationem censuræ. Verùm cum Hurtado sentit Layman *lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 4. tom. 2.* Avila *part. 3. disp. 6. dub. 1. conclus. 2.* Henriquez *lib. 13. cap. 35. num 2.* asserentes Parochum, & alios Confessarios non posse absolvere à suspensionibus, etiam à jure communi non reservatis.

RESOL. X.

An suspensio lata sub conditione, v. g. donec satisfaciat, vel restituat, sequuta satisfactione tollatur ipso facto sine aliqua absolutione?

Idem dicendum est de interdicto, secus vero de excommunicatione. Ex p. 5. tr. 10. Res. 24.

§. 1. REspondet negativè Suarez *disp. 29. sect. 2. numero 14.* Alter. *tom. 2. disp 8. cap. 2.* Gordonus *tom. 2. lib. 7. quæst. 14. num. 77.* & Filliucius *tom. 1. tract. 11. cap. 4. n. 72.* Si suspensio sit lata tanquam censura, & non in puram pœnam; nam censura propriè dicta non tollitur nisi per absolutionem, & sensus illius conditionis non est talem absolvendum esse ante satisfactionem, ea autem posita, nihil obstare, quominus possit absolvi.

2. Sed affirmativæ sententiæ ego adhæreo, quam tuetur Cornejo *in 3. p. tract. 5. de susp. disp. 5. dub. 2. quæs. 1.* Dico igitur dictam suspensionem sine expressa ulla absolutione tolli impleta conditione. Et ita etiam docet Layman *lib. 1. tract. 5. p. 3. cap. 4. n. 1.* Hurtadus *tract. de suspens. diffic. 12. n. 29.* & Bonacina *de cens. disp. 3. punct. ult. n. 1.* Nec valet dicere quòd excommunicatio lata cum hac conditione, *donec satisfeceris*, non cessat posita satisfactione, sed adhuc auferenda est per absolutionem: ergo idem dicendum videtur de suspensione. Nam respondent aliqui negando majorem, aliqui verò respondent negando consequentiam, tum quia judices inferiores Summo Pontifice videntur majorem facultatem habere circa suspensionem, & interdictum, quam circa excommunicationem, propterea sicut possunt ferre suspensionem & interdictum ad aliquem solùm effectum, ita videntur posse illas censuras ferre cum hac conditione, vt illa adimpleta cessent, quod non accidit in excommunicatione, tum quia ita usu & praxi receptum est in suspensione, & interdicto, non verò in excommunicatione. Et ideo post hæc scripta invenio nostram sententiam docere Portel. *in dub. Regul. verb. suspensio, n. 11.* Vega *in speculo Curat. tom. 2. cap. 12. §. 15. n. 138.* & doctus Anguianus *de leg. lib. 2. controv. 3. n. 48.* ubi sic ait: Inter excommunicationem ex una parte & suspensionem & interdictum ex alia, illa videtur præcipua differentia quòd interdictum atque suspensio nullam exposcunt certam formam, neque verba requirunt, vt cessent & suspendantur; contra verò excommunicatio major certam formam prærequirit ad hoc vt excommunicatus etiam secuta satisfactione absolvendus sit, sicuti probant nonnulla jura ad id plus quàm expressa, inter quæ primum locum tenet text. sic interpr. *in cap. servetur 2. q. 3.* ibi, *quousque Episcopo suo visum fuerit humaniorem circa eos ferre sententiam:* nec minus confirmat textus *in d. cap. à nobis*, ibi, *Absolutionis etiam forma, & in d. cap. cùm desideres*, in illis verbis, *Nisi fuerit secundum formam Ecclesiæ*, &c. quibus juribus apertè demonstratur absolutionis certam præfinitámque formam in Ecclesia Catholica receptam esse, quæ sub aliqualibus verbis vinculi relaxationem denotantibus concedatur, necesse est. Vnde deducitur per sequelam ad relaxationem interdicti & suspensionis sufficere quidem tacitam Superioris voluntatem; quæ resultat ex illis verbis, *suspendo, vel interdico donec satisfecerit*, quippe ubi non requiritur expressa absolutio, seu relaxatio, sufficit tacita ex mente proferentis interdictum, sive suspensionem deprehensa, *ex reg. l. 3. ff. de reb. cred. & si cert. petatur.* Retrò dicendum est in excomm. cujus absolutio non potest ex conjecturis, & tacita excommunicantis mente deduci, sed expressa desideratur. Hæc Anguianus, qui justè carpit Ripam *in cap. 1. de judic. num. 24.* contrariam sententiam docentem quoad interdictum.

Pro interdicto inf. in tr. 4. lege doctr. Res. 23.

RESOL. XI.

An ablata contumacia cesset suspensio ipso jure, sine ulla absolutione?

Et quid de excommunicatione, & interdicto, quia de excommunicatione majori cautum est, quod non tollatur per solam resipiscentiam; absque absolutione? Ex part. 5. tract. 10. Res. 25.

§. 1. AD hoc dubium respondet Turrian. *lib. 4. disput. 45. dub 2.* ubi sic ait: Restat explicandum quid sit faciendum, si recessit à contumacia, & offert satisfactionem? Aliquorum opinio est in hoc eventu non egere absolutione hominis, sed ipso facto

facto manere absolutum. Ita Innoc. *in cap. sicut, de cohabit. vir. & mulier. & in cap. ex litteris, de const.* hæc enim suspensio est similis latæ usque ad certum tempus, quia in ea videtur tacitè inesse conditio, nisi recesserit à contumacia, & satisfecerit. Secunda opinio in hoc eventu esse necessariam absolutionem. Ita Sylvester *verb. suspensio, num.* 8. & mihi placet, quia non video jus aliquod, quo sit statutum hanc suspensionem tolli ipso facto, ergo requiritur absolutio, neque probatur includere à principio eam conditionalem absolutionem, quia absolutè fertur. Hæc Turrianus, cujus sententiam tenet etiam Suarez *disput. 21. sect. 2. num.* 14. Faber *de cens. in 4. sent. dist. 25. q. 1. disp. 6. num.* 54. Mercerus *de Sacram. in 3. p. q. 24. dub. 5.* Layman *lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 4. n. 2.* Gordonus *tom. 2. lib. 7. quæst. 14. cap. 14. num. 76.* & Portel. *in dub. regul. verb. suspensio, num.* 11.

2. Non desinam tamen hic adnotare insignem Jurisconsultum Covarruviam *in epit. 4. Decret. p. 2. cap. 6. num.* 15. docere suspensionem latam ob contumaciam æquiparari suspensioni latæ ad certum tempus, & per se ipsam finiri cessante contumacia, vt proindè non sit opus absolutione alia. Fundatur hæc opinio *in cap. ex litteris, de const. & Can. Presbyter, 2. q. 5.* Confirmatur, quia suspensio lata sub hac conditione, donec restituas, vt habetur *cap. quia sæpe, de elect. in 6.* cessat per se ipsam impleta conditione, vt docet glossa, ergo hæc similiter. Rursus de excommunicatione majori specialiter est cautum, quod non tollatur per solam resipiscentiam absque absolutione, *cap. cùm desideres, de sent. excomm.* Denique *cap. quafronte*, statuitur ab excommunicatione & interdicto absolutionem esse præstandam sub cautione juratoria, etiam parte contradicente, vel appellante, & nulla fit mentio suspensionis similiter tollendæ per absolutionem, ergo per se evanescit, & ita hanc sententiam præter Covarr. tenet ex Theologis Sayr. *de cens. lib. 4 cap. 17. n. 8.* Vnde puto hanc sententiam probabilem esse, quam præter Doctores citatos mordicus defendit ex nostris Pater Megalius *in 3. p. lib. 5. cap. 2. quæst. 1. n. 2. & 3.* ubi respondet ad omnia argumenta, quæ pro negativa sententia adducit Suarez. Vide etiam Navarrum *cap. 27. num. 195. in fine*, & Toletum *lib. 1. cap. 47. num. 1.*

Pro interdicto inf. in tr 4. lege doctrinam Res. 23.

RESOL. XII.

An Clerico habenti tantum primam Tonsuram, sit largienda à Confessario absolutio à suspensione, quatenus indigeat?

Et latè docetur, an prima Tonsura sit ordo?

Et cursim asseritur, quod prima Tonsura initiati gaudent privilegio Canonis, & sunt capaces beneficiorum, & si ordinantur ab Episcopo alieno, suspenduntur. Ex p. 10. tract. 14. & Misc. 4. Res. 16. aliàs 14.

§. 1. CAsus potest frequenter accidere: & ad illum affirmativè respondet accuratissimus Baucius *in Miscell. tom. 1. q. 536.* probatur hæc opinio, quia prima * Tonsura est Ordo. Et ita docet Iulius Cæsar Madius *de Sacris Ordinib. cap. 2. n. 2.* Nicolaus Garcias, *de benefic. part. 7. cap. 1. n. 2.* Augustinus Barbosa, *de offic. & potest. Episcopi, Alleg. 2. n. 16. & 17.* Campanilis *in diversi. Iuris Canonici, rub. 2. n. 7.* Thomas Vallascus, *tom. 1. allegat. 3. num. 8.* Franciscus Leo, *in Thesauro Fori Ecclesiastici, p. 1. cap. 4. n. 17.* & novissimè pro hac sententia multa eruditè cumulavit Franciscus Torreblanca Cordubensis *in sua Epitome delictorum, sub titulo De casibus, in quibus Dæmonum invocatio intervenit, in appendice, in calce totius Voluminis, cap. 6. defensionis Magiæ, per totum.* Et ita docent communiter Canonistæ, vt patet ex jure Canonico; nam *in cap. Cùm contingat, de ætate, & qualitate Ord. 6. dinand.* prima Tonsura vocatur Ordo Clericalis, & eodem nomine vocat Glossa, *in cap. Nullus, de tempor. ordinat. in 6.* in verbo, Tonsura. Secundò, prima Tonsura initiati gaudent Clericorum privilegiis: sunt enim capaces Beneficiorum, quorum sunt incapaces laici, *cap. 2. de Instit. & cap. Ex litter. de transact.* fruuntur privilegio Canonis, *Si quis suadente*, Gloss. *in d. cap. Cùm contingat*, Cùm ergo Tonsura habeat privilegia aliorum Ordinum, meritò Ordo dici debet. Tertiò arguitur ex Concilio Tridentino, *sess. 14. de reform. cap. 2* ubi initiatus prima Tonsura ab alieno Episcopo sine licentia proprii suspenditur: *& sess. 23. de reform. cap. 5. & 6.* eadem pœna prohibitione ligat istos, qua & minoribus Ordinibus initiatos. Cùm ergo Concilium pares faciat quoad supradicta, signum est, voluisse inter Ordines esse connumerandam Tonsuram.

* Sup. hoc an Tonsura sit Ordo inf. in Res. 25. §. 2 à lin. 3. & in Res. 34. ad lin. 10. & in fin. §. penul. & seq. & inferius in tr. 5. Res. 12. §. 2. à lin. 4. & in Res. 13. §. 2. latè à lin. 2 & in Res. 14. cursim in fin. &

2. Verùm his non obstantibus, ego puto cum Theologis primam Tonsuram non esse Ordinem. Ita tenent 36. Doctores, quos citat, & sequitur Leandrus *de Sacrament. tom. 2. tract. 6. disp. 1. quæst. 4.* quibus adde me citato Sapientissimum Dicastillo *de Sacrament. tom. 1. tractat. 6. disput. 1. dub. 2. num.* 18. Probatur, quia Ordo, qui est Sacramentum Ecclesiæ, constat ex materia, & forma: sed Tonsura nullam habet formam licèt habeat pro materia capillorum abscissionem: ergo Tonsura non est Ordo. Minor probatur: Nam verba illa relata in Pontificali Romano: *Dominus pars hæreditatis meæ*, sunt cæremonialia, non substantialia: quare etiam sine illorum prolatione quis fieret Clericus tonsuratus per solam translationem illius à statu Laicali ad Ecclesiasticum: quod concedunt plures Doctores. Denique, illud cui convenit talis definitio Ordinis, est Ordo; sed primæ Tonsuræ non convenit talis definitio: Ordo enim definitur, quod sit Signaculum quoddam, per quod spiritualis potestas tribuitur Ordinato: sed prima Tonsura initiato nulla potestas tribuitur, cùm ad nullum certum officium in Ecclesia habendum deputetur; & si ad aliquod deputaretur; non tamen ordinatur per se ad Eucharistiæ ministerium, ad quod reliqui omnes Ordines ordinantur: non igitur prima Tonsura erit Ordo; sed potius erit vt solium, & dispositio ad formam.

3. Secundò, etsi Concilium Tridentinum hanc litem dirimere noluerit; si quis tamen attentè verba Concilii consideret, sanè cóspiciet, ipsum Theologorum opinioni valde favere: Nam *sess. 23. c. 2.* ait: Vt qui jam clericali tonsura insigniti sunt, per Minores ad Majores ascendant, quibus verbis distinguit Concilium primam Tonsuram à minoribus Ordinibus. Quod etiam satis colligitur ex eo, quod idem Concilium in diversis capitibus de prima Tonsura, & minoribus Ordinibus egit, & *c. 6.* inquit: Nullus prima Tonsura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus ante decimum quartum annum Beneficium possit obtinere. Itaque Concilium nunquam primam Tonsuram Ordinem vocat; imò eam ab Ordinibus semper segregat. Hoc, omissis aliis, clarè apparet in Concilio Carthaginensi quod plenius præ cæteris de Ordinibus egit: nam *in c. 3. tract. de Presbyteri ordinatione; c. 4. de Ordinatione Diaconi; c. 5. de ordinatione Subdiaconi; cap. 6. de ordin. Acolyti; c. 7. de ordinat. Exorcistæ; c. 8. de ordinatione Lectoris; cap. 9. de ordinatione Ostiarii:* nullibi verò in eodem Concilio tractatur in Ordinum enumeratione de Tonsura. Supposita igitur hac sententia tanquam veriori, & probabiliori, respondeo ad casum propositum in titulo hu jus Resolutionis, initiatum tantùm primâ Tonsura, non esse à Confessario absolvendum à suspensione,

pensione, quatenus indigeat. Et ità observant in praxi fere omnes Confessarij.

RESOL. XIII.

An acta suspensi sint valida?
Et quid, si suspensus sit occultus, & ab Ecclesia communiter toleratus, & non sit specialiter denunciatus? Ex p.5.tract.10.Resol.11.

§.1. Respondeo actus quidem Ordinis, excepta, absolutione sacramentali, validos esse: at verò actus, qui jurisdionem postulant, per se invalidi sunt, cùm suspésus sit privatus actuali jurisdictione, & jura non minus de suspensione, quàm de excommunicatione id statuant. Nihilominus si suspensus sit occultus & ab Ecclesia communiter toleratus, acta ejus valent, quia Ecclesia supplet defectum. Imo si suspensus non sit specialiter denunciatus, quamvis quoad se sit prohibitus, ne in officio ministret ideóque peccet, si id ex sua sponte, ac ex se faciat; tamen quoad alios non est privatus jurisdictione, ut in simili de excommunicatione dictum, & rectè docet Suarez *disp. 26. sect. 2. n.2.* & ita docet Tannerus *tom.4. disp.6. q.10. dub.7. n.138.* vide etiam Avilam *part.3. disp.2. dub.3. concl.1. &* 2.Cornejo *in 3.p.tr.5. de suspens. disp.2. dub.1. q.4.*

RESOL. XIV.

An teneamur vitare suspensos in rebus, à quibus suspensi sunt?
Et quid, si talis communicatio fuerit, scilicet, quadam cooperatio cum illo in delicto, & malo usu ministerij, & quando vero quis dicatur cooperari peccato suspensi? Ex p.5.tract.10.Resol.20.

§.1. Respondeo probabilius esse neminem teneri ex vi præcepti Ecclesiastici vitare suspensũ. Ita Henriq. *lib.13. de excom. c.5. §.5. & c.33. §.3.* quem sequitur Avila *3. part. de cens. dub.4. disp.2.* & probatur, quia nullibi reperitur tale præceptum prohibens communicare cum suspensis, sicut datur præceptum prohibens communicare cum excommunicatis, quibus Navarr. *c.27 num.163.* innuit oppositum & ratio potest esse, quod suspensio non respicit per se communicationem cum fidelibus sicut excommunicatio, unde infert, quòd secluso scandalo non erit peccatum, etiam veniale communicare cum suspenso in actibus, à quibus suspensus est, nisi quando talis communicatio fuerit, scilicet quædam cooperatio cũ illo in delicto, & malo usu ministerij, nam tunc erit peccatum contra legem naturalem, & divinam, siquidem cooperari peccato alterius intrinsecè malum est. Quando verò quis dicatur cooperari peccato suspensi? Respondetur quando suspensum non toleratum extra casum necessitatis extremæ inducit ad usum actus prohibiti, aut si toleratus sit, tamen sine ulla prorsus necessitate, aut utilitate, cùm aliàs non esset paratus, neque ex officio, aut dignitate obligatus provocat ad talem usum, vel ei à latere ministrat, aut ad exercitium actus prohibiti inseruit. Vnde per solam assistentiam, quæ est quædam pura communicatio, nõ peccavit, atque ita si suspensus ab ingressu Ecclesiæ illam ingrediatur, ut divina Officia audiat, nõ teneor exire, imo si suspensus ab ordine, licèt denunciatus Missam celebret, poterit audire licitè, modò Altari nõ ministret, & hæc omnia docet Cornejo *in 3.part.tr.5. de suspens. disp.2. dub.1.* Vnde ex his infertur non benè docere Bonacinam *de cens. disp. 3. punct. 4. n.2.* & Megalium *in 3.p.lib.5.c.3.q.1.n.2.* si suspensus Missam celebret, peccare mortaliter assistentes in dicta Missa, nam contrarium ex Cornejo *ubi supra*, dicendum est, cui etiam adde Suarez *disp.34. sect.3. n.4.* Avilam *part.3 disp.2. dub.4. concl.4* ubi sic ait. Ex dictis sequitur quòd licèt aliquis sit suspensus ab ingressu Ecclesiæ, & ingrediatur illam ad audienda Officia divina, non tenetur exire de Ecclesia, imò licèt sit suspensus à divinis Officiis, & sit nominatim denunciatus, & tamen dicat Missam, non pecco eam audiendo, si non induxi eum. Ita Pater Henriq. & aliqui Magistri, intellige nisi ministrem illi ad Altare. Secundò sequitur id, quod ait Navarr. *c.27.n.163. in fine*, scilicet quòd sicut tenemur vitare excommunicatum, ita tenemur vitare suspensum in eo in quo est suspensus, si generaliter intelligatur falsum est, solùm enim habet verum in duobus casibus secundæ conclusionis. Vide etiam Sayrus *lib.4.c.11. num.6.* & Henriquez *lib.13.c.33.n.3.* Præpositum *in 3.part.q.3. de suspens. dub.3. n.27.*

RESOL. XV.

An suspensus ab officio sit suspensus à beneficio?
Et an suspensus ab officio sit privatus à fructibus beneficy?
Et in §. ultimo huius Resolutionis alia notabilia inferuntur, & explanantur pro praxi suspensionis ab officio & Ordine. Ex p.5.tract.10.Resol.1.

§.1. Quidam universè affirmant, in quibus glossa *in cap. latores, de Clerico excommunicato ministrante.* Alij verò Canonistæ asserunt de suspensione ab homine, non de suspensione à iure, ut refert glossa *in Clem. cupientes, de pœnis, & in c.1. de re judicata.* Alij contra asserunt de suspésione ab officio si sit juris, non verò si sit ab homine; ut refert Gloss. *in cap. præter, distinct.23.* Valent. *q.18. punct.1.* distinguendo dicit à beneficio suspensum esse, si quis simpliciter ab officio, adeóque ab omni officio sit suspensus, aliàs non, & citat in eandem sententiam Sylvestrum *ver. suspensio, n.5.* & Covarruviam *epit.4. part.2.c.6.n.13. & 14.* sed cujus paulò diversa est distinctio. Henriquez *lib.13.c.32. n.3.* affirmat de eo, qui ob grave crimen absolutè suspensus est ab officio, & in perpetuum, ut homicida Parochus, negat de aliis, idemque ferè sentit Covarr. *loc. cit.* & ratio horum omnium esse potest, quia beneficium non datur nisi propter officium, *cap. ult. de rescript. in 6.* ergo suspensus ab officio, tanquam radice, & fundamento, consequenter suspenditur à beneficio, quia accessorium sequitur suum principale, beneficium verò est accessorium respectu officij argum. *cap. si quis objecerit, 1.q.3.* Confirmatur, quia excommunicatio privat fructibus, eo quòd excommunicatus sit privatus omni usu officij Ecclesiastici; ergo similiter suspensio. Ita gloss. *in cap. latores, de Clerico excommunicato minist.*

Sup hoc inf. ex Res. 62. lege §. ult.

2. Sed his non obstantibus absolutè ego contrariam sententiam teneo. Dico igitur suspensionem ab officio per se non includere suspensionem à beneficio, & ideò non privare fructibus beneficij, quia diversæ pœnæ sunt suspensio ab officio, & suspensio à beneficio, & potest una executioni mandari sine altera, si videlicet suspensus ab officio interim beneficij temporalem administrationem gerat, & fructus percipiat, officio verò quatenus ei cõcessum est si satisfacere paratus sit, videlicet horas Canonicas recitando, & ad alia munia Eccelsiastica Vicarium constituendo, & ita docet Vgolinus *de cens. tab. 4. cap. 6. §.3.*

Tannerus *tom.4.disp.6.dub.6. q.10.num.135.* Villalob. *tom.1.tract.18.diffic.3.n.5.* Filliucius *tom.1. tract. 17. cap.2. num.20.* Gordonus *tom.2. lib.7. quæst.14. cap.1. n.17.* Megalius *in 3.part. lib.5. c.1. quæst. 2. num.12.* Reginaldus *tom.2. lib.31.tract.2.cap. 19. num.11.* Turrianus *lib.4. disp.39. dub.2.* Hurtadus *de susp. difficult.4.n.7.* Cornejo *in 3.part.tract.5.de susp. disput.2. dub.1.quæst.5.* Suarez *disp.26.sect.3. n.4.* Sayrus *lib.4. c.5. num.5.* Avila *part.2. disp.2.dub.1. conclus.6.* Layman *lib.1.tract.5. part. 3. cap.1. num. 3.* Præpos. *in 3. part. quæst. 3. de susp. dub.2. n.2.* limitat hanc sententiam Navarrus *cap. 27. num. 6.* nisi suspensio sit diuturna, ut tacitè, vel expressè habeat vim privationis: sed Sanchez *de matrim. lib.3.disp.51. n.12.* & Coninch *de Sacrament.disp.15.dub.2.n 6.* cum aliis absolutè docent etiam perpetuò suspensum ab officio non esse suspensum à beneficio: addunt tamen, si crimen grave sit, beneficio privandum esse, ex *cap.tuarum de purgat. can.*

3. Notandum est etiam hîc obiter primò cum Mercero *de Sacrament. in 3. part. q. 24. dub.2.* & Fabro, *de cens.in 4. sent.dist.25.q.1.disp.6. cap.1. num. 13.* suspensum ab officio non esse privatum fructibus beneficij.

4. Notandum secundò quòd suspensio ab officio quæ non simpliciter, sed pro parte fertur, tantùm impedit ab ea parte Ecclesiastici officij, quæ per verba determinantia significatur, & ab omni superiori functione, quæ illam intrinsecè supponit, non autem ab inferiori; neque ab alia omninò diversa. Hinc sequitur primò suspensum ab Ordine tantùm esse quidem suspensum ab omni usu cujuscumque Ordinis, cùm de nullo particulari Ordine possit rationabiliter intelligi, non tamen à jurisdictione, aut functione Ecclesiastica non dependente per se ab Ordine, quia sicut suspensio ab officio præscindit à beneficio, ita suspensio ab Ordine præscindit à jurisdictione, v.g. suspensus ab Ordine non est suspensus ab eligendi jure, quod competit ratione beneficij, aut dignitatis, aut status Monastici, & ita docet Mercerus *de Sacrament. in 3.part.q.24.dub.7.* & ideò Layman *loco cit.lib.1.tract. 5.part.3.c.3. n.5.* ex multis doctoribus docet suspensum ab Ordine exercere posse omnes actus jurisdictionis, qui ordinis actualem usum non requirunt, quare Episcopus suspensus ab Ordine, licèt confessiones audire non possit, alteri tamen potestatem absolvendi delegare non prohibetur: quod præter Laymã docet etiam Henriquez *lib.13. c.32. n.4.*

RESOL. XVI.

An suspensus à beneficio sit suspensus ab officio?

Et an suspensus à beneficio, si egeat, possit fructus percipere, quatenus necessarij sunt ad se, & suos alendos, ut etiam contingit in simili effectu excommunicationis majoris?

Et an excommunicatus, vel suspensus à beneficio, si tamen præstet officium, lucretur omnes fructus?

Et an, qui suspenditur à beneficio, eo ipso ita privetur fructibus, ut ante omnem sententiam eos non faciat suos? Ex p.5.tr.10.Res.3.

§.1. Respondeo negativè, quare potest, imo etiam debet officio suo satisfacere, & jurisdictionem, vel administrationem ratione officij competentem exercere, quæ est communis sententia Doctorum cum glossa *in cap.cùm Vintionensis, de elect.* Abb. *in cap. cùm dilectus, num.20. de elect.* Igitur suspensus à beneficio intelligitur tantùm à perceptione fructuum, ac temporali administratione beneficij, quare illi œconomus constituendus est: si autem se ingerat beneficij interdictæ sibi administrationi, ipso jure privatur, *c.cupientes, §.cæterum, de elect.in 6.*

2. Sed difficultas est an suspensus à beneficio, si egeat, possit fructus percipere quatenus necessarij sunt ad se, & suos alendos? & respondet Mercerus *de Sacrament.in 3.part. q.24.dub.3.* quòd si suspensus est pro contumacia, non est subveniendum ei de fructibus beneficij, quia sua culpa perpetuò durante paritur hanc necessitatem, & minus inconveniens est, ut ex suppositione pravæ suæ voluntatis mendicet, quàm ut ex inquitate sua reportet commodum in vilipendium Ecclesiasticæ disciplinæ: si autem suspensus est in pœnam delicti commissi, cùm jam non sit in ejus potestate facere, ut pœna illa tollatur, erit ei subveniendum ex fructibus, juxta arbitrium Superioris, nisi suspensio sit ipso jure contracta & occulta, tunc enim prudenti arbitrio poterit illis ali, ut etiam contingit in simili effectu excommunicationis majoris. Ita Mercerus, cui etiam addè Filliucium *tom.1.tract.7. c.3.n.53.* Gordonum *tom.2.lib.7.q.13.c.7.n.36.* Turrianum *lib.4.disp.39.dub 40. num.2.* Cornejo *in 3.part. tr.5.de susp. disp.2. dub.4.q.1.* Suarez *disp.27.sect.2.n.3.* Sayrum *lib.4.c.6 n.12.* Coninch. *de Sacrament. disp.15. dub.2.conclus.6.* & alios. Imò, nota Lector, Avila *part.2.c.6.disp 6.dub.1.concl. 1. & 2.part.3.disp.2.dub.2. conclus.6.* cum Petro Navarra *lib.2.de restit.c.2.n.117.* asserunt quòd excommunicatus, vel suspensus à beneficio, si tamen præstet officium, lucretur omnes fructus, & hanc sententiam præter Doctores citatos docet etiam probabiliter Tannerus *tom.4.disp.6.q.10. dub.7.n.137.* & Ioan.præp. *in 3. part.quæst.2.de suspen. dub.2. num. 22.* ubi sic ait. Dubitatur an qui suspenditur à beneficio, eo ipso ita priverur fructibus, ut ante omnem sententiam eos non faciat suos? affirmant varij conformiter ad id quod dicùt de excommunicato; non est tamen improbabile quòd si fructus ei non subducuntur, possit eos recipere, & retinere juxta id, quod in simili dictum est *quæst. præcedenti, dub.11.* & docet Sà *ver.suspensio, n.7.* Vnde aliquis suspensus per jus à beneficio potest tuta conscientia recipere fructus beneficij, etiam distributiones, si divino officio publico interfuerit. Ita ille, & ego. Vnde immeritò Hurtadus *de susp.diffic.4.n.10.* hanc sententiam falsam vocavit, licèt concedat posse taliter suspensum recipere fructus correspondentes labori, quem serviendo impendit, & qui darentur substituto, quia isti non tam sunt fructus beneficij, quam stipendium laboris: poterit quoque ob eandem rationem percipere quotidianas distributiones.

RESOL. XVII.

An suspenso ab officio illicitè conferatur beneficium?

Et an collatio beneficij facta suspenso per triennium in suspensione perseveranti, sit irrita? Ex part. 5. tract.10. Res.2.

§.1. Affirmativè respondet Coninch *de Sacr.disp. 15.dub.2.n.7.* ubi sic ait: Absolutè suspenso ab officio illicitè confertur beneficium, quia cùm beneficium detur propter officium, illicitè datur ei, qui ab officio Clericali arcetur, ut patet ex *cap.sul. de Cler. ex.* sed non probant. Nam ex *dicto cap.* apertè colligitur, solùm esse irritandam. Ita Suar. *dist.26. sect.3.n.8.* aliud probat, *cap. cùm dilectus 8.* quòd alij pro se solent citare, solent etiam citare *cap.quia diversitatem 5. de concess. prob.* Sed nihil facit ad rem præsentem. Ita Coninch & post illum Layman *lib.1.tract.5. part.3. cap.1.*

cap.1. n.3. & Mercerus *de Sacrament in 9. part. q. 24. dub.2.*

2. Verùm his non obstantibus contrariam sententiam teneo cum Acugna *in Decretum Gratiani part.1. disp.71. cap.3.num.3.* & Hurtado *difficult 4. de suspens. n.8.* ubi ita asserit: Addunt aliqui suspenso absolutè abofficio illicitè,quamvis validè conferri beneficium argumento deducto à simili *cap.ult.de Cler.excommunicato*: id tamen nobis non probatur,quia existimamus ei non solùm validè, sed etiam licitè conferri,ut deducitur ex *cap.vel non est compos 14.de tempor.ordin.* Argumentum autem à simili non est efficax, præsertim in materia odiosa,qualis est præsens materia.Nihilominus *in cap.bona memoriæ 8.de ætate,qualitate, & ordine præficiendorum*,decernitur, collationem beneficij factam suspenso per triennium in suspensione perseveranti esse irritandam. Hæc Hurtadus. Sed circa præsentem quæstionem ne deseras videre Turrianum *de cens.lib.4. disp.39. dub.2.* Vnde non est audiendus Avila *part.3. disput.2. dub.10.* asserens dictam collationem esse nullam, ut adversùs illum notat Cornejo *in 3.part.tract.5. de susp.disp.2.dub.1.*

RESOL. XVIII.

An suspensus à beneficio validè accipiat aliud novum beneficium?

Et an qui solum suspenditur à certo beneficio, non possit privari fructibus aliorum beneficiorum, etiamque possit alia beneficia recipere? Ex part.5. tractat. 10. Resolut. 7.

§.1. NEgativam sententiam docet Bonacina *de censur.disp.3. punct.3. n.8. in editione novissima.*Lessius *lib.2.c.34.dub.22.n.116.*& Villalobos *tom. 1.tract.18.difficult.4.n.6.*ubi sic ait. [Quando se pone la suspension à beneficio generalmente, impide que no se adquiera beneficio de nuevo,como se colige de un texto;y tambien se puede probar por una ley,porque como el suspenso à beneficio està privado de los frutos Ecclesiasticos,està privado de recebir el beneficio que se ordena para alla,y es como principio suyo. Assi lo dize una glosa,y es comun:y dize Suarez, que no se impide de tal manera el adquirir el beneficio, que la eleccion fuesse irrita ipso facto,sino que la ha de irritar el juez ò superior,que no prueva mas el cap.si celebrat. Mas yo tengo por verdadero el contrario, que es nula ipso facto la eleccion, como se determina *in Clement.2.de vita & honest. Cleric.*] Ita Villalobos.

2. Sed ego affirmativæ sententiæ adhæreo, quia Doctores citati, jura quæ conferunt,ut summum probant talem acquisitionem esse irritandam,non autem irritam, & ita Coninch *de Sacrament. disp.15. dubit.2. n.14.* Gordonus *tom.1.libr.7. q.13. c.7. n.38.* Cornejo *in 3.part.tract.5. de suspens.disp.2. dub.4.q.2.*Layman *lib.1.tract.5.part.3.c.1.n.3.*Mercerus *de Sacramento.in 3. part.q.24. dub. 3.* Faber. *de censuris in 4. sentent. distinct.25. quæst.disp.6. c.1.n.26.* & Præpositus *in 3.part. quæst.3. de suspens. dubitat.2. n.24.* ubi sic ait: Si quis solùm suspendatur à certo beneficio, non potest privari fructibus aliorum beneficiorum, & potest etiam alia beneficia recipere, imò quamvis sit simpliciter suspensus à beneficio, videtur posse aliquod beneficium recipere, quantùm est ex parte censuræ, quia optimè potest consistere, quòd aliquis possit acquirere titulum, quamvis deberet privari fructibus inde provenientibus; ergo quamvis verum esset, quòd ita simpliciter suspensus à beneficio privaretur eo ipso fructibus omnium beneficiorum, posset nihilominùs,quantum est ex parte censuræ, novum beneficium recipere. Ita ille, & ideò ante judicis sententiam talis potest percipere fructus beneficij, ut docet Tannerus *tom.4. disp.6. quæst.10. dub.1. n.137.*

RESOL. XIX.

An collatio beneficij facta suspenso, vel interdicto sit valida? Ex part.5.tract.9.Resol.100.

Ad confirmandam doctrinam hujus Resol. ne deseras legere sup. Resol. 18 & §§.ejus not.

§.1. DOctores qui affirmativam sententiam docent etiam quoad excommunicatum toleratum docent etiam quoad supradictos;& ita tenet Coninch *de Sacram. disp. 14. dub. 9. num.71.* Avila *p. 2. cap.6. disput.5. dub.4. post. 3. conclus.* ubi sic ait.Vltimò nota ea quæ dicta sunt de collatione, vel electione facta excommunicato, etiam habere locum si fiat suspenso, vel interdicto.Ita ille: hæc opinio est probabilior.

2. Sed contrariam etiam probabilem & tutam in praxi esse existimo, & ideo Lessius *lib.2.c.34.dub.22. num.116.* sic asserit: Satis est probabile etsi suspensio sive ab officio, sive à beneficio, faciat hominem indignum collatione novi beneficij, & Canones velint eum privari,& hac ratione possit dici inhabilis, non tamen ita esse inhabilem,ut collatio sit ipso jure irrita, & ita ille teneatur beneficium etiam post ablatam suspensionem,sponte dimittere:Id enim ex Canonibus non satis potest probari, solùm enim ex illis colligitur Collationem esse irritandam,ipsúmque esse privandum, ut patet singulos expendenti, quæ formulæ loquendi indicant requiri sententiam judicis.Vnde in re tam dura & difficili non videntur extendendæ ad privationem latæ sententiæ, & inhabilitatem absolutam. Ita Lessius qui citat Suarez *disp.26. sect. 3.num. 7. & disp. 27. sect. 5.num. 5.* & quod dixit de suspensione, idem dicit de interdicto, & respondet ad omnes Canones, qui pro affirmativa sententia facere videntur.

RESOL. XX.

An suspensus à beneficio suspendatur à Collationis jure beneficij,confirmationis,electionis,& c.sibi veniente ratione beneficij, à quo suspensus sit?

Et notatur Episcopum à beneficio suspensum posse beneficia conferre. Ex p.5.tract.10.Resol.8.

§.1. AFfirmativam sententiam docet Tolet. *lib.1. c.43.*Saytus *lib.4. c.6. n. 7.* Navarr. *cap. 27. num.16.* Henriquez *lib.13.c.32. n.4.* & Ioan. Præpos. *in 3.p.q.3.de suspens.dub.2. num. 25.* quia tale jus est quidam proventus beneficij, & hujusmodi jura solent cedere iis, quibus cedunt fructus beneficij vacantis: nec obstat, quòd sint quædam officia, quia id quod est officium, potest simul esse fructus alterius,v.g.beneficij,quemadmodum aliquis actus jurisdictionis potest simul esse actus Ordinis,ut absolutio sacramentalis; unde dico hæc & hujusmodi subire & rationem officij, & rationem fructus beneficij diversa consideratione; & tam eum, qui suspenditur à beneficio, quàm eum qui suspenditur ab officio, ab his suspendi.

2. Verùm ego contrariæ sententiæ tanquam probabiliori adhæreo,quam tenet Gordonus *tom.2. lib.7. q.14.c.7.n.41.& seq.*Hurt.*de susp.diffic.4.n.9.* Cornejo *in 3. p.tract.5.de susp. disp.2.dub.4. q.4.* Suar. *disp.25. sect.2.n.14.& disp.26.sect.4.n.5.*Avila *p.3.disp.2.dub.1. concl. 4.* Coninch *de Sacram. disput.15. dub.2.num.11.*

Layman

Layman *lib.1.tract.5.part.3.cap.1.n.4.* & Mercerus *de Sacr. in 3.p.q.24. dub.3.* ubi sic ait: Notandum Episcopum à beneficio suspensum posse beneficia conferre; quia hæc collatio non pertinet ad fructus Episcopatus, provt impropriè dixit glosſ. *in c. cùm olim, de majorit. & obed.* neque est actus dominii, vel beneficii, vt beneficium est, sed officii & jurisdictionis, vt habet glosſ. *in c. transmissam, de elect. in 6.* sic etiam suspensus à beneficio non privatur actu eligendi competente propter beneficium quia electio non est fructus beneficii, neque actus ejus vt beneficium est, sed officii spiritualis, cui annexum est ipsum beneficium. Dicendum est igitur quòd collatio, & electio non propriè numerantur inter beneficii fructus, quorum perceptio suspenso interdicta est, cùm potiùs sint actus officii, & quasi jurisdictionis ratione beneficii competentis. Quamobrem Canonis auctor cùm ab utroque tam beneficio, quàm jure eligendi, suspendere vult, id ipsum exprimit, vt videre est *in cap. cùm in cunctis, §. vlt. de elect.* Si ergo in canone non exprimatur, non est cur extensionem faciamus in materia pœnali, & ita præter Doctores citatos hanc sententiam sustinet etiam Philippus Faber *de cens. in 4.sent.dist.25.q.1.disp.6.cap.1.n.29.*

RESOL. XXI.

An suspensus à beneficio privetur fructibus pensionis collatæ titulo Clericali? Ex p.5. tr.10. Resol.15.

§.1. AFfirmativè respondet Suarez *disp.27. sect.1. num.15.* & Filliucius *tom.1. tract.17. cap.3. num.42.* ubi sub nomine beneficii comprehendit omne genus beneficii, sive sit simplex, sive curatum, sive dignitas, &c. etiam pensio quæ datur ex titulo spirituali, & Ecclesiastico ratione Clericatus, non autem ea quæ sine tali titulo conferri solet laïcis. Sed contrarium docet Alterius *tom.2.disp.4.cap.1. ad finem.* Megalius *in 3.p. lib.5. cap.1. quæst.1. n.5.* quia pensio non est beneficium, unde utramque sententiam probabilem esse puto.

RESOL. XXII.

An Episcopus censura ligatus tempore, quo Episcopatum recepit, incurrat suspensionem?
Et discutitur, an Episcopatus sit Ordo? Ex p.5. tr.10. Resol.41.

Sup. hac quæst. an Episcopatus sit Ordo, latissimè in to. 4. tr.8. Resol. 1.2. & 3.

§.1. AFfirmativè respondent Doctores, qui tenent Episcopatum esse Ordinem, quos citat, & sequitur Sanchez *opusc.tom.2.lib.7.cap.1.dub.9. num.2.* & 3. cum Palacio *in 4.sent.dist.24.q.2.* Bellarm. *lib.1. de Sacram.Ord.cap.5.* Navarro *c.22.n.18.* Valent.*tom.4. disp.9.q.1. punct.4.* Granado *de Sacram. in 3.p.contr.9. tract.1.disp.2.n.15.* Præposito *in 3.p. q.unic.de Sacram. Ord.dub.6.* Vasquez *tom.3.disp.240.cap.3.* Fornario *de Sacr.Ord.cap.1.* Coninch *de Sacram.disp.20.dub.2.n.9.* Emanuël Sà *verb. Ordo, n.7.* & aliis: nam qui recipit aliquem Ordinem censura innodatus, suspensionem incurrit, *ex cap.cùm illorum, de sent. excommun.*

2. Verùm quia contrariam sententiam, nempe Episcopatum non esse Ordinem tenet cum D. Thom. *in 3. p. q.40. art.5.* Schola Patrum Dominicanorum, vt Nugnus *loco cit.* Sotus *de Iust. lib.10.q.1.art.2. & in 4. dist.24.q.2.art.3.* Ledesma *de Sacram. Ordin. dub.5. & seqq.* Viguerius *in inst.cap.16.§.6.* D.Anton.*3.p.tit.14. cap.16.§ 8.* Sylvestro *verb. Ordo, 1.q.1.dub.3.* Ferrar. *contra Gentes, lib.4 c.76.* Tabiena *verb.Episc.q.8.* & aliis. Ideo puto probabiliter cum Bonacina *de cens.disp.13. punct.5.§.1.n.11.* à suspensione eximi posse illum, qui Episcopatum recipit tempore, quo censuræ vinculo detinetur, quia, vt dictum est, ex mente suprædictorum Auctorum Episcopatus non est Ordo: ergo.

RESOL. XXIII.

Ad quid se extendat, suspensio ordinis Episcopalis?
Et inter alia quæritur, an si Episcopus ita suspensus celebret in Pontificalibus, incurrat irregularitatem? Ex p.5. tract.10. Res.4.

§.1. AD hoc dubium ita Respondet Layman *lib.1. tract.5. part.3.c.1.n.6.* Suspensio ab Ordine Episcopali extendit se ad eos actus tantùm Ordinis, qui Episcopo proprii sunt, & Sacerdoti jure ordinario competere non possunt; cui affinis est suspensio à Pontificalibus, per quam per se ac directè prohibetur usus insignium Episcopalium videlicet mitræ, baculi, & pallii; per accidens verò & consecutivè omnia Episcopalia solemnia officia, quæ sine ejusmodi insignibus exerceri non debent, qualia sunt Ordines conferre, confirmare, Ecclesias, Altaria, Virgines consecrare, &c. secundùm glosſ. *in Extravag. suscepti regiminis, vers.à Pontificalibus.* Sayrum *lib.4.c.4.n.14.* Interim tamen concessum est Episcopo ita suspenso Missam privatam sine Pontificalibus celebrare, confessiones audire, jurisdictionem forensem exercere. Vide etiam Filliucium *tom.1.tract.17.cap.2.num.27.*

2. Sed difficultas est an, si Episcopus celebret in Pontificalibus, incurrat irregularitatem? Mihi placet opinio negativa Ioannis Præpositi *in 3.p.q.3.de susp. dub.2.n.13.* ubi sic ait: Cùm quis suspenditur à certo Ordine, per hunc modum interdicuntur omnes functiones illius Ordinis: vt si quis suspendatur ab Ordine sacerdotali, prohibetur omnis functio propria Sacerdoti, v.g. sacrificium Missæ, collatio Extremæ-Vnctionis, benedictio sponsæ, aquæ lustralis; si quis suspendatur à Pontificalibus, prohibetur etiam Ordines minores conferre, confirmare, templa, calices, chrisma consecrare, populo solemniter benedicere, non potest in Sacro, &c. uti apparatu insignium Pontificalium, ubi tamen adverte juxta communiorem sententiam non incurrere irregularitatem, si Sacrum cum tali apparatu faciat, eò quòd sacrificium non sit munus Episcopi vt sic, Sed Sacerdotis, cujus exercitium per suspensionem ei non interdicitur. Ita ille, & ego, quicquid in contrarium asserant Doctores, quos citat Riccius *part.4. decis.30.*

RESOL. XXIV.

An Episcopus primam Tonsuram conferens sine propriis Episcopi licentia incurrat pœnam suspensionis latam in cap. eos.de temp. Ordin. in 6.
Et supponitur, quod si Episcopus scienter, vel cum affectata ignorantia præsumit ordinare Clericum alienum sine sui Ordinarii licentia, est suspensus per annum à collatione Ordinum.
Et an, si Episcopus primam Tonsuram laïco alterius Diœcesis conferat, incurrat suspensionem collationis Ordinum, vel tantum à collatione primæ Tonsuræ? Ex p.3. tract.4. Res.193. aliàs 194.

§.1. SVppono cum Suarez *to.5.de cens.disp.31.sect.5.* Toleto *lib.1.c.8.n.4.* Sayro *de cens.lib.4.cap.12. num.13.*

num. 13. Campanili *in diver. jur. can. 1. rubr. 9. num. 16.* & alii communiter *ex dicto cap. eos, de temp. ordin. in 6.* quòd Episcopus si scienter, vel affectata ignorantia ordinare præsumit alienum Clericum sine sui Ordinarii licentia, est suspensus per annum à collatione Ordinum. Hoc supposito, ad quæstionem propositam affirmativè respondet glossa *in dict. cap. eos, in ver. ordinare, & in cap. nullus, in ver. homine eodem titulo*, cum Salzedo *in pract. Bernardi Diaz cap. 26.* & aliis.

2. Novissimè tamen contrariam sententiam docent ex Geminiano Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 18. difficult. 7. n. 17.* & Aloysius Riccius *in addit. ad inst. Can. Lancelotti, lib. 1. tit. 25. §. pari ratione*, ubi sic asserit: Advertè tamen, quòd *cap. eos*, loquens de Episcopo ordinante clericum alienum, supponit eum esse clericum, saltem tonsuratum. Vnde si primam tantùm tonsuram laico alterius diœcesis conferat, non incurrit Episcopus suspensionem à collatione Ordinum, sed solùm à collatione primæ tonsuræ, *arg. cap. nullus, de temp. ordin. in 6.* Et quamvis Concilium Tridentinum explicet hoc de ordinante simpliciter, & non restringat se ad ordinantem clericum vt propterea dubitari possit, an saltem ex virtute decreti hujus, Episcopus conferens alieno primam tonsuram, à collatione Ordinum suspensus fuerit, & consulenda sit congregatio Cardinalium, qui Concilii Tridentini interpretes præficiuntur: nihilominus tamen valde mihi probabile est, juxta ea quæ diximus, hunc non nisi à collatione primæ tonsuræ suspensum esse. Ita Riccius.

3. Sed mihi stante Concilio Tridentino *sess. 14. cap. 2. & sess. 23. cap. 8. de reform.* prima sententia magis placet, quam sequitur ex neotericis Barbosa *in collect. tom. 3. lib. 1. tit. 9. cap. 2. n. 10.* Vide etiam Bonacinam *de censuris, disp. 3. punct. 5. §. 2. n. 4.* & Filliucium *tom. 1. tract. 17. cap. 8. num. 141.*

RESOL. XXV.

An Episcopus conferens primam Tonsuram in aliena Diœcesi incurrat suspensionem?

Et an liceat Episcopo ordinare proprios subditos in aliena Diœcesi, si habeat licentiam ordinandi subditos Episcopi illius diœcesis? Ex p. 5. tract. 10. Resol. 45.

§. 1. Videtur affirmativè respondendum, & ita docet Campanili *in divers. jur. canon. rubr. 6. cap. 1. n. 2.* & Barbosa *in Conc. Trid. sess. 6. cap. 5 n. 9.* ubi docet Episcopum non posse in aliena Diœcesi conferre primam Clericalem Tonsuram suis subditis, absque licentia Ordinarii loci, & ideo aliter facientes incurrerent suspensionem latam in Trid. *ubi suprà.* Idem etiam docet Alterius *tom. 2. disp. 10. col. 2. ver. quod si.* Rebuff. *in pract. Benefic. tit. de Clericis ad sacros Ordines malè promotis, gloss. 1. num. 4.* & alii.

2. Verùm mihi contraria opinio probabilis etiam videtur, & ratio est, quia Concilium loquitur de Episcopo conferente Ordines. Sed prima Tonsura non est Ordo, sed initiatus ad Ordines, & solet concedi sine exercitio Pontificalium: ergo, &c. & ita docet Tolet. *lib. 1. cap. 49. num 4.* Azorius *tom. 2. lib. 5. cap. 48. quæst. 5.* Fornarius *de Sacr. Ord. cap. 5. §. 4. not. 4.* Molfesius *in summa, tom. 1. tract. 2. cap. 2. n. 15.* Hentiquez *lib. 3. cap. 6. n. 6.* & alii.

4. Notandum est etiam hîc obiter cum Turriano *de cens. lib. 5. disp. 46. dub. ult.* & aliis, licere Episcopo ordinare proprios subditos in aliena Diœcesi, si habeat licentiam ordinandi subditos Episcopi illius Diœcesis.

RESOL. XXVI.

An Episcopus ordinans subditum alienum, ex ratihabitione incurrat suspensionem Concily, sess. 23. cap. 8.

Sunt enim aliqui casus, in quibus datur excusatio ab ea censura, quos ex Suarez explanatos invenies in textu hujus Resolutionis? Ex p. 5. tract. 10. Resol. 38.

§. 1. Affirmativam sententiam docet Turrianus *de cens. lib. 5. disp. 46. dub. 1.* ubi hæc ait. Ego existimo secluſa ignorantia ex sola ratihabitione non posse ordinare alium Episcopum, neque conferre Ordinem non sibi subdito per solam ratihabitionem de futuro. Et primò quantum ad forum exterius judicabitur suspensus talis ordinatus, quia verè ordinatus est ab altero sine licentia proprij, & præsertim si non constet de ratihabitione. Proinde absolutè ille ordinatur sine licentia proprij, quia ratihabitio de futuro non est licentia de præsenti, & ita vt licitè fiat ordinatio, requiritur vt ordinatus sit subditus ordinantis, vel quòd de licentia proprij ordinetur. Denique, quia talis opinio posset esse causa damnorum in Ecclesia & scandali, & ideo in praxi admittenda non est. Et ita hanc sententiam docet etiam Bonacina *tom. 3. disput. 3. q. 1. punct. 11. num. 14.* Parisius *vol. 4. cons. 136.* Mandos. *in regul. 24. Cancell. q. 4. num. 10.* Rebuffus *in praxi Episc. tit. de form. dimiss. n. 28. & 29.*

Sup. hoc in tom. 2. tr. 1. lege doctrinam Resol. 33. & alterius Resol. ejus annot. primæ & signanter secundæ.

2. Verùm ab ista censura excusari aliquos casus, in quibus ponitur ratihabitio rationabilis, ex Suarez docet Reginaldus *in praxi tom. 2. lib. 32. tract. 2. cap. 24. sect. 3. num. 69.* ubi ita ait: Sunt autem aliquot casus in quibus excusatio datur ab ea censura. Eos Suarez persequitur *in cit. sect. num. 15.* & aliquot sequent. Primus, est quando ignorantia invincibilis excusat à mortali culpa suscipientem sic Ordinem sacrum. Secundus quando proprius Episcopus est, & ipse suspensus ob ordinatum alienum, tunc licet sine ipsius licentia adire alium, à quo Ordines suscipiantur, juxta *cap. eos qui, §. fin. de temp. ordin. in 6.* Tertius est, quando quis per triennium fuit de familia Episcopi alieni, hic enim illum, dummodo statim det ei beneficium potest promovere, ex concessione Concilii Tridentini *sess. 23. de reform. cap. 9.* Intellige autem de Episcopo ordinario, quia ei, qui tantùm est titularis talis promotio est interdicta *in præced. sess. 14. cap. 2. de reform.* Quartus est quando unus Episcopus ordinat subditum alterius Episcopi sub spe rationabili ejusdem ratihabitionis, *ex cap. vlt. 9. quæst. 2.* ubi allegatur factum D. Epiphanii, qui isto modo ordinavit in Diœcesi D. Chrysostomi. Hæc Reginaldus, & Barbosa *in Collect. Doct. ad Concil. Trident. sess. 23. cap. 8. num. 36.* Hanc etiam sententiam tenet glossa *in cap. Lugdunenses, 9. q. 2. ver. quod sanctus.* D. Thom. *in 4. disp. 25. in exposit. litera.* Mayol. *de irregular. lib. 4. cap. 2. num. 7.*

Sup. hoc in tom. 2. tr. 5. Resol. 59.

Sup. hoc titulari Episcopo in to. 2. tr. 5. Resol. 28. per tot. signanter §. vlt. & in alia Resol. ejus annot.

3. Sed hanc sententiam Avila *de cens. p. 3. disput. 5. dub. 7. §. dico quintò*, intelligit de ratihabitione de præterito, vel de præsenti, expressa signo aliquo exteriori, non tamen putat sufficere spem ratihabitionis de futuro. His tamen non obstantibus primam sententiam absolutè tenet Sanchez *in opusc. lib. 7. cap. 2. dub. 20. num. 13.* post Concil. Trident. ubi docet, non posse Episcopum proprium talem ordinationem ratam habere. Sed quia secunda sententia habet pro se multos Doctores, quos præter citatos vide penes me ipsum *in 3. part. tract. 4. * resolut. 191.* puto probabilem esse.

* Quæ nunc est II. to. 2. tr. 5. Resol. 33.

RESOL. XXVII.

An Abbates conferentes Tonsuram, vel minores Ordines aliis,

aliis, quam suis subditis Regularibus incurrant suspensionem?

Et notatur Abbates conferentes ordines minores Novitiis non esse suspensos, quamvis peccent. Ex p.5. tr.10. Resol.42.

Quoad hoc lege doctrinam Resol. not. seq. & in tom.1 tr.5. Resol.78. & aliarum earum notatorum

§.1. AFfirmativam sententiam docet Sayrus *de censi.lib.4.cap.13.num.5.* ubi sic ait: Abbas etiam Regularis subditis laicis, Tonsuram aut minores Ordines conferens, aut eisdem literas dimissorias, vt ab aliis ordinentur, concedens ab officio, & beneficio per annum ipso jure suspensus est, vt habetur in Concil. Trident. *sess.23. de reform. cap.10.*

2. Sed fallitur, quia Concilium Trid. imponit suspensionem, vt legenti patet, tantummodo concedentibus dimissorias, eámque ad Abbates, & ad alios etiam ad Capitula Cathedralis Ecclesiæ similes dimissorias concedentes (excepto casu quando Sedes Episcopalis per annum vacavit) extendit. Ergo dicta suspensio non est extendenda ad ordinantes. Et ita hanc sententiam docet Bonacina *de cens. disp.3 punct. vlt.n.12.* Vide etiam eumdem Bonacinam *tom.3.disp.3. quæst.1.punct.11.num.4* Vnde ego olim rectè consului Abbatem Benedictinum Ordines minores conferentem non incurrisse suspensionem; licèt secundùm aliquos non possit dictos Ordines conferre alienis subditis, etiam cum dimissoriis proprij Episcopi, de qua quæstione latiùs *infrà in tract.1. miscellan.*

Inf. in Resol. quæ hîc est in to.2. tr.5. Resol.79.&c.

3. Notandum est hîc à fortiori contra Maiolum *de irreg.lib.4.cap.2.num.11.* Abbates conferentes Ordines minores * Novitiis non esse suspensos. Ita Sayrus *ubi supra*, Henriquez *lib.13.cap.38.n.2. in gloss.lit.A.* & Bonacinam asserentem peccare suprà dictos Abbates ordinantes Novitios, sed non incurrere in suspensionem. Sed putat neque peccare Suarez *de Relig.tom.4. tract.8.lib.2.cap.29.num.12.* glossa *in cap. Abbates, ver. convolaverint, de privil. in 6.* & alij.

* Quoad hos Novitios in to.2. tr.5. lege ex Resol.81. doctrinam §. Sed difficultas & aliorum §§. ejus not.

RESOL. XXVII.

An Abbates concedendo dimissorias Novitio incidant in suspensionem? Ex part.5. tract.10. Resol.43.

§.1. AFfirmativam sententiam docet Bonacina *de cens.disp.3.punct.vlt.num.13.* ubi sic ait: Abbatem concedentem Novitio dimissorias ad suscipiendos Ordines incurrere suspensionem, si Novitius Clericali Tonsura initiatus jam sit, nam hujusmodi Clericus nondum est Religiosus, & in hac parte præsumitur & reputatur Clericus sæcularis, & quoad Ordines suscipiendos habetur pro non subdito ipsi Abbati. Si verò concedat dimissorias ad primam Tonsuram, probabiliter mihi dicendum videtur Abbatem non ligari suspensione, quia Concilium loquitur de iis, qui dimissorias concedunt Clericis sæcularibus. Novitius autem carens prima Tonsura non dicitur Clericus, præsertim sæcularis. Ita ille.

Sup. hoc latè in to.7 tr.1 Resol.129. & 130 & in to. 2 tr 5. Resol. 84 § 2. ad med. cursim in vers. quare.

2. Sed tu prorsus contrariam sententiam tene. Superiores enim Regulares, qui habuerint speciale privilegium concedendi suis Monachis literas dimissorias ad quemcumque Episcopum, licèc in illo non exprimatur, quòd illud valeat Novitiis communicare, posse tamen etiam Novitiis illas, vt à quocumque Episcopo ordinentur, sicut cæteris Monachis professis concedere tenent Sanchez *in præcept. Decal. tom.2. lib.6: cap.10. in fine.* Ioannes Baptista Tiber. *in instruct. pro ordman. cap.7. quæst.50.* Barthol. de Vecchis *in praxi observanda in admitten. ad relig. stat. novitiis, disp.11. quæst.8. num.3. ver. si vero.* Tamburin. *de jure Abb. tom.2. disp.2. quæst.7. num.2.* & alii, quos * alibi ego ipse citavi.

* Alibi in Resolutionibus, & § not. præteritæ.

RESOL. XXIX.

An Monachi Benedictini incurrant in suspensionem, si non utantur habitu præscripto in Clement.1. § Si quis autem, de stat. Monachi? Ex p.5. tr 10. Res.44.

§.1. REspondeo affirmativè, sed nota ad hanc censuram incurrendam non solum requiri culpam mortalem, verùm etiam præsumptionem, nam in textu dictæ Clement. dicitur, *portare præsumpserint*, quod verbum importat dolum & temeritatem. Et ideo ab hac suspensione excusatur non solum qui cum inadvertentia hujus prohibitionis Clementinæ habitum in ipsa prohibitum defert, verùm etiam qui scienter eo utitur ad breve tempus. Imò Suarez *de cens. disp.31. sect.6. n.10.* & Bonacina *de cens. disp.3. punct. vlt. num.14.* putant ad hanc suspensionem incurrendam requiri vt Monachus Benedictinus utatur habitu sibi prohibito per modum ordinarij habitus.

RESOL. XXX.

An suspensus ab Ordine sit suspensus à jure eligendi? Ex part.5. tract.10. Resol.21.

§.1. AFfirmativam sententiam docet Panormitanus *in cap. cùm dilectus, num.20. de consuetudine*, quem sequitur Sylvester *ver. suspensio, num.5.* quorum fundamentum est, quòd jurisdictio fundatur in Ordine. Ergo sublato exercitio Ordinis, aufertur exercitium jurisdictionis.

2. Sed contrariam sententiam docet Cornejo *in 3. part. tract.5. de suspens. disp.2. dub.2. q.1.* quia quamvis ex ablatione fundamenti quantum ad substantiam & exercitium sequatur ablatio rei fundatæ, quantum ad existentiam, & substantiam, ex ablatione tamen actus & exercitij fundamenti non benè sequitur ablatio actus & exercitij, rei fundatæ, quia benè stat quòd manente substantia fundamenti, & similiter manente substantia rei fundatæ, impediatur exercitium ipsius fundamenti, non impedito exercitio rei fundatæ, eo quòd operatio rei fundatæ non pendeat ab operatione simultanea fundamenti, sed solùm à justitia & existentia ipsius rei, quæ est fundamentum, vt à conditione necessariò præsupposita. Igitur suspensus ab Ordine non est suspensus à jure eligendi, cùm jus eligendi ad jurisdictionem pertineat, nec Ordinem necessariò præsupponit. Vnde Moniales jus eligendi habere possunt, *cap. indemnitatib. de elect. in 6.* & tamen Ordinis incapaces sunt.

RESOL. XXXI.

An suspensus ab Ordine inferiori censeatur suspensus ab Ordine superiori, ita vt si illum exerceat, incurrat irregularitatem, vel an saltem peccet mortaliter?

Et an, qui ignoranter suscepit Ordines ab Episcopo excommunicato, incurrat suspensionem, sed tamen si in illa celebret, non incurrat irregularitatem? Ex p.5. tract.10. Resol.5.

§.1. AD hoc respondeo suspensum ab Ordine superiori non suspendi ab exercitio Ordinis inferioris; nam qui prohibet majus, non censetur prohibere minus; suspensus tamen ab Ordine inferiori, censetur saltem aliquo modo indirectè impedire ab exercitio Ordinis superioris, propter indecentiam, cùm sit minus decens eum, qui non potest licitè exercere

exercere functiones Ordinis inferioris, exercere functiones Ordinis superioris, ut impeditum exercere functiones Diaconi, obire munia Sacerdotis, & aliquem impeditum exercere functiones Sacerdotales, seu suspensum à toto officio Sacerdotis exercere functiones Episcopales; propter quam rationem suspensus ab Ordine inferiori indirectè saltem impeditur ascendere ad superiorem.

2. Verùm aliqui apud Suarez *disputat.26. sect.4. num.8.* putant hanc doctrinam tunc solùm esse veram, quando actus Ordinis superioris nequit fieri sine exercitio actus inferioris Ordinis. Hinc dicunt Sacerdotem suspensum ab exercitio Diaconatus posse audire confessiones, solemniter baptizare, &c. non tamen celebrare, quia tunc deberet legere Evangelium, quod est actus Diaconatus: quam sententiam docet Suarez esse probabilem. Sed quicquid sit de hoc, certum est exercendo talem actum superioris Ordinis, non incurrere irregularitatem, modò nullo modo exerceat actus Ordinis, à quo suspensus est, quia talis non facit aliquid directè sibi per censuram prohibitum, sed solùm per quamdam consecutionem propter indecentiam, & ita docet Cornejo *in 3.part.tractat.5. de suspen. disputat.2. dub.2. quæstione 5.* Præpositus *in 3. part. quæst.3. de suspens. dubit.2. numero 15.* Layman *lib.1. tractatu 5. part.3. cap.1. numero 6.* Coninch *de Sacrament. disputat.15. dub.2. num.10.*

3. Sed non desinam hìc adnotare ea, quæ docet Villalobos *tom.1. tractat.18. difficult.3. num.57.* ubi sic ait. [El que esta suspenso del oficio Ecclesiastico, y exercitò algo del, peca mortalmente, como tienen todos, porque es materia grave; y si el oficio que exercita es acto de Orden, queda ipso facto irregular, como consta del derecho, y esto aunque la suspension no se aya puesto por via de censura, sino por via de pena, lo qual se ha mucho de advertir, como consta de los textos citados, que hablan generalmente; y lo tiene Suarez, el qual dize, que es cierta, y no obsta el no ser censura, porque la suspension que se da por tiempo determinado, no es propriamente censura, sino pena; y el que la quebranta, incurre en irregularidad, como consta del derecho; mas à mi pareceme probable lo contrario por ser materia penal, que se deve restringir: y lo siente assi Avila que dize, que el que se ordenò con Obispo descomulgado con ignorancia invincible, queda suspenso, y que esta no es censura, y si celebra, no queda irregular.] Ita ille. Satis quidem probabiliter.

Hoc mutat in 3. & in 5. vers. quare.

RESOL. XXXII.

An qui ab Episcopo excommunicato vitando ignoranter suscepit Ordines incurrat suspensionem?

Idem dicendum est de illo, qui ordinem recipit à dicto Episcopo per metum cadentem in constantem virum. Ex part.5. tract.10 Resol.39.

§.1. REspondet affirmativè Filliucius *tom.1. tract.7. cap.5. num.8.* Bonacina *de censuris disput.3. punct.5 §.1. num.7.* Idem docet Suarez *de cens. disp.31. sect.2. num.62.* quia hæc suspensio non est pœna, & ideo ad illam incurrendam requiritur culpa quod probatur *ex cap. si quis 1. quæstione 1. & c. ab excommunicatis 9. quæst.1.* & jura videntur loqui etiam in casu ignorantiæ.

Hoc in 4. praeced. vers. quod. & n. 4. tr. 8. Adde §. ante me-dium, & sig-nanter pro-bat. vers. Bonacina.

2. Verùm mihi cum Turriano *de censuris libro 5. disputat.46. dubitat.2.* negativa sententia videtur probabilis, quia jura non loquuntur expressè, & possunt explicari de ignorantia culpabili; si enim sit inculpabilis, omninò non probatur ordinatum incurrere hanc suspensionem, & idem contra Bonacinam & Suarez *numero 65.* puto dicendum, cum Turriano de illo, qui Ordinem recipit à dicto Episcopo per metum cadentem in constantem virum.

RESOL. XXXIII.

An Regularis excommunicatus propter percussionem Clerici, si recipiat Ordines, incurrat suspensionem? Et an hoc extendatur ad omnem irretitum censura.

Et advertitur ad hoc, ut ea censura incurratur, requiri, ut ordo recipiatur scienter in contemptum disciplinæ Ecclesiasticæ; unde qui ignorans excommunicationem præbere hujusmodi impedimentum, Ordines suscepit, non incurrit censuram, quamvis ignorantia esset crassa, vel etiam supina. Ex part.5. tract.10. Res.58.

§.1. REspondeo quòd Regularis Clericus, qui excommunicatus propter percussionem Clerici Ordines suscipit, incurrit in suspensionem, *cap. cùm illorum, de sentent. excommun.* quod quidem extendunt ad omnem irretitum censura. Sed cùm ex aliis juribus id minus sufficienter colligatur, & solum agatur de præsenti casu, talis extensio non videtur admittenda, cùm pœnæ potiùs sint restringendæ. Adverte ad hoc ut ea censura incurratur, requiri ut Ordo recipiatur scienter in contemptum disciplinæ Ecclesiasticæ, ut habetur *cap. citato.* Unde qui ignorans excommunicationem præbere hujusmodi impedimentum, Ordines suscepit, non incurrit censuram, quamvis ignorantia esset crassa, vel etiam supina, & hæc omnia docet Præpositus *in 3.p.quæst.3. de suspens. dub.5. num.38. & 39.* quæ quidem sunt valde notanda.

RESOL. XXXIV.

Puer in anno quinto suæ ætatis fuit promotus ab Episcopo ad primam tonsuram, quæritur, quid juris?

Et an possit promoveri ad alios Ordines?

Et inter alia, quæ supponuntur, docetur dictum puerum nullam suspensionem incurrisse, sed concluditur dispensationem impetrasse. Ex p.11. tract.6. & Misc 6. Resol.8.

§.1. SUppono dictum puerum, licet illicitè, tamen validè fuisse ordinatum; quod patet *ex cap. unic. de Clericis per saltum promot.* ubi in casu quo quidam ante usum rationis ordinatus fuerat minoribus, & subdiaconatu, & non certò constabat, jubetur quidem iterum ordinari, quia non sciebatur certò ita esse, quod si sciretur, ut ibidem significatur, nullo modo jubetur ordinari. Suppono secundò, dictum puerum nullam suspensionem incurrisse; Primò, quia prima tonsura spectato juris rigore non est ordo, sed ad ordines dispositio, & ab ordinibus sæpè distinguitur, ut constat manifestè ex Trident. *sess.14. cap.2. de reformat.* ibi: Ad sacros, aut minores ordines, vel primam Tonsuram promovere, seu ordinare valeat. Tum præcipuè, quia hæc Tonsura nullum speciale munus habet, à cujus executione ea initiatus suspendi valeat. Et ita docet Castrus Palaus *tom.6. disput.4. punct.10. §.1. num.5.* & alii. * Secundò probatur, quia suspensio nullatenus contrahitur ob culpam alienam, sed ob propriam; ut

Sup. hoc inf. lege doctrinam Res.36.

Sup. hoc inf. in fin. §. pena hujus Res. & late sup. in Res.12. à lin. 4. & in aliis §§. sequentibus.

* Sup. hac culpa aliena in seqq. §§. hujus Res & sup. lege doctrinam Res. 3.

patet *ex cap. 2. de Constit.* ibi : Rem, quæ culpa caret indamnum vocare non convenit. Et *in cap. de his, quæ fiunt à majore parte Capituli*, ubi dicitur : Peccata suos authores tenere debent, neque pœna est ulterius protrahenda, quam delictum fuerit in excedente, quia iniquum est innocentem pœnas nocenti debitas sustinere ; & ita docet Sanchez *de matrimon. l. 9. disputat. 31. num. 9.* Avila *de Censur. part. 3. disputat. 3. dub. 2. conclus. 2.* Suarez *disp. 28. sect. 4. num. 3.* Cornejo *in 3. part. D. Thomæ, tom. 2. tract. 5. de suspens. dub. 2. num. 4.* Layman *l. 1. tract. 5. part. 3. cap. 9.* Hurtadus *de susp. diffic. 9.* & alii communiter : ergo in nostro casu implicat dictum puerum aliquam contraxisse suspensionem, quia quando recepit primam Tonsuram, carebat usu rationis, atque ideò peccare non poterat, & ejus susceptio ex parte sua inculpabilis fuit, & tantum peccaminosa ex parte Episcopi.

Sup. hoc inf. lege doctrinam Res. 36.

2. Verùm cùm hæc omnia de plano procedant quoad suspensionem per se sumptam, & quatenus est censura ; difficultas tamen est an dictus puer ex tali ordinatione incurrerit saltem suspensionem latè sumptam, quæ dicit inhabilitatem ad alios ordines suscipiendos ? & videtur prima facie affirmativè respondendum ex notabili doctrina, quam ex Alterio *de Censur. tom. 1. disp. 7. cap. 1.* observat sapientissimus Felicianus à Vega olim electus Episcopus Mexicanus *in cap. 4. §. si verò, de jud. num. 33.* nempè, nullum esse inconveniens posse ferri suspensionem à jure, vel ab homine pro aliena culpa, quandò talis suspensio habet rationem inhabilitatis, provenientis ex defectu ordinem conferentis : quod firmatur, Primò auctoritate Divi Thomæ *in 4. sent. dist. 18. quæst. 2. art. 3. q. 2. ad primum.* Secundò, *ex cap. vel non est compos 14. de de tempor. ordin.* in quo puer ordinatus Diaconatu anno ætatis suæ 13. suspenditur ab officio Diaconi usque ad legitimam ætatem, non ob propriam culpam, sed in injuriam ordinantis. Tertio, *in cap. 1. de ordinatis ab Episcopo*, qui Episcopatui renunciavit, cavetur suspensos esse debere ab officio, quousque legitimus Pontifex dispenset, tametsi ignoranter prædictos ordines suscepissent : ergo & in casu nostro posset aliquis dicere dictum puerum ordinatum ab Episcopo in anno quinto ætatis suæ contraxisse, non quidem suspensionem strictè sumptam, sed quandam inhabilitatem ad Ordines non ex culpa sua, sed in injuriam Episcopi ordinantis, ut loquitur Pontifex *in d. cap. vel non est compos.*

3. Sed licet superius dicta ego approbem, dari videlicet in Sacris Canonibus aliquas suspensiones, quæ verè pœnæ non sunt, sed tantùm inhabilitates, & contrahi absque culpa in Episcopi ordinantis injuriam ; attamen hanc doctrinam non posse applicari in casu nostro videtur, nam individualiter invenio expressam *in cap. nullus de ætat. & qualit. ordinand. in 6.* ubi sic habetur : Nullus Episcopus, vel quivis alius, infanti (scilicet minori septem annorum, ait ibi glossa, Castrus Palaus *tom. 6. disput. 4. punct. 10. §. 1. num. 6.* Leander *de Sacrament. tom. 2. tract. 6. disp. 2. quæst. 1.*) clericalem præsumat conferre Tonsuram, qui verò contrafecerit, ut in eo in quo peccavit, puniatur per unum annum à collatione clericalis Tonsuræ, dumtaxat noverit se suspensum. Ita ibi Bonifacius VIII. Itaque, cum Pontifex solum pœnam suspensionis imponat Episcopo, & nullam mentionem faciat de puero malè ordinato, nescio qua ratione dicendum sit in casu nostro, dictum puerum inhabilitatem aliquam incurrisse ; nam de illa ne verbum quidem Pontifex in dicto textu asserit, ut fecit in aliis textibus superius adductis, & novissimè in Concilio Tridentino *sess. 5. cap. 6. de reformat.* contra ordinatos ab Episcopo excrescente Pontificalia in aliena Diœcesi, ubi fulminatur suspensio non solum contra Episcopum, sed etiam contra ordinatos ab ipso, licet ex parte ipsorum non fuisset culpa aliqua, ut notat Barbosa ibi, *n. 34.* Vega *ubi suprà num. 34.* cum Alterio *loco citat.* Ergo in casu nostro intrat Axioma illud juris, quod si lex voluisset, expressisset ; sicuti expressit quandò voluit. Ex *cap. 2. de Decimis*, & *cap. 2. de transact.* & ex aliis juribus, & Doctoribus, quos ego ad satietatem adduxi novissimè *in part. 10. tract. 9. Res. unica.*

4. Nec valet argumentum superius adductum *ex text. in cap. vel non est compos*, & *cap. 1. de ordin. ab Episcop.* qui Episcopatui renunciavit ; nam ibi Pontifex loquitur tam contra ordinantem, quàm contra ordinatos, quod non fecit in casu nostro videlicet *in d. cap. nullus*, ideò determinationes illorum Canonum non sunt extendendæ ad casum nostrum, ad quem nullam inhabilitatem voluit Pontifex puero ordinato imponere ; nam si voluisset, expressisset, ut alibi fecit. Et omnia jura clamant odia non esse extendenda de casu ad casum, etiamsi extensio fiat ex similitudine rationis, ut patet *ex leg. factum cuique §. in pœnalibus*, ubi Decius, *ff. de regul. jur. cap. in pœnis, eodem titul. in 6.* Burgos de Paz *cons. 8. n. 2.* Ioann. Andreas *in reg. odia, de reg. jur. in 6.* Gironius *de privileg. seu explicat. num. 540.* & aliis : Vnde impedimenta matrimonij cùm sint quædam inhabilitates, contrahuntur quidem etiam ab ignorantibus, sed non extenduntur de casu ad casum : ergo, &c.

5. Nec obstat supradictis *cap. tua litera de Clerico per saltum promoto*, in quo Innocentius III. dicit injungendam esse pœnitentiam cuidam, qui ordine Diaconatus prætermisso, se fecit ad Sacerdotii ordinem promoveri, ac insuper ex quo boni viri asserebant inter quos fuerat conversatus, credebat assertioni eorum, eo quod tempore quo ordines inferiores susceperat infra annos discretionis fuerat constitutus. Non inquam hìc textus obstat ; nam primò potest quis respondere pœnitentiam illam fuisse ab Innocentio injunctam, quia omisso Diaconatu ille talis Sacerdotium sumpserat cum ignorantia crassa & supina, ut ibi Glossa observat, non autem, quia recepserat ordines inferiores ante annos discretionis, cùm nulla negligentia, ut clarum est, ante usum rationis ex parte sua extiterit in illa ordinum susceptione, ergo, &c. Respondeo secundò, quod Innocentius in dicto textu, loquitur de illo, qui infra annos discretionis ordines inferiores suscepit : sed in nostro casu puer non suscepit ordines, sed tantum primam Tonsuram ; quæ quidem, ex communi Theologorum sententia, non est ordo, ut ex 24. Doctoribus latè probat Marchinus *de Sacr. Ordinis, tract. 1. cap. 7. num. 2.* Ergo textus ille Innocentii non est extendendus ad casum nostrum ; nam differt à casu ibi exposito.

Sup. hoc lege doctrinam Res. 36. ad fin. in princ. ejus num.

6. Verum quia Canonistæ communiter docent primam Tonsuram esse ordinem, & etiam secluso dicto textu Innocentii III. quæstio ista non caret difficultate, & suos habet anfractus, existimo prudenter Sanctissimum Dominum Nostrum, ad sedandos scrupulos, & pacandam conscientiam, concessisse in tali casu dispensationem, quam orator instanter petierat. Et ita ego respondi interrogatus de hoc casu à S. D. M. Innocentio X. postquam dispensationem concesserat.

RESOL. XXXV.

Quidam cum falsis dimissoriis, sumpsit minores ordines, & postea cum excommunicatione occulta

culta impetravit beneficium, quæsivit à me quid juris?

Et an collatio beneficii facta excommunicato probabiliter suam excommunicationem ignoranti, sit valida?

Et an excommunicatus, cui tempore excommunicationis collatum fuit beneficium, non faciat suos fructus beneficii, sed eos teneatur restituere; si tamen bonæ fide servivit beneficio, possit recipere, aut retinere stipendium servitio proportionatum, & residuum non potest accipere, &c.

Et an, si eligaris ad beneficium tempore quo habilis es, acceptes vero illud, cum excommunicatus existis, valida sit tua acceptatio?

Ex quo sequitur, si iste, qui acceptavit, moriatur excommunicatus ante absolutionem, ad quem pertineat provisio talis beneficii?

Et an in Ecclesia, in qua est jus optandi pinguiorem Præbendam, valide excommunicatus eam optare possit?

Ex part. 11. tract. 5. & Misc. 5. Res. 2.

RESpondi quoad primum, suspensionem incurrisse, quia suscepit ordines ab alieno Episcopo absque licentia proprii ordinarii, & licet aliquibus Doctoribus placeat hanc suspensionem sufficienter probari *ex cap. illud quoque 1. distinct. 7.* ubi dicitur. Non sit rata ordinatio ejus, *& incipit. si quis ausu fuerit eadem dist.* dicitur. Irrita sit hujusmodi ordinatio. At Suarez *tomo quinto, de censuris disputat. 31. sectione prima, numero 13.* existimat in his verbis non contineri censuram ipso jure latam, sed ferendam. Nam esto in prædictis capitibus dicatur, irrita sit talis ordinatio, intelligi debet per sententiam: quia est benignior interpretatio, & textui accommodata, quod satis colligitur ex eo, quòd in Concilio Nicæno *capite 17.* unde illi textus deducti sunt, dictum sit, *Irrita erit*, & secundùm aliam translationem. *Irrita habeatur*, scilicet sententia accedente: ideóque *in cap. translationem de temporibus ordinat.* dicitur: interdicenda illis est ordinis sic suscepti executio.

2. Verùm etsi in iis textibus non contineatur suspensio ipso jure lata, continetur tamen *in extravag.* Pii Quinti quæ incipit *cum ex sacrorum*, quæ est sexta illius in Bullario, eamque refert Salzedo *in sua practica capit. 26.* & confirmavit Pius V. in suis Constitutionibus Apostolicis, sanctione 22. vt refert Corduba *in summa quæstion. 114.* & habetur *Regula 22. Cancellariæ* apposita ad finem propriorum motuum. Et licet *in supradict. extravag.* solum feratur suspensio adversus suscipientes aliquem Sacrum ordinem absque dispensatione Canonica, aut legitima licentia, vt constat ex illis verbis: Ad aliquem ex Sacris ordinibus se fecerint promoveri: attamen *in cap. primò de temporibus ordinat. in sexto*, generaliter fertur suspensio aduersus Hispanos, qui ad Episcopos Italiæ accedunt ordinandi, sine Episcopi proprii licentia. Denique Trident. *sess. 23. cap. 8. de reformat.* apertis verbis hanc suspensionem indicit. Si quis (inquit) ab alio promoveri petat nullatenus id ei etiam cujusvis generalis, aut specialis rescripti, vel ptivilegii prætextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas, ac mores Ordinarij sui testimonio commendentur. Si secus fiat, ordinans à collatione ordinum per annum, ordinatus verò ab ordinum executione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire, sit suspensus. Hæc igitur suspensionem incurritur ob receptionem ordinum tam majorum, quàm minorum; quia de omnibus generaliter textus loquitur, sicuti declaravit ibi Sacra Concilii Congregatio.

3. Quoad secundum dubium, respondi impetrationem beneficii fuisse nullam; quia nullus excommunicatus excommunicatione majori, quamvis sit occultus, sive sit toleratus, est capax beneficii habendi de novo, existens in excommunicatione, quomodocumque illi detur beneficium Ecclesiasticum, & ipse recipiat, sive scienter, sive ignoranter, sive bona fide putans se non esse excommunicatum, sive mala fide, & collatio ipso facto est nulla. Ita habetur *ex cap. postulastis*, de Clerico excommunicato. Et ratio hujus est, jus ipsum ita præscribens in odium excommunicationis, in qua beneficium Ecclesiasticum recipitur, & quia beneficium datur propter officium, à quo est suspensus excommunicatus ex se. Quare non eò ipso quod datur absolutio ab excommunicatione, revalidatur collatio beneficii recepti in excommunicatione, sed post absolutum ab excommunicatione, iterum dandum est beneficium à potente illud dare, alioquin est relinquendum tanquam alienum, unà cum fructibus perceptis; quia sine titulo ex re aliena cœpit fructus; quare restituendi sunt in conscientia vel pauperibus, vel Ecclesiæ, vel aliis beneficiatis, juxta dispositionem Ecclesiarum, maximè si sint distributiones: si tamen bona fide accepit in excommunicatione beneficium, eique deservivit, poterit accipere, aut retinere stipendium servitio proportionatum, non verò residuum, nisi bona fide acceperit, & consumpserit, & exinde non sit ditior factus; & ita, me citato ab aliis tenet Caspensis *in Curs. Theologico, tomo 2. tract. 25. disput. 2. sect. 7. num. 72.*

4. Verum his non obstantibus instabat consulens, an in sui favorem extaret aliqua opinio Doctorum? Respondi affirmativè; & quoad primam difficultatem aliqui putant illam suspensionem incurri à suscipientibus ordines Sacros, non autem primam tonsuram, & minores ordines; & ita docet Baunius *in praxi benefic. disputat. 6. quæst. 1.* ubi sic ait: At cujus est tonsuræ malè sic collatæ vitium supplere? Cujus, cum sic ordinato dispensare, ac tonsuram ratam reputare ac validam? Pertinere id ad Papam dixere multi, quorum nomina in suos commentarios Thesaurus retulit *in verb. Ordo, capite 14.* quæ est etiam Rebuffi *suprà*, & Chassanæi sententia *in Consuetud. Burgund. ad §. Des Iustices, verbo Sergens*, quod Gregor. hujus nominis primus *dist. 63. can. Salonit. 24.* ratam se habere ordinationem asserat Episcopi Salonitani, perinde ac si à se facta esset; hinc enim inferri credunt, ad Pontificem super consequenda dispensatione vitii in receptione Tonsuræ admissi, recurrendum esse.

5. Sed malè, nam ibi est sermo de Ordinibus; in quibus locum tonsura non habet. Secundò, quia etsi hoc tempore ubi recepta est Bulla Pii II. cui initium est, *Cum ex Sacrorum*, recipiens ordines Sacros sine literis dimissoriis sui Episcopi, incurrat ipso facto suspensionem, in qua celebrans sit irregularis (quam extravagantem Pontificiis suis diplomatibus confirmarunt Leo X. Pauli III. Pius V.) non tamen ex probabili sententia Navarr. *locis ante cit.* Avil. *part. 3. disputat. 5. dubitat. 7. parerg.* Sanch. *opusc. lib. 7. cap. 1. dub. 28.* qui minores & tonsuram recipit. Itaque in Episcoporum est jure Tonsuram sine literis à se traditis, aut contra voluntatem suam, ab alieno collatam Episcopo, perinde habere ratam, ac si illis authoribus data foret, colligitur ex Trident. *sess. 23. cap. 8.* ubi dicitur, quod qui à non suo Prælato sine proprii licentia est ordinatus, est à susceptorum Ordinum exequutione ipso facto suspensus, quamdiu proprio ordinario videbitur. Hucusque Baunius; & Avila, & Sanchez putat recipientes Ordines minores

Et pro contento in hoc §. Quoad secundum inf. in §. Quoad secundum vero. hujus Res. & in alia Res. ejus not.

Sup. hoc in §. 1. & 2. hujus Res. & in aliis ejus primæ not.

minores, vt suprà, suspensionem primam non incurrere.

6. Quoad secundum vero dubium, consulenti respondi, in sui favorem præter Hurtadum *de excommun. disput. 6. difficult. 2. num. 7.* à me * alibi adductum, extare novissimè Baunium *ubi supra quæst. 5.* sic asserentem; Tempus tertium est, cùm excommunicatio est occulta: nam Canon *postulastis* intelligendus est de excommunicato manifesto, non de occulto.

* Alibi sup. in tract. 1. Ref. 169. §. 1. & 2. & hoc sup. in §. Quoad secundum dubium, hujus Ref.

7. Ratio est, quod lex quamlibet generalis, juxta rationē in ea expressam restringi debeat, sic vt locum non habeat, nisi ubi reperitur ejus ratio, vt Navarrus *consil. de testament.* & Azorius docent *tom. 1. lib. 5. cap. 16. quæst. 9.* At causa cur excommunicato dari beneficium nequeat, est quod cum excommunicatis communicare nemo debeat, quæ ratio cum in toleratis, & occultis, à temporibus Constant. Concilii locum non habeat, quandoquidem iis congredi, cum his versari, ac agere, cuique sit permissum, vt his beneficia conferri, ita & ab iis recipi nihil vetat. Ita Hurtadus, Baunius. Et hanc sententiam probabilem esse putat Thom. Hurtadus *variar. tom. 2. tractatu 13. cap. 1. §. 17. num. 944.* Sed ego his non obstantibus consulenti respondi, vt ad Sacram Pœnitentiariam recurreret. Verùm quid faciet excommunicatus occultus si detur illi beneficium? Respondeo, si potest non se infamando excusare; tenetur non acceptare. Si verò non potest sine infamia, & nisi revelet suum crimen occultum, acceptare potest sine peccato, donec quam primum possit, impetret dispensationem, vel resignet simpliciter, & iterum petat; non enim potest resignare causa permutationis: nam cùm ipse nullum jus habeat, non potest alteri dare, neque acquirere: neque potest resignare in favorem alterius; neque accipere fructus, & si accipiat, tenetur restituere. Vide Caspensem *ubi suprà numero 80.*

Sup. hoc sup. in tr. 1. Ref. 171. §. vlt. & in alio vers. ejus annot.

8. Sed hîc quæro; an collatio beneficii facta excommunicato probabiliter suam excommunicationem ignoranti, sit valida.

Sup hoc sup. in tr. 1. Ref. 169. §. Notandum est etiam.

9. Prima opinio negat, ita Baunius *suprà* ex Navarro, & Glossa; Quia ignorantia vinculi Ecclesiastici, eum quidem ab irregularitate contrahenda eximit qui cum ea celebrat, sed ad beneficia idoneum non efficit, cum ignorantia in subjectum influere, vtpotè mera scientiæ privatio, aut negatio nequeat.

10. Eximit (inquam) ignorantia cùm est probabilis, à pœnis statutis contra excommunicatos, quidpiam facientes, quod est sub censura, aut irregularitate legibus Ecclesiæ vetitum, non tamen facit hæc ignorantia, vt actus qui est nullus, sit in conscientiæ foro, aut externo ratus. Ita ille; cui adde Lessium *libro 1. disputat. 34. dubitat. 22. numero 137.*

11. Secunda ratio affirmat, ita tenet Riccius *in praxi part. 3. theor. 19. num. 2.* qui adducit decisionem Sacræ Rotæ.

12. Tertia opinio distinguit; ita Ioan. Baptista Parolettus *in Palæstra Clericali part. 2. sect. 1. cap. 2. littera D.* qui has opiniones conciliat: Nam putat primam procedere in foro conscientiæ, vbi absolutio data à peccatis ei qui ignorabat se esse excommunicatum, tenet, licèt regulariter sit nulla absolutio peccatorum ante excommunicationis absolutionem; secunda verò in foro exteriori, in conscientia præsumitur. Ego verò practicè puto non esse recedendum à prima opinione, licèt secunda probabilis vocetur à Lessio *ubi suprà*; & ita in hoc casu, ita est nulla collatio beneficii, vt absolutione ab excommunicatione postea data non revalidetur, vt contra nonnullos docent communiter Doctores, quia collatio illa fuit nulla, quamvis solùm ratione impedimenti collatarij; ac proinde postea, adhuc ablato impedimento, nequit convalescere.

13. Ex quo fit, excommunicatum, cui tempore [illegible] excommunicationis collatum fuit beneficium, non [illegible] facere suos fructus beneficii, quia eos accipit absque [illegible] titulo, sed eos tenetur restituere: si tamen bona fide servivit beneficio, potest accipere aut retinere stipendium servitio proportionatum, & residuum non potest accipere, & si accepit, tenetur illud restituere, nisi bona fide acceperit, & consumpserit, & exindè non sit ditior factus. Vide Hurtadum *de excommun. disput. 6. difficult. 2. num. 5.* Glossam & Palaum *tom. 6. fol. 44.* Lessium *in 3. part. D. Thom. cap. 2. de excomm. dub. 1. num. 6.* Ioan. Præpositum *ubi infra num. 60.* & alios. Oritur verò ex his difficultas, an si eligaris ad beneficium tempore quo habilis es, acceptes verò illud cùm excommunicatus existis, valida sit tua acceptatio? Et negativè respondet Thom. Hurtadus *variar. tom. 2. tract. 12. cap. 1. §. 26. numero 1041.* Gaspar Hurtadus *de excommun. disput. 6. difficult. 3. numero 8.* Coninch *de Sacramentis disput. 14. dub. 9. numero 79.* Layman *lib. 2. tract. 5. part. 2. cap. 2. num. 19. in fine.* Vnde ex his sequitur quod si iste qui acceptavit, excommunicatus moriatur ante absolutionem, non vacat beneficium; cùm nondum acquisierit titulum beneficii & jus in re ad illud. Quod notare maximè oportet, vt dignoscatur ad quem pertinet nova beneficii collatio: nam si excommunicatus acceptavit in mensibus Papæ, etiamsi moriatur in mense Episcopi, ad Papam, & non ab Episcopum pertinet provisio, quia acceptatio beneficii non solùm dicit declarationem voluntatis, sed etiam acquisitionem juris perfecti in beneficio, cujus est incapax excommunicatus, & sic ex hac parte est vana acceptatio, & in hoc sensu est invalida, idest non efficax.

14. Verùm licèt hæc sententia sit satis probabilis, ego affirmativam sententiam probabiliorem esse existimo, quam tuetur Covarruvias *cap. alma mater 1. p. §. 7. num. 4.* Azor. *tom. 2. lib. 6. cap. 7. quæst. 9.* Avila *2. part. de censur. cap. 6. disp. 5. dub. 6.* Gonzalez *glos. 18. num. 27.* Garzias plures referens *de benefic. 7. part. cap. 13. num. 35.* Vasquez *de excommun. dub. 6.* Bonac. *disp. 2. de censur. quæst. 2. punct. 5. §. 1. num. 9.* Sayrus *lib. 2. cap. 5. n. 11.* Moventur, quia jura solum irritant id per quod jus in beneficium acquiritur: at acceptatione non acquiris jus in beneficium; quia nemo tibi ipsi beneficium confert, sed est conditio vt in beneficium tibi collatum jus perfectum habeas. Et confirmo, si beneficii collati possessionem excommunicatus accipias, vel alium mittas in possessionem, possessio, & in possessionem missio valida est, vt testatur Azorius ex communi sententia *dicto cap. 7. 9. 10.* Henriquez *lib. 13. cap. 13. §. 3.* Sayrus *lib. 2. Thesauro cap. 9. num. 11.* Nicolaus Garzias *7. part. de benefic. cap. 13. n. 89.* quia tam possessio, quam in possessionem missio, est quid facti, non juris.

15. Ex qua doctrina inferunt Covarruv. Avila, Bonac. Nicol. Garzias, & alij apud ipsos, in Ecclesia, in qua est jus optandi pinguiorem præbendam valide excommunicatum optare posse; quod sine dubio procedit, quando optione non mutatur titulus; sed si nova bona temporalia acquiruntur. Si verò titulus mutetur, & nova præbenda acquiratur, acceptare in [illegible] poterit excommunicatus optionem, tametsi collatio præbendæ differatur, quousque ab excommunicatione sit absolutus.

16. Ad

16. Ad argumenta verò negativæ sententiæ respondet Castrus Palaus *tom.6. disp.2.punct.8.n.18.* Itaque dicendum est, quod negari non potest, acceptatione non propriè, & formaliter beneficium acquiri, sed jam acquisitum, & tibi datum, ratum haberi, quod colligitur *ex cap. si tibi absenti, de præbend. in 6.* ubi concessum beneficium tametsi acceptatum non sit, nequit alteri provideri. Fateor tamen acceptatione tuum effici completè & perfectè, sicut possessione. Sed quia illa non tam est acquisitio juris, quàm facti, ideò ab excommunicato fieri validè potest. Et ita nostram sententiam præter Doctores citatos sequitur etiam Caspensis *in curs. Theol. tom.2. tract.25. cap.2. sect.6. num.77.* Turrianus *de cens. lib.2 disp.16. dub.2.* Mercetus *de Sacr.q.21.dub.8.* Imò ex Suarez *disp.13. sect.1.* prædictam acceptationem excusat à peccato Caspensis *ubi suprà*, quia non est communicatio, sed declaratio propriæ voluntatis, quæ non prohibetur per jus; & argumenta contrariæ sententiæ tantùm probant, acceptationem illam non esse validam, quantùm ad acquisitionem juris, non verò quantùm ad consensus declarationem; ac proinde si post talem acceptationem absolvatur ab excommunicatione, non indigebit alia nova collatione, aut acceptatione; sed cum primum absolvitur acquirit jus in beneficium. Et hanc sententiam tenet etiam Præpositus *in 3. p.* D.Thom. *q.1. de excomm. dub.11. num.67.* qui ex his colligit quid dicendum de præsentatione, & electione alicujus facta ante excommunicationem, acceptata autem in excommunicatione, quod videlicet quamvis per talem acceptationem jus non solidetur pro eo tempore, solidari tamen possit, postquam absolutio à censura fuerit obtenta.

RESOL. XXXVI.

An si quis recipiat Ordines minores extra tempora, ante legitimam ætatem, vel sine litteris dimissoriis, vel cum falsis incidat in suspensionem latam in Bulla Pij II. anno 1401?

Et advertitur, quod sic ordinati Ordinibus sacris suspenduntur ab Ordinum executione; & ideo si ante obtentam licentiam à proprio Episcopo ministrent, fiunt irregulares. Ex p.5. tract.10. Resol.30.

§.1. REspondeo negativè cum Riccio *par.4.dec.93. num.6.* ubi sic ait: Adverte prædictam Pij II. Bullam solummodo loqui de suscipientibus Ordines sacros extra tempora, vel ante legitimam ætatem, aut sine litteris dimissoriis, vel falsis, quod est idem, non tamen loquitur de prima Tonsura, vel de Ordinibus minoribus, & stando etiam juri communi in dictis casibus non incurrebat suspensio à suscipientibus minores Ordines, vt latè probat Navarr. *in Manual. cap.25. num.70. & cap.27. num.242.* ubi etiam asserit solummodò Pium II. suspendisse ordinatos Ordinibus sacris in dictis casibus & declarasse esse eos ipso facto suspensos, atque irregulares si celebrent, non tamen ibi mentionem fecisse de prima Tonsura, aut minoribus Ordinibus. Ita ille, cui adde Mirandam *in Man. Prel. tom.1.q.39.art.7.concl.1.* Henriquez *lib.10. cap.12.n.2. in glossa lit. M.* Zerolam *in praxi Episcop. p.1.verb.dimissoria.* Toletum *lib.1.cap.49.n.5.* Campanili *in diverf. jur. Canon.*

2. Advertendum est tamen quòd ex Concilio Trident. *sess.23.cap.8.* sic ordinati suspenduntur ab Ordinum executione quamdiu proprio Ordinatio videbitur, ideóque si ante obtentam licentiam à proprio Episcopo ministrent, fiunt irregulares, vt declaravit Congregatio Cardinalium. Ita docet Scortia *in bulla Pontif. epitom.39. theorem.109.* & alii.

RESOL. XXXVII.

An recipiens Ordines sacros extra tempora, vel sine litteris dimissoriis, vel ante legitimam ætatem incurrat suspensionem?

Et deducitur, an quando dubitatur, an lex fuerit promulgata, & ab usu recepta, tunc non obliget lex, etsi censuram, suspensionem, vel irregularitatem imponat?

Et quid, quando non sumus in dubio, sed quando adsunt opiniones probabiles hinc, & inde?

Et an quis in supradicto primo casu possit obtinere dispensationem virtute Bullæ Cruciatæ, vel privilegiorum Regularium? Ex part.11. tract.4. & Misc.4. Resol.7.

§.1. NEgativam sententiam docet ex Dominicanorum familia Magister Antonius Hinojosa *in directorio Decisionum Regularium litt.O, fol.326.* ubi sic ait: Ordines Sacros recipientes extra tempora, vel ante legitimam ætatem, vel sine dimissoriis incurrunt suspensionem ipso facto per Extravagant. Pii II. quam videre est apud Navar. *cap.26. num.69.* Sylvestr. Ioan. Bern. & Soto tenent hanc sententiam propter hanc Extravagantem. Sup. contrà is in hoc §. inf. in resol.39.

2. Sed Armilla *verbo irregularitas* §.82. dicit ex Tabiena, quod non fuit recepta hæc extravagans. Quorum opinioni subscribendum videtur, quoniam ea, quæ sunt de jure positivo, oportet ad hoc quòd ligent sufficienter promulgentur, & etiam quòd usu utentium recipiantur, & cùm hujusmodi extravagantes non sint in corpore juris, apparet de non sufficienti earum promulgatione. Non esse autem usu utentium receptam constat ex authoritate Armillæ, & Tabienæ. Item quia in Concil. Trident. *sess.23. cap.12.* ponitur ætas ordinandorum, & *cap.13.* quòd non recipiantur duo ordines eodem die, &c. quòd si quis ab alio quàm à proprio Episcopo ordinatus fuerit, sit ipso facto suspensus ab ordinibus susceptis, & *sess.7.cap.10.* ponitur pœna *ex cap. sede vacante, & ordinato.* Vbi nulla mentio si extra tempora, vel ante legitimam ætatem, vel sine dimissoriis, quis ordinatus fuerit. Ex quo videtur standum solùm dispositioni Concilii. Hucvsque Magister Hinojosa.

3. Cujus sententia si esset probabilis, plures suspensiones à Clericis evitarentur, & à petendis dispensationibus immunes essent.

4. Posset hæc opinio confirmari ex alio casu simili, quem adducit novissimè doctus, & amicissimus Pater Escobar & Mendoza *in sua Theol. moral. tom.1. lib.5. sect.2. problem.14. num.121.* ubi ita asserit; Antonius itaque dubio ac ancipiti est animo, num lex excommunicationem, seu suspensionem, seu irregularitatem præ se ferens sit usu recepta, nec ne? Potest Antonius tuta conscientia eam partem amplecti, quæ negat legem acceptam esse: ex. gr. Extravagantem Pauli II. contra alienantes bona Ecclesiastica dubitas esse receptam, quia aliqui putant quoad pœnas non tenere; poteris quidem sine pœnæ reatu mitiorem tibi partem eligere. Ita ille. Sup. hoc in tom.6. tr.1. res.39. 9. Ergo si constat, propè finem, vers. An lex licet. & seq. & in res.40. & 41. & in alio §. earum notationum, & in tom.9. tr.7. res.20. §. Secundo, in fin.

5. Sed ego circa præsentem casum puto prorsus non esse recedendum ab affirmativa sententia, quam præter alios docet Ægid. Bassæus *in floribus, verbo ordo 4.n.4.* ubi sic ait: Ordinatus extra tempora legitima absque speciali Summi Pontificis dispensatione incurrit suspensionem ab ordinis executione, vt habetur in Extravaganti Pij II. cùm ex sacrorum: & hæc suspensio est perpetua à solo Papa dispensabilis; licèt si occulta sit, Episcopi ex Trid. *sess.24. cap.6. de reform.* ab ea absolvere possint. Ita ille.

6. Dices, quando dubitatur an lex fuerit promulgata, & ab usu recepta, tunc non obligare legem etsi censuram, vel irregularitatem imponat, docent Azor. *tom.1. lib.2.cap.19.q.12.* Salas 1.2. *tract.8.sect.18. numero* 196. valdè probabile censet Castro Palao *tract.1. disp.3.punct.7.n.4.* Probatur, quia tunc lex non possidet, cùm nondum constet an sufficienter imposita sit quoad vim coëercitivam, lex enim non obligat sine promulgatione §. *in his autem instit. de contrah. empt.* Nec item obligat secundùm aliquorum sententiam donec acceptetur, & usu recipiatur, vt tradunt, Navarr. *cap.23. n 41.* Rebell. *part.1. lib.1.q.5.n.7.* Dum ergo dubium est, an lex fuerit promulgata, vel acceptata, dubium est consequenter, an unquam obligaverit, & per consequens an fuerit vera lex; & ideò non possidet, quamvis censuram, aut irregularitatem imponat.

7. Sed dicta constitutio, vt observat Hinojosa dubitatur an fuerit usu recepta, ergo non obligabit.

Sup. hoc in Resol. 1. not. præteritæ, § Respondeo legem. Vide ejus doctrinam.

8. Respondeo, in dubio de acceptatione teneri subditos ad observandam legem, quia verè possidet lex, dum constat latam esse: Siquidem habet pro se juris præsumptionem, & alleganti non esse receptam incumbit onus probandi. Quare dum id non probat, tenetur ad legis observationem. Secus est de promulgatione, quia lex esse non potest sine promulgatione, nec verè dicitur lata donec ritè promulgetur, ita Sanchez *l.1. Decalog. cap.10. n.35.* Filliuc. *tract.21. n.164.* Manuel *tom.1. reg.q.6.punct.4. n.44. & de peccat. disp. 2. q.4. punct.7. num.19.*

9. Sed constitutionem Pii II. esse promulgatam & usu receptam patet ex stylo, & Praxi Romanæ Curiæ, à qua omnino minimè recedendum puto; & ita in facti contingentia sic ordinat, ne deserant dispensationem petere à Summo Pontifice; & si res sit occulta à Sacra Pœnitentiaria, vel ab Episcopo.

Alibi in to. 4 tr 3. Res. 128. §.2 in fine, & in Res.129 propè finem, & hoc intellige pro privilegio Regular. & pro Cruciata in principio dictarum Res. & pro utroque hîc inf. in Res. seq. § 1. à vers. Dico secundo.

10. Sed, an in tali casu, quis possit obtinere dispensationem virtute Bullæ Cruciatæ, vel Privilegiorum Regularium? vide me ipsum alibi, nunc tantum sufficiat pro curiosis adduxisse opinionem Hinojosæ, & illam improbasse, ac in eam ultimam sententiam circa præsentem difficultatem aperuisse.

11. Nota verò, quod ea, quæ dixi contra Hinojosam militant etiam contra Patrem Escobar; Nam video stylum, & Praxim Curiæ Romanæ esse in contrarium, videlicet constitutionem Pauli II. esse usu receptam, & quidem etiam secluſa praxi Romana absolutè loquendo, videtur mihi magis probabilis opinio, asserens quòd quando adest dubium, si lex sit usu recepta necne, præsumendum esse acceptatam, quia in tali casu possessio, & præsumptio non est pro libertate, sicuti putat Castrus Palaus, sed, vt diximus, pro lege; & probatur, nam onus probandi legem non esse receptam, pertinet ad illum qui hoc asserit, proinde dum non probatur, lex manet veluti in sua possessione & vigore, neque urget ratio Azorii, nempè in materia odiosa, qualis est lex, sed pœnalis, posse subditum amplecti opinionem, quæ asserit, legem non esse usu receptam, nam contra hoc facit, cùm possessio se teneat ex parte ipsius legis, & non ex parte subditi, seu ejus libertatis, proinde Azorius, qui suam sententiam fundat in hac ratione, nihil pro se probat.

12. Ita præter Doctores *suprà cit.* tenet Hermanus Busembaum *in medulla Theologiæ moralis l.1. tract.2. cap.1. dub.3. n.6.*

Sup hoc in tom. 6. tr 1. Res 40. §.2. cursim in fin & in fin. dictæ Res.

13. Sed dices, omnia superiùs dicta, secundùm opinionem, vt diximus probabiliorem procedere, quando sumus in dubio, sed non quando adsunt opiniones Doctorum hinc inde, sed in casu Fratris Hinojosæ de Bulla Pii II. adsunt opiniones pro utraque parte, & sic contra alios Auctores Armilla, & alii asserunt, dictam Bullam non esse receptam; Ergo in tali casu asserit Sanch. *in summ. tract.1. l.5.cap.10.n.45.* Baldellus *in Theol.mor.tom.1. l.5.diff.9.n.4.* & alii posse subditos, opinionem negativam sequentes absque peccato legem illam non servare, quia unicuique licitum est amplecti opinionem probabilem.

14. Sed in tali casu Merolla *in Theol.tom.1. disp.3. cap.3. dub.2. corollar.8. num.129.* & Bardi *de conscient. disp 6.cap.2.dub.2. num.5.* oppositum defendunt, nam in pari casu melior est possidentis conditio, proinde cùm pro utraque parte, nempè pro receptione, & pro non receptione sint probabiles opiniones, potior videtur conditio legis ex cujus parte se tenet possessio, & ad illam rationem, quam pro se adducit Sanchez, videlicet posse ab unoquoque eligi probabilem opinionem; respondet Merolla id esse intelligendum, quando nulla est possessio pro altera parte, nam possessio facit prævalere partem, cui adhæret.

15. Verùm me nimis urget, vt dictum est, Praxis contraria, quam video hîc Romæ servari quoad dictam Constitutionem Pii II. Vnde videtur usu recepta, & ideò non obstantibus supradictis, nolo à stylo Curiæ recedere, qui dictam constitutionem receptam supponit.

RESOL. XXXVIII.

De quodam Clerico, qui Ordinem Subdiaconatus suscepit cum dimissoriis falsis.

Et docetur supradictum Clericum incurrisse suspensionem.

Difficultas vero est, an incurrerit irregularitatem?

Et notatur, quod in utroque Episcopus, & Confessarius virtute Cruciatæ, & etiam Regulares virtute privilegiorum possint dispensare. Ex p. 11. tract.6. & Misc.6. Res.4.

§.1. REspondeo supradictum Clericum secundum opinionem Marchini, *de Sacram. Ordin. tr.1. part.5. cap.11. n.13.* incurrisse suspensionem latam *in cap. Lugdunensi, 9. q.1. & in cap. eos qui de tempor. ordin. in 6.* contra suscipientes Ordines ab alieno Episcopo, nam idem est ordinari à non suo, ac ordinari cùm falsis Dimissoriis proprii Episcopi. Hoc supposito dicendum est, supradictum Clericum posse dispensari ab Episcopo, si suspensio occulta est, vt est in casu nostro stante privilegio Episcopis concesso in Conc. Trident. *sess.24. cap.6. de Reform.* ita Avila *de sacr. cens. part.3. disp.6. dub.1. concl.7.* & communiter Doctores. Dico secundò posse dispensari à Confessariis Societatis IESV, & ab aliis Regularibus participantibus de eorum privilegiis: nam Sedes Apostolica concessit Confessariis Societatis quod fidelium confessionibus auditis, eos in foro conscientiæ absolvere possint à quibuscumque sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis ex peccato resultantibus. Et quidem hæc verba ad suspensiones juris indistinctè se extendunt: esto enim hæ suspensiones non absolvantur propriè, sed dispensatione tolli debeant, eorum tamen relaxatio, juxta frequentem loquendi modum, absolutio nuncupatur. Et ita hanc sententiam in terminis tenet Avila *ubi supra dub.2.* Castrus Palaus *tom.6. disp.4. punct.9. n.7.* Layman *l.1. tract.5. part.3. cap.4. n.4.* Bassæus *in florib. Theol. verb. Suspensio. 3. n.4.* Villalobos *in summa, tom.1. tract.9. diffic.60. num.9.* & alii. Et tandem dico tertiò, supradictum Clericum posse dispensari à quolibet Confessario approbato in Regnis, ubi viget Privilegium Bullæ Cruciatæ. Et ita docet me citato, Leander *de Sacram. tom.2. tract.6. disput.6. quæst.16.* Serius *in Bull. Cruc. disput.1. diffic.10.§.8. quæst.30. num.2.* Remigius *in*

Sup. hoc in Resol. 1. not. 2. Sup. hoc in Resol. 1. not. 3. Sup. hoc in Resol. 1. not. 4. Sup. hoc in Resol. 1. not. 5.

in pract. confess. tract. 5. cap. 3. §. 2. num. 12. Pater Bardi *in Bull. Cruc. part. 2. tract. 6. cap. 7. sect. 5. n 7.* Ludovicus à Cruz, *disp. 1. cap. 4. dub. 10. n. 3.* Trullench *lib. 1. §. 7. cap. 21. dub. 15.* Castrus Palaus *tom. 4. tract. 25. punct. 8. §. 4. num. 1.* & alii firmantes posse Confessarium privilegio Bullæ Cruciatæ à Pontifice sibi concesso auferre suspensionem contractam, vt est in casu nostro, per indebitam Sacrorum Ordinum susceptionem. Nota quod etiam Quintanaduenas *in Proœmio Instruct. Ordin. n. 9.* docet sumentes Ordines cum dimissoriis falsis, incurrere suspensionem.

2. Sed quia Hieronymus Garsias *in sum. Theolog. mor. tract. 1. d. sic. 1. dub. 13. punct. 4. n. 14* putat, supradictum Clericum ordinatum cum falsis dimissoriis incurrisse irregularitatem latam *in cap. 1. de eo, qui furtivè ordinem suscepit*, adhuc existimo, etiam stando in hac opinione posse in casu nostro, quia delictum est occultum, dictam irregularitatem etiam dispensari per Episcopum, stante jure novo Concilii Trident. *sess. 24. cap. 6. de reform.* Et ita docet Barbosa *in d. cap. 1. num. 2.* Castrus Palaus *tom. 6. disp. 6. punct. 17. n. 4.* Sayrus *de censur. lib. 7. cap. 10. num. 38.* Caspensis *in curs. Theolog. tom. 2. tr. 25. disp. 5. sect. 5. n. 34.* Pellizzarius, *tom. 2. tr. 7. cap. 5. sect. 3. n. 123.* & alii. Imò aliqui probabiliter plus addunt, posse dictam irregularitatem dispensari etiam à quolibet approbato Confessario, virtute Bullæ Cruciatæ. Et ideò ad confirmationem supradictorum apponam hic verba Patris Garsiæ *ubi supra n. 32.* sic itaque ait: Esta irregularidad si es deducta ad forum contentiosum no puede dispensarla el Obispo, si no en caso, que el reo huviesse entrado en Religion, y hecha assi penitencia, en el qual concede el capitulo, Veniens, que pueda dispensar el Obispo, pero si es oculta aunque se quede el tal ordenado en el siglo, podra dispensar con el al Obispo en virtud del Concilio Tridentino, y lo mismo digo del Confessor ordinario virtute Bullæ Cruciatæ. Hæc Garsias. Et hoc ultimum de facultate, quam habent Confessarii dispensandi per Bullam Cruciatæ irregularitatem contractam ex mala ordinum susceptione, vt fuit in casu nostro docent communiter Thomistæ, quos ego *alibi ad satietatem adduxi, quibus nunc addo ex Socictate Iesu omninò videndum Iosephum Gibalinum *de irregul. cap. 6. quæst. 5. n. 4* ubi me citato latè firmat hanc sententiam, & respondet ad argumenta contraria, asserentem absolutè quod qui ex facultate generali potest absolvere à censuris, potest quoque dispensare in irregularitate pœnali, ut est iste de qua loquimur. Et ideò Magister Petrus Cornejo ornamentum Carmelitanæ Religionis *in 3. p. D. Thoma, tom. 2. tr. 5. de irregular. disp. 7. dub. 1. q. 1.* sic ait: Dico irregularitatem per illegitimam ordinum receptionem etiam posse tolli in foro conscientiæ per Bullam Cruciatæ. Hoc est probabile, quia hæc irregularitas est Censura, & pœna Ecclesiastica juxta nostram sententiam, atque ita potest tolli ex privilegio Bullæ Cruciatæ. Ita ille. Et hanc sententiam etiam probabilem putat Ioan. de Sot. *in summa, part. 2. tract. 2. sect. 2. disp. 4 fol. 379.* Poncius *in cur. Theol. disp. 48. quæst. ult. n. 30.* Escobar ex Societate *in tract. mor. tract. 1. exam. 17. cap. 9. n. 130.* & etiam me citato Martinus de San Ioseph. *in Reg. S. Francisci de facultatibus confess. verb. dispensare num. 3. fol. 577.* & me citato Gallego de Vera *in bull. cruciatæ, cap. 9. dub. 139.* & me citato Remigius *in summa, tr. 6. cap. 5. § 4. num. 2.* & me citato Ioannes Henriquez *in qq. pract. sect. 31. quæst. 5. num. 37.* & me citato Crescentius *in Præsidio Romano lib. 3. numero 78.* & me citato Leander à Murcia Cappucinus *in quæst. 8. ad cap. 7. Regulæ S. Francisci, num. 65.* & me citato Guazinus Filius *in tractat. moral. lib. 2. defens. 6. quæst. 45. numero 2.* & me citato Pellizzarius *tom. 2. tractat. 8. capite 3. numero 90.* & me citato Marcus Serius *in Bullam Cruc. disputat. 1. difficult. 10. §. 8. quæstione 30. n. 5.* & me citato Pater Magister Lezana *in sum. qq. Reg. tom. 3. verb. Bulla Cruc. num. 30.* & me citato Bassæus *in flor. Theol. verb. irregularitate 11. num. 17.* Idem etiam docet Escobar *in Theol. moral. tom 1. lib. 9. sect. 2. cap. 15. Prob. 29. num. 213.* Itaque casus supradictus Clerici non est ita desperatus, & absque remedio; vt aliqui putarunt his diebus; nam cùm sit occultus, potest sive suspensionem, sive irregularitatem contraxerit dispensari ab Episcopo. Quod idem probabiliter puto dici posse de Confessariis Regularibus virtute suorum privilegiorum, & de quibuscumque Confessariis approbatis virtute Bullæ Cruciatæ. Ita sentio, salvo melioti judicio.

Sup. hoc latè in to. 7. tr. 1. ref. 300. & in aliis ejus annot.

RESOL. XXXIX.

An qui suscipit Ordinem sacrum ante legitimam ætatem, vel sine literis dimissoriis, vel extra legitima tempora incidat in suspensionem ex Bulla Pij II. & si celebret, incurrat irregularitatem?

Et an ad incurrendam hanc suspensionem requiratur dolus, vel saltem culpa lata, & mortalis, ita vt ignorantia etiam crassa, si affectata non sit, a suspensione, & irregularitate contrahenda excuset? Ex p. 3. tract. 4. Resol. 191. aliàs 192.

Sup. tribus primis diffic. hujus tituli inf. in Resol. 41. à princ. & sup. in Resol. 37.

§. 1. REspondeo affirmativè ex Bulla Pii II. si celebrat incurrit in irregularitatem. Sed prædictam pœnam, vt notat Portel *in dubiis Regul. verb. Ordines sacri, num. 13.* cum aliis communiter incurrunt tantùm præsumentes, unde sic asserit Villalobos *in summa tom. 1. tract. 11. diffic. 11. num. 6.* [Se advierta, que para incurrir la dicha suspension es menester, que aya dolo por la palabra (*præsumpserit*) que pone la extravagante, y assi el que se ordena por ignorancia, que sea tal que escuse de presumpcion, y temeridad, aunque no escuse del todo de la culpa, no quedara suspenso, como dizen Navarro, Suarez, y Rodriquez,] sic ille. Igitur ad hanc suspensionem incurrendam requiritur dolus, vel saltem culpa lata, & mortalis. Sed plus addit Avila *de cens. part. 3. disp. 5. dubitat. 7.* nam adeò in tali casu requirit dolum in ordinato, vt omnem ignorantiam etiam crassam, si affectata non sit à suspensione, & irregularitate contrahenda excusare dicat, licèt hanc opinionem non admittat Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 9. cap. 19. num. 2.* Vide Peyrinum *in privil. Min. tom. 1. const. 1. Iulij II. §. 16. num. 28.*

Sup. hoc in Resol. seq. & in alia ejus primæ annot.

Sup. hoc sup. in Resol. 36. §. vlt.

Sup. hac ignorantia in Resol. seq.

RESOL. XL.

An qui non solum cum ignorantia invincibili, sed etiam moraliter vincibili, & crassa ordinatur, ante legitimam ætatem, extra tempora, &c. incurrat suspensionem latam à Pio II.

Et an qui ita Ordinatus est cum dolo, & tamen si postea facta pœnitentia celebret, credens id sibi licere, incurrat irregularitatem? Ex p. 5. tract. 10. Resol. 32.

§. 1. REspondent aliqui affirmativè. Ita Fuschus *de visit. lib. 2. cap. 28. num. 37.* quia non decet ignorare, quod communiter omnes sui Ordinis sciunt, & ideò Riccius *part. 4. decis. 91. num. 6.* tutius existimat in tali casu dispensationem obtinendam esse: & Bonacina *de cens. disp. 3. punct. 5. §. 1. num. 2.* absolutè docet quòd si aliquis ex ignorantia moraliter vincibili ordinetur ante legitimam ætatem, incurrit hanc suspensionem.

* Quæ hic est Resol. antecedens, & in Resol. seq.

2. Verùm ego puto, vt docui cum Portel *in 3. p. tract. 4. * resol. 192.* sic ordinatum nullam incurrisse suspensionem, neque celebrando irregularitatem, & ita etiam docet Præpos. *in p. 3. q. vn. de sacram. Ord. dub. 17. n. 167.* ubi sic ait. Adverte eum, qui ante legitimam ætatem præsumit sacrum Ordinem recipere, incurrere suspensionem, per *Extravag. cùm ex sacrorum*, Pij II. quam refert Navarr tum *cap. 7. summa, n. 125.* ubi notat bonam fidem, vel etiam ignorantiam crassam excusare à censura. Vnde qui bona fide, vel etiam ex ignorantia crassa est ordinatus ante ætatem, quamvis nequeat uti Ordine antequam ad illam pervenerit, ubi tamen pertigerit ad legitimam ætatem, potest eo uti absque peccato, & violatione censuræ, quod est notandum pro variis, qui minùs prudenter suscipiunt sacros Ordines ante legitimam ætatem, qui non sunt statim censendi hanc censuram incurrere, & non posse uti Ordine sine dispensatione, cùm ad legitimam pervenerint ætatem. Sic ille. Cui adde etiam Hurtadum *tract. de susp. diffic. 13. num. 36.* Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 11. diffic. 11. num. 6.* Coninch *de Sacram. disp. 16. dub. 5. num. 36.*

Sup. hoc in Resol. seq. §. Notandum est tamen, & in alia Resol. ejus not.

Sup. hoc inf. in Resol. 43. §. 1 propè fin. vers. Posset.

3. Notandum est tamen hîc cum Avila *de cens. part. 3. disp. 5. dub. 7. §. 5.* quòd licèt aliquis incurrerit hanc suspensionem, quia ordinatus est cum dolo, tamen si postea facta pœnitentia celebret, credens id sibi licere, non incurrit irregularitatem, nam etiam ad hoc requiritur dolus. Ita Navarr. *cap. 27. num. 156. & in cap. accepta, loco citato.* Imò longè certius est de irregularitate, quàm de suspensione, nam verbum *præsumpserint*, absque ulla controversia cadit super irregularitate, vt patet ex verbis ipsius Extravag. jam citatis. Ita ille.

RESOL. XLI.

An qui bona fide ordinatur ante legitimam ætatem, incurrat suspensionem, & celebrando irregularitatem, ex Bulla Pij II.

Et an adveniente mala fide, si sic ordinatus ante legitimam ætatem celebret, incurrat irregularitatem?

Et an saltem ita celebrando peccet mortaliter?

Et an taliter Ordinatus postquam pervenit ad legitimam ætatem, possit sine ulla dispensatione celebrare, vel exercere actum Ordinis suscepti?

Et quid in casu, quo quis mala fide Ordines ante legitimam ætatem susceperit?

Et notatur recipientem Ordinem mala fide, ante legitimam ætatem, non solum remanere suspensum ab executione Ordinis sic mala fide suscepti, sed etiam ab executione aliorum Ordinum ante legitimè susceptorum. Ex p. 3. tract. 4. Resol. 181. aliàs 182.

Sup. hoc sup. in Resol 39. à lin. 6. & in Resol. 40.

§. 1. REspondeo non incurrere in suspensionem, & ita docet Portel. *in dubiis Regul. verb. Ordines sacri, num. 1.* nam pœna suspensionis appositа per Pium II. tantùm est contra præsumentes, qui verò bona fide facit, credens se habere ætatem, vel quid simile, non dicitur præsumere. Ergo, &c. Et ita etiam docent Miranda *in manuali Prælatorum tom. 1. q. 39. art. 6.* Filliucius *tom. 1. tract. 17. cap. 5. num. 84.* Suarez *de cens. disp. 31. sect. 1. num. 26.* & alij.

2. Difficultas est, an adveniente mala fide si sic ordinatus ante legitimam ætatem celebret, incurrat irregularitatem? Respondeo negativè cum Peyrino *in privil. Minimorum tom. 1. constit. 1. Iulij II. §. 16. num. 29.* qui citat Quarantam, Mirandam, & Navarrum. Et ratio est, quia cùm à principio non incurrerit in suspensionem, & adveniente mala fide si celebret, non est cur irregularitatem incurrat.

3. Sed an saltem ita celebrando peccet mortaliter? respondet affirmativè Villalobos *in summa, tom. 1. tract. 11. diffic. 11. num. 7.* & alij communiter. Navarrus verò putat nullo modo peccare, cujus sententiam probabilem esse docet Petrus de Ledesma *in sum. tom. 1. de sacram Ordinis, cap. 7. concl. 1. fol. mihi 432. col. 2.* sic asserit. [No me parece improbable, sino antes tiene alguna probabilidad dezir, que en tel caso el asi ordenado se deve exercitar en el officio de la orden, que recibio, aunque no tenga legitima edad. Esta Conclusion se prueva con la authoridad del Doctor Navarro, laqual se confirma porque este tal estando legitimamente ordenado, tiene derecho de exercitarse en el oficio de tal orden, luego si no es por pecado no puede estar privado; ni caeçer deste derecho, y en tel caso no ha havido pecado, luego no esta privado del exercicio del tal orden, segun esta sentencia hemos de dezir, que el Concilio manda que no se ordenen antes de la legitima edad, però despues de ordenados no dispone ninguna cosa el Concilio, y asi pueden segun esta sentencia ministrar en sus oficios.] Ita Ledesma, sed contraria sententia communis est, & practicatur.

4. Notandum est tamen hîc, quòd taliter ordinatus postquam pervenit ad legitimam ætatem, potest sine ulla dispensatione celebrare, vel exercere actum Ordinis suscepti, vt notant Scorcia *in Bull. Pontific. epitome 39. theorem. 109.* & alij penes ipsum; imò alij qui hoc tenent etiam in casu, quo quis mala fide Ordines ante legitimam ætatem susciperet. Et ita docet Corduba *cas. 144.* Sotus *in 4. sent. dist. 25. q. 1. art. 2. in fine.* Medina *in sum. lib. 1. cap. 11. §. 8.* Passarellus, Zerola, & Sorbus apud Peyrinum *ubi suprà n. 21.* licet contrarium asserant Henriquez *lib. 13. cap. 38. §. 1. in gloss. litera F*, Sylvest. Mandosius, Covarruvias, & alij, quorum sententiam ego sequor.

Sup. hoc Resol. seq.

5. Notandum est etiam, quòd aliqui putant recipientem Ordinem mala fide ante legitimam ætatem, non solùm remanere suspensum ab exequutione illius Ordinis sic mala fide suscepti sed etiam ab exequutione aliorum Ordinum ante legitimè susceptorum. Et ita docet Navarrus, Rodriquez, & alii, stante quadam Bulla Sixti V. sed contrariam sententiam probabilem esse cum Avila, & Henriquez putat Villalobos *in summa, tom. 1. tract. 18. diffic. 11. num. 2.*

RESOL. XLII.

An suspensus propter Ordines susceptos ante legitimam ætatem possit exercere Ordines alios ritè susceptos? Ex part. 5. tract 10. Resol. 35.

Sup. hoc Resol. 35. §. 1.

§. 1. NEgativè respondet Villalob. *in summa tom. 1. tract. 18. diffic. 11. num. 2.* ubi sic ait. [Tan bien se advierta que ay duda entre los Dotores, si el que desta manera se ordena queda suspenso de solo el Orden que recibe, o de todos los Ordenes? A lo qual se ha de responder, que despues de la extravagante de Sixto V. quedan suspensos de todos los Ordenes, porque dize, eosdem Clericos posthac malè promotos ab exequutione, ministerio, & exercitio Ordinum ad alios superiores perpetuò suspensos declaramus, y assi lo tienen Navarro y el P. Fray Manuel Rodriguez: aunque Henriquez parece que tiene, que solamente està suspenso del Orden, que desta manera recibe, y dize que es probable Avila, pareciendole que habla solo Sixto V. de la suspension que hablò Pio II. y no mas.] Ita ille.

2. Sed affirmativam sententiam cum Henriquez & Avila ego teneo, quam etiam tenet Scorcia *in Bulla Pontif. epit. 39. theor. 109.* ubi docet hujusmodi suspensionem

suspensionem impedire solum usum Ordinis malè suscepti, & in quo deliquit, & consequenter etiam ne ulterius ascendat, non autem ne utatur Ordine inferiori si legitimè illum suscepit : idque indicant verba illa, *si suspensione durante in eisdem ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant.* In eisdem scilicet malè susceptis, à quibus suspensi sunt, & non in quovis Ordine, vt etiam jure antiquo suspendebantur ab executione Ordinis solius malè susceptí, ex gloss. *cap. consultationi de tem. ord.* & ex Conc. Trid. *sess. 14. cap. 2. de reform.*

RESOL. XLIII.

An suspensus ex ordinatione ante legitimam ætatem possit celebrare illa completa sine alia dispensatione ?

Et quid est dicendum, si culpabiliter omnino ante legitimam ætatem suscepit ordinem ?

Et quid, si inculpabiliter, & jam est in legitima ætate, an possit exercere actum sui Ordinis absque incursione irregularitatis ?

Et an talis ante ætatem ordinatus, incurrat duas suspensiones, unam ob delictum, alteram verò ob defectum ætatis, ac proinde absolutus à prima non censeatur absolutus à secunda, nec potest ministrare, donec attingat legitimam ætatem ? Ex p. 5. tract. 10. Res. 34.

§. 1. NEgativè respondet Cornejo *in 3. p. tract. 5. de susp. disp. 4. cas. 3.* ubi sic ait. Durat autem hæc suspensio etiam post completam ætatem, donec per Pontificem relaxetur, aut si sit occulta, per Episcopum, aut etiam in foro conscientiæ per Bullam, ubi nota quòd quamvis iste ante complementum ætatis absolvatur ab hac suspensione, adhuc non potest in Ordine suscepto ministrare. Et si dicas, quid ergo operatur absolutio ? dico duo operari, unum est quod impleta ætate possit statim exercere illū Ordinem, & alterum, quòd si exerceat illum ante ætatem, quamvis mortaliter peccet, non incurrit irregularitatem. Ita Cornejo. Cui adde Hieronymum Rodriquez *in Compend. qq. Reg. resolut. 106. num. 14.* Henriquez *lib. 13. cap. 38. num. 1. in glossa litera F.* Bonacina *de censur. disput. 3. quæst. 1. punct. 1. num. 12.* & alios. Sed distinguit Toletus *lib. 1. cap. 49. num. 4.* Suarez *de censur. disput. 31. sect. 1 num. 25.* Avila *part. 3. dub. 7. not. 8. & 9.* Navarrus *cap. 27. num. 155.* & alii. Nam si quis inculpabiliter omnino ante legitimam ætatem suscepit Ordinem, & jam est in ætate legitima, absque incursu irregularitatis potest exercere actum sui Ordinis, quia intentio Pontificis fuit tali castigatione reprimere temeritatem taliter delinquentium. Si verò suscepit culpabiliter, vt si sciebat vetitum, licèt nesciret impositam censuram, indigeret relaxatione suspensionis, licèt jam pervenerit ad legitimam ætatem, juxta præsentem constitutionem. Posset tamen sic suspensus excusari ab irregularitate, si temerariè quidem suscepit Ordinem, sed facta pœnitentia illius malæ susceptionis bona fide credens jam ob legitimam ætatem sibi licitum esse Ordinis exercitium, actum exerceret, vt sentit Navar. & Suarez *locis suprà citatis*, eo quòd carentia præsumptionis possit excusare ab irregularitate, etsi à suspensione non excusarit. Sicut sæpè bona fides excusat ab irregularitate, quæ non excusat ab excommunicatione, juxta gloss. *cap. solet, de sent. excomm. lib. 6.*

2. Non desinam tamen hîc adnotare absolutè affirmativam sententiam docere Cordubam *cas. 144.* & Sotum *in 4 sent. dist. 25. quæst. 1. art. 2. in fin.* cum Medina *in 1. st. lib. 1. cap. 11. §. 6.*

3. Nota etiam quòd iste talis ante ætatem ordinatus incurrit duas suspensiones, unam ob delictum, alteram verò ob defectum ætatis, proinde absolutus à prima, non censetur absolutus ab alia, nec potest ministrare donec attingat legitimam ætatem, & ita docet Hieron. Rodriquez *ubi supra*, Suarez *de cens. disput. 23. sect. 3. num. 4.* & Portel. *verb. Ordines sacri, num. 12.*

RESOL. XLIV.

An suspensus juxta Bullam Pij II. quia suscepit Ordines sacros extra tempora, ante legitimam ætatem, vel sine litteris dimissoriis, &c. dispensari possit ab Episcopo, vel à Superiore Regulari ?

Et idem est dicendum de irregularitate ob id contracta. Ex p. 5. tract. 10. Res. 31.

§. 1. NEgativam sententiam docet Guttierrez *in qq. Canon. lib. 1. cap. 26. num. 21.* ubi sic ait : Qui extra tempora, vel ante ætatem legitimam, vel sine dimissoriis promotus fuerit ad sacros Ordines, suspensus est ipso jure, donec absolutionis beneficium à Papa fuerit consecutus, non tantùm usque ad ætatem legitimam, provt de jure existimabat Sotus & probatur *in cap. cum quidem, & cap. litteras, de temp. ord.* sed etiam hodie perpetuò, donec absolvatur, vt *in d. Extravag. Pij II.* Ita ille, & novissimè hanc sententiam ex aliis Doctoribus tenet Riccius *part. 4. decis. 93. num. 14.* Sup. contenetur in hoc & seq. §. inf. in tr. 7. lege doctrinam, Res. 4. signanter §. pen. & vlt.

2. Sed contrariam sententiam tenet Suarez *de censur. disput. 31. sect. 1. num. 32.* Hieron. Rodriquez *ubi infrà*, & Hurtadus *tract. de suspens. diffic. 13. n. 36.* ubi sic ait : Ordinatus scienter, aut ex ignorantia affectata ante legitimam ætatem, aut extra tempora, aut absque dimissoriis, manet suspensus ab Ordine sic suscepto, per Extravag. Pij II. confirmatam à Pio V. cujus mentionem facit Avila *3. part. disp. 5. dub. 7.* ab ea tamen suspensione potest Episcopus absolvere, quamvis Sixtus V. *in Extravag. sanctum & salutare*, absolutionem illius reservaverit Papæ, quia eam revocavit Clem. VIII. Hæc Hurtadus.

3. Notandum est etiam hîc posse superiores Regulares absolvere suos subditos sic suspensos, & ita docet Portel *in dub. regul. verb. Ordinis sacri suspensio, num. 14.* & Hier. Rodriq. *in Comp. q. reg. resol. 106. num. 26.* & idem dicendum est de irregularitate ob id contracta. Vide etiam Henriquez *lib. 14. cap. 20. n. 3.* & Bejam *part. 4. cas. 37.* Sup. hoc magis latè in tom. 7. tr. 1. Res. 297.

RESOL. XLV.

An qui ordinatur non servatis temporum interstitiis, v. g. Diaconus elapso anno ab ordine Subdiaconatus, incurrat suspensionem ?

Et an Episcopus possit dispensare ex causa rationabili in hoc ?

Et an Abbas in casibus in quibus Tonsuram, & minores Ordines conferre potest, dispensare valeat in interstitiis ?

Et an hoc procedat in casu, quo Abbates suos subditos cum dimissoriis remittant, vt ab Episcopis Ordinentur, nec tunc examinandos esse ab Episcopis, non obstante Concilio Tridentino ?

Sed docetur, quod in receptione Ordinum minorum nulla requiruntur interstitia, sed possunt recipi eodem die, si videatur Episcopo, & de minoribus ad Subdiaconatum remittitur ad usum Provinciæ. Ex p. 5. tract. 10. Resol. 40.

§. 1. AFfirmativè respondet Portel. *in dub. regul. verb. suspensio, num. 14.* ubi sic ait : Ille qui ordinatur Sup. hoc in tom 2. tr. 5.

Ref.89 §.vlt. & in Ref.92. §. etiam vlt.

ordinatur non servatis interstitiis, ita vt inter Subdiaconatum & cæteros superiores Ordines deficiat annus, incurrit suspensionem, non verò, incurret si desit annus inter Ordines minores, Concilium enim

Sup hoc inf. in Ref.56. & in aliis ejus annot.

solùm loquitur de Ordinibus majoribus, & de minoribus inter Subdiaconatum remittitur ad usum Provinciæ. Hæc ille, qui malè citat Suarez.

2. Sed negativè respondendum est, quia nulla suspensio incurritur in jure expressa: ergo. Et ita docet Suarez *de cens. disp.31. sect.1. num.43.* verum est quòd peccabit, si faciat hoc absque licentia Episcopi, nam facit contra præceptum Trident. *sess.23. cap.11.* & præter Suarez contra Portel. hanc sententiam docet Filliucius *tom.1. tract.17. cap.5. n.86.* ubi sic ait. Non servantur interstitia si diversis quidem diebus, & legitimis temporibus, sed non servatis debitis interstitiis, duo Ordines sacri sumantur, contra statutum Trident. *sess.23.cap.13.* in quo vult post susceptum unum Ordinem sacrum, annum integrum debere elabi, antequam alius recipiatur absque dispensatione Apostolica; nulla tamen pœna est imposita, nec ita severè prohibitum, quin Episcopus non possit dispensare ex causa rationabili. Et quamvis Sixtus V. imposuerit pœnam suspensionis ipso facto,

Sup. hoc in tom.2 tr.5. lege latam doctrinam Ref.97. & Ref. & §§. ejus primæ not. signanter in §. Ad cap. ad med. Qui Episcopus, & in Ref.not.præteritæ §.1. in fin.

tamen deinde sublata est per Clem. VIII. quare nec etiam erit suspensus, qui sine dispensatione recipit Subdiaconatum ante lapsum annum ab altero minori, licèt graviter peccet contra Trident. *sess.23. c.11. de reform.* In receptione autem Ordinum minorum nulla requiruntur interstitia, sed possunt recipi eodem die, si ita videatur Episcopo, cui se remittit Trid. *loco cit.* Ius autem antiquum *in cap. singulis, dist.77.* est antiquatum. Ita ille, & ego.

3. Notandum est tamen hîc obiter primò quòd Abbas in casibus, in quibus Tonsuram & minores Ordines conferre potest, dispensare valet in interstitiis. Ita Campanili *in diversi. jur. canon. rubr.12. cap.13. num.43.* Barbosa *de potestate Episc. part.2. alleg.18. num.3. & 11.* cum Miranda *in manuali tom.1. quæst.38. art.7. conclus.3.* & hoc procedit etiam eo casu, quo Abbates suos subditos cum dimissoriis remittunt, vt

Sup. hoc examine in tom.2. tr.5. Ref.75 §.vlt. in princ. & lege §. ejus secundæ not. & in Ref.85. §. Deinde, &c.

ab Episcopis ordinentur, nec tunc examinandos esse ab Episcopis, non obstante Concilio Trident. vt observat Villalobos *tom.1. tractat.11. difficul.12. num.4.* ex Navarro *cons.14. num.1. de privileg.* tradit Barbosa *in Collect. Doctor. in Conc. Trid. 23. capit.10. num.5.*

RESOL. XLVI.

An ordinati cum dimissoriis Capituli Sedis vacantis infra annum incidant in suspensionem?

Et alij quatuor casiu explanantur pro Capitulo Sede vacante, & pro dimissoriis, & Ordinandis concedendis tempore Sedis vacantis. Ex p.5.tract.10.Ref.46.

§.1. AFfirmativè ex Concilio Trid. *sess.7. cap.10.* respondendum est cum Turriano *de censur. lib.5.disp.46.dub.vlt.* & aliis. Verùm hîc non desinam adnotare.

2. Primò, quòd potest Capitulum Sedis vacantis infra annum concedere dimissorias ei, qui est præsentatus à patrono laico ad beneficium Ecclesiasticum jurispatronatus ipsius, vt illud obtinere valeat. Ita Garcias *de benef. p.5. cap.7. num.93.* Molfesius *in*

Sup. hoc in to 3. tr.5. ex Jara doctrina Ref.11. & lege pro parte §. ejus secundæ not.

summ.1.tract.6.cap.7.num.50.

3. Secundo potest anno durante Episcopo extero concedere exercitium pontificalium, & ordinationem propriorum subditorum, non tamen subditorum Sedis vacantis. Ita Piasecius *in praxi Episc.p.1. cap.1. art.2. num.10.* Henriquez *lib.10.cap.22.n.1.* Quarranta *in sum.Bull.verb.Capitulum Sede vacant.quæst.11.* & alij.

4. Tertiò dico; posset quoque Capitulum Sede vacante ante lapsum annum vacationis, obtinenti facultatem à Sede Apostolica ad suscipiendos Ordines à quocumque Antistite Catholico, cum licentia proprii Ordinarii, provt semper in concessionibus hujusmodi clausula de petenda Ordinarii licentia apponitur, facultatem hanc subordinatam concedere. Ita Barbosa *de potest. Episcopi, part.2. allegat.7 num.14.* & alij.

5. Et tandem quartò potest Capitulum Sede vacante testimonium idoneitatis facere. Ita Barbosa *ubi supra, num.16.* & alij, licet Moneta *de commutationibus vlt. volunt. cap.10. n.182.* refert Modernum Curiæ Romanæ stylum habere, vt Sede Episcopali vacante, ipsæ quoque literæ testimoniales dentur ab Episcopo viciniori.

RESOL. XLVII.

An qui ficto titulo impetrat dimissorias, incurrat suspensionem latam in eos, qui sine literis dimissoriis ordinantur, v. g. qui ob fictum patrimonium initiantur, &c?

Et quid dicendum est de eo, qui patrimonio, aut donationi sibi factæ renunciavit, antequam literas dimissorias, vel ordinem susceperit, an contrahat in hac promotione suspensionem? Ex p.5. tr.10.Ref.55.

§.1. AFfirmativè respondet Cornejo *in 3. part. Sum. tract.5. disp.4. cas.5. quæst.2.* ubi docet tales duas suspensiones (licèt ipse dicat *irregularitates*, ex incuria librariotum, vel scriptorum) incurrere, unam quia ementito titulo ordinantur; alteram, quia sine literis dimissoriis. Idem etiam docet Coninch *de Sa. cram. disp.16. dub.5. num.38.* ubi hæc ait: Vtrum literæ dimissoriæ dolo obtentæ sint invalidæ vt earum vi ordinatus incurrat suspensionem latam in eos, qui sine literis ordinantur ab alieno Episcopo, dubium est. Quidam negant. Suarez verò suprà probabilius affirmat, quia concessa facultas non extenditur ultra mentem concedentis, nec videtur Episcopus velle ulla ratione consentire in illius ordinationem, & consequenter neque his literis dare facultatem. Et ita hanc sententiam docet etiam Reginaldus *to.2. lib.32. tract.2. cap.25. num.27.* Mercerus *de Sacram. in 3. p. quæst.24. dub.7.* Hurtadus *tract. de suspens. difficul.13. num.38.* & Gordonus *tom.2. lib.7. quæst.15.cap.12.§.6. num.24.* & alij.

2. Non desinam tamen hîc adnotare Henriquez *lib.13.cap.37.num.2.* contrariam sententiam docere, sic enim ait. Qui ob fictum patrimonium initiatur, non incurrit aliam suspensionem latam contra eos, qui absque reverendis proprii Episcopi initiatur; quamvis enim per fraudem licentiam, & Reverendas obtineat, est tamen vera licentia. Sic ille, & post illum Villalobos *in summ.tom.1.tract.18.diff.10.n.3.* ita asserens. [Respondo que este lleva reverendas verdaderas, no obstante que las aya alcançado con causa falsa, y que si el Obispo lo supiera, no se las diera. Lo uno, porque al Obispo le incumbe el averiguar, si el patrimonio es verdadero ò no, como consta de aquellas palabras del Concilio, Eo quoque priùs perspecto patrimonium illud verè ab eis obtineri. Lo segundo, porque si bastara para incurrir la suspension ser fingido el patrimonio, tanbien bastara la falsa probança de buenas constumbres, y limpieza de linage, porque si el Obispo lo supiera, no diera las reverendas.] Hoc etiam docet Avila, vt suprà visum est *de cens. part.3. disp.5. dub.5. concl.1. ad 3.*

3. Sed quid dicendum de eo, qui patrimonio, aut donationi,

donationi sibi factæ renunciauit, antequam literas dimissoriales, vel Ordinem reciperet, & Gordonus *tom.2.lib.7.q.15. cap.12. §.6. num.24.* existimat, quòd si valida non est hæc renunciatio, non contrahi in hæc promotione suspensionem, quia reuera ex valido titulo omnia geruntur: si autem valet renunciatio, consequens est deesse titulum, & proinde contrahi censuram. Nauarr. *cap. 27. num.158.* iudicat renunciationem hanc (si fiat ante promotionem) esse inutilem, & minùs validam, ac proinde non contrahi censuram. Quod probabiliter defendi potest, quia tamen in dubium vocari potest valor renunciationis, ideo securius est absolutionem petere ab hac suspensione expressis causis, vna aut pluribus, pro vt illæ fuerint. Sed quia ego puto talem renunciationem esse inualidam, puto nullam absolutionem petendam esse.

RESOL. XLVIII.

Quidam Clericus in hac ciuitate suscepit Sacros Ordines cum patrimonio ficto, & per multos annos celebrauit, quæsiuit, an in ordinatione, ratione patrimonij ficti, incurrerit suspensionem, & postea celebrando irregularitatem? Ex p.2.tr.16. & Misc.2. Res.5.

§.1. DIfficilis sanè quæstio. Ponam opiniones DD. quam malueris elige. Affirmatiuam sententiam amplexi sunt. Nauar. *in manual.cap.27.num.158.* Sanch. *de matr.lib.6. disp. 32. num.8.* & præter alios, quos citat, & sequitur Bonac. *de Sacram. disp. 8. q. vnic.punct.5.num.34.* tenet hanc sententiam Comitol. *in resp.mor.lib.6 q.38.* Spino *in spec.testam. gl.18.n.75.* Filliuc. *tom.1.tract.17.c.5.num.89.* Ioan de la Cruz *in director.consc.p.2.tract.de sacram.Ordinis, dub.6.concl.2.* Scortia *in Pontif. consi. epit. 147. theorem. 149.* Valer. Reginal. *in praxi, tom.2.lib.32.tr.2.c.25 sect.3.num.72.* qui cum Suar. *in 3.p. tom.5. disp. 31. sect.1. num. 35.* putat talem clericum incurrere duas suspensiones, alteram, vt sine sufficienti titulo, alteram, vt sine proprij Episcopi facultate ordinatum. Ratio quare incurrat istam secundam suspensionem, adducitur à Reginald, & est, quia ordinatur sine literis dimissoriis. Nam Episcopus conferens huiusmodi literas, titulo patrimonij, non daret illas si sciret patrimonium esse fictum; ergo dictæ literæ sunt subreptitiæ, & per consequens censentur nullæ, & nullius effectus. Rationem verò, quare incurrat suspensionem propter patrimonium fictum, adducit Bonacina, quia Conc. Trid. *sess.21.cap.2. de reform.* videtur innouare canones antiquos contra eos, qui artibus, & fallaciis se fingunt habere idoneas facultates. Et canones sunt *cap. neminem, & cap. sanctorum 70. distinct.* in quibus definitur, esse suspensum, qui ordinatur sine beneficio, & patrimonio.

2. Mihi verò contraria sententia videtur probabilior, & idcò in praxi tutissima, quam docent Gonzalez *ad 8.reg.Cancell.gloss.5.§.10.num.25.* Homobon. *de exam.Eccles.p.2.tract.11.cap.10.quæst.12.* Flaminius *de resignat.benef.lib.2.quæst.6.num.18.* Tolet. *lib.1. cap.48. num.5.* Coninch. *de Sacram.disp.16.dub.5.num.38.* Garsias *de beneficiis tom.1.p.2.cap.5.num.20.& seq.* Squill. *de oblig.Cler.p.2.dub.4.* Piasecius *in praxi Episc.p.1.c.1. art.7.n.20.* Auila *de censuris p.3. disp.5.* Henriq. *lib.13. cap.37.num.2.& in gloss.litt.G,* refert pro ea multos, & graues Theologos, quos ipse consuluit, & Sayrus *de censuris lib.4. cap.14. num.16.* vbi asserit nimis rigidè, contrariam sententiam esse falsam, quia secundùm declarationem Congregationis Concilij, & vsum Pœnitentiariæ ordinatus sine titulo, non est suspensus, neque etiam Tridentinum innouat pœnam illam suspensionis in dicto *cap. neminem, & cap. sanctorum*, iure antiquo latam contra ordinatos, absque titulo, quæ pœna iam ante Tridentinum per alios Canones, scilicet illum *cap. Episcopus*, qui est Alexandri III. & alterum, qui est Innocentij III. *in cap. cùm secundum Apostolum, de præbendis*, sublata fuit, sed solùm innouat pœnas horum duorum Canonum resentium. *Episcopus, & cùm secundum Apostolum*, in quibus in pœnam ordinatoris statutum est, vt Episcopi, eos quos sine titulo, aut beneficio, de quo necessaria vitæ percipiant, ordinauerint, suis sumptibus alere teneantur, donec de beneficio eis prouiderint.

3. Ad argumentum Bonacinæ respondetur, intentionem Concilij solùm esse innouare pœnas antiquorum Canonum, qui non erant sublati, & correcti alio Canone; vnde antiqua suspensio nouo iure *cap. cùm secundum Apostolum*, sublata, non innouatur à Concilio; nec est audiendus Vasquez *in 3.p.tom 3. disp.246. cap.6.num.61* Bonacina, & alij contrarium sentientes, nam ita declarauit Congregatio Cardinalium his verbis, apud Piasecium *vbi sup.* Concilium renouat tantùm pœnas, *c.cùm secundum, extrà de præbendis*, in hoc capite.

4. Ad argumentum Reginaldi respondet Henriquez *vbi sup.* vbi ait: Qui ob fictum patrimonium initiatur, non incurrit aliam suspensionem latam contra eos, qui absque Reverendis proprij Episcopi initiantur, quamvis enim per fraudem, licentiam, & Reverendas obtineant, est tamen vera licentia. Hæc ille. Sup. hoc sup. ante med. §. 1. huius Res. & in alio §. ejus annot.

5. Nec obstat dicere, quòd obtinuisse reuerendas ex causa falsa, est idem quod non obtinuisse illas, quia vt notat Auila *loco citato*, Episcopus debet facere sufficientem diligentiam, vt cognoscat an patrimonium sit verum. Deinde si fictio patrimonij sufficeret ad incurrendam illam suspensionem, sufficeret etiam falsitas in probatione morum, & generis. Dicendum est igitur, supradictum Clericum ordinatum sine titulo, non fuisse suspensum, atque adeò celebrando non incurrisse irregularitatem.

6. Nec valet dicere, supradictum Clericum incurrisse in suspensionem ex Bulla Sixti V. contra Clericos malè promotos, vt notat Gonzal. *vbi sup.* Nam respondeo, illam constitutionem fuisse à Clem. VIII. redactam ad terminos juris communis, vt notauit Viuald. *in fine Candelabri*, & alij. Notandum est tamen, quòd etiam, stando in nostra sententia, taliter ordinatus potest puniri extraordinariè ab Episcopo, cùm à jure certa pœna sancita non sit, vt obseruat Gonzalez *num.32.* & forsan Episcopus illi necessaria denegare potest, cùm ipse in culpa non fuerit, sed deceptus ab ordinato.

RESOL. XLIX.

An qui recepit Ordines cum patrimonio ficto, incidat in suspensionem?

Ex quo infertur non incurrisse in suspensionem quendam Clericum, qui impetrauit à consanguineo patrimonium, ad cujus titulum ordinatus fuit, & promittens cum juramento, quod ante donationem retrodonauit.

Et an in aliquo casu possit Episcopus dispensare, vt quis ordinetur sine patrimonio, vt v. g. si sit doctus, & gradu insignis?

Et an ordinatus, v. g. ad Subdiaconatum sine titulo possit ascendere ad superiores ordines sine dispensatione? Ex p.5. tract.10. Res.50.

§.1. AFfirmativam sententiam docet Nauarr. *c.27. n.158.* Maiolus *de irregul.lib.14.cap.25.* Moscosus *in summ.tract.8. cap.2. num.9.* Medina *in summ. lib.1.* Sup. hoc sup. in Res.47. §.2. & in Res.48.

lib.1.cap.11.§.8. & alii; & ratio est, quia Concilium Trident. *sess.21.cap.2.de reform.* asserit quòd videatur, si patrimonium ordinandorum sit verum: & statim subjungit, *antiquorum Canonum pœnas super his innovando.* In quibus verbis videtur innovare Canones *in cap. neminem, & cap. sanctorum, dist.50.* in quibus dicitur esse suspensos qui ordinantur sine beneficio, aut patrimonio. Deinde Episcopus si hoc sciret, dimissorias eis non præberet: ergo incurrit suspensionem latam à Pio II. contra ordinatos sine literis dimissoriis. Idem etiam docent plures DD. quos citat & sequitur Bonac. *tom.3. disp.3.q.1. punct.8. n.3.*

2. Verum ego contrariam sententiam teneo, & illam præter multos alios tenet Coninch *de Sacram. disp.15. dub.5.num.38.* Turrian. *de cens.5.disp.46.d.1.* Avila *de cens.part.3 disp.5.dub.5.concl.1.* & Villalob *in sum.tom.1.tract.18.diffic.10.n.3.* ex quibus infert: [Que el que se ordeno de Subdiacono, y renunciò el patrimonio, y se ordenò de Evangelio, y Missa no queda suspenso, y es llano, porque aquella renunciacion no vale, como consta del Concilio Trid. y lo dixímos arriba. Lo segundo, que tanpoco està suspenso el que se ordenò à titulo de patrimonio, y mintio, diziendo que era suficiente, ni tanpoco el que devia otro tanto como el patrimonio à cuyo titulo se ordenò, en especial se contraxo las deudas, despues que tenia el patrimonio; porque segun el Concilio no se han de pagar estas deudas del patrimonio, que no se puede enagenar. Tanbien infiere que el que se ordena à titulo de patrimonio, el qual tiene en bienes muebles, no es suspenso, y lo tiene tanbien Navarro, aunque la mente del Concilio es, que el patrimonio sea en bienes rayzes. Item que tanpoco incurre suspension el que se ordenò à titulò de beneficio, del qual aun no tenia tomada la possession.] Ita ille, & novissimè Hurtadus *tract. de suspens. diffic.13. n.38.* ubi hæc ait, qui titulo ficto, aut ficto patrimonio, aut ficto beneficio, aut ficta pensione ordinatur, graviter peccat, sed non incurrit suspensionem, quia id nullo jure decernitur, quia Canon *neminem*, & Canon *sanctorum 70.dist.70.* ubi suspenduntur, qui ordinantur absque titulo, revocati sunt *cap. cùm secundum 16.de præbend.* ac proindè Trident. *sess.21.cap. de reform.* ubi requirens titulum ad Ordinem sacrum recipiendum, se remittit ad pœnas antiquorum Canonum contra eos, qui aliter ordinantur, non se remittit ad dictos Canones *neminem*, & *sanctorum*, vt potè revocatos per aliud jus ante Trident. sed ad alios Canones, nempe ad suprà citatos *de simonia*, & ad alios ubi puniuntur ordinationes factæ absque titulo, præsuppositis simoniacis pactis, aut eis æquivalentibus. Nec obstat dicere quòd obtinuisse Reverendas ex causa falsa, est idem quod non obtinuisse, illas; non, inquam, obstat, primo, quia ipsi Episcopo incumbit sufficientem facere informationem, quòd patrimonium est verum, ut ait Doctor Spino *in speculo testamentorum, glossa 18. n.78.* & colligitur ex Trid. *loco cit.* ibi, *Eo quoque priùs perspecto patrimonium illud verè ab eis obtineri.* Secundò, nam si fictio patrimonii sufficeret ad incurrendam illam suspensionem, etiam sufficeret falsitas in probatione morum & generis. Vnde ex his patet quòd ego olim rectè respondi, non incurrisse suspensionem quemdam Clericum, qui impetravit à consanguineo patrimonium, ad cujus titulum ordinatus fuit, & promittens cum juramento, quòd ante donationem retrodonabit. Et ita hanc sententiam docet Henriquez *lib.13.cap.37.n.2.* Fornarius *cap.8. n.8. de ordine.* Et alii apud Garsiam *de benefic.tom.2.part.2. cap.5. num.24. & seqq.*

3. An verò in aliquo casu possit Episcopus dispensare, ut quis ordinetur sine patrimonio; respondet Avila *ubi supra dub.16.* quod in casu raro potest, ut si sit vir doctus in Collegio, & gradu insignis, de hoc enim certum est, quod consequetur cathedram, vel præbendam, aut beneficium, & per consequens nulla est suspicio, quod mendicabit. Vnde Moscosus *in sum. tract.8. cap.2. num.10.* sic ait. [Verdad es, que es opinion de graves autores, que un Dotor de Alcala, o un Cathedratico de Salamanca puede ser ordenado sin beneficio, ni patrimonio, pues estan mas acomodados y son mas importantes por la Iglesia que otros con beneficios, y patrimonios.] Et hanc opinionem docet etiam Henriq. *in lib.13. cap.37.n.2. in glossa lit. O.* fuisse in praxi deductam. Sed aliqui asserunt contra hanc sententiam, ut ego alibi notavi, obstare declarationem sacræ Congregationis, & tenet Campanili *in divers. jur. can. rubr.8. cap.4. n.6.* Garzias *de benef. p.2. cap.5. num.128.* Barbosa *de potest. Episcop. p.2. alleg.19.num.725.* & alii. Sed an ordinatus, v.g. ad Subdiaconatum sine titulo, possit ascendere ad superiores Ordines sine dispensatione? vide Henriquez *libro 13. cap.37. num.2. in glossa litera P.* Gordonum *tom.2. lib.7. cap.12. num.23.* Avilam *de censur. part.3. disputat.5. dub.6.* & Turrianum *de cens. lib.5. disp.46. dub.1.*

Sup. hoc in duabus Ref. seqq. & in tom.6. tr.7. Ref.139. per tot. sigu. ter in §.Sed. & seq.

RESOL. L.

An Ordinatus cum patrimonio ficto, utpote donato, & post Ordines restituat donanti præter peccatum mortale, incurrat suspensionem; & teneatur postea illud restituere? Ex part.3. tract.4. Resol.183. aliàs 184.

§.1. HIc casus in praxi frequenter solet accidere, & peccare mortaliter, non est dubium. Sed difficultas est, an incurrat suspensionem, & teneatur restituere? Ego negativam sententiam teneo cum Ledesma *in sum.tom.1. de sacr. Ordinis, c.7.concl.6.diffic.3.* ubi sic asserit. [Este tal se ordena con verdadero titulo de patrimonio luego no esta suspenso, porque este tal por el concierto que hizo no queda obligado, y la promesa fue de ningun efecto, y fue como si no huviera prometido nada, por que fue contra derecho, y no puede ser obligatoria, luego con verdadero patrimonio se ordenò, y por consiguiente no queda suspenso, de lo qual se colige bien claramente, que no esta obligado à estar al concierto, y al pacto, que hizo de restituir el patrimonio.] Ita Ledesma, & post illum Villalobos *in summa tom.1. tract.11. diffic.15. n.10.*

2. Non reticeam tamen probabiliter contrariam sententiam docere Avilam *de cens. p.3. disp.5. dub.5. concl.3.* & Io. de la Cruz *in direct. conscient. p.2. de Sacram. Ordinis, dub.6. concl.2.* qui citat Cordubam, & Lopez, nam talis donatio fuit conditionalis, & licet fraudulenter, & verbo tenus facta sit, tamen in jure non est reprobata, & aliàs donator potuit conditionaliter donare, & Clericus sic admisit donationem, unde saltem in foro conscientiæ juxta intentionem donantis valet donatio. Igitur in tali casu ordinatus tenetur in conscientia restrodonare patrimonium ita conditionaliter donatum.

3. Sed ad hoc argumentum respondet Ledesma *ubi suprà.* [Que el que da el patrimonio mire lo que haze, porque una vez dado paraque se ordene, no lo puede dar con la tal condition, porque es contra derecho, y el que se ordena con el, no lo puede bolver con buena conscientia.]

4. Notandum cum Avila *ubi suprà*, & aliis, stando in secunda sententia, quod in foro conscientiæ teneatur sic ordinatus restituere illud patrimonium sic conditionaliter donatum, attamen in foro exteriori potest rescindi talis restrodonatio, & hoc in pœnam donatoris, quia voluit decipere Ecclesiam, & Episcopum.

RESOL.

RESOL. LI.

An si quis renunciavit patrimonium post susceptum Ordinem, incurrat suspensionem? Ex p. 5. tract. 10. Res. 57.

§. 1. AD hoc dubium libet mihi respondere cum verbis Turrian. *de censur. lib. 5. disp. 46. dub. 1.* ubi sic ait: Quæri potest an incurratur suspensio ipso jure, si post susceptum Ordinem fiat renunciatio rei donatæ? De hac materia specialiter Concil. Trident. *sess. 21. cap. 2.* prohibuit alienationes rei donatæ ad Ordines suscipiendos sine licentia Episcopi, donec habeat ordinatus alia bona, ex quibus vivere possit, & sine dubio violatio hujus præcepti ex objecto peccatum est grave, sed non video suspensionem imponi esse propter tale peccatum. Ita Turrianus cui adde Gordonum *tom. 2. lib. 7. quæst. 15. cap. 12. §. 6. n. 24. in fine.*

RESOL. LII.

An Ordinatus sine titulo cum sola fidejussione alimentorum sit suspensus? Ex p. 5. tract. 10. Res. 48.

§. 1. RESpondeo negativè, quia causa legis condendæ & mens legislatoris est attendenda, vt patet *ex l. nominis tui, ff. de verb. signif.* & docet Parisius *vol. 3. cons. 16. num. 20. 21. & 22.* quia mens & anima ipsius legis est ratio, quæ ubicumque habet locum, ubi locum habet legis dispositio, etiam quod esset contra jus commune, *ex l. à Titio, ff. de verb. signif.* Sed mens & causa finalis, ob quam dispositio Concilii Trid. *sess. 21. cap. 2.* cavet ne dentur Ordines sacri non habentibus beneficium, vel pensionem, aut patrimonium, ea fuit, ne Clerici mendicent: ergo quoties providetur vt fit cum fidejussione alimentorum mendicitati hujusmodi, satisfactum est menti, & causæ finali legis, & consequenter dispositioni, & ideò sic ordinatus non incurrit suspensionem. Ita Grilenzonius *cons. 14.* per totum.

RESOL. LIII.

An ignoranter promittens Episcopo ab eo alimenta non petiturus, si ordinetur absque titulo, incurrat suspensionem?
Et quid de Episcopo in prædicto casu?
Et docetur in prædicto casu non excusari ignorantiam juris. Ex p. 5. tract. 10. Res. 54.

§. 1. RESpondeo quòd *cap. pen. de simon.* qui ordinat aliquem accepta ab eo promissione, aut juramento, quòd non petet ab eo beneficium, aut alimenta: item cum tali promissione eum præsentans ad Ordinem, suspenduntur per triennium, ille à collatione, hic ab executione Ordinum: ordinatus verò ab Ordine sic suscepto, donec à Papa absolvatur, quod *cap. per tuas nobis 37. eodem tit.* extenditur ad eum, qui nesciebat id esse illicitum. Sed hoc intelligendum quoad forum externum, in quo præsumitur deliquisse, ut Suarez *disp. 31. sect. 1. num. 34.* & Coninch *de Sacram. disp. 16. dub. 5. num. 37.* observant, quibus etiam adde Hurtadum *tract. de susp. disc. 13. num. 37.* Vnde sic est intelligendus Gordonus *tom. 2. lib. 7. quæst. 15. §. 6. cap. 12. num. 13.* asserens in tali casu non excusari ignorationem juris: est, inquam intelligendus quoad forum exterius, non autem interius.

RESOL. LIV.

An qui fuit Ordinatus, ipso nesciente per munera, incurrat suspensionem, si postea hoc ratum habeat? Ex part. 5. tract. 10. Res. 56.

§. 1. AFfirmativam sententiam tenet Avila *de cens. part. 3. disp. 5. dub. 9. concl. 2.* ex Div. Thom. *in 2. 2. quæst. 100. artic. ultim. ad 3.* ubi etiam loquens de promissione facta ab inimico fraudulenter (quo casu secundùm omnes non incurritur suspensio) addit Div. Thom. nisi fortè postmodum pacto consenserit, solvendo quod fuit promissum, & confirmatur; nam licèt ille, qui non ratificando pactam solvit pecuniam se ignorante promissam ab amico, ne amicus patiatur hanc jacturam, non incurrit simoniæ pœnas ut tradit Navarr. *cons. 10. de simonia num. 7.* at verò si ratificat, & solvit, incurrit, vt efficaciter probat Navarr. *ibidem*, idémque tenet glossa *cap. penult. de elect. ver. ratum non habente*, ubi dicit, *Aliàs si postea consentiret, idem esset ac si ab initio procurasset.*

Sup. hoc lege doctr. Res. seq & alterius §. ejus primæ annot.

2. Verùm ego negativæ sententiæ adhæreo cum Henriquez *lib. 13. cap. 37. n. 2. in glossa lit. E.* quia vt aliena simonia non impedit veram receptionem Ordinum, ita neque executionem illius, quando inculpatè recipitur. Imò plus addit Henriquez, nempe non incurrere suspensionem, vel irregularitatem ex eo, quòd post ordinationem sciens amicum ejus nomine promisisse, aut dedisse amico, hic enim quamvis ex prava intentione peccaret, non fit suspensus, quando nullo externo signo induxerit amicum, ut esset causa simoniacæ ordinationis, & nostram sententiam tenet etiam Bonacina *de censuris, disp. 3. punct. 5. §. 1. num. 9.* ubi sic ait: Recipiens Ordines simoniacè, sed bona fide & ignoranter, non incurrit suspensionem: cùm ignorantia excuset à censuris, vt accidit quando pater ipso ignorante dedit Episcopo pecuniam, ut filio conferret Ordines, & hoc verum videtur, quamvis ille, qui ignoranter ordinatus est per simoniam, ratificet postea promissionem factam ab amico, nam ratihabitio non comparatur mandato in pœnis, nisi in jure exprimatur. Ita ille, & ego.

RESOL. LV.

An qui ignoranter Ordinatus fuit simoniacè, si solvat amico pecuniam datam, incurrat suspensionem, & quid de beneficio similiter obtento? Ex part. 11. tract. 5. & Misc. 5. Resol. 16.

§. 1. QVoad primum dubium libet mihi respondere cum verbis Stephani Baunij *in præx. beneficiorum disput. 16. quæst. 62. dub. 6.* sic asserentis: An autem hæc illum pœna similiter stringat, cum eodem ignaro ac nesciente, Episcopo pecunia est data, vt eum in ordinatorum numerum referret? idem non fuit olim omnium Doctorum judicium. Pro affirmante fecere Summistæ veteres ferè omnes Sylv. Armilla, Angelus *verb. simonia, & suspensio.*

Sup. hoc lege doctr. Res. præterita, & ex Res. not. seq. §. Quod de eo, ad lin. 2.

2. Pro negativa cæteri, causam ita affirmandi habuere unicam, sed firmam, quia æquitatem pro fundamento, pro ratione justissimam Papæ voluntatem habet. Enim verò scribit Bonifacius Papa VIII. nolle se sententiis per statuta quorumcumque ordinariorum prolatis, ligari ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina *cap. vt animarum, de constit. in 6.* ignorantem ergo sua causa factam esse simoniam,

eorum qui scientes peccent, pœna propria non afficit.

3. Confirmatur. Cum Pontifex æquitatem tueatur, servétque in jubendo, sic ejus mandata capi debent, vt ea sicut ratio largitur, interpretationis benignitate temperemus. Quare cùm quidpiam secus quàm tenerat, per inscitiam fit, aut necessitatem aliquam gravem; id non debet pœnæ transgressoribus positæ subesse, quia non est tum improbabile, eum ejusmodi temporibus concedere, vt à præscriptione verborum & lege discedi possit. Deinde quis credat velle eum, vt pœnis earúmque acerbitate teneatur, qui in legem non commisit? At qui ignorans facit quod illa vetat, ejus violatæ propriè non est reus, quam hæc ergo sui transgressori pœnam infligit, sustinere non debet.

4. Quid si postea amico pecuniam, quam ille Episcopo sua causa est largitus, rependat? Si id charitate inductus facit, nempe ne amicus doleat, ne rei pro se ordinatori datæ carentia damnum ferat, ne ingratus non reddendo dicatur, & audiat, pro certo habeo, à conscientiæ æquitatísque lege impetrari posse, vt ei restituatur integra sine crimine. Quod si è contra non amicitiæ, non gratitudinis servandæ legem habet objectam oculis, sed quidpiam aliud, si quod ista exigit, non referre gratiam, párque acceptis reddere satagit, sed factam causa sua simoniam, restitutione numeratæ pro se pecuniæ approbare, vt tunc labes in illum istiusmodi culpæ cadit, ita & quæ illam pœnæ consequuntur, in caput suum, certúmque arcessit salutis suæ ac honoris interitum: ita Navarrus & alii. Hucusque Baunius: cui adde Castrum Palaum *tom.3. tractat.13. cap.3. quæstione 24. num.3.*

Sup. hoc inf. in tr.7. lege latam doctrinam res. 32. per tot. & alterius §. ejus annot.

5. Sed an idem dicendum sit quoad illum qui beneficium ignoranter simoniacè adeptus est, quia amicus pecuniam collatori dedit? affirmativè respondet sapientissimus Lessius *lib.2. de just. cap.35. dub.25. num.144.* ubi sic ait: In hoc tamen casu difficultas est; utrum si post obtentum beneficium consentias, solvendo pecuniam per alium promissam, vel refundendo solutam, tenearis resignare beneficium, & restituere fructus perceptos?

6. Ad quam respondendum, si non consentias in factum, alterius ratum habendo contractum, seu promissionem simoniacam amici, sed solum ex amicitia solvas id, quod ipse amore tui dedit vel promisit; ne videlicet ipse tua causa damnum sentiat, non teneris restituere, imò nec peccas; ut rectè Navarrus *libro 5. consil.10. de simonia* probat; illud enim solvere ex amicitia, ne amicus gravetur, non est malum, neque est approbare factum amici: sicut parens solvendo debita filii, quæ ipse malè contraxit, non approbat facta illa, quibus contraxit; sed id facit ex amore filii, ne ipse infamis habeatur. Si verò consentias approbando factum amici, jam incurris simoniam, & teneris resignare beneficium, & fructus restituere; juxta Div. Thomam *artic.6. ad 3.* qui id colligit *ex dicto cap. sicut tuis.* Idem sentit Panormit. & insinuat Navarrus *suprà.*

7. Contrarium tamen, id est, quod non teneatur etiam in hoc casu resignare, docet Adrianus *quodlib.9. artic.3. littera C*, Ratio est, quia illa ratificatio; quæ fit post legitimam collationem, & jus acquisitum, non potest eam inficere, aut simoniacam efficere. *Sicut* (inquit) *si quis pro beneficio sibi gratis collato postea animo mercimoniali pecuniam solveret, non inficeretur, nec irrita redderetur prior collatio legitimè facta.* Idem tenet Tancredus, vt refert Gloss. *in dict. cap. sicut.* Nec obstat ratihabitionem retrotrahi, & mandato comparari *reg.10. in 6.* quia id intelligendum in iis, quæ pendent à sensu ratificantis, non autem quæ antea absolutè & plenè perfecta. Similiter non officit *dictum cap. sicut*, ubi sic habetur; *Ex eo, quod contra prohibitionem, & voluntatem tuam (à qua postmodum minimè recessisti) aliquis te penitus ignorante, pecuniam promisit & exolvit, nihil debet tibi ad pœnam, vel culpam imputari, nisi postea consenseris pecuniam solvendo promissam, aut reddendo solutam*; quia hinc nihil aliud sequitur, quàm aliquid debere tibi in culpam vel pœnam imputari, si consenseris in factum alterius. *In pœnam, vel culpam*, inquit, non autem *in pœnam & culpam*; & quamvis diceret *in pœnam & culpam*, non tamen inde sequitur collationem, vel confirmationem priorem fuisse irritam, aut beneficium debere dimitti: potest enim intelligi de pœna ferenda. Hæc sententia videtur mihi valdè probabilis. Fateor tamen talem mereri privari per sententiam causa cognita. Et hæc omnia docet Lessius *ubi suprà* quæ valdè notanda sunt, possunt enim in praxi facilius occurrere, & de hac difficultate à me etiam alibi dictum est. Vide tamen Castrum Palaum *ubi sup. punct.25. num.3.* Alibi tom. tr. 3. q. 3. in 3. punct.

RESOL. LVI.

An, si quis suscipiat duos Ordines majores eodem die incurrat ipso facto suspensionem?

Idem dicendum est, si suscipiat eodem die minores Ordines cum Subdiaconatu.

Et an hoc intelligatur, non solum quando quis sumeret duos Ordines eodem die naturali, sed etiam eodem die juris fictione Canonica?

Et an Episcopus possit simul Ordines minores cum Subdiaconatu conferre, ubi viguerit de hoc Consuetudo ante Concilium Tridentinum? Ex p.5. tract.10. Resol.36.

§.1. AFfirmativam sententiam docet ex Navarro Turrianus *de cens. lib.5. disputat.46. dub.1.* ubi sic ait. Prædicta suspensio sumitur *ex cap. literas, de tempore ordin.* circa quod caput dubitati solet an ibi sit lata ipso facto suspensio, vel imponatur ferenda? Et communis sensus videtur asserentium esse suspensionem latam. Ita ille, qui hoc intelligit non solùm quando quis sumeret duos Ordines eadem die naturali, sed etiam eadem die juris fictione canonica, v. g. prohibitum est die Sabbati unum Ordinem suscipere, & alium die Dominico matutino tempore, etiam servato jejunio Sabbati; talis enim dicitur unus dies juris fictione, & sumitur ex Leone Papa *epist.79. capite 1.* & habetur *cap. quod à Patribus 75. dist.* & hoc etiam docet Bonacina *de censuris disputatione 3. punct.1. §.1. numero 4.* si suscipiat * eodem die minores Ordines, cum Subdiaconatu.

* Sed de hoc tom. 3. tr. 3. de Ref. q. 3. punct. 3. num. 2. vide.

2. Verùm contrariam sententiam securam esse docet Suarez *de disputat. 31. sect.1. num.41.* & idem docet Villalob. *in sum. tom.1. tract.18. diffic.11. num.7.* ubi sic asserit. [El que se ordenasse de dos Ordenes sacros en un dia, tiene pena de suspension, como consta de un texto en aquellas palabras, ab executione officii sacerdotalis tamdiu volumus manere suspensum, donec de illo aliter disponamus, y dudan los Dotores si estas palabras contienen suspension ipso jure, o solamente ferenda, lo qual dexò en duda Parnorm. Navar. y dize, que es ipso jure, y la llama irregularidad en otra parte, y Suarez dize, que es sola censura ferenda, cuya opinion se puede seguir en pratica.] Hæc ille.

3. Notandum

3. Notandum est etiam hîc obiter contra Venerum *in Exam. Episc. lib. 1. cap. 18. n. 13.* Majolum *de Irreg. lib. 4. cap. 11. num. 1.* Menochium *cas. 564. de arbitr. n. 8.* & alios, quòd Ordines minores cum Subdiaconatu poterit Episcopus simul conferre, ubi vigeret de hoc consuetudo ante Concil. Trid. Ita Villalobos *tom. 1. tract. 11. diffic. 12. à n. 3.* Hieron. Rodriquez *in compen. qq. reg. resol. 106. n. 21.* Alzedus *in praxi Episcop. p. 2. cap. 5. n. 24.* Guttierrez *in qq. Can. lib. 1. cap. 26. n. 31. & 32.* Valasc. *in allegat. 4. num. 2.* & alii.

RESOL. LVII.

Quidam relictis Ordinibus minoribus Subdiaconatum recepit, quæritur, an suspensionem incurrerit, & inhabilitatem ad alios suscipiendos, & irregularitatem, si ministret in Ordine suscepto? Ex p. 5. tr. 10. Res. 47.

§. 1. VIdetur respondendum quòd sic, ut ego alibi probavi; nam pœnas impositas illis, qui ordinantur per saltum, dicunt Doctores, esse suspensionem ad non exercendum Ordinem susceptum, & inhabilitatem ad alios suscipiendos, & irregularitatem, si ministrent in Ordine suscepto: ergo talis in prædictas pœnas incurrisse dicendus est.

2. Sed contrarium probabiliter sustineri potest. Favet huic dicto Navarrus *consil. 18. de sentent. excom. à num. 11. usque ad 15.* ubi ait, quòd recipiens Ordines minores existens excommunicatus, non incurrit irregularitatem ad alios recipiendos. Quod probat primò, quia jura loquentia de malè promotis, quæ ibi citat, loquuntur solùm de malè promotis ad Ordines sacros, non verò de malè promotis ad Ordines minores. Secundò, quia minus peccant isti, quàm illi. Tertiò, quia juxta opinionem multorum satis probabilem, quos ibi citat, Ordines minores non sunt sacramenta, sed sacramentalia, & proinde non est eadem ratio puniendi promotos per saltum in Ordinibus minoribus, ac in majoribus. Quartò, quia Bulla Pii II. puniens ordinatos ante legitimam ætatem, vel extra tempora, vel sine literis dimissoriis, non punit sic ordinatos in minoribus, sed in majoribus Ordinibus. Quod ipsum ego colligo ex duobus textibus loquentibus de promotis per saltum. Primus est *in cap. solicitudo, dist. 52.* qui solùm loquitur de illo, qui suscepit Ordinem Diaconi & Presbyteri, omisso Ordine Subdiaconi. Secundus textus est *in cap. unico, de Clerico promoto per saltum*, qui solùm loquitur de Subdiacono, qui omisso Ordine Diaconi recepit Ordinem Sacerdotis, & nullus ex his loquitur de saltu in Ordinibus minoribus; unde videtur, quòd accipere majores, omissis minoribus, non sit propriè ordinari per saltum, maximè quia pœnæ sunt restringendæ, idque præcipuè quando militat diversa ratio, ut hîc militat, juxta Navarrum, quia scilicet Ordines minores non sunt sacramenta, & circa illorum omissionem committatur minus peccatum. Semper tamen dico hunc peccasse gravissimè, & teneri ad suscipiendos Ordines minores. Hæc Portel *in respons. part. 3. cas. 41. quæst. 2. num. 3.*

RESOL. LVIII.

An Ordinatus per saltum incurrat ipso facto suspensionem?

Et quamvis promotus per saltum sit impeditus ad Superiores Ordines suscipiendos, an hoc impedimentum sit irregularitas & si irregularitas sit, an illam Confessarius approbatus possit per Bullam dispensare?

Et an cum promoto per saltum possit Episcopus dispensare, ut prætermissum Ordinem suscipiat, & in Ordine malè suscepto ministret, & ad superiores ascendat?

Et an Episcopus possit dispensare etiam post administrationem in malè suscepto Ordine, si administratio fuit ex ignorantia?

Et tandem quæritur, an hæc suspensio tolli possit per Bullam Cruciatæ? Ex part. 5. tract. 10. Resol. 27.

§. 1. ESse talem suspensum ipso jure ab Ordinis sic suscepti administratione, tradit Hostiensis & Panormitanus *in cap. un. de Cler. per saltum promoto.* Cornejo *in 3. part. tract. 5. de suspens. disp. 4. cas. 4.* Navarrus *cap. 27. n. 242. ver. sexto.* Martinus de Ledesma *2. 4. quæst. 26. art. 2. de irregul. pag. 366.* Sotus *in 4. distinct. 25. quæst. 1. art. 4. post conclus. 4. §. Tertius.* Sebast. Medices *part. 2. titul. 9. quæst. 35. vers. 7.* Vivald. *de suspen. num. 48.* Summa Corona *tract. de irregularit. num. 19. vers. Tertiò.* Philiarchus *de offic. Sacerd. lib. 4. c. 12. n. 5.* Zerola *in praxi Episcop. part. 1. ver. dimissoria §. 3. & 4.* Majolus *lib. 4. c. 12. num. 1.* Sayrus *in thesaur. lib. 7. c. 10. num. 39.* Henriquez *lib. 6. de irregular. cap. 13. n. 5. & lib. 14. c. 6. num. 3.* Toletus *lib. 1. summæ, cap. 50. num. 17.* Valentia *tom. 4. disp. 7. quæst. 19. punct. 3. §. 5.* Suarez *de cens. disp. 31. sect. 1. dub. 2. concl. 2.* Probatur hæc opinio *ex cap. sollicitudo, dist. 52. ex cap. un. ubi suprà*, & ex Concilio Trident. *sess. 23. cap. 14. de reformat.*

2. Non desinam tamen hîc adnotare cum Acugna *in Decreto Gratiani, part. 1. distinct. 51. c. 1. num. 9.* contrariam sententiam esse probabilem, scilicet talem non esse ipso jure suspensum ab Ordine malè sumpto, sed suspendendum; tenent hîc Archidiaconus Geminianus Præpos. & Turrecrem. Innocent. *in cap. si celebrat. de Cleric. excommun. ministr.* Angel. *ver. Irregularitas, num. 36.* Tabiena *ver. Irregularitas 4. §. 2. concl. 5.* Armilla *ver. Irregularitas num. 68.* Fundatur, quia ex nullo textu talis suspensio ipso jure colligitur ut benè expendit Suarez *d. disp. 31. sect. 1. n. 44.* licèt ipse affirmativam sententiam teneat.

3. Notandum secundò, quòd licet promotus per saltum sit impeditus ad superiores Ordines suscipiendos, hoc impedimentum non est irregularitas. Ita ego * alibi, & expressè Avila *de cens. part. 7. disputat. 9. sect. 1. dub. 2. concl. 1.* & si irregularitas esset, illam secundùm Ludovicum à San Iuan *in sum. de Sacrament. Ordin. q. 2. art. 5. dub. 11. diffic. 6. concl. 3.* posset Confessarius approbatus per Cruciatam dispensare.

4. Notandum tertiò contra Zerolam *in praxi part. 2. ver. Irregularitas, dub. 3.* quòd cum sic promoto per saltum potest Episcopus dispensare, ut prætermissum Ordinem suscipiat, & ut in Ordine malè suscepto ministret, & ad superiores ascendat, quamvis delictum sit publicum, dummodò talis in malè suscepto Ordine, vel in prætermisso non ministraverit ante dispensationem: quia tunc jam fit irregularis. Et ita docet Majolus *lib. 4. de irreg. cap. 12. n. 2.* Navart. *in Man. cap. 25. n. 71.* Emanuël Rodriquez *2. p. summ. cap. 17. num. 9.* Sayrus *lib. 5. cap. 14. num. 26. & 29.* Henriquez *lib. 14. cap. 6. num. 3.* Suarez *de cens. disputat. 31. section. 1. numer. 51.* Avila *de cens. part. 7. disputat. 9. sect. 1. dub. 2. §. Sequitur Secundò.* Fundamentum est, quia Tridentinum ita concessit cum hac limitatione Episcopis *sess. 23. de reform. cap. 14.* Ampliat hanc doctrinam Navarri, ut possit Episcopus dispensare etiam post administrationem in malè suscepto, si administratio fuit ex ignorantia, cum quo sentit Toletus *in sum. lib. 1. cap. 50. num. 17.* citans pro se Panormitanum & gloss. *hîc & c. pastoralis, de Sacram. non iteran.* Sed dicendum nunquam Episcopum dispensare posse, ubi talis fuit administratio, quæ irregularitatem induxerit, ita Doctores pro conclusione citati & specialiter Suarez *num. 52.* Tolet. *ubi proximè num. 18.* quamvis dicat probabile esse posse Episcopum cum administrante scienter in

* Alibi in tom. 4. tr. 3. Res. 130. &c. & lege §. not. seq. hujus Res.

Sup. hoc in tom. 4. tr. 3. Res. 132. §. Idem, &c. & hoc lege Resol. not. 1. post seq.

Sup hoc in Ref. seq. curasim ad n. 3.

Sup. hoc infrà in Res. 60. & lege §. not. 1. hujus not.

Ordine malè susceptо dispensare, procul sequuntur Geminianus, & Præpositus *hic*, & Hostiensis, & hanc sententiam docet etiam Riccius *part.4. decis.108. num.3.* Et tandem notandum quartò hanc suspensionem tolli per Bullam Cruc. ita Granadus *in 3. part. tract. 5. de suspens. disputatione 4. cas.4. quæst.2.*

Sup. hoc ibidem §. ult.

Sup. hoc notandо in to. 4. tr.3 Resol. 128. & 129. & in aliis earum primarum notationum.

RESOL. LIX.

An Ordinatus per saltum sit suspensus ab Ordinibus, quos legitimè suscepit?

Et an administrando in Ordine, quem per saltum suscepit, efficiatur irregularis? Ex p.5. tract.10.Resol.28.

Sup hac ministratione in Resp. præterita, § ult. ad lin. 7.

§.1. REspondeo ordinatum per saltum esse suspensum tantùm ab Ordine, quem per saltum suscepit, & ita ministrando effici irregularem, non autem ab usu Ordinum inferiorum, quos legitimè susceperat, tenent Henriquez *in summ. lib.14. cap.6. §.3.* Aloysius Riccius *in praxi rerum fori Eccles. decis.318. in 1.edit.* aliàs *resol.276.n.2. in 2.editione*, & in in decisione Curiæ Arch. Neapolit. *part 4. decis.150. num.8.* Mar. Alter. *d.cap.5. ver.hac suppositа.* Bonacina *de suspens. in particulari, disp.3. q.1. punct 2. n.10.* Avila *de cens. part.7. disput.9. sect.5. dub.2. conclus.2.* Suar. *de cens.disp.31.sect.1.num.42.* unde non est audiendus Navarrus *cap.27. n.242.* & Majolus *de irregular. lib.4. cap.12.* contrarium docentes.

RESOL. LX.

An qui ministrat in Ordinibus per saltum susceptis, indigeat Apostolica dispensatione, vel sufficiat Episcopalis?

Et an hoc etiam procedat non solùm in majoribus, sed etiam in minoribus Ordinibus?

Et an Episcopus possit dispensare cum ministrante publicè, & scienter in malè susceptо Ordine, ut prætermissum suscipiat, & in malè susceptо ministret? Ex p.5. tr.59. Resol.29.

Sup.hoc sup. in Resol.58. §. ult. post med. à vers. Sed dicendum, & lege etiam Resol. & §. not.1. dicti §. ult.

§.1. APostolica indigere dispensatione docet Suarez *de censur. disp.31.sect.1. num.52.* ubi negat Episcopum posse dispensare cum ministrante in malè susceptо Ordine, ut in ipso post susceptum prætermissum ministret, & huic sententiæ ego adhæreo, & idem docet Barbosa *de potestate Episc. part.2. alleg.47.num.10.* Majolus *de irregular. lib.4. cap.12.n.2.* Salzedus *ad Bernard. cap.44. lit.D.* Sayrus *de censur. lib.4. cap.14.num.26.* Alter. *d. cap.5. vers. hoc in loco.* Filliucius *tom.1. tract.17.cap.5.num.92.* Riccius *in decis. Cur. Archiepisc. Neapolit.decis.150.num.5.punct.4.* Homobonus *de examine Eccles.tract.12.cap.13.q.15. resol.5.* Bonacina *de suspens.in part....disput.3. quæst.1. punct.2. n.12.* & hanc sententiam procedere non solùm in majoribus, sed etiam in minoribus Ordinibus, ex sacra Congregatione docet Riccius *part.4. decis.198. num.4.* & Campanili *in divers. jur. Can. rub.10. capite un. num.6.*

Sup. his magis latè sup. in Resol.57.

Sup contrо in hoc §. cursim in §. & vers.Resol. annot 1. hujus Resol.

2. Verum non desinam hîc adnotare doctum Acugnam contrarium docere *in Decretum Gratiani, part.1. dist.52.cap.1.num.13.* ubi sic ait: Dico sextò, Episcopus potest dispensare cum ministrante publicè & scienter ante dispensationem in malè susceptо Ordine, ut prætermissum suscipiat, & in malè susceptо ministret. Fundamentum est, quia Episcopus solùm non potest dispensare cum malè promoto ministrante in taliter susceptо Ordine, ut ad Superiores possit ascendere, cùm id tantùm ipsi prohibeat Trid. *dict. sess.25.c.14. de reform.* Ita Acugna.

RESOL. LXI.

An qui durante matrimonio ignoranter suscepit Ordines, incurrat suspensionem?

Et aliqua alia docentur circa præsentem quæstionem, pro durante, & soluto matrimonio. Ex p.5.tr.10.Resol.59.

§.1. REspondeo quod suspensio incurritur ab eo qui durante matrimonio etiam non consummato præsumit suscipere sacros Ordines extra casus à jure concessos. Ita *Extravag. antique*, Ioannis XXII. *de voto.*

2. Notandum est ad hanc censuram incurrendam requiri præsumptionem; unde qui solùm ex ignorantia procedit, licèt crassa, vel supina, non suspenditur, & soluto matrimonio potest in Ordinibus ministrare, si nullum aliud intercedat impedimentum, & multo magis si bona fide processerit: durante tamen matrimonio nó potest: si præsumpserit Ordinem suscipere, non potest in eo ministrare etiá soluto matrimonio, nec potest ad alium ascendere, vel promoveri ad officium, vel beneficium Ecclesiasticum, & nisi talis profiteatur in Religione approbata, solus Pontifex potest eum absolvere, ut *Extravag. cit.* Si profiteatur, potest Diœcesanus dispensare, ut *ibidem* habetur. Et hæc omnia docet Præpos. *in 3.p. quæst.3. de suspens.dub.5. num.40.* Vnde ego olim sine aliqua dispensatione celebrare feci post mortem uxoris quemdam sic ordinatum, qui bona fide Ordinem susceperat, credens conjugem esse mortuam.

RESOL. LXII.

An Sacerdos assistens matrimonio clandestino incurrat post Concilium Tridentinum suspensionem triennalem, de qua in cap. ult. §. final. de clandest. desponsat.

Et an suspensus ab officio, quia interfuit matrimonio clandestino, non sit suspensus à beneficio?

Et notatur, quod vigore Concilii sess 24. cap.1. de mattim. qui ausus fuerit matrimonialiter conjungere, aut benedicere alienos Parochianos, absque licentia proprii Parochi, ipso jure suspensus manet.

Et an in hoc casu cesset pœna excommunicationis contra Religiosos matrimonia solemnizantes, secundum Declarationem Cardinalium? Ex p.5. tract.10.Resol.33.

§.1. POEnam suspensionis triennalis ab officio, non tamen ipso facto impositam *in d. cap.Parocho*, vel alii Sacerdoti assistenti matrimonio clandestino sine aliis testibus non esse sublatam per Concilii Tridentini decretum *sess.24. cap.1. de matrimonio*; sed præterea licere Episcopis in illos alia pœna arbitraria animadvertere tradunt Coninch *de Sacram. disp.27.dub.10.num.84.* Alterius *de cens.tom.2. disp.11. cap.5.* Barbosa *de potest.Episc.part.2.allegat.32.n.162.* Majolus *de irregular. lib.3. cap.23. num.16.* Ledesma *in summ. tom.1. de Sacram. matrimon. cap.6. concl.4. dub.16.* & alii.

Sup. hoc §. quæst.1. in fine.

2. Verum Sanchez *tom.1. lib.3. disput.48. num.4.* contrariam sententiam docet, cui ego libenter adhæreo cum Hurtado *de matrim. disput.5. diffic.17. n.55.* asserente dictam suspensionem triennalem cessasse, quia rationi conforme est, ut quando lege nova imponitur mitior pœna, quam erat imposita lege anteriori, cesset antiqua, præsertim quando tempore legis novæ delictum sit factum minus perniciosum Reipublicæ Ergo per pœnam arbitrariam impositam novа lege Trid. cessat antiqua suspensionis triennalis, quia

quia illa arbitraria est mitior, & post Decretum Trident. matrimonium sic factum, utpotè nullum, est minus pernicioſum Reip. quàm antea, quando validum manebat.

3. Nota etiam hîc unum valdè obſervandum, quòd in Concil. Trid. *ubi ſup.* ſtatuitur, vt Parochus, aut alius Sacerdos adhuc Regularis, qui ausus fuerit matrimonialiter conjungere, aut benedicere alienos Parochianos abſque licentia Parochi proprii ipſo jure ſuſpenſus maneat, donec ab Ordinario Parochi, ad quem id pertinebat, abſolvatur, ac proinde ob rationem ſupradictam corrigitur, & ceſſat pœna excommunicationis contra Religioſos matrimonia ſolemnizantes, lata *in Clem. 1. de priv.* quòd declaravit Congregatio Cardinalium, cujus declaratio apertè favet noſtræ doctrinæ de ceſſatione ſuſpenſionis triennalis. Et hæc omnia docet Hurtad. *loc. cit. num.* 16.

4. Notandum eſt etiam hîc obiter, quòd ſtando in prima opinione, ſuſpenſum ab officio, quia interfuit matrimonio clandeſtino, non eſſe ſuſpenſum à beneficio, quia *dict. c. ult.* ſolùm mandat eſſe ſuſpendendum ab officio, & ita docet Alter. *loc. cit.* & Barb. *n.* 165.

RESOL. LXIII.

An Clericus ſuſpenſus ab Officiis Divinis, ſi illa audiat, peccet, ſed non incurrat irregularitatem? Ex part. 5. tract. 10. Reſol. 12.

§. 1. AFfirmativam ſententiam tenet Sylveſt. *ver. ſuſpenſio, q. 5. ver. ſi verò ſuſpenſio,* & alii apud Sayr, *lib. 4. cap. 5. num.* 26.

2. Sed ego puto ſi Clericus ſuſpenſus à divinis Officiis, illis tanquam laïcus aſſiſtat, non ſolùm irregularitatem non incurrere, ſed neque peccatum admittere, quia hoc non facit officio, & ita docet Filliuc. *tom. 1. tract. 17. cap. 2. n.* 33. & alii.

RESOL. LXIV.

An venatio ſit Clericis licita, quia in cap. 1. de Cleric. venat. *Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis, prohibitum eſt ſub pœna ſuſpenſionis?*

Et an, ſi tamen raro fiat cauſa recreationis, non ſit peccatum, & ſecus ſi frequenter fiat? Ex p. 3. tract. 6. & Miſc. 2. Reſ. 19.

§. 1. AD hoc quæſitum negativè reſpondet Ioan. Franciſcus Suar. *in Enchirid. caſuum conſcientiæ, lib. 2. §. Clericus*, ubi ſic ait: Venatio ſine ſtrepitu etiam Prælato eſt licita cauſa recreationis, etiam cum canibus, modeſtè. Panor. *in cap. 1. de Cler. venat.* Hoc tamen dictum videtur contra *d. cap. 1.* ubi Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis prohibitum eſt ſub pœna ſuſpenſionis, ne canes, aut accipitres ad venandum habeant; & *cap. 2. eodem tit.* interdicuntur venationes, & ſylvaticæ vagationes cum canibus. Idem habetur *cap. 1. ne Cler. vel mon.* Ita Suar.

2. Sed ego puto cum Panormitano, venationem Clericis recreationis cauſa non eſſe prohibitam, dummodo non ſit omnino clamoroſa, ſed modeſta, nempe cum retibus, vel laqueis, atque etiam cum aliquibus canibus. Imò ſi eſſet omnino clamoroſa, ſi tamen rarò fiat cauſa recreationis, non eſſe peccatum mortale exiſtimo, ſecus autem ſi frequens. Et ita docet Valer. *in differentiis utriuſque fori, ver. peccatum, differ. 20.* Rebell. *lib. 1. quæſt. 14. n.* 10. & alii.

RESOL. LXV.

An Clericus utens veſtibus prohibitis incurrat ſuſpenſionem? Ex part. 5. tract. 10. Reſol. 51.

§. 1. AFfirmativam ſententiam docet *ex c. 2. de vitâ & honeſt. Cler.* Cornejo *in 3. p. tract. 5. de ſuſp. diſp. 4. caſ. 13.* Idem docet *ex Clem. 2. eod. tit.* Mercerus *de Sacr. in 3. p. q. 24. dub. 7. num. 9.* Turrian *de cenſ. lib. 5. diſp. 46. dub. 3.* qui tamen cum Navar. *cap 27. n.* 157. obſervat ad incurrendam hanc cenſuram non ſufficere, ſi quis ex peculiari occaſione ſemel utatur veſtibus prohibitis, ſed Avila *de cenſ. part. 3. diſp. 5. dub. 8.* docet, quòd in tribus caſibus Clerici excuſantur ab hac pœnâ, primò qui geſtat has veſtes occultè, ut domi in ſtudio. Secundò ſi geſtet ſecretò ſubtus alias veſtes, ita ut in publico non appareant. Sic Bernard. Diaz. *cap. 75.* Tertiò, ſi geſtet ob celebrationem alicujus feſti, ut doctoratus, nuptiarum, vel alterius ſimilis feſti, vel ob aliam juſtam cauſam. Sic Bernard Diaz & Navarr. *cap. 27. num.* 157. & Henriquez *lib. 13. de excommun. cap. 39. num. 3. in gloſſa litt. A.* teſtatur quoſdam recentiores aſſerere, quòd hæc pœna eſt derogata conſuetudine. Hæc Avila.

Quoad hoc in to. 7. tr. 3. lege doctrinam Reſ. 8.

RESOL. LXVI.

An Clerici publicè concubinarij ſint ſuſpenſi?

Et an, qui Ordines ſuſcipit ab Epiſcopo notorio concubinario, aut fornicario, remaneat ſuſpenſus ab Ordinis executione? Ex p. 5. tract. 10. Reſ. 49.

§. 1. ESſe ſuſpenſos ipſo jure, docet Navar. *cap. 29. n. 76. & c. 27. n.* 154 & probatur primò *ex cap. ult. de cohabitatione Cler. & mul.* & *ex cap. ſi qui ſunt, diſt. 81. c. nullus, & c. præter diſt. 32. & cap. vlt. 15. q. 8. & cap. Sacerdos, diſt. 50.* ſed contrariam ſententiam docet Sot. 4. *diſt. 1. q. 5. art. 6. & diſt. 13. q. 1. art. 9.* ubi fatetur jure antiquo latam fuiſſe talem ſuſpenſionem, ſed jam ceſſaſſe, & Sotum ſequutus eſt Medina *in ſum. lib. 1. cap. 11. §. 8.* qui Doctores non aſſignant jus novum, per quod fuerit antiquum abrogatum, ſed per non uſum putant ceſſaſſe, & Suar. *diſp. 31. ſect. 4. à num.* 10. hanc ſententiam docet, ait enim *n.* 1. quòd licèt probabile ſit in jure antiquo fuiſſe latam talem ſuſpenſionem, tamen ex uſu & conſuetudine ſatis conſtare non incurri eam ſuſpenſionem propter tale crimen. Secundò probat ex Conc. Trid. *ſeſſ. 25. c. 14. de reform.* ubi hoc videtur ſupponi, dicit enim hos Clericos puniendos ſuſpenſione, ſi opus fuerit juxta ſacros Canones; ergo ſupponit juxta eos non eſſe ipſo jure ſuſpenſos. Deinde à *n.* 12. doctè oſtendit etiam ex jure antiquo non ſatis colligi hanc ſuſpenſionem latam. Et hæc omnia docet etiam Turrian. *de cenſ. lib. 5. diſp. 46. dub. 5.* & Mercer. *de Sacr. in 3. p. q. 24. dub. 7. n.* 34. & ideò Alter. *de cenſ. tom. 2. diſp. 9. c. 5.* exiſtimat eum qui Ordines recipit ab Epiſcopo notorio concubinario, aut fornicario, remanere ſuſpenſum ab Ordinis executione; cùm enim Epiſcopus ob hujuſmodi crimen ſuſpenſus careat uſu, & executione ſui miniſterii, non poteſt uſum, & executionem Ordinum aliis conferre. Vide etiam Cornejo *in 3. p. tract. 5. de ſuſp. diſp. 4. caſ. 1.* qui licèt aſſerat dictos Clericos eſſe ipſo jure ſuſpenſos, tamen putat, & rectè, per diſſuetudinem talem ſuſpenſionem eſſe abrogatam; & ita etiam docet Medina *in inſtit. lib. 1. cap. 11. §. 8.* Gutier. *in qq. can. lib. 1. cap. 15. n.* 43. & Avila *part. 3. diſp. 5. dubit. 2.*

Sup. hoc inf. in tr. 5 Reſ. 39 §. vlt. ad med.

In Indice primo hujus Tom. 5. lege Apendicem ad hunc Tract. 3. Vbi reperies alias multas diffic. miſtas, & diſperſas per alios Tom. Tract. & Reſ. quæ ſimul pertinent ad hunc Tract. 3. de Suſpenſione.

TRACTATVS QVARTVS,
DE INTERDICTO.

RESOLVTIO PRIMA.

An interdictum personale speciale possit fieri pro culpa veniali? Ex part 5. tract. 10. Res. 79. aliàs 78.

Sup. hoc sup. in tr. 1. Res. 13 §. Sed an. & inf. in tr. 5. Res. 3.

§. 1. SVPPONO quòd causa, propter quam ferri potest interdictum, communiùs debet esse peccatum mortale, & quidem grave, quia communiùs interdictum est gravis pœna, & proinde causa non potest esse levis, dico *communiùs*, quia leve aliquod interdictum, v. g. ab ingressu Ecclesiæ per mensem, &c. videtur posse ferri pro culpa veniali. Hoc supposito negativam sententiam docet Suar. *disp.* 36. *sect.* 3. *numero* 3. Layman *lib.* 1. *cap.* 5. *p.* 4. *tract.* 4. *num.* 4. & Præpos. *in* 3. *p.q.* 4. *de interd. dub.* 1. *n.* 3. quia tale interdictum ratione personæ est gravis pœna, ergo.

2. Verùm affirmativæ sententiæ adhæret Sà *verb. Interdict. n.* 7. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 50. *n.* 2. & Avila *p.* 5. *disp.* 3. *dub.* 2. *concl.* 2. unde utramque sententiam probabilem esse puto.

RESOL. II.

An interdictum personale generale possit fieri pro debito pecuniario? Ex p. 5. tr. 10. Res. 89. aliàs 79.

§. 1. NEgativam sententiam tenet Sotus *in* 4. *dist.* 20. *q.* 3. *art.* 1. *post* 3. *concl.* & Avila *p.* 5. *disp.* 3. *dub.* 3. *concl.* 3, quia licèt *in Extravag. provide, de sententia excomm.* prohibeatur solùm hoc fieri in interdicto locali, quod intelligitur tam de generali, quàm de particulari, debet tamen extendi ad interdictum personale generale propter paritatem rationis, quòd scilicet inde multa animarum damna sequantur.

2. Sed opinio contraria magis probabilis videtur Præp. *in* 3. *p. q.* 3. *de interdicto dub.* 1. *n.* 5. quia Extravag. citata solùm agit de interdicto locali: ergo non est extendenda ad alia interdicta, & ex rei natura interdictum personale poni potest propter debitum pecuniarium, ut indicat Emanuël Sà *verb. Interdictum, num* 8. & docet Suarez *disp.* 36. *sect.* 3. *n.* 8. vide etiam Villan. *in sum. tom.* 1. *tract.* 19. *diffic.* 10. *n.* 7.

RESOL. III.

Quale peccatum sit violare interdictum?
Et an laïcus non interdictus, si sine vi, aut scandalo audiat officia divina, præsertim Missam in loco interdicto, peccet mortaliter? Ex p. 5. tr. 10. Res. 69. aliàs 68.

§. 1. AD hoc dubium respondet Tannerus *tom.* 4. *disp.* 6. *q.* 10. *dub.* 8. *n.* 152. ubi sic ait. An autem sit mortale, an veniale violare interdictum; ita distinguendum videtur, ut violatio quidem interdicti personalis facta ab illis, qui in culpa interdicti sunt, sit mortalis, sive laïci sint, sive Clerici, ut cum Navarr. *n.* 187. docet Henriq. *cap.* 23. *n.* 2. Violatio autem interdicti localis in Clericis quidem, ad quos propriè hoc interdictum spectat, sit ex suo genere peccatum mortale, vt habet communis, quamvis Sà id non improbabiliter restringat ad Clericos Ordinibus sacris utentes; in laïcis verò secluso scandalo, & contemptu, non sit nisi veniale, ut docet Cajetanus & Sà *ver. interdictum.* Hæc Tannerus. Sed an probabiliter, judicent alii, & videant Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 18. *cap.* 3. *n.* 85. & Coninch *ubi infr. n.* 64. qui nominatim Cajetanum impugnat.

2. Sed difficultas est, an laïcus non interdictus, si sine vi, aut scandalo audiat Officia divina, & præsertim Missam in loco interdicto, peccet mortaliter? & affirmativam sententiam docet Coninch *disput.* 17. *dub.* 3. *n.* 68. quia *in c. si sententia* 16. *de sent. excom. in* 6. dicit talem licitè audire divina Officia in loco non interdicto, ergo supponit eum ea illicitè audire loco interdicto, & consequenter hoc esse ei prohibitum, quare quando materia erit gravis, peccabit mortaliter. Ita Innocent. & Archidiac. apud Sylvest. & Suarez *disp.* 34. *sect.* 4. *n.* 9. ubi tamen addit talem assistendo aliis Officiis divinis, excepto sacrificio Missæ, facilè posse excusari à peccato mortali, ob materiæ levitatem quia etsi nonnihil longo officio assistat, parum tamen hoc videtur repugnare Ecclesiæ voluntati, quæ talibus non ita graviter prohibet divinis Officiis interesse. Secus autem dicendum esse de sacrificio Missæ quoad assistentes cum Sacerdote suo modo etiam offerant. Hæc omnia Coninch cui adde Suarez *disp.* 34. *sect.* 3. *n.* 9. Hurtadum *tract. de interd. diff.* 10. *n.* 33. & Præpos. *in* 3. *p. q.* 4. *de interd. dub.* 3. *n.* 54.

3. Sed ego contrariæ sententiæ adhæreo cum Soto *in* 4. *dist.* 22. *q.* 3. *art.* 1. *concl.* 6. Sylvestro *ver. interdictum* 6. *n.* 7. Angelo *eod. ver.* 7. *n.* 9. asserentibus in tali casu tantùm peccatum veniale adesse, & præter DD. citatos tenet ex neotericis hanc sententiam Regin. *tom.* 2. *lib.* 32. *tract.* 3. *cap.* 30. *n.* 42. Valent. *tom.* 4. *disp.* 7. *q.* 18. *punct.* 2. *ad fin.* Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 4. *cap.* 3. *n.* 2. Avila *part.* 5. *disp.* 5. *dub.* 2. & Henriq. *lib.* 13. *cap.* 46. *n.* 1. Imò prædictus Avila putat probabile esse in tali casu nullum adesse peccatum, quia nullum est præceptum in jure, quòd dirigatur ad laïcos, sed tantùm ad Clericos, ne laïcos non privilegiatos admittant ad divina Officia in loco interdicto, ut patet *cap. responsum, de sent. excomm. cap. non est nobis, de sponsalib. & cap. licet, de privil. in* 6. & ubi nullum est præceptum, nullum erit peccatum. Sed ego ad minus in tali casu peccatum veniale adesse non dubito, quia talis facit aliquo modo contra inrentionem Ecclesiæ, nam etsi ea interdictio principaliter feratur ad Clericos, ne laïcos ad divina Officia in loco interdicto admittant, *cap. responsum, de sent. excom. cap. non est nobis, de sponsal. cap. licet de priv. in* 6. tamen pertinet etiam consequenter ad laïcos, ut ipsi loco interdicto post promulgationem se non ingerant, sicuti sententia excommunicationis principaliter afficit excommunicatum, ut cum aliis non communicet. Secundariò autem & consequenter etiam alios, ut ab ejus communicatione post denunciationem abstineant. Puto tamen dici posse, hanc interdicti transgressionem esse tantùm peccatum veniale.

RESOL.

RESOL. IV.

An in violatione interdicti detur parvitas materiæ? Ex p. 5. tract. 5. Resol. 59.

§. 1. REspondeo affirmativè cum Turriano *de censuris lib. 6. disp. 49. dub. 5.* ubi sic asserit. Suarez docet videri peccatum mortale, si quis dicat Orationes divini Officii, præmisso *Dominus vobiscum*, quia licèt quantitas sit parva, tamen est actus Ordinis sacri proprius, & qualitate magna: ergo si fiat in choro contra prohibitionem, erit grave peccatum. Ego tamen non video idoneum fundamentum ad hoc asserendum. Addit Pater Suarez etiam fore peccatum grave benedicere aquam cum aspersione salis, & benedictionem Episcopalem solemniter datam, quia sunt actus Ordini sacro annexi, & licèt breves videantur, tamen magni momenti sunt. Sed non auderem asserere esse peccatum grave tales actus, quia & quantitate sunt parvi, & non apparet ex alio capite insignis ejus gravitas, & juxta doctrinam istam facilè est in similibus philosophari. Ita ille. Sed sententiam Suarez tenet Iacobus Gordonus *tom. 2. lib. 7. quæst. 16. cap. 10. num. 65.* ubi sic ait: Objicies esse saltem quædam alia, quæ omnino levia videntur, vt est aquæ lustralis benedictio, vel aspersio solita fieri solemni ritu die Dominico, solemnis benedictio data ab Episcopo, exercitium minoris Ordinis, & canere publicè in Ecclesia divinum Officium. Respondeo benedictiones illas esse actus alicui sacro Ordini annexos, & ideò gravem habere materiam, per se loquendo, cùm fiunt publicè, & solemni ritu. Idem dico de minoribus Ordinibus, quia sunt actus sacri, ad quos Minister ex officio est consecratus, & ideò si cum propria, & primæva solemnitate fiant, inducunt simile peccatum. Dixi, *si cum propria & primæva solemnitate fiant*, quia jam vix illa in praxi est, & ideò locus esse potest excusationi. Canere autem dicto modo, peccatum mortale erit saltem in Clerico, de quo hæc est pars assertionis; potest tamen materiæ levitas excusare, si tantùm exiguam Officii partem canat, & quæ non sit Oratio Officii, addendo versiculum, *Dominus vobiscum*, & hæc de Clericis. Hucvsque Gordonus. Sed ego puto sententiam Turriani etiam probabilem esse.

RESOL. V.

An sit peccatum mortale dicere Missam tempore interdicti, omissa una circumstantia ex requisitis in cap. Alma Mater, *ut v. g. facere Sacrum apertis januis, &c?* Ex part. 5. tract. 10. Resol. 66. aliàs 65.

§. 1. AFfirmativam sententiam docet Hurtadus *tract. de interdicto diffic. 10. num. 32.* Sylvester *ver. interdictum 5. quæst. 5. in princ.* Tabiena *eod. ver. n. 2.* Armilla *n. 4.* & huic sententiæ favet *Clem. 1. de sent. excom.* ubi transgressio interdicti videtur judicari gravis, quia januis quibusdam obseratis Missa diceretur, & ratio esse potest, quia in ordine ad observandam pœnam interdicti, ea circumstantia gravis videtur, & ita hanc sententiam docet Suar. *disp. 34. sect. 4.* quæ etiam explicari potest, quia violationis materia non censetur sola circumstantia, sed totum officium dictum sine illa circumstantia, ac proinde materia est gravis, & ideo addit Pater Suarez, vt peccatum sit grave, debere dici totum Officium vel magnam ejus partem cum defectu ejus circumstantiæ.

2. Tamen ut observat Turrian. *lib. 6. disp. 49. dub. 6.* existimare posset aliquis non esse mortale defectu talis circumstantiæ, quia si secundùm se circumstantia sola non est gravis, neque videtur grave totum officium cum illo defectu celebrare; modus enim indebitus celebrandi Officium ex circumstantiis indebitis videtur colligendus, & oppositum non probatur ex citata Clem. quia ibi non est sermo de solo defectu ejusdem circumstantiæ, sed de aliis etiam, quæ faciebant Religiosi, & non sine scandalo. In hoc ergo casu non dubito, quin fuerit grave peccatum violatio interdicti; ex hoc tamen non colligitur omissionem circumstantiæ unius, vel alterius præcisè absque scandalo, vel contemptu, neque ex intentione tribuendi aliis occasionem audiendi divina Officia tempore interdicti fore mortalem, quamvis ob periculum scandali semper magna providentia sit agendum.

RESOL. VI.

An prohibitus celebrare in loco delicti, possit celebrare, v. g. in Ecclesia Patrum Capuccinorum, vel Carmelitarum prope Vrbem existente? Ex part. 4. tract. 4. & Misc. Resol. 123.

§. 1. DE hoc casu in facti contingentia interrogatus fui, nam quidam Regularis obtinuit à Summ. Pontifice dispensationem ab irregularitate homicidii, cum clausula quòd non possit celebrare in loco commissi delicti, qui locus erat civitatis Panormi; quæsitum fuit, an supradictus potuisset celebrare in quadam Ecclesia existente prope urbem Panormi? casus est curiosus, & practicabilis; & pro parte negativa facit textus *in l. qui incontinentibus, ff. de verborum significat.* ubi natus in suburbiis, dicitur natus in civitate, & testator si leget alicui bona sua quæ Romæ habet, censentur etiam legata bona quæ in suburbiis Romæ sunt, vt habetur *in l. cui quæ Romæ, ff. de legat. 3.* & docet Baldus & Felinus *in cap. Rodulphus, de rescriptis*, & Menochius *de præsumption. lib. 4. præsumpt. 126. num. 13.* & tandem *in l. 2. de verbor. signif.* apertè dicitur, appellatione Romæ venire etiam * suburbia, & continentia ædificia, ut observat *ibi* glossa, & Doctores communiter, quod etiam demonstrat modus loquendi Summorum Pontif. qui in Bulla anni Iubilæi basilicas SS. Apost. Petri & Pauli appellant de Vrbe, cùm revera sint in suburbiis, & sic etiam loquitur Bonifacius VIII. *in Extrav. 1. de pœnit. & remiss.* Sixtus IV. *in Extravag. quemadmodum operosi, eodem tit.* Greg XIII. Clement. VIII. & Vrban. VIII. *in Bullis Iubilæi plenissimi*, & tandem Ioan. Andreas *in cap. si civitas, ubi infrà, num. 7.* observat, quòd Romæ fieri videntur, quæ in continentibus ædificiis sunt.

* Sup. hæc doctrina in to. 7. tr. 1. ex Resol. 269. lege §. Nota tertio.

2. Verùm his non obstantibus puto supradictum Regularem potuisse celebrare in illis Ecclesiis, & pro hac sententia adduco *cap. si civitas, de sent. excommun. in 6.* ubi interrogatus Pontifex an interdicta civitate, intelligantur etiam suburbia interdicta? respondet, quòd licèt civitates aliæ murorum ambitu videantur terminari, hoc tamen casu ne in vilipendium veniat sententia interdicti; expedit interpretationem fieri latiorem, ex quibus verbis, ut optimè notat Megalius *in 1. part. lib. 1. cap. 13. numer. 21.* & alii, clarè constat in omnibus dispositionibus, excepta sententia interdicti, appellatione civitatis venire tantùm quæ murorum ambitu terminantur, hoc enim exceptio illa demonstrat, cujus natura est firmare regulam in omnibus aliis non exceptis, juxta *cap. Dominus 32. quæst. 7.* & ea quæ notantur *in cap. quoniam, de conjug. leprosorum*, & ideo Io. de Vançuel *in dict. cap. si civitas*, observat,

dispositionem illius textus esse singularem in casu interdicti, cum regula sit in contrarium; vide etiam Ancharanum *in d.cap.num.* 1. Deinde adduco pro hac firmanda sententia doctrinam Bartoli & Alciati *in l.2. ff. de verb. significat.* Rubei *cons.92. num.2.* Menochij *de arbitr. lib.2. cent.2.cas.155.num.10.* asserentium quod in materia odiosa appellatione urbis, seu civitatis non veniunt suburbia, secus autem in materia favorabili: unde patet responsio ad argumenta contraria pro negativa sententia adducta, nam in illis casibus leges, ut patet, loquuntur in materia favorabili; secus autem est in casu de quo loquimur, cum versetur circa materiam odiosam: ergo, &c.

3. Confirmantur supradicta *ex cap. literis, de constit. & ex l. penult. ff. de pœnis, ex cap. in pœnis 49. de regul. juris in 6.* quòd in pœnis benignior fit interpretatio, ut notat Tiraquellus *in l si unquam, ver. revertatur, n.246.* Thomas de Thoma *in floribus legum, reg.158.* Vgolinus *de potest. Episc. cap.6.§.1.num.3.* & alii. Sed in casu de quo loquimur pœna est apposita quòd celebratio non fiat in loco delicti, & locus delicti fuit civitas Panormi, cujus appellatione, ut dictum est, & observat etiam Azevedus *in addit. ad Curiam Pisanam, lib.2. cap.2. n.3.* & Barbosa *in collect. tom.4. lib.5.cap.16. num.4.* propriè non venit, nisi id quod murorum ambitu terminatur; ergo dicta pœna non est extendenda ad Ecclesias extra muros urbis Panormi ædificatas, cùm pœnæ non sint ampliandæ, sed restringendæ, ut docet Burgos de Paz *cons.8. num.2.* Surdus *de alimentis tit.1. quæst.51. num.12.* & alii communiter, etiamsi extensio fiat ex similitudine rationis, ex Imola *in l. si verò, §. de viro ff. solut. matrim.* Duena *regul.287.* ergo &c.

Sup hoc inf in tr 5. Ref 102. §. pen. post med. à vers. Ergo in aliis, & in to.6 tr.7. Ref 49 §.2. in princ.

RESOL. VII.

An licitum sit celebrare coram personis interdictis? Sed difficultas est, si persona interdicta expelli non possit, quid est faciendum? Ex part.5. tract.10. Resol.65. alias 64.

§.1. CErtum est debere expelli; sed difficultas est, si persona interdicta expelli non potest, & in tali casu sic respondet Phil.Faber. *de cens. in 4.sent. dist.25.quæst.1.disp.5.cap.2.n.113.* Aliqui dicunt non esse celebrandam Missam, & si sit inchoata, nec perventum ad Canonem, esse cessandum. Alii asserunt Missam celebrari posse, quia nullibi in jure hic effectus assignatur, neque à DD. Vnde auctoritas negativa licèt non sit aliàs efficax, in hac re tamen est efficax, quia DD. hunc casum non prætermisissent. Solùm ergo Sacerdoti non licet celebrare coram interdicto, quando locus est interdictus (quod habet locum solummodo, quando privatim celebret secundùm limitationes *in cap. alma, supra* explicatas, ut ex se patet) quia expressè præcipitur *dicto cap. alma*, quod interdicti excludantur, sed quando locus non est interdictus, sed habilis, licèt sit aliquis interdictus præsens, dicunt licere celebrare, & alia divina facere. Ita tenet Suarez licèt cum formidine. Ego tamen in praxi non puto hanc opinionem tutam, quia mutuò referuntur celebratio activa & passiva assistentia, ideo cùm prohibetur assistentia passiva alicui, consequenter agenti ministratio activa etiam prohibetur. Ita Faber contra Suarez.

2. Sed sententiam Suarez sequitur Mercerus *in 3. p.q.24.de interdicto dub.3.* Turrian. *lib.6.disp.49.dub.2.* ubi sic ait: Quando locus non est interdictus, sed tantùm persona est interdicta, & expelli non potest, probabile videri non esse ob eam causam omittendam Missam, quia non est pro hoc eventu peculiaris prohibitio juris positivi, quia jura quæ decernunt excludendos esse interdictos, tractant de locali interdicto, neque apparet ratio, quæ nos cogat oppositum affirmare: & explicari ampliùs potest, quia in tali eventu non est moralis cooperatio cum persona interdicta, quia potiùs est contra voluntatem facientis Sacrum. Vnde considerato solo jure naturali non est aliquid, ratione cujus celebratio sit inhonesta, & contra rationem. Hæc Turrianus, qui tamen addit posse esse moralem cooperationem, si voluntariè permittatur interdictus audire Missam. Item posset cessare obligatio omittendi Missam ante inceptum Canonem ob scandalum.

RESOL. VIII.

An deficiente Clerico possit Sacerdos accipere laïcum ad serviendum Missæ? Et an in dicto casu possit celebrare cum duobus Ministris laïcis? Ex p.5. tract.10. Resol.88. alias 87.

§.1. REspondeo affirmativè cum Præpos. *in 3.p. quæst.4. de interd. dub.3. num.31.* ubi sic ait, Notandum Sacerdotem, cui conceditur tempore interdicti celebrare Missam, posse deficiente Clerico accipere ministrum laïcum, quia concesso principali, censetur concedi accessorium, & præsertim quando aliàs principale non potest juxta morem Ecclesiæ obiri. Imò si Prælatus non solet celebrare sine duobus Ministris, potest eos adhibere etiam tempore interdicti, imò verius est id posse simplicem Sacerdotem, cùm olim solerent adhiberi duo Ministri in sacrificio Missæ, quod, licèt consuetudo sit moderata, non tamen sustulit facultatem eos adhibendi juxta præscriptum antiquorum Canonum. Ita Præpositus, cui adde Villalob. *in summ. tom.1. tract.19. diffic.5. num.13.* & Mercerum *in 3. p.quæst.24.de interd.dub.3.* & Ludovicum de la Cruz *in Bull. Cruc. disp.1.cap.5. dub.3. num.4.*

Sup hoc in tom 1. Resol. 65. Notandum & in tom 2. Resol. 88. dub. 1. & Et tandem hoc in tom 1. tract. 5. Et idem, ad 1. vers. quæ in-

RESOL. IX.

An Sacerdotes, qui possunt in interdicto Missam dicere, & Clerici Divinis Officiis assistere, possint etiam communicare absque celebratione? Ex p.5. tract.10. & Resol.83. alias 82.

§.1. NEgativam sententiam docet Cornejo *in 3. part. tract.5. de interd. dub.4.* Præpos. *in 3. part.q.4.de interd.dub.3.num.22.* Henriq. *lib.13.cap.45. num.2.* Sotus *in 4. dist.22. quæst.3. art.1. post 4. concl.* Turrian. *lib.2. disp.48. dub.2.* Villalob. *in summ.tom.1. tract.19. diff.3.num.10.* Avila *p.5. disp.4. sect.1. dub.5. concl.3.* Bonacina *de cens. disp.5. punct.3. §.2. num.8.* Alter. *tom.2. disp.4. cap.4. dub.8.* & Hurtad. *tract. de interd. diff.8.n.8.* Quia jure antiquo etiam erat prohibitum sacramentum Eucharistiæ, quia non erat exceptum, nisi constitutis in articulo mortis, ut constat *ex cap. quod in te 11. de pœnitent. & rem.* & *ex cap. permittimus 57. de sent. excomm.* in cap. autem *Alma mater*, tantùm permittitur celebratio Missæ, non communio more laïcorum.

2. Verùm contrariæ sententiæ ego adhæreo, quam tuetur Suar. *disp.33. sect.1.n.35.* & *seqq.* Sà *ver. interd. num.17.* Sylv. *eod. ver.5.num.9. ver. Quarta.* Angel. *eod. ver.6. n.22. ad finem*, & hanc sententiam tanquam magis piam & favorabilem amplectitur. Sayr. *lib.5.cap.7. num.21.* & ex Theologis Societat. etiam illam tenet Ægid.

Ægid. Coninch *de Sacr. disp.* 17. *dub.* 2. *n.* 36. & noviſſimè Mercer. *de Sacr. in* 3. *p. q.* 24. *de interd. dub.* 2. Et ratio eſt, quia cui conceditur aſſiſtere, & à fortiori dicere Miſſam, conceditur communicare, niſi expreſsè excipiatur, prout etiam optat Conc. Trid. *ſeſſ.* 22. *c.* 6. ut in ſingulis Miſſis fideles præſentes communicent. Vide etiam Megalam *in* 3. *p. lib.* 2. *c.* 2. *q.* 1. *n.* 29. & poſt hæc inveni noſtram ſententiam docere Fabrum *de cenſ. in* 4. *ſent. diſt.* 25. *q.* 1. *diſp.* 5. *cap.* 2. *n.* 25. ubi ſic ait. Falſum eſt quòd non concedatur hæc communio laïca perſonis illis, quibus licet celebrare divina tempore interdicti. Nam *in c. alma*, ut conſiderat Suar dicitur. Dicantur divina Officia ſicuti priùs. At priùs, id eſt, ante interdictum ita celebrantur, ut non Sacerdotes Clerici ſumant Euchariſtiam more laïco. Similiter Sacerdotes aliquo impedimento non potentes celebrare eodem modo communicant: ergo. Item favores ſunt ampliandi, & acceſſorium ſequitur principale: ergo dum principale conceditur, quod eſt celebrare divina, etiam conceditur acceſſorium; quod eſt communio laïca. Ita Phil. Faber, & ego. Vide etiam Filliucium *tom.* 1. *tract.* 18. *cap.* 2. *num.* 42.

RESOL. X.

An laïci, quibus tempore interdicti licitum eſt in aliquibus diebus Miſſam audire, poſſint etiam ſacram Euchariſtiam ſumere?

Et an ſi tempore interdicti occurrat præceptum ſumendi Euchariſtiam, ut in Paſchate Reſurrectionis, poterit dari ſæcularibus? Ex p. 5. tr. 10. Reſ. 84. aliàs 83.

§. 1. NEgativam ſententiam tenet Sylveſter *ver. interd.* 5. *q.* 2. Sotus *in* 4. *diſt.* 22. *q.* 3. *art.* 1. *poſt* 4. *concl.* D. Ant. *p.* 3. *tit.* 26. *c.* 4 Præpoſ. *in* 3. *p. q.* 4. *de interd. dub.* 3. *n.* 22. Henriq. *lib.* 13. *c.* 45. *n.* 2. Navarr. *c.* 27. *n.* 178. Hurtad. *tr. de interd. diff.* 7. *n.* 25. Avila *p.* 5. *diſp.* 4. *ſect.* 2. *dub.* 12. Gordon *tom.* 2. *lib.* 7. *q.* 16. *cap.* 4. *n.* 42. & Turrian. *ubi infra*, quia ſupradictis ex communi ſenſu conceditur tantùm aſſiſtentia, ut poſſint audire divina Officia, & eis prohibita eſt communio: ergo, &c.

2. Verùm Suar. *diſp.* 33. *ſect.* 1. *n.* 36. & *ſeq.* contrariam ſententiam putat probabilem, & ideo exiſtimat in diebus feſtis, in quibus *cap. Alma mater*, conceditur, ut tempore interdicti poſſint omnes audire Miſſas, poſſe intelligi, ut etiam poſſint ſumere Euchariſtiam, propter rationem factam, nempe quòd qui aſſiſtunt Miſſæ, participes fiunt ſacrificii Miſſæ, & communionis, quia *cap. Alma mater* dicit, *participationem permittimus divinorum*, quamvis tandem dicat contrariam opinionem facilè defendi poſſe, & in praxi ſervandam eſſe Eccleſiæ conſuetudinem, & hanc poſteriorem ſententiam, quam probabilem putavit Suar. teſtatur Turr. *lib.* 6. *diſp.* 48. *dub.* 2. judicatam etiam eſſe probabilem à multis doctiſſimis viris in Hiſpania, præſertim in Academiis Compluten. & Salmanticenſi, de hac re interrogatis, quorum reſponſa ipſe Turrianus teſtatur & vidiſſe & legiſſe; erant autem pluſquam quadraginta viri primarii ſeculares, & Religioſi ex omnibus Religionibus, qui ſenſui Suarez ſubſcripſerant, contra pauciores quoſdam & numero & doctrina inferioris cujuſdam Academiæ in Regno Aragonenſi. & ita hanc ſententiam præter Suar. tenet etiam Faber *de cenſ. in* 4. *ſent. diſt.* 25. *q.* 1. *diſp.* 5. *cap.* 2. *n.* 25. Layman *lib.* 1. *tr.* 7. *p.* 4. *c.* 2. *n.* 3. Coninch *de Sacr. diſp.* 27. *dub.* 2. *n.* 36. & Mercer. *in* 3. *p. q.* 24. *de interd. dub.* 2. ubi ſic ait: Cui conceditur aſſiſtere Miſſæ, conceditur etiam communicare, niſi expreſsè excipiatur, prout etiam optat Conc. Trid. *ſeſſ.* 22. *c.* 6. ut in ſingulis Miſſis fideles præſentes communicent. Vnde etiam ſequitur quòd laïcis liceat tempore interdicti ſumere Euchariſtiam in quatuor feſtis, videlicet Paſchæ, Nativ. Domini, Pentecoſt. & Aſſumpt. B. M. quandoquidem per *c. Alma*, poſſunt tunc divinis intereſſe, imò ad implendum præceptum de annua communione, tenentur tunc communicare, cùm omne impedimentum juris antiqui ſit ablatum per *c. Alma mater*.

3. Vide etiam Megal. *in* 3. *p. lib.* 2. *cap.* 2. *q.* 1. *n.* 30. & ideo ſtante probabilitate ſupradictæ opinionis tempore interdicti ſi occurrat præceptum ſumendi Euchariſtiam, ut in Paſchate Reſurr. poterit dari ſecularibus. Ita Suar. & Coninch. cui adde Portel. *in dub. reg. ver. interd. num.* 16. Sed negat hoc Turrian. *loc. cit.* & Avila cum Alter. *tom.* 2. *diſp.* 4. *cap.* 4.

RESOL. XI.

An tempore interdicti, quando celebrantur divina Officia ex privilegio, per Feſta Paſchatum, intelligantur tantum primi dies?

Et an dicta Feſta Paſchatum accipienda ſint à primis veſperis juxta morem, quo Eccleſia ſolet Feſtivitates inchoare?

Adde Feſtum Paſchatis poſſe ſumi ſaltem à Gloria in excelſis Sacri diei Sabbathi.

Et aliqua alia circa ſupradicta, & circa celebrationem feſtivam Corporis Chriſti, & ejus Octavas, explanantur in prædicto caſu, & tempore interdicti? Ex p. 5. tract. 10. Reſol. 61.

§. 1. AFfirmativè reſpondet Suar. *diſp.* 34. *ſect.* 1. *n.* 39. Moſcoſ. *in ſum. tr.* 16. *c.* 8. Alter. *de cenſ. tom.* 2. *diſp.* 5. *c.* 5. Regin. *tom.* 2. *lib.* 32. *tr.* 3. *c.* 28. *n.* 536. Villalob. *in ſum. tom.* 1. *tract.* 19. *diffic.* 7. *n.* 4. ubi ſic ait. [Mas advierte que eſtas fieſtas no ſe han de ſe entender mas que por el primero dia, que eſſe es verdaderamente el dia de la fieſta, que el dia de la Natividad en aquel dia ſe acaba, y el dia ſiguiente es de San Iuan, y lo miſmo es de las otras fieſtas como tiene la ſentencia comun, con la Gloſſa, ſolo à Soto veo de diferente parecer ſin fundamiento baſtante.] Quod hoc in to 4. tr. 2. ex Reſ. 27. lege doctr. §. Difficultas.

2. Sed ego contrariæ ſententiæ adhæreo, quam præter Sotum *in* 4. *diſt.* 22. *q.* 3. *art.* 1. tenet etiam Faber *de cenſ. in* 4. *ſent. diſt.* 25. *q.* 1. *diſp.* 5. *dub.* 5. *n.* 43. Avila *p.* 5. *diſp.* 4. *ſect.* 2. *dub.* 4. Hurtad. *tract. de interd. diff.* 7. *n.* 24. Dicendum eſt igitur ſub nomine Paſchatum intelligi omnes dies feſtivos, & in primis in Paſchate Reſurrect. & Pentecoſt. id non poteſt negari, quia omnes illi dies feſtivi tantùm pertinent ad ea myſteria, & in eorum honorem obſervantur; in Paſchate quoque Nativitatis negandum non eſt, reliquos die feſtivos poſt primum, ſive duos, ſive tres, etiam pertinere ad feſtivitatem Nativitatis, quamvis principaliùs ad alios Sanctos, & obſervari non tantùm in eorum honorem, ſed etiam in honorem Nativitatis, quia quamvis in honorem Sanctorum non obſervarentur, etiam obſervarentur in honorem Nativitatis ſaltem duo poſt primum, ſicut fit in aliis Paſchatibus, & ut obſervetur tertius dies poſt primum, ubi obſervatur, non parum juvat Nativitas Chriſti.

3. Notandum eſt etiam hìc cum Ioan. de la Cruz *in direct. conſc. p.* 2. *de interd. dub.* 1. *concl.* 3. Ioan. Præpoſ. *in* 3. *p. q.* 4. *de interd. dub.* 5. *n.* 34. Mercero *in* 3. *p. q.* 24. *de interd. dub.* 3. Fabro, Moſcoſo, Hurtado *ubi ſupra*, hæc feſta accipienda eſſe à primis Veſperis juxta morem, quo Eccleſia ſolet feſtivitates inchoare. Adde feſtum Paſchatis poſſe ſumi ſaltem à *Gloria in excelſis* ſacri diei Sabbati, quia Eccleſia cenſetur tunc inchoare feſtum Reſurrectionis, non tamen comprehenduntur Octavæ; ſed quoad ſuſpenſionem interdicti cenſentur finiri ſaltem finito Completorio. Martinus V. & Eugen. IV. his feſtis addiderunt Corporis Chriſti feſtum cum Octava.

4. Et

4. Et tandem non desinam pro materia præsentis quæstionis apponere hîc verba Moscosi *in sum. tr.16. cap.8.* ubi sic ait. "Algunos Dotores han dicho, que tambien se pueden dezir, y cantar con toda solennidad las Missas de las Vigilias de las tres dichas Pascuas por virtud deste dicho Privilegio, y que desde ellas devese começar à levantar, y suspender el entredicho. No abraço esta opinion porque verdederamente es hazer mucha violencia à nuestro *cap. Alma mater*, que nominatim señala, y declara los dias de las tres Pascuas del año, y el de la Assuncion de nuestra Señora. Pero tambien es opinon comun, y se puede seguir muy bien en quanto à la Vigilia de la Pascua de Resurrecion, desde de la gloria que en ella se canta con toda solennitad, y con probabilidad tambien se puede hazer, y guardar lo proprio en la Missa de la Vigilia de la Pascua de Pentecostes, y para el acierto, y seguridad desta opinion se lea el P. Avila del a Compañia en su tratado de censuras, que allì da la razon porque se deve hazer, y guardar esto, con mas propriedad en la Missas destas dos Vigilias, que no en la Missa de la Vigilia de la Pascua de Natividad.

RESOL. XII.

An Clerici conjugati possint interesse Divinis officiis tempore interdicti? Ex p.5.tr.10.Ref 86.aliàs 85.

§.1. NEgativè respondet Hurtad. *tract. de interd. diffic.7. num.19.* quia isti non gaudent nisi privilegio Canonis & fori, ut patet *ex cap. vn. de Cler. conjug. in 6.* & etiam docet Ioan. de la Cruz *in direct. conscien. p.2. de interd. not.1.* & Gordonus *tom.2. lib.7. q.16. cap.4. num.36.* Trullench *in Bulla Cruc. lib.1. §.3. dub.2. num.4.* & alii.

2. Mihi verò magis placet opinio affirmativa cum Villalob. *in summ. tom 1. tract.19. diff.5. num.7.* Mercero *in 3.p.q.24. de interd. dub.3.* & 4. Layman *lib.1. tr.5. p.4. cap.2. num.2.* Avila *p.5. disp.4. sect.2. dub.4. concl.2.* & Coninch *de Sacram in. disp.17. dub.2. num.30.* si juxta decretum Trident. ex mandato Episcopi alicui Ecclesiæ inserviant. Hoc ipso enim quo tales Clerici ita servitio Ecclesiæ deputati sunt, videntur in hoc æquales aliis Clericis computari, & confirmatur, quia, vel illi tunc non inserviendo Ecclesiæ reciperent sua stipendia, & sic essent meliori conditione, quàm alii Clerici, qui non accipiunt stipendia nisi inserviant, & Ecclesia damnum acciperet, quæ & eorum servitio, & suis stipendiis privaretur, vel ipsi iisdem stipendiis privarentur, & hoc esset valde durum, cùm ea ratione in gravissimas necessitates, & Clericali statu indignas sine sua culpa conjicerentur.

RESOL. XIII.

An qui habet duo domicilia, alterum in loco interdicto, & alterum in loco non interdicto, censeatur ipse interdictus? Ex p.5.tract.10. Res.71. alias 70.

§.1. ALiqui censent manere interdictum, ita Calderin. *tract. de interd.* Sed contrarium docet Sylvester *ver. interd.2. n.13.* quia non est major ratio, ob quam sentiat onus unius populi, quam libertatem alterius, & hanc sententiam amplectitur Suarez *disput.32. section.2. num.16.* cum ea limitatione ut quamdiu habitet in populo interdicto, ferat onus interdicti. quod videtur revera probabile, & ad mentem legislatorum, & ita etiam docet Turrian. *lib.2. disp.48. dub.2.*

RESOL. XIV.

An licitum sit alicui non interdicto audire Missam Sacerdotis interdicti personaliter? Ex part.5. tract.10. Resol.64.

§.1. NEgativam sententiam docet Philip. Faber *de censur. dist.15. quæst.1. disputat.5. cap.2. n.47.* ubi sic ait: Dubium est, an personæ non interdictæ liceat audire missam Sacerdotis interdicti personaliter? Respondeo si non est publicè denunciatus, nulli dubium esse non peccare, propter Extravag. *Ad evitanda*, de qua *in disp. de excommunicatione* diximus. Si verò est publicè denunciatus, sustinet Suarez *ubi supra sect.3. num.5.* non esse peccatum. Ratio ejus est, quia interdictum personale militat contra personam interdictam, ne faciat, vel audiat Missam, & divina Officia, cæteràsque functiones Ecclesiasticas, non autem prohibet ne quis cum illo communicet, aut ejus actionibus assistat, quia nullo in jure hæc prohibitio apparet explicitè nedum, sed neque etiam implicitè. Vnde dummodò talis non communicet in ministrando divina, sed solùm assistat, inquit prædictus Suarez, minimè peccatum committere. Hæc autem opinio mihi non probatur, neque turò in praxi servari posse judico, quoniam celebratio divinorum Officiorum activa & passiva est mutua. Vnde cùm quis privatur ab activa administratione divinorum, consequenter quoque videtur privari assistentia passiva aliorum ad illa in persona illius. Vnde cùm quis interdicitur personaliter à celebratione Missæ, ac divinorum, consequenter etiam prohibitio indicitur, ne alii ei assistant, quia hæc mutuò se se consequuntur. Confirmatur hæc doctrina, quia certum est Sacerdotem sic ministrantem peccare mortaliter, cùm autem quis illius Sactificio assistit, cooperari videtur illi, & communicat operi malo, quatenus est illius Sacerdotis, quia est sactilegium hujusmodi celebrare: ergo mihi videtur etiam peccare, ideo in jure hæc prohibitio continetur implicitè. Hæc Phil. Faber.

2. Sed his minimè obstantibus negativam sententiam cum Suarez tenet novissimè Turrian. *lib.2. disputat.49. dub.2.* ubi docet illicitum esse inducere talem Sacerdotem ad dicendum, vel ei cooperari, non tamen solùm ejus Missam audire. Prior pars est manifesta, quia non licèt inducere ad actum peccati. Posterior probatur, quia in sola auditione Missæ non est ulla species cooperationis considerato jure naturali; nullum autem est jus positivum, quo prohibeatur talis auditio Missæ. Ego puto utramque sententiam probabilem esse, & hanc posteriorem tenet etiam Mercerus *in 3.part.q.24. de interdicto dub.3.* & Filliucius *tom.1. tract.18. cap.3. num.77.*

RESOL. XV.

De pœna interdicti ab ingressu Ecclesia apposita ab Vrbano VIII. in Bulla contra non residentes.

Et clarè, & breviter explicatur, quid importet dicta pœna.

Et in prædicto casu quæritur, an si quis ita interdictus celebret intra Ecclesiam, fiat irregularis?

Et quid, si tantum audiat officia divina?

Et an Episcopus interdictus ab ingressu Ecclesia possit intra illam recipere Sacramenta?

Et an possit in Ecclesia exercere actum jurisdictionis pro foro interno?

Et inter alia alii decem casus cursim adnotantur, in quibus Episcopis interdicitur ingressus Ecclesiæ. Ex part.10. tract.13. & Misc.3. Resol.2.

§.1. A

contrario §. 1. hoc §. sequenti. Resol. sequenti.

AQuodam Episcopo interrogatus, vt ei explicarem clarè & breviter quid importaret dicta pœna. Respondi, quod per dictam pœnam Episcopus non potest intra Ecclesiam celebrare, nec audire officia Divina, nec in loco sacro sepeliri etiam intra cœmeterium. At vero extra Ecclesiam, vel sub dio, vel in tentorio, vel etiam in Oratorio privato non erecto auctoritate Episcopi poterit celebrare, sicut etiam & in cœmeterio, licet ibi non possit sepeliri. Poterit etiam extra Ecclesiam exercere jurisdictionem in foro exteriori, dixi in foro exteriori, quia non poterit absolvere Sacramentaliter, quia est actus ordinis. Præterea circa officia Divina notanda est differentia quædam inter auditionem Divinorum, & celebrationem: nam si celebret intra Ecclesiam sit irregularis, *cap. Is cui de sent. excomm. in 6.* at vero si tantum audivit Divina, licet peccet mortaliter, non tamen fit irregularis.

Hinc inf. restrin. num. 17.

2. Sed dubium est, an in nostro casu Episcopus interdictus ab ingressu Ecclesiæ possit intra illam recipere Sacramenta? Partem negativam tenet glossa, *can. præsenti. 5. q. 2.* ubi generaliter dicitur, quod cui interdicitur Ecclesia, interdicta sunt Sacramenta Ecclesiæ. Tenet etiam Angelus *verb. Suspensio. 3. n. 4.* Sylvester *verbo Suspensio. q. 5. circa finem.* & aliqui juniores. Sed pars affirmativa est mihi probabilior, quam tenet Pater Henriquez, *lib. 13. cap. 32. n. 2.* & videtur de mente Calderini, quem referunt, & sequuntur, Ancharanus, Geminianus, & Francus *dicto cap. Is cui*, in quantum dicunt, quod interdictum ingressus Ecclesiæ solum respicit officia Divina. Item dictus Episcopus benè poterit ingredi Ecclesiam, & ibi orare privata oratione, tempore quo non celebrantur officia Divina; imo poterit transire per Ecclesiam tempore quo celebrantur officia divina, & orationem facere breviter. Et hæc omnia docet Avila *de Cens. par. 5. disp. 4. sect. 3. dub. 5. concl. 5. per totam.* Vide etiam Gavantum *in Man. Epis. ver. Suspens. n. 11.* Layman *lib. 1. tr. 5. part. 4. cap. 1.* Filliucium *tom. 1. tr. 18. n. 103.* Vgolinum *de Cens. Tab. 5. cap. 16. §. 3.* Suarez *de Cens. tit. 5. disp. 35. sect. 4.* Sayrum, *lib. 5. cap. 9.* Altherium, *tom. 2. disp. 7. cap. 2.* & alios penes ipsos cum Castro Palao *tom. 6. disp. 5. punct. 4. §. 4. per tot.*

Hinc in fine paragraphi.

3. Sed hic obiter pro curiosis adnotabo, præter casum adductum, alios casus, in quibus Episcopis interdicitur ingressus Ecclesiæ. Et primò, si præsumant in confidentiam beneficia Ecclesiastica recipere, ut in Extravag. 109. Pij IV. Secundò, si extra casus necessarios ingrediantur Monialium Monasteria, vt in Extravag. Gregorii XIII. incip. *Dubiis quæ emergunt.* Tertiò, si Episcopi Doctorandi facultatem habentes, aliquem promoveri patiantur, non præmissa fidei professione, ut in Extravag. Pij IV. Quartò, si Metropolitani non denunciant Summo Pontifici absentiam suorum suffraganeorum, & suffraganei antiquiores absentiam suorum Metropolitanorum, ut decernit Tridentina Synodus *sess. 6. cap. 1. §. Crescente, de Reformat.* Quintò, si sibi usurpent sine justo titulo bona Ecclesiarum vacantium, *ut in cap. Præsenti de Offic. ordin. in 6.* & in Extravag. unica, *ne Sede vacante.* Sextò, si præsumant bona Ecclesiarum, &c. præterquam in casibus à jure permissis alienare, vt in Extravagant. *Ambitiosæ de rebus Ecclesiasticis non alien.* Septimò, si occasione visitationis accipiunt procurationem in pecunia, & non in victualibus, ut in capite *Exigit. de Censibus, in 6.* Octavò, si glossas, annotationes, &c. absque authoritate Papæ super Decretis Concilii Tridentini edere audeant, ut cavetur in Constitut. 73. incip. *Benedictus Deus.* Pij IV. edita anno 1564. registrata in Bullar. ultimæ editionis, *tom. 2. pagina* 104. Nonò si Episcopatum de manu Laicæ personæ cum effectu suscipiant, ut in Can. *Si quis deinceps. 16. quæst. 7.* Decimò, si excommunicent sine monitione canonica, & præsentibus testibus. *cap. Sacro. de Sent. Excomm.*

RESOL. XVI.

An interdicto ab ingressu Ecclesiæ prohibeatur omnis ingressus?

Et an saltem dum celebratur Divinum Officium, possit talis interdictus ibi orare, loqui, disputare, & concionem audire? Ex part. 5. tract. 10. Resol. 73. aliàs 72.

Pro doctrina hujus Resol. lege §. 1. & 2. præcedentis Resol.

§. 1. AFfirmativam sententiam docet Filliucius *tom. 1. tractat. 18. cap. 5. num. 105.* Comitolus *in respon. moral. lib. 6. quæst. 49. numero 5.* Cornejo *in 3. part. tract. 5. de interd. disp. 2. §. 4. quæst. 1.* Iacobus Gordonus *in summ. tom. 2. lib. 7. quæst. 16. cap. 8. numero 55. & 56.* ubi sic ait: Hic quæri potest, prohibito ingressu Ecclesiæ, quid præcisè censeatur prohibitum sub nomine, titulóque hujus ingressus? Respondent aliqui tantùm prohiberi ingressum tempore divinorum Officiorum. Ita Navarr. *cap. 27. num. 170.* ac proinde quando non fiunt divina, posse homi- Sup. hoc ibidem, §. 2. ad med. ves. nem sic interdictum ingredi templum, & ibidem orare, contendit. Secunda opinio est debere hoc limitari ad formalem, ut loquuntur, templi ingressum, hoc est, non esse licitum ingredi templum ob usum, ad quem illud destinatum est, ac proinde non tantùm ad audienda divina, sed nec ad orandum permissum esse ingressum, licebit ergo in hac sententia transire per templum, ibidem loqui, disputare, imò & concionem ibi audire. Ita Suar. *disp. 35. sect. 4. in fine.* Tertia sententia est esse prohibitum omnem Ecclesiæ ingressum. Ita Abbas *cap. Ecclesia, de immun. Eccles. num. 5.* Calderin. *de interdicto Ecclesiastico, n. 2. vers. Sed quæritur.* Fatetur tandem Navarr. hanc esse multorum sententiam. Et sanè si excipiamus concessionem, quæ quibusdam diebus festis facta est interdictis hominibus, *dict. cap. Alma, §. in festivitatibus,* & necessitatem legitimam, ut si quis vocaretur in jus, quod posset interdum dici in Ecclesia. His, inquam exceptis, probabilius est omnem Ecclesiæ ingressum homini sic interdicto esse prohibitum, quia nulla est ratio cur à verborum proprietate discedamus. Iste verò suspenditur ab ingressu Ecclesiæ, idque simpliciter, & non restrictè: ergo. Ita Gordonus, satis quidem rigidè, & scrupulosè.

Item dictus Episcopus.

2. Ideò negativam sententiam teneo, & ita præter Navarr. docet Reginald. *tom. 2. lib. 32. tract. 3. cap. 30. num. 41.* Covarruv. *in cap. Alma mater, part. 2. §. 1. n. 3.* Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 19. diff. 9. num. 4.* Hurtad. *tract. de interd. diffic. 9. num. 31.* Coninch *de Sacrament. disp. 17. dub. 2. num. 59.* asserentes interdictos ab ingressu Ecclesiæ dum non celebratur divinum Officium posse ibi orare, quia Ecclesia propriè instituta est ad audienda, vel celebranda divina Officia, non autem ad privatas orationes fundendas, nisi per accidens, & consecutivè. Imò ego puto probabiliter posse interdictum ab ingressu Ecclesiæ transire per Ecclesiam, dum celebrantur divina Officia, y hazer oracion de passo. Ita ex Navarr. docet Avila *part. 5. disp. 4. dub. 5. concl. 6.*

RESOL. XVII.

An interdictus ab ingressu Ecclesiæ possit intra illam recipere Sacramenta? Ex part. 5. tract. 10. Resol. 74. aliàs 73.

§. 1. Nega-

Sup. hoc sup. in Ref. 15. lege doctrinam §. 2.

§. 1. NEgativam sententiam docet Gordon. *tom. 2. lib. 7. quæst. 16. cap. 8. num. 56.* Suarez *disp. 35. sect. 4. n. 5* Alter. *tom. 2. disp. 7. cap. 2.* Hurtadus *tr. de interd. diffic. 9. n. 31.* Coninch *de Sacr. disp. 17 dub. 2. n. 59.* asserentes interdictum ab ingressu Ecclesiæ illicitè in ea susci pere Sacramenta, quia credibile non videtur aliquem judicari indignum, qui aliis divinis Officiis interfit, & tamen ei permittere, vt cum aliis in Ecclesia Sacramenta recipiat. Et Ecclesia non tantùm instituta est ad divina Officia celebranda, sed etiam ad Sacramenta ministranda, & suscipienda.

2. Sed affirmativam sententiam probabilem esse puto: nam Coninch negativam, quam ipse tenet *ubi supra*, vocat tantùm probabiliorem. Et ita hanc sententiam absolutè tenet Henriquez *lib. 13. cap. 32. num. 2.* & Avila *part. 5. disp. 4. dub. 5. concl. 6.* & ratio est, quia interdicto ab Ecclesia non prohibetur usus Sacramentorum, sed usus divinorum Officiorum, & sepulturæ: ergo. Et ita hanc sententiam post hæc scripta invenio etiam docere Bonacinam *de censur. disput. 5. punct. 5. num. 12.*

RESOL. XVIII.

An interdictus ab ingressu Ecclesiæ possit in Cœmeterio Officia divina audire, & Missam celebrare? Ex p. 5. tract. 10. Resol. 76. aliàs 75.

Sup. hoc sup. ex Resol. 15. lege doctrinam §. 1.

§. 1. NEgativam sententiam docet Villalob. *in summ. tom. 1. tr. 19. diffic. 9. n. 5.* ubi sic ait. [Ha se de advertir, que aunque en el cemeterio se dixesse la Missa, o el Oficio divino, no puede assistir allì el que està desta manera entredicho; porque por nombre de Iglesia tambien se entiende el cemeterio, como nota la Glosa, y se colige de un texto, y tiene esta sentencia Abad, y ha se de entender del cemeterio contiguo, como se colige del texto citato.] Ita ille.

2. Qui tamen ibi, & meritò, affirmativam sententiam probabilem vocat, quam tuetur Filliucius *tom. 1. tr. 18. cap. 5. n. 103.* Reginald. *tom. 2. lib. 32. tr. 3. cap. 29. n. 41.* & alii. Et ratio est, quia in talis interdicti sententia tanquam pœnali (& ideo restringenda interpretatione) nomen Ecclesiæ accipiendum est in rigore, quo non comprehendit cœmeterium, vt patet ex communi usu, & ideo jus *in cap. is cui, de sententia excomm. in 6.* tanquam non satis indicatum priùs nomine Ecclesiæ addidit nomen Cœmeterii, vt ad ipsum extenderet privationem sepulturæ Ecclesiasticæ. Verba sunt hæc. Talis quoque si hoc interdicto durante decedat, non debet in Ecclesia, vel Cœmeterio Ecclesiastico, nisi pœnituerit, sepeliri. Vide etiam Suarez *disp. 38. sect. 3. num. 9. & sequent.*

RESOL. XIX.

An interdictus ab ingressu Ecclesiæ, si moriatur cum signis pœnitentiæ, sit absolvendus, vt possit sepeliri in loco sacro? Ex p. 5. tract. 10. Resol. 75. aliàs 74.

§. 1. AFfirmativam sententiam docet Bonacina *de cens. disp. 5. punct. 5. n. 11.* ubi sic ait, Interdictus ab ingressu Ecclesiæ non potest sepeliri in Ecclesia, vel Cœmeterio, nisi fortè dederit signa contritionis, tunc enim potest absolvi, & sepeliri in loco sacro. Ita ille.

2. Sed in tali casu ad talem sepeliendum nullam adhibendam esse absolutionem, docet Cornejo *in 3. p. tract. 5. de interd. disp. 2. §. 4. quæst. 2.* ubi sic ait. Quæres an hoc interdictum privet Ecclesiastica sepultura? Respondetur affirmativè ex textu *in d. cap. his qui*, ibi: Talis quoque si hoc interdicto durante decedat, non debet in Ecclesia, vel Cœmeterio Ecclesiastico, nisi pœnituerit, sepeliri. Vbi nota quòd ut iste talis sepeliatur in loco sacro, nulla requiritur absolutio à tali interdicto ab homine facta, vt cum Covarruvia docet Avila *part. 5. disp. 4. sect. 3. dub. 1. concl. 1.* & ratio est, nam eo ipso, quòd decessit cum pœnitentia, manet absolutus à jure, siquidem hoc interdictum quantum ad hunc effectum positum erat, nisi pœnituerit, atque ita conditione impleta, sublatum manet. Ita Cornejo, & ego.

Sup. hoc sup. ex Resol. 15. lege doctrinam §. 1.

RESOL. XX.

An in interdicto personali generali licita sit Ecclesiastica sepultura? Ex p. 5. tract. 10. Resol. 67. aliàs 66.

§. 1. NEgativè respondet Faber *de cens. in 4. sent. disp. 23. q. 1. disp. 5. cap. 2. num. 56.* ubi sic ait: In interdicto personali speciali persona interdicta nullibi sepeliri potest sepultura Ecclesiastica, vt habetur *cap. si civitas de sentent. excomm.* & est communis opinio. Ratio differentiæ est clara, quia in primo interdicto prohibitio non fertur in personas absolutè, sed ratione loci solùm; in secundo verò absolutè fertur in personas. At de interdicto personali generali est contentio inter DD. Aliqui tenent etiam ipsos privari Ecclesiastica sepultura propter jura adducta de interdicto personali, & præsertim *ex cap. si sententia, de sent. excomm. in 6.* ubi interdictum personale dicitur ligare singulas personas. Tamen Suarez *ubi supra*, tenet oppositum, propter Extravag. *ad evitanda*, quæ requirit quòd persona sit nominatim denunciata, & interdicta. Sed hæc opinio est difficilis, quia sequeretur quòd neque privarentur aliis effectibus, scilicet celebratione divinorum Officiorum, & participatione quorumdam Sacramentorum; quod tamen est contra essentiam interdicti. Ad fundamentum ejus respondetur sufficere quòd sententia interdicti personalis bis sit publicata. Hæc Faber & hanc sententiam in praxi tenendam esse putat Turrian. *lib. 6. disp. 51. dub. 1.* & illam absolutè contra Suarez tenet Præpositus *in 3. p. quæst. 4. de interdicto, dub. 4. num. 51.*

2. Verùm sententiam Suarez *disp. 35. sect. 3. n. 2.* quam impugnant DD. citati sequitur Cornejo *in 3. part. tract. 5. de irreg. §. 3. q. 2.* ubi docet in interdicto personali generali non esse denegandam Ecclesiasticam sepulturam, ex dicta Extravag. *ad evitanda*, ubi conceditur privilegium erga eos, qui non sunt nominatim denunciati; nam quamvis in generali interdicto personali fiat generalis denunciatio totius populi, aut communitatis, illa tamen est remota respectu cujusvis in particulari. Vide etiam Megalium *in 3. p. lib. 6. cap. 2. num. 6.*

RESOL. XXI.

An qui tempore interdicti habent privilegium particulare assistendi Divinis Officiis, vel interessentes in diebus Paschatis, Pentecostes, &c. possint in loco sacro sepeliri? Ex p. 5. tract. 10. Resol. 68. aliàs 67.

§. 1. NEgativam sententiam docet Cornejo *in 3. p. tract. 5. de interd. disp. 3. §. 4. q. 1.* Præpol. *in 3. p. q. 4. de interd. dub. 3. n. 42.* Hurtadus *tract. de interd. diffic. 9. n. 30.* Gordonus *tom. 2. lib. 7. q. 16. cap. 4. n. 44.* Coninch *de Sacram. disp. 17. dub. 2. n. 55.* Suarez *disput. 38. sect. 1. n. 13.* Villalob. *in summ. tom. 1. tr. 19. diffic. 8. n. 4.* Mercer. *in 3. p. q. 24. de interd. dub. 4.* Filliucius *tom. 1. tr. 18. cap. 3. num 96.* Alterius *de cens. tom. 2. disp. 6. c. 3.* & ratio est, quia, vt patet *ex c. Episcoporum, de privileg. in 6.* & *ex c. si sententia, de sent. excommun. in 6.*

Privatio

Privatio sepulturæ Ecclesiasticæ est effectus interdicti distinctus à privatione divinorum Officiorum, nec censetur illi necessario connexus, & proinde sepultura non solùm ratione divini Officii prohibetur, sed etiam ratione sui. Vnde ex concessione unius aptè infertur concessio alterius.

2. Verùm non desinam hîc adnotare affirmativam opinionem docere Sotum *in 4. dist. 22. quæst. 3. art. 1. post 4. concl.* Henriquez *lib. 13. cap. 44. n. 5.* Navarrum *c. 27. n. 181.* Emanuël Sà *ver. interdictum, n. 8.* Angelum *ver. Interdictum 6. n. 35. & 36.* & Avilam *part. 5. disp. 4. sect. 3. dub. 4. concl. 1.* qui hoc probat. Nam, vt inquit Sylvest. *ver. interdictum, 5. q. 2. p. 4* & Tabiena *eod. ver. § 11. circa medium* Sepultura negatur propter duo. Primò ratione divini Officii annexi. Secundò ratione dependentiæ ad ordinem sacrum propter consecrationem Ecclesiæ: unde nec in loco sacro sine divino Officio fieri potest, ergo quando utrumque eorum licet ex privilegio, consequentet licebit sepultura. Probatur consequentia, nam cui communicamus vivo, possumus communicare defuncto, & tandem hanc sententiam docet Megala *in 3 p. lib. 6. c. 2. q. 1. n. 44.* Ioan. de la Cruz *in direct. Confess. part. 2. de cessatione à divinis dub. 1. concl. 3.* Episc. Moscosus *in sum. tr. 16. c. 8.* ubi sic ait: [Sepultura Ecclesiastica se puede dar generalmente en todos estos dias, y fiestas privilegiadas à Clerigos, y legos, que en esto no ay exception de fiestas, ni de personas, si no es, que ya uviesse otro algun impedimento juridico de por medio. Y algunos autores an querido dezir, que conforme à derecho no se pueden hazer, ni dar las tales benediciones nuptiales, ni Ecclesiastica sepultura en estas dichas fiestas privilegiadas en tiempo de entredicho; pero otros muchos mas tienen, y llevan la primera opinion en ambas cosas, la qual me parece muy bien por ser tan piadosa.] Ita ille. Satis quidem probabiliter, vt rectè advertit Tannerus *tom. 4. disp. 6. q. 10. dub. 8. num. 160.* quando interdictum ab homine latum est, subdistinguunt, vel enim agimus de Episcopo, qui illud protulit, vel de aliis. In priori aiunt procedere primam sententiam desumptam ex hoc textu, quòd scilicet Episcopus qui interdictum protulit, illud pro certo tempore, aut causa suspendere valeat; in posterioribus verò procedere contrariam sententiam negativam, quòd inferiores Romano Pontifice interdictum ab ipso Pontifice vel ab aliis Prælatis prolatum relaxare non possunt, nec in totum, nec etiam ad tempus suspendere, vt concludunt fundamenta pro eadem parte negativa adducta, atque ita hanc distinctionem expresè tradunt Covarruvias *cit. loc.* & Henriquez *in summ. lib. 13. c. 51. § 4. ver. 4.* Suarez *disp. 38. sect. 3. a n. 5.* juncto *num. 6. vers. & propterea.* Ratio autem proxima & efficax hujus distinctionis secundùm eos illa est, quia effectus censuræ ex intentione & mente pendent proferentis, *c. veniens 2. de testib.* & eatenus ligant, quatenus intendit, qui ligat, ex regul. *l. non omnes, ff. si certum petatur, c. cùm super de officiò delegati,* cum similibus. Ad fundamentum verò ex regula textus *in d. c. Pastoralis, §. verùm* respondet Suarez sensum illius textus esse quòd censuræ suam secum trahant executionem, absque alio hominis ministerio, sed in hac ipsa actuali executione pendere interdictum, & ejus effectus ex voluntate & intentione proferentis, ex qua ratione idem Covarr. Henriquez, Sayrus, & Suarez concludunt, hoc ipsum in interdicto personali esse resolvendum, & quamvis latum sit ob personæ contumaciam, quæ adhuc durat, considerent tamen occurrere posse rationabiles causas, propter quas justum sit interdictum suspendere ad tempus certum, licèt non sufficiant ad illud omninò tollendum, & hæc omnia observat & docet doctus & amicissimus Barbosa *in collectan. Doctor. tom. 1. lib. 2. tit. 28. c. 55. num. 2. & 3.* Vide etiam Layman. *lib. 1. tract. 5. part. 4. cap. 5. num. 3.*

alias Res. ejus annotationum.

RESOL. XXII.

An Episcopus possit suspendere interdictum? Ex part. 5. tract. 10. Res. 70. aliàs 69.

§. 1. PRima opinio negat. Ita Covarr. *in cap. Alma mater, part. 1. §. 11. n. 6. ver. 2.* Avila *disp. 6. dub. 4. concl. 4.* & glossa *in c. ad hæc, de appellat.* Probatur hæc opinio, primò, quia Episcopi sunt inferiores lege Pontificia, ac subinde eam servare, non autem privilegio, aut dispensatione tollere possunt, juxta regul. *cap. cum inferior. de major. & obed.* Deinde, quia censura suam secum trahit executionem, & ideo nec per appellationem ejus effectus suspendi possunt, *c. Pastoralis, §. verùm, hoc titulo:* ergo à fortiori neque Episcopus inferior poterit eam suspendere, quemadmodum in excommunicatione etiam respectu proferentis, quod non possit concedere vt quis cum excommunicato à se ipso communicet, sed necessaria sit absolutio, quæ in totum excommunicationem tollat, resolvunt DD. communiter, per unam scilicet ex tribus formis absolutionis ab Ecclesia receptis, vel simpliciter, vel ad cautelam, vel ad reincidentiam, juxta *c. cùm desideres, de sent. excomm.* ergo. &c.

2. Secunda opinio affirmat. Ita Navar. *c. 27. n. 183.* & glossa *in præsenti, de sent. excomm. in 6.*

3. Tertia opinio has sententias contrarias fœdere distinctionis conciliat: aut enim interdictum est latum à jure, vel ab homine; quando à jure prolatum est, ab Episcopo suspendi posse concedunt, vt ex Soto, qui hoc non dicit, *in 4. dist. 22. q. 3. art. 1. concl. 3.* tradit Fr. Emanuël *qq. Regul. tom. 2. q. 111. art. 1. concl. 3.* & post Sylvest. Suar. *tom. 5. disp. 38. sect. 3. n. 6.* per regulam textus *in c. nuper, vers. in secundo, de sententia excomm.*

Sup. hoc lege doctrinam Res. 9. & illa declarant potes. Sup. hoc & Sylvest. & Navarr. ubi etiam

RESOL. XXIII.

An Confessarius possit tollere interdictum personale particulare, sine reservatione latum, post satisfactionem, vel satisfaciendi cautionem? Ex p. 5. tr. 10. Res. 72. aliàs 71.

§. 1. NEgativam sententiam docet Henriq. *lib. 13. c. 35. n. 2.* & Avila *p. 5. disp. 6. dub. 1. concl. 2.* ubi sic ait: Parochus & Confessor ordinarius non possunt via ordinaria absolvere ab interdicto, sive imposito à jure, sive ab homine, quia talis absolutio non est necessaria ad absolutionem à peccatis, sicuti absolutio ab excommunicatione. Ita ille.

Sup. hoc supra in tr. 3. lege doctrinam Res. 10. & 11.

2. Verùm contrariam sententiam tenet Coninch *de Sacr. disp. 7. dub. 6. n. 7.* Suar. *disp. 38. sect. 2. n. 9.* Præpos. *in 3. p. q. 4. de interd. dub. 6. n. 61.* Cornejo *in 3. p. tr. 5. de interd. diff. c. 4.* Layman. *lib. 1. tr. 5. p. 4. c. 5. n. 3.* Hurtadus *tr. de interd. diffic. 16. n. 48.* & Mercerus *in 3. p. q. 24. de interd. dub. 8.* sic enim asserit. Interdictum latum ab homine tollitur à solo illo, qui tulit, vel Superiore, vel successore, vel delegato, latum verò à jure si sit in pœnam commissi peccati, tollitur lapso tempore, pro quo latum est, si sit ob contumaciam, & reservatum sit, tollitur per eum, qui reservaverit, nisi quod per Concil. Trident. *sess. 24. c. 6. de reform.* possit Episcopus à reservatis Pontifici absolvere, modò casus sit occultus, si reservatum non sit, & locale sit, potest tolli ab Episcopo loci, vel habente jurisdictionem Episcopalem, vt etiam personale generale: at personale speciale à quolibet proprio Confessore, modò detur cautio sufficiens. Ita Mercerus, & rationem ego adducam, quia interdictum personale speciale non minùs

Sup. hoc lege doctrinam Res. 9. Signanter, §. 2. paulo post initium, & ex illo inferas quid sup. hoc, &c.

minùs quàm excommunicatio prohibet à perceptione Sacramentorum), vt supra dictum est c.2. n.1. ergo si cuti excommunicationem si reservata non sit ante absolutionem à peccatis, quivis expositus Confessarius tollere potest, *arg. c. nuper, de sent. excommunic.* ita & interdictum hoc personale.

RESOL. XXIV.

An interdicto Clero intelligantur interdicti Religiosi?
Et quid, si Religiosus habeat beneficium sæculare, v.g. Pastoratum, Canonicatum, &c. ita ut censeatur à suis segregatus?
Et quid est dicendum, si censura feratur sub nomine personarum Ecclesiasticarum, an comprehendantur Religiosi, etiam Conversi, Moniales, Novitii, & Eremitæ? Ex p.5. tract.10. Resol.81. aliàs 80.

Sup. hoc supra in tr.2. Resol 51.§ Sed ad 1m.6.

§.1. AFfirmativè respondent Doctores quos citat Sayrus *lib.5. c.4. n.29.* & hanc opinionem esse communem testatur Covarruvias *in c. alma mater, part.2. c.1. num.8. §.5.* & tenet ex neotericis Megala *in 3.part. lib.2.c.1. q.2.n 15.* Suar. *disp 32.sect.2. num.17.* quia tota communitas distinguitur in populum & Clerum; sed Religiosi non comprehenduntur sub nomine populi: ergo sub nomine Cleri.

2. Verùm tu ne discedas à contraria sententia. Dico igitur quòd quando interdicitur Clerus, neque ex antecedentibus, vel consequentibus constare potest de contraria mente judicis, vel legislatoris, non comprehendantur personæ Religiosæ, quia, vt tradunt varii, tales in odiosis non comprehenduntur nomine Cleri, etiamsi primam Tonsuram habeant, nisi ex adjunctis aliud colligatur, atque ita si in sententia dicatur, Interdicimus Clerum talis civitatis, non comprehenduntur Religiosi. Quod intelligo, nisi Religiosus habeat beneficium sæculare, verbi gratia Pastoratum, Canonicatum, ita vt censeatur à suis segregatus, quia talis sub nomine Cleri comprehendetur, quòd si censura feratur sub nomine personarum Ecclesiasticarum, comprehenduntur Religiosi etiam Conversi, & Moniales, quia etiam hi divino servitio se manciparunt, & vocantur personæ Ecclesiæ: imò comprehenduntur Eremitæ: verius etiam est comprehendi Novitios, quia etiam hi censentur personæ Ecclesiæ quamdiu versantur in probatione, si interdicantur Religiosi, verius est eos non comprehendi, quia in odiosis non veniunt nomine Religiosi. Et hæc omnia docet Præpositus *in 3.p.q.4. de interd. dub.2.n.11.* cui adde Portel *in dub. reg. ver. interd. n.5.* ubi sic ait. Interdicto Clero universo alicujus urbis, non interdicuntur Religiosi illius urbis, si verba aliud non indicent, quia in odiosis nomine Cleri non intelliguntur Religiosi, bene tamen in favorabilibus. Ita ille, cui adde Vgolinum *tab.5.§.5.n.3.* Alterium *tom.2. disp.1.cap.5.dub.6.* Coninch *de Sacram. disp.7. dub.1.n.9.* Avilam *p.5. disp.1. dub.4.concl.7.* & Laymann. *lib.1.tr.5.part.4.c.4.n.3.*

In Indice primo hujus Tom.5. Vide Apendicem ad hunc Tract. 4. Vbi reperies alias multas quæstiones mistas, & dispersas per alios Tom. Tract. Resol. quæ simul pertinent ad hunc Tract.4. de Interdicto.

TRACTATVS QVINTVS,
DE IRREGVLARITATE,
Atque de ejus Dispensatione.

RESOLVTIO PRIMA.

An ad incurrendam irregularitatem, quam culpa sequitur, sufficiat peccatum veniale?
Et an Papa possit imponere irregularitatem purè ob peccatum veniale? Ex p.4. tract.4.& Misc.Resol.41.

Quæ nunc hanc sequetur.& in Resolut.1. post seq.& infrà Resol 6.cursim in duabus ejus ult.lin. & in Resol 121.

§.1 NEGATIVAM sententiam docui *in part.2.tract.2.Miscell.resol.20.* sed novissimè, me citato, hanc sententiam tanquam improbabilem damnat Megal. *in var. resol. tom.2. resol.159. num.4. & c. continebatur, de homicidio.*

2. Sed nescio, quomodo opinio communis Doctorum validissimis fulcita rationibus possit à Megalio improbabilis vocari, & ita hanc sententiam præter Sayrum, Suarez, Coninch, Bonac. Filliuc. Sanch. Villalobos; quos *ubi supra* citavi, tenet etiam Montesinus *in 1.2.tom.2.q.76.art.4.disp.8.q.12.n.153.* Turrian. *de cens. lib.8. disp.57. dub.2.* Gord. *in Theol. moral. tom.2. lib.7.q.10.§.4.n.14.* Laym. *in Theol. mor. lib.1.tr.5.p.1. c.1. n.4.* Ioan. de la Cruz *in direct. conscient. part.2. de irregul. dub.12. concl.6.* Tann. *tom.4. disp.6.q.10. dub.10. n.181.* Valent. *tom.4. disp.7.q.19. punct.3.§.5.* Vasq. *in 1.2. disp.158. c.1.* Hurtado *de irregul. disp.1. dissic.2. n.8.* Præpositus *in 3.p. D.Thom.q.5. de irregul. dub.2. n.6.* Avila *de censuris part.7. disp.2. dub.3. concl.3.* Sotus *de just. lib.5.q.1. art.9.* & alii penes ipsos, quia non est lex canonica ulla, quæ decernat irregularitatem propter solam venialem culpam, sed nec debere decerni, quia est pœna gravior suspensione, & tamen suspensio postulat peccatum mortale ex communi opinione, imò est gravior etiam excommunicatione minore, cùm privet executione Ordinum, nec sit pœna medicinalis, sed de se quidem perpetua, & difficilis admodum dispensationis, quæ quidem sententia est ita vera, ut asserat Coninch *de Sacram. disp.18. dub.2.n.13.* & Suarez *tom.5. disp.40. sect.3. n.17.* Pontificem non posse purè ob peccatum veniale ferre irregularitatem, & licet contrarium asserat Avila *de cens. part.7. disp.2. dub.3. concl.2.* tamen adversùs illum insurgit novissimè Turrianus *de censuris lib.8. disp.57. dub.2.* & sic ait. Fallitur Avila dicens Papam posse imponere irregularitatem ob peccatum veniale, sed de irregularitate ut pœna falsum est, quia pœna non esset proportionata culpæ. Ita ille. Verùm quicquid sit de hoc, certum est de facto nullam irregularitatem esse impositam in jure, nisi pro culpa mortali, & *ad c. continebatur*, quod

quod adducit Megalius, respondet Sayrus *de censur. lib.7.c.5.num.5.* & alii *ibi*, Diaconum peccasse mortaliter; alias verò responsiones videbis apud Doctores citatos, præsertim apud doctissimum Ludovicum Montesinum *in* 1. 2. *D. Thomæ tom.* 2. *q.*76. *art.*4. *disput.*8. *quæst.*12. *num.*150.

RESOL. II.

Ex occasione cujusdam homicidii casualis fuit olim à me quæsitum, utrum ad irregularitatem ex delicto incurrendam, requiratur culpa mortalis, ita ut negligentia venialis non sufficiat? Ex p.2. tract.16. & Misc.2. Resol.18. aliàs 20.

§.1. EX nostris P. Megala *in* 3.*p.lib.*7.*c.*2.*q.*1.*n.*7.& *q.*5.*n.*110. ex Societate Iesu P. Molina *de just. tom.*4.*tract.*3. *disp.*77.*n.*4. ex Dominicanorum familia Illustrissimus Cajet. *in* 2.2. *q.*64.*art.*8. cum Petro de Aragona *ibidem*, & alii putant culpam venialem sufficere ad irregularitatem incurrendam, & præcipuè probat hoc Megala *ex cap. continebatur, de homicidio.* Deinde, ait Molina, irregularitas ex eo proveniens, quòd aliquis se immiscerat causæ sanguinis, incurri potest, absque alia culpa (quin & cum merito) propter solum homicidium, aut mutilationem, quæ sint subsequuta, vt patet in laïco, qui licitè, ac meritoriè in ea causa accusavit; & judice, qui similiter licitè, ac meritoriè sententiam tulit. Ergo, &c.

Ita hoc in 2. contrario, & in duabus seq. fin. & in 3. dist.

2. At ego contrariam sententiam probabiliorem esse semper censui, & illam in facti contingentia consului. Ita docent præter DD. quos citat, & sequitur Sayrus *de censur.lib.*7.*c.*5.*n.*5. Suarez *de censur.disp.*40. *sect.*3.*n.*19. Coninch *de Sacram disp.*18.*dub.*2.*n.*13. Bonac. *de censur.disp.*7.*q.*1.*punct.*2.*n.*1. Filliuc. *in qq. mor. tom.*1.*tract.*20. *c.*3.*a n.*58. *usque ad n.*64. Villalob. *in sum.tr.*21.*diff.*22.*n.*8.& 14. Sanch. *de matr.tom.*3.*lib.*9. *disp.*32.*n.*34.& alii. Dico igitur, ad incurrendam irregularitatem requiri peccatum mortale, & non sufficere quamcumque negligentiam venialem. Et ratio est, quia irregularitas est pœna gravissima, & quia pœna debet proportionari delicto. Ergo non est verisimile incurri ob culpam, & negligentiam tantùm venialem. Cæteras rationes vide apud citatos authores.

3. Restat respondere ad argumenta in contrarium. Ad argumentum Megalæ respondetur secundùm aliquos, Clericum illum, de quo *in c. continebatur*, peccasse mortaliter ludendo cum laïco joco satis indecenti, vt patet. Ergo. Ita Sayrus *ubi suprà.* Sed hæc responsio non ita arridet Suarez, & ipse aliam meliorem dat, *disp.*45.*sect.*6. *n.*3. adi illum, & non pigebit.

4. Ad argumentum Molinæ respondeo, non obstare quòd aliquando incurratur irregularitas ex homicidio, sine culpa, dummodo homicidium illud factum sit publica authoritate ex defectu lenitatis, non autem privata ex delicto, vt est in casu nostro: nam tale homicidium debet esse culpabile, ideóque voluntarium, saltem indirectè.

RESOL. III.

An suspensio, interdictum, & irregularitas, &c. Incurratur propter culpam venialem? Ex p.3. tract.6. & Misc.2. Resol.51.

Sup. hoc pro §.1. suspensione, & interdicto, supra in tr.1. Res.13. sed an, & cap.31. & de irregularitate docuerunt Molina *de justitia tom.*4. *tr.*7. *disp.*75.*n.*1.& *disp.*77.*n.*2. Megala *in* 3. *p.lib.*7. *c.*2. *q.*1. *n.*7.& *q.*5. *n.*39. Corduba *in qq.lib.*2. *q.*26. Aragon. *in* 2. 2. *quæst.*64. *art.*8. Castrus *de leg. pœn. lib.*1. *cap.*5. *docum.*4.

§.1. ALiqui affirmativè respondent, & ita docet Cajetanus *in summa, ver. suspensio.ver. interdictum,& ver. irregularitas*, & de suspensione docent Armilla *ver. suspensio,num.*1. & Lopez *in instruct.p.*2. *cap.*31.& de irregularitate docuerunt Molina *de justi-*

2. At mihi semper contraria sententia magis placuit, quam tuentur loquentes de omnibus censuris, Suarez *in* 3.*p.tom.*5.*disp.*4.*sect.*10.*n.*8. & Sanchez *de matrim. tom.*4. *lib.*9. *disp.*32. *n.*29. & ita loquentes de suspensione docent Henriquez *lib.*13. *c.*34.*n.*1. Emanuël Sà *ver. suspensus ab officio, ver. qui certus est*, & loquentes de irregularitate, ita etiam docent Filliucius *tom.*1.*tr.*20.*c.*3.*n.*58. Villalobos *in summa tom.*1.*tr.*21. *diffic.*22. *n.*8. & 14. Bañez *in* 2.2. *q.*64. *art.*8.*tract. de de irregul. part.*2. *dub.*2. Alvarez *in part.*2. *disp.*136. *n.*1. Sotus *de justit.lib.*5.*quæst.*1. *art.*9. Salonius *in* 2.2. *quæst.*64. *art.*8. *immediatè ante* 4. *contr.* & alii.

pro suspensione tantum supra in tr.3. Res.2. & pro interdicto in tr.4 Res.1. & pro irregularitate hic in duabus præcedentibus Resol. & in aliis earum annotationum.

3. Dicendum est igitur, quòd quoties ignorantia juris, vel facti excusat transgressionem Canonis à peccato mortali, excusat etiam non solùm ab excommunicatione, sed etiam ab aliis censuris, & pœnis ob delictum impositis, vt irregularitate ob delictum, suspensione, & interdicto. Et ratio est, quia supradictæ pœnæ cùm sint gravissimæ non est credendum illas piam matrem Ecclesiam infligere ob peccatum veniale. Sed de hac quæstione alibi à nobis etiam actum est, ideo ad alias transeamus.

RESOL. IV.

An irregularitas ex delicto incurratur, si delinquens noscat peccatum, sed ignoret jus positivum prohibens sub dicta pœna irregularitatis? Ex p.3. tract.5. & Misc.1. Resol.67.

§.1. AFfirmativè respondent Layman *in Theol. mor.lib.*2.*tr.*5.*p.*1.*c.*5.*n.*8. Avila *de censur.p.*2. *c.*5.*disp.*5.*dub.*10.*concl.*2. Alvarez *in p.*2. *D.Thom. disp.* 158.*num.*5. Suarez *tom.*5.*disp.*40.*sect.*5.*n.*10. Azorius *tom.*1.*lib.*1.*c.*15.*q.*7. & alii, eo quòd talis irregularitas non contrahatur propter contumaciam, sed propter turpitudinem, seu maculam culpæ, qua criminosus secundùm Ecclesiæ Canonem inhabilis redditur ad altaris ministerium: hæc opinio est probabilis.

Sup. hoc in tribus Resol. seqq. & in aliis earum primarum annotationum.

2. Sed non minùs probabilem contrariam existimo, quam tenent Sanch. *de matr. tom.*3. *lib.*9. *disp.*32.*n.*17. Reginald. *tom.*2. *lib.*30.*c.*2.*n.*15. Peregrinus *de duello, q.*8.*n.*18.& Portel. *in addit. ad dubia Reg. ver. ignorantia, n.*21. ubi sic asserit. Sicut ad incurrendam excommunicationem diximus non sufficere, quòd sciam opus esse prohibitum ab Ecclesia, sed vt sciam de pœna, idque prohiberi sub excommunicatione; ita de cæteris pœnis, suspensione, interdicto, irregularitate, &c. dicendum, quòd vt incurrantur non sufficit, me scire opus esse prohibitum, sed requiri, vt sciam esse prohibitum sub pœna suspensionis, irregularitatis, &c. Ita ille, & ratio est, quia *in c.*2.*de constit. in* 6. asseritur ignorantes non ligari sententiis, ubi non est sermo de sola excommunicationis sententia, sed de omnibus sententiis Ordinariorum. Ergo, &c. Vnde apparet me his diebus probabiliter respondisse cuidam consulenti in casu, vt *suprà* proposito, non incurrisse in irregularitatem, de hac quæstione vide *suprà in Resolut.*20.

Sup. contrà to in hoc vers. supra in tr.1. latè in Res. 32.& in aliis ejus primæ & secundæ annot.

RESOL. V.

An quis incurrat irregularitatem, si committat aliquid, quod sit jure naturæ prohibitum, vt homicidium, ignorans tamen esse prohibitum jure Ecclesiastico, aut saltem pœnam irregularitatis ei esse annexam? Ex p.4. tract.2. Res.36.

Sup. hoc in resol. prætexit. & in duabus seqq. & sup. in tr. 1. Res. 32. §. Quæ autè. cursim in fin. & in tom. 2. tr. 6. Res. 241. §. ult. & in to. 4. tr. 8. Res. 104. §. ult. per tot. & in to. 3. tr. 3. Res. 34. §. Sed obiter.

§. 1. AFfirmativè respondet Villalobos *tom. 1. tract. 21. diffic. 6. num. 1.* ubi sic ait. [El que ignora el derecho de la irregularidad si haze el atto à que esta annexa, incurre en ella, esto es comun y llano porque tambien otras penas como la del blasphemo y homicida se incurren ignorando el derecho, y en esto difiere tambien esta pena de las censuras porque aquellas como son medicinales no las incurren los que las ignoran con ignorancia invincible, mas ha se de entender la conclusion del que ignora el precepto Ecclesiastico tan solamente cometiendo culpa contra ley natural, o divina, porque estas irregularidades que se ponen por culpa miran la indecencia que el atto en si tiene, y ansi faltando essa no se incurren.] Sic ille. Et ita hanc sententiam tenet Suarez & Vasquez, quos citat & sequitur Hurtado *disp. 1. de irregul. diffic. 8. num. 18.* quia, ait ipse, homicidium, v. g. & quodcumque aliud delictum factum contra jus naturale, etiam cum omnimoda ignorantia prohibitionis Ecclesiasticæ, ob quod lata est irregularitas, est simpliciter tale delictum, v. g. homicidium, aut aliud; & quamvis in eo delicto non sit contumacia in Ecclesiam remanet in eo sufficiens indecentia ad suscipiendos Ordines, & ad exercendos jam susceptos, ob quam evitandam fertur irregularitas; imò in eo remanet sufficiens culpa, vt ea pœnalitas ei infligatur, quamvis irregularitas infligatur vt pœna; ergo absque fundamento prærequiritur notitia prohibitionis Ecclesiasticæ ad incurrendam irregularitatem latam ob delictum alio jure prohibitum. Adde multo minus prærequiri scientiam, seu notitiam annexionis ipsius irregularitatis ad eam incurrendam, quia de ratione pœnæ, aut quasi pœnæ, non est quòd sit voluntaria; quòd autem delictum absque notitia irregularitatis factum habeat minorem contumaciam, seu inobedientiam respectu Ecclesiæ, parum refert, quia absque ea notitia sufficientem habet contumaciam & indecentiam, est tamen peculiare excommunicatione, & aliis pœnis latis per statuta Ordinariorum certum, quòd probabiliter ignoratæ, non incurrantur. Hæc omnia Hurtado.

2. Verùm non reticeam hîc adnotare quod non desunt DD. contrariam sententiam tenentes, & hi sunt inter neotericos, Thom. Sanchez *de matrim. lib. 9. disp. 32. num. 17. juncto n. 9.* & Ægid. Coninch *de Sacram. disp. 18. dub. 4. n. 19. & 31.* ubi sic asserit. Probabilius est exercentem actum cui annexa est in puram pœnam irregularitas, hanc non incurrere si invincibiliter ignoret jure Ecclesiastico prohibitam; & etiam non est improbabile ignorantiam pœnæ irregularitatis excusare, etiamsi quis sciat agere contra legem Ecclesiasticam. Ita Coninch, qui multos adducit textus & rationes, & hanc sententiam tenet etiam Ioan. Præpos. *in 3. p. q. 5. de irregul. dub. 2. n. 9.* ubi docet absolutè non incurrere irregularitatem committentem aliquid contra legem naturalem, vel divinam si ignorat, quòd idem lege Ecclesiastica prohibetur sub pœna irregularitatis; & licet *num. 10.* teneat hoc non procedere, quando non præceptum Ecclesiasticum, sed solùm pœna irregularitatis ei annexa ignoratur, attamen hanc sententiam, quam ipse contra Sanchez tenet, vocat tantùm veriorem, unde cum Coninch *ubi suprà* putat illam etiam in hoc casu, quando tantùm ignoratur pœna irregularitatis, esse probabilem; sed tu ne recedas à prima sententia, quoad irregularitatem homicidii, vt optimè observat Merolla *in disp. Theolog. tom. 1. disp. 1. c. 2. corollar. 1. n. 49.* & ego *infrà in hoc tract. resol. 85.* nam quoad alias irregularitates impositas in pœnam puram delicti, ego puto secundam sententiam negativam esse probabilissimam. Vide Merollam *ubi suprà*, & de hac quæstione iterum redibit sermo *in d. resol. 85.*

Quæ nunc hanc sequetur, &c.

RESOL. VI.

An ignorans alicui actui impositam esse irregularitatem, excusetur ab illa?

Idem dicendum est de pœna excommunicationis, suspensionis & interdicti, etiam si ignorantia sit vincibilis, dummodo non sit crassa, vel supina?

Et docetur quod irregularitas ex homicidio, vel mutilatione, licet videatur esse ex delicto, includit præcipuè defectum lenitatis, & ideo incurritur, licet occidens ignoret homicidio illam impositam esse, & hoc dubium est valde notandum, quia quotidianum, & à paucis decisum. Ex p. 4. tract. 2. Res. 85.

§. 1. OQuàm plausibilis erit Confessarii hæc resolutio, & negativam sententiam docet Reginaldus *in 3. part. tom. 4. dub. 16. de excommunic.* Azorius *tom. 1. lib. 1. c. 15. quæst. 7.* Corduba *in qq. lib. 2. quæst. 27.* Suarez *tom. 5. in 3. p. disp. 40. sect. 5. n. 10.* Alvarez *in part. 2. disp. 158. num. 5.* Avila *de cens. part. 2. c. 5. disp. 5. dub. 10. concl. 2.* Sotus *in 4. dist. 22. q. 1. art. 2. ad finem*, & Martinus Ledesma *in 2. 2. q. 24. art. 6.* Verùm ego puto contrariam sententiam non minus probabilem esse. Dico igitur quòd ignorantia juris invincibilis excusat ab irregularitate, etiamsi imponatur pro facto jure naturali damnato, quia pœna non incurritur absque culpa. Ita Navarrus, Reginaldus, Peregrinus, Sanchez & Bonacina, quos citat & sequitur Merol. *in disp. theol. tom. 1. disp. 1. c. 2. coroll. 1. num. 48.* quibus adde Castrum Palaum *in opere morali tom. 1. tract. 2. disp. 1. punct. 18. num. 6.* Coninch *de Sacram. disp. 18. dub. 4. num. 31.* & Portel *ubi infra*, & ideo si excommunicatus celebret ignorans invincibiliter esse impositam pœnam irregularitatis excommunicato celebranti, non incurrit irregularitatem. imò Merolla *ubi suprà dub. 3. num. 83.* docet etiam ignorantiam moraliter vincibilem excusare à pœna irregularitatis, dummodo non sit crassa, quia hæc non oritur ex lata culpa.

2. Sed dicet aliquis, si hæc doctrina esset vera, sequeretur quòd si quis occideret aliquem nesciens homicidio impositam esse irregularitatem, illam non incurreret. Sed hoc dicere est absurdum: ergo. Respondeo Laurentium de Portel *in dubiis regularium, ver. ignorantia, n. 19.* totum hoc concedere, sic enim asserit. Præmittendum est aliam irregularitatem consurgere ex delicto, ut ex homicidio, ex celebratione in excommunicatione, &c. in pœnam delicti. Alia verò est irregularitas: quæ non ponitur ob delictum, sed ex indecentia, vel defectu lenitatis, & comitatur non culpam, sed indecentiam, qualis est bigamia, & irregularitas contracta à judice sine culpa damnante hominem ad mortem justè. Et quidem certum est apud omnes hanc irregularitatem secundi generis certò contrahi, etiamsi operans operetur ignorantia invincibili. Est ergo sola quæstio de irregularitate primi generis orta ex delicto, an ista quæ pœna est, similiter & suspensio, interdictum, inhabilitas & similes incurrantur ab operante invincibiliter ignorante? Sotus & Ledesma affirmant; Sanchez verò tenet probabilius has omnes pœnas non incurri ab operante qui habet ignorantiam juris positivi illas imponentis; ita Portel. qui, ut apertè appareret ex ejus verbis expressè irregularitatem ex homicidio tanquam ortam ex delicto non incurri ab ignorante illam, & hanc sententiam etiam apertè videtur docere Castrus Palaus *ubi suprà*.

3. Verùm his non obstantibus contrariam sententiam

tiam tenendam esse puto, quia, vt bene obseruat Merolla *loco citato in disputatione theol. tom.1. disp.1. c.2. n.49. & n.87.* Irregularitas ex homicidio, vel mutilatione, licèt videatur esse ex delicto, includit tamen præcipuè defectum lenitatis, ergo incurritur, licèt occidens ignoret homicidio illam impositam esse; & hoc dubium est valde notandum, quia quotidianum, & à paucis discussum; & scio quòd aliquando doctorum hominum torsit ingenia. Vide etiam Guilielmum Mercerum *de Sacram. in 3.p. D.Thomæ q.66. art.9. num.6.*

4. Dicendum est igitur ad incurrendam excommunicationem non sufficere quòd sciam opus esse prohibitum, sed vt sciam de pœna, idque prohiberi sub excommunicatione. Ita de cæteris pœnis, suspensione, interdicto, irregularitate, &c. quod est valde consolatorium, & verum est etiamsi ignorantia, vt *suprà* diximus, esset vincibilis, & ita præter Merollam docet Laurentius de Portel *ubi suprà n.27.* ubi ita ait. Ignorantia vincibilis sive facti, sive juris imponentis censuras, & alias pœnas spirituales, sive factum illud sit peccatum mortale, sive non, si tamen non fuerit ignorantia crassa & supina, excusat ab omnibus illis pœnis; & hæc conclusio est magnæ consolationis, estque intelligenda de quibuscumque pœnis, sive latis à jure communi Papæ, sive à particulari Diœcesanorum; crassa verò & supina ignorantia est illa quæ procedit ex culpa lata, quæ intervenit in adhibenda diligentia; culpa verò lata est, quando ignorans aut nullam, aut valdè modicam adhibuit diligentiam vt sciret quæ nosse tenetur, vel quæ ex malitia, vel ex nimia negligentia procedit. Vbi vides posse aliquem evadere prædictas omnes pœnas, etiamsi operetur culpabiliter mortaliter cum ignorantia juris, vel facti dummodo ignorantia non sit crassa & supina, sive magna. Vnde etiam colliges non incurri irregularitatem homicidii ob solam culpam venialem. Sic Portel, & ego *suprà in resolut.21.*

Excommunicatio suspendens, & interdicto sup. tr.1. Ref. 2 princ. & ad §. exclusiue in aliis optimæ secundæ

Quibus est Ref.141. sup. in Ref.2. & 3.

RESOL. VII.

An ignorans homicidio esse annexam irregularitatem, excusetur ab illius incursione?

Ex quo oritur hæc alia difficilis quæstio. An qui scienter accessit ad consanguineam uxoris suæ, ignorans tamen privationem petendi debitum esse ab Ecclesia ob hoc peccatum impositam, illam non incurrat, & sic non egeat dispensatione, vt à sua uxore petat debitum? Ex p.9. tract.7. Misc.2. Ref.19.

§.1. CAsus in dies accidit: & affirmativam sententiam probabilem esse, putat novissimè Castrus Palaus *tom.6.disp.6.punct.6.n.3.* ubi firmans, quòd si probabiliter ignores, irregularitatem delicto esse annexam: tametsi scias ecclesiastica lege esse prohibitum, ab irregularitate excuseris, adversùs hanc sententiam *n.2.* sic arguit: [Si ad incurrendam irregularitatem necessarium foret cognoscere eam pœnam delicto annecti: ergo homicida ignorans hanc pœnam nulla irregularitate teneretur, sed liberè posset ad Ordines promoveri. Hoc autem falsum videtur: siquidem Iudex justè reum morti tradens irregularitatem contrahit, tametsi ignoret irregularitatem suo facto impositam esse, eò quòd dedeceat Christi esse Ministrum, qui alium vita privavit: sed hæc indecentia efficaciùs urget in eo, qui injustè, & iniquè alium occidit: ergo irregularis erit, tametsi ignoret suo delicto irregularitatem esse impositam. Tamen ipse posteà ad hoc argumentum sic respondet *num.3.* Neque item est inconveniens, quòd Iudex, ignorans suo facto irregularitatem annecti, eam contrahat; non tamen eam contrahat homicida ignorans irregularitatem suo delicto annecti: quia irregularitas Iudici, non in pœnam, sed ob decentiam posita est: at homicidæ, tum ob decentiam, tum in pœnam delicti irregularitas indicitur; quæ irregularitas gravior est, & difficilioris dispensationis, ac proinde non est mirum, vt cognitionem legis eam indicentis expostulet.] Ita Palaus, in quibus verbis, vt vides, apertè patet, ipsum docere, homicidam ignorantem suo facto irregularitatem annexam esse, illam non incurrere.

Hoc in tribus præcedentibus Ref. & sup. in 1.2. Ref. 5. Hæc autem vltima in fin. tom.2. Ref.241. vsque, & in tom.3. tr.3. Ref.34. §. Sed vtrum, & in tom.4. tr.8. Ref.104. §. vlt. per tot.

2. Sed habeo magnam difficultatem in hac doctrina: video enim esse contra communem sententiam Doctorum, & contra praxim: videtur enim sufficere, vt incurratur irregularitas; si sit annexa homicidio propter decentiam; & ideò non obstat, si sit etiam annexa in pœnam: non enim incurritur ex uno capite, sed etiam ex alio, vt ego *alibi* adnotavi.

3. Sed ex his oritur alia difficilis quæst. quæ ex verbis Magistri Serra *in p.2. tom.2. q.76. art.3. dub.2.* tibi proponam: sic itaque asserit: [Nonnulli asserunt, illum, qui scienter accessit ad consanguineam uxoris suæ, ignorans privationem petendi debitum esse ab Ecclesia ob hoc peccatum impositam, illam non incurrere, sicque non egere dispensatione, vt à sua uxore petat debitum. Nam talis privatio est pœna; ignorantia autem invincibilis pœnæ ab ea excusat. Sed hoc tutum non est, cùm sit contra communem Ecclesiæ consuetudinem: solent enim fideles moneri à Confessariis; ne petant debitum, quando ad consanguineam uxoris intra secundum gradum accesserunt, quousque dispensationem obtineant ab Episcopis, vel aliis ad hoc privilegium habentibus. Nec prædictis Authoribus favent Magister Soto *in 4. dist.37. q. unic. art.2. concl.2.* & alii, qui prædictam privationem petendi debitum appellant pœnam: nam nolunt eodem modo judicandum esse de illa, ac de aliis pœnis: aliàs enim cùm, juxta sententiam probabilem ipsius Magistri Soto quam prædicti Authores approbant, leges pœnales etiam apponentes pœnas, ad quarum executionem non requiritur aliqua actio, non obligent ad pœnam ante Iudicis sententiam; fateri deberet, etiamsi quis, sciens pœnatam privationis petendi debitum accederet ad consanguineam uxoris; non teneri se abstinere à petitione debiti ante Iudicis sententiam: quod quis dicat? Certè hæc privatio petendi debitum non alio modo dicitur pœna incestus, quàm privatio contrahendi matrimonium dicitur pœna criminis homicidii, vel adulterii: sed, qui tale crimen commisit, quamvis invincibiliter ignoraret privationem contrahendi matrimonium, illam incurreret, ergo & qui committit prædictum peccatum incestus, privationem petendi debitum incurrit, etiamsi invincibiliter ignoret illam. Vtraque enim privatio, non propriè pœna est, sed impedimentum quoddam, & inhabilitas, à qua non excusat illius ignorantia.] Hucusque Serra satis probabiliter.

Alibi in Ref. præterit. signanter in §. Sed dicet. & §. Verum. Et pro particula *scienter* contenta in lin.4. hujus §. in tom.2. tr.6. Ref.241. & 242. à §. Quæro etiam usque in fin. dictæ Ref. & lege ibi doctrinam Ref. 244. & in tom.7. tr.1. ex Ref.231. vide doctr. §.vlt. & Ref. & §§. annot. 1. dicti §. & ex Ref 282. §. etiam vlt. & ibi in tr.4. ex Ref. 69. §.2. & hic sup. in tr.1. ex Ref. 61. §.Probatur, per tot.

4. Sed ego etiam probabiliter puto, quòd si quis ex ignorantia facti vel juris, vel solius pœnæ, contrahat cum suo conjuge cognationem, aut affinitatem, non privatur petitione debiti. Et ita præter alios, me citato, hanc sententiam tenet amicissimus Pater Franciscus Lugo *de Principiis Theol. mor.c.4.q.3. n.37.* cui adde novissimè, etiam me citato, Quintanaduenas *in Theol. moral. tom.1. tr.9. singul.6. num.3. & 4.* omninò videndum.

RESOL. VIII.

An irregularitas incurratur in aliquo casu à jure non expresso?

Et quid dicendum, quando dubium est de jure, hoc est, an sit pro aliquo delicto commisso imposita à jure aliqua irregularitas; an tunc judicandum sit non esse irregularitatem in eo casu constitutam ? Ex part.4. tract.2. Resol.80.

Quoad hoc lege doctr. Resol. seq.

§.1. Respondeo negativè, & ita habetur expresè *in c. is qui, de sentent.excommun.in 6.* Vnde in hac materia non valet argumentum à simili, vt pluries *suprà* dictum est, neque à fortiori, &c. nec obstat *c. ad audientiam, & c. significasti, de homicidio*, ubi statuitur censendum esse irregularem eum, qui de irregularitate sui dubius, atque incertus est; eo quòd in dubio tutior pars sit eligenda: ergo non solùm ubi est irregularitas expressa, sed etiam ubi dubium est, incurritur.

Sup. hæc dubio de jure inf. in Resol. 89. §. Probatur, paulò post init. à vers. Sed quando versamur in dubio. Sed advertre quod sub eodem num. Resol. 89. sunt duæ Resol. unitæ, & sup. citatus §. est in secunda Resol.

2. Non, inquam, hæc jura obstant, nam procedunt ubi dubium est de facto, sed *cap. is qui*, procedit de jure; igitur quando dubium est de jure, hoc est, an sit pro aliquo delicto commisso imposita à jure aliqua irregularitas, tunc est judicandum non esse irregularitatem in eo casu constitutam, cùm talis irregularitas non sit in jure expressa, & ita docent Aloysius Batiola *in aphoris. lit.I, verbo irregularitas*, §.10. Valent. *tom.4. disp.7. q.19. punct.20. notab.3.* Petrus Cornejo *in 3.p. D.Thomæ tr.5. de irregularitate, disp.1. dub.2.* Suarez *de censur. disp.4. sect.4. num.15.* Sayrus *lib.6. c.2. num.4.* & alii communiter; unde summopere notanda est hæc doctrina à Confessariis & casuum conscientiæ responsoribus, nam ex illa ab incursione irregularitatis multos pœnitentes liberabunt.

RESOL. IX.

An communis opinio Doctorum possit introducere aliquam irregularitatem, etiamsi clarè non sit expressa in jure ?

Idem censendum est de quibusdam censuris, v.g. suspensione propter susceptionem Ordinis per saltum ? Ex p.8. tract.7. & Misc. Resol.28.

Quoad hoc lege doctr. præced. Resol.

§.1. Affirmativè respondet Layman *lib.1. tr.5. part.5. c.1. num.6.* ubi sic ait. His adde quòd defectus, ob quem irregularitas incurritur, debet esse specificè nominatus in jure: neque ab uno ad alium casum, ob similem, vel majorem rationem, extensio fieri potest, sicut ex communi docet Navarr. *c.27. num.194. in fine.* Suar. *disp.40. sect.5. & 6.* Quamvis negari non posse videtur, quasdam irregularitates sine jure expresso per Doctorum ita opinantium auctoritatem introductas, atque diuturna Ecclesiæ consuetudine firmatas fuisse, quæ non minus, quàm aliæ censuræ, vim obtinere debent, tum quia consensus Doctorum, & Ecclesiarum consuetudo optima est sacrorum canonum, & antiquæ observationis interpres: tum quia universim verum est, quòd consuetudo per tacitum consensum sit constitutiva juris, etsi lex scripta desideretur. Et quod dico de irregularitate, idem sentiendum de quibusdam censuris, v. g. suspensione propter susceptionem Ordinis per saltum: quæ suspensio nullo jure satis expressa censetur, sed per consuetudinem stabilita; ideoque obiter approbata per Trident. *sess.23. c.14. de reform.* Hucusque Layman; unde ex hac doctrina posset quis dicere, quòd licèt irregularitas ex defectu lenitatis in jure sit lata solùm contra concurrentes ad mortem tanquam ministros justitiæ, tamen per Doctorum communem sententiam, & per consuetudinem jam videtur extensa ad omnes qui neci cooperantur, etiamsi non sint justitiæ administri.

2. Sed his non obstantibus aliqui hanc Laymanni sententiam non admittunt, & ideò novissimè Ioannes Machadus *de Perfect. Confess. tom.1. lib.1. part.3. tr.15. docum.1. num.5.* sic asserit: *Es tambien principio llano dispuesto por Derecho, y muy necessario para deduzir del muchos casos especiales, que los Dotores disputan en esta materia; que no se deve admitir irregularidad alguna, que no este expressa en Derecho. Y aunque es assi, que el Padre Layman es de parecer, que aquellas irregularidades que aunque sin Derecho expresso estuvieren introduzidadas por la autoridad de los Dotores y comunmente recebidas con la costumbre antigua de la Iglesia, no deven ser menos admitidas, que las que estuvieren expressas en el. Con todo esso es comun doctrina, y casi recebida de todos, fundada en Derecho expresso, que no se deve admitir irregularidad, que no estiviere expressa en el; ni por sola la autoridad de los Dotores que la introduzen, ni por averla admitido la costumbre, ni porque en el Derecho la aya, y se incurra en caso menor, ò semejante.* Ita Machadus: cujus sententia satis probabilis mihi videtur, licèt contrariam etiam probabilem existimem cum Baunio *in Theolog. mor. part.2. tr.11. q.3.* ubi concedit probabile esse, tam consuetudine Ecclesiæ diuturna, quàm auctoritate Doctorum, ita sentientium irregularitates aliquas induci posse.

RESOL. X.

An Episcopi incurrant irregularitatem, quæ feratur aliquo jure generali ?

Et an aliquo jure Episcopi excipiantur ab incurrendo excommunicationem, quamvis excipiantur ab incurrendo suspensionem, & interdictum, quæ jure generali feruntur, quæ sunt distincta ab irregularitate, & excommunicatione ? Ex p.4. tr.2. Resol.53.

§.1. Negativè respondet Majolus *lib.1. de irregular. c.1. n.7.* nam *in c. quia periculosum 4. de sentent. excommunic. in 6.* statuitur Episcopos non teneri jure generali ferente suspensionem, aut interdictum. Sed quia iste Doctor erat Episcopus, agebat causam suam: cùm igitur sine fundamento loquatur, non est recedendum à contraria sententia quam docet Hurtado *di.1. de irregul. diffic.7 n.26.* & Turrianus *de cens. lib.8. disp.59. dub.1.* quia nullo jure excipiuntur ab incurrendo irregularitatem, imò nec ab incurrendo excommunicationem, quamvis jure dicti cap. excipiantur ab incurrendo suspensionem & interdictum, quæ jure generali feruntur, quæ sunt distincta ab irregularitate & ab excommunicatione.

RESOL. XI.

An Episcopus incurrat irregularitatem, si concedat licentiam judici laico exhumandi corpus occisi ab Ecclesia ad finem capiendi informationem de delicto in genere ?

Et in §. ultimo hujus Resolutionis invenies aliud pulchrum dubium notabile, & grave ? Ex p.4. tr.2. Resol.95.

Sup. hæc §.1. Respondet negativè Iulius Lavorius *in suis variis elucubrationibus tit.2. c.7. n.31.* quia ad incurrendam irregularitatem ex defectu perfectæ lenitatis requiritur quòd actus qui fit, sit causa proxima & directa in mortem, vel mutilationem; non autem causa remota, vt ex Navarro *cap.21. n.211.* & Avila *de censur. part.7. disp.5. sect.2.* docet Turrian. *de censur. lib.9. disp.66. dub.3.* Sed in nostro casu actus ostendendi cadaver occisi, est remotissimus, & suapte natura

tom. 2. tr. 2. Resol. 95. Ad primum.

natura non directus ad mortem, vel mutilationem, & Episcopus nihil operatur, sed tantùm permittit exhumari corpus, & capi informationes. Ergo, &c. & ita hanc sententiam præter Lavorium docet etiam in terminis, ut dici solet, terminantibus Doctus Aloysius Riccius *in praxi tom. 1. resolut. 453.* & ita practicatum fuisse in Curia Archiepiscopali Neapolitana testatur M. Antonius Genuensis *in praxi cap. 42. num. 10.* & ita etiam docet Venerus *in exam. Episc. lib. 2. cap. 23. num. 19.*

2. Notandum est etiam hîc quod Genuensis *ubi suprà* testatur in dicta Curia resolutum fuisse, posse concedi Curiæ sæculari copiam sententiæ dispositionis, sive degradationis verbalis, & renunciationis habitus Clericalis alicujus Clerici inquisiti de homicidio in Curia sæculari, alleganti se esse Clericum, & Curia sæcularis negabat esse Clericum, ob prædictam depositionem, & renunciationem: sed tu in suprædictis cogita.

RESOL. XII.

An irregulares possint initiari prima Tonsura sine prævia dispensatione?

Ex quo infertur, an prima Tonsura sit Ordo? Ex p. 4. tr. 2. Resol. 88.

§. 1. NEgativam sententiam docet Avila *de censur. part. 7. disp. 2. dub. 6. concl. 1.* Præpositus *in addit. ad 3. part. D. Thomæ quæst. 5. de irregularit. dub. 3. num. 12.* Suarez *tom. 5. disputat. 40. sect. 1. num. 11.* & alii communiter, asserentes irregularitatem reddere hominem inhabilem etiam ad primam Tonsuram.

2. Sed adversùs hanc sententiam (attendas quæso amice Lector) adest maximum argumentum, supposita communi sententia Theologorum asserentium primam tonsuram non esse Ordinem, cum D. Thoma *in 3. part. quæst. 40. art. 2.* Vasquez *tom. 3. disput. 236. cap. 1. n. 9. & disput. 237. cap. 2.* Bellarmino. *lib. 1. de Clericis, cap. 11.* Martino Fornario *tract. de Ordine cap. 7. n. 1.* Filliucio *tom. 1. tract. 9. cap. 1. n. 13.* & novissimè solidè, ut semper solet, cum Patre Hurtado *de Sacram. tract. de Ordine, difficult. 2.* quorum sententia supposita sic argumentor. In odiosis non est facienda extensio de uno casu ad alium; sed Canones asserunt irregularem esse incapacem Ordinum; ergo non erit incapax primæ tonsuræ, quia, ut dictum est propriè non est Ordo; tonsuratus enim ordinatus dici non potest, quia ordinatus habet peculiare officium ad Eucharistiæ celebrationem directum; sed tonsuratus nullum habet officium circa ministerium Altaris, ita ut dici possit deputatus ad Ordines, sed non ordinatus. Ergo, &c. Sed his non obstantibus, quia opinio negativa est communis, non audeo ab ea recedere, & ideo illam omnino tenendam esse existimo.

RESOL. XIII.

An initiatus Ordinibus minoribus, & Sacris, non suscepta Tonsura, sit irregularis, & teneatur dictam Tonsuram sumere?

Ex quo deducitur, an Tonsura sit Ordo? Ex p. 6. tr. 8. Misc. 3. Res. 29.

§. 1. DE hoc casu consultus fui à quodam Antistite & pro primo dubio dixit habuisse responsum affirmativum à quodam Theologo inclitæ Societatis IESV, & in terminis adducebat Martinum Fornarium *de Sacrament. Ordinis, capite 8.* ubi testatur Sacram Congregationem Concilii declarasse eum qui omissa prima Tonsura ordinatur esse irregularem. Quia ut tenent communiter Canonistæ prima Tonsura est Ordo. Ergo talis susceptor ordinem per saltum, & per consequens contraxit irregularitatem.

2. Sed his non obstantibus ego sententiæ negativæ adhæsi, * quia Tonsura non est ordo, idque non tantùm juxta receptam Theologorum doctrinam, sed etiam juxta ipsum jus Canonicum; quod Tonsuram neque inter minores, neque inter majores ordines agnoscit, *Can. seriatim, dist. 32. Can. illud, dist. 72. Can. à Subdiacono, dist. 93.* Quibus conformiter Concilium Tridentinum Tonsuram quoque ab Ordinibus tam minoribus, quàm majoribus distinguit *sess. 23. cap. 4. 5. 6. 11. 12. 13. de Reformat.* Sicut etiam Romanum Pontificale tum alibi, tum quando dicit Clericatus sive prima Tonsura quocumque die, hora, & loco conferri potest, minores verò Ordines possunt dari singulis Dominicis & festivis diebus duplicibus ubicumque, in mane tamen.

* Sup. hoc in Resol. præterea §. 2 à lin. 4 & in Res. seq. cursim in fin. & inf. in Res. 138. §. Quare ad med. à vers. Quia prima Tonsura. & sup. in tr. 3. Res. 12. à lin. 4 & in Res. 25. §. 2. ad lin. 3 & in Res. 34. ad lin. 10. & in fin. §. penult. & seq. & in tom. 3 tr. 1. Res. 65. §. ult. à lin. 4. & ibi in tr. 5. Res. 14 à lin. 3. & §§. seqq.

3. Confirmatur, illi demum sunt Ordines, qui pro materia habent rem quampiam, per cujus traditionem ipsi conferuntur, *juxta Synod. Flor.* Tonsuræ autem nullus assignat materiam per cujus traditionem ipsa conferatur.

4. Nec valet dicere quòd pars affirmativa suadetur primò, ex *cap. cùm contingat, de ætate & qualitate perficiendorum.* ubi dicitur: Per primam Tonsuram Clericalis ordo confertur. Secundò ex Alcuino *lib. de divinis Officiis, cap. 35. sive de Tonsura Clericorum*, vocante Clericatus ordinem. Tertiò ex motu proprio Sixti V. anno 1588. contra malè promotos ad Ordines, ubi, primam Tonsuram appellat characterem Clericalem. Quartò ex eo quòd in Trident. *sess. 21. cap. 1. de reform.* dicatur: nihil pro collatione quorumcunque Ordinum etiam Clericalis Tonsuræ accipiant, scilicet Episcopi eámque partem communius sequuntur Canonistæ, quibus unus vel alter Theologus suffragatur. Cæterùm communissimè Theologi sentiunt non esse ordinem, quorum sententia est omnino verior. Ergo, &c.

5 Nam respondeo ad primum, & dico: nomen Ordinis in illo capite sumi pro gradu in Ecclesia, absque ulla tamen potestate spirituali, & proinde non sequi primam Tonsuram esse ordinem prout usu Ecclesiastico in hac materia sumitur, per quod.

6. Respondetur ad secundum, quòd Alcuinus solùm voluerit significare hominem per primam Tonsuram constitui in gradu eminentiore supra cæteros fideles Laïcos, non verò voluisse, quòd per illam ulla spiritualis potestas conferatur.

7. Ad tertium dico, per characterem clericalem, Pontificem solùm voluisse significare destinationem ad statum clericalem.

8. Ad quartum dico, satis patere de sententia Concilii Trid. ex *cap. 2. cit.* illo ergo *cap. 1. sess. 21.* solùm vult: non licere quidquam accipere, non solùm pro collatione Ordinum, sed etiam primæ Tonsuræ, & quibusdam aliis, quæ ibi recensetur.

9. Et ita hanc sententiam tenet doctus Stephanus Bauny *in Theol. Moral. tract. 7. quæst. 3.* Tiberius *in instruct. Ord. in c. 2. quæst. 15.* Bonacina *de Sacrament. disput. 8. quæst. unica, punct. 1. n. 6.* & alii, quos citat & sequitur Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 7. cap. 1. dub. 6. n. 6.* quibus adde Villalobos *in summa, tom. 1. tract. 11. diffic. 2. n. 4.* Ioannem Petit *in Theolog. Moral. tract. 7. lect. 93.* Eligium Bassæum *in Florib. Theolog. pract. verb. Ordo 1. num. 3.* Ioannem VVigers *de Sacrament. in 3. part. D. Thom. quæst. 37. art. 1. num. 6.* Ergo cùm prima

Tonsura non sit Ordo, consulentem nullam contraxisse irregularitatem dicendum est cum non fuerit ordinatus per saltum, cum prima Tonsura non sit Ordo.

10. Quoad secundam dubitationem, an qui suscepit alios Ordines teneatur recipere primam Tonsuram, referam hîc quid alii sentiant. Partem affirmativam docet Franciscus Sylvius *in resolutionibus variis*; *verb. Ordo* 2. ubi sic ait. Sicut contra mentem Ecclesiæ est quod non tonsuratus Ordines suscipiat, ita contra illam est, quod non suscepta Tonsura in iis ministret, ideo religioso præfato Tonsura conferenda est. Ita ille. Sed negativam sententiam invenio docere Ioannem Baptistam de Fabris *in Manuali Ordinandorum*, *de Sacrament. Ordinis, c.* 4. *quæst.* 13. ubi sic asserit: Dictum est quod Tonsura est præparatio ad Ordines suscipiendos, debetne necessariò præcedere Ordines? Respondeo de necessitate Sacramenti non debet præcedere, quia etiamsi quis susciperet Ordines non recepta Tonsura validè esset ordinatus, nec ulterius teneretur ad Tonsuram, est tamen de necessitate præcepti. Hæc ille.

RESOL. XIV.

An excommunicatus, si sumat minores Ordines, efficiatur irregularis?

Et quid, si suscipiat Ordinem sacrum?

Ex quo sequitur, quod excommunicatus minori excommunicatione recipiens primam Tonsuram, non est irregularis.

Et an qui in suspensione, & interdicto recipit Ordinem sacrum, fiat irregularis? Ex part. 9. tract. 7. & Misc. 2. Resol. 23.

§. 1. NEgativam sententiam esse probabilem docet Lessius *in* 3. *par. c.* 6. *de irreg. dub.* 2. *n.* 45. ubi sic ait: [Qui ligatus censura excommunicationis recipit Ordinem, præsertim sacrum sit irregularis. Est communis, ex *cap. Cum illorum, de sent. excomm.* Verùm verò, si minores recipiat, fiat irregularis, est dubium. Plerique putant esse irregularem: quia Canon generaliter loquitur de Ordine Ecclesiastico. Sed contrarium non est improbabile: quia, cùm Canones de Ordinibus Ecclesiasticis loquuntur sæpè tantummodò sacros intelligunt ut videre est in Concilio Tridentino *sess.* 14. *c.* 7. *de reform.*] Ita ille. Qui etiam subdit qui in suspensione recipit Ordinem sacrum, non videtur fieri irregularis: quia jure non est expressum. Est contra Navarrum. Ratio esse potest: quia suspensio est directè ab exercitio Ordinis suscepti, & solùm ex decentia impedit susceptionem novi. Idem probabile est, si quis in interdicto constitutus ordinetur; quia in jure non invenitur expressum. Hæc Lessius, quę omnia confirmat Avila *de cens. part.* 7. *disp.* 9. *sect.* 2. *dub.* 6. *concl.* 3. & *seq.* Et ego absolutè teneo excommunicatum, sumendo Ordines minores, non incurrere irregularitatem. Vide Navarr. *consil.* 28. *de sent. excommunic.*

2. Hinc sequitur à fortiori, quòd excommunicatus majori excommunicatione recipiens primam Tonsuram, non est irregularis. Ita Navar. *in eodem cons. ad* 3. *quæst.* Et hoc est verum, licèt teneremus, quòd recipiens minores fiat irregularis. Ratio est: quia prima Tonsura non est Ordo, ut benè advertit Avila *ubi sup.*

Sup hoc latè in resol. præterita §. 2. à lin. 2. &c.

RESOL. XV.

An efficiatur irregularis, si quis recipiat Ordines furtive, v. g. qui non examinatur, neque admissus suscipit Ordines, &c.

Et quid est dicendum de aliis casibus sæpe in praxi occurrentibus, quos in §. penult. & ultimo Resolutionis decisos invenies?

Et an, quando tempore Ordinationis Episcopi ferunt excommunicationem contra furtivæ Ordinationi se ingerentes, dicta irregularitas regulariter sit Papæ reservata, ita ut Episcopus in ea dispensare non possit? Ex p. 4. tract. 2. Resol. 55.

§. 1. REspondeo quòd qui ordinatur furtivè, incurrit irregularitatem; dicitur verò furtivè ordinari qui non examinatus, neque admissus suscipit Ordines, vel quando fecit ut alius examinaretur, & ipse loco illius & nomine suscipit Ordines, ut patet ex *cap.* 1. *de eo, qui furtivè ordinatur*; dispensatio verò hujus irregularitatis committitur Episcopo, *c.* 1. & *ult. tit. cit.* cum hac tamen conditione, ut non fuerit denunciatus ab Episcopo vel Archidiacono, vel alio ministro mandâte ut nullus se furtivé ingerat sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ; in hoc enim casu non potest Episcopus dispensare, nisi aut Religionem ingrediatur, aut faciat ibi condignam pœnitentiam, & ita docet Turrianus *de cens. lib.* 9. *disp.* 61. *dub.* 3. Hurtado *disp.* 2. *de irregular. diffic.* 1. *n.* 3. Præpos. *in* 3. *part. quæst.* 5. *de irregul. dub.* 5. *n.* 26. Coninch. *de Sacram. disp.* 18. *dub.* 5. *n.* 43. Suarez *de cens. disp.* 42. *sect.* 3. *n.* 5. & alii penes ipsos; verùm quia hoc tempore Episcopi communiter ferunt excommunicationem contra furtivæ ordinationi se ingerentes, ideo dicta irregularitas regulariter Papæ est reservata.

2. Non reticeam tamen hîc adnotare Bonacinam *de censur. disp.* 7. *quæst.* 3. *punct.* 4. *n.* 6. *in fine*, docere, licèt cum aliqua formidine suprадictam doctrinam esse veram, quando quis diaconatum furtivè suscipit, & consequenter in hoc casu incurri irregularitatem, ut loquitur *dict. cap.* 1. Secus autem in susceptione furtiva aliorum Ordinum, nam in hac contrahitur tantùm suspensio.

3. Nota etiam hîc non incurrere irregularitatem, si quis ordinetur in his casibus. Primò quando quis accipit Ordines ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui quoad locum & dignitatem. Secundò qui ordinatur ante legitimam ætatem. Tertiò qui ordinatur ab Episcopo alieno sine licentia proprii. Quartò qui ordinatur non servatis interstitiis. Quintò qui ordinatur per saltum. Sextò qui recipit Ordines extra tempora sine dispensatione. Septimò qui existens in irregularitate si recipiat Ordines sine dispensatione dictæ irregularitatis; in his enim casibus non irregularitas, sed suspensio incurritur. Ita Filliucius *tom.* 1. *tract.* 20. *c.* 7. *num.* 190. & *seq.* Villalobos *tom.* 1. *tract.* 21. *diffic.* 12. *n.* 1. & alii.

4. Nota etiam secundò quòd aliqui probabiliter asserunt ligatum majori excommunicatione recipiendo scienter, vel cum ignorantia crassa, vel affectata Ordines sacros, non incurrere irregularitatem. Vide Bonacinam *ubi suprà*. Idem dicendum est etiam probabiliter de suspenso & interdicto, & recipiente Ordines sine confirmatione, unde in gratiam Confessariorum dico absolutè, quòd in duobus tantùm casibus quis in mala Ordinum susceptione incurrit irregularitatem. Primò si furtivè ordinetur modo, quo *suprà* dictum est. Secundò si durante matrimonio, etiam non consummato, præsumit sacros Ordines suscipere; in aliis autem casibus quos adducunt DD. asserentes incurri irregularitatem in susceptione Ordinum, tu tene contrarium, quia cùm non exprimantur in jure, non sunt admittendi, unde prudens Confessarius à multis irregularitatibus liberabit pœnitentes & consulentes, & ita hanc opinionem tenet Hurt. *disp.* 2. *de cens. diff.* 1. *n.* 3. & Præpos. *in* 3. *part. q.* 5. *de irregul. dub.* 5. *n.* 27.

RESOL.

RESOL. XVI.

An sit irregularis Latinus, si ordinetur à Græco, vel Græcus, si ordinetur à Latino?

Et quid, si ordinetur ab Episcopo schismatico, non obstante instructione Clem. VIII. super ritibus Græcorum anno 1595. Ex p. 4. tract. 2. Resol. 54.

§. 1. AFfirmativam sententiam quoad primum docet Majolus *lib. 4. de irregular. c. 32.* quod probat ex *c. cùm secundum*, ex *cap. ex parte, de temp. ord.* Sed contrarium tenendum est, quia in priori c. *cùm secundùm* ? verum est quòd id prohibetur, sed pœna irregularitatis non imponitur; in cap. verò *ex parte*, non est sermo de hac materia, & ita hanc sententiam negativam tenet Turrianus *de censur. lib. 9. disp. 61. dub. 3.* Filliucius *tom. 1. tract. 20. c. 7. num. 202.* & alii; non nego tamen esse prohibitum Græcos ordinari à Latinis, & Latinos à Græcis, ut probat Azorius *tom. 2. lib. 3. c. 48. quæst. 14.*

2. Quoad secundum dico non incurri irregularitatem propter susceptionem Ordinum ab Episcopo schismatico, & ita censuerunt quinque Theologi Societatis Iesu in Colleg. Rom. in consultatione de hac re habita, ut testatur & probat Io. Præpositus *in 3. part. quæst. 5. de irregul. dub. 5. num. 28.* non obstante instructione Clement. VIII. super Ritibus Græcorum *anno 1595.* quam interpretatur Præpositus *ubi suprà.*

RESOL. XVII.

An suspensus ab Ordine incurrat irregularitatem, si ad Ordinem superiorem ascendat.

Et docetur primum Sacrificium non æstimari actum illum celebrationis tunc ab Ordinatis.

Et an Episcopus suspensus à Pontificalibus incurrat irregularitatem, si Missam celebret cum apparatu Episcopali?

Et an excommunicati, & suspensi fiant irregulares, si exerceant ea, quæ pertinent ad jurisdictionem fori exterioris?

Et quid, si Parochus excommunicatus matrimonio assistat, an incurrat irregularitatem?

Et docetur excommunicatum, suspensum, & interdictum non incurrere irregularitatem, si exerceant solemniter actus minorum Ordinum. Tx p. 4. tract. 2. Resol. 92.

§. 1. AFfirmativè respondet Covarr. *in cap. alma part. 2 §. 3. n. 5.* Navarr. *lib. 1. consil. 26. a. 2. de tempor. ordin.* & alii apud Henriquez *lib. 14. c. 6. n. 4. in glossa lit. C.* quia ascensus ad Ordinem superiorem est veluti exercitium Ordinis inferioris à quo suspensus est. Et ideo si Diaconus ab Ordine suspensus sacerdotium accipiat, exercet ministerium Presbyteri sacrificando cum Episcopo. Item Subdiaconus cantando solemniter Evangelium. Ergo, &c.

2. Sed ego negativam sententiam probabiliorem esse existimo cum Suarez *de censuris disp. 42. sect. 3. n. 2.* Sayro *de censuris lib. 4. c. 16. num. 22.* & aliis communiter, quia talis irregularitas non est in jure expressa, nec valet pimum argumentum *suprà* adductum, quia, ut probat Layman *in Theol. moral. lib. 1. tract. 5. part. 3. c. 1. corollar. 6.* susceptionem Ordinis superioris non nisi impropriè & abusivè dici posse exercitium Ordinis inferioris.

Sup. hoc in Resol. §. 1. num. & seq.

3. Ad primum argumentum assero, ut alibi probavi, primum sacrificium non æstimari actum illum concelebrationis. Ita Avila *de censur. part. 3. disp. 5. dub. 7. assert. 3.* Henriquez *lib. 14. cap. 3. n. 6.* Medina *in summa. lib. 1. c. 11. §. 8.* & alii.

4. Notandum est etiam hîc obiter Episcopum suspensum à Pontificalibus non incurrere irregularitatem, si Missam celebret cum apparatu Episcopali; quia ab actu celebrandi secundùm substantiam suspensus non est, sed tantùm secundùm solemnitatem accidentalem. Ita Avila *de censur. part. 7. disp. 9. sect. 2. dub. 2. §. sed notandum.* Covarr. *in Clem. part. 1. §. 1. n. 1.* Sylvest. *ver. suspensio, quæst. 5.* & alii.

Sup. hoc sup. in tr. 3 Resol. 23. §. Sed difficultas.

5. Nota etiam excommunicatos & suspensos non fieri irregulares, si exercent ea quæ pertinent ad jurisdictionem fori exterioris, ut si aliquis excommunicet, suspendat, aut absolvat ab aliqua censura, dummodo absolvat absque solemnitate, nempe sine stola, Psalmis, &c. hinc ego olim rectè consului, Parochum excommunicatum matrimonio assistentem non incurrisse irregularitatem. Vide Avilam *loco citato*, qui *dub. 3.* rectè etiam docet contra Sylvestrum & Navarrum, excommuuicatum, suspensum, & interdictum non incurrere irregularitatem, si exerceat solemniter actus minorum Ordinum.

RESOL. XVIII.

An suspensus ex ordinatione ante legitimam ætatem, si canat Evangelium, & Epistolam in eadem Missa, incurrat irregularitatem?

Et notatur quod Sacerdos ordinatione sua incurrens hanc suspensionem non fit irregularis, consecrando simul cum Ordinante, nec Diaconus tunc canens Evangelium. Ex p. 5. tract. 10. Resol. 37.

§. 1. AFfirmativè respondet Hurtadus *tract. de susp. diff. 13. nl 36.* ubi ita ait. Sacerdos simoniacè ordinatus non fit irregularis ex eo, quòd consecret cum Episcopo ordinante, quia tunc ejus ordinatio non est completa, quia nondum ei concessa est potestas absolvendi à peccatis, ac proinde tunc nondum incurrit suspensionem, quia hæc tantùm incurritur ob peccatum completum ordinationis. Imò Suarez *disp. 31. sect. 1.* & Ægidius excusat ab irregularitate canentes Epistolam & Evangelium in eadem Missa, quia actiones illæ non censentur fieri post ordinationem, quia ordinatio durare censetur, quamdiu durat Missa in qua fit. Nos tamen id existimamus falsum, quia actiones illæ verè fiunt post jam perfectam ordinationem Subdiaconi & Diaconi. Ita Hurtadus, & ante illum Avila *de censur. part. 3. disp. 5. dub. 7. §. Dico secundò.*

Sup. his in Resol. & §. seq.

2. Sed sententiam Suarez & Coninch, quam ipse falsam vocat, novissimè docet etiam Mercerus *de Sacram. in 3. p. q. 24. dub. 7.* ubi sic asserit: Tertia suspensio fertur per Pium V. contra eos, qui ante legitimam ætatem, aut extra tempora collationi Ordinum decreta scienter accipiunt sacros Ordines. Isti suspenduntur ab Ordinibus sic susceptis.

3. Notandum quòd Sacerdos ordinatione sua incurrens hanc suspensionem, non fit irregularis consecrando simul cum ordinante, neque Diaconus tunc canens Evangelium, quia actus hi non fiunt moraliter loquendo, post ordinationem, quæ durante officio durare censetur. Ita ille. Cui etiam adde Coninch *de Sacr. disp. 16. dub. 5. n. 36.* ita enim ait: Nota Sacerdotem sua ordinatione incurrentem hanc suspensionem non fieri irregularem consecrando simul cum ordinante, quia tunc nondum ejus ordinatio perfecta est, & consequenter nec suspensio perfectè incursa: secus autem est secundùm aliquos de Diacono canente Evangelium in eodem Sacro, quia hæc est actio Ordinis sequens perfe-

Sup. hoc in Resol. præterit. §. Ad primum.

perfectam ordinationem. Probabilius tamen Suarez *disp. 13. sect. 1. n. 17.* etiam de hoc id negat, quia hi actus moraliter loquendo, non fiunt post ordinationem, quæ censetur durare, quandiu durat Officium. Vide immeritò hanc sententiam doctus Hurtadus falsam vocavit, est enim prnbabilis, & tuta in praxi.

RESOL. XIX.

Sup. prima diffic. hujus tituli in Resolutionibus postis in annot. ult. hujus Res.

An Parochus, qui rebaptizavit sub conditione infantem expositum cum schedula de collato Baptismo, sit tanquam irregularis repellendus à consecutione ejusdem beneficii?

Et resolutio hujus quæstionis pendet ex ea, an illicitè baptizetur infans expositus cum schedula testificante illum fuisse baptizatum?

Et quid, si talis expositus fuisset inter Saracenos, aut Iudæos, etiam si haberet tale testimonium, aut schedulam testificantem esse baptizatum? Exp. 10. tract. 16. & Misc. 6. Res. 87.

Sup. hac prima diffic. hujus textus, latè in tom. 1. tr. 1. Res 80. à lin. 9. & in Res 81. & 79. §. penult. in fin.

§. 1. Resolutio hujus casus pendet ex illa difficultate, an illicitè baptizetur infans expositus cum schedula testificante, illum fuisse baptizatum? & in affirmativam sententiam ego olim inclinavi. Præter Doctores à me citatos, hanc sententiam docet Castrus Palaus *tom. 3. tract. 19. punct. 13. n. 6.* & Dicastillus *de Sacram. tract. 2. disp. 1. dub. 7. n. 176.* ubi sic ait: De infantibus verò expositis rectè notat Vasquez ex Soto, & Paludanus *n. 26.* nisi aliunde constet, esse baptizatos, sub conditione baptizari debere; id quod meritò cum eodem Soto intelligit Vasquez, quando exponeretur sine alio testimonio; si tamen in cartha etiam à nemine subscripta secum haberet testimonium baptismi, nec sub conditione esset baptizandus; certissimè enim intelligitur, parentes esse Christianos, & voluisse cavere iterationem Baptismi. Si verò id non contingat inter Christianos, sed expositus crederetur à Saracenis, aut Iudæis qui execrantur Baptismum Christianorum, tunc meritò putat Vasquez esse baptizandum sub conditione, etiam si haberet tale testimonium; expositum verò absque illo testimonio sub conditione baptizandum esse, in quo alii etiam Auctores citati conveniunt. Ita Dicastillus.

Sup. hoc inf. in Res. 21 §. ult. paulò post init. & in Res. 42. §. Sed difficultas, & in Res. not. seq. §. Sed aliqua. paulò post init. à vers. Nam si.

2. Sed contrariam sententiam docent non pauci nostræ ætatis præstantissimi Theologi, & in primis agmen ducant duo amicissimi viri Quintanaduenas *in Theol. mor. tom... tract. 1. sing. 9.* & Antonius Frances *in Pastorali, part. 2. tract. unico, quæst. 4. & 5.* qui validissimis rationibus hanc sententiam firmant, & respondent ad argumenta contraria. Idem etiam, præter Marchant. *in pract. 5. tract. 13. resol. 85.* à me adductum tenet Ioan. Henriquez *in pract. quæst. sect. 19. q. 10.* ubi sic ait: De a qui se infiere, ser necessario baptizar los niños, puestos à las puertas de las Iglesias, o en las casas particulares sin que se pueda saber quien son sus padres, para poderles preguntar, si estan baptizados. Y advierto, que aunque se hallen estos niños cõ algun papel, que diga, que estan baptizados, no siendo el papel autentico, es dudoso el baptimo, &c. Huic sententiæ adhæret Pater Leandrus *de Sacram. tom. 1. tract. 2. disp. 3. quæst. 44.* firmans, non solùm debere baptizari sub conditione, in casu, quo tales infantes non ferant schedulam, in qua scriptum habeatur, eos fuisse baptizatos, (ut omnes Doctores testantur) Verùm etiam in casu, in quo inscriptum ferat, fuisse baptizatos; si nomen testis ad minus non probatur: & testatur, quod hanc sententiam approbat usus, & praxis hospitalis Expositorum Toletanæ Civitatis, ubi omnes sub conditione baptizantur, quamvis secum ferant de baptismo schedulas.

Quæ nunc invenietur in tom. 1. tr. 1. Res. 80. signanter in §. Sed. paulò post init. à vers. Nam si. sed lege eam per totam, & Res. & §§. ejus annot. ut scias omnia quæ accidere possunt circa hoc.

3. Hanc etiam sententiam docet Torreblanca *in pract. spir. l. 2. c. 4.* Vnde (ait) expositus baptizandus est in quacumque ætate, saltem sub conditione, quando de ejus baptismo non constat. Constare autem non dicitur per schedulam simplicem, etiam subscriptam, quam tales expositi portare solent, aut per assertionem unius vetulæ, ut arbitrantur, Paludanus, Sotus, & Henriquez. Sed per sufficientem probationem, vel ipsius baptizati assertionem, si solum agitur de baptismo iterando, ut decisum est in Conc. Carthag. 5. *cap. 6.* relatum in cap. *placit. de consecrat.* Sic ille.

4. Et tandem Adamus Opatovius à nemine observatus *de Sacram. tract. de Baptismo. disp. 1. q. 7. n. 47.* sic ait: De pueris verò expositis, sive habeant in collo scriptum appensum, sive non, quod fuerint baptizati, dico, sub conditione esse baptizandos, ne manifestè pereant.

5. Vidisti, amice Lector, quot viri docti hanc sententiam docuerint, & rationes per extensum ad illam firmandam invenies apud Quintanam & Frances, *ubi supra*, qui *quæst. 3. num. 38.* testatur, hanc sententiam practicari in Diœcesibus Cæsaraugustana, Hispalensi, & Cordubensi; unde licet ego olim in contrariam sententiam visus sum inclinare, quam novissimè me citato mordicus tenet amicissimus Pater Lugo *de Sacram. lib. 2. cap. 4. q. 8. n. 19.* tamen nunc existimo, sententiam asserentem, hos infantes esse rebaptizandos sub conditione, satis probabilem esse; & ideò ad casum propositum respondeo, satis probabiliter Parochum, qui rebaptizavit sub conditione infantem expositum, cum schedula, nullam incurrisse irregularitatem, & per consequens, minimè esse repellendum à consecutione beneficii: nam, stante magna probabilitate dictæ opinionis, immunis fuit ab incursu dictæ irregularitatis latæ contra rebaptizantes: nam rebaptizavit in casu licito. Sed ego interrogatus de hoc casu plus addidi videlicet stando in opinione dictum Parochum non potuisse rebaptizare illum infantem expositum cum schedula, attamen eo ipso quod illum rebaptizavit sub conditione, nullam incurrisse irregularitatem: & præter DD. à me alibi pro hac opinione adductos, adduxi novissimè Martinum de San Ioseph *in Mon. Confes. tom. 1. lib. 1. tract. 3. de Baptismo n. 9.* ubi sic ait: El que rebautiza à sabiendas viendo que haze mal, pero absolutamente, sino de baxo de condicion, dizen, que incurre la irregularidad puesta en el Derecho al que rebautiza, Sayr. *de Censur. lib. 7. c. 8. n. 32.* Fernandez de Heredia *de Sacram. Baptism. par. 4. dub. 2. n. 5.* y otros. Pero tengo por mucho mas probable, que no le incurre, porque la irregularidad se puso al que rebautiza simpliciter, y no al que usò de condicion; è la irregularidad, ny otras censuras no se incurren, sino estan puestas en Derecho *cap. is qui, de sent. excommun.* Ita ille, qui citat Valerum, Suarez, & Avilam. Itaque in utraque sententia superius adducta, dicendum est, supradictum Parochum, fuisse ex tali rebaptizatione immunem ab irregularitate, & posse sine ullo scrupulo beneficium obtinere, nec ex hoc capite ab ipso repellendum esse existimavi.

Alibi à me adductus

RESOL. XX.

An rebaptizantes solemniter sub conditione incurrant irregularitatem? Ex p. 3. tr. 4. Res. 9.

§. 1. Hic casus olim ad me delatus fuit, & quidam Theologus affirmativam sententiam tunc consuluit,

Sup. hoc not. §. ultimo consuluit,

consuluit, cui Sayro *de cens. lib. 7. c. 8. num. 23.* Fernandez de Heredia *disp. de Sacram. Baptismi, p. 4. dub. 2. num. 5.* & alii apud ipsum.

2. Sed ego consulentem ab irregularitate liberavi, sequens sententiam Nugni *in 3. p. q. 66. art. 9. concl. 6.* Ioan. Valens *in differentiis uriusque fori, ver. irregularitas. differt. 2. n. 1.* Yribarnæ *in 4. sent. tom. 1. disp. 6. q. 8. dist. 24. sect. 2.* Fernandez *in examine Theol. mor. p. 2. c. 10. §. 11. n. 1.* Cabrera *de Sacram. q. 66. art. 9. n. 18. & 19.* Sylvii *in 3. p. q. 66. art. 91. quæst. 1.* Possevini *de offic. cur. c. 16. n. 18.* Bartholomæi de Angelis *in exam. confess. dial. 2. §. 129.* Toleti *lib. 1. c. 65. n. 5.* Avilæ *de cens. part. 7. disp. 7. dub. 3.* Suarez *in 3. p. tom. 3. disp. 31. sect. 6. dub. 5.* & aliorum penes ipsos. Et ratio est, quia irregularitas non incurritur, nisi sit in jure expressa, ut habetur *in c. is, qui, de sent excomm. in 6.* sed ista irregularitas non habetur expressè in jure. Ergo. Probo minorem; nam in jure tantùm ponitur irregularitas propter rebaptizationem, sed hæc non est rebaptizatio simpliciter, quia datur sub conditione. Ergo.

RESOL. XXI.

An rebaptizantes aliquem sub conditione sint irregulares?

Et an infans ab infidelibus captus sit postea baptizandus sub conditione?

Pro quo casu adducitur pulchrum dubium, & multa explanantur, quæ contingere possunt pro Baptismo in dicto casu & aliis. Ex part. 3. tract. addit. Resol. 10.

§. 1. PRobabiliter quoad ad primum negativam sententiam docui *in part. 3. tract. 4. resol. 9.* & nunc iterum doceo cum Tannero *in 3. part. disp. 4. q. 2. dub. 4. num. 120.* & Homobono de Bonis *in consult. cas. conscient. vol. 1. part. 4. resp. 153.* sed non desinam hîc adnotare contrariam sententiam, non solùm quoad irregularitatem, sed etiam quoad pœnam mortis impositam *in l. 2. C. ne sanctum baptisma iteretur*, docere Ioannem Præpositum *in 3. part. quæst. 66. art. 9. dub. 3. n. 103.* ubi sic asserit: *Adverte ut pœna mortis propter rebaptizationem incurratur, aliquos requirere ut baptisma absolutè iteretur, quia pœnæ sunt restringendæ? unde censent eum qui rebaptizaret sub conditione, etiam sciens validitatem prioris Baptismi, non afficiendum extrema supplicio, quamvis graviter peccaret. Sed verius videtur, quòd si in fraudem legis apponeret conditionem, sciens priorem, Baptismum fuisse validum, & illicitum rebaptismum, possit illa pœna affici, quia conditio non tantùm in ordine ad culpam, sed etiam in ordine ad pœnam potest censeri his circunstantiis tanquam non apposita, cùm censeatur apposita solùm ad vitandam pœnam, & de cætero actio exterior videatur exerceri animo hæretico, & ex morali judicio, quod Baptismus etiam ritè collatus possit repeti.* Ita ille. Sed quidquid sit de hoc in foro externo, ego puto in foro interiori talem rebaptizantem sub conditione non esse irregularem. Sed obiter ponam hîc pulchrum dubium, de quo his diebus iuterrogatus fui, & hæc est facti species. Quidam in Rhutenia provincia nascitur, in qua ejus regionis incolæ Christianam Religionem profitentur. Triennis Turcarum incursibus capitur, ut ipsi testantur, apud eos uti Turca educatur, crescit, vivit. Iterum à Hierosolymitanis Equitibus ad tiremes mancipatur, annis pluribus ut mancipium Turca vivit sua lege, servit. Is tandem Christianus fieri petit. Quæritur, an de suscepto baptismate dubius teneatur sub conditione baptizari?

2. Et prima facie negativè videtur respondendum, quia licèt quando adest dubium an quis baptizatus fuerit, sit iterandus Baptismus sub conditione, ut patet *in c. de quibus, de baptis.* & docet D. Thomas *in 3. part. q. 66. art. 9. ad 4.* Sotus *in 4. disp. 6. quæst. 8.* Gabriel *quæst. 2. art. 3. dub. ult.* Paludanus *quæst. 4. art. 1. post 2. concl.* & Doctores *infrà* citandi; tamen hoc procedit, quando dubium est probabile, ut observat Bizozerus *de Sacram. part. 3. c. 7. num 18.* Comitolus *lib. 1. quæst. 1. n. 2.* Zambranus *de casibus tempore mort. c. 1. dub. 2 num. 1.* Estius *in 4. sent. dist. 4. §. 15.* Petrus à Sancto Ioseph, *de Sacram. part. 2. disp. 1. sect. 5.* Præpositus *in 3. part. q. 66. art. 9. dub. 2. n. 99.* Vasquez *in 3. part. tom. 2. disp. 146. c. 3. num. 22.* Petrus Ochagavia *de Sacram. tract unico de Sacram. Baptismi, quæst. 11. num. 5.* & alii communiter. Sed in nostro casu non adest dubium probabile de Baptismo non suscepto, nam quis potest probabiliter opinari puerum natum inter Christianos non esse baptizatum post tres annos suæ nativitatis? Ergo, &c. Quod confirmatur ex doctrina Sylvestri *ver. baptismus, 4. num. 7.* Soti *in 4. dist. 3. quæst. unic. art. 9.* Filliucii *tom. 1. tract. 2. c. 6. n. 149.* Ioan. de la Cruz. *in direct. part. 2. de sacr. Baptis. q. 1. dub. 3. concl. 2.* & aliorum asserentium quòd expositi inter Christianos si ex ætate judicentur nati ante mensem, censendi sunt baptizati, ergo quanto magis censendus est baptizatus iste puer, qui in terra Christianorum natus, tres annos habebat, quando fuit ab infidelibus captus, igitur dicendum videtur supradicto consulenti non esse adhibendum Baptismum cum conditione.

Sup. hoc in §. not. præterit. & in aliis not. 1. dicti §.

3. Neque his obstat *c. parvulos, de consecrat. dist. 4.* D. Leo. *in Epist. 37.* ubi asseritur parvulos à parentibus subtractos, de quibus nescitur an fuerint baptizati baptizandos esse, si non inveniantur testes de eorum Baptismo. Nam respondeo cum Vasquez *in 5. part. tom. 3. disp. 66. art. 9. c. 3. n. 25.* Barbosa *in Collectan. tom. 1. lib. 3. tit. 42. c. 2. n. 5.* & aliis; quòd canon citatus, & D. Leo loquuntur de illis, qui in parva ætate, à Barbaris capti fuerunt, & certum non esset in ea baptizari à fidelibus parentibus consuevisse. Sed in nostro casu scimus dictum parvulum fuisse captum in ea ætate, in qua omnino certum est fideles consuevisse baptizare infantes, nam fuit captus ætatis suæ anno tertio. Ergo, &c. & ideo Coninch. *de Sacram. quæst. 66. art. 9. dub. 1. n. 97.* asserit quod si constaret tales infantes à Barbaris captos justo tempore à fidelibus educatos fuisse, omnino præsumendi essent esse baptizati. Ita ille. Sed hoc accidit in casu nostro, ergo, &c.

4. His tamen non obstantibus puto in supradicto casu adhibendum esse Baptismum sub conditione, nam tota vis argumentationis pro parte negativa superiùs positæ consistit in eo, quòd dictus infans fuit captus ab infidelibus in ea ætate, in qua moraliter iu possibile videtur non fuisse baptizatum, sed hæc veritas constat ex testibus infidelibus, qui hoc dicere potuerunt, ut postea talis à Christianis captus non baptizaretur; vel absolutè dico non esse testes fide dignos; ergo non est eis credendum, nam quæ fides adhibenda est eis, qui fidem non habent? Quod à fortiori evidenter probatur ex doctrina Petri Ochagaviæ *de Sacram. tract. unico de sacram. Baptismi quæst. 11. n. 8.* & Vasquez *loco cit. num. 16.* Ioan. de la Cruz, & aliorum asserentium, quòd si infantes exponerentur inter infideles qui baptismum execrantur, tunc etiam si secum haberent testimonium asseverans eos esse baptizatos, essent saltem sub conditione baptizandi, quia tale testimonium suspectum esse posset; inde, ait Nugnus *in 3. part. tom. 1. quæst. 66. art. 9. concl. 2.* si testis non sit ita fide dignus, vel quia inimicus est, vel alia ratione, debet Baptismus iterari sub conditione; ex quo asserit Coninch, Vasquez, Ochagavia *loc. citatis.* Paludanus *in 4. dist. 6. quæst. 4. art. 3. post 1. conc. n. 6. in fine.* Zambranus *de casibus temp. mor. cap. 1. dub. 1. num. 9.*

Sup. hoc sup. in Res. 19. §. post med. & inf. in Res. 42. §. Sed difficultas. propè fin. à v. Idè etiam. & in tom. 1 tr. 1. Res. 80. §. Sed aliquis. paulò post init. à vers. Namsi.

Villalobos

Villalobos *in summa, t. 1. tract. 5. diffic. 7. n. 4.* Suarez *tom. 3. disp. 22. sect. 2.* Ledesma *in summa, tom. 1. de sacram. Baptis. cap. 5. diffic. 2.* & alii communiter ad tollendam dubitandi rationem, quòd aliquis non sit baptizatus, opus esse testificatione testis fide digni, qui asseveranter affirmet se eum baptizari vidisse. Si ergo testis non est fide dignus, etiamsi testificetur de ipso Baptismo, non sufficit, neque ei credendum est. Quanto magis credendum minimè est in casu nostro testibus infidelibus Baptismum execrantibus, qui non testantur de ipso baptismo, sed tantùm de quodam facto, ex quo si verum esset, oriretur probabilitas ipsius Baptismi. Sed ego plus addo, quòd etiamsi dicti testes infideles asseverarent supradictum infantem fuisse baptizatum, non esset eis credendum, & ita in specie docet glossa celebris *in cap. cùm itaque, de consecrat. dist. 4.* quem sequitur Ioan. Sancius *in selectis, disp. 34. num. 8.* ubi asserunt dubitanti de suo Baptismo non esse iterum ministrandum, si unius testis dicto constet collatum fuisse, nisi testis sit infidelis? aut Iudæus; quia tunc præsumitur testimonium ferre injuriam Baptismi, sive baptizandi, ut scilicet alter sine Baptismo remaneret. Non sunt supradicti testes infideles fide digni ut ex eorum testimonio, in casu quo controvertimus, non sit Baptismus cum conditione adhibendus. Et ita ego sentio, salvo semper meliori judicio.

RESOL. XXII.

An laicus celebrans Missam, & solemniter baptizans, vel Sacramentaliter absolvens incurrat irregularitatem?

Et an in dicta irregularitate contracta à solis Clericis, si non Sacerdotes confessiones audiant &c. ut ascendant ad superiores Ordines, solus Papa dispensare possit, in susceptis vero ut ministrent, proprius Episcopus?

Et quid, si delictum occultum sit, an tunc Episcopus dispensare possit ad ulteriores Ordines?

Et an per Bullam Cruciatæ quoad utrumque effectum hæc irregularitas tolli possit? Ex part. 4. tractat. 2. Res. 77.

Sup. hoc in Res. seq. à lin. 2. & in §. Et ita. & inf. in Res. 24. §. Sed stando. sed lege eam per tot. & ex Res. 25. à §. Notandũ est. usque in fin. Res.

§. 1. AFfirmativa sententia suadetur ex *cap. 1. de cler. in ordin. ministran.* ubi generaliter dicitur *si quis ministraverit*, &c. ita hanc sententiam docet Gayantus *in enchirid. Episc. ver. irregularitas, n. 58.* Paludanus, Sylvester, Scotus, Navarrus, Suarez, Valentia, & alii, quos citat Sayrus *de cens. lib. 7. cap. 10. num. 6.* quibus adde Ayilam *de cens. part. 7. disput. 9. dub. 15.* Hurtadum *de irregul. disp. 2. diffic. 2. n. 5.* Ledesmam *in 2. parte quarti, quæst. 47. art. 73. dub. 5.*

2. Sed Sayrus meritò negativam tenet opinionem quam novissimè tuetur etiam Petrus Cornejo *in 3. part. D. Thom. tract. 5. de irregularitate, disp. 7. dub. 2. quæst. 1.* Bonacina *de cens. disp. 7. quæst. 3. punct. 6. n. 1.* Hentiquez *lib. 2. cap. 29 §. 1. & lib. 14. cap. 6 §. 1.* & alii, quia textus loquuntur tantùm de Clericis, & ideo dicendum est quòd laicus solemniter baptizans, aut Missam celebrans, vel absolutionem sacramentalem conferens, fingens se Sacerdotem, non incurrit irregularitatem; & ad cap. 1. ad ductum respondeo esse intelligendum juxta titulum, sub quo ponitur; ergo cum ponatur sub titulo de Clerico non ordinato ministrante, de Clericis & non de laicis intelligendum est.

Sup. hoc inf. in Res 26. §. ult. & in to 4 tr 3. Res. 32. §. Idem. &c.

3. Verùm in dicta irregularitate contracta, ut diximus, à solis Clericis si non Sacerdotes confessiones audiant, vel Missas celebrent, ut ascendant ad ulteriores Ordines solus Papa dispensare potest; in susceptis verò ut ministret proprius Episcopus, quòd si delictum occultum sit; etiam quoad ulteriores Ordines dispensare potest, per Bullam autem Cruciatæ potest hæc irregularitas quoad utrumque effectum tolli, quia habet rationem censuræ. Et hæc omnia docet Petrus Cornejo *ubi suprà quæst. 2.*

Sup. hoc in Res. 24. §. Et ita. & inf. in Res. 24. §. Sed stando. & ex Res. 25. à §. Notandũ est. usque in fin. Res. praxes in aliis primo.

RESOL. XXIII.

An stando in opinione Doctorum asserentium laicum non posse in articulo mortis, absente Sacerdote, infirmum communicare, an inquam, si hoc faciat, incurrat irregularitatem?

Et an, si Subdiaconus administret Eucharistiam extra extremam necessitatem, irregularis maneat?

Et an Diaconus ministrans Eucharistiam incurrat irregularitatem, si id faciat sine commissione Sacerdotis & extra extremam, vel gravem necessitatem?

Et an Diacono ex officio competat Eucharistiæ dispensatio?

Et quid de dispensatione sanguinis?

Difficultas vero est, an nulla urgente necessitate possit Diaconus jussu Sacerdotis hoc Sacramentum ministrare?

Et an adhuc in casu necessitatis possit, prohibente Sacerdote, vel Episcopo, Diaconus ministrare Viaticum?

Et an sit licitum Diacono, absente, vel deficiente Sacerdote in die Parasceves in Altari Hostiam consecratam consumere, & reliquas ceremonias peragere?

Et an possit Diaconus Hostiam consecratam ex Altari deferre ad sepulchrum in die Parasceves, sicut potest idem Sacramentum ex uno Altari ad aliud transferre?

Et tandem cursim infertur, quòd laicus solemniter baptizans non fit irregularis; & fingens se Sacerdotem & absolvens Sacramentaliter, non fit irregularis; nec erit irregularis laicus, qui cum stola, & superpelliceo concionem habuerit in Ecclesia tanquam Diaconus. Ex part. 11. tract. 7. & Misc. 7. Res. 44.

Sup. hoc in Res. 24. §. Et ita. & inf. in Res. 24. §. Sed stando. & ex Res. 25. à §. Notandũ est. usque in fin. Res. concionem docta hoc textus.

§. 1. AFfirmativè videtur respondendum, quia Laicus ministrans in ordine, quem non habet, incurrit irregularitatem *ex cap. 1. & 2. de Clerico non ordinato admin.* & ita docet Suarez *3. part. tom. 3. disp. 3. sect. 4. sub fine, & tom. 5. disp. 42.* Gordon. *lib. 7. quæst. 18. n. 102.* Valent. *tom. 4. disp. 4. qu. 2. punct. 1.* Filliuc. *tract. 20. num. 208.* Non. *disp. 18. n. 45.* Hurtad. *disp. 2. diffic. 1.* Avila *disp. 9 sect. 2. dub. 13.* in ultima limitatione, qui sequuti sunt Paludan. *in 4. d. 5. quæst. 2. sect. 1. concl. 2.* Anton. *3. part. tit. 29. cap. primo, sub princ.* Sylv. *verb. irregularitas qu. 12.* Allegans Calder. Navarr. *c. 29. n. 241.* Tabiena, *verb. irregularitas 4. initio.* Majol. *lib. 4. cap. 13. n. 4.* Præpositi. *quæst. 5. de irregular. dub. 6.*

2. Sed ego existimo satis probabilem opinionem contrariam, quam in terminis casus nostri tenet Dicastillus *de Sacrament. tom. 1. tract. 4. disp. 11. dub. 5. num. 97.* ubi sic ait, Certissimum est, quod si subdiaconus administret Eucharistiam extra extremam necessitatem irregularis manet, quia omnis Clericus ministrans in ordine, quem non habet, fit irregularis, *cap. 1. & 2. de Clerico non ordinato administrante*, & de Laicis valdè probabile est incurrere irregularitatem, si eam administrent extra extremam necessitatem propter jura citata, ut cum Navarro *cap. 27. numero 242.* & aliis docet Suarius *tom. 3. disp. 31. sect. 4. in fine* & latius *tom. 5. disp. 42. sect. 4.*

3. Quamvis probabile etiam sit non incurrere irregularitatem, laicum exercentem actum ordinis, quem non habet; quia textus loquitur de Clerico. Ita ille. Et

4. Et ratio est, quia nullibi fertur à jure hæc irregularitas adversus laïcum; immò aliquo modo contrarium colligitur, quamvis enim non firmum adeo ducatur argumentum ex titulis, & rubricis, ubi diximus in scientia Canonica. Cùm tamen antiqui omnes Codices haberent universalem hanc inscriptionem. *De non ordinato ministrante :* & in ultima editione Gregoriana omnium castigatissima addita fuerit vox : *De clerico non ordinato*, non leve indicium est, hanc fuisse lectionem antiquissimam, aut certè communiorem sensum Doctorum, de Clerico non ordinato hos Canones interpretari, & quidem cum duo tantùm afferantur eo loco decreta Pontificum, quorum unum Vrbani nimirum III. agit de Diacono fingente se Sacerdotem; Alterum verò Hormisdæ de non ordinato baptizante, aut officium Ecclesiasticum exercente; difficultas tantùm esse potest de mente hujus secundi, de quo tamen non licet certò pronuntiare, cùm alibi non reperiatur integra illa decretalis, & neque constet, an Hormisdæ, an Honorii fuerit, quia tamen agit de solemni administratione Baptismi, & Officii Ecclesiastici, quæ facilè possent usurpari à Clericis non ordinatis; eo quod non sint actiones annexæ certo alicui Ordini Sacro jure divino, sed tantum Ecclesiastico; videtur de illis tantùm agere Pontifex, non de laïcis, qui non nisi rarò admodum hæc officia usurpabant : quæ ratio optima est, propter quam Ecclesia sapienter omninò Clericis tantùm hanc pœnam irregularitatis imposuerit, non verò laïcis; cùm crimen, de quo agitur, frequentius à Clericis committi soleret, non verò nisi perrarò admodum à laïcis, quibus omnibus adde vulgarem regulam de non ampliandis, sed potiùs restringendis constitutionibus pœnalibus, quare hanc posteriorem sententiam omninò probandam esse existimo.

5. Et ita docent Doctores, quos ad satietatem citat, & sequitur eruditus Pater Gibalin. *de irregul. q. 1. dub. 6. contr. 1. n. 25.* Ex quibus deducit primò, vt Laïcus solemniter baptizans non sit irregularis, quod tradunt DD. proximè citati. Secundò, Laïcus fingens se Sacerdotem, & absolvens Sacramentaliter, non erit quoque irregularis, quod docent Sayr. *num.* 8. & plurimi ab eo relati, & ex nostra sententia jam stabilita necessariò sequitur. Tertiò, neque erit irregularis laïcus, qui cum stola, & superpelliceo concionem habuerit in Ecclesia tanquam Diaconus, quia non exercet actum Ordinis.

6. Sed ex his oritur aliud dubium, an Diaconus ministrans Eucharistiam incurrat irregularitatem si id faciat sine commissione Sacerdotis, & extra extremam, seu gravem necessitatem, in quibus casibus diximus licere, quod valde probabile est, & fortè probabilius?

7. Affirmant aliqui, & quidem probabiliter; sed ego puto cum Dicastillo *ubi supra num. 99.* negativam esse probabilem; nam licet tunc peccet, non tamen irregularitatem incurrit, & colligitur ex his, quæ tradit Suarez *tom. 5. in 3. p. disp. 11. sect. 3. n. 24.* quia Diaconus ex vi suæ ordinationis recipit aliqualem potestatem administrandi hoc Sacramentum, modo explicato secundo quæsito hujus *dub. asser. 2.* Quod autem debeat esse cum licentia Presbyteri, pertinet ad jus, seu jurisdictionem; Sicut ergo simplex Sacerdos ministrans sine ulla auctoritate, & jurisdictione Eucharistiam, peccat quidem, sed non fit irregularis; ita etiam Diaconus. Idem quoque colligitur ex iis, quæ docet idem Suar. *tom. 3. in 3. p. disput. 72. sect. 2. §. Sed inquires.* Quia illa irregularitas non est imposita usurpanti jurisdictionem, aut jus alienum, sed usurpanti jurisdictionem, & actum Ordinis, quem non habet.

8. Sed quæro hîc, an Diacono ex officio competat Eucharistiæ dispensatio? Quoad dispensationem sanguinis, aliqui affirmant, non autem quoad dispensationem corporis, est sententia Divi Thomæ *3. part. quæst. 82. artic. 3. ad 1.* Paludani *in 4. dist. 13. quæst. 1. articul. 4.* Soti *quæst. 1. articul. 3.* Sylvest. *verbo Diaconus quæst. 2.* Valentiæ *3. part. disput. 6. quæstion. 10. punct. 3.*

Ref. notat. seq. lege §. 1. & alium ejus primæ annot.

9. Sed mihi placet sententia negans Diacono ullius Eucharistiæ partis dispensationem ex officio convenire; sed ex sola Episcopi, vel presbyteri commissione; Hanc docent communiter recentiores, Palatius *in 4. dist. 13. disp. 1. §. Sunt qui putent.* Henriquez *lib. 8. de Eucharistia, cap. 54.* Suarez *disput. 72. sect. 1.* Vasquez *disput. 219. cap. 1.* Coninch *3. part. quæst. 82. art. 3.* & alii.

10. Quia illud ex proprio officio convenit ministerio, quod cum ipsa potestate Ordinis ei traditur; Sed Diacono cum potestate Diaconatus non traditur Christi sanguinis dispensatio : igitur Christi sanguinis dispensatio non convenit Diacono ex proprio officio.

11. Difficultas est, an nulla urgente necessitate possit Diaconus jussu Sacerdotis hoc Sacramentum ministrare? ad quod respondetur. Primò accedente jussu Sacerdotis, non requiri extremam, sed sufficere moralem dumtaxat necessitatem, seu utilitatem. Secundò licitè posse in tali casu Diaconos Eucharistiam ministrare, si eis evidenter non constet de nullitate causæ. Tertiò si illis evidenter constet nullitas causæ, non posse licitè Sacramentum ministrare, quia cùm hoc sit proprium Sacerdotis, neque Diacono competat nisi urgente necessitate, non poterit absque hujusmodi necessitate illud licitè ministrare, nisi fortè si illud non ministraret, incurreret offensam Episcopi, vel presbyteri præcipientis : nam tunc puto, licitè posse Diaconum ad evitandam hujusmodi offensam, hoc Sacramentum ministrare, modo hoc non fiat in injuriam, & irreverentiam Sacramenti; nam illa est aliqua necessitas, si non communicantis, saltem communionem ministrantis. Contra vero, in casu necessitatis posset, adhuc prohibente Sacerdote, vel Episcopo, Diaconus viaticum ministrare infirmo, quia tunc censeretur Diaconus potestatem habere à Papa, vel ab ipso Christo.

Sup. doctrina contenta in hoc §. in to. 2. tr. 2. Res. 65. §. 2. à lin. 4.

Sup. hoc in Ref. not. præteritæ §. Nota hic, & magis latè in aliis ejus annot.

12. Ex his infert Amicus *in cur. theol. tom. 7. disp. 31. sect. 1. num. 17.* non esse licitum Diacono absente, vel deficiente Sacerdote in die Parasceves in altari Hostiam consecratam consumere, & reliquas ceremonias peragere.

13. Nam illa actio est propria Sacerdotis : quia licet per illam non consecret, per eam tamen celebrat. Vnde in rubricis ejusdem diei Parasceves, dicitur Sacerdos, eo die celebrare. Quemadmodum nec posset Diaconus perficere Missam deficiente Sacerdote, etiam post consecrationem; nam tota illa actio est propria Sacerdotis. Posset tamen Diaconus Hostiam consecratam ex altari deferre ad Sepulchrum in die Parasceves : sicut potest idem Sacramentum ex uno altari ad aliud transferre.

RESOL. XXIV.

An incurrat irregularitatem is, qui sine Ordine requisito administrat alia Sacramenta, quam solemnem Baptismum, & Sacrificium Missæ?

Et supponitur, quod irregularis efficitur, qui ministrat in Ordine, quem non habet.

Sed limitatur primo ad Ordines sacros, nam si in Minoribus ministret etiam solemniter, non erit irregularis.

Secundò, vt ministret scienter, & non ex ignorantia putans bona fide se habere talem Ordinem.

Tertio, vt ministret solemniter.

Et quæritur, an supra dicta irregularitas solos Clericos, aut etiam laïcos comprehendat?

Et notatur per absolutionem Sacramentalem præstitam ab eo, qui Ordinatus non est, irregularitatem non induci.

Et an hanc irregularitatem non incurreres, si matrimonio assisteres, tanquam Parochus, cum tamen Parochus non sis?

Et docetur exercentem officium Ordinis, quem non habet, non fore irregularem, si illud præstet absque intentione usurpandi Ordinis usum. Ex part.10. tr.11. & Misc.1. Res.21.

Sup. contento in hoc § lege § vlt. Resol. not. seq. ex §§ ejus ann.

§.1. SVppono quòd irregularis efficitur, qui ministrat in Ordine, quem non habet. Hæc est communis, & certa *cap.1. & 2.* de Clerico inordinato ministrante. Limitatur primò ad Ordines Sacros; nam si in minoribus ministret etiam solemniter, irregularis non erit; vt docet Divus Antoninus *3. parte titulo 29. cap.1.* & Henriquez *libr.14. cap.6. num.1.* Limitatur Secundò, vt ministret scienter, & non ex ignorantia, putans bona fide se habere talem ordinem; vt notat Navarrus, *consil.70. de sententia Excommunicatien. versic. Hoc idem circa finem.* Et videtur colligi *ex dicto cap.1. de Clerico excommunicato ministrante*, ibi: *Propter temeritatem.* Limitatur tertiò, vt ministret solemniter, si Ordo, quem exercet sit ex illis, qui sine solemnitate ministrari possunt à laïcis, vt Subdiaconatus, & Diaconatus: quare Clericus Ordinum minorum, cantans Epistolam cum manipulo, & Evangelium cum Stola, irregularitatem incurrit; quia ministrat tanquam habens tales Ordines.

Sup. hoc in Res. seq. §.1. à lin.4. & seq. & in alia Resol. ejus not.

2. His suppositis, difficultas est, an hæc irregularitas procedat circa omnia Sacramenta? Et affirmativè respondent communiter Doctores, *ex cap.1. de Clericor. non ordin. ministr.* Et ideò, si quis ministraret aliquem Ordinem, verbi gratia, Communionem, Extremam Vnctionem, &c. cùm Sacerdos non sit; irregularitatem incurret. Verùm Ioannes Præpositus *in 3. parte quæstion. 5. de irregularit. dubit.6. numer.34.* licèt judicet non esse recedendum ab hac communi sententia; tamen circa illam fatetur habere magnam difficultatem: cum nullo jure expressè habeatur, aliquem carentem Ordine, & administrantem Sacramenta fieri irregularem: sed Doctores id tradunt *ex cap.1. citato*, ubi dicitur: *Si quis baptizaverit, aut aliquod divinum Officium exercuerit non ordinatus; propter temeritatem abjiciatur de Ecclesia, & nunquam ordinetur.* Sub divinis autem Officiis non satis constat hîc contineri administrationem Sacramentorum; cùm sæpè in jure inter se distinguantur, vt patet *ex cap. Episcoporum de Privileg. in sexto, ex capit. Responso, de sententia Excommunication. cap. Alma mater, eodem titulo, in 6.* & ex Tridentino, *sess.21. capit.4. de reformatione.* Confirmatur. Baptismus *in capit. citato*, distinguitur à divino Officio, ibi: *Comprehendere Sacramentorum administrationem*: quamvis in quibusdam aliis capitulis comprehendere videatur. Et ita Escobar, *in Theol. moral. tractat.4. Exam. 6. capit.5.* docet, circa usum Ordinum non esse irregularem, qui carens Ordine ad id requisito, Sacramenta administrat, excepto Baptismo, & Missæ celebratione.

* Sup. hoc in duabus præcedentibus Res. & pro contento in hoc & seqq.

3. Sed stando in contraria sententia communi, maxima quæstio est. * An hæc irregularitas solos Clericos, aut etiam laïcos comprehendat? Et affirmativè respondet Valentia, Suarez, Coninch, Filliucius, Hurtadus, & alii, quos affert Castrus Palaus *tom.6. disputat.6. punct. 18. num.9.* Sed ipse *num.10.* solos §§. in hoc seq. Clericos, & non Laïcos comprehendere putat cum Angelo, Rosella, Armilla, Tabiena, Henriquez, Sayro, Layman, & aliis. Et huic sententiæ, Ego adhæreo. Quia, esto Textus *in capit. 1. de Clerico non ordinato ministr.* generaliter videatur loqui, & tam Laïcos, quàm Clericos comprehendere: at cùm sub titulo, & Rubrica de Clerico non ordinato ministrante constitutus sit, indicatur manifestè pto Clericis tantùm latum esse. Neque verum est, in Antiquis Codicibus omissum esse verbum illud, *de Clerico*: nam Sayrus testatur, se in septem manuscriptis Codicibus legisse titulum & rubricam, sicut in his editionibus castigatioribus continetur. Præterquam quòd Textus hanc irregularitatem indicentes, apertè significant solis Clericis indici. Nam *cap.2.* expressè loquitur de Ordinato; cui ultrà prohibitionem, ne ad superiores Ordines ascendat, suspensio infligitur per biennium, vel triennium ab Ordine præcipuo, quem habet *in cap. verò*; 1. si sequamur probabilem intellectum Panormitani ibi, Sylvestri, & Sayri *in locis allegatis*, asserentium illis verbis, *Abjiciatur ab Ecclesia*, suspensionem, seu depositionem ferendam indici; manifestè constat de Clericis tantùm esse sermonem: nam laïci nec suspendi, nec deponi possunt. Et licèt gravius peccet laïcus, quàm Clericus officium Ordinum usurpans; quia tamen Clerici frequentius, quàm laïci illud usurpare solent: ea de causa adversus Clericos usurpantes dictum officium statuta est irregularitas, & non adversus laïcos. Et ita, præter Doctores citatos, nostram sententiam tenet etiam Cornejo *in 3. parte tract.5. de irregularitate disputat.7. dubitat.2. quæstione prima.*

4. Nota etiam hîc ex Sylvestro, & Ledesma Aviam *part.7. disput.9. dub.15.* probabiliter putare, per absolutionem Sacramentalem, præstitam ab eo, qui ordinatus non est, irregularitatem non induci, quia absque ulla solemnitate exercetur, ac proinde inter officia Ordinis reponenda non est. Sed contrarium docent Layman, Coninch, Suarez, & alii, quos adducit, & sequitur Cornejo, & Palaus, *ubi supra numer.6.* Qui tamen, *num.5.* observat, & meritò, quòd hanc irregularitatem non incurreres, si matrimonio assisteres tanquàm Parochus, cùm tamen Parochus non esses; quia matrimonii assistentia non est actus Ordinis, sed jurisdictionis, & propter usum jurisdictionis non habitæ non est irregularitas imposita; vt & benè advertit Suarez, *disp.42. sect.4. num.19.* Coninch, *disp.18. dub.6. num.48.* Gaspar Hurtado, *disput.2. de irregul. diffic.2. num.5.*

5. Nota hîc etiam exercentem officium Ordinis, quem non habet, non fore irregularem, si illud præstet absque intentione usurpandi Ordinis usum. Ita Avila, *de Censur. part.7. disput.9. sect.2. dub.13. vers.* Quintò. Gaspar Hurtado, *disp.1. difficult.2. n.5.* & alii; quia *in c.1. de Clerico non ordinato ministrante*, statuitur hæc irregularitas, eò quòd non ordinatus solemniter baptizaverit, vel aliud officium Ordini annexum exercuerit. Sed qui sine intentione baptizat, verè non baptizat: & qui sine intentione celebrat, vel absolvit; reverà non celebrat, neque absolvit. Ergo non exercet officium Ordini Sacro annexum; quia illud officium, seu officii simulatio, non annectitur Ordini, sed ab Ordine excluditur. Sed contrarium asserit Suarez *de Censuris, disp.41. sect.4. à num.18.* Coninch, *de sput.18. dub.6. num.47.* Paulus Layman, *de irregular. lib.1. Summæ tract.5. part.5. cap.3. num.1.* Vnde utramque sententiam puto probabilem esse.

RESOL.

RESOL. XXV.

An qui sine Ordine requisito administrat Sacramenta, sit irregularis?

Et an laïcus exercens actum Ordinis, verbi gratia, Sacramentaliter absolvens, &c. incurrat irregularitatem?

Et in textu hujus Resol. multi & diversi casus adducuntur, pro praxi prædictarum quæstionum. Ex p. 4. tract. 2. Resol. 56.

§. 1. SVppono primò quòd si quis præsumat solemniter baptizare carens Ordine ad id requisito & qui sine sacerdotali Ordine præsumat Missam celebrare, efficitur irregularis, *ex cap. 1. & 2. de Cler. non ordin. ministr.** Sed difficultas est, an irregularitatem incurrat is qui sine Ordine requisito administrat alia Sacramenta? ut v. g. si Clericus præsumat sacramentaliter absolvere, vel conferre Extremam-unctionem, imò & Sacerdos qui solùm prioti ordinatione est ordinatus. Item si simplex Sacerdos præsumat conferre Sacramentum Confirmationis, vel Ordinis, &c. ad hanc difficultatem communiter respondent Doctores affirmativè, vide Avilam *part. 7. disput. 9. sectione 2. dub. 15.* Coninch *disp. 18. dub. 6. num. 48.*

2. Sed, vt verum fatear cum Ioan. Præposito *in 3. part. quæst. 5. dub. 6. num. 35.* hæc opinio videtur pati difficultatem, cùm nullo jure expresè habeatur aliquem carentem Ordine administrantem Sacramenta fieri irregularem. Sed DD. id tradunt *ex cap. 1. cit.* ubi dicitur. Si quis baptizaverit, aut aliquod divinum Officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur ab Ecclesia, & nunquam ordinetur. Sub divinis autem Officiis non satis constat hîc contineri administrationem Sacramentorum, cùm sæpè in jure inter se distinguantur, vt patet *ex c. Episcoporum de privileg. in 6. & ex cap. responsio, de sent. excommun. c. alma mater, eodem tit. in 6.* & ex Trident. *sess. 21. c. 4. de reform.* Confirmatur, quia Baptismus *in cap. cit.* condistinguitur contra divinum Officium. Ergo non videtur satis constare divinum Officium ibi comprehendere Sacramentorum administrationem, quamvis quibusdam aliis capitulis comprehendere videatur, & ideo opinio negativa videtur aliquibus probabilis, & illam docet Sylvester *ver. Confessor. 1.* ego autem non audeo recedere ab opinione affirmativa.

3. Notandum est tamen hîc obiter quòd diglantur DD. inter se, an laïcus exercens actum Ordinis incurrat irregularitatem? alii negant, alii affirmant, & omnes quidem probabiliter; sed mihi affirmativa opinio videtur probabilior, quia licèt titulus affixus in supradictis capitibus loquatur de Clericis usurpantibus Ordinem quo carent, tamen dicta jura absque limitatione loquuntur de usurpante Ordinem, quem non habet, & titulus ipsis affixus post ipsa jura lata affixus est, & non à ferente illa, vt benè observat Præpos. *ubi supra*, & Hurtado *ubi infrà.*

4. Verùm vt hæc irregularitas incurratur sive à Clerico, sive à laïco, requiritur vt Ordinem quem usurpat exerceat seriò, & quòd exerceat illum vt ordinatus, seu solemniter, id est eo modo, quo nequeat à non ordinato exerceri, unde laïci qui exercent Ordines minores quocumque modo eos exerceant, non fiunt irregulares, quia actus eorum Ordinum jam non censentur proprii eorum, nec qui in Missa canit epistolam sine manipulo, quamvis cum Dalmatica. Imò laicus, canens prædicta cum omnibus requisitis, quamvis peccet, non fit irregularis si id non efficiat animo exercendi eum Ordinem, sed supplendi defectum ordinati, & qui baptizat non solemniter, quamvis sit laïcus, & extra necessitatem, non fit irregularis, & qui fingens se Parochum assistit matrimonio, non fit irregularis, & hæc omnia docet Hurtado *disputat. 2. de irregular. disp. c. 2. num. 5.* & alii; licèt, vt *suprà* dixi, probabiliter aliqui asserant absolutè laïcum exercentem actum Ordinis non fieri irregularem. Vnde ego olim interrogatus, an laïcus Sacramentaliter absolvens incurrat irregularitatem? respondi negativè cum Sayro, Henriquez & aliis, quos citat & sequitur Barbosa *in Collect. tom. 2. lib. 5. tit. 28. cap. 1. num. 7.* licèt magis probabiliter contrarium dicendum sit, quia talis absolutio est actus Ordinis: ergo, &c.

RESOL. XXVI.

An Clericus nondum Sacerdos, si excipiat alicujus confessionem efficiatur irregularis?

Et an in irregularitate exercendi ordinem, quem non habet, possit Episcopus dispensare, ut utatur Ordine suscepto?

Et quid, vt ascendat ad Ordines ulteriores, si delictum est occultum, an post Concilium Tridentinum Episcopus possit dispensare? Ex parte 4. tractat. 2. Resol. 91.

§. 1. AFfirmativè respondet Sayrus *de censuris lib. 7. cap. 10. numer. 5.* Henriquez *lib. 14. cap. 6. §. 2.* Majolus *de irregular. lib. 4. c. 13. n. 5.* Avila *de censur. part. 7. disput. 9. dub. 15. conclus. 1.* Bonacina *de censur. disp. 7. q. 3. punct. 6. num. 4.* & alii penes ipsos. Ratio est, quia sic determinatur *in c. 1. de Clerico non ordinato*, &c. ibi: *Si quis baptizaverit vel aliquod divinum Officium exercuerit*, sed absolutio sacramentalis est divinum Officium: ergo.

2. Sed, vt verum fatear, hæc opinio videtur pati difficultatem, cùm nullo jure expresè habeatur aliquem carentem Ordine administrantem Sacramenta fieri irregularem, sed Doctores id tradunt *ex citato cap. 1.* Sed sub nomine divinorum Officiorum non satis constat contineri in dicto capite administrationem Sacramentorum, cùm sæpè in jure inter se distinguantur, vt patet *ex capit. Episcoporum, de privileg. in 6. & ex capit. responso, de sentent. excommunicat. cap. alma mater, eodem titul. in 6.* & ex Concilio Tridentino *session. 21. capite quarto, de reformat.* Quod confirmatur (attende quæso amice Lector.) ex contextu literæ supradictæ *cap. 1.* ubi Baptismus condistinguitur contra divinum Officium. Ergo non videtur satis constare divinum Officium in dicto capitulo comprehendere Sacramentorum administrationem, quamvis quibusdam aliis capitulis comprehendere videatur. Sed quia affirmativa sententia est communis, non audeo ab ea recedere. Vide Coninch *de Sacram. disp. 18. dub. 6. num. 48.*

3. Notandum est tamen hîc obiter, quòd in irregularitate exercendi Ordinem, quem non habet, Episcopus potest dispensare, vt utatur Ordine suscepto. Ita Avila *loco citato conclusione 3.* & post Concilium Tridentinum, etiam vt ascendat ad Ordines ulteriores, si delictum sit occultum.

Sup. hoc in §. penul. Resol. præteritæ, ad med.

Sup. hoc in resolutionibus positis in annot. §. Notandum, hujus Resol. & signanter in ejus Resol. 1. & 3. §. Nota hic etiam, & in aliis ejus primæ not.

Sup. hoc in §. 1. & 2. & in §. 1. n. 1. & §. 2. & in Resol. 24. §. 3.

Sup. contentio in hoc §. in Resol. not. præteritæ, §. punct. 2. & ult. & etiam §. 1.

Sup. hoc in Resol. præterita §. 1. à lin. 4. & in alio § ejus not.

Sup. contento in hoc §. sup. in Resol. 22. §. vlt. & in alio §. ejus primæ not. virtute Cruciatæ.

RESOL. XXVII.

An Sacerdoti, qui non habet licentiam confitendi, si excipiat alicujus confessionem, incurrat irregularitatem? Idem dicendum est, si talis Sacerdos administret Extremam-Vnctionem. Ex p.4. tract.2. Resol.89.

Sup. hoc in tom.1. tr.3. Resol.27. circa fin.

§.1. AFfirmativam sententiam potest quis tribuere Joanni Præposito *in 3.p. D.Thomæ,q.5. de irregular.dub.6.num.36.* ubi sic asserit. Diaconus præsumens sacramentaliter absolvere, vel conferre Extremam-Vnctionem, fit irregularis, imò & Sacerdos qui solùm priori ordinatione est ordinatus, quia in ea nondum recepit potestatem absolvendi. Ita ille: sed non loquitur in casu proposito, sed in alio, in quo deest Ordinis potestas. Sed mihi placet contraria sententia quam tuetur Bonacina *de censur. disp.7. quæst. 3. punct.6. num.6.* quia irregularitas incurritur ab exercente Ordinem quem quis non habet; Sed Sacerdos in hoc casu non exercet actum quem non habet, cùm verè sit Sacerdos, sed potiùs dicitur exercere actum jurisdictionis quam non habet: ergo non est irregularis, cùm non sit lata irregularitas contra exercentem actum jurisdictionis alienæ. Ita Bonacina, qui citat Conjnch. & Henriquez. Et idem dicendum est si talis Sacerdos administraret Extremam-Vnctionem.

RESOL. XXVIII.

An Sacerdos excommunicatus, si excipiat confessiones, incurrat irregularitatem?

Et an hoc procedat quantumcumque excommunicatio, vel delictum sit occultum, etiamsi absolutio esset invalida ob culpam pœnitentis?

Et an Sacerdos excommunicatus ex sola administratione Eucharistiæ, quamvis non celebret, incurrat irregularitatem? Ex p.4. tr.2. Resol.90.

Doctrina hujus Resol. non est satis clara ideo distinguenda, pro qua lege in to.1.tr.1. ex Resol.18. doctrinam §.Verum, & ex Resol.19. §. Sed ego, ad med. & Resol. 15.& ex illis invenies distinctionem & solutionē hujus quæst.

§.1. HIc casus potest frequenter accidere, & ad illum respondet affirmativè Laurentius Portel. *in dubiis Regularium, ver. irregularitas, num.13.* ubi sic ait: Dubium est, an Sacerdos excommunicatus majori excommunicatione, si ministret alicui Sacramentum Pœnitentiæ, maneat irregularis? Quòd enim Sacerdos celebrans excommunicatus sit irregularis, omnes admittunt. At de audiente confessiones apud nullum clarè inveni, & est dubium quotidianum. Ego judico talem Confessorem manere irregularem. Moveor ex eo quod tradit Navarrus *in man. cap.27. num.244.* ubi pro regula generali tradit, fieri irregularem illum, qui celebrat divina officia, vel facit aliquem actum deputatum Ordini Sacro majori quem habet. Constat autem quòd audire confessiones est actus specialiter deputatus Ordini Presbyterii. Secundò probo ex regula generali, videlicet fieri irregularem illum Clericum, qui exercendo actum Ordinis violat censuram: at Sacerdos excommunicatus audiens confessiones primò exercet actum Ordinis Presbyterii, vt patet; secundò violat censuram excommunicationis, per quam illi interdicitur ministrare Sacramenta: ergo fit irregularis, & hoc intelligè quantumcumque excommunicatio, vel delictum sit occultum. Ita Portel. qui licet dicat hunc casum à nemine fuisse discussum, ego tamen illum invenio resolutum etiam affirmativè apud Avilam *ubi infra.* Henriquez *lib.13.cap.7. num.1.* Alterium *de censuris lib.2. disput.1. cap.2. dub.1.* Suarez *de censuris disp.10. sect.3.num.15.* Martinum Bonacinam *de cens. disp.7. quæst.3. punct.5. num.6.* qui docet hanc sententiam esse veram, etiamsi absolutio esset invalida ob culpam pœnitentis. Verùm his non obstantibus Didacus Perez *in annotat. ad Villadiegum de irregular. cap.2. num.12.* docet tunc excommunicatum absolventem incurrere irregularitatem, quando absolvit cum orationibus, stola & Miserere, secus quando ordinario modo absolvit; sed ego non audeo recedere à communi sententia. Vnde ex his rectè ego olim in casu contingenti consului quemdam Sacerdotem excommunicatum irregularitatem incurrisse ex sola administratione Eucharistiæ, licèt Missam non celebraverit, quia talis administratio est actus deputatus Ordini Sacro. Ita Avila *de censur. part.7. sect.2. dub.2.*

RESOL. XXIX.

An Confessarius, qui obligat pœnitentem ad confitendum delictum dignum morte, si juridicè interrogaretur, incurrat irregularitatem?

Idem dicendum est, si illi consulat, ut consentiat sententiæ mortis justæ, quam differre non potest, nisi per injustam appellationem?

Et quid, si illi consulat omittere appellationem à jure concessam? Ex p.4. tract.2. Resol.99.

§.1. NEgativè respondeo, quia hoc non est concurrere ex parte inferentis mortem, sed ex parte sustinentis, & hoc justè, præterquam quòd solum intendit consulere animæ pœnitentis, & mors est per accidens sequuta. Et idem est si illi consulat vt consentiat sententiæ mortis justæ, quam differre non potest, nisi per injustam appellationem; esset tamen irregularis si consulat omittere appellationem jure concessam, quia esset causa accelerationis mortis. Ita Cornejo *in 3.part.D.Thomæ tract.5. de irregul. disp.11. dub.1.q.4.*

RESOL. XXX.

An Confessarius, qui frangit sigillum confessionis, sit irregularis?

Et an laicus, qui sine necessitate confessionem secretam audivit, fiat irregularis, si illam revelet? Ex p.5. tract.11. Resol.53.

§.1. MAjolus, qui totum mundum irregularitatibus implicare voluit, affirmativè respondet *in lib.5. de irregul. cap.19.num.16.* sequutus Speculatorem, quia putat irregularitatem in hoc casu includi in depositione imposita contra fractores sigilli *in can. Sacerdos, de pœnit. dist.6. in c. utriusque sexus, de pœnitent. & remiss.* immò addit laicum, qui sine necessitate confessionem secretam audivit, fieri irregularem, si eam revelet.

2. Sed ego puto omnino negativam sententiam tenendam esse, quia irregularitas numquam incurritur, nisi sit in jure clarè expressa. Sed hæc irregularitas non deducitur ex dictis juribus, quia depositio in ipsis imposita non incurritur ipso facto, nec aliunde. Ergo, &c. Et ita hanc sententiam ex Filliucio & Suarez docet Hurtado *disp.12.de pœnit.dub.14.* & Iacobus Granado *in 3.p.de Sacram.controv.7. tr.11. disput.8.num.2.* cum Onuphrio *opusc.de sigillo sect.5. quæst. ult.* Fagund. *pr.2. lib.6. c.7. num.3.* Turrian. *de pœnit. disp.33. dub.9.* Aldrete *de disciplina tuenda lib.2. cap.19.§.1.num.3.* & aliis.

RESOL.

RESOL. XXXI.

An Clericus excommunicatus incurrat irreguluritatem, si faciat coram se celebrare?
Et multi alii casus pro diversis irregularitatibus adversus Majolum deciduntur, in textu hujus Resolutionis. Ex part.4. tract.2. Res.57.

§.1. AD hunc casum affirmativè respondet Villalobos *in summ.tom.1. tract.21. difficult.14. n.3.* ubi sic ait, [El que haze celebrar delante de si estando descomulgado incurre en irregularidad como dize la glosa, Abad. Covarr. y otros muchos y lo pruevan del texto *c. illud, de Cleric. excommunic. ministr.* ibi, *celebrationi se ingesserit*, y dize Suarez que es comun sentencia y aunque el la restringe a los Sacerdotes los de mas Doctores no la restringen.] Et ita etiam docet Petrus Cornejo *in 3. part. D. Thomæ tract.5. de irregular. disp.6. dub. unico, quæst.5.* qui citat Navarrum, & Sayrum.

2. Verùm contrariam sententiam novissimè tuetur Præpos. *in 3.p.quæst.5. de irregular. dub.6.n.38.* ubi sic asserit, an Ecclesiasticus excommunicatus faciens coram se celebrari, incurrat irregulatitatem? Affirmant varii *ex c. illud, de Cleric.excommun.* &c. ex quo tamen non sufficienter colligitur: vt patet ex textu: verius est non incurrere. Ita ille.

3. Nota tamen hìc obiter quòd si aliquis non est censura ligatus, & faciat vt excommunicatus, suspensus, vel interdictus coram se celebret, non est irregularis. Ita Cornejo *ubi suprà*, contra Sayrum Navarrum, quia talis irregularitas non reperitur in jure, & *in c. illud*, est sermo quando excommunicatus facit coram se celebrari.

4. Nota etiam hìc quòd licèt Clericus ligatus censura incurrat irregularitatem exercendo actum Ordinis, attamen per indignam administrationem Ordinis non incurritur irregularitas quando non est administratio contra censuram. Ex qua regula excluduntur casus ab irregularitate, quos falsò apponit Majolus *lib.3. c.* 18. adversus quem insurgit Turrianus *de censur. lib.9. disp.61. dub.5. per totum.*

5. Et nota etiam hìc contra dictum Majolum *lib.4. c.1. num.8.* Episcopum qui malè utitur potestate sua in conferendo ordines, non incurrere irregularitatem, Ita Turrianus *loco citato*, qui etiam notat adversùs dictum Majolum *lib.3. c.26. num.5.* quòd non est irregularis qui celebrat prætermisso toto ritu Ecclesiæ in celebrando & sacrificando. Item non incurrit irregularitatem Sacerdos qui pro persona viventi Missam defunctorum dicit, quicquid ipse Majolus asserat *lib.3. cap.25. num.6.* vt optimè notat Turrianus *ubi suprà*, nec per iteratam receptionem sacramenti Confirmationis contra Majolum *lib.3. c.15.* nec per susceptionem fictam Baptismi contra eumdem *lib.3. c.7.* & nota cum Turriano *ubi suprà disputat.62. dub.3.* dictum Majolum *lib.5.* ferè per quadraginta capita referre multa peccata, propter quæ dicit incurri irregularitatem, & de nullo id satis probat, exceptis aliquibus, unde cautè illum lege, & in casu occurrenti consule alios DD. & tene menti illam regulam ab omnibus receptam, & *in c. is qui sententia excommunicat. in 6.* latam: videlicet quòd nulla irregularitas incurritur nisi in jure expressa, ex quo principio à multis irregularitatibus consulentes, vel pœnitentes liberabis, & ideo quando accidit casus, considera si in jure adest textus clarus & expressus imponens irregularitatem, & tunc non est dubium, quòd irregularitas incurritur: si autem adsunt opiniones probabiles ex utraque parte, vel dubium, si in illo textu imponatur irregularitas, tunc potes liberare consulentem, seu pœnitentem ab irregularitate, & ita docent communiter DD. Vid. Villalobos *tom.1. tract.21. diffic.22. num.1.*

RESOL. XXXII.

An suspensus à susceptione Sacramentorum incurrat irregularitatem suscipiendo illa? Ex p.5. tract.10. Resol.26.

§. 1. RESpondeo negativè, quia in tali casu non violatur suspensio per exercitium Ordinis sacri, & licèt Bonacina *de censur. disputat. 3. punct. 4. num. 6.* citet pro contraria sententia Majolum *lib. 3. de irregul. cap.19. num.20. ver. duodecima*; nihil tamen Majolus ibi agit de hac re, imò *numer. 16.* apertè nostram sententiam docet. Vnde adverto Lectores, ne confidant in citationibus Doctorum, quas adducit Bonacina, nam sæpiùs, pace viri quidem docti, adducit authores pro aliqua sententia qui contrariam docent, vt fecit in casu nostro.

RESOL. XXXIII.

An in dubio, si incurrerit excommunicationem ministrando quis Sacramenta, efficiatur irregularis. Ex part.5. tract.9. Res.94.

§. 1. DE hoc casu actum est *in tractatu de conscientia dubia*, nunc tantùm adducam Mercerum *de Sacrament. in 3. part. quæstion.21. dubitat.5.* ubi sic ait: Quæritur an dubius de sua excommunicatione ministrando sacramenta fiat irregularis? Respondetur negando, si postea deprehendatur non fuisse excommunicatus, idque etiam verum est quamvis putasset se esse excommunicatum. Non enim hujusmodi pœnæ incurruntur per actum existimatum, sed re ipsa perfectum. Si autem postea deprehendatur fuisse verè excommunicatus, videndum est an ministrans cum tali dubio peccaverit mortaliter contra censuram: si enim excusetur à mortali peccato etiam excusabitur à censura, secus si mortaliter peccaverit. Quod vt sciatur videndum est, an fecerit quod in se est, vt veritatem cognosceret, nisi enim id fecerit, aut ab eo faciendo, necessitate urgente excusus fuerit, incurrit & peccatum & pœnam à jure constitutam: si autem fecerit quod in se est, tamen adhuc dubius manserit, videndum est, an potuerit absolvi ad cautelam, si enim potuit, & tamen omisit, incurrit peccatum & pœnam: si autem non habuit, à quo talem absolutionem obtineret, & rationabilis occasio & necessitas prudenti arbitrio ponderanda ad celebrandum, vel simile faciendum se offerebat, & non obstante hoc dubio speculativo, deposito tamen practico celebrarit, est immunis à peccato & pœna, quia, moraliter loquendo non exposuit se periculo, cùm & necessitas urserit, & diligentiam adhibuerit. Dices, in dubiis tutior pars eligenda est. Respondetur: Hoc intelligitur cùm altera pars non est practicè tuta, provt in proposito est, quia juxta aliam regulam, in dubiis melior est conditio possidentis, & in præsenti casu operans bona fide possidet libertatem in executione Ordinum suorum: ergo, &c.

Sup. hoc sup. in tr.1 Res. 125. & in aliis ejus primæ annot. lege earum doctrinam, quâvis non dicant plenè sup. hoc.

RESOL. XXXIV.

An suspensus ab officio prædicandi irregularitatem incurrat, si concionetur saltem cum solemnitate?

Idem dicendum est de excommunicato. Ex p.5.tract.10. Resol.10.

§. 1. Affirmativam sententiam docet Navarr. *cap.27.n.163.§.8.* Valentia *tom.4. disp.7. q.18.punct.1.* Majolus *lib.3. de irreg.cap.19. n.21. §.3.* & alii. Mihi verò magis placet negativa sententia, quam ex Sylvestro, Armilla Henriquez & Medina docet novissimè doctus Tannerus *tom.4. disp.6. q.10. dub.7. n.137.* quia prædicare non est per se, universim exercere usum Ordinis, ergo, &c. Et idem dicendum de excommunicato putat Bonacina *de cens. disp.2. q.2. punct.3. §.2. n.11.*

RESOL. XXXV.

An excommunicatus recitando horas Canonicas, & dicendo Dominus vobiscum *incurrat irregularitatem?*

Et si non peccet mortaliter, an saltem peccet venialiter dicendo privatim Dominus vobiscum? Ex part.4. tract.2. Resol.94.

Pro contẽto in hac Resol. in Resol. seq.

§. 1. In aliquibus casibus affirmativè respondet Suarez *de cens.disp.12.sect.2. n.13.* ubi sic ait: Quando excommunicatus horas canonicas recitat, debet omittere salutationem, *Dominus vobiscum*, & loco illius dicere; *Domine exaudi orationem meam*, adeò vt si sit Sacerdos, aut Diaconus, dicendo, *Dominus vobiscum*, irregularis fiat, vt advertit Navarrus *lib. de orat. cap.7. num. 16.* quia juxta usum Ecclesiæ ille versiculus à solis Sacerdotibus, vel Diaconis dici potest, & præsefert personam publicam. Ita ille, & absolutè hanc sententiam tenet Majolus *de irregul. lib.3. cap.25. n.6.*

2. Sed ego puto excommunicatum dicendo, *Dominus vobiscum*, non peccare mortaliter, & ita docet Avila *de cens. pgrt.2.disp.5.diffic.2.n.3.* Præpositus *in 3. p. D. Thomæ q.2. de excommun. dub.9.n.56.* & per consequens non incurrere irregularitatem, & ideo ex eadem Societate doctus Hurtado *tract. de excomm. difficult.2. disp.5. n.3.* sic ait: Excommunicatus privatim recitando Horas Canonicas potest absque peccato dicere, *Dominus vobiscum*, quia potest illud dicere vt privata persona; sicut etiam potest dicere, *Venite adoremus.* Et quamvis peccaret dicendo, *Dominus vobiscum*, non peccaret nisi venialiter, quia est materia levissima, ac proinde nec ob id incurreret irregularitatem, quæ quando ob peccatum incurritur, non nisi ob mortale incurritur. Ita ille; & ante illum Villalob. *in summa tom.1.tract.17.diffic.7.n.3.* ubi nominatim improbat Majolum, & docet excommunicatum si privatim recitet Horas canonicas, & dicat, *Dominus vobiscum*, non incurrere irregularitatem: vide etiam Filliuc. *tom.1. tract.12. cap.4. num.93.* & Coninch *de Sacram. disp.14. dub.7. num.54.*

RESOL. XXXVI.

An excommunicatus recitando Horas Canonicas privatim, & dicendo Dominus vobiscum *incurrat irregularitatem, vel peccet mortaliter?* Ex p.5.tr.9.Resol.93.

Pro contẽto in hac Resol. in Resol. præcitatæ.

§.1. Respondeo quòd excommunicatus quando recitat divinum Officium, non debet dicere *Dominus vobiscum*, quia non est verbum privatæ personæ, sed loco illius dicere debet, *Domine exaudi orationem meam*, adeò vt Navarrus & Major existiment irregularitatem incurrere Sacerdotem, aut Diaconum excommunicatum, si proferant *Dominus vobiscum*, quod tamen negatur ab Henriquez 3. *lib. de excommunicatione, cap.7. §.2.*

2. Vide etiam Cornejo *in 3 part.tract.5.de excomm. §.4.ex errore 8.dub.1.* & Mercerum *de Sacram. in 3.p. q.21. dub.6.* ubi docet excommunicatum dicendo in recitatione horarum Canonicarum, *Dominus vobiscum*, secluso contemptu, peccare tantùm venialiter, & non incurrere irregularitatem. Idem etiam docet Layman *lib.2.tract.5.p.2. cap.2.n.6.* Imò Avila *p.2. cap.6.disp.4 dub.6.concl.3.* & Hurtado *disp.5.de excom. diffic.2. n.3.* nullum peccatum esse putant, si excommunicatus privatim recitans dicat, *Dominus vobiscum*, sed hoc est contra communem, vt observat Coninch *de Sacram.disp.14.dub.7.n.54.* vide etiam Raynaudum *de monit. p.2. cap.2.n.25.* Gordonum *tom.2. lib.7.quæst.8.cap.2 n.23.* & Præpositum *in 3. p.q.2. de excom. dub.9. n.56.* Filliucium *tom.1. tract.12. cap.4. num.93.* Henriquez *lib.13.cap.7.n.2.*

RESOL. XXXVII.

An Clericus sodomita occultus sit suspensus & si celebret, incurrat irregularitatem? Ex p.2. tract.17. & Misc.3. Resol.69.

§.1. Hunc Clericum esse suspensum ipso jure ab executione ordinis, licèt sit occultus, unde si postea ministret, etiam post peractam pœnitentiam effici irregularem, in qua irregularitate solus Papa dispensare potest, putavit Covarr. *in Clem. si furiosus p.1.§.1.n.6.* Foller. *in praxi crim.canon.p.6.cap.37.n.11,* Iul.Clarus *in §. sodomia, n 5.* Franc. Marc. *p.2.dec.687. num.16.* Lambertin. *de jurepatron.p.1.lib.2.q.2.art.18. n.4.* Salzedo *in add. ad pract.crim.Bernardi Diaz c.88.* cum multis aliis citatis à P.Hentiq. *lib.3.cap.36.n.1.in Glossa lit.M.* & à Petro Cenedo *in collect. ad jur. Canon. part.2. collect.130. n.1.* & hoc asserunt accidere non ob canones, & jura, quia nulla sunt, quæ inducant talem irregularitatem, sed propter enormitatem, & gravitatem criminis.

2. Sed hæc sententia meritò ab omnibus rejicitur. Et ratio est clara, quia nullum crimen, quamvis enorme, inducit irregularitatem, si non sit notorium, præter homicidium: hoc enim licèt occultissimum, irregularitatem inducit. Et hoc patet *ex c. extenores, de tempor. ordinat.* ubi dicitur, ex nullo crimine quantumcumque gravi, etiam degradatione digno, indu- citur suspensio, vel irregularitas in susceptis; vel susci- piendis ordinibus. Hoc etiam probatur *ex cap. fin. eod. tit.* ubi dicitur, quòd propter gravissima crimina, vt adulterium, perjurium, &c. excepto homicidio, non debet quis post pœnitentiam ab usu, vel susceptione ordinum impediri, nisi in judicio comprobata, vel aliàs notoria fuerint. Et ita hanc sententiam docet Henriquez *ubi suprà, & lib.14. cap.5.n.1. lit.F.* Avila *de cens. p.7.disp.4.dub.7.concl.7.* Floron. *tract. de cas. reserv.p.2.cap.7.§.1. n.7.* Sayrus *de cens. lib.1. cap.12. n.22.* Finell. *de cas.res. cas.9. num.6.* cum multis aliis, quos citat & sequitur Barb. *in collect.tom.2.lib.5.tit.31. c.4. n.5.* Garsias *tract. de benef. tom.2.p.11.n.15.* Vide etiam Ortiz *in summ. c.17. n.114.*

3. Ad argumentum Covarr. & aliorum respondetur, quòd nulla irregularitas potest induci; nisi extat, quòd nulla irregularitas potest induci; nisi extatur, quòd nulla irregularitas potest induci; nisi extatur, quòd nulla irregularitas potest induci; nisi extatur

RESOL. XXXVIII.

Canonicus mihi conjunctissimus, literis ad me missis, scire volebat utrum Sacerdos Beneficiarius exercens per multos annos crimen Sodomiticum cum fœmina, occultè tamen, & sine scandalo, incurrerit irregularitatem, & pœnas Extravag. Pii V?

Et an doctrina dictæ quæstionis procedat in omnibus aliis criminibus, quibus à jure infamia annexa est, vt sunt perjurium in judicio, Simonia, usuræ usurarum, sacrilegium, duellum hæresis ejusque favor, crimen læsæ Majestatis, percussio hostilis Cardinalium, & similia? Ex p.2. tract.17. & Misc.3. Resol.21.

§.1. RÉsponsum negativum accepit, & primò quoad irregularitatem, licèt sodomia ratione infamiæ illam inducat, *cap. infames 6.q.1.* cùm sit crimen enormissimum, vt habetur, *in c.adulterii 32. q.7.* tamen cùm occultè exercetur, non inducit irregularitatem, vt tradit Navar.*c.22.d.249.*cum Valent. *tom.4. disp.7. q.19.punct.3. § 5.* & Coninch. *de Sacrament.disp.18.dub.7.n.56.* & habetur expressè *in c. ult. de temporibus ordinandorum.* Cujus rei ratio est clara, nam crimen occultum non parit infamiam secus autem si esset publicum, vt ex multis probat Avila *de cens.p.7.disp.4. concl.1.* quæ doctrina procedit in omnibus aliis criminibus, quibus à jure infamia annexa est; vt sunt perjurium in judicio, simonia, usuræ usuratum, sacrilegium, duellum, hæresis, ejusque favor, crimen læsæ majestatis, percussio hostilis Cardinalium, & similia. Cùm igitur dictus sacerdos non sit sodomita publicus, non erit irregularis.

2. Quoad pœnas Bullæ Pii V. privationis privilegii clericalis officii, & beneficii, &c. Dico probabiliorem esse illam sententiam, quæ asserit dictam Bullam non esse receptam in usu quoad interius: sic Henriquez *lib.14.cap.5.num.1. littera F.* Avila *de cens. p.7. disput.4. dub.7. concl.8. in fine*, cum Greg. Sayro *lib.7.cap.12.n.23.* Adde quod licèt dicta Bulla esset recepta etiam in foro conscientiæ, tamen dictus Sacerdos exercens actum sodomiticum cum muliere, non incurreret in præfatas pœnas. Sic Azor in terminis *p.3. lib.2.cap.19.q.3.* ubi quærit, an in hac Extravanganti Pii V. comprehendatur Clericus committens copulam contra naturam, cum fœmina: & respondit, minimè, quia licèt vas sit contra naturam non est tamen peccatum sodomiticum; quia sodomia est concubitus, in quo non servatur debitus sexus: vt ipse Azor.*c.20.* probat ex D.Th. *2.2.q.154. art.11.* Caietan.*ibid.* Scio contrariam opinionem tenere Sayrum *de censur.ubi supra num.23.in fin.* Aloysium Riccium *in sua praxi p.1. resol.302. n.2.* Garsiam *de beneficiis,tom.2 p.11.c.10.§ 2.n.207.* & Prosperum de August. *in addit. ad sum. Bullarii Stephani Quaranta ver.sodomia*, ubi ait. Præsentis constitutionis dispositionem, & pœnas ampliamus, non solùm in clerico sodomita masculorum concubitore, sed & in eo, qui feminam præpostera venere cognoverit, cùm in hoc casu sodomia propriè committi dicatur, & citat Afflictum, Menochium, Clarum, Covarruviam, & alios. Sed mihi opinio Azorii probabilior videtur. Sed de hac quæstione iterum infrà redibit sermo.

RESOL. XXXIX.

An irregularitas orta ex infamia juris contrahatur, si crimen est occultum?

Et an simonia in Ordine, & beneficio, si occulta sit, inducat irregularitatem?

Et an Sacerdos publicus concubinarius, vel adulter post peractam pœnitentiam, & emendationem publicam vita, interposito saltem aliquo temporis spatio, sine dispensatione celebrare possit, quia ex infamia facti non oritur irregularitas?

Et docetur Clericos concubinarios notorios suspensionem ab officio contrahere, sed suspensionem istam consuetudine contraria ablatam esse. Ex part. 4. tractat. 2. Resol.93.

§.1. AFfirmativam sententiam docet D.Antonianus *part.3. tit.28. cap.6. §.7.* Sylvester *ver. irregularitas, quæst.14.* & P.Suarez *de cens. disput.48. sect.1.n.17.* cùm ait, quòd talis qui occultè commisit crimen, cui infamia ipso jure annexa est, teneatur abstinere ab Ordinibus tanquam irregularis, si cesset periculum se infamandi, &c. Sup.hoc sup. in Resol.37. §. Sed, & in Resol.38. §.1. post med.

2. Verùm contrariam sententiam probabiliorem esse existimo, quam tuetur Covarr. *lib.3. var.cap.3. n.2.* Tannerus *tom.4. disp.6. quæst.10. dub.11. n.227.* Coninch *de cens. disput.18.dub.7. num.56.* Henriquez *lib.14.cap.5.n.2.* & Avila *de cens.part.7. disp.4.dub.7. concl.1.* ubi docet quòd nullum crimen, quantumvis enorme, inducit hanc irregularitatem, si non sit notorium, præter homicidium, *ex cap. ex tenore, de tempor. ordinat.*

3. Hinc contra Covar. *in Clem. furiosus; part.2. §.3.n.4. ver. hoc ipsum*, simonia in ordine, si occulta sit, non inducit irregularitatem; quia non invenitur textus expressus in quo talis irregularitas infligatur, & licèt videatur hoc dicere *cap. inquisitionis, de accusat.* tamen simonia per illum textum, vt attentè legenti patebit; non inducit irregularitatem, sed suspensionem. Imò ego puto cum Avila *loco citato, conclus.7.* simoniam in beneficio non inducere irregularitatem, etiamsi publica sit, quod antea docuit Henriquez *lib.13. cap.37. num.5.* Sup. contrà in hoc §. in tom.4. tr.3. Resol.137. §.2. & vlt. & pro parte in aliis ejus annot.

4. Notandum est etiam hìc obiter contra Navarrum *in man. cap.25. n.73. & 77.* Sacerdotem publicum concubinarium, vel adulterum, post peractam pœnitentiam, & vitæ emendationem publicam, interposito, saltem aliquo temporis spatio, sine dispensatione celebrare posse, quia ex infamia facti non oritur irregularitas simpliciter dicta & indelebilis, donec per dispensationem tollatur, nec obstat quòd D.Antoninus *part.3.tit.27.cap.3.* Sylvester *ver.concubinarius, quæst.5.* Covar. *in Clem.si furiosus,part.1. §.1. num.5.* doceant Clericos concubinarios notorios suspensionem ab officio contrahere, *ex cap. præter, dist.32. cap.si qui sunt, dist.81.cap.alt.de cohabit.Cler.& mulier.* Nam respondeo suspensionem istam consuetudine sublatam esse, vt docet Sotus *in 4. dist.1. quæstione 5. art.6. circa 2. argum.* & alii quos citat, & sequitur Layman *in Theolog. mor. lib.1. tract.5. part.1. cap.4. num.11.* Quoad hoc lege doctr. §. & vers. not. seq. Sup.hoc inf. in Resol.54. §. Verum, ad med. vers. Vnde.& sup. in tr.3. Resol. 66.

RESOL. XL.

An irregularitas incurratur à pueris ante pubertatis annum? Ex p.4. tract.2. Resol.67.

§.1. NEgativè respondet Ioan. Sanctius *in selectis disp.26.n.18.* ubi sic ait: Puto non incurrere irregularitatem puerum occidentem ante pubertatem, nam cùm odia restringenda sint, *ex regula juris in 6. Odia*, &c. sit excommunicationem nec cæteras pœnas incursuros pueros nisi post annum decimum-quartum, & fœminas post completum duodecimum. Ita ille, qui citat Avilam *part.7. disput.6. sect.1. dub.13.* & Henriquez *lib.13. cap.3. n.4.* Sup.hoc sup. in tr.1. Resol. 108. §. Ex quibus, & in tom.4. tr.6. Resol.68. circa fin, sed addito Palao in fin. vers. Et quidem.

Sed iſſi Doctores hoc non aſſerunt, ſed docent pueros doli capaces incurrere irregularitatem, quòd aliqui extendunt etiam, ſi ante ſeptennium habeant plenum uſum rationis, quod Avila, & meritò negat. Et ita affirmativam ſententiam tenet noviſſimè Gavantus *in aphoriſm. Epiſcop. ver. irregularitas, num.* 91. ubi ſic ait, Puer major ſeptennio occidens fit irregularis. Vide etiam Præpoſitum *in 3. part. quæſt. 5. de irregular. dub.* 10. *num.* 76.

RESOL. XLI.

Olim hoc facti genus mihi propoſitum fuit : Vir Nobilis recepit in domum ſuam quemdam infantem expoſitum in Hoſpitali, modo cum ſit adoleſcens bonæ indolis, vult illum ad ſacros Ordines promovere, quæritur, an iſte ſit irregularis, propter periculum illegitimitatis, ita vt egeat diſpenſatione ? Ex p. 2. tr. 15. & Miſc. 1. Reſol. 22.

Sup. hoc in tribus Reſ. ſeqq. & in tom. 3. tr 3. Reſ. 66 §. Et ideo, & in tom. 6. tr. 1. Reſ. 32. cum multis DD. in §. Reſtat, paulò poſt init. & in to. 8. tr. 2. Reſ. 13. ad med. verſ. Hinc ſequitur.

§. 1. Affirmativè reſpondit Tolet. *lib.* 1. *c.* 52. Rebell. *de obligatione juſt. p.* 2. *lib.* 1. *q.* 2. *num.* 15. Avila *de cenſ. p.* 7. *diſp.* 3. *dub.* 9 Sayrus *de cenſ. lib.* 7. *c.* 10. *n.* 39. Vaſquez *in p.* 2. *diſp.* 66. *n.* 48. Caſtillo *quotidian. qq. lib.* 2. *c.* 19. *n.* 51. Honded. *lib.* 2. *conſ.* 47. *n.* 23. Covar. Majolus, Salzed. Vgolin. Henriquez, Lopez, Rodriquez, & Candelabrum aureum, apud Garſiam *de benefic. tom.* 2. *p.* 7. *c.* 2. *n.* 8. & noviſſimè Bonac. *de cenſ. diſp.* 7. *q.* 2. *punct.* 3. *n.* 10. Ratio eſt, quia expoſiti frequentiùs ſunt ex turpi conceptione, in obſcuris autem ſolet inſpici, quod eſt verisimilius, & cùm expoſitus ſit dubius de ſua legitimatione, debet in dubiis tutior pars eligi, *c. illud, de cleric. excommun. miniſtr.*

2. Hæc opinio eſt probabilis, ſed contraria non caret etiam ſua probabilitate, vt notavit Suarez *in* 3. *part. tom.* 5. *de cenſ. diſp.* 50. *ſect.* 4. *num.* 4. & Filliuc. *in quæſt. mor. tom.* 1. *tract.* 19. *c.* 5. *n.* 141. & 143. & illam amplexi ſunt Ananias *in c.* 1. *n.* 11. *de infant. expoſ.* Felin. *in c. cum deputati, num.* 1. *de judiciis.*, Cardin. Paleot. *de ſpuriis, c.* 63. *à n.* 3. *ad finem*, & ex neteoricis Gratian. *in diſcept. forenſ. p.* 1. *c.* 135. *num.* 1. cum Molfeſio *in p.* 2. *q.* 19. *art.* 5. *diſp.* 87. *in fin.* Salas *in p.* 2. *D. Thom. tom.* 2. *tract.* 8. *diſp. unic. ſect.* 24. *numero* 246. Sanctarel. *var. reſol. q.* 44. & Coninch *de Sacram. diſp.* 18. *dub.* 12. *num.* 105. Ratio eſt, quia quilibet præſumendus eſt legitimus, dum non probetur contrarium : tum quia in dubiis præferenda eſt pars benignior ; ideo ſtante dubitatione, præſumendum eſt pro legitimatione.

3. Verum eſt quod Filliucius, Suarez, Sayrus, Bonacina, *ubi ſuprà*, & Henriquez *lib.* 14. *c.* 8. *n.* 10. cum Reginald. *in praxi, tom.* 2. *lib.* 30. *tract.* 2. *c.* 7. *n.* 77. putant in hoc caſu ad tollendos ſcrupulos, tutius eſſe, tales expoſitos ſaltem petere diſpenſationem ab Epiſcopo, non quia Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate proveniente ex defectu, ſed quia illius facultas prodeſſe poteſt ad pacandam conſcientiam, adjuncta opinione probabili aſſerente, expoſitum non eſſe præſumendum irregularem : ſed hæc doctrina à Nicolao Garſia *ubi ſuprà n.* 10 non admittitur.

4. Sed quidquid ſit de illa. Dico abſolutè, & ſimpliciter expoſitos, ſine diſpenſatione, non ſolùm Papæ, ſed etiam Epiſcopi, ſine ullo ſcrupulo poſſe ſacros Ordines recipere. Ex his patet reſponſio ad argumentum contrariæ ſententiæ : & illa regula, quòd in dubiis tutior pars eſt eligenda, intelligitur, & procedit generaliter quoad hoc, vt non poſſit quis facere id, de quo eſt dubium, an ſit prohibitum, ſed debet ab illo abſtinere. Non tamen procedit quoad hoc, vt in dubio debeat quis ſpoliari, ſeu privari re poſſeſſa, vel facere actum poſitivum, de cujus obligatione non conſtat, vt eſt in caſu noſtro : nam tunc intrat alia regula, quòd in dubio, & pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis. Quæ quidem regula non ſolùm procedere in materia juſtitiæ, ſed etiam in aliarum virtutum, vt nos contra Vaſquez, & Azorium alibi demonſtravimus. Circa præſentem quæſtionem præter citatos DD. vide Piaſec. *in praxi Epiſc. c.* 1. *n.* 27. Mandoſium *de ætate min. c.* 14. *n.* 24. Hoſtienſem *in ſum. tit. qui filii ſint legitimi, n.* 8. Andr. Victorell. *in Notis ad Manuale Navar. c.* 27. *n.* 201.

Alii citati à Reſol. 41. alioſque recentiores.

RESOL. XLII.

An expoſiti cenſendi ſint irregulares, & ſint baptizandi ?

Et ſi infans inveniatur ſine ſchedula de Baptiſmo teſtante, & puer ex colore, & ætate videtur infans natus ante menſem, an in tali caſu ſit etiam cum conditione baptizandus ?

Et quid, ſi puer expoſitus fuiſſet inter infideles etiam ſi habeat chartam teſtantem de Baptiſmo ?

Et an peccet mortaliter, ſi quis non baptizatum baptizat ſub conditione ? Ex p. 3. tract. addit. Reſ. 6.

§. 1. PRo affirmativa ſententia *in part.* 2. *tr.* 25. *reſol.* 22. adduxi plures Doctores, quibus nunc addo Hurtadum *de irregul. diſp.* 2. *diſſic.* 13. *n.* 57. verùm ibi contrariam ſententiam probabilem exiſtimavi, & iterum exiſtimo unde tales poſſunt ordinari ſine ulla diſpenſatione & metu irregularitatis, & præter DD. ibi adductos docet eam ſententiam noviſſimè Paulus Squillante *de privileg. Cleric. c.* 4. *dub.* 2. *n.* 39. Barboſa *de poteſt. Epiſc. part.* 3. *alleg.* 52. *n.* 150. & me citato Dominicus Taſſonus *in pragmat. de Antifato, ver.* 13. *obſ.* 1. *n.* 78. verùm de hoc iterum redibit ſermo *in* 4. *part. tract. de irregularitate.*

Ref. modo dicta. Et reſol. ſequenti alios cum rationum primatu-

2. Sed an dicti (& eſt caſus quotidianus) ſint baptizandi ſub conditione ? Henriq. *lib.* 2. *c.* 31. *n.* 1. putat ſi quis infans inter Catholicos in januam Eccleſiæ, aut alterius hominis expoſitus inveniatur, credi debere baptizatum, niſi peculiares conjecturæ gravem ſuſpicionem in contrarium gignerent, vt ſi in eo loco degerent multi infideles, aut Anabaptiſtæ, qui filios ſuos non baptizarent. Sed hoc vt advertit rectè Adamus Tanner. *in* 3. *p. diſp.* 4. *q.* 2. *dub.* 4. *n.* 113. majori indiget limitatione : nam ſæpè mulieres cùm ad ſcelus tegendum partum occultè effundunt, parum ſunt ſollicitæ de ſpirituali infantis ſalute, ſed hoc potiùs curant, vt partum à ſe quovis modo, & quam fieri poteſt occultiſſimè amoliantur. Vnde quoties tenellus & paucorum dierum infans expoſitus reperiretur, meo quidem judicio neceſſariò ſub conditione baptizandus eſſet, quod etiam in Eboracenſi Concilio fuiſſe ſtatutum refert Baron. *tom.* 12. *Annal.* ſecus eſſe ſi infans reperiretur cum ſchedula Baptiſmi teſte, ita Tannerus. Vide etiam Præpoſit. *in* 3. *part. q.* 66. *art.* 9. *dub.* 2. *n.* 102. Layman, Coninch, & alios *ubi infrà.* Sup. hoc in §. Et ideo verſ. Quæ-

2. Sed quid dicendum de filio meretricis an possit ab Episcopo promoveri ad Ordines? Et negativè respondet Sayrus, *de censur. lib.7. cap.11. num.8.* Sed cum ipse hanc sententiam, ait Megala *in 3. lib.7. c.1. quæst.8. num.156.* nullo jure probet, & infamia juris non contrahatur sine jure hoc determinante; existimo hoc dictum non esse admittendum, nisi invento jure hoc affirmante: quod Ego summa diligentia quæsivi, & invenire illud non potui; sed potiùs inveni contrarium. Hæc Megala. Verùm sententiam Sayri tenet Cornejo *supra, quæst.2.* licet meretrix publica fuerit conjugata: ideò tu cogita: sicuti, & de filio carnificis, vulgò dicto, il boia: nam licet hujus officium sit vilissimum, & ipse non solùm, quia vindictam sanguinis exercet, sed etiam quia infamis est irregularitatem contrahat; vt per text. Gloss. & Doctores *in Clement.1.* dixit Majolus *de irregul. lib.3. c.1. n.5. vers. Inter hos:* ubi addit hoc etiam procedere in eo, qui semel tantùm tale officium exercuit, etiam si coactè hoc fecerit: tamen ejus filios, non contrahere dictam infamiam, & irregularitatem quoad Ordines, diceret Megala ex rationibus superiùs adductis, quæ militant etiam in filiis carnificum; & quia talis infamia contra eorum filios non invenitur in jure expressa. Vnde Palaus, *ubi infrà num.5.* asserit, filium carnificis non esse infamem, neque irregularem. Idem dicendum videtur de filiis, quorum patres fuerunt publicè flagellis cæsi: nam licet isti sint infames ex Cornejo, Marchino, & aliis, tamen ex rationibus superiùs dictis videtur dicendùm, quòd eorum infamia non transfertur in filios, ita vt arceantur ab Ordinibus. Et licet ego olim docuerim damnatos ad triremes non esse irregulares; modò existimo cum Thesauro *in praxi part.1. capite 33.* Si fuerint ad triremes damnati ex causa famosa; dictam pœnam inducere infamiam, & irregularitatem: non videtur tamen dicendum eorum filios dictam infamiam contrahere, vt non possint Ordinibus initiari: & hoc ex rationibus adductis.

Docuit in resol. quæ nunc hanc sequetur.

3. Et tandem pro coronide hujus resolutionis, non deseram hîc apponere opinionem dicti Castri

Palai, *ubi suprà, tom. 6. disputat. 3. punct. 20. num. 6.* ubi sic ait: Tertiò infamia nascitur ex officio; sunt enim aliqua officia ita vilia in Republica, ut ea exercentibus infamiam irrogare videantur. Hujusmodi est officium Histrionum, qui olim se pretio conducebant ad spectaculum sui corporis exhibendum, sive qui obscena publicè representabant. De quibus S. Augustinus *lib. 2. de Civit. Dei, cap. 11. & 13.* Hi igitur ob turpes, & indignas representationes infamiæ nota afficiebantur, juxta *leg. 1. & 2. §. Ait Prætor. junctis duobus sequentibus, ff. de his qui notantur infam. cap. de finibus 4. quæstione 1. & cap. aliquantos 51. dist.* Præter supra dictum officium histrionum, seu scenicorum, alii enumerant officium carnificum, macellariorum, lictorum, & similium, sed absque fundamento, nam, esto sint officia infamis conditionis, & notæ: nullo tamen jure scripto cavetur infames esse ea exercentes. Ita ille; Et quidem Cornejo, *ubi suprà, quæst. 2.* docet etiam nullum officium vile, & abjectum inducere irregularitatem, nisi constet in jure inducere infamiam. Sed, si sententia Palai esset admittenda, plures scrupulos tolleret, & plures essent immunes ab irregularitate, & à petitione dispensationis. Verùm communiter contrarium Doctores sentiunt, asserentes, supradictos tanquam infames arceri ab Ordinationibus, & esse irregulares: Ideò viri docti cogitent.

4. Sed si inquiras hîc, an infamis in uno loco, remaneat infamis in omni loco; ita ut non possit recipere Ordines in ullo loco? Affirmativè ex Hugolino respondet Bonacin. *de Sacr. disp. 7. q. 3. punct. 2. n. 10.* Ratio est, tum quia alioquin infamis in uno loco, migraret ad alium, ibique Ordines susciperet, sicque frustraretur finis legum, tum quia irregularitas est impedimentum personale, quod sequitur personam; ut in simili dictum est de effectibus censuratum. Sed negativam sententiam tenet Marchinus, *de Sacram. Ordinis, tract. 1. part. 10. c. 4. n. 17.* Ducor, ait ille, exemplo excommunicati denunciati in uno loco, qui non est vitandus in alio loco etiam ab iis, qui rem secrete norunt. Itē quia in loco retinet bonum nomen: ergo ibi non est infamis: ergo poterit ad Ordines promoveri cum duabus conditionibus; Prima, ut infamia istius non sit facile perventura ad locum, in quo ordinatur: secunda, ut non sit reversurus ad locum, in quo famam amisit. Hæc Marchinus.

5. Verùm, quia sæpiùs occurrunt Casus circa irregularitatem ex infamia; dico itaque in gratiam Confessariorum, infamiam juris incurri dupliciter. Primò, per sententiam Iudicis definitivam, qua quis de aliquo crimine condemnatur. Secundò, per quædam crimina, quibus statuto juris annexa est infamia. Vide Sylvestrum, *verb. Infamia n. 8. & 9.* Hujusmodi sunt perjurium in judicio, simonia, sodomia, improbum fœnus, ideſt, ubi usuræ usurarum exiguntur, sacrilegium, duellum, crimen læsæ Majestatis, hæresis, similiter esse fautorē, defensorem, receptatorem hæreticorum. Hi omnes ita sunt irregulares, quando crimen est publicum, ut per pœnitentiam non purgentur; sed opus habeant dispensatione. Alia verò crimina notoria, etsi digna sint depositione, si tamen non habeant annexam infamiam juris, non inducunt veram irregularitatem, ni si post sententiam judicis. Ratio est, quia vera irregularitas non tollitur per pœnitentiam, & vitæ mutationem, vel etiā per purgationem canonicam tollitur. Vnde per adulterium, & crimina adulterio minora, non incurritur vera irregularitas quamvis notoria sint: sed suspensio quædam ob indecentiam, donec infamia sit abstersa, juxta Covarruviam 2. *part. §. 1. n. 4.* quod est contra Navarrum, qui cum multis aliis propter *cap. Quæsitum est de temporibus ordinandorum*, putat incurri irregularitatem. Verùm hoc Capitulum non cogit; quia facilè exponi potest de suspensione sicut exponit Covarruvias: vel certè, quòd solùm contineat pœnam inferendam; tantùm enim ait, eos, qui laborant infamia facti, impediri debere ab Ordinibus. Ratio est, quia hæc delicta solùm faciunt inhabilem ad Ordines, & eorum usum, ob infamiam facti: ergo hac infamia abstersa, &c. Et hæc omnia docet Lessius *in 3. part. D. Thomæ cap. 5. de irregul. dub. 1. n. 37. & 39.*

Sup. hoc sup. in Ref. 39. lege §. vlt. signanter in princ. & vide aliam Ref. not 2. dict. §.

6. Neque etiam deseram hîc apponere verba Machadi *tom. 1. lib. 1. p. 3. tract. 16. docum. 6. n. 6.* ubi sic ait: [Hase de advertir, que aunque communmente muchos Auctores defienden, que la infamia, que resulta publicamente de qualquiera delito grave, induze irregularidad hasta que la persona sea en emienda del. Cō todo esso, otros son de parecer, que por grave, que sea el delito, de que resulta la infamia de hecho, no se contrae irregularidad; sino es en caso, que por Derecho le estè impuesta. Y Nicolas Garcia varon tan docto prueba, que por ningun delito por enorme que sea, excepto el homicidio, no se contrae irregularidad por razon de la infamia, aunque sea en el mismo tiempo, en que la persona persevera en el. Sed hoc communiter à Doctoribus non admittitur.

7. Si autem quæras, quomodo infamia auferri possit? Respondet Bassæus, *verb. irregularitas 20. n. 7.* quatuor modis. Primò, infamia facti, auferri potest per emendationem. Secundo, infamia juris canonici, & civilis potest à Summo Pontifice auferri: immò illa, quæ est juris civilis, potest etiam auferri à Principe, qui eam statuit; qua sublata infamia, tollitur Irregularitas. Tertiò, infamia potest auferri per dispensationem Episcopi, quatenùs potest dispensare in adulterio, & criminibus minoribus adulterio; nam directè dispensando in delicto indirectè etiam & accessorie abolet infamiam inde consurgentem. Quarto, per Baptismum tollitur omnis infamia consurgens ex delicto; nam infamia sequitur peccatum, sed per baptismum aufertur peccatum. Ita Bassæus.

Sup. hoc in §. 1. ped. huius &c.

Sup. hoc in §. vlt. huius Ref.

8. Sed primum ejus dictum indiget explicatione: nam intelligendum est de emendatione triennali; ut observat Iulius Clarus, *lib. 5. Sententiarum, §. ultimo, quæst. 21. num. 2.* Marchinus, *ubi infrà*, cum Castro Palao, & alii. Quamvis Toletus *lib. 8. cap. 57. n. 3.* dicat, non posse quem promoveri, quandiu delictum illius manet in mentibus hominum. Quod ego intelligo de mansione juridica, quæ tollitur pœnitentia etiam annorum. Quòd si infamia sit apposita delicto à lege, vel à judicis declaratione per modum pœnæ, ut in raptore mulieris, & hujusmodi; tunc non sufficiet vitæ emendatio; sed Prælati dispensatio necessaria erit: nam pœna juris auferri non potest, nisi per legitimam authoritatem; ut benè observat Marchinus *de Sacram. Ordin. tract. 1. part. 10. capite 4. num. 13.*

9. Quoad Tertium dictum Bassæi, sic asserit me citato Machadus *ubi suprà numero 8.* Si la infamia es de Derecho dudan los Dotores, si podrà en ella el Obispo. Algunos lo niegan. Pero otros lo afirman: fundados en que puede dispensar en el adulterio, y otros delitos menores que el; porque dispensando directamente en el delito, es visto aver dispensado directamente en la infamia que del resulta. Et Marchinus *ubi supra numero 14.* docet, quòd in eo delicto, in quo Episcopus potest dispensare licebit ei dispensare in infamia ex illo consurgente. Quare, dispensando in perjurio, hæresi, simonia, & hujusmodi, accessorie dispensabit in infamia, quæ ex illis oritur. Verùm Castrus Palaus *tom. 6. disp. 6. punct. 20. num. 13.* putat quòd Episcopus nullatenus potest cum infamibus dispensare, ut ad Ordines

Sup. hoc in Ref. 39. tom. 2. ref. 14. & 15. & ad mentem & seq. ref. 24. §. ascen

ascendant. Vt verò in susceptis ministrent poterit, post peractam pœnitentiam, dispensationem concedere, si delicta, ex quibus infamia contracta est, sint adulterio minora; vti colligitur *ex c. At si Clerici, §. de Adulteriis, titul. de judiciis*, & tradit Panorm. *c. Cum eo, num. 15. de Sentent. & re judicata.* Vide etiam Molinam, *tract. 4. disput. 10. num. 6.* Avilam *part. 7. disp 4. dub. 5.* & Henriquez, *lib. 14. cap. 5. num. 5.*

10. Et tandem, quoad quartum dictum Bassæi, assero, cum ipso sentire Bonacinam *de Sacrament. disput. 7. quæst. 3. punct. 1. numero 6.* nam non obstat, quòd infamia juris non tollatur per pœnitentiam: ergo neque per baptismum: cum ratio dicta de baptismo militet etiam in Sacramento pœnitentiæ. Respondeo enim negando consequentiam; nam plures effectus producuntur per baptismum, quàm per pœnitentiam: nam baptizatus, si statim suscepto baptismo, moriatur, migrat in cœlum; cùm per baptismum tollatur omnis reatus, non verò per pœnitentiam: nam sublato reatu pœnæ æternæ remanere solet reatus pœnæ temporalis; vt constat ex dictis de pœnitentia: consequenter mirum non est, si per baptismum tollitur infamia juris, non verò per pœnitentiam. Verùm hæc opinio mihi non placet; & illam reprobat Cornejo *in 3. part. D. Thoma tractat. 5. de irregularit. disputat. 8. quæst. 5.* & alii; quia per baptismum non tollitur infamia juris saltem civilis: unde si ludæus Romæ, aut Turca in Hispania esset per sententiam Iudicis publicè propter furtum flagellatus, quamvis postea baptizaretur; maneret nihilominus infamis, & inhabilis ad actus civiles; si esset condemnatus ad triremes, non liberaretur per baptismum, nisi adesset Principis dispensatio; ex quo fit, vt etiam maneat infamis infamia canonica, irregularitatem inducente, ex illo principio generali, quòd omnis persona infamis jure civili, est etiam infamis jure canonico. Vbi advertendum est, doctrinam hanc procedere solùm in illis Iudæis ac gentilibus, qui subditi sunt Principibus Christianis, & per omnes leges civiles talem infamiam ante baptismum contraxerunt: secus autem in illis, qui in propriis Provinciis infidelium degentes juxta proprias leges infames erant: nam isti illicò ac baptizantur, infamiam illam amittunt.

RESOL. LV.

An damnatus ad triremes efficiatur irregularis?
Idem est de pœna infamiæ. Ex p. 4. tract. 2. Resol. 83.

§. 1. HIc casus frequenter potest accidere, & de illo interrogatus fui propter quemdam Religiosum, qui cùm abjurasset in nostro sacro tribunali inquisitionis, & fuisset damnatus per triennium ad remigandum, postea elapso tempore & ad Religionem reversus, Superior putabat supradictum esse irregularem, & tunc negativam sententiam probabilem esse dixi. Et ita docet Riccius *decis. cur. Neapol. part. 1. decis. 119.* & Homobonus *in consultat. casuum conscient. vol. 1. part. 4. respons. 158.* nam irregularitas non contrahitur nisi in casibus à jure expressis, quod idem dicendum est de pœna infamiæ, ex glossa *in cap. infamibus, de reg. juris in 6.* Sed numquam legitur condemnatum ad remigandum contrahere infamiam, ex Borrello *consil. 52.* & aliis. Ergo, &c. quæ omnia notent Confessarii, nam hi casus sæpè in praxi accidunt, unde cum Riccio *ubi supra*, dicendum est non bene secundùm hanc sententiam quemdam Provincialem Religionis voluisse excludere ab electione Capituli Monachum olim condemnatum ad triremes.

2. Non desinam tamen hîc admotare affirmativam sententiam docere Barbosam *de potest. Episcopi part. 2. allegat. 43. num. 15.* Lezanam *in summa, quæst. regul. cap. 16. n. 32.* & Campanili *in diver. jur. canon. rubr. 11. cap. 18. n. 16. & seqq.* cum aliis asserentibus damnatos ad triremes esse irregulares, unde utramque opinionem puto probabilem esse.

RESOL. LVI.

An Æthiopes sint irregulares? Ex part. 4. tractat. 2. Resol. 84.

§. 1. NEgativè respondet Majolus *de irregularit. lib. 1. cap. 21.* Sed hanc sententiam Vgolinus *tract. de irregular. cap. 50. num. 4.* veram censet inter Æthiopes, nam leprosus inter leprosos admittitur, secus autem inter nos, horrorem enim generant; opinio tamen Majoli locum habere posset, ubi paululum niger esset. Ita Vgolinus.

2. Verùm sententiam Majoli in favorem Æthiopum absolutè tenet novissimè Bartholomæus Gavantus *in enchirid. Episcopor. ver. irregularitas, num. 18.* & mihi satis probabilis esse videtur.

RESOL. LVII.

An servi sint irregulares?
Et an si Episcopus alterius servum ordinaverit absente, vel ignorante Domino servus fiat liber, & Episcopus duplicatum Domino pretium reddere teneatur?
Et an servus, si sciente, vel non contradicente Domino Ordines recipiat, fiat liber? Ex p. 7. tract. 7. Resol. 54. alias 53.

§. 1. REspondeo affirmativè: unde adducam etiam hîc verba Villalobos, qui summatim omnia observat circa præsentem quæstionem, sic enim ait, *in summ. tom. 1. tractat. 14. diffic. 36. num. 1. & 2.* [Los siervos, ò esclavos son irregulares, como consta de muchos textos. La razon desta decision es, porque los que han de ser del gremio de los Ecclesiasticos, no han de ser esclavos de otros. Y ansi esta irregularidad no nace de la vileza de la persona, porque si le dan libertad, se puede ordenar, sino solo del estato presente.

2. Hase de advertir, que como esta irregularidad dura tanto, quanto dura la servidombre, y no mas, puede el señor quitarla, dando à su esclavo libertad expressamente del todo, como dize vn texto, ò dandole libertad, con que diga Missa por el, que este bastaria como fuesse con autoridad del Obispo, como consta de un texto, o remitiendole las obras fabriles, o artificiales, como es arar, y plantar, o otras semejantes, como dize Abad, y puede esta dispensacion hazerse tacitamente, si el siervo se ordenasse sabiendolo el señor, y no lo contradiziendo, como prueva vn texto, porque callando, es visto consentir, conforme à una ley, y mucho mejor, si expressamente consiente, que se ordena, todo lo qual ha lugar, aunque el siervo se ordene solamente de Ordenes menores, como dizen Sylvestro, Navarro, y Vgolino: el qual dize que es lo mesmo, aunque al principio no lo aya sabido el señor; si despues sabiendolo no contradixo dentro de vn año, como consta de vn texto, y es la razon, porque callando por tanto tiempo, ya es visto consentir.] Ita ille.

3. Vide etiam circa præsentem quæstionem Baunium *in Theol. Moral. tomo 2. tr. 1. q. 42.* Marchinum *de Sacram. Ord. tr. 1. part. 10. cap. 3. num. 1.* ubi asserit: quòd servus ordinatus nesciente, aut contradicente domino, deponitur, *cap. servorum, de servis non ordinand. cap. Servi, 6. Nulli de servili, c. Quicunque cap. de servili, c. Nullus Episcoporum, dist. 54.* Quæ doctrina accipienda est cum hac distinctione. Si servus iste domino ignorante, vel contradicente, solis minoribus initietur, debet, sicut priùs inservire: Si verò majores Ordines receperit, jus retinet, vt dato pretio, vel simili servo fiat liber. Interim verò, etiamsi esset factus Sacerdos, debet servire in iis, quæ Sacerdotalem statum non dedecent. Navarrus *in Man. c. 15. n. 103. §. 16.* Henriquez *de Irregularitate, cap. 8. n. 7.* Avila *de censuris, part. 7. disp. 3. dub. ult.*

4. Quod si Episcopus alterius servum scienter ordinaverit, absente, vel ignorante domino, servus fit liber; sed Episcopus duplicatum domino pretium reddere tenetur, *c. si servus absente, dist. 54. cap. per venerabilem, vers. Præterea, qui filii sint legitimi.* Item si servus, sciente, vel non contradicente domino, Ordines recipit, libertatem secundum omnes consequitur; sed circa præsentem quæstionem ne deseras videre Avilam *de Censur. part. 7. disp. 3. dub. ult.*

RESOL. LVIII.

An qui cedit bonis, fiat irregularis?
Et quid, si cessio sit ignominiosa?
Et inter alia, quæ pro irregularitate ex infamia docentur, tandem advertitur, quod ictus fustium per se non infamat, nisi quando ex causa famosa quis fustibus caditur, neque enim omne turpe factum infamat, sed id solum turpe famosum, quod jus notat. Ex part. 7. tract. 8. Resol. 22.

§. 1. Licèt cessio bonorum non careat sugillatione, vt patet *ex Novella 135. c. 1. §. 1. Instit. quibus ex causis manumit.* tamen bonis cedentes dicendum non esse irregulares, quia non sunt infames, nec talis cessio infamiam irrogat, vt habetur *in l. 1. C. ex quibus caus. infam. & l. ult. C. qui bon. ced. poss.* & docet Tho. Maulius *tract. de cess. bon. tit. 6. n. 7.* & Vlric. Hunnius *in Encyclop. jur. part. 2. tit. 27. n. 16.* ubi citat Straccham, Menochium, Paponium, & Brunum.

2. Sed difficultàs est, de his qui cedunt bonis cessione ignominiosa, & affirmativè respondet Majolus *de irregular. lib. 2. cap. 11. num. 16.* ubi sic ait: Quæ omnia vera esse intelligo in cessione, juxta *cap. Odoardus*, at in cessione ignominiosa, quæ in seculari foro fieri consuevit, si quis eo modo cesserit dixerim eum non admitti ad ordines, sicut nec reliquos infames. Ita ille.

3. Sed vt verum fatear contra sententiam Majoli habeo difficultatem; nam certum est, *ex c. is qui, de sent. excommun. in 6.* quod nulla irregularitas incurritur nisi sit in jure expressa: sed ego non invenio textus imponentes irregularitatem cedenti bonis cessione ignominiosa. Ergo.

4. Dices adesse jura, quæ asserunt infames non esse ordinandos. Respondeo cum Marchino *de Sacr. Ordinis, tr. 1. part. 10. cap. 4. num. 4.* & aliis communiter; quod infamia inducens irregularitatem est triplex juris, facti, & artis ignominiosæ. Infamia de qua loquimur non potest oriri ex arte ignominiosa, quia cedens bonis nullam artem exercet, neque exercuit. Non ad infamiam facti, quæ vt talis sit, debet oriri ex delicto vt omnes confitentur; sed cedens bonis cessione ignominiosa nullum committit delictum, sed utitur beneficio legis. Et tandem infamia hæc non potest dici infamia Iuris, nam in nulla lege talis infamia invenitur irrogata: Ergo ex nullo capite cedens bonis cessione ignominiosa videtur irregularis. Nec obstat, quod tales infames existimantur, nam ex opinione hominum non potest irregularitas induci, alioquin etiam viri nobiles recusantes acceptare duellum, essent arcendi à sacris Ordinibus tanquam irregulares vt plurimum, vel qui invenit sororem cum amasio, & injuriam condonavit, non posset Ordinibus initiari. Igitur infamiam inflictam à legibus, & non ex existimatione hominum dicendum est irregularitatem irrogare.

5. Confirmantur supradicta ex auctoritate Baldi *in leg. Debitores Cod. ex quibus caus. infam. irrogatur*; ubi docet cessionem ignominiosam irrogare infamiam. Facit etiam doctrina Ludovici Gisahusen *in Arbore Iudiciaria Criminali c. 1. n. 7. & 8.* ubi docet, quod ictus fustium per se non infamat, nisi quando ex causa famosa fustibus quis cæditur, neque enim omne turpe factum infamat, sed id solum turpe famosum est, quod jus notat, atque adeo vt maximè quis opinione hominum laboret, infamis tamen non est, Hæc ille, quæ multum confirmant nostram sententiam. Sed hæc omnia disputationis causa dicta esse volo: Ideò tu cogita; Et quidem Cardinalis Tuschus *tom. 1. conclus. 227. num. 7.* putat cessionem ignominiosam inducere infamiam facti, si non Iuris.

RESOL. LIX.

An qui laqueo se suspendit, & impeditus ab aliis non moritur, maneat irregularis? Ex p. 4. tr. 2. Res. 76.

§. 1. Videtur negativè respondendum, quia contra Majolum *de irregul. lib. 5. cap. 48. num. 5.* secutum glossam ultimam *in cap. perniciose, de pœnit. dist. 1.* irregularitas imposita est homicidio voluntario, & non attentato; ergo quamdiu quis non moritur, licèt se lethaliter vulneret, non erit irregularis, pœnæ enim extendendæ non sunt, sed potiùs coarctandæ ad proprietatem verborum legis: sed hoc accidit in casu nostro, quia talis venit tantùm in actum proximum homicidii, illúdque solum attentavit: ergo, &c.

2. At his non obstantibus Petrus Cornejo *in 3. part. D. Thom. tract. 5. de irregularitate, disp. 1. dub. 2. quæst. 4. num. 1.* putat talem manere irregularem, non ratione homicidii attentati, sed ratione delicti enormis infamiam inducentis; sed tu cogita.

RESOL. LX.

An Dæmoniaci, Energumeni, Arreptitii sint irregulares, si omnino à vexatione Dæmonis liberati sunt?
Et notatur, quod Dæmoniaci post Ordines susceptos illis abstinere debent; ubi tamen curati fuerint judicio Episcopi & unius anni spatio liberi, poterunt sua officia repetere.
Et quid est dicendum de amentibus, etiamsi amentia non sit perpetua, sed ad tempus?
Et an in hac irregularitate possit Episcopus dispensare non solum in Ordinibus susceptis sed ad alios suscipiendos.
Et notatur amentem Ordinatum, si non licitè, tamen validè Ordinari.
Et tandem docetur, quod in Sacramento Baptismi, & Ordinis non requiritur consensus aliquis de necessitate Sacramenti. Ex part. 11. tractat. 2. & Misc. 2. Resol 67.

§. 1. Assis

§. 1. Affirmativè respondet Glossa *in c. Communiter. d.* 33. *de vers. iis*, Vgolinus *cap.* 55. §. 1. *num.* 4. Rosella *verb. vitiatus*, *n.* 3. Tabiena, Sylv. & Angel. *verb. corpore vitiatus*, Majol. *lib.* 2. *c.* 17. Sayr. *lib.* 6. *c.* 9. *num.* 14. Quibus subscribunt passim recentiores, affirmantque magno consensu Dæmoniacum etiam liberatum ea vexatione, non posse ad Ordines promoveri. Vide Hurtadum *de Irregul. diffic.* 15 *n.* 54. & Cornejo *in* 3. *part. tom.* 2. *tract.* 5. *de Irregular. disp.* 13. Caspensem *in Curs. Theol. tom.* 2. *tract.* 35. *dist.* 5. *sect.* 10. *num.* 105.

2. Sed mihi magis placet opinio negativa Patris Godelini *de Irregular. c.* 3. *quæst.* 2. *controv.* 8. *num.* 22. nisi ex memoria recentis morbi remanserit aliqua infamiæ nota, & occasio offensionis. Et ita tradit *Canon.* 73. *Apostolor.* Si quis dæmonem habeat, ne fiat Clericus, sed neque cum fidelibus precetur, purgatus autem recipiatur, & si fuerit dignus fiat. Quid clarius? neque ullam exigunt dispensationem Apostoli sed indefinitè, & absolutè pronunciant, à dæmone liberatum, tum in consortium aliorum fidelium tum in Clerum admittendum esse, si aliunde dignus sit; itaque absolutè exponunt Balsam. & Zonaras Monachus. Confirmatur, quia ratio propter quam arcetur à Clero dæmoniacus, est, ne furoris tempore Sacerdotium contumelia afficiatur, & divinum nomen blasphemiis proscindatur, ut ait Balsam. & quia non potest non offendi populus, si quem scit Dæmone vexari, videat Sacra perficere, uti monet Gelasius *Epist. ad Episcopos Lucaniæ cap.* 21. Et denique quia immundus censetur, qui Dæmoni præbet hospitium ex Zonara.

3. Quæ rationes omnes cessant in eo qui liberatus omninò est: non vero in eo, qui per intervalla tantùm furit, cùm enim periculum sit, ne quo tempore ministrabit, furore corripiatur, in Clerum cooptari non decet, quod sapienter advertit Balsam. qui idcircò ait longè aliam esse rationem participationis mysteriorum, & Sacrorum Ordinum; quamvis ab utraque ea susceptione dæmoniacum prohibeat hic Canon, quia loquitur de Energumeno qui perpetuò insanit, dum enim lucidis intervallis utitur, si tunc neque enuntiet, id est, prodat mysterium, quod arcanum erat, & solis quondam fidelibus explicatum, neque blasphemet, donari poterit Eucharistia, uti Timoth. Alexandr. respondet ad tertiam interrogationem, quam hac ratione cum isto Canone conciliant Balsamon & Zonaras.

4. Nec obstat *cap. Clerici, & cap. maritum dist.* 33. nam ad illa respondet Godelinus, & posteà sic subdit; Maneat itaque quòd asserimus, Dæmoniacos plenè liberos in Clerum admitti posse ex Canone Apostolico, cui nulla posteriora jura derogarunt, ut falsò dixit Suar. *disp.* 51. *sect.* 1. *num.* 7. cum nulla proferantur; quare non fuerit opus dispensatione, nisi quatenus erit penes Episcopum arbitrari, an omnino Energumenus ille sit persanatus: addidi tamen, infamiam & scandalum, quod ex recenti vexatione generari posset, aliquando inducere hanc Irregularitatem, quæ est mens Gelasii *cap.* 21. *Epistola ad universos Lucaniæ Episcopos*; atque hanc nostram sententiam docet, & communem esse contendit Bartholomæus ab Angelo, *Dialog.* 5. §. 180. & 183.

5. Nota etiam; Dæmoniacos post Ordines susceptos illis abstinere debere, ubi tamen curati fuerint judicio Episcopi, & unius anni spatio liberi, poterunt sua officia repetere. Ita omnes ex *cap. Communiter d.* 33. quod ut monui ex Concil. Tolet. 11. *cap.* 13. desumptum fuit; neque ullus abnuit; an vero ad ulteriorem ordinem promoveri valeant, liquet ex Superiori assertione, dicendumque omninò est id posse, si infamia non obstet, & protsus persanati fuerint.

6. Sed quid dicendum de amentibus? Dico itaque quod amentia sine dubio constituit irregularem, non solùm quando est perpetua, sed quando fuit ad tempus, ita ut licet sanitatem recuperaverit, adhuc sine dispensatione promoveri non possit; ut colligitur ex *cap. maritum* 53. *dist.* Et tradit ex communi Sanctus Antoninus 3. *part. tit.* 8. *cap.* 5. Majol. *lib.* 2. *de irregular. cap.* 14. Suar. *disp.* 51. *sect.* 1. *num.* 3. & 4. Sayrus *lib.* 6. *thesauri*, *cap.* 13. *n.* 3. Avila 7. *part. disp.* 3. *dub.* 4. Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 7. *de irregular. quæstione* 2. *part.* 1. *numero* 1. & alii. Quod intelligendum est de amentia, quæ sit per modum habitus, scilicet fundata in naturali complexione, & propria organorum læsione, non de illa, quæ provenit ex aliqua febri, aut qualitate transeunte, qua cessante cessat amentia: hæc enim secum trahit indecentiam, ut benè advertunt *supra.* In Clerico tamen jam promoto amentia non dejicit illum ab usu ordinis, nisi solum quamdiu durat, aut periculum in talem defectum incidendi, & aliquam Sacramento irreverentiam præstandi, Quapropter expedit ne absque judicio Episcopi ordinibus ministrandis se immisceat, ut advertit Sayrus *lib.* 6. *thesauri cap.* 13. *num.* 3. *in fine.* Argument. *cap. Communiter* 33. *dist.*

7. In hac irregularitate existimat Majol. *dicto lib.* 2. *cap.* 14. & indicat Sayrus *suprà*, posse Episcopum dispensare non solum ad utendum ordinibus susceptis, sed etiam ad illos suscipiendos. Sed contrarium est probabilius solius Pontificis auctoritate posse ordinari, qui semel in amentiam per modum habitus cecidit, quia nullibi invenitur concessa Episcopo hæc potestas, ut notat Suarez *de censur. disp.* 51. *sect.* 1. *num.* 3. Bonacina aliis relatis *disput.* 7. *quæst.* 2. *part.* 2. *num.* 23. Vide etiam Cornejo, & Hurtadum, *ubi suprà*, qui etiam addit, quòd qui post ordinationem incidit in furiam ex cerebri indispositione, aut in morbum caducum, poterit ministrare si possit absque periculo cadendi, imò quamvis sit aliquod periculum, si raro cadat, & non evomat summas, poterit, adjuncto socio qui possit Missam perficere, si fortè post consecrationem incœptam corripiatur morbo.

8. Nota etiam hîc obiter, amentem ordinatum si non licitè valide ordinari; nam ut observat Marchinus *de Sacrament. Ordinis tractat.* 1. *part.* 4. *cap.* 4. *numero* 15. in duobus Sacramentis tantum usus rationis perfectus requiritur ad valorem Sacramenti, nempe in Pœnitentia, cujus materia sunt actus pœnitentis per proprium consensum: & in Sacramento matrimonii, quod includit pro materiali humanum contractum, qui mutuo contrahentium consensu perficitur. At in aliis Sacramentis, præcipuè in Baptismo, & Ordine non requiritur de necessitate Sacramenti consensus aliqualis, ut constat in puero baptizato, & ordinato, ideò amentem capacem esse Ordinationis docent Sanctus Thomas 3. *part. in addit. quæst.* 30. *art.* 2. Reginaldus *in foro pœnitentiali tractat.* 1. *lib.* 30. *numero* 30. Molfessius *in Summa tractat.* 2. *cap.* 16. *numero* 2. Sotus *in* 4. *disputat.* 25. *quæstion.* 1. *art.* 2. *vers. Contra hanc vero conclusionem*, qui tamen loquitur de perpetuo amentibus; hoc est, qui nunquam usum rationis habuerunt.

Sup. hoc cõsensu in to 1. tr. 1. Ref. 22. & lege aliam Ref. & 5 eius primæ ann.

9. Itaque dicendum est quædam esse Sacramenta; quorum materia sunt actus humani, ut in Pœnitentia actus pœnitentis, & in Matrimonio contrahentium consensus: & hæc non possunt pueris, vel amentibus validè conferri; quia tunc deficeret

ipsa Sacramenti materia. Alia verò sunt Sacramenta quæ habent pro materia rem aliquam inanimam, ut Baptismus aquam; Ordo instrumenta tangenda; Eucharistia panem, & vinum; & sic de cæteris: & hæc possunt puero, aut amenti validè conferri; quia eorum valor non pendet à voluntate suscipientis.

RESOL. LXI.

An mulier, quæ erumpente ipsa natura in masculum transivit, possit Sacris ordinibus initiari, inconsulto Summo Pontifice?

Et quid de Hermaphrodito, in quo prævalet sexus virilis?

Et an ordinatus sub prævalente virili sexu, si postea fœmineus prævaleat, & de facto proferat verba consecrationis panis, & vini supra debitam materiam, valide consecraret? Ex p. 10. tract. 13. & Misc. 3. Resol. 36.

Sup. contèto in hac Res. in to.4 tr 8. Res. 112. per tot.

§. 1. POsse hoc evenire, & sæpiùs evenisse, testatur eruditissimus Torreblanca *in Pract. juris Spiritualis, lib. 5. cap. 9. num. 20.* ubi sic ait: Quare non solùm incalescendi vis immutatur viris, & fœminis; sed naturæ quoque instrumenta sunt inversa, quia non modo nati infantes; sed ætate etiam provecti in omnium oculos ex fœminis Mares facti sunt, ut docent Hippocrates *lib. 6. Epidemiar. c. 8.* Galenus, *lib. de usu part. & lib. de Anatom. administr.* Ægineta, Avicenna, Rasis, & alii non contemnendæ lectionis. Quod ut verum omninò, & Philosophiæ consentaneum, rationique conforme apud varias nationes contigisse testes oculati fatentur, tam antiqui, quàm recentiores; nam apud Chasios accidisse Anamisiæ uxori Gorgippi, & Spoletanæ mulieri, & aliis, narrat historiarum Princeps Titus Livius *ab urbe condit. lib. 42.* plura Bauhin, *ubi sup.* Vt de muliere Cajetæ, quæ per quatuordecim annos nupta piscatori, in virū migravit & de Æmilia, quæ Antonio Spensæ nupta civi Ebulano post annum nuptiarum XII. in virum mutata, quæ soluto matrimonio, uxorem duxit & filios procreavit, ut narrant Iovian. Pontan. *in hist. Neapolitan.* Cocceius Sabellicus *lib. 9. exempl.* Anton. Torquemat. *in hort. dial. 1.* Apud Lusitanos in oppido Ezgueyra Maria Pacheco, cùm ejus ætatis esse inciperet, qua fœminis mēstrui fluores inchoantur, loco liquidi humoris, è locis ei membrum virile erupit, sicque ex puella subitò adolescens ephebus apparuit, & cum sexu vestitum virilem, & nomen assumpsit, vocatúsque est Emanuel Pacheco, ut narrat Amatus Lusitanus *cent. 2. cur. 39.* Apud alios tamen similia contigisse in hæc verba testatur Plegeton *Mirab. lib. 1.* Virgo quædam Smyrnæ nata Philotis nomine, cum matura viro tradita esset à Parentibus, masculino enato membro in virum evasit. Quin, & Loadiceæ, quæ est in Syria mulier Æteta nomine etiam nunc cum marito degens, è fœmina vir extitit, cui nomen Ætetus præside Athenis Mærino, Romæ Consss. L. Lamia, & Æliano vetere. Hucusque Torreblanca.

Sup. hoc in Res. not. præteritæ, § Ad quid & in tom. 7. tr. 1. res. 341. prope fin. à vers. Igitur.

2. Hoc suppositò, ad quæstionem propositam, affirmativè respondet Pater Leandrus, *de Sacram. tom. 2. tract. 6. disp. 5. q. 7.* Probatur Primò, quia talis olim fœmina, nunc verè est Vir: ergo potest ordinari. Secundo Hermaphroditus in quo prævalet sexus virilis, secundum Hurtadum *de irregul. disp. 2. difficult. 14.* & alios, potest ordinari: Ergo etiam & dicta mulier jam vir facta.

Sup contèto in hoc, & seq. § into. 4. tr. 8. Res. 112. §. 1. per tot. & in §. Ad quid.

3. Sed his omnibus ego non assentior; & mecum consentit doctus, & amicus Pater Lezana *in Summa, tom. 4. verb. irregularitas, num. 13. & 14.* ubi sic ait: Ad hanc speciem irregularitatis reducitur illa, qua affecti sunt hermaphroditi, id est habentes utrumque sexum masculi, & fœminæ. Hi enim sicut alii monstruosi irregulares omninò sunt. Nam si æquè polleant utroque sexu vel fœmininus prævaleat, omninò incapaces Ordinum sunt, cùm non sint viri, sed fœminæ, vel neutrum. Navarrus *suprà num. 203.* Sayrus *lib. 6. cap. 8.* Cornejo *suprà disp. 12.* Si verò in ipsis prævaleat masculinus sexus, licèt absolutè tales capaces Ordinum sint, quia sunt verè viri, quia tamen indecens omninò est, quod ad Altaris ministerium assumantur talia monstra, maximè si defectus publicus sit; ideò admitti non possunt ad Ordines Sacros, nisi ex Papæ dispensatione similiter de fœmina in virum conversa (quem casum sæpius contigisse historiæ narrant) idem dicendum est, absolutè scilicet esse capacem Ordinum, cùm re vera talis persona masculus sit, Cornejo, & Bonacina supra ex Suarez; Filliucio, & aliis. Non tamen ullatenus admitti debere ad illos, propter maximam indecentiam, quæ esset, quod in Altari ministret is, qui aliquando fœmina fuit. Ità Lezana.

4. Et quidem de Hermaphrodito ita fert communis sententia contrà Hurtadum, ut glossa, & Archidiaconus *in cap. Si testis verb.* Hermaphroditus, *4. quæst. 3.* Navarrus *cap. 27. n. 203. & consil. 8. de ætate, & qualit. ordinandor.* Suarez *disp. 51. sect. 1. num. 1.* Sayrus *lib. 6. thesauri. c. 8. n. 24.* Bonacina *tom. 1. disput. 7. q. 2. punct. 2. num. 15.* quia negari nequit eam monstruositatem indecentiam continere, in quo defectu nullus alius à Pontifice dispensare potest, ut alios referens notat Avila *par. 7. de Censur. disput. 3. dub. 5.* Castrus Palaus *tom. 6. disp. 6. punct. 12. num. 1.* & Megala *in 3. part. Institut.* Peregrin. *lib. 7. cap. 1. quæst. 3. num. 13.*

5. Ad argumentum Patris Leandri, respondeo, Mulierem illam, quæ natura erumpente transivit in Vitum, verè esse virum: ergo potest ordinari; nego Consequentiam; quia est quidem Vir, sed cum maxima deformitate, & indecentia: ergo eget dispensatione Pontificia. Et idem assero de Hermaphrodito, quod etiam, præter Doctores citatos tenet Dicastillo *de Sacram. tom. 1. tract. 6. disp. 1. dub. 20. num. 291.* qui postea *numero 293.* curiosum dubium profert, an Ordinatus sub prævalente virili sexu, at posteà fœmineus prævaleat, si de facto proferat verba Consecrationis Panis & vini suprà debitam materiam validè consecraret? Et opinioni affirmativæ tanquam probabiliori adhæret: Nam licèt ad primò conferendam potestatem Sacerdotalem, & characterem, requiratur sexus virilis, saltem prævalens: tamen ad retinendum characterem semel in anima impressum, non videtur requiri, neque ad retinendum potestatem. Imò à paritate non viatoris possumus argumentum sumere; sicut enim non viator retinet suum characterem, & potestatem quam acceperat dum viator esset, eamque non amittit, quia acceperat in tempore, quo erat capax accipiendi; ita similiter in Hermaphrodito philosophandum est. Pro parte verò negativa videtur facere, si non institutio ipsa Sacramenti, (quæ in fieri consistit, & quando Sacramentum fiebat subjectum erat capax:) saltem institutio gradus Sacerdotalis, quæ virum requirit, ut talem gradum habeat, nec enim Christus instituit Presbyteras, sed Presbyteros. Vnde fit, actionem illam consecrandi non habere effectum, quia actio consecrandi debet fieri à Presbytero, & illa, cùm sit simpliciter fœmina, non est Presbyter.

Sup. hoc in Res. not. præteritæ, § His ita positis, & seq.

RESOL. LXII.

An qui habet in manu sex digitos conjunctos, vel diversos si non habet impedimentum in usum membri sit irregularis?

Et

Et an hoc arbitrio Episcopi relinquendum sit, si hæc deformitas inducat irregularitatem? Ex p. 3. tract. 6. & Misc. 2. Resol. 61.

§. 1. Respondeo negativè, dummodo non adsit magna deformitas. Ita Tabiena *ver. corpore vitiatus, num. 2.* Sylvester *eodem ver. quæst. 3. num. 4.* Avila *de censuris, part. 7. disp. 13. dub. 1. coroll. 3.* Henriquez *in summa lib. 14. c. 8. num. 3.* Filliucius *tom. 1. tract. 19. c. 6. num. 165.* Reginaldus *tom. 2. lib. 30. tr. 2. c. 5. sect. 1. n. 46.* Campanili *in diver. jur. can. rubric. 11. c. 17. n. 113.* Bellettus *in disquis. cler. part. 1. § 7. num. 33.* Sayrus *de cens. lib. 6. c. 8. n. 2.* Bonacina *de cens. disp. 7. quæst. 2. punct. 1. num. 11.* & alii communiter.

2. Dices, quando hæc deformitas inducat irregularitatem, cujus arbitrio relinquendum est? Respondeo Episcopi *ex c. 2. de corpore vitiatis*, & *ibi* glossa cum Abbate, Butrio, & Cardinali, & ex Neotericis docent Ioan. de la Cruz *in directorio conscient. part. 2. tract. de irregular. dub. 2. concl. 2.* Molina *de just. tom. 4. tr. 3. disput. 70. num. 5.* Suarez *de censuris, disput. 51. sect. 3. num. 16.* Navarrus *c. 27. num. 200.* Menochius *volum. 1. cons. 99. num. 30. & 31.* Seraphinus *decis. 625. num. 4.* & alii.

3. An verò in casu nostro de quo consultus fui, adsit magna deformitas, vt diximus, non est nostrum definire: sed si judicium meum promere circa hoc adstrictus essem, responderem negativè, & ita intellexi à quodam Episcopo in simili casu fuisse decisum, & dispensatum. Adde quòd consulens ita abscondere potest in celebratione Missæ hunc defectum, vt circumstantes illum difficulter videre possint, & solùm si ministraret aliis sanctissimam Eucharistiam appareret, quam functionem consulens facilè potest omittere, salvo semper, &c.

RESOL. LXIII.

Quis in rixa præscindit alteri digitum, quæritur, an sit irregularis?

Et quid est dicendum de illo, qui alteri abscindit auriculam, dentem, nasum, testiculos: vel mammillam fœminæ, an incurrat irregularitatem?

Et notatur posse contingere, quod quis efficiat alium irregularem, & ipse non maneat irregularis, & è contra, & pro praxi adducuntur duo casus. Ex part. 2. tract. 15. & Misc. 1. Resol. 20.

Habet pro parte in Sup. hic §. 1. seq.

§. 1. Cajetanus, & Sotus apud Sayrum *ubi infrà* affirmativè respondent, & novissimè docuit hanc opinionem, cum aliqua limitatione, Doctor Suarez *in 3. p. tom. 5. disp. 44. sect. 2. n. 9.* ubi ait. Non reputatur sufficiens ad inducendam irregularitatem, abscissio unius digiti, si sit alter ex duobus minimis, de quolibet autem aliorum mihi videtur res satis gravis, & ad minimum dubia, & dispensatione indigens. Putant igitur hi Authores ad irregularitatem satis esse, si pars quæ abscinditur specialem ad principalis membri munus cooperationem habeat. Secundò probatur hæc sententia. Nam si aliquis careret pollice, esset irregularis. Ergo, & qui pollicem abscindit, irregularis erit.

2. Verùm mihi contraria sententia probabilior videtur. Dico igitur absolutè non esse irregularem qui præscindit digitum, etiam contra Suarez, si esset pollex, vel index. Ita Sayrus *de cens. lib. 6. c. 15. n. 15.* & præter Doctores quos ipse citat, docuerunt etiam hanc sententiam Avila *de cens. disp. 5. sect. 2. dub. 1.* Fernandez *in exam. Theol. mor. p. 2. c. 10. §. 14. num. 4.* Filliuc. *in qq. mor. tom. 1. tr. 20. c. 1. n. 14. & c. 9. n. 235.* Bonacina *de cens. disp. 7. q. 4. punct. 8. n. 8.* & alii. Et ratio est, quia irregularitas non incurritur, nisi propter mutilationem alicujus membri, sed digitus non est membrum, vt probat Bartolus, & DD. *in l. publicorum, ff. de publ. jud.* & alii apud Salzedum *in pract. crim. c. 101. fol. mihi 475.* Ergo, &c. Restat modò respondere ad argumenta contraria.

3. Ad primum dico, illam partem hominis dici propriè membrum, quæ habet distinctum officium ab aliis partibus, vt oculus ad videndum, manus ad palpandum, &c. si autem non habet speciale officium, quamvis opem ferat aliis, non dicitur propriè membrum. Probatur ex Arist. *lib. 10. de part. anim. c. 5.* dicente, quòd membra sunt in corpore operationis gratia. Et colligitur etiam ex D. Paulo 1. *Cor. 12.* dicente, quòd membra in corpore distinctam habent operationem: sed quia irregularitas, vt diximus, incurritur (& est certum) tantum propter abscissionem membri: ergo, quia sumus in pœnalibus, non erit extendenda ad abscissionem partis, licèt principalis, & accessoriæ alicujus membri.

4. Ad secundum dico cum Covar. *in Clem. si furiosus, p. 3. in initio, n. 8. corollar.* Navarr. Henriquez, Filliucio, Sayro, Avila, & aliis communiter, posse contingere quòd quis efficiat alium irregularem, & ipse non maneat irregularis, & è contra. Exemplum primi, vt qui præscindit alteri nasum, vel pollicem, vt in casu nostro, non manet irregularis, quia nasus, vel pollex non est membrum, & tamen præscissus manet irregularis. Idem est in eo qui impressit alteri cicatrices in vultu cum magna deformitate. Exemplum verò secundi est: vt qui præscindit alteri membrum virile, iste enim fit irregularis, quia mutilavit membrum: & tamen sic præscissus (si contingat absque ptopria culpa) non fit irregularis, *c. ex parte, el 1. de corpore vitiatis.* Notent Confessarii, non esse etiam irregularem, qui abscindit mammillam fœminæ, vel auriculam, id est, cartilaginem, quia solum deseruit ad ornatum, & tutelam auris, vel dentem, vel testiculos, absque membro genitali, vel nasum, vt ex Henriquez vult Avila *ubi suprà disputat. 3. dub. 1.* quia istæ partes, vt diximus de digitis, non sunt membra. Vide DD. citatos.

Sup. his pro parte in Resol. seq. §. vlt. à princ. usque ad med. & in §. 2. ad lin. 4 & inf. in Resol. 66. §. ult.

RESOL. LXIV.

An qui mutilavit alterius pollicem, sit irregularis?

Et quid dicendum est de illo, qui alteri abscindit auriculam, idest cartilaginem, ungues, dentes, testiculos, barbam, capillos, labia, vel mammillam fœminæ; vel qui excæcat hominem, eum privando solo visu, non autem illi oculum extrahendo; & tandem qui non abscindit, sed tantum debilitat membrum, & reddit illud inutile? Ex p. 4. tract. 2. Resol. 26.

§. 1. Affirmativè respondet Cajetanus *in 2. 2. q. 68. art. 1.* & Sotus *de justit. lib. 5. quæst. 2. art. 1.* quia putant illud esse membrum, quod habet officium disjunctum, vel conjunctum cum aliis membris, vt est digitus.

Sup. hoc in Resol. præterita §. Verum, ad lin. 3.

2. Sed tu contrariam sententiam tene. Nam membrum propriè dicitur illa pars corporis, quæ proprium habet officium distinctum ab aliis partibus, ut sunt oculus, manus, pes, auris, membrum virile, &c. non autem digiti, etiam pollices, unguis, dentes, testes, barba, capilli, labia, &c. ita tenet Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 21. difficult. 19. num. 4.* Hurtado *de irregular. disp. 2. diffic. 5. num. 18.* Præpos. *in 3. part. quæst. 5. dub. 10. num. 71.* & alii, quos citat & sequitur Bonacina *de cens. disp. 7. quæst. 4. punct. 8. n. 3.* qui nostram sententiam de pollice in terminis tenet, sicut etiam

Sup. his cut-sim in fine. Resol. præterita, & inf. in Resol. 66. §. ult.

Avila *de censur. part.7. disp.5.sect.1. dub.1.* & Megala *in 3.part.lib.7.c.1.n.31.*& alii, licèt Suarez & Vasquez contrarium docuerint, vt notat Turrianus *infrà*, & nostra opinio est fundata in doctrina Aristot. *lib.10. de par. anim. cap.5.* asserentis quòd membra sunt in corpore operationis gratia.

Sup. hoc in fine ref.1. not. præteritæ, & in ref.2.§.vlt.

3. Ex his infertur primò non esse irregularem eum, qui alteri abscindit auriculam, id est, cartilaginem, nam ipsa solùm deseruit ad ornatum & tutelam auris. Ita Avila *loco cit.* & Præpos. cum Turriano *de cens.lib.9. disp.67. dub.2.* contra Navarrum & Suarez penes ipsum. Secundò nota non esse irregularem qui præscindit mammillam fœminæ. Ita probabiliter Avila, Villalobos *ubi suprà*, ex Covarr. & aliis. Sed contraria sententia est probabilior, quam docuit ex Vasquez Turrianus *loc.cit.* & antea Molina *tom.4.tr.3. disp.69. num.6.* & alii. Tertiò nota cum Megala *ubi suprà*, qui citat Toletum, non esse irregularem qui excæcavit hominem, eum privando solo visu, non autem illi oculum extrahendo, quia sic non dicitur mutilasse membrum. Vide etiam Molinam *d.disp.68.* Et tandem quartò nota non esse irregularem qui non abscindit, sed tantùm debilitat membrum, & reddit illud inutile. Ita Megala *num.30.* Villalobos *num.7.* Avila & alii *ubi supra.*

Sup. hoc in fine ref. præteritæ.

Sup. hoc in tom. 3. tr.3. ref.40. cursim in fine.

Sup. hoc quarto ibid. in §. vlt. post medium, vers. Vt autem.

RESOL. LXV.

An qui culpa sua ab alio fuit mutilatus, etiam si membrum sit occultum, & non impediat usum Ordinis, sit irregularis?

Et an ille, qui sibi sponte membrum, vel membri partem, v. g. digitum, vel partem digiti ex indignatione, vel impatientia abscidit, sit irregularis, etiam si ex tali abscissione non oriatur notabilis deformitas, vel impedimentum ad celebrandum? Ex parte 4. tractatu 2. Resol.60.

§.1. AFfirmativè respondeo cum Molina *de justit. tom.4. tr.3. disp.70. num.18.* ubi sic ait: Est observandum, si alicui ob suam culpam ac delictum membrum, aut pars membri abscindatur, sive à judice, sive ab alio injustè in vindictam delicti quod is commisit, aut quia ipse occasio fuit rixæ in qua ei abscissum est membrum, aut pars membri, vel aliqua alia ratione dando operam rei illicitæ, irregularitatem incurrere. Vnde DD. communiter affirmant, si adulterò, aut alteri inhonesto membrum virile, aut testiculi abscindantur in vindictam delicti quod commisit, irregularitatem eo ipso ejusmodi inhonestum incurrere. Sic Molina, & ante illum Sayrus *de censur. lib.6. cap.7. num.15.* qui multos DD. citat, quibus addo Bonacinam *de cens. disp.7. quæst.2. punct.2. num.29. & 33.* Reginaldum *tom.1. lib.50.tr.2. cap.5. num.47.* Villalobos *tom.1. tract.21. diffic.35. numer.6.* Ioan. de la Cruz *in direct. part.2. de irregularit. dub.2. concl.2.*

Sup. hoc in ref. seq.

2. Sed contrariam sententiam probabilem etiam esse puto, quam docent Præpositus *in 3. p. quæst.5. dub.114. num.117.* & Hurtado *disput.2. de irregularitate, difficult.14.num.52.* Ratio est, nam, vt ex Suarez *de censur. disp.51.sect.2.num.8.* observat novissimè Turrianus *de censuris lib.9.disputat.62.dub.4.* si jura imponentia hanc irregularitatem in rigore inspiciantur, omnia loquuntur de propria culpa seipsum mutilandi ex indignatione, aut aliquo zelo indiscreto, vt colligitur *ex cap.si quis 1.2.& 3. & cap.is qui, distinct.55. & cap. maritum, distinct.33. & can.22. & 23. Apostolorum*, & *in cap. ex parte*, pendenda sunt illa verba, *affectaverint*, &c. & verba, *in hac materia sicut in materia de cens.* Secundùm proprietatem sunt explicanda. Hæc Turrianus. Cùm igitur clarum sit quod irregularitas non incurritur nisi sit in jure expressa, & irregularitas, de qua loquimur, minimè in jure, vt dictum est, expressa videtur; ergo illam non incurri dicendum erit, & hanc sententiam videtur etiam docere Acugna *in Decret. part.1. dist.33. cap.2. num.6.* ubi docet hanc irregularitatem incurri propter culpam activæ abscissionis. Vide etiam Coninck *disput.18. dub.14. num.108.* qui putat affirmativam sententiam universaliter non esse veram, sed tantum quando defectus mutilationis, seu abscissionis ipsi mutilato in se, vel in causa fuit voluntarius, juxta illa, quæ tradit *n.64.67. & 74.* Sed, vt dixi, ego primam sententiam teneo.

Quo allato inf. hoc in fine ref. Hurtadus.

3. Notandum est hîc obiter illum qui sponte sibi membrum, vel membri partem, v. g. digitum, vel partem digiti ex indignatione, vel impatientia abscidit, irregularem esse, etiamsi ex tali abscissione non oriatur notabilis deformitas, vel impedimentum ad celebrationem, vt patet *in cap. qui partem 6. dist.55.* Attamen non desinam hîc adnotare quòd multi ad incurrendam hanc irregularitatem requirebant notorietatem facti, scilicet abscissionis ex indignatione & impatientia. Ita Tannerus *in 3.p. disp.6.q.10.dub.10. num.188.* Reginaldus *tom.2. lib.30. tract.2.c.5.num.4.* Vgolinus *de irregularitate cap.51.n.1.* Bartholomæus ab Angelis *in examin. ordin. Dialog.5. §.158.* Et licet hæc opinio sit probabilis, contraria tamen non requirens hanc notorietatem est probabilior, & ita inter alios tenet Fernandez *in examin. Theolog. moral, parte 2. cap.10. §.7. num.1.*

RESOL. LXVI.

An abscissio alicujus membri facta invito inducat ipso patienti irregularitatem, etiamsi id ob culpam passus sit?

Et an testiculorum abscissio etiam voluntaria inducat irregularitatem?

Et notatur, quod abscissio digitorum, & cartilaginis auris, nasi, & testiculorum, inducit irregularitatem.

Etiamque docetur, quod licet qui alterum castrat, non sit irregularis, tamen qui se ipsum castrat, aut se castrari permittit, est irregularis. Ex p.9. tract.7. & Misc.2. Ref.21.

§.1. CAsus mihi propositus, fuit talis. Cuidam invento cum adultera, vir amputavit testiculos: quæsierunt, an permanserit irregularis, ita vt absque dispensatione non possit ordinari? Aliqui Theologi responderunt, remansisse irregularem. Sed ego consulentibus dixi, negativam sententiam esse probabilem, & adduxi Lessium *in 3.p.D.Thoma, capite 7. de irregular. dub.1.n.54.* sic asserentem. [Cui invito ab alio membrum abscissum est, non est irregularis, etiamsi id ob culpam passus sit; nisi inde sit notabilis deformitas, & ineptitudo. Est contra Navarr. *num.108.* & quosdam alios: sed tenent multi recentiores; nusquam enim in jure id est expressum, vt si ab hoste, vel inimico sis mutilatus ob factam illi injuriam; si in duello sis mutilatus; si à marito adulteræ inventus in adulterio sis mutilatus. Quòd si à Iudice sis mutilatus per sententiam, non tam es irregularis ob mutilationem, quàm ob infamiam juris, quam per sententiam incurristi.] Ita Lessius.

Sup. hoc in ref. seq. ita, & quo ter. à fine.

2. Adde etiam, quòd non desunt Doctores asserentes, testiculorum abscissionem, etiam voluntariam non inducere irregularitatem; & ita docet

Sup. hoc in ref. 2. à fine.

Hurtadus *de irregular. diffic.5. n.19.* & Bonac. *de cens. disp.7. q.4. punct.8.n.3.* Sed ego magis adhæreo affirmativæ sententiæ, quam tuetur Cast. Pal. *tom.6. disput.6. punct.25. §.1. n.4.*

3. Notandum est tamen hîc obiter, Caietanum *2.2. q.65. art.1.* Sotum *de just. lib.2 q.2. art.1.* Suarez *de cens. disp.4. sect.2. n.7.* Layman *lib.3. sect.5. tract.3. part.3. cap.11. num.1.* asserere, eam mutilationem inducere irregularitatem, ex qua corpus humanum non integrum, sed imperfectum est; ac proinde abscissionem digitorum, & cartilaginis auris, & nasi, & testiculorum inducere irregularitatem. Sed ego existimo, illam mutilationem inducere irregularitatem, ex qua aliquod membrum corporis abscindatur: nam, dum membrum aliquod abscissum non est, corpus humanum non est mutilatum, & truncum; sed absolutè, & simpliciter integrum, & perfectum; aliàs mutilatio cujuslibet partis corporis, quæ cum alio membro operatur, sufficiens irregularitati esset; & non solùm mutilatio digiti, sed partis illius irregularitatem induceret; & ex tali defectu mutilum, & truncum corpus humanum dicendum esset: quod oppositæ sententiæ Doctores non admittunt. Quapropter ea mutilatio constituit irregularitatem, quæ est mutilatio membri, sumpto membro pro ea parte corporis, quæ actionem aliquam habet ab alia distinctam, sicuti est auris, nasus, pes, oculus, manus, & similia, vt colligitur *ex leg. Idem Ossilius ff. de adil. edicto*, ubi ex unius digiti defectu non dicitur membrum deficere, & *ex l. Non sunt liberi ff. de statu hominum*, ubi ob multiplicationem digitorum non multiplicantur membra. Et *ex cap.2. de Clerico ægrotante*, ubi Clericus carens duobus digitis cum medietate palmæ non dicitur mutilatus, aut truncatus; sed debilitatus, seu deformatus. Et ita docet Molina *tract.3. disp.69. n.2.* Avila *p.7. disp.5. sect.1. dub.1.* Coninch *disp.18. dub.8. concl.2.* Valentia *tom.4. disp.7. q.19. punct.3. §.4.* & alii: & ideò pro casu nostro, licèt abscissio unius testiculi non inducat irregularitatem; abscissio tamen utriusque testiculi, impedit actionem generativam: ergo inducit irregularitatem. Nota verò, quòd licèt, qui alterum, castrat, secundùm Hurtadum *loco cit.* non sit irregularis; tamen, qui seipsum castrat, aut se castrare permittit, est irregularis, ex peculiari dispositione *in Can.5. & 11. dist.55.*

asserant culpam hanc, & abscissionem debere esse notoriam, vt docet Navarrus *cap.27. num.198.* Henriquez, *lib.14. cap.8. num.4.* Covarruvias *Clement. Si furiosus in princ. num.6.* Avila, *part.7. de irregular. disputat.3. dub.1. vers. Præterea.* Gregorius de Valentia, *tom.4. disp.7. q.19. in 2. specie irregularit.* Et indicant plures relati à Sayro *lib.6. Thesauri, cap.7. numer.13.* Sed contrarium videtur verius, quia hæc irregularitas non mittitur magis notorietati culpæ, quàm excessui, & sævitiæ, quam quis secum exercuit. Sicuti tradit Sayrus *lib.6. Thesauri, cap.7. num.12.* Molina, *tract.3. de Iust. disp.70. cap.6. & disp.76. num.8.* Garcia *de Beneficiis, part.7. cap.12. n.5.* Et ita voluntariè Eunuchos esse irregulares tenet me citato, doctus, & amicissimus Pater Thesaur. *in Praxi de pœnis, part.2. cap.1. verb. Membrorum mutilatio*, ubi sic ait: Procedit dicta ampliatio etiam in permittente se castrari ob quamcumque causam, etiam causa cantus, excepta tantum causa necessitatis ob ægritudinem, *cap. Si quis abscidit, cap. Si quis pro ægritudine 55. dist. cap. Significavit, cap. ex parte, de corp. vit.* Ita ille, qui plures alios citat.

tot. & alterius ejus primæ ann. signanter §.vlt.

Sup. hoc in præterita, §. Res. Adde & curfim in fin. dictæ res.

2. His tamen non obstantibus, contrariam sententiam probabilem esse putat Castrus Palaus, *tom.6. disp.6. punct.12. n.4.* ubi ita asserit: Quinimmò non videtur improbabile te irregularem non fore, tametsi testiculos abscindi feceris, causa vocis retinendæ, quia non fecisti ex indignatione, aut justo, vel injusto timore castitatis amittendæ, provt requiritur *in cap. Maritum, c. Qui partem c. Si quis abscideris*, & aliis superiùs relatis. Prætereà nullus textus hanc irregularitatem indicens, loquitur de eo, qui sibi resticulos abscidit, sed de eo qui sibi virilia abscindi fecerit, quod diversum est. Hæc ille.

Sup. hoc in Res. seq.

3. Nota tamen hîc obiter, circa dispensationem hujus irregularitatis procedentis ex mutilatione voluntaria sui, dicendum esse, si facta sit abscissio integri membri & sit occulta, poterit Episcopus dispensare virtute Tridentini, *sess.24. c.6. de Reform.* Sicut notarunt Angelus, *verb. Corpore vitiatus, n.1.* Sylvest. *q.10.* Henriquez, *lib.14. c.8. n.4. lit. A*, Avila, *p.7. disp.3. dub.3. concl.2.* Et idem est, inquit Avila, si abscissio casu contingeret ex propria culpa, dummodo occulta sit culpa, tametsi abscissio sit notoria.

Sup. hoc ibidem §.vlt. ad med. vers. esto publicè.

RESOL. LXVII.

An qui testiculos abscindi fecerit causa vocis retinendæ, sit irregularis?

Et an voluntariè Eunuchi sint irregulares, id est permittentes se castrari ob quamcumque causam, excepta causa necessitatis ob ægritudinem?

Et an, si abscissio integri membri sit occulta, possit Episcopus dispensare?

Idem est, si abscissio casu contigerit, ex propria culpa, dummodo occulta sit culpa, tametsi abscissio sit notoria? Ex p.10. tract.13. & Misc.3. Res.11.

§.1. HVnc peccasse mortaliter, alibi pluries docui: nunc videndum est, an sit irregularis. Et affirmativè videtur respondendum; nam irregularitatem incurrunt mutilantes membra alteri, vel sibi, aut majorem partem membri, voluntariè aut culpabiliter; eodem modo, sicut occidens, *vt cap. si Evangelia 55. dist. cap.1. de Cler. pug. in duello, cap. ultim. de homicid. in 6. Clemen. unic. eo tit. ibi* Glossa, *verb. Mutilat.* Sayrus *lib.6. de Censur. cap.15. num.3.* Molina, *tract.3. disp.69. num.2.* Suarez *de Censur. disputat.44. sect.2. num.8.* Avila *p.7. disp.3. dub.1.* & licèt aliqui

RESOL. LXVIII.

An Eunuchus, qui occultè, sed sponte se fecit castrare, sit ab Episcopo dispensabilis pro irregularitate, vt ad sacros Ordines promoveatur? Ex p.10. tract.13. & Misc.1. Res.28.

Sup. hoc in Res. præterita §. vlt. in princip.

§.1. AFfirmativè respondet Pater Andreas Gerunda *de Episcopatu, lib.2. disp.5. c.3. n.21.* ubi sic ait: Hinc casum solvi, de quo consultus, dum hæc conderem, de Eunucho, qui sponte castrare se fecit, an ita irregularis esset, vt ab Ordinario non posset ad Sacros Ordines dispensari? Respondi quicquid nonnulli in contrarium senserint, etiam posse: Et ratio est, quia quamvis notorium esset eum evitatum, id tamen per delictum factum fuisse occultum erat; cùm igitur hæc irregularitas ex delicto sit & non ob vitium corporis, vt communiter sentiunt apud Avilam, *part.7. disp.3. dub.1. vers. contraria sententia deducta à Canone 22. Apostol.* hinc fit ex vi Tridentini, cujus expendimus decretum, posse ab Episcopo dispensari.

2. Dices, hanc irregularitatem reduci ad homicidium voluntarium, cujus irregularitas, quamvis occulta sit, Papæ per Tridentinum est reservata. Respondeo, licèt sciverim nonnullos Doctores extendere

dere reservationem irregularitatis ex homicidio voluntario occulto, contractæ, ad mutilationem voluntariam occultam; at probabilius esse contrarium: tùm innixus rationis, tùm Decreto Congregationis Cardinalium Trid. relato à Soario *de Cens. disput. 44. sect. 4. n. 32.* cui subscribunt idemmet Soarius, Emanuël, *cap. 187. conclus. 1.* qui expressiùs nostræ favent conclusioni: Accedit Avila *de Irregul. disp. 3. dub. 3. concl. 2.* dicens, esto publicè constet de evaratione, dummodò delictum sit occultum, posse dispensari ab Episcopo, cùm eadem sit ratio de hoc, ac de excommunicato occulto publicè celebrante. Miror autem Sylvestrum contrarium sentientem *corpore vitiatus 9. & 10. ad finem*, pro se citare *1. cap. de corp. vitiat.* quod quidem non modo de Clerico publicè Monomachiam obeunte loquitur, cujus delictum erat manifestum, sed in illo eodem casu Glossam, si legisset Sylvester, eam docere comperisset, posse Episcopum dispensare, quicquid etiam in contrarium judicaverit Tabiena. Hucusque Gerunda, cui etiam ego adhæreo.

Sup. hoc in fine §. not. præterea.

RESOL. LXIX.

An consulens ad mutilandum aliquem sit irregularis?

Et notatur, quod non erit irregularis, qui dedit consilium mutilationis, quem non potuit aliter ab homicidio avertere. Ex p. 4. tract. 2. Resol. 18.

§. 1. AFfirmativè respondent communiter DD. sed de hoc non datur (vt observat Petrus Cornejo *in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de irregular. disput. 2. dubitat. unica, quæst. 5. num. 3.* & Ioannes Præpositus *in 3. part. quæst. 5. de irregul. dub. 9. n. 64.* Expressus textus, & non sequitur, consulentes sunt irregulares quando concurrunt ad homicidium; ergo etiam quando concurrunt ad mutilationem, nam quoad pœnas non debet asseri de mutilatione sine textu, quod asseritur de homicidio, quia nulla irregularitas incurritur si non sit in jure expressa, vt patet. Sed hanc irregularitatem consulentibus ad mutilationem nullum jus imponit, sicut imposuit consulentibus ad homicidium: ergo, &c. Adde quòd in materia incurrendæ irregularitatis respuitur argumentum à pœritate rationis, à simili, imò à majori ad minus. Ergo, &c. Verùm Molina *tom. 4. tract. 3. disputat. 75. num. 3.* Præpos. *in 3. part. quæst. 5. de irregular. dubit. 2. num. 4.* & alii putant non esse recedendum à communi sententia. Nota tamen quòd etiam sequendo dictam communem opinionem, non erit irregularis qui dedit consilium mutilationis membri ei, quem non potest aliter ab homicidio avertere. Ita Cornejo *ubi suprà*, & Doctores quos refert Sayrus *de censuris libro 7. cap. 3. num. 13.*

Sup. hoc in tom. 7. tr. 1. Res. 294. §. vlt. ante med. à vers. At ego.

Sup. hoc notato sup. in tr. 2. ex Res. 17. lege doctrinam §. Sed hic, & inf. in tr. 6. Res. 46. ad med. à vers. Et licet, & in aliis earum annot.

RESOL. LXX.

An mandans aliquem verberari modo cauto & prudenti, & cum ministro fideli, & ille occidatur, incurrat irregularitatem? Ex parte 4. tractatu 2. Resol. 19.

§. 1. AFfirmativè respondet Suarez *de censuris disput. 45. sect. 2. num. 3. ex cap. vlt. de homicidio in 6.* quod hanc irregularitatem ponit solùm, quia mandator in culpa fuit, & hoc evenire posse debuit cogitare, quæ duo incurrunt etiam post diligentiam adhibitam in casu nostro, adhuc enim cogitari debet non obstante illa posse mandatarium excedere si non ex malitia, saltem ex alio casu, & ideo ait Suarez quòd nulla humana diligentia mandantis est sufficiens ad evitandam irregularitatem si effectus homicidii sequatur.

Quoad hoc sup. in tr. 2. ex Res. 26. lege §. Sed quid, cursim propè finem. vers. pro vt

2. Sed licèt hæc opinio sit probabilis non minus probabilem esse existimo negativam sententiam, cum Præpos. *in 3. part. quæst. 5. de irregular. dub. 10. n. 78.* quia ita mandans nullo modo est reus homicidii; decisio autem illius *cap. ultimi, de homicid.* videtur agere de eo qui reus est homicidii, & qui potuit prævidere homicidium, fortè ex verberatione, vel suo mandato secuturum.

RESOL. LXXI.

Clericus olim Chirurgus secundum artis præcepta exercuit suam artem cùm quodam infirmo, qui tamen mortuus est, quæsivit à me, an inciderit in irregularitatem?

Et docetur Clericis non esse simpliciter interdictum medicinæ exercitium, aut etiam Chirurgiæ, modo fiat citra incisionem, & adustionem, unde non sunt irregulares ex eo exercitio.

Et aliqua alia observantur circa prohibitionem combustionis, & incisionis pro Subdiaconis, Diaconis, & Sacerdotibus, non autem Clericis aliis, etiam si sint Beneficiati.

Et an in dicta prohibitione non intelligatur vena aperiri ad emittendum sanguinem nec carnis apertio caustico, aut tumoris, seu apostematis ruptio emplastro mollificativo? Ex part. 11. tract. 7. & Misc. 7. Resol. 9.

§. 1. DVbium ei insurrexerat ex his, quæ ego docui *in part. 4. tract. 2. * resol. 23.* Verùm pro sententia negativa in sui favorem adduxi Lessium *in 3. p. D. Thomæ cap. 3. de irregul. cap. 4. dub. 1. num. 33.* ubi sic ait: Vnde probabile est etiam eum, qui dat operam rei illicitæ, quia periculosa, & tendens ad homicidium, si debitam circumspectionem adhibeat, ne gravis noxa sequatur, non esse irregularem etsi fortè sequuta fuerit. Ita multi recentiores hoc tempore. Ratio est, quia homicidium sequutum censetur planè involuntarium: diligentia enim illa abstergit periculum ratione cujus videtur tendere ad homicidium; Est contra Covarr. Navarrum, Sotum, & alios.

* Quæ tu pro sententia negativa in sui favorem adduxi Lessium tur. à sig. §. cujus pe mæ not.

2. Hinc sequitur, Clericum peritum chirurgiæ, si secundùm artis præcepta incidat, vel urat, etsi peccet contra præceptum juris, quo tale ministerium tanquam indecorum ejus statui prohibetur, non tamen fieri irregularem, etsi fortè mors sequatur; quia censetur omnino involuntariè sequi. Quod confirmo; Quia laïcus in hujusmodi casu non fiet irregularis, vt omnes fatentur: ergo neque Clericus; jura enim non constituunt differentiam inter Laïcum, & Clericum in hac specie.

3. Dices, ille Clericus tenebatur vitare illam incisionem ob periculum homicidii; ergo si non vitet, ei imputabitur.

4. Respondeo: si erat peritus non tenebatur vitare præcisè ob periculum, sed ob præceptum juris, quod vetuit hanc incisionem generatim Clericis: partim quia dedecet eorum statum, partim quia plerumque Clerici non sunt ita periti, vt res illa postulat ad vitandum homicidium. Cum hoc tamen stat quòd si quis Clericus reperiatur satis peritus, quia omnem diligentiam necessariam præstet, hunc non censeri causam mortis, sicuti nec Laïcus censetur.

5. Hanc etiam sententiam docet Gibalinus *de irregular.*

irregular. cap. 4. quæst. consect. 11. num. 27. qui etiam docet, (quod est valdè notandum) Clericis non esse simpliciter interdictum medicinæ exercitium, aut etiam chirurgiæ; modò fiat citra incisionem, & adustionem, unde non fient irregulares ex eo exercitio, quia *cap. sententiam ne Clerici, vel Monachi* prohibet tantum adustionem, & sectionem. Deinde in tam sæpè *citato capit.* ad aures, non tribuitur culpæ Canonico Colonienſi, quod exercuerit Medicinam; quòd inde etiam confirmatur; quia ex communi Doctorum, & Canoniſtarum ſententia, qui volunt caſuale homicidium ex actione illicita ſequutum, parere irregularitatem, hic Canonicus fuiſſet irregularis ſequuta alicujus ægroti morte ex curatione à ſe facta, & adhibita, quavis diligentia & prudentia appoſita: quia ille Canonicus vacaſſet rei illicitæ, quod tamen negat Pontifex, qui illum Canonicum non arcet à ſuſciendis ordinibus propter exercitium medicinæ ſequuta inde morte, ſi illum conſcientia minimè remordeat. Malè probatur ex eo quod medicinæ ſtudium prohibeatur Clericis *c. fin. ne Clerici, vel Monachi*: ergo & ejus exercitium: quæ conſequentia à pluribus rejicitur, à Rodriguez *loc. cit.* & Sanch. *lib. 6. in Decalog. c. 14. n. 18.* quia ſtudium quoque legum prohibetur Clericis *eod. c. fin.* & tamen licèt ipſis conſulere tum verbo, tum ſcripto, modò advocati munus non gerant, ſi quàm prius ſibi compararint: quod pluribus oſtendit Sanchez *eodem lib. 6. c. 13. n. 29. & 32.* Deinde in illo *c. fin.* redditur ratio, cur tum medicinæ, tum legum ſtudia vetentur Clericis, non ne ea aliquando exerceant, ex eoque exercitio fiant irregulares; ſed vt Theologiæ ſtudium amplectantur. Non diffiteor quidem aliquam eſſe indecentiam in hoc medicinæ exercitio à Clericis, aut Religioſis, vt dixit Molina, & Sanchez, ſed nego ob eandem indecentiam alicubi latam eſſe irregularitatem; quare (modò caveant à combuſtione, & inciſione) eam non incurrent, licèt ab ipſorum actione inculpabiliter ſequatur mors ægroti. Hucuſque Gibalinus.

6. Sed circa prohibitionem combuſtionis, & inciſionis *in c. ſententiam cit.* quædam obſervanda reſtant; primum eſt illam non fieri niſi Subdiaconis, Diaconis, & Sacerdotibus, non autem reliquis Clericis, etiamſi ſint beneficiati, aut Clerici, contra Navarrum, Panormit. Angelum, Sylv. Armillam, Tabien. & Sanchez *loc. cit.* qui fatentur quidem nullum textum reperiri qui loquatur de aliis, quàm de iis qui Sacris Ordinibus ſunt initiati: volunt tamen, omnia, quæ interdicta ſunt Clericis in Sacris conſtitutis, cenſeri quoque interdicta Clericis beneficium ad victum ſufficiens habentibus. Verùm hæc regula generalis, quæ nomine Clericorum Sacris Ordinibus inſignitorum vult comprehendi omnes beneficiatos, probari deberet ab his Doctoribus ex aliquo jure, non autem gratis ab illis aſſeri, ipſi enim non faciunt jus; neque ullam rationem afferunt, quæ neceſſario faciendam eſſe hanc extenſionem perſuadeat, quare claro, & certo jure, quod habemus *in c. ad aures*, in quo prohibitio iſta traditur, ſtandum erit; unde etiam Felin. *cap. tua nos*, de religioſo Sacerdote intellexit.

7. Vide etiam Molinam *diſp. 75. num. 2.* qui etiam *num. 4.* obſervat per prohibitam Clericis inciſionem, non intelligi venæ ad mittendum ſanguinem aperitionem. Ratio eſt, quia id pertinet potius ad officium tonſorum, quàm chirurgorum, & in pœnalibus voces potius reſtringendæ, quàm ampliandæ ſunt. Præterea combuſtio prohibita non comprehendit carnis aperitionem cauſtico, aut tumoris, ſeu apoſtematis ruptionem emplaſtro mollificativo, quod tradunt iidem Doctores, quia illæ non ſunt proprie combuſtiones, & inciſiones.

RESOL. LXXII.

An Clericus in Sacris exercens Chirurgiam per inciſionem, vel adustionem ſit irregularis, morte ſequuta, licet adhibeat neceſſariam diligentiam: vt explicatur cap. tua nos, de homicidio?

Et an Monachis, & Clericis in Sacris non prohibeatur illa actio in extrema neceſſitate, quando non eſt alius Chirurgus, velut eſt tempore peſtis?

Et an ſi illam operaretur quis extra extremam neceſſitatem, cum ignorantia invincibili hujus prohibitionis, incurrat irregularitatem?

Et alii caſus circa hoc explanantur.

Et an Monachus, vel Clericus, ſi applicet emplaſtrum mollificativum, quo apoſtema ſeſe aperiat, & mors inde ſequatur, ſine eorum culpa, incurrat irregularitatem?

Item, ſi ſupradicti ſecundum peritiam artis jubeant inciſionem, & adustionem, ſi mors inde ſequatur, incidant in irregularitatem?

Et an Clericus, vel Monachus, qui ſecundum artem abſcidit, vel adussit, quando mors eſt ſequuta propter morbi gravitatem, & non ex adustione, vel abſciſſione, ſit irregularis? Ex parte 4. tractatu 2. Reſol. 23.

§. 1. AFfirmativam ſententiam tenet Navarrus, Covarr. Corduba, quos citat & ſequitur Avila *part. 7. diſput. 6. ſect. 1. dub. 2.* quibus ego addo Turrianum *de cenſur. lib. 9. diſp. 68. dub. 1.* Filliucium *tomo 1. tract. 20. cap. 4. num. 74.* Bonacinam *de cenſur. diſp. 7. quæſt. 4. punct. 7. num. 9.* Molinam *de juſt. tom. 4. tract. 3. diſput. 75. num. 3.* Suarez *diſp. 45. ſect. 4. num. 10.* Villalobos *in ſumm. tom. 1. tract. 21. difficult. 23. num. 8.* Layman *ſect. 5. tract. 3. part. 3. cap. 10. num. 3.* Sayrum *lib. 7. cap. 5. num. 13.* & ratio eſt, quia dat operam rei illicitæ & prohibitæ, & ita videtur determinatum *in cap. tua nos, de homicidio*, & hanc opinionem ego teneo.

Sup. hoc in Reſ. præterita §. 1. & inf. in Reſ. 74. §. Sed. ad med. & in tom 3. tract. 2. Reſ. 152. curſim ad med.

2. Sed contrariam ſententiam probabilem eſſe puto, quia, vt *ſuprà* ſatis firmatum eſt, non incurritur irregularitas ex opere illicito etiam periculoſo, & de ſe tendenti ad homicidium, ſi adhibita fuit omnis diligentia: ergo, &c. Nec valet dicere quòd hoc particulariter accidit in caſu noſtro, quia Monachis interdicitur illa actio per ſacros Canones, nam reſpondeo quòd prohibitio non facit, vt opus majorem habeat connexionem cum effectu, & magis inevitabilem, quam haberet ſecluſa prohibitione, cùm ea ſit plenè extrinſeca operi. Vnde ſi extra prohibitionem opus non habeat talem connexionem, neque dicendum habere poſita prohibitione, neque ſufficienter poteſt probari quòd poſitis aliis paribus unus ſit cenſendus homicida, quia vacat operi periculoſo, ſibi prohibito; alius verò cui idem opus non eſt prohibitum, non ſit homicida, quod confirmatur quia prohibitio facta eo quòd tale opus minus deceat ſtatum Monachorum & Clericorum, efficit vt actio ſit contra Religionem, non verò contra juſtitiam, neque contrarium poteſt ſufficienter oſtendi.

3. Reſtat modò reſpondere ad *c. tua nos.* Dico igitur, quòd hoc jus pro nobis facit, quia ibi Pontifex ait talem poſſe celebrare ſi peritus omnem diligentiam adhibuerit, & culpa mulieris mors acciderit, alioquin ſi imperitus, aut negligens fuerit, ab altari amovendum, clarè indicans fore irregularè, ſi qua ratione ſua temeritate fuerit cauſa mortis, aliàs non. Nec refert quòd dicatur in eo miſericorditer cum eo agi, quia per hoc aut ſignificatur pœnitentia, quæ ipſi ob uſurpatum

patum officium prohibitum erat injungenda, aut de rigore posse diutiùs ob eam culpam ab altari arceri. Similiter *c.1. de corpore vitiatis*, dicitur cum eo, qui in duello partem digiti amiserat, posse misericorditer agi, & peracta pœnitentia permitti ministrare, cùm tamen talis, præsertim ante Tridentinum, non fuerit irregularis, & etiam docet Coninch *de Sacr. disp.18. dub.9. num.89.* ubi tenet supradictum Monachum, de quo agitur *in d. c. tua nos*, non incurrisse irregularitatem, neque aliter *in d c.* determinari, & ita hanc sententiam docet etiam Præpos. *in 3.p.quæst.5. de irregular. dub.10. num.86.* ubi sic ait: *In c. tua nos*, videtur decerni irregularis quidam Monachus, verùm ex ipsomet textu potest probabiliter colligi non fuisse, cùm dicatur, quòd licèt prædictus Monachus, multum deliquerit alienum officium usurpando, quod sibi minimè congruebat, si tamen causa pietatis, & non cupiditatis, id egerit, & peritus erat in exercitio chirurgiæ, omnémque studuit, quam debuit diligentiam adhibere, non est ex eo, quòd per culpam mulieris contra consilium ejus accidit, adeò reprobandus, quòd non post satisfactionem condignam cum eo misericorditer possit agi, vt Divina valeat celebrare. Vbi indicatur, & non fuisse reum homicidii, & non incurrisse irregularitatem homicidii casualis. Nec obstat quòd dicitur *post satisfactionem*, &c. *misericorditer*, &c. quia similia sæpè adduntur in jure, vt ostendatur esse salutare præmittere aliquam satisfactionem propter aliqualé fortè culpam quæ intervenerit, non quòd id sit plenè necessarium. Confirmatur, quia hæc verba non sufficienter exponunt & exprimunt irregularitatem quam non constat aliundè incurri. Adde quòd, licèt non fuerit irregularis, potuerit Episcopus eum punire, quòd alieno officio sese immiscuerit: ergo misericordia non necessariò supponit irregularitatem, sed delictum, propter quod poterat ei prohibere exercitium Ordinis, quod tamen ex misericordia non prohibebatur. Hæc omnia Præpos. *loco cit.* & ideò Sotus, Dominicanæ familiæ decus, asseruit *lib.5. quæst.7. art.9.* supradictum Monachum de quo agitur *in d. cap. tua nos*, non incurrisse irregularitatem: unde hæc opinio satis probabilis alicui videri potest, verùm quia contraria est communis, tu ne recedas ab ea. Licèt igitur, vt *suprà* tenui, non incurratur irregularitas propter homicidium secutum ex opere aliàs illicito adhibita diligentia, tamen hæc doctrina non procedit in casu nostro, cùm contrarium sit in jure expressum.

Sup hoc primo inf. in Resol. 74. §. vlt. & in fin. alterius Resol. ejus annot.

74. Non desinam tamen in gratiam Confessariorum adnotare. Primò quòd *in d. c. tua nos*, illa actio Monachis & Clericis in Sacris non prohibetur in extrema necessitate, quando non adest alius chirurgus, vt potest sæpiùs accidere tempore pestis, & si illam operarentur extra hoc tempus cum ignorantia invincibili hujus prohibitionis, non incurrerent irregularitatem. Ita ex Vasquez, Turrianus *de censur. lib.5. disput.64. dub.1.* Molina *ubi infrà num.3.* & alii. Secundò, Monachus, vel Clericus qui applicat emplastrum mollificativum quo apostema sese aperit, & mors inde sequitur sine eorum culpa, non incurrunt irregularitatem, quia *in cap. tua nos*, agitur de scissione, & adustione. Ita Molina *tom.4. disp.75. num.4.* & alii. Tertiò si supradicti secundùm peritiam artis jubeant incisionem & adustionem, si mors inde sequatur, non incidunt in irregularitatem, quia pœna lata contra facientes non ligat mandantes, neque consulentes, nisi exprimatur. Ita Molina *loc. citat.* Quartò Clericus qui secundùm artem abscidit, vel adussit quando mors est secuta propter morbi gravitatem, & non ex adustione, vel abscissione, puto non esse irregularem. Ita contra Suarez *disp.47 sect.7 n.4.* dicendum est cum Avila *part.7. disp.6. sect.1. dub.10. concl.5.* & aliis; sed ex supradictis oritur pulchrum dubiolum.

Sup hoc eũ eodem Molina tantum hic cit. in Resol. præterita §. vlt. cursim ad med.

RESOL. LXXIII.

An venæ sectio sit Religiosis, & Clericis in Sacris prohibita, ita vt incurrant irregularitatem latam in capite tua nos, si ex tali sectione sequuta sit mors?

Et an Clerici in Minoribus, quamvis habeant beneficium, possint exercere medicinam, & chirurgiam abscindendo, & adurendo secundum artem?

Idem est dicendum de Religiosis, si non sint Subdiaconi.

Et quid, si sint Sacerdotes?

Et an liceat Clerico perito Medico dare consilium, quod fiat minutio sanguinis, dummodo per seipsum non faciat dictam minutionem? Ex parte 4. tractatu 2. Resol. 24.

§.1. Affirmativè respondet Avila *part.2. disput.6. sect.1. dub.10. ante conclus.3.* ubi sic ait: Licet Clerico perito Medico dare consilium quòd fiat minutio sanguinis, dummodo per se ipsum non faciat dictam minutionem. Ita ille, & ratio est, quia illa sectio venæ videtur incisio quam prohibet *d. cap. tua nos*: ergo.

2. Sed contrariam sententiam docet Molina *de justit. tom.4. tract.... disp.75. num.4.* ubi ita asserit. Illud admonuerim, venæ apertionem non esse chirurgiæ actum, ac proinde nec jure inveniri prohibitum initiatis Ordinibus sacris, neque enim actus ille ad chirurgos spectat, sed ad tonsores qui ad præscriptum Medicorum & Chirurgorum venas scindunt, in pœnalibus autem & odiosis, vt sunt prohibitiones, quæ irregularitatem inducunt, facienda non est extensio à paritate, quin neque à majoritate rationis eorum, quæ dispositа comperiuntur in jure. Sic ille. Et licèt post hæc scripta invenerim Bonacinam *de cens. disp.7. q.4 punct.5. n.5.* adversùs Molinam cum Avila affirmativam sententiam docere, tamen ego puto utramque esse probabilem.

3. Notandum est hîc obitet contra Avilam *loco citat.* & Henriquez *lib.14. cap.11. num.1.* Clericos in minoribus quamvis habeant beneficium, posse exercere artem medicam & chirurgicam abscindendo & adurendo secundùm artem. Ita Molina *ubi suprà n.2.* quod etiam extendit ad Religiosos, si non sint Subdiaconi, unde Felinus, vt notat Avila *ubi suprà cap. tua nos, de homicidio*, intellexit de Religioso Sacerdote.

RESOL. LXXIV.

An Medicus effectus Sacerdos possit sine peccato mortali exercere artem medicinæ?

Et an Sacerdos, & Religiosus liberentur à peccato, si hoc officium citra mortis periculum exerceant causa pietatis, ac proinde gratis circa personas miserabiles, vel cognatas?

Et an interdictum sit Clericis, & Religiosis exercitium medicinæ?

Et an si exerceatur per incisionem, vel adustionem, inducat irregularitatem morte sequuta, si debita diligentia apposita est? Ex part.10. tract.11. & Misc.1. Resol.49.

§.1. Qui

§.1. QVidam Sacerdos per multos annos exercuerat artem Medicinæ : nec contentus de his, quæ alibi scripseram, quæsivit à me, an peccasset mortaliter? nam in posterum volebat jam dispensationem petere à Summo Pontifice. Respondi, aliquos asserere, ipsum non peccasse mortaliter. Et ideò Martinus de San Ioseph, *in Non Confess. tom. 1. lib. 1. tract. 11. de Ordine, num. 2.* Sic ait. Dizen graves Auctores, que les está prohibido a los Clerigos el exercitar Oficio de Medicos, aunque no corten, ni quemen, por que es ocupacion seglar vedada por todo el titulo, ne Clerici, vel Monachi. Pero yo juzgo es muy probable la sentencia de otros; que afirman no les está prohibido a los Clerigos ser Medicos ; porque no ay Texto en todo el Derecho, que lo reprueve ; antes parece lo aprueva el cap. Ad aures, de ætate, & qualitate. Donde Clement. III. responde a un Canonigo Colonienſe, que non avia incurrido en irregularidad, por que se le murio el enfermo, a qui en avia curado. Ita ille, qui citat Covarruviam, Cardinalem, Sà, Molinam, Henriquez, Sayrum, & Bonacinam. Et quidem non possum, nec debeo huic opinioni, tantorum virorum auctoritate fulcitæ, notam improbabilitatis inurere ; imò puto eam probabilem.

2. Sed contrariam esse veriorem, existimo ; quam docet Sylvester, Rosella, Angelus, Armilla, Navarrus, & Sanchez, quos citat & sequitur Castrus Palaus *to. 3. tract. 16. disp. 4. punct. 13. §. 2. num. 3.* Dico igitur exercitium medicinæ esse Clericis, & Religiosis interdictum, *ex cap. Clerici 2. de Vita, & honestate Clericor. & ex c. 1. & seqq. Ne Clerici vel Monachi :* quibus Textibus generaliter Clericis, & Monachis interdicuntur sæcularia officia. At hoc officium Medici, & Chirurgi etiam citrà incisionem, & adustionem nimis sæculare est, & statum Religiosum dedecens : Ergo ex hac parte prohibitum censetur. Vnde & ad rationem contrariorum concedo, nullum esse Textum, quo exercitium Medicinæ, vel Chirurgiæ citra incisionem, vel adustionem prohibeatur specialiter, & expresè : nego tamen, non esse Textum, quo sub generalibus verbis prohibitum non sit. Ad Textum *in cap. ad Aures*, dic verum esse, hoc officium non esse Clericis, & Religiosis prohibitum ob periculum mortis ; sicuti est prohibitum, cùm exercetur per incisionem, vel adustionem ; sed ob indecentiam ; eaque de causa non inducit irregularitatem morte sequuta, si debita diligentia apposita est : illam verò inducit, cùm per incisionem, vel adustionem exercetur. Et ita hanc sententiam præter Palaum, & alios penes ipsum, tenet Garcias *in Summa Theol. mor. tr. 1. diffic. 2. dub. 7. n. 2.* Vide etiam Machadum, *tom. 1. lib. 4. part. 1. tract. 13. docum. 6. n. 1.*

3. Certum est tamen, Religiosum, & Sacerdotem à peccato liberari, si hoc officium citrà mortis periculum exerceant causa pietatis, ac proinde gratis circa personas miserabiles, vel cognatas ; quia sic exercitum non est officium sæculare, statum Ecclesiasticum, & Religiosum dedecens, sed potiùs illi conforme. Ita Doctores citati.

RESOL. LXXV.

An quis incurrat irregularitatem, si voluat, v. g. infirmum, si cibum ei exhibeat, & similia faciat, ex quibus sequatur mors, aut ejus acceleratio ?

Et infertur Sacerdotes, & Religiosos posse servire infirmis, etiam constitutis in ultimo vitæ, & eos voluere in lecto, & reliqua exhibere cum prudentia absque metu irregularitatis. Ex p. 5. tr. 3. Resol. 117.

§.1. SCio aliquos Religiosos ex his actionibus abstinere metu irregularitatis, sed immeritò. Ideo assero cum Avila *de cens. part. 7. disp. 6. sect. 1. dub. 8.* quòd si quis bona fide det aliquid moribundo, ex quo sequatur mors, vel acceleratio, licèt aliqua sit culpa, non erit irregularis, nisi sit culpa lata, & si habet scrupulum, deponat illum consilio viri prudentis. Vide in tali casu non facilè formandus est scrupulus. Idem dicendum est de illo, qui bona fide revoluit infirmum, ut commodiùs cibum subministret, vel magis quiescat, nam licèt acceleretur mors, non erit irregularis nisi ex lata culpa nimis acceleraretur. Ita Sotus *lib. 3. de just. quæst. 1. art. 9. col. 4.* Cajet. *2. 2. q. 64. art. 8.* qui infert, quod est valde notandum, Sacerdotes & Religiosos servire infirmis etiam constitutus in ultimo vitæ, & eos vòluere in lecto, & reliqua exhibere cum prudentia, quæ in hujusmodi consueta est ; nam quidquid in hoc licet laicis, licet etiam Clericis. Ita Avila ; cui adde Bonacinam *de cens. disp. 7. q. 4. punct. 7. n. 12.* Henriq. *lib. 14. c. 15. n. 5.* Suarez *de cens. disp. 47. sect. 7. num. 3.* Vgolinum *de cens. cap. 19. §. 3.* & alios penes ipsos.

RESOL. LXXVI.

An Clerici in Sacris, & Beneficiarij assistentes, quando reus in patibulo suspenditur, incurrant irregularitatem, & peccent mortaliter ?

Idem est dicendum de Religiosis. Ex part. 4. tractat. 2. Resol. 35.

§.1. SI intersunt nullam præstando authoritatem, non incurrunt irregularitatem, peccant tamen mortaliter, ex *cap. sententiam sanguinis, ne Clericis vel Monachi*, secundùm Sayrum *de censur. lib. 6. cap. 18. n. 20.* & alios. Alij putant peccare tantùm venialiter, si assistant ex curiositate ob parvitatem materiæ. Ita Suarez *de censur. disp. 47. sect. 4. num. 10.* Avila *part. 7. disp. 5 sect. 2. dub. 14.* quia licèt Clericis sit prohibitum in dicto Canone se immiscere in causa sanguinis, tamen hæc materia est levis.

2. Sed ego puto Clericos etiam in Sacris, Beneficiarios, & Religiosos assistendo tantùm executioni sententiæ mortis, non peccare, neque venialiter, quia Canones hoc prohibentes videntur contraria consuetudine abrogari. Adde quòd Vgolinus *de irreg. c. 5. §. 3. n. 3.* asserit jura id prohibentia intelligenda esse de Clericis auxilium & favorem sua præsentia præstantibus.

RESOL. LXXVII.

An Sacerdotes ducentes reum ad furcam, incurrant irregularitatem hortando illum, ut scalam ascendat, vel accelerando executionem justitiæ, etiam notabiliter?

Et aliqua alia circa hunc actum explanantur, in quo non incurrunt irregularitatem ex defectu lenitatis, nisi tantum ministri justitiæ, & non alij.

Et tandem notatur Sacerdotes posse sine periculo irregularitatis ministrare infirmis, vertere eos ex latere ad latus, vel transmutare de lecto ad lectum, vel eis potum, aut cibum porrigere, licet ex his actibus præter intentionem mors citius sequatur. Ex part. 3. tract. 5. & Misc. 1. Resol. 80. aliàs 79.

§.1. HÆc resolutio pulchra erit, & maximam consolationem legenti præbebit. Aliqui Doctores supr-dictas actiones ab irregularitate excusant, ratione indeliberationis, vel ratione parvitatis materiæ, & ita docet Henriquez *lib. 14. cap. 12. num. 7.* Avila *de cens. part. 7. disp. 5. sect. 2. dub. 1. §. 8.* Reginaldus *in praxi tom. 2. libr. 30. tract. 2. cap. 9. num. 103.* Molina *de justit. tom. 4. tract. 3. disp. 74. num. 4.* Layman *in Theolog. moral.*

Sup contentis in hac Resol. infr. in Resol. 79. & ex Resol. 80. lege §. 1. per totum, & ex Resol 84. à lin. 6. & inferius in tr. 10. ex Resol. 70.

§. Confirmatur, & quamvis nõ plene sup. hoc sed ut melius possis discutere hanc quæst. lege hic infra doctrinam Resp 88. & in tom. 1. tr. 5. ex Resp. 46. vide §. 2. & 3.

moral. lib. 3 sect. 5. tract. 3. part. 3. cap. 7. num. 2. Villalobos *in summa tom. 2. tract. 21. diffic. 27. num. 13.* ubi sic asserit. [Hase de aduertir, que si algunos de los que van acompañando al reo para consolarle (como suelen hazer los Religiosos) dixisse inaduertidamente, andemos hermano, ò à caso picasse al jumento, ò le dixesse arre, no por esso quedaria irregular, no procurando que se acceleraße la muerte. La razon es, porque este acto no es planamente humano. En el segundo caso da otra razon Henriquez, y dize que parum pro nihilo reputatur, y lo mismo es quando dize al reo que suba otro escalon.] Ita ille.

2. Igitur secundùm præfatos Doctores similia excusantur, ut dictum est, vel quia Sacerdotes inadvertenter illa faciunt, vel ratione parvitatis materiæ; unde aiunt Layman, Molina, & alij communiter, quòd si cooperatio, vel acceleratio mortis in tali casu notabiliter facta sit, irregularitatem contraherent.

3. Sed ego ad tollendos omnes scrupulos puto probabilem esse contrariam opinionem sapientissimi ætatis nostræ Theologi P. Gabrielis Vasquez, qui putat etiam si notabiliter acceleretur, supradictos non incurrere irregularitatem. Et sequitur Turrianus *de censuris lib. 9. disp. 66. dub. 3.* ubi sic asserit. Difficultas est de illis qui assistunt, & non sunt ministri justitiæ necessarij ad ferendam sententiam, vel concurrentes ad exequutionem pœnæ; est dubium an incurrant hanc irregularitatem, si aliquid dicant, vel faciant, ex qua sequatur mors, vel acceleratio ejus; aliqui enim Doctores severè loquuntur, existimantes esse irregulares, & sequitur P. Suarez. Sed oportet considerare, an isti sint causa homicidij injustè, ut si sine causa facerent, ut reus citiùs occideretur, & ob peccatum possunt incurrere irregularitatem impositam ob injustum homicidium, de qua modò non loquimur. Si verò sine peccato aliquid faciant, non videntur incurrere irregularitatem ex defectu lenitatis. Ita sensit Pater Vasquez, & sequuntur multi viri docti hoc tempore; quia jura in quibus supponitur hæc irregularitas, solùm loquuntur de ministris justitiæ, & his, qui concurrunt ad causæ probationem, sicut Advocatus, & testes, & pœnæ exequutionem, ut ministri justitiæ. Ita Turrianus ex Vasquez; qui etiam ad casum propositum in præsenti resolutione sic respondet. Vlteriùs casus est frequens (hæc sunt ejus verba) ex quo solent oriri dubia vitis bonæ conscientiæ, an incurrat irregularitatem, qui aliquo modo facit, vel dicit aliquid, ex quo citiùs sequatur mors rei, quando illum comitatur, v.g. si dicat, pergamus citiùs, vel si dicat reo, ascende citiùs, quando ascendit scalam. P. Avila, & P. Henriquez solum excusant hos actus ab irregularitate, quia non solent esse plenè liberi, quod necessarium est ad talem irregularitatem. Ego verò existimo distinctione opus esse, nam vel isti actus sunt peccata mortalia, quia qui illos facit injustè, est causa, ut mors citiùs fiat, & tunc incurritur irregularitas, quæ oritur ex delicto, de quo modò non agimus, neque tale peccatum fit à personis religiosis; in hoc eventu, vel non sunt peccata, & tunc existimo non incurri irregularitatem ex defectu lenitatis; nisi aliquid faciant, ut ministri publici justitiæ. Hæc omnia Turrianus.

Sup. hoc in Resolutionibus, & §§. not. præteritæ.

Sup. contentis in hoc §. ibidem.

4. Igitur secundùm Vasquez, & Turrianum nullum jus imponit irregularitatem privatis personis ex defectu lenitatis, sed jura in quibus supponitur hæc irregularitas, loquuntur tantùm de ministris iustitiæ, & iis, qui concurrunt ad causæ probationem, vel pœnæ exequutionem. Vnde ex hoc principio deducitur resolutio multorum casuum contra præfatos Doctores, & sic non incurrit irregularitatem, si quis ei, qui plectendus est capite, dicat, ut supponat caput ad excipiendum ictum, & ideò citiùs supponat. Item si quis dicat carnifici, ut aliquid aptet, quo citiùs is, qui morte plectitur, extinguatur. Item si quis, dum reus ad supplicium ducitur, consilium det capiendi viam breviorem, quod illud subeat citiùs, aut sollicitet accelerari exequutionem justitiæ dicendo, v. g. horam esse tardam, vel populum nimis detineri. Item vendentes vel commodantes scalam, funes, enses, sagittas, & similia instrumenta ad mortis exequutionem. Et idem dicendum est de eo, qui fecit furcam, quidquid in contrarium asserant in supradictis casibus Ioan. de la Cruz *in direct. conscient. part. 2. de irregularitate, dub. 5. concl. 2.* Bonacina *de censuris, disp. 7. q. 4. punct. 1. n. 9.* Navarrus, Avila, Henriquez, Reginaldus, & alij *ubi suprà.* Ratio verò horum omnium erit, quia in his casibus potest incurri irregularitas, vel ex homicidio injusto, vel ex defectu lenitatis; non primum, quia suppono supradictos non peccare; non secundum, quia non operantur, ut ministri justitiæ. Ergo nullam irregularitatem incurrunt.

Sup. hoc in Resolutionibus.

5. Non gravabor tamen hìc adnotare contra aliquos ignaros Sacerdotes, posse sine periculo irregularitatis, ministrantes infirmis vertere eos ex latere ad latus, vel transmutare de lecto ad lectum, vel eis cibum, & potum porrigere, licèt ex his actionibus præter intentionem mors citiùs sequatur, dummodo hæc omnia, cum cautela, quæ communiter à prudentibus adhibetur, efficiantur ab ipsis. Et ita docent Reginaldus *in praxi tom. 2. lib. 30. tract. 2. cap. 9. n. 102.* Megala *in 3. p. lib. 7. c. 1. quæst. 5. n. 56.* Filliucius *tom. 1. tr. 19. cap. 10. n. 278.* qui citat Cajetanum, Sotum, Navarrum, Toletum, Armillam, & Suarez.

6. Vnde non benè Comitolus *lib. 6. quæst. 52. n. 2.* ut optimè observat Filliucius, damnavit de irregularitate Sacerdotem pium, qui jacentem in via conspicatus, & accurrentibus aliis consuluit, ut illum erigerent, qui dum sustolleretur, mortuus est.

7. Et hæc dicta sufficiant circa præsentem quæstionem, quam, ut in principio dixi, non parum gratam lectoribus fore existimo; sed ex dictis alia similis quæstio discutienda erit; quæro igitur.

RESOL. LXXVIII.

An confessarius & Responsor casuum conscientia sit irregularis, si interrogatus à iudice, an sit obligatio ad occidendum reum, respondeat esse obligatum?

Et an sit irregularis ille, qui detegit malefactorem, vel clamat esse latronem, ut comprehendatur, nisi quando qui manifestat, esset accusator, vel testis necessarius ad cognitionem causæ, vel hoc faceret ut minister justitiæ?

Ex p. 3. tr. 5, & Misc. 1. Resp. 81. aliàs 80.

§. 1. Esse in tali casu irregularem tenent, Avila *de cens. p. 7. disp. 5. sect. 2. dub. 6. concl. 2.* & Henr. *de irreg. lib. 14. c. 16. n. 4.* ubi docent, quòd Clericus consultus de casu aliquo in particulari, ne dicat jure reum licitum occidere, sed respondeat consulendos esse Iurisconsultos. Aliqui verò, ut Ioan. de la Cruz *in direct. conscient. p. 2. de irregularitate, dub. 5. concl. 4.* Molina *de just. tom. 4. tr. 3. disp. 74. num. 4.* & alij, quos citat, & sequitur Bonacina *de censuris disp. 7. quæst. 4. punct. 1. num. 7.* asserunt in tali casu Clericos interrogatos posse dicere, quid sentiant leges in communi, nil aliud præcipiendo: vel consuetudo in particulari, vel dicendo quid ipsi sentiant.

2. Sed ego puto in tali casu Confessarium, vel alium Doctorem non incurrere irregularitatem, etiamsi respondeat in particulari adesse obligationem occidendi reum. Et ita docet Vasquez, qui apud me instar omnium est, quem citat, & sequitur novissimè Turrianus *de censuris lib. 9. disp. 66. dub. 4.* ubi sic asserit.

Soler

Solet quæri, an incurrat irregularitatem vir doctus, qui interrogatus à judice, an sit obligatus ad occidendum aliquem, respondeat esse obligatum? Ego censeo non incurrere, etiamsi expressè dicat judicem obligari ad occidendum; quia non est jus, ex quo colligatur non incurri, si interrogatus respondeat esse obligationem servandi leges ejus materiæ; & incurrere, si expressè dicat esse obligationem occidendi; hoc sentit P. Vasquez, & multi alij hujus ætatis. Ita Turrian.

3. Et revera, ut ille etiam benè asserit *in* 2.2.*tom.* 1. *disp.* 93. *dub.* 12. consideratis circunstantiis rerum, si quis evoluat illam involutam responsionem de obligatione legis in communi, planè intelliget sibi dari consilium de occisione justa in particulari; neque apparet caput, ut dictum est, in quo liceat responsio illa confusa de obligatione servandi legem in communi, & non expressa de obligatione servandi talem legem in particulari imponentem pœnam homicidij. Et certè severè valdè ageretur cum Doctore, vel Confessario, si propter responsionem de obligatione expressa in prædicto eventu imponeretur irregularitas. Adde etiam, quod ut dictum est in superiori resolutione, illi solum incurrunt irregularitatem ex defectu lenitatis, qui vel sunt necessarij ad causam judicialem, vel ut ministri justitiæ assistunt exequutioni mortis. Sed tales non sunt in casu nostro Confessarius, & Consultor casuum conscientiæ. Ergo non incurrunt irregularitatem, etiamsi expressè respondeant in illo casu particulari, de quo interrogati sunt judicem, seu alium esse obligatum ad aliquem occidendum.

4. Ex his infertur contra Bonacinam *de censuris, disput.* 7. *q.* 4. *punct.* 1. *n.* 18. Navarrum, Covarruviam, Avilam, & alios, non esse irregularem eum, qui detegit malefactorem, vel clamat adesse latronum, ut comprehendatur, nisi quando qui manifestat esset accusator, vel testis necessarius ad cognitionem causæ, vel hoc faceret ut minister justitiæ, & ita docet Turrianus *ubi supra de censuris*, qui respondet *ad cap. tua nos, de homicidio.* Notentur hæc à Confessariis, quia nova, practicabilia, & probabilia sunt; & in aliis libris minimè obvia.

RESOL. LXXIX.

An irregularitatem ex defectu lenitatis incurrant tantum ministri justitiæ, & non alij? Ex p. 3. tr. addit. Resol. 15.

§. 1. OMnes in dictam irregularitatem incurrere docent communiter DD. & hæc opinio est probabilior & communior. Sed pro contraria sententia ipse *in p. mearum resol. moral. tr.* 5. * *resol.* 79. adduxi Turrianum *de cens. lib.* 7. *disp.* 66. *dub.* 3. & quia scio hanc opinionem, ut liberatticem multorum scrupulorum, fuisse à multis viris doctis exceptam, nunc assero illam, præter Vasquez & Turrianum, docere etiã Gasparem Hurtado ex eadem Societat. Iesu *disp.* 2. *de irregul. diff.* 11. *n.* 39. Igitur secundùm suprad. DD. irregularitas ex homicidio non incurritur ob concursum ad illud, nisi aut factum à ministro publico justè, aut factum à persona privata injustè; unde qui vendunt, aut donant ligna ad vivos comburendos, & gladios & funes, & alia instrumenta ad interficiendos delinquentes, nec confessarius secus consulens pœnitentem, judicem, & quemlibet alium in casu particulari, ut concurrant, & citò ad interfectionem delinquentis nec quivis alius qui acceleret mortem alicujus, incurrunt irregularitatem; & multa alia exempla invenies apud me *in d. resol.* & ratio horum omnium est, quia in juribus, in quibus fit mentio irregularitatis ex defectu lenitatis, tantùm est sermo de judicibus & aliis officialibus concurrentibus ad occasionem, aut mutilationem, ut publicis personis & ministris justitiæ. Ergo dicta irregularitas non est extendenda ad illos. Perpetuò tenemenți hanc doctrinam, amice lector, nam ex illa non paucos extricabis casus, & celebra ejus auctorem, qui fuit sapientiss. Vasquez, ut testantur Turrianus & Hurtad. *loco cit.* & eodem P. Vasq. assistente, hanc sententiam publicè defendit in Collegio Complutensi Societ. Iesu vir doctiss. & amiciss. D. Franc. de la Riba, heu quondam noster. Vnde non est audiendus Villalobus *to.* 1. *tr.* 21. *diff.* 27. *n.* 12. ubi asserit. [El que emonesta al Reo que alegue la cabeça al tronco donde le han de justiciar, o le dize que suba a priessa la escalera, o al verdugo que a file el cuchillo, todos estos son irregulares;] non, inquam est audiendus, quia supradicti non accelerant mortem, ut ministri justitiæ, neque committunt peccatum, ut suppono; ergo. Vide ut dixi, meipsum *in cit. resol.* 79. & 80.

Quæ hîc sũt antecedentes Resol.

RESOL. LXXX.

Carnifex super patibulum existimabat jam Reum expiraſſe, ſed unus ex aſtantibus dixit, vivit, vivit, unde ipſe denuo pedibus collum calcavit, & Reus mortuus eſt, quæſierunt, an in tali caſu ille irregularitatem incurrerit, & an per Epiſcopum ſit diſpenſabilius? Ex p. 8. tr. 7. & Misc. Resol. 61.

§. 1. AD casum mihi propositum, dico *primò* Oratorem in nullam incidisse irregularitatem, per ea quæ ego adduxi *in p. 3. tr. 5. resol.* 79. Nam certum est ipsum non incurrisse irregularitatem ex homicidio injusto, ut patet, & licèt ille cooperatus sit ad mortem, accelerando illam, non ex hoc sequitur incidisse in irregularitatem ex defectu lenitatis. Quod nervosè probatur: quia irregularitas non incurritur nisi sit expressa in jure, ut manifestè habetur ex celebri textu, pater clarè *in c. is, qui, de sent. ex com. in* 6. Sed jura imponentia irregularitatem ex defectu lenitatis, loquuntur tantùm de ministris justitiæ, & his quæ concurrunt ad causæ probationem, vel pœnæ executionem, ut patet ex lectura Canonum hanc irregularitatem inducentium. Ergo omnes qui non sunt justitiæ ministri, si aliquid dicunt, vel faciunt, ex quo mors citiùs sequatur, irregulares censendi non erunt. Et adducatur mihi aliquis textus in contrariam, & ego dabo. Vnde hanc sententiam præter Vasquez, & Turrianum *ubi supra, in d. resol.* 79. adductos tenet ex eadem Societ. Iesv Gaspar. Hurt. *de cens. disp.* 2. *diff.* 11. *n.* 39. & me citato, Stephanus Baunius *in Theol. mor. p.* 2. *tr.* 11. *q.* 23. *dub.* 11. quibus adde, me etiam citato, Machadum, & Cœlestinum, ille *de perfecto Confessario, tom.* 1. *lib.* 1. *p.* 3. *tr.* 18. *docum.* 5. *n.* 5. hîc *in compen. Theol. mor. tr.* 4. *c.* 5. *q.* 1. Cùm igitur hæc opinio solida ratione & auctoritate doctorum virorum fulcita sit, existimo Oratorem, ut dixi, nullo irregularitatis nexu vinciri, quia acceleravit mortem non tanquam justitiæ minister.

Quæ hîc est supra Resol. 77. & in aliis primæ ejus not.

Vt in annotatione præterita.

2. Sed si Orator contrariæ sententiæ adhærere vult, puto etiam probabiliter Eminentissimum Principem, & Dominum posse in hujusmodi irregularitatem dispensare, per ea quæ ego adduxi *in p. tr.* 2. *resol.* 69. Et præter Caietanum, Campanilem, Rodriquez, & alios *ibi* adductos, hanc sententiam tanquam probabilem, me citato, novissimè etiam admittit Machab. *ubi supra, de perfecto Confess. tom.* 1. *lib.* 1. *part.* 3. *tr.* 18. *docum.* 8. *num.* 2. quibus adde non paucos, quos citat & sequitur Barbosa *de potestat. Episcop. part.* 2. *alleg.* 39. *num.* 47. asserentes Episcopum posse dispensare super irregularitate contracta ex defectu lenitatis; ergo, &c.

Quæ nunc est in to. 3. tr. 3. Resol. 35. & in aliis primæ not.

Scio plures Doctores quoad resolutionem præsentium dubiorum negativè respondere, sed benigniores sententias, quas *supra* ego adduxi, probabiles etiam esse existimo, quod nemo negare audebit. Ergo, &c.

RESOL. LXXXI.

An Ecclesiastici committentes judici laico in particulari casum alicujus rei dignum morte, si sequatur, incurrant irregularitatem?

Et an hoc procedat, etiam si in communi Ecclesiastici jurisdictionem temporalem habentes dicant judici, cui causas committunt, ut contra malefactores invigilet. Ex p.4. tr.2. Resol. 78.

Sup. hoc inf. in res. 89. §. Notandū est. & in to. 3. tr. 5. ex doctrina res. 7 §. 1 post mediū.

§. 1. AFfirmativè respondet Henriquez *lib.* 14. *cap.*3.*num.*6. qui adducit ad hanc firmandam sententiam Navarrum *lib.* 5. *consil. de homicidio.* Sed Navarrus ibi tantùm loquitur de Prælato qui præcipit judici, ut manè exequeretur sententiam mortis, quam ipse judex tulerat, in quo casu revera irregularis esset, sicut si præciperet judici ut hunc furem, vel homicidam suspendat, ex textu *in cap. his à quibus* 23. *quæst.*8. ibi *aut inferendas præcipiant.*

2. Vnde in casu proposito puto Prælatum non incurrere irregularitatem, & hanc sententiam ex Suarez firmat Petrus Cornejo *in* 3.*part. D. Thom. tract.* 5. *de irregular. disp.* 11. *dub.* 1. *q.* 1. ubi sic asserit. Ex textu *in cap. ult. ne Clerici vel Monachi in* 6. dicendum est Ecclesiasticos temporalem jurisdictionem habentes posse sine irregularitate causas sanguinis aliis delegare, quod procedit etiamsi in communi dicant judici cui causas committunt, ut contra malefactores invigiler, imò etiamsi committant ei in particulari casum dignum morte, ut colligitur ex eodem textu. Ita ille. Et novissimè Gaspar Hurtado *de irregular. disp.*2. *difficult.* 11. *num.* 42.

RESOL. LXXXII.

An Clerici, & laici incurrant irregularitatem, si accusent in causa criminali cum protestatione, quando tantum agitur non de damno dato illis, sed eorum consanguineis?

Et an accusator excusetur ab irregularitate, quando accusat ob læsionem factam in propria persona, aut in propriis bonis, vel ob læsionem factam eis, qui sunt ipse commissi, si ante sententiam protestetur se non accusare ad vindictam?

Idem dicendum est de accusante eum, qui dedit damnum Ecclesiæ, vel suis subditis.

Et an quando accusator accusat ad evitandum grave damnum innocentis, vel reipublicæ, quando aliter impedire tale damnum non possit, sit necessaria protestatio? Ex p.4. tr.2. Resol. 33.

§. 1. IRregularitatem incurrere docet Petrus Cornejo *in* 3.*part. D. Thoma tract.* 5. *de irregular. disp.* 11. *dub.* 1. *quæst.* 6. *num.*4. Vgolinus *de irregul. cap.*6.§.8. *num.*4. & Bonacina *de censur. disput.*8 *quæst.*4. *punct.*2. *num.*4. ubi citat plures Doctores pro hac sententia minimè hoc asserentes. Ratio verò hujus sententiæ est, quia *in cap. penult. de homicidio in* 6. permittitur Clericis & laicis in consequentia conqueri coram judice de malefactoribus suis, non autem alienis ergo, &c.

2. Sed tu contrariam sententiam tene, quam tuetur Hurtado *disp.*2.*de irregul. diffic.*11.*n.*41. Coninch *disput.* 18. *dub.*10. *num.*93. Villalobos *tom.*1. *tract.*21. *diffic.*26.*n.*6. & 7. Avila *part.*7. *disp.*5. *sect.*2. *dub.*11. Præpos. *in* 3.*part. quæst.* 5. *de irregul. dub.*13.*num.*101. & alij penes ipsos. Dico igitur quòd accusator excusatur ab irregularitate quando accusat ob læsionem factam in propria persona, aut in propriis bonis, si ante sententiam protestetur se non accusare ad vindictam; & idem est quando accusat ob læsionem factam eis, qui sunt ipsi commissi, aut ei sunt ita propinqui, ut eorum injuria ad ipsum pertinere censeatur, quales sunt parentes, filij, fratres, &c. Idem cum Præpos. *loc. cit.* dicendum est de accusante eum, qui dedit damnum Ecclesiæ, suis subditis, & quando accusator accusat ad evitandum grave damnum innocentis, vel Reipublicæ, quando aliter impedire tale damnum non possit, & in isto ultimo casu ex Molina, Avila *loc. cit.* putat non esse necessariam protestationem, quod etiam tenet Præpos. *loc. cit. n.* 102.

RESOL. LXXXIII.

An protestatio liberet ab irregularitate, si ficto animo efficiatur, & sequatur mors?

Et an laici, facta dicta protestatione, incurrant irregularitatem, si non fiat simul cum ipsa accusatione, sed postea coram judice ante prolationem sententiæ, & non solum quando accusat, sed etiam quando Reum retinet & judici tradit?

Et an Clericus consulens alteri, ut accuset in casu permisso cum protestatione, incurrat irregularitatem? Ex p.4. tr.2. Res.75.

§. 1. HIc casus potest frequenter accidere, & negativam sententiam tenet Vega *en espejo de curas, tom.*2.*c.*12.*§. in* 6. *n.*270. Toletus *lib.*1.*cap.*82. *num.*5. Navarrus *cap.*27.*n.*226. Sylvester. *verb. homicidium* 2. *quæst.*8. & Ioan. Baptista Bizozerus *in summa tract. de censur. cap.*5.*n.*5. sic habet. Ille qui coram judice, vel alio Reum accusat sine protestatione, seid non facere ut Reus ad mortem, seu mutilationem damnetur, sed ut suum habeat, vel ut publica scandala tollantur, fit irregularis; secus si accusat cum tali protestatione, quæ protestatio potest fieri ore, vel in scriptis, & protestatio talis ut evitetur irregularitas, non tantùm verbo, sed verè & animo fieri debet, nam si verbo faceret talem protestationem, & cuperet animo, vel sibi placeret, ut talis suspenderetur, vel mutilaretur, non evitaret irregularitatem, & ita omnes DD. Sic Bizozerus.

2. Sed fallitur, nam hoc minimè asserunt omnes Doctores, dempto Navarro & aliis *ubi supra*, & ideo affirmativam sententiam docet Petrus Cornejo *in* 3. *part. D. Thom. tr.*5. *de irregular. disp.*11. *dub.*1. *quæst.*6. Turrianus *de censur. lib.*9. *disp.* 66. *dub.* 2. Hurtado *disp.*2. *de irregularitate.* Præpos. *in* 3.*part. quæst.*5. *de irregularitate, dub.*12. *num.*103. Suarez *de cens. disp.*47. *sect.*2.*num.*3. Henriquez *lib.*14.*cap.*11. *in fine.* Coninch *de Sacrament. dis.*18. *dub.*10. *num.*93. Avila *de censur. part.*7. *disp.* 5. *sect.*2. *dub.*9. *concl.*1. & alij penes ipsos. Ratio est, quia *cap. Prælatis, de homicidio in* 6. solùm requirit protestationem externam, qua deficiente etiamsi non esset peccatum, aut voluntas homicidij, incureretur, & illa posita non est causa ut dicamus illam incurri. Deinde protestatio ficta tantum valet apud judicem ignarum fictionis, quantum valeret si ex animo, & non fictè fieret. Ergo, &c. Deinde Ecclesia non imponit irregularitatem ob intentionem & actum internum, sed ex omissione protestationis.

3. Notandum est tamen hìc obiter quòd etiam laici facta dicta protestatione non incurrunt irregularitatem,

gularitatem, quæ etiam excusat, quamvis non fiat simul cum ipsa accusatione, sed postea coram judice ante prolationem sententiæ, & non solùm quando accusat, sed etiam quando reum detinet & judici tradit.

4. Nota etiam à fortiori Clericum consulentem alteri ut accuset in casu permisso cum protestatione, non incurri irregularitatem, quia sicut accusans in præfato casu non incurrit irregularitatem cum protestatione, ita neque consulens. Sic Paulus Comitolus *in resp. mor. lib. 6 q. 59.* Filliucius *tom. 1. tr. 19. cap. 9. n. 148.* & alij.

RESOL. LXXXIV.

An ferens testimonium in favorem Rei incurrat irregularitatem, si ob id sequatur mors accusatoris?

Et quid est dicendum, si talis sit Clericus, an in favorem Rei potest testari de licentia Episcopi, vel ejus Vicarij? Ex p. 4. tr. 2. Res. 96.

Quod hoc §. 1. doctrinam vel sequenter in hac §. 1.

NEgativè respondeo, quia mors accusatoris respectu testis censetur sequi per accidens ex ipsius testificatione: nam ipsius dictum per se & ex natura sua ordinatur ad manifestandam rei innocentiam, & ad illius defensionem; & ad incurrendam hanc irregularitatem, ut alibi dicemus, opus est ut adsit causa proxima ad mortem, & ut dictum, vel factum ex sui natura sit ad illam directum. Et ita hanc sententiam tenet Saytus *de cens. lib. 6. cap. 18. num. 11.* Suarez *disput. 47. sect. 4. num. 9.* Filliucius *tom. 2. tr. 19. cap. 9. num. 257.* Vgolinus *de irregul. cap. 7. num. 7.* & alij, quod procedit etiamsi testis sit Clericus, qui in favorem rei potest testari de licentia Episcopi, vel ejus Vicarij, nam Clericum ferre testimonium in favorem rei, nullo jure prohibetur.

Illi infe- tr. 10. to & le- nam hic tunel. 77. 1 & 10. & tract. 88.

RESOL. LXXXV.

An testis præcepto judicis obligatus, vel gravi metu coactus, & in casibus, quibus iure naturali tenetur testificari, incurrat irregularitatem, si mors alterius sequatur? Ex part. 4. tr. 2. Res. 31.

Quod hoc §. 1. doctrinam præce- tatis Ref. sequenter dictum Re- lib. 5. vera etiam. ture nedisi, ture Repro- bile.

NEgativè quoad duos primos casus respondet Coninch *de Sacram. disput. 18. dub. 10. num. 56.* ubi sic ait, Dubium est inter Doctores, utrùm qui obligatus præcepto judicis agentis merè criminaliter contra reum, aut gravi metu coactus, ferat testimonium, ex quo sequitur alterius mors, fiat irregularis: Multi affirmant, sed non probant; quare quidam viri docti putant contrarium verius esse, saltem quando testis aperè protestatur se hoc invitum facere, nec alterius mortem petere. Primò, quia hic directè tantùm seipsum tuetur à damno corporis, vel animæ, quo casu ne quidem sit irregularis alium occidens sua manu. Secundò, quia hæc irregularitas deberet incurri ob defectum lenitatis (gratis enim fingitur omnis alia indecentia;) sed hîc nullus est defectus lenitatis, quia hic solùm reperitur in involuntariè occidente, sicut faciunt ministri justitiæ, qui spontè talia officia retinent, quæ eos quandoque ad occisionem obligant; hic autem omninò involuntariè ad alterius mortem concurrit. Ita ille. Quando verò testes tenentur ferre testimonium jure naturali, non incurrere irregularitatem præmissa protestatione, tenet ex Henriquez Avila *de cens. part. 7. disput. 5. sect. 2. dub. 12. conclus. 2.* Nam jus concedens hoc privilegium Clerico accusatori, censetur consequenter concessisse testi in hoc casu, ne privilegium reddatur inutile. Exemplum est, ut quando tenetur testificari ad liberandum à morte injustè accusatum, vel quando tenetur testificari ne ille qui justè accusarit machinantem contra Rempublicam deficiens in probatione puniatur pœna talionis.

Sup. hoc in Res. 1 not. præteritæ in ejus princi- pio.

2. Verùm adversùs has sententias insurgit novissimè doctus Hurtado *disput. 2. de irregular. diffic. 11. n. 40.* ubi sic ait. Id quod ait Coninch nempe testem præcepto judicis obligatum, aut gravi metu coactum, ad testificandum non fieri irregularem, falsum est; quia absque fundamento sufficiente excipitur testis ab irregularitate, & etiam in aliis, in quibus jure naturali tenetur, (quicquid in his dicat Avila) quia quamvis in omnibus prædictis casibus non reperiatur in teste defectus renitatis formaliter, quia id efficit obligatus & coactus, reperitur tamen defectus lenitatis materialiter, & indecentia ob rigorem per se & ex objecto in cooperatione ad mortem, intuitu cujus indecentiæ lata est dicta irregularitas; sicut etiam fieret irregularis judex sua sententia interficiens, aut mutilans, quamvis obligatus & coactus assumeret officium, & ferret sententiam. Ita Hurtado. Satis quidem probabiliter, & hanc sententiam ego teneo, & tenet etiam Villalobos *tom. 1. tr. 21. diffic. 27 num. 1.* Filliucius *tom. 2. tr. 19. cap. 9. num. 254.* Fabrus *de sacram. ordin. in 4. sentent. disputat. 25. quæst 1. disputat. 3. num. 211.* & alij. Sed adversùs Hurtadum, sententiam negativam Coninch, & Avilæ, quam ipse falsam vocat, puto probabilem esse cum Præpos. *in 3. part quæst. 5. de irregular. dub. 13. num. 105.* sic asserente. Testis in causa sanguinis sit irregularis, nec ei prodest protestatio ad evitandam irregularitatem. Aliqui probabiliter censent eum non fieri irregularem, quando obligatur vel jure naturæ, vel justo judicis præcepto ad testimonium ferendum, & multo potiori ratione, quando ad id gravi metu obligatur, cùm eo casu non censeatur voluntariè ad mortem concurrere, sed quadam necessitate antecedente voluntatem, qua ratione distinguitur à judice & aliis, qui liberè suscipiendo officium ex consequenti censetur se obligare ad pœnam sanguinis interdum infligendam. Hæc Præpos. *ubi supra.* Et post hæc scripta inveni supradictam sententiam negativam, quam, ut dixi, non bene falsam vocat Hurtado, docere etiam Mercerum *de Sacr. in 3. part. D. Thomæ q. 24. dub. 8. resp. 3.* Petrum Cornejo *in 3. part. D. Thomæ tractat. 5. de irregul. disputat. 11. dub. 1. quæst. 7.* Est igitur opinio satis probabilis, licèt ego, ut dixi, affirmativam sententiam teneam.

RESOL. LXXXVI.

An Advocatus, qui Reum defendit, incurrat irregularitatem, si sequatur mors accusatoris: Ex part. 4. tract. 2. Res. 34.

§. 1. AD hoc dubium ex Vasquez Turrianus *de cens. libr. 9. disput. 66. dub. 3.* respondet negativè, nisi Advocatus Rei postulet pœnam talionis contra accusatorem, secus si solùm defendat Reum suum, & ex accidenti sequatur pœna mortis accusatoris, & Præpos. *in 3. part. quæst. 5. de irregular. dub. 13. num. 104.* ita asserit. Advocatum patrocinantem Reo non fieri irregularem si accusator deficiens in probationibus morte puniatur, dummodo in progressu non censeatur eum impetere crimina objiciendo, nisi id sit necessarium ad defensionem Rei graviter alioquin periclitantis, nam verisimile est Advocatum Rei eo casu objicientè accusatori crimen,

non fieri irregularem si præmittat protestationem. Ita ille.

RESOL. LXXXVII.

An Advocatus, & testes in causa sanguinis incurrant irregularitatem, si prætermittant protestationem eo modo, quo facit accusator? Ex part. 4. tractatu 2. Resolut. 32.

§. 1. SVppono Clericos & laïcos in causa criminali accusando cum protestatione non incurrere irregularitatem, si hoc faciant petendo satisfactionem pro injuria sibi, vel suis rebus illata, vel parentibus. Hoc supposito affirmativè ad casum nostrum respondeo cum Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 21. diffic. 27.* Nota etiam, *num. 1.* ubi sic ait [Aunque en el derecho ay exception en el que acusa si haze la protesta no quedando por esto irregular, no lo ay en el testigo y assi la protesta no le escusa la irregularidad.] Idem docet Petrus Cornejo *in 3. part. D. Thom. tract. 5. de irregul. 11. dub 1. quæst. 6.* Reginaldus *tom. 2. lib. 30. tractat. 2. cap. 11. num. 133.* Vgolinus *de irregul. cap 6. §. 9. num. 3.* Layman *sect. 5. tract. 3. part. 3. cap. 7. num. 5.* Molina *tom. 4. tract. 3. disp. 4. num. 10.* Henriquez *lib. 14. cap. 12. n. 9.* Turrianus *de cens. lib. 9. disp. 66. dub. 3.* & ratio est, quia dicta facultas protestationis solùm conceditur in jure accusatori, ergo non potest extendi ad testes & Advocatos

Suo hoc inf in Resp. 89 §.

2. Verùm non desinam hîc adnotare opinionem Ioannis Præpositi *in 3. part. quæst. 5 de irregul. dub. 13. num. 104.* Vbi sic asserit. Adverte primò quo casu protestatio potest excusare accusatorem ab irregularitate, eodem posse excusare Advocatum illi necessarium; nisi enim ejus Advocatus eodem privilegio vti posset, sæpè redderetur inutilis facultas accusandi sine periculo irregularitatis. Idem dicendum est de teste illi necessario. Sic ille.

3. Et ita hanc sententiam ante Præpos. docuit Coninch *de Sacram. disp. 18. dub. 10. num. 95.* putat enim in casu quo accusator cum protestatione non incurrit irregularitatem, non etiam incurrere Advocatum & testem, quia in his, ait ille. est eadem ratio, cui enim conceditur aliquid, censetur etiam concedi ea omnia quæ ad hoc necessaria sunt, ne concessio sit inutilis; sed cùm accusatori concessum sit privilegium accusandi in aliquibus casibus sine metu irregularitatis, præcedente protestatione, hoc autem privilegium videretur inutile, si testis non posset absque irregularitate cum protestatione testari, nam timore tantæ pœnæ retraheretur à testando, & consequenter accusator nihil probare posset, & nihil obtineret, ejúsque privilegium vanum & inutile redderetur, ergo, &c. & idem dicendum est de Advocato, & hanc opinionem tanquam probabilem admittit Ioan. de la Cruz *in director. part. 2. de irregular. dub. 6. conclusion. 5.* ubi sic ait. Probabile est non fieri irregularem qui in favorem alterius, & maximè Reipublicæ, accusat, testificatur, aut patrocinatur in causa sanguinis cum protestatione. Ita ille.

RESOL. LXXXVIII.

Dubia circa quandam irregularitatem.

Et quæritur, quod in casu proposito in textu hujus Resol. incurrens irregularitatem ex defectu lenitatis, an possit Episcopus, vel Confessarius Regularis privilegiatus in ea dispensare?

Et si Episcopus, & Confessarius Regularis nolens opinionem affirmativam ad praxim deducere, possit consulens ad Sacram Pœnitentiariam confugere pro dispensatione. Ex part. 11. tr. 2. & Misc. 2. Resol. 63.

§. 1. CIrca casum, de quo interrogatus fui more meo breviter, & clarè ad primum dubium respondeo: Actiones Domini Consulentis non fuisse tactas tanquam à Ministro Iustitiæ: Ergo non potuerunt inducere irregularitatem ex defectu lenitatis. Probo consequentiam, quia nulla irregularitas incurritur, nisi sit in jure expressa, vt est *textus clarus in cap. Is qui de sent. excom. in 6.* Sed jura, quæ imponunt irregularitatem ex defectu lenitatis tantum loquuntur de illis, quæ concurrunt ad mortem tanquam Ministri Iustitiæ, ut patet discurrendo per omnes textus juris Canonici; Ergo. Et ita hanc sententiam ex Vasquez, Turriano, & Hurtado olim docui, quam postea omnes scriptores amplexi sunt. Et ita docet me citato Eminentissimus Cardinalis Lugo *de Pœnitent. disp. 22. sect. 2. num. 33.* & me citato Paret Magister Lezana *in summ. tom. con. sult. 48. num. 76.* & me citato Bassæus *in Flor. Theolog. moral. verbo irregularitas 5. num. 3.* & me citato Baunius *in Theolog. moral. tom. 2. tract. 11. de irregular. quæst. 23.* & me citato Cœlestinus *in Compend. Theolog. moral. tract. 4. cap. 5. quæst. 5.* & me citato Machadus *de Perfect. Confess. tom. 1. l. 1. part. 3. tract. 18. dub. 5. num. 5.* & me citato Serra *tom. 2. in 2. 2. Divi Thomæ, quæst. 64. art. 8.* & me citato Ciarlinius *controvers. forens. tom. 2. controv. 203. num. 27.* & me citato Antonellus *de Regimin. Eccles. Episcop. tom. 2. lib. 2. c. 8. num. 8.* & me citato Verricelli *in quæstionib. moral. tract. 1. quæst. 19. num. 2.* & me citato Ioannes Pontius *in Cursu Theol. disput. 46. quæst. 15. conclus. 5. num. 157.* & me citato Brunus *de Privileg. Regular. part. 1. tractat. 5. cap. 4. propos. 3.* & me citato Constantius à Castro *in collect. Theol. moral. tract. 4. sect. 1. cap. 4.* & me citato Guazinus *in tractat. moral. lib. 2. defens. 6. cap. 45. numer. 60.* & me citato Bricchius *in Prompt. Confess. part. 5. cap. 5. de Irregular.* & me citato Pasqualigus *in quæstionib. Canon. cent. 4. quæst. 327. num. 1. & quæst. 395. num. 4.* & me citato Baucius *in Miscellan. cas. conscient. tomo 2. opusc. 1. quæst. 193.* & me citato Carolus Zambellus *Auctor. decis. Bononien. anno 1641. Mensis Aprilis cas. 2.* & novissimè me citato Dicastillus *de Sacrament. tom. 2. tract. 8. disp. 10. dub. 28. num. 547.* Idem etiam docet Caspensis *in Curs. Theol. tom. 2. tract. 25. sect. 13. num. 86 & 93.* Escobar *in Theolog. moral. tract. 4. examin. 6. cap. 5. num. 138.* Zambellus *in Repert. Moral. verb. Irregularitas numer. 57.* Castrus Palaus *tom. 6. tractat. 29. disputat. 6. punct. 14. §. 3. num. 7.* Valentia *tom. 3. disputat. 3. quæst. 16. punct. 4. §. Sed contra tria sententia, & §. Porrò non est.* Pellizarius *in man. Regular. tom. 2. tract. 7. cap. 5. sect. 4. num. 173.* Martinon. *tom. 5. disputat. 62. quæst. 6. num. 63.* Remigius *in Pract. Confess. 6. cap. 5. §. 1. num. 3.* Hos omnes Doctores in fonte vidi, & plures ex ipsis in meis operibus sparsim adduxi, sed nunc plures alios addidi, & in vnum congessi, vt facilius inveniri possint. Itaque hanc sententiam tenent triginta Doctores. Vnde ex his apparet illam esse satis probabilem, ne dicam certam, quod nemo, nisi Bardus negabit.

Dicit 2. 46. vid. §.

2. Nec obstat dicere, supradictam opinionem non posse in casu nostro applicari, in quo Dominus Consulens, omnia quæ advocati exercere solent, exercuit. Ipse enim direxit causam, consuluit, reaptavit scripturam factam à fisco &c. Respondeo hæc non officere, quia facta sunt à Domino Consulente extrajudicialiter, & tanquam persona privata, nec ullam scripturam nomine proprio subscripsit, nec ullum Advocati munus in judicio exercuit. Ergo, &c.

3. Sed

3. Sed dato quòd Dominus Consulens in dictam irregularitatem incurrerit. Respondeo ad secundum dubium quod posset dispensari ab Episcopo vigore Concilii Tridentini *sess.24.c.6. de Reform.* vel à Confessario Regulari privilegiato (suppono , vt ex facto patet , homicidium de quo est quæstio , esse adhuc occultum.) Probatur prima pars ex dicto decreto Concilii Tridentini ubi conceditur Episcopis facultas dispensandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus , excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario. Atqui homicidium ex defectu lenitatis non dicitur propriè homicidium ; homicidium enim est factum injustum lege humana, & Divina prohibitum , vt ex Sancto Augustino *lib.1. de libero arbitrio cap.4.* tradit Sanctus Thomas *2.2.q.64. artic.6.* Ergo Episcopus in homicidio justo poterit dispensare.

4. Et ita hanc sententiam docent Doctores, quos citat & sequitur Barbosa *de Potestat. Episcopi part.2. allegat.39. num.4.* Quibus ego plures alios addidi *in part.4. tract.2.resol.69.* & nunc addo me citato ex Sotomajore Iesv Patrem Baunium *in Theolog.moral.tom.2. tract.11.quæst.59. §. Dico sexto, vers. est tamen contraria opinio* ; & Machadum *de Perfect. Confess. tom.1. lib.1. p.3. docum.8. num.21.*

5. Vnde ex his Cardinalis Cajetanus *in Summa, ver. Irregularitas num.3. & 4.* Sic ait ; Scito quoque quod appellatione irregularitatis homicidii voluntarii non venit irregularitas propter occisionem hominum in bello justo , aut judicio justo : quoniam ubi non intervenit homicidium, ibi non invenitur irregularitas homicidii. Constat autem quod quando homo justè occiditur , non committitur homicidium ; quoniam homicidium species est criminis, non enim significat occisionem hominis qualemcumque , sed injustam ; ergo non est ibi irregularitas homicidii sive voluntarii , sive involuntarii.

6. Cum quo tamen stat quod intervenit in hujusmodi alia irregularitas, puta causa sanguinis usque ad mortem. Et hæc ideò sint adjecta , vt sciant privilegiati in dispensatione Irregularitatum circa homicidium voluntarium , posse dispensare in omnibus casibus occisionis humanæ in quibus non intervenit crimen homicidii. Nec sint de cætero propter hæc solliciti ad petendum dispensationem à Papa ; quia ipsi possunt dispensare. Hucvsque Cajetanus.

7. Quod autem idem dicendum sit de Confessariis Regularibus , probatur ex privilegiis eis concessis à Sixto IV. & Iulio II. quæ refert Hinojosa *in dir. Decis.Regul.verb. Dispensatio in seculares fol.187.* & Brunus Chassaing *de Privileg. Regular.part.1. tract.5. c.4. propos.1.* ubi sic ait ; Potest Sacerdos Regularis dispensare sæculares super omnibus irregularitatibus occultis , super quibus Episcopus ex concessione Tridentini dispensat, ac consequenter in quibusdam irregularitatibus ex homicidio voluntario justo , vel injusto contractis. Ita ille , qui postea latè hanc conclusionem confirmat. Et idem docet etiam Bassæus *Flor.Theol. verb. Irregularitas 15. n.10.* Martin.de San Ioseph *post Reg.S.Francisci in Compend. de las facultades de los Confessores, verb. dispensare, n.3.* Pellizarius *in man. Regul. tom.2. tract.8. c.3. n.90.* & Caspensis *in curs. Theolog. tom.2. tract.25. sect.13. n.120.* qui citat Rodriquez , Cordubam , Ioannem de la Cruz, Sayrum , & Henriquez.

8. Verùm, si Episcopus, & Confessarius Regularis nollent has opiniones ad praxim deducere ; Respondeo ad dubium tertium posse Dominum Consulentem ad Sacram Pœnitentiariam confugere,nam vt ex facti narratione apparet , hoc homicidium non est publicum , & licet actiones factæ à Domino Consulente circa cooperationem ad illam necem à pluribus sciantur tamen nesciunt per illa irregularitatem incurrisse ; & dato quod hoc sciens, hodie vt apparet talis scientia remaneret tantum apud quinque personas , vt patet in facto mihi exhibito : Vnde delictum non potest dici publicum, sed occultum, vt ego probavi ex pluribus Doctoribus *in part.3. tract.2.* resolut.15.* quibus nunc addo Emanuëlem Sà *verb. manifestum , n.4.* ubi sic ait ; Occultum dicitur, quod tale non est etiamsi possit probari, & quod pene est occultum, idest difficilè probatur : Denique etiam quod quinque sciunt , occultum dicitur.

9. Itaque ex his omnibus apparet , Dominum Consulentem vel irregularitatem non incurrisse : vel dato quod incurrerit , posse super illam Episcopum, vel Confessarium Regularem privilegiatum dispensare , vel ad Sacram Pœnitentiariam recurrere quod securiùs putarem : Et licet ego sciam adversus aliqua ex superiùs dictis plures Doctores probabiliter contrarium asserere , tamen existimo , ea quæ diximus à Doctoribus citatis non minus probabiliter, ac validè sustineri, ac doceri. Ita sentio, salvo aliorum meliori judicio.

RESOL. LXXXIX.

Index pronunciavit sententiam condemnatoriam ad furcam , qui postea ex gratia Principis fuit à morte liberatus , quæritur , an adhuc sit irregularis , ita vt non possit ordinari absque dispensatione Pontificis ?

Idem est , si quando reus duceretur ad patibulum , esset extractus è manibus satellitum , & sic mortem evaderet.

Et quid , si à Carnifice suspensus fuisset , & casu laqueus rumperetur , si propter hoc gratiam à Principe reciperet ?

Et an Clericus habens jurisdictionem temporalem , fiat irregularis ex eo , quod constituat judicem pro causis, seu criminibus capitalibus , sive in genere pro omnibus , sive in particulari pro aliquo adhuc individuo ?

Idem est , & multo magis verum de Principe laïco.

Et docetur , quod non fiunt irregulares Ecclesiastici , qui aliquem degradatum , aut hæreseon condemnatum, tradunt Curiæ sæculari , ac proinde eorum Officiales multo minus.

Et an accusator , Advocatus , & testis fiant irregulares, si in causa sanguinis protestationem præmittant ?

Et quis potest dispensare contra præsentem irregularitatem contractam ex defectu lenitatis ? Ex p.11. tr.5. & Misc.5. Res.6.

§. 1. Affirmativam sententiam tenet accuratus in his materiis Conradus Pyrrhus *in praxi dispens. Apost. lib.5. c.2. n.3 & 4.* dicens, Romæ petendam esse absolutionem ab iis, qui aliquo modo se ingesserunt in causis sanguinis , licet postmodum mors sequuta non fuerit, neque sanguinis effusio , quia nihilominus remanent irregulares , cum per ipsos non steterit, quominus omnem operam præstiterint, vt mors, aut mutilatio sequatur, & contradicit Mandosio asserenti dispositionem esse Episcopalem : cum ex consuetudine recurratur ad Summum Pontificem. Cui congruit sententia Foller. *in praxi crim. part.2. c.24.* & Lopez ad Diaz *in praxi Can. cap.99. in verb. puniendum.* Hanc etiam sententiam tenet D.Antoninus *3.part.tit.18.cap.2.* qui ex sola sententia condemnatoria judicem fieri irregularem voluit , cui ita adhæsit Majolus *lib.2. cap.6. numero 3.* vt dixerit solum officium judicis in criminalibus efficere irregularem,

Sup. contêto in hoc §.inf. à §. Casus potest frequenter, hujus res. qui sub hoc, cõdeque n.89. est appositus , usque in finem hujus totius res.

gularem, etiam nulla sententia sanguinis pronunciata fuerit, quamvis tunc ab Episcopo dispensari possit, citatque vetustissimum interpretem Canonum Hugonem, relatum, & probatum hac in parte à Speculatore. *tit. de dispensat. §. juxta*, affert præterea Maiol. *Summa Confessar. q. 23. de homicidio hoc est, tit. 1. lib. 2.* Idem quoque tenuit Piovi. *tr. de irregular. 7. regula*, & Alphonf. Alvarez *in suo Thesaur. cap. 38. 7. regula.* Verùm hæc opinio mihi non placet, cùm sit contra communem Canonistarum & Theologorum, quos plena manu adducit, & sequitur Ioan. Bapt. Ciarlinius *Controverf. forenf. tom. 2. cap. 203. num. 17.* ubi, me etiam citato, concludit, asserentes irregularitatem non contrahi ex homicidio, sive voluntario, sive licito, sive justitia mediante facto, nisi verè sequatur effectus, quia ad incurrendam irregularitatem non sufficit intentio occidendi, vel mutilandi, vel attentatum, sed requiritur actualis occisio, vel mutilatio hominis, stante quod irregularitas imposita est homicidio voluntario, non attentato. Et hanc sententiam novissimè probat Gibalinus *de irregular. quæst. 3. consectar. 7. num. 4.* & ante dixerat Ioan. Præpositus *in 3. part. quæst. 5. de irregular. dub. 13. num. 98.* Ioan Soria *in Epilog. summ. part. 2. tr. 1. sect. 2. disp. 7. §. circa defectum lenitatis.* Vnde si aliquis reus duceretur ad patibulum, & esset extractus à manibus satellitum, & sic mortem evaderet, judex non esset adhuc irregularis; imò si neque à carnifice suspensus fuisset, & casu laqueus rumperetur, si propter hoc gratiam à Principe reciperet, judex absque dispensatione posset Ordinibus initiari. Non est igitur audiendus Pyrrhus *ubi supra*, & à fortiori Maiolus contra quem nominatim insurgit Layman *lib. 3. tr. 3. cap. 7. num. 1.* Gibalinus *ubi supra.* Vide etiam Chartarium *decis. criminal. 30. num. 34.* & Sperellum *tom. 1. decis. 77. num. 11. seqq.*

Sup. hoc supra Ref. 81. & in alio §. ejus not.

2. Notandum est hîc obiter, quod Clericus habens jurisdictionem temporalem, non sit irregularis ex eo quod constituat Iudicem pro causis, seu criminibus capitalibus, sive in genere pro omnibus, sive in particulari pro aliquo, adhuc in individuo, quamvis sequatur mors, ut constat ex *dicto cap. 3.* & idem est, & multò verius de Principe laico: quia Clerici quoad hoc non sunt magis exempti quam laici. Nec fiunt irregulares Ecclesiastici, qui aliquem degradatum, aut hæreseos condemnatum, tradunt brachio sæcula, ut deducitur *ex cap. Novimus, 27. de verb. signific.* ac proinde eorum Officiales multò minus fiunt irregulares, quia multò minus cooperantur, quam ipsi judices tradentes. Vide Præpositum *ubi supra*, & alios communiter.

Sup. his infr. in tr. 10. in Ref. 70 §. 2. ante medium. à vers. Probatur minor. & seqq.

Sup. his sup. magis late in Ref. 87.

3. Nota etiam, quod non solus accusator, sed probabiliter etiam advocatus & testis non fiunt irregulares si in causa sanguinis protestationem præmittant, quia in his eadem est ratio: nam cui conceditur aliquid, censentur etiam concedi illa, quæ ad id sunt necessaria, ne concessio sit inutilis: at privilegium concessum accusatori in aliquibus casibus sine metu irregularitatis præcedente protestatione inutile videretur, si testis non posset absque irregularitate cum protestatione testari. Et idem est de advocato: nam præ timore tantæ pœnæ retraheretur à testando; sicque nihil probare posset, nec obtinere. Et probabile etiam esse puto, nec fieri testem irregularem, quando vel jure naturæ, vel justo judicis præcepto, vel gravi metu coactus obligatur ad fatendum testimonium in causa sanguinis, præmittendo protestationem: tunc enim non videtur voluntarie ad mortem concurrere. Ita Cornejo *disputat. 11. dub. 1. quæst. 7.* Et pro probabilitate harum opinionum plures alibi adduxi, quibus nunc addo Caspensem *in curs. Theol. tom. 2. tr. 25. disp. 5. sect. 13. num. 88. cum seqq.* & Lessium *in 3 part. D. Thom. c. 2. de irregular. dub. 5. num. 15.* ubi sic ait; Probabile est ab irregularitate testem excusari in eo casu, in quo tenetur in conscientia testari, præsertim si protestationem adjungat, quamvis hæc etiam non videatur esse necessaria. Ita ille, cui adde Escobar *in Theol. moral. tr. 4. exam. 6. c. 3. §. 5. n. 238.* ubi admittit hoc etiam in advocato.

Sup. hoc teste supr. in Ref. 85.

4. Sed, quis potest dispensare contra præsentem irregularitatem contractam ex defectu lenitatis? Caspensis *ubi supr. n. 4.* ait, Prælatos regulares posse dispensare in irregularitate contracta ex defectu lenitatis circa suos subditos, quia habent privilegium dispensandi in omnibus irregularitatibus, excepta bigamia, & homicidio voluntario. Certiùs est eandem facultatem habere Commissarium Cruciatæ, quia in ejus commissione dicitur, & super quacunque alia irregularitate, quæ non procedat ex homicidio voluntario. Ita Caspensis. Sed quid dicendum de Episcopis? Lessius *loco cit. dub. 6. n. 21.* sic asserit. Respondeo Episcopum non videri hîc posse dispensare, ut plerique Doctores affirmant. Ratio est, quia ante Concil. Tridentinum non poterat; & per Concilium non est ei facta potestas, nisi in irregularitate orta ex delicto occulto: hæc autem ex delicto non oritur.

5. Nota tamen, non esse improbabile, Episcopum posse in hac dispensare, ut docet Covar. *§. in fin.* Ratio est, quia istud homicidium æquiparatur homicidio casuali in jure (ideest, quod casu factum est) in quo potest Episcopus dispensare. Vnde per quandam *ἀπίκειαν* colligimus simili modo posse dispensari in isto. Hæc Lessius. Sed de his alibi à nobis etiam tractatum est.

SUBSEQUITUR SUB HOC eodemque numero hujus Ref. 89. eadem quæstio, videlicet.

An Iudex proferens sententiam sanguinis, & ejus ministri justitiæ in ea cooperantes, si mors ex aliquo casu postea secuta non fuerit, incidat, hoc non obstante, in irregularitatem?

Et deducitur, quod quando versamur in dubio iuris in quo casu, quis non teneatur se habere pro irregulari. Ex p. 12. tr. 3. & Misc. Ref. 5.

§. 1. CAsus potest frequenter accidere, & de illo ego interrogatus foi per litteras ex Germania, ac sententiam affirmativam tenet Philippus Fabrus *de censuris in 4. distinct. 25. quæst. 1. dub. 3. num. 212.* ubi sic ait. Dubium occurrit de curialibus, in causa Criminali. Nam Suarez distinguit de Curialibus dicens, quod omnes sunt irregulares, quandiù in ministerio permanent; Quosdam verò illo dimisso non manere irregulares; scilicet illos quorum causa sententia sanguinis non fuerit deducta ad actum, quod probat *ex cap. 1. distinct. 51. per illa verba*, qui dum parent potestatibus, quæ sunt imperata, fecerint, *& cap. 2. eadem distinct.* ex Glossa, quæ exponit ista præcepta esse sæva præcepta, & per caput Osius, *distinct. 61.* & supra eadem *disput. sect.* probavit quod judex per prolationem sententiæ sanguinis non fit irregularis, nisi sequatur effectus ex Navarro *numer. 211.* Sylvest. *homicidio 3. numer. 3. & aliis adductis ab eis.* Atque idem dicit de Advocato in causa sanguinis; si enim sequatur causa sanguinis ait remanere irregularem sive patrocinetur contra Reum, sive pro reo, adhibitis quibusdam limitationibus, sin minus dimisso officio nequaquam.

2. Ego autem puto omnes Curiales, & Advocatos

catos etiam defendentes Reos injustè accusatos, & omnes exercentes actum fori criminalis, sive sequatur effectus mortis, vel mutilationis, sive non, esse irregulares. Et ratio est quia isti alia ratione fiunt irregulares ab illa, quæ est propter homicidium. Nam jura faciunt specialiter inhabiles ad ordines hujusmodi curiales; Neque faciunt hanc exceptionem sive sequatur effectus mortis, vel mutilationis, sive non; Ideo est alia species irregularitatis ab illa, quæ incurritur propter homicidium voluntarium. Illam enim certum est neminem incurrere propter homicidium mentale tantum, sed requiri effectum externum, & de hoc loquuntur Navarrus, Sylvester, & alii *locis supra citatis*. Hæc sententia mihi videtur explicitè haberi *in capit. sententiam, ne Clerici, vel Monachi*, quod habet sic. [Sententiam sanguinis, nullus Clericus dictet, aut proferat, sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur intersit, si quis autem hujusmodi occasione statuti Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis aliquod præsumpserit inferre dispendium per censuram Ecclesiasticam compescatur: Nec quisquam Clericus litteras dicter, aut scribat pro vindicta sanguinis destinanda. Vnde in Curiis Principum, hæc sollicitudo non Clericis, sed Laicis committatur. Nullus quoque Clericus ruptariis, vel Ballestariis, aut hujusmodi viris sanguinum præponatur; nec ullam chirurgiæ artem Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos exerceat, quæ adustionem, vel incisionem ducit.] Glossa tamen *in eo capite*, asserit existentem præsentem his non fieri irregularem, sed tamen debet puniri, quia facit contra præceptum hujus Canonis. Idem elicitur apertè *ex capite 1. & 2. distinctione 51.* Nam *capite primo*, enumerans varia personarum genera, quæ in provincia Hispaniæ erant ad Clericatum promota contra canones, enumerat curiales his verbis, *aliquantos ex curialibus, qui dum parent potestatibus, quæ sibi sunt imperata fecerunt*, ecce non limitat ad eos, qui in causa sanguinis actu sequutam tantùm hanc pœnam incurrerunt, sed universaliter ad eos, qui in curiis præceptis Principum paruerunt. Et licet *in cap. 2.* Glossa ad illud verbum, *si quis, fidelis administraverit*, exponat in sævis actibus: non ob id sequitur, quod actus sævi sint solum exequutio mutilationis, vel mortis. Nam etiam scriptio processus in causa sanguinis, examinatio testis, licèt Reus non convincatur, nec sequatur mors, vel mutilatio, procul dubio, est actus sævus & contrarius lentitati perfectæ hominis. Nec habetur arctatio illa ullibi, quod actus sævi sint tantùm mutilatio, & mors *cap. 1. eandem distinctionem*, enumerantur milites inter eos, qui erant inhabiles ad clericatum, quia exercuerunt necessario actus sævos. Inquit enim: Aliquantos ex militia, qui cum potestatibus obedierunt sæva necessario præcepta sunt executi. Constat autem, quod milites alios actus sævos, & crudeles præter mutilationem, & mortem in bello exercent. Glossa autem exposuit actus sævos ad significandum, quod administrans curialibus in actibus familiaribus domus, vel aliis non pertinentibus ad curiam criminalem non subsunt huic pœnæ; caput autem illud, Osius, oppositum non probat, vt est videre in Glossa. Et hæc omnia docet Fabrus *ubi supra*. Nota etiam hanc sententiam docere ex Neotericis, Pyrrhum Corradum *in Praxi dispensationum Apostolicarum, lib. 5. cap. 2. num. 3.* ubi ita asserit: Infinitas dispensationes, & rehabilitationes desuper in Romana curia peti, etiam pro illis qui aliquo quovis modo se præmissis ingesserunt, licèt postmodum mors secuta non fuerit, neque sanguinis effusio, quia nihilominus remanent irregulares; cum per ipsos non est, & erit quo minùs omnem opiam præstiterint, vt mors, aut sanguinis effusio sequeretur, vt ait Mandos. *in praxi artic. ait. absolut. & rehabilit. vesic. an autem advocatus*, dicens ibi, quod propter præmissa, scilicet, quod non fuerit mors, aut effusio sanguinis sequuta, poterit Ordinarius dispensare; quod tamen satis deviat à praxi ejusdem Curiæ; cum ex consuetudine pro hujusmodi dispensatione recurratur ad Summum Pontificem. Ita Pyrrhus, & ante illum Majolus *de irregularit. libro 2. capite 2.* & Divus Antoninus *parte 3. text. 28. capite 2* Alphonsus Alvarez Plou. Speculator, & alii, quos citat Gibalinus *ubi supra*.

3. Sed ego negativæ sententiæ adhæreo, & puto in tali casu Iudicem, & alios Ministros irregularitatem non incurrisse, si sententia non fuerit exequuta ex aliquo accidenti; & hanc esse communem opinionem Canonistarum testatur Ioannes Vvigers *in tertia parte Divi Thomæ quæst. 22. de irregularitate dub. 3. numero 6.* & idem sentiunt ferè omnes Theologi, unde præter Suarez *supra* à Fabro adductum, & immeritò repulsum, tenent Layman, Filliucius, Emanuël Sà, Sylvester, Sotus, Bonacina, Molfesius quos citant, & sequuntur duo docti recentiores Episcopus Sperellus *tomo 1. decision. 77. numero 11. 12. & 13.* & Ioannes Baptista Ciarlinius *controvers. forens. tomo 2. capite 203. numero 17.* quibus ego addo Petrum à Sancto Ioseph *in Summula, parte 2. Opuscul. 3. capite 6. articul. 2.* Blondum *de censur. disputat. 8. articul. 6.* Machadum *tomo 1. libro 1. part. 3. tractat. 18. document. 2. numero 2.* Busembaum in Medulla *Theolog. moral. libro 7. capite 5. dubio 5.* Bordonum *in Theolog. moral. libro 7. quæstion. 18 numero 83. & 84.* Chassaing *de Sacramentis disputatione 18. dub. 10. numero 91. & 92.* Ludovicum Abellis *in Medulla Theologica, tomo 2. parte 2. capite 6 sectione 2. §. 1.* Carolum Malletum *in auro Theologiæ moralis, tomo 1. Malleatione 23. Bractea 25.* Doctissimum & Amicissimum Escobar *in Theologia morali parva tractat. 8. examin. 6. capite 3. §. 5. numero 31. & 33.* Hurtadum *disputatione 2. de irregularitate difficult. 18 numero 38.* Caspensem *in curs. Theologiæ, tom. 2, tractat. 25. disputat. 5. sect. 13. numero 85.* Lessium *in 3. part. Divi Thomæ, capite 2. de irregul. dub. 5. numero 15.* & Ioannem Præpositum *in tertia parte Divi Thomæ cap. 5. de irregularitat. dub. 13. numero 98.* Mercerum *de Sacramentis in tertia parte Divi Thomæ, quæstion. 2. dub. 8.* Tannerum *tom. 4. disputatione 6. quæstione 10. dub. 11. num. 206.* Basserum *verb. Irregularitas V. numero 3.* Turrianum *de cens. libro 9. disput. 9. dub. 10* Vvigers *ubi supra*, & Megala *in 3. parte, lib. 7. cap. 1. quæst. 1. num. 35.*

4 Sed audiamus aliquorum Doctorum verba, Magister Cornejo *in 3. part. D. Thomæ, tom. 2. tract. 5. de irregul. disp. 11. dub. 1.* sic ait. [Infero sequentes irregulares. Primo, Iudex, qui justè profert sententiam mortis, vel mutilationis, & idem est de Assessore, & de eo, qui post latam sententiam suadet Iudici, ne concedat appellationem; cum omnes isti sint in suo genere causa propinqua homicidii: requiritur tamen, quod talis sententia exequatur, quia irregularitas hæc non incurritur, nisi morte, aut mutilatione sequuta.] Villalobos *in summa tom. 1. tract. 21. diffic. 52. n. 21. difficult. 52. num. 2.* [Que da sentencia en causa de sangre, es irregular, siguiendose el efecto, si esta baptizado. Assi lo tienen todos, y consta de unos textos, a, y en otros, b, se presuppone: dize en la conclusion siguiendose el efecto: por que aunque se dè la sentencia

cia, y se pronuncie, nò queda irregular, si no se executa como tienen los Doctores, y en especial Sylvestro, Navarro, y Suarez la razon es por que aunque uno mande à un criado suyo, que mate à otro nò queda irregular si nó se executa, y lo, mismo es à qui: aunque Mayolo tiene lo contrario, sin fundamento bastante, ſ Marcus Serius *de censuris disput.7. difficult.2. quæst.10. num.3.* Iudex ferens sententiam in causa sanguinis effectu sequuto est irregularis, quia licèt, quis exerceat hoc officium, proferat sententiam, & promuſget illam si effectus mortis, vel mutilationis; quacunque ratione impediatur, ne executioni mandetur, non contrahit Iudex hanc irregularitatem, quia nullo jure lata est talis irregularitas, unde non satis est exercuisse officium Iudicis, si effectus non est secutus. Vidisti amice Lector sententiam nostram esse communem inter Theologos, & Canonistas, & hos ultimos videre poteris apud Ciarlinium *loco citato*, adversus quem immeritò bona ejus venia, & pace nimis audacter insurgit noviſſimè Pyrrhus Cordadus *in ſuis additionibus ad lib.5. cap.5. num.57. fol. 31.*

5. Probatur nostra sententia validiſſimis rationibus. Primo, quia si per mandatum injustum non sequuto effectu non incurritur irregularitas, multo minus per sententiam justam effectu non sequuto, quia sicut ille qui mandat injustè non dicitur verè homicida, ita nec iste qui fert sententiam sanguinis effectu non sequuto. Secundo certum est, quod in nostro casu non sumus in dubio; nam homicidium non est secutum, sed sumus tantum in dubio juris, scilicet, per solam prolationem sententiæ, an quis incurrat irregularitatem, paucis affirmantibus, & infinitis negantibus. Sup. hoc dubio juris sup. ex Reſ.8 lege doctrinâ, §.vlt.ab ejus lin 3.& verſ. Igitur quando dubium est de jure. Sed quando versamur in dubio juris, vt est in casu nostro quis non debet se habere pro irregulari, vt notat Navarrus *capite 27. numero 193.* Sayrus *de censuris, libr.6. capite 2. numero 16.* Azor. *tomo 1. libro 2. capite 19. quæst.10.& 11.* Rebellus *1. part. lib.1. quæst. 2. sect. 2.* Suarez *supra section. 5. numero 4. & 18.* Avila *part.7. disput.2. dub.5. conclus.5.* Reginaldus *libro 30. num.3.* Valensuel. *tomo 4. disputation.7. quæstione 19. punct.2.* Filliucius *tractat.19. capit.2. quæstion.6.* Toletus *libro 1. capit.57.* Coninch. *disputatione 18. numer. 21.* Bonacina *de censur. disputat.7. quæst.1. punct.5. numero 2.* Layman. *lib.1. tractat.1. cap.5. numer.39.* Villalobos *tomo 1. tractat.1. difficult. 22. numero 22.* Sanchez cum aliis, *libro 1. Decalog. capite 10. numero 42.* Probatur primò, *ex capite Is qui de sententia. excommunic. in 6.* ubi dicitur, jus apparens, aut simile non sufficere ad irregularitatem inducendam, eo quod non sit expreſſa in jure. Igitur à fortiori non sufficiet, ubi totum jus est dubium. Probatur secundò, quia textus inducentes irregularitatem in dubio commiſſi homicidii, loquuntur palàm in dubio facti; nec ullus textus illam inducit in dubio juris obſervandam. Nec est eadem ratio utriusque dubii, nam licèt irregularitas procedat ex facto, tanquam ex radice, vel occasione, per se tamen oritur ex jure decernente illam, vt ex causa efficiente. Quare si jus est dubium, nequit suum effectum producere. Probatur tertiò, quia lex non obligat ante sufficientem ejus promulgationem: Ius autem dubium non censetur sufficienter promulgatum. Probatur tandem si quis dubitat de lege naturali, vel positiva, divina, vel humana, talis lex non obligat; iste casus, non teneris tali lege ad talem casum. Etsi dubitas, an voveris non teneris voto, juramento, vel promiſſione, vt ostendimus *dub.11.* præcedenti: Ergo neque si dubius an detur jus imponens irregularitatem, vel an iste casus contineatur in Canone imponente irregularitatem, debes in aliquo foro censeri irregularis. Consequentia est bona, quia eadem est ratio. Vtrobique enim dubitatur de subſtantia legis, voti, juramenti promiſſionis, vel juris ligantis, ad solam censuram, & ideo hanc sententiam præter Doctores supra citatos, tenent Fagundez *in Decalog. tom.1. lib.2. capite 10. numero 10.* Castrus Palaus *tom.1. tractatu 1. disputatione 3. puncto 6.* Bordonus *in Summa libro 7. quæstione 17. numero 23.* Portellus *verb. irregularitas, numero 31.* Sancius *in ſelectis disputatione 42. numero 14.* Filliucius *tomo 2. tractatu 21. capite 4. num.136.* Fragoſus *de Republic. tomo 1. libro 4. disputatione 10. numero 212.* Escobar *in Theol. moral. tomo 1. libro 2. ſect.2. Prob.71. num.248.* quibus adde me citato Franciscum Lugo *de principiis moralibus, parte 1. cap.2. quæst.26. num.150.* & me citato magistrum Ildephonsum Dominicanum *in ſuis dictis Commentariis ad partem 2. Divi Thomæ, tomo 3. diſp.209. dub.12. concluſione 2. num.1310.* & me citato doctiſſimum, & amiciſſimum Boſſium *variar. tomo 1. parte 2. titulo 1. §.11. numero 1290.* Vnde ex superius dictis patet responsio ad ea, quæ in contrarium adduxit Fabrus vt supra.

6. Restat modo, respondere ad dispensationes adductas à Pyrrho locis citatis; Dico igitur, illas dispensationes emanare à Sacra Pœnitentiaria, vel Dataria, quia petuntur ab Oratoribus ad majorem securitatem, & quietem conscientiæ, & ad tollendos scrupulos, & ideo stante opinione Majoli, & aliorum asserentium in nostro casu, judices, & alios Miniſtros irregularitatem incurrere, in Pœnitentiaria, & Dataria rectè conceduntur tales dispensationes, sed ex hoc non sequitur, vt vult Pyrrhus, nec rectè inferri potest, dictas dispensationes esse necessarias; ita vt contraria opinio non remaneat in suo gradu majoris, vel minoris probabilitatis, vt in simili casu docet Magiſter Serra. Dominicanus *tomo 1. capite 2. Divi Thomæ, quæstione 90. articul.... fol. mihi 380.* Magiſter Bernardus Lothetia Dominicanus *in Reſolutione moral. Belgicus tractatu 21. articulo 2.* & ex Societate Iesv Fagundez *de Præceptis Eccleſiaſticis, tractatu 2. libro 8. capite 8.num.138.* Granadus *in parte 2. controverſ.7. tractatu 3. parte 1.diſputatione 15. ſectione ſecunda*, & aliis: & quidem, quis potest credere sacram Pœnitentiariam, vel Datariam concedendo tales dispensationes ad petitionem partium velle damnare sententiam contrariam communiter receptam ab omnibus Canoniſtis, & Theologis? si Pyrrhus hoc credit, bona ejus venia, & pace non credam. Dicere autem cum ipso, quod Iudex in nostro casu, quo ad se fecit, quod potuit ergo contraxit irregularitatem. Nego consequentiam, nam alioquin sequeretur, quod Titius Sclopeto, vel ense percutiens vulnere lethali Sempronium, si iste postea non moreretur incurreret irregularitatem, quia ex se fecit quantum potuit, vt occideret Sempronium, sed hoc dicere est absurdum; Ergo. Itaque statuenda est regula generalis cum Gibalino *de irregularitate cap.4. quæſtione 3. conſect.7.* & aliis contra Pitigianum, & Pyrrhum homicidium sive injustum, sive ex defectu lenitatis non inducere irregularitatem nisi mors sequuta fuerit, & hæc satis dicta sunt contra opinionem Pyrrhi, quem tamen existimo virum benemerentem, & commendatione dignum, & optarem quod citius ad communem utilitatem secundum Tomum suæ Praxis in lucem ederet.

RESOL.

RESOL. XC.

An Consiliarii Principum, vt v. g. Regentes, & Præsidentes, Magistri rationales, &c. sint irregulares, itavt sine dispensatione ordinari non possint?

Et docetur judices, & officiales Episcoporum & Administratores rerum Ecclesiasticarum, imo & rerum piarum quamvis sæcularium, vt sunt res personarum miserabilium, ordinari posse?

Et an obligatus ad ratiocinia possit ordinari ante rationem redditam, etiam deserto officio; & quid si Fidejussores exhibeant?

Et quid est dicendum ante delicti pecuniarii solutionem, relicti ex officio, vel administratione, &c. Ex p. 4. tract. 2. Resol. 98.

§. 1. VIdetur affirmativè respondendum, *ex capite* 1. 2. & 3. *dist.* 15. ubi Curiales, & qui publicis functionibus occupantur, sunt irregulares, & sub nomine Curialium in dictis textibus vocantur quicumque Curiæ sæculari obligati sunt in ministerio alicujus officii publici, sive in perpetuum, sive ad tempus, & sive talis obligatio sit ex juramento, pacto, aut stipendio.

2. Sed his non obstantibus, vt optimè observat Mercerus *in* 3. *part. D. Thomæ, quæst.* 24. *dub.* 13. Petrus Cornejo *in* 3. *part. D. Thomæ tract. de irregular. disput.* 14. *dub.* 2. *num.* 3. excipiuntur ab hac generalitate, qui sunt Principum Consiliarii, sive hæc exceptio sit expressa Pontificis concessione, sive ex consuetudine præscripta, quod etiam docet Suarez *de censur. disput.* 51. *sect.* 3. *num.* 16. quibus adde Hurtadum *tract. de irregul. disp.* 2. *difficult.* 18. *num.* 60. ubi etiam docet cum Mercero & Cornejo *locis citatis*, judices, & officiales Episcoporum, & Administratores rerum Ecclesiasticarum, imò rerum piatum, quamvis sæcularium, vt sunt res personarum miserabilium, ordinari posse, quod deducitur *ex canon. ultim. dist.* 86. & *ex can.* 1. *dist.* 88.

3. Notandum est etiam hîc obiter contra Toletum *lib.* 1. *cap.* 60. & alios quòd obligatus ad ratiocinia non potest ordinari ante rationem redditam, etiam deserto officio, secus verò dicendum est ante solutionem debiti pecuniarii relicti ex officio, vel administratione, post desertionem officii, & rationem redditam: quia solutio nullibi in sacris Canonibus requiritur. Ergo in tali casu poterit ordinari. Ita DD. citati *ubi supra*.

4. Et tandem nota hic cum Cornejo *loco citato*, quòd in casibus quibus ob ratiocinia reddenda aliqui ab Ordinibus excluduntur, si fidejussorem exhibeant, qui causam ratiocinii in se assumat, ordinari non prohibentur. Ita ille, qui citat Panormitanum & Sayrum, quod est valdè notandum, vt in casu contingenti aliquis ex supradictis possit, si velit, statim ordinari.

RESOL. XCI.

An si Clericus in bello justo incitat aliquem determinatè ad occidendum, sit irregularis? Ex part. 5. tract. 14. & Misc. 2. Resol. 98.

§. 1. AFfirmativè respondet Lorca *in* 2. 2. *sect.* 3. *disp.* 51. *n.* 22. ubi sic ait: Qui intersunt bello justo, etiamsi adsint sine licentia Pontificis, & propria pugnent manu & multo potiùs si in conflictu exhortentur milites ad fortiter agendum, dummodo neminem occidant, aut mutilent, aut ad id aliquem determinatè incitent, fiunt irregulares. Ita Lorca, & ita etiam docet Suarez *de censur. disput.* 47. *sect.* 6. *num.* 8. & alii. Et ratio est, quia illa exhortatio est directè ad cædem ergo incurrunt irregularitatem ex defectu lenitatis.

2. Sed ego contrariæ sententiæ adhæreo, quam præter Turrianum *in* 2. 2. *tom.* 1. *disput.* 93. *dub.* 2. docet novissimè Hurtad. de Mendoza *in* 2. 2. *tom.* 2. *disp.* 169. *sect.* 2. §. 137. Ratio est, quia irregularitas non est admittenda, nisi exprimatur jure; sed nullo jure exprimitur in hoc casu: ergo. Secundò, quia persuasio totius exercitus ad strenuè pugnandum est conjuncta cum persuasione ad hominum cædes, & mutilationes; sed illa non contrahitur irregularitas, ergo neque hac. Major probatur, quia strenua pugna totius exercitus non potest physicè separari à cædibus & mutilatione, qui enim potest acriter pugnari à toto exercitu, quin aliquis hostium cadat? Vnde non potest dici hæc persuasio remotè conjungi cum cæde. Confirmatur si bombardarii, & sclopetarii statuerent non displodere sclopeta, atque bombardas, posset Clericus absque irregularitate eos hortari ad displosionem, ex qua videret nonnullos necessariò cæsum iri, aut mutilatum: ergo, &c. Vnde ex his apparet Hurtadum approbare doctrinam, quam primus docuit Vasquez, & nos sæpiùs notavimus, nempe irregularitatem ex defectu lenitatis incurri tantùm ab illis qui concurrunt aliquo modo ad mortem, vt justitiæ ministri; secus autem ab aliis, si non sit in jure expressa. Vide eumdem Hurtadum §. 145. Igitur nisi Clericus ipse ad necem concurrat suis arma movens manibus, aut alia ratione concurrat realiter ad necem, non est irregularis, licèt aliàs sit causa proxima, vt alii occidant, exhortando milites in generali, ac etiam in particulari ad hostes occidendos. Ita Hurtadus §. 143.

RESOL. XCII.

An Clerici exhortantes in bello justo, vt hostes occidantur, incurrant irregularitatem? Ex part. 5. tract. 9. & Misc. 4. Resol. 7.

§. 1. AFfirmativam sententiam tenet Lorca 2. 2. *sect.* 3. *disp.* 51. *n.* 22. Suarez *de cens. disp.* 47. *sect.* 6. *n.* 8. Bañez *in* 2. 2. *q.* 40. *art.* 2. *dub.* 2. & alii. Probatur *ex cap. Quicumque ex Clero* 23. *q.* 8. quia in tali casu jam Clerici essent causa homicidii; illa enim exhortatio est directè ad cædem quod spectat ad defectum lenitatis: non aliter ac exhortari Iudicem ad agendum furem in patibulum.

2. Verùm mihi placet negativa sententia, quam tuetur Avila *de Cesur. p.* 7. *disp.* 6. *sect.* 3. *dub.* 2. *concl.* 2. *ad* 1. *arg.* Turrianus 2. 2. *tom.* 1. *disp.* 93. *dub.* 2. Hurtadus de Mendoza *vol.* 2. *disp.* 169. *sect.* 14. *subsect.* 2. §. 137. & 143. & alii penes ipsos. Et ratio est, quia irregularitas non est admittenda, nisi exprimatur à jure: sed nullo jure exprimitur in hoc casu: ergo. Secundò; quia persuasio totius exercitus ad pugnandum strenuè est conjuncta cum persuasione ad hominum cædes, & mutilationes; sed illa non contrahitur irregularitas: ergo nec hac. Major probatur; quia strenua pugna totius exercitus non potest physicè separari à cædibus, & mutilatione. Qui enim potest acriter pugnari à toto exercitu, quin aliquis hostium cadat? Vnde non potest dici hæc persuasio remotè conjungi cum cæde. Confirmatur si Bombardarii, & Sclopletarii statuerent non-displodere sclopeta, atque bombardas, posset Clericus absque

ne prætermittas videre aliam ejus not.

Sup. tota doctrina hujus resol. præteritæ, & signanter sup. hoc infra in Resol. 96. & in aliis ejus primæ not.

Sup. hac disput. hujus tit. infra in Resol. 109. §. Limitatur.

Sup. nota doctrinam hujus Resolutionis ferè in eadem in Resol. seq. &

absque irregularitate eos hortari ad displosionem, ex qua videret nonnullos necessariò iri cæsum, aut mutilatum; Ergo, &c. Et quidem si Adversarii volunt licitum esse in prælio hortari milites ad fortiter dimicandum; quare non erit licitum hortari eos ad occidendum hostes? Nam si de re sit sermo, idem erit hortari milites in ipso congressu belli ad sic dimicandum, vt consequantur victoriam; & hortari illos ad occisionem hostium, si necessaria est ad victoriam reportandam; & quamvis una locutio minus sit expressa, quàm alia; consideratis tamen rerum circumstantiis, idem est utriusque sensus. Et eundem esse sensum docuerunt Innocentius, & Panormitanus in cap. Quod in dubiis, de pœnis; quamvis contra communem Doctorum existiment in utroque eventu Clericos contrahere irregularitatem. Sed, vt dixi, in priori casu communiter sentiunt Doctores Clericos non incurrere irregularitatem, & in posteriori hoc est probabile propter factam rationem. Itaque exhortatio ad cædem in bello justo, non est causa irregularitatis.

RESOL. XCIII.

An Clerici, qui in gravi necessitate pugnant in bello, incurrant irregularitatem?

Et quid sentiendum est de Clericis de licentia Summi Pontificis bello assistentibus?

Et notatur, quod licet in casibus, in quibus Clerici in bello justo pugnando lethaliter peccent, non fiunt irregulares, esto in eo bello aliqui interficiantur, aut mutilentur. Ex p.6. tract.4. Res.58.

§.1. AD primum respondeo certum esse urgente gravi necessitate, vt suprà diximus, Clericos, si licitè bello justo interfunt, etiam licitè propria manu pugnare: vt si aliàs ab invadente hoste essent occidendi; aut Civitas, aut Navis in qua sunt, essent expugnandæ, aut victoria magni momenti certò amittenda: tunc enim jus naturæ dat illis facultatem & se & communitatem defendendi; imò in tali casu obligantur pugnare, cùm jus humanum nec intendit, nec potest derogare juri naturæ.

Sup. hoc inf. in Res.95. & in to.7. tr.7. Res.60. in fine.

2. Sed difficultas est, an incurrant irregularitatem; Aliqui affirmativè respondent, nisi Clerici pugnent ad necessariam vitæ propriæ defensionem: sed ego puto contrariam sententiam esse sustinendam. quam ex Molina & Lorca docet Coninch *disp.35. de Bello, dub.6. num.91.* nam nullam Clericus incurrit irregularitatem, nisi sit ei culpabilis.

Supr. hoc in Res. seq.

3. Ad secundum dubium sic respondet Lorca *in 2. 2. D. Thomæ, quæst.40. art.1. sect.1. disp.51. num.24.* Si Clericus ex dispensatione Pontificis expressa pugnet, etiamsi occidat aut mutilet, nullam irregularitatem incurrere tradunt Covarruvias & Molina: quoniam qui dispensat in aliquo, dispensare censetur in eo, quod consequens & connexum est. Sed id non probo: quia milites justè pugnantes si occidant aut mutilent, irregulares fiunt: ergo eodem modo Clericus. Nec Papa concedens primum, censetur concedere secundum, nisi in concessione expresserit. Ita Petrus Lorca.

4. Verùm ego sententiæ Molinæ adhæreo, & contra Lorcam assero esse disparem rationem inter Laïcos in bello justo pugnantes, inter Clericos ex licentia Summi Pontificis: nam Laïci vocantur & admittuntur ad id, quod licitè possunt efficere: neque in eorum exercitio quicquam Summus Pontifex dispensat: & ideo neque tollere, est censendus, irregularitatem. Sed contrarium accidit in Clericis qui ex ejus licentia possunt in bello pugnare: ergo dicendum est eo ipso quòd Papa præbet eis licentiam supradictam, auferre irregularitatem.

5. Non nego tamen sententiam Lorcæ esse probabilem, quam tuetur etiam Duvallius *in 2.2. D. Thomæ, tract.de charitate, quæst.16. art.7.* Notandum est etiam hîc cum Molina *ubi supr. tom.2. tr.2. disp.110. concl.2.* Quòd etiam in casibus, in quibus in bello justo Clerici pugnando lethaliter peccant, non sunt irregulares: esto in eo bello aliqui interficiantur, aut mutilentur; habétque id verum, non solùm si in genere exhortentur ad pugnam, fortitérque dimicandum, atque máque & subsidia præbeant: sed etiam si ipsi aliquos percutiant, ac vulnerent. Huic conclusioni quadam ex parte favent *c. præsentium, & c. continentia, de Clerico percussore*: sed apertè colligitur *ex c. petitio, de homicid.* cui juri innixi eam amplectuntur Panormitanus *ibid.* Navarrus *in manuali, c.27. n.215.* Covarruvias *in Clement. si furiosus, p.2. §.3. n.2.* Doctores communiter. Quòd si Clerici ita pugnando in bello justo irregularitatem non incurrunt; multò minùs illam incurrent Laïci licitè & meritoriè in eo pugnantes. Hujus conclusionis non alia est ratio, quàm quòd cùm hæc ex jure positivo pendeant, meritò in favorem belli justi, quo Ecclesia & Respublicæ defenduntur, atque ampliantur, à Summis Pontificibus constituta sunt: præsertim cùm si morte aut mutilatione in bello justo subsecuta, omnes qui in eo consilium, favorem, aut auxilium dederunt, irregularitatem incurrerent: sanè in singulis justis præliis exercitus totus, innumeráque alia hominum multitudo maneret irregularis, quod esset infinitam penè multitudinem irretire, hominésque tardos ad præliandum, & adjuvandum in bello justo cum magno Ecclesiæ & Reipublicæ detrimento reddere. Et hæc omnia docet etiam Lorca *in 2. 2. disp.11. num.22. & 23.*

RESOL. XCIV.

An, si Clericus ex licentia Summi Pontificis pugnet in bello, & aliquem occidat, incurrat irregularitatem? Ex p.9. tr.9. & Misc.4. Res.6.

§.1. AFfirmativè respondet Lorca *in 2.2. D. Thomæ, quæst.40. art.1 sect.3. disp.51. n.23.* ubi sic ait: Si Clericus ex dispensatione Pontificis expressa pugnet, etiamsi occidat, aut mutilet, nullam irregularitatem incurrere tradunt Covarruvias, §. *illo 3. n.2.* & Molina *disp.110* quoniam qui dispensat in aliquo, dispensare censetur in eo quod consequens, & connexum est. Dispensatione tamen expressa, vt pugnet; quia si solùm concedat Papa Clerico vt bello interfit, non censetur concedere pugnam, vt tradit etiam Molina *lib.5. cap.49. num.5.* Sed id non probo. Quia milites justè pugnantes, si occidant, aut mutilent, irregulares fiunt: ergo eodem modo Clericus. Nec Papa concedens primum, censetur concedere secundum, nisi in concessione expresserit. Ita ille.

Sup. hoc in Res. quæst. 2. §. 1. eandem.

2. Sed ego adhæreo opinioni Molinæ, & Covarruvias, quam etiam tuetur Præpositus *in 3. p. q.5. de irregul. dub.12. num.96.* Suarez *de cens. disp.47. sect.6. n.12.* Turrianus *in 2.2. tom.1. disp.93. dub.1.* Hurtadus *vol.2. disp.169. sect.14. subsect.2. §.139.* & alii. Nec valet dicere cum Lorca, quia Laïci possunt licitè pugnare, nec tamen sunt ab irregularitate immunes: ergo licèt Clerico sit licita pugna ex dispensatione Pontificis, non erit immunis ab irregularitate. Nego consequentiam, quia Laïcus utitur jure communi, Clericus autem Iure derogante lege communi. Cum autem Pontifex censuit causas esse satis ad permittendam Clerico pugnam, censuit idem de irregularitate. Et qui

qui facultatem præbet expressam ad aliquod factum amovet omnia impedimenta ad illud. Et ideò Villalobos *in Sum. tom. 1. tr. 21. diffic. 18. n. 9.* sic ait: [Advertase, que si el Papa da licentia à algun Clerico para que pelee en la guerra, ò que assista à ella con armas offensivas, y defensivas, no queda irregular, aunque mate alguno, como dizen todos, que es esta una como anticipada dispensacion, ò como dizen Covarruvias, y otros, es visto quitar el Papa toda la pena, y censura de aquel acto.] Ita ille, & ego.

RESOL. XCV.

An Clerici in casibus, in quibus licitè possint pugnare, occidendo hostes, incurrant irregularitatem?

Et notatur quod in bello justo ad cujus felicem exitũ non est necessaria pugna Clerici, si Clericus pugnat, peccat graviter, non tamen est irregularis, nisi ipse hominem occidat, aut mutilet, quamvis aliquem feriat, & alii socii hostem occidant. Ex p. 9. tr. 9. & Misc. 4. Resol. 8.

Sup. hoc sup. §. 1. lib. 93. §. 1. quæst. 40. art. 2. & Ledesma in Summa tom. 2. tr. 3. c. 13. concluf. 41. ubi sic ait: [Los Clericos que pelean, aun quando estan obligados à pelear, se hazen Irregulares, si matan, o cortan miembro. Esta sentencia es comun entre los Doctores, y tienela Cajetano, y Navarro, y otros muchos: esta sentencia se funda lo primero en que esta irregularidad no se cõsigue à pecado, sino a occision voluntaria, o à amutilacion de miembro. Y en este caso ay alguna destas cosas. Luego incurrese Irregularidad. Lo segundo, porque en el derecho todos los que matan, o cortan miembro se hazen Irregulares, aunque lo hagan en defension de su Republica, sino es que sea en su propria defension. Luego todos los demas quedan Irregulares. Lo tercero porque el juez que mata, o corta miembro queda Irregular, aunque sea obra buena, y que estava obligado a hazerla. Y lo mismo es de el que mata defendiendo à su padre, quando estava obligado a defenderle. Luego lo mismo sera en nuestro caso. Ita ille. Et ita hanc sententiam tenet etiam Bañez *in 2. 2. q. 40. art. 2. dub. 4.* asserens sic esse Praxim Curiæ Romanæ, in qua Clericus qui occidit in defensionem Reipublicæ, existimatur irregularis.

2. Sed negativam sententiam ego teneo cum Valentia *tom. 3. disp. 3 q. 16. punct. 4.* Molina *de Iust. tom. 1. tr. 1. disp. 169.* Præpositio *in 3. q. 5. de Irregul. dub. 12. n. 92.* Sayro *de Censur. lib. 6. c. vlt. n. 9.* Turriano *in 2. 2. tom. 2. disp. 93. dub. 1.* Hurtado *vol. 2. disp. 169. sect. 14. sub sect. 2. §. 140. & 141.* & aliis. Dico igitur, quod si bellum defensivum sit necessarium ad salutem Reipublicæ, nec Clericos in eo pugnantes, & occidentes, vel mutilantes incurrere irregularitatem; si enim eam non incurrerit qui alterum occidit, quando id est necessarium ad justam proximi defensionem, multò minus incurrit qui idem præstat, quando bonum Reipublicæ id requirit, ad cujus defensionem aliquis obligetur. Confirmatur. Durum videtur, quod privatus incurrat irregularitatem propter actum, ad quem iure naturæ obligatur, cum hac ratione multi arcerentur ab observatione præceptorum. Confirmatur ex Div. Thoma *in 2. 2. q. 40. art. 2.* in fine corporis, ubi ex eo docet, Clericis non licere bellum gerere, quòd nulli, qui est deputatus ad aliquod officium, licèt id, per quod suo officio incongruus redditur; cum ergo in nostro casu licitum sit Clerico pugnare, & occidere, non videtur per hoc impediri, quo minus pristinum officium exercere valeat. Itaque statuendum est, Clericum esse irregularitate immunem quoties legitimè pugnare potest licèt hostem ipse occidat. Et hanc sententiam probabilem esse concedunt ipsimet Adversarii, vt Bañez *loco citato.*

3. Notandum est hîc obiter cùm Hurtado *ubi supra, §. 142.* quòd in bello justo ad cujus fœlicem exitum non est necessaria pugna Clerici, si Clericus pugnet, peccat graviter, non tamen est irregularis, nisi ipse hominem occidat aut mutilet: quamvis aliquem feriat, & alii socii hostem occidant: sola ergo nece aut mutilatione ab ipso effectu est irregularis. Vide etiam Reginaldum *tom. 2. lib. 31. cap. 8. num. 80.*

Sup. hoc sup. in Resol. 93. §. vlt. à lin. 6. & inf. in Resol. 109. §. vlt. propè fin. & in to. 7. tr. 7. Resol. 57. propè fin à vers. Si bellum vero.

RESOL. XCVI.

An Clerici bello assistentes pro spirituali Militum auxilio, si illos in conflictu incitent ad præliandum, incurrant irregularitatem?

Et utrum sit necessaria licentia Prælati ad assistendum in exercitu absque irregularitate: Ex p. 6. tr. 4. Resol. 39.

§. 1. Respondeo, si bellum est justum, licitum esse Clericis milites hortari ad pugnandum fortiter pro Patria, pro Rege, pro justitia Religionis, dummodo non dicant, Occide, macta. Quinimmo probabiliter puto contra Lorcam *in 2. 2. disp. 51. n. 22.* Suarez de Censuris *disp. 46. sect. 6. n. 8.* & alios posse Clericos sine irregularitatis periculo milites in bello justo hortari generatim ad percutiendum, & occidendum hostes, modò in particulari neminem occidi suadeant aut jubeant. Ita Layman *lib. 2. tract. 3. c. 12. num. 19.* Henriquez *lib. 14. cap. 12. num. 4. in Glossa, littera R.* Avila *de censuris, p. 7. disp. 70. sect. 3. dub. 2.* Hurtad. *ubi infra, §. 137. & 143.*

Sup. hoc sup. in Resol. 92. inf. in Resol. 109. §. Et tãdem, & in Resol not seq. §. 1 propè fin à vers. qui tamen, & in Resol. 110. propè fin.

2. Sed si aliquis quærat. Vtrùm necessaria sit licentia Prælati ad existendum in exercitu absque irregularitate? Aliqui censent Ecclesiasticum exhortatorem ad pugnam licitam esse irregularem cæde sequuta, si adsistat exercitui absque licentia Prælati. Censeo tamen cum eo eventu non fore irregularem, licèt ejus in exercitu præsentia sit peccatum contra obedientiam: quia licentia Prælati aut carentia ejus nihil pertinet ad rationem homicidii, aut defectum lenitatis. Ergo si illa actio cum licentia non spectat ad eos defectus; nec sine illa spectabit. Et ita docet Hurtad. de Mend. *vol. 2. disp. 169. sect. 2. §. 135.*

Sup. hoc ad literam in tom. 7 tr. 7. resol. 58. §. vlt. à princ.

3. De quibusdam verò casibus in quibus pugnando incurritur, vel non incurritur irregularitas, vide me ipsum *in p. 4. tract. 2. resol. 27. 28. 29. & 30.*

Quæ omnes hîc sunt inf. Resol. 97. 99. 100. & 101.

RESOL. XCVII.

An qui vendit arma, vel tribuit aut mutuat illa ad bellum justum, incurrat irregularitatem?

Et quid si præbeat arma offensiva in ipso conflictu belli, & quamvis sit Clericus in Sacris? Ex p. 4. tr. 2. Resol. 28.

§. 1. Ad hunc casum ita respondet Turrian. *de cens. lib. 9. disp. 68. dub. 1.* si istæ actiones ex mente P. Suarez fiant solùm generatim, & ordinentur ad bellum justum, non incurritur irregularitas propter illas. Si vero fiant in ipso bello, & determinatè ordinentur ad occidendum, incurretur irregularitas, quia actio illa tendit determinatè ad homicidium. Alii putant non incurri irregularitatem, quia hæc irregularitas requirit homicidium non quomodocumque: aliàs Princeps, qui gerit bellum ex solo imperio & præcepto erga milites illam incurreret; ergo sicut in illo non sufficit tale imperium, multo minus in privata persona actio vendendi, vel mutuandi arma ad bellum gerendum, etiam quando judicatur prudenter, futurum

Sup. hoc inf. in Resol. 100. in fin. & in Resol. 109. §. vlt. à lin. 7. vers. Inferatur.

futurum homicidium, & hoc placitum non videtur improbabile. Ita Turrianus. Et licèt sententiam Suarez docuerat ante Sylvester *ver. homicidium* 3. Henriquez *libr.*13. *capite* 12. *numero* 4. *in gloss. litt. N.* & Villadiego *de irregularitate cap.*6. *n.*5. ego tamen cum Turriano puto contrariam sententiam probabilem esse, quam absolutè docet Avila *part.*7. *disput.*5. *sect.*3. *dub.*2. *conclus.*1. ubi asserit. Ex dictis sequitur quòd vendentes vel donantes arma militibus ad bellum justum, non manent irregulares. Et hoc intelligo, quamvis præbeat arma offensiva in ipso conflictu belli, & quamvis sit Clericus in Sacris. Sic Avila. Sed quoad Clericos intellige, modò non præbeant arma ad occidendum hunc, vel illum in particulari, & ita rectè advertit amicissimus & doctissimus Barbosa *in collect. tom.*2. *lib.*5. *tit.*12. *cap.*24. *num.*2.

Sup. hoc in §. vlt. not. præteritæ.

RESOL. XCVIII.

Excusantur aliqua irregularitates in bello injusto. Ex part. 11. tract. 7. & Misc. 7. Resol. 8.

Quoad hoc in to. 8. tr 5. lege doctr. Resol 38.

§. 1. QVæro primò, An miles pugnans in bello injusto incurrat irregularitatem si occidat insequentem se, & ipse confodiatur defensionis causa. Affirmat Avila *de censur. part.*7. *disp.*8. *sect.*3. *dub.*1. *concluſ.*2. Sed ego adhæreo negativæ sententiæ, quam ex Præposito tenet Gibalinus *de irregul. cap.*4. *quæst.*3. *conſect.*5. *diffic.*5. *num.*32. Dico igitur, militem, qui injustè pugnavit, & modò terga vertit, si paratum se ostendat ad reparandam injuriam pro sua parte, verbi gratia velit deinceps mereri sub castris hostium, & nihilominus impetatur, posse se defendere etiam cum alterius interitu, quia non mihi videtur privatus miles ad aliud obligari posse, an vero miles justè pugnans, & hunc fugientem occidens, quamvis paratum ad satisfactionem peccet, dubitari poterit, si enim fugiens licitè defendit, illicitè pugnatur, vti sæpius sumus argumentati, alioquin dabitur bellum utrimque justum; verùm quidquid sit de hac consequentia, de qua dicemus alibi fusius, neutrum hoc loco peccare existimarim, quia uterque ducitur optima ratione, fugiens quidem dum se defendit, & insequens etiam, qui sapienter existimat, se sui Principis justè pugnantis partes agere, & ejus injurias jure ulcisci: atque ita uterque occidere ex opinione probabili sui juris, & tunc tantùm est bellum utrimque justum formaliter, quod sæpius contingere certissimum est, neuter igitur eo casu fuerit irregularis.

2. Nota etiam cum Lessio *in* 3. *part. cap.*2. *de irregular. dubitat.* 4. *numer.*13. quòd si quis prior invadatur ab hoste, nec valens aliter effugere eum occidat, non fiet irregularis, etiam si pugnarit ex parte injusta.

3. Nota verò hic cum Avila, quòd qui se conferunt ad bellum injustum non quidem ad pugnandum, nec ad inducendos milites, sed ad juvandos eos in spiritualibus non esse irregulares, etiamsi ad propriæ vitæ defensionem quempiam occidant, quia legitima defensione utuntur.

Sup. hoc in resol. seq. & lege §. ejus primæ not.

4. Quæro secundò: an omnes qui militant in bello injusto sint irregulares sequuto aliquo homicidio? Affirmativè respondent Doctores; unde Villalobos *in summa tom.*1. *tract.*21. *difficult.*24. sic ait; [Todos los que pelean en guerra injusta (aunque nò maten con sus manos, ni corten miembro) quedan irregulares; Assi lo tienen todos. La razon es porque todos ellos cooperan en el homicidio, y assi son irregulates, como los que cooperan al homicidio en una renzilla particular, y mucho mas lo son estos, lo qual consta del derecho.]

5. Sed Giballin. *ubi supra conſect.*7. *difficultat.*2. *num.*35. admodum probabile videtur quod existimavit Coninch * alibi à me etiam adductum, eos tantùm esse irregulares, qui moraliter dici possunt juvisse occidentes, aut mutilantes, quales sunt tantùm aliqui circumstantes; non autem totus exercitus per latam planitiem diffusus, quia non satis intelligitur quomodo multa millia fuerint huic cædi cooperata: quando vero ex parte injustè pugnantium aliqui cæduntur, ij tantum ex commilitonibus erunt irregulares, qui fuerint causa cur hic & nunc pugnarint, atque adeò ab hostibus occisi fuerint; confirmaturque hæc sententia Coninch ex eo quod non videantur singuli milites teneri ad reparandum damnum, quod à toto exercitu in injusta urbis excisione illatum fuit, uti Paludan. *num.*40. *dist.*15. *quæst.*2. *numero* 30. docuit, cui adhæsit Less. *lib.*2. *cap.*14. *num.*37. quia inquit singuli milites non juvarunt iniquam expugnationem nisi faciendo partem suam, non autem procurando, vt alii suam, in illo damno facerent & sicut totus exercitus est causa totius damni, ita singuli suæ tantum partis, nisi alia ratione alios juverint; quod autem singulis conflantibus ingentem exercitum fieri non potuit respectu singulorum aliorum, vt patet: atque ea ratio æquè valet in irregularitate ad restitutionem damni, cùm utraque oriatur ex cooperatione ad damnum, & mortem inferendam: communis verò Doctorum opinio, quæ contraria est, non ducitur alia ratione, quàm quod omnes conjunctis animis, & viribus pugnantes sint una causa moralis damni, & injustæ cædis, quam causæ unitatem nos negamus inter tot millia militum, dicimusque non aliter facere unam causam, quam unitate Ordinis, eodem modo, quo conflant unum exercitum, & quo in toto collectivo singulæ partes illud faciunt.

* Alibi vide Coninch num. 35.

6. Quæro tertiò, an qui custodiunt sarcinas militantium in bello injusto fiant irregulares? Affirmativè in terminis respondet Villalobos, & Baunius *ubi supra*; Avil. *dubit.*2. *concluſ.*3. sed ego adhæreo sententiæ negativæ Giballini *loco citato*, quia isti non nisi remotè admodum cooperantur militibus pugnantibus, & occidentibus, vt diximus aliàs de vendentibus arma. Idem mihi omnino dicendum videtur de iis, qui obsonia deferunt ad exercitum, neque enim magis cooperantur hi homicidiis, quàm qui servant sarcinas.

Sup. hoc in resol. seq. sim ad fin.

7. Nota tamen cum Giballino, quod Dux injusti belli tot incurrit irregularitates, quot illic fiunt homicidia, quia ipsorum omnium causa principalis est, & in omnibus militibus pugnat, quandoquidem illi suo imperio, & auspiciis pugnant; unde etiam totius damni causa existit; & ideo Villalobos *numer.*2. *& numero* 5. subdit: [De lo dicho se colige, que si suceden en esta guerra injusta muertes y mutilaciones de ambas partes (como suelen suceder) los que en ella se hallan, incurren irregularidades diferentes, unas de homicidio voluntario que nacen de delicto, y otras casual.]

RESOL. XCIX.

An milites pugnando in bello injusto, si aliquem non occidant, remaneant tamen irregulares?
Et quid de custodientibus pugnantium sarcinas?
Et an militantes in bello justo aggressivo non sint irregulares modo suis manibus sanguinem non fundant, si alii mutilant, vel occidunt? Ex part. 4. tractatu 2. Resol. 27.

§. 1. Ad

§. 1. AD hanc dubitationem sic respondet Coninch *de Sacram. disput.* 18. *dub.* 10. *num.* 98. Communiter Doctores dicunt omnes adhortantes ad bellum injustum, aut in eo pugnantes, imo custodientes pugnantium sarcinas, contrahere irregularitatem homicidii, vt voluntarii, si aliqui ex parte hostium occidantur, quia omnes sunt una causa mortalis, quia se mutuò excitant (sed quamvis hoc, quando sunt ita pauci; vt se mutuò omnes videre, vel audire possint, sit communiter verum, quia omnes se mutuò animant; quando tamen sunt multa millia, videtur valde difficile intelligere quomodo singuli quosvis occidentes, aut mutilantes ad hoc animent, cum multi sint, qui eos nec videre nec audire possint & difficile intelligitur, quomodo quis hîc & nunc possit ad pugnam ab aliquo excitari, quem nullo sensu percipit, vnde hanc irregularitatem extenderem ad quinquaginta, vel etiam centum milites, quia possunt hi omnes se mutuò animare. Ita ille.

2. Sed adversùs Coninch quoad hanc limitationem insurgit noviſſimè Hurtadus *disputat.* 2. *de irregular. difficult.* 6. *numero* 11. ubi sic ait: In bello injusto omnes milites, quamvis sint plura millia, & etiam omnes custodientes sarcinas, fiunt irregulares quamvis unus tantùm occidat, aut mutilet, quia quilibet assistentia aliorum animatur, & custodia adjuvatur, non ergo placet Ægidio Coninch, qui quando sunt plura millia, id tantùm limitat ad quinquaginta vel ad centum ex circumstantibus occidentem, aut mutilantem. Hæc Hurtad. Vide etiam Petr. Com. *in* 3. *part. D. Thom. tract.* 5. *de irreg. disp.* 11. *dub.* 2. *q.* 2. Mercerum *de Sacram. in* 3. *part. D. Thomæ quæst.* 24. *dub.* 9. *numero* 1. Avilam *part.* 7. *disputat.* 5. *sect.* 3. *dubitat.* 2. *conclus.* 1. Laymann *sect.* 5. *tractat.* 3. *part.* 3. *capit.* 8. *numero* 2. Villalobos *tom.* 1. *tractat.* 21. *difficult.* 29. *numero* 1. & alios penes ipsos. Verùm his non obstantibus limitationem quam in hoc casu adducit Coninch, aliqui tanquam probabilem admittunt, nam Lessius, *lib.* 2. *cap.* 13. *dub.* 4. *num.* 37. cum Paludano *in* 4. *sentent. distinct.* 15. *quæstione* 2. *numero* 30. non putat omnes milites exercitus teneri in expugnatione quod urbis ad totum damnum, quod alii dederunt & adducit rationem, quæ militat etiam in irregularitate. Verùm mihi opinio prima magis placet.

3. * Notandum tamen hîc obiter militantes in bello justo aggressivo non fieri irregulares modo suis manibus sanguinem non fundant etiamsi alii mutilent, vel occidant, vt colligitur ex *cap. petitio, de homicidio.* Nec valet dicere quòd tales etiamsi per seipsos non occidant, tamen occidunt per alios quos animant & adjuvant. Ergo non minus erunt irregulares quàm judex, vel satellites assistentes per suam authoritatem, vel auxilium executoti homicidii justi. Nam respondeo negando antecedens, quia miles qui per se non occidit, ex eo solùm quòd justè militet, non censetur juvare alios ad occidendum, sed tantùm ad strenuè militandum; remotè igitur & tantùm per accidens censetur cooperari, quod non sufficit ad irregularitatem. Iudex autem & satellites concurrunt ad determinatam actionem homicidii; & quod præcipuum est, habemus declarationem in uno casu à jure, & non in alio.

RESOL. C.

An Milites in bello justo, si occidant alios ad defendendam propriam vitam cum moderamine inculpatæ tutelæ incurrant irregularitatem?

Et quid est dicendum de mandantibus, cooperantibus, animantibus, subministrantibus arma, &c. si bellum injustum est aggressivum?

Et quid, si bellum defensivum sit justum, & licitum, an milites, etiam si occidant, non sint irregulares?

Et an sint irregulares exhortantes milites in bello justo, vt strenuè se gerant, vel qui illis vendunt, vel donant arma, &c. Ex part. 4. tract. 2. Res. 29.

§. 1. AFfirmativam sententiam, si dicti milites processerunt ad bellum pugnandi causa, & non alio fine, docet Suarez, Henriquez, Rodriquez & alii, quos citat & sequitur Bonacina *de cens. disputat.* 7. *quæst.* 3. *punct.* 5. *num.* 2. qui tales procedendo ad bellum tali intentione voluntariè se exponunt periculo homicidii, & saltem in causa volunt homicidium. Ergo, &c.

2. Verùm mihi contraria sententia probabilis etiam videtur, quam tenet Petrus Cornejo *in* 3. *p. D. Thomæ tr.* 5. *de irregul. disp.* 11. *dub.* 2. *quæst.* 3. & Avila *de censur. part.* 7. *disp.* 5. *sect.* 3. *dub.* 1. qui citat Sylvestrum & alios viros doctos. Ratio est, quia talis defensio est licita, & confirmatur. Nam si judex, aut carnifex invadatur à reo quem volebat decapitare, & pro necessaria sui defensione occidat illum, non manet irregularis. Ergo, &c.

3. Non desinam etiam hîc adnotare id quod docet Præpositus *in* 3. *part. quæst* 5. *de irregularit. dubit.* 12. *num.* 93. ubi sic asserit. Si bellum injustum sit aggressivum, constat eos, qui occidunt, vel mutilant, incurrere irregularitatem homicidii voluntarii; similiter mandantes, cooperantes, animantes, subministrantes arma, &c. excepto fortè casu, quo aliquis invasus non possit sibi aliter consulere. Nam eo casu non est improbabile quòd possit, servato moderamine inculpatæ tutelæ, occidere invadentem absque periculo irregularitatis. Ita ille. Sed hoc non admittit Petrus Cornejo *loco citato.* Hinc à fortiori dicendum est, quòd si bellum defensivum sit justum & licitum milites, etiamsi occidant, non sunt irregulares. Ita Tannerus *in* 3. *part. disputat.* 6. *quæst.* 10. *dub.* 11. *numero* 208. qui citat Suarez. Nam in hoc casu militat eadem ratio quæ in privata defensione. Et tandem hîc obiter nota cum Cornejo *loco citato*, non esse irregulares qui exhortantur milites in bello justo, vt strenuè se gerant, nec quis illis vendunt, vel donant arma, modò non inciteut ad determinatam hominis occisionem; quamvis non desint authores qui probabiliter asserant non incurrere, ad quod irregularitas hæc imposita non sit, nisi contra eos, qui propria manu occidunt.

Sup. hoc & contento in hoc §. usque annot. seq. lege doctr. §. 1. & 2 Res. præteritæ.

Sup. hoc lege doctr. §. vlt. præced. Res. & alterius vers. ejus annot. Sup hoc notato sup. in Res. 96. &c.

Sup. his sup. in Res. 97. & in alio §. & vers. ejus not.

RESOL. CI.

An qui pugnant in bello justo, si dubitant, an occiderint, vel mutilaverint, debeant se judicare irregulares? Ex p. 4. tract. 2. Res. 30.

§. 1. AFfirmativè videtur respondendum ex Villalobos *tom.* 1. *tract.* 21. *diffic.* 28. *numer.* 6. Bonacina *de cens. disp.* 7. *quæst.* 4. *punct.* 5. *num.* 5. & 10. in editione noviſſima, & aliis, asserentibus ex *cap. petitio tua, de homicidio*, quòd Clericus assistens bello irregularis judicatur, si aliquem interfecit, vel si dubiam de hoc habet conscientiam.

2. Verùm non desunt DD. negativam sententiam docentes, & ideo Præpos. *in* 3. *part. quæst.* 5. *de irregular. dub.* 12. *num.* 97. sic ait: Petitur an qui solum dubitat, an in bello justo occiderit, sit censendus irregularis, etiam eo casu quo non possit probabiliter

Sup. hoc in Res. seq. §. vlt. cursim ad lin. 4. & in alia Res. ejus annot.

judicare se occidisse. Varii affirmant, sed non videtur improbabile, quod non teneatur se habere tamquam irregularem, quia Pontifex *in dicto cap. petitio tua* dicit: Si de interfectione cujusquam in illo conflictu tua conscientia te remordeat, quod non contingit quando nullum probabile judicium formari potest. Ita ille, & ante illum hanc sententiam docuerat etiam Avila *part.7. disp.6.sect.3.dub.2. concl.3.* ubi citat Navarrum & Henriquez, & addit quòd si solùm dubium sufficeret ad irregularitatem in his qui pugnant in bello justo innumeri essent irregulares, & ideo hanc sententiam post hæc scripta inveni docere Merollam *in disp.Theol.tom.1.disp.3 cap.4.n.252.* qui respondet ad *cap. petitio tua.*

RESOL. CII.

An in dubio facti circa homicidium, censendus sit quis irregularis?

Et an doctrina prædictæ quæstionis non extendatur ad dubium mutilationis, homicidii justi v.g. in bello justo commissi, & in aliquibus casibus dubiis, pro quibus concluditur, quod in omnibus dubiis juris, vel facti nunquam incurritur irregularitas, nisi in dubio facti homicidii prohibiti? Ex part.3. tract.5. & Misc.1. Resol.72.

Sup.hoc in Ref. seq §. pen. & vlt.& in Ref 1. post seq.& inf lege doctrinã Ref. 119. per tot. & signãter § penult.

§.1. AFfirmativè communiter Doctores respondent, quos citant sequuntur Sanch. *in summa, tom.1. lib.1.cap.10. num.42.& seqq.* Avila *de cens. part.7. disp.2. dub.5.* Villalobos *in summa, tom.1. tr.1. diffic.22.n.2.* Coninch *de Sacram. disp.18.dub 2.n.23.* Valent. *tom.4. p.4. disp.7. quæst.19. punct.2.* Flores de Mena *variar.resolut.lib.1 quæst.9.n.18.* Azorius *part.1. lib.2.cap.19.q.10.& 11.* Salas *in part.2.q.21.tr.8. disp. unic.sect.10.a num.70.* Vgolinus *de cens.c.4.§ 2.num.3.* Sayrus *de cens.lib.6.cap.2.n.16.* cum aliis, & hoc non solùm in foro externo, sed interno, vt patet *cap.ad audientiam, de homicidio.*

2. Non reticeam tamen contrarium docere Henriquez *lib.14.cap.3.n.3.& 4.& cap.14. num.3.* & hoc probabile esse putat Suar. *de cens.disp.40.sect.2.n.14.* & *ad cap. ad audientiam*, respondent procedere quando homicidium est ita dubium, vt verisimilius sit fuisse perpetratum, idque sibi videri declaratum *in cap. significasti, ad finem*, nec ab illa communi regula, Odia sunt restringenda, discedendum nisi ratio convincat; quod non adest in casu dubii: ergo, &c. Sed tu primam sententiam tene.

Sup.hoc in Ref.seq. §.1. sed lege eam per tot.

3. Dicendum est tamen contra Turrianum *de censuris, lib.8.disp.57.dub.5.* Vasq. *in p.2.disp.65.cap.3.& disp.66. cap.1.* Covarruviam, & alios, in aliis dubiis facti præter homicidium, quis minimè censendus est irregularis in utroque foro, & sic qui dubitat an legitimè natus sit, necne, potest legitimus censeri: & sacros ordines accipere, & qui dubitat utrùm uxor unica accesserit virgo, potest ita præsumere & Clericus fieri; & ratio horum omnium est, quia irregularitas non incurritur, nisi in casibus jure expressis, *cap. is qui sent. de excomm. in 6.* sed in jure tantum pro dubio homicidii incurritur irregularitas, vt patet. Ergo in aliis dubiis præter homicidium standum est illis regulis juris communis tam Canonici, quam civilis, asserentibus in dubio neminem condemnandum, in pœnis benigniorem interpretationem faciendam. Et ita docet Henriq. *lib.14. cap.3.n.4.* Avila *de cens. part.7. disp.2. dub.5. concl.2.* Laym. *in Theol.mor. lib.1. tract.1.cap.5.§.4.num.39.* Coninch *de Sacram.disp.18. dub.2. num.2.* Salas *in p.2.q.21. tract.8. disp.1. sect.18. num.168.* & alii.

Sup.hoc sup. in tr.4. Ref. 6.§.vlt.& in aliis ejus annot.

4. Notandum est etiam quòd licèt, vt dictum est in dubio homicidii irregularitas præsumatur, tamen hæc doctrina non est extendenda ad dubium mutilationis, quia mutilatio non est homicidium; neque ad dubium homicidii justi, v.g. in bello commissi, quid dicat Henriquez *lib.14.cap.3.n.4.* Navarr.*cap.27. dub.206.* Avila *de cens. p.7. disp.2. dub.5. concl.2.* & Bonacina *de cens. disp.7. quæst.1. punct.5.n.4.* quia jura ad loquuntur de casu homicidii prohibiti, & odia sunt restringenda. Vide Sanch. *in summa, tom.1.lib.1.c.10. cap.40. & 50.* Filliucium *tom.1. tract.19.cap.2.q.7. num.47.* & alios. Vnde ex his omnibus concludunt Confessarii, quòd in omnibus dubiis, juris vel facti, nunquam incurritur irregularitas; nisi in dubio facti homicidii prohibiti. Et hæc omnia procedunt in casu veri dubii, nempè quando intellectus in neutram partem inclinare potest, nam si aliquis probabiliter opinetur, non commisisse homicidium, irregularis minimè censendus erit.

RESOL. CIII.

An in dubio facti non solum in causa homicidii, sed etiam in aliis casibus, quis censendus sit irregularis?

Et quid in dubio homicidii justi commissi, vt in bello justo?

Et infertur dubium, an mutilaverit, non esse irregularem. Ex p.4. tract.2. Resol.52.

§.1. DE hoc casu alibi pauca diximus, & ad illum affirmativè respondet Hurtado *disp.1. de irregular.diffic.4.num.15.* & ante illum Vasquez *in 2. disputat.66. cap.1.* & Turrianus *de censuris libr.8. disputat.57. dubit.5.* Ratio est, quia aliàs sic dubius temerè se exponeret periculo faciendi contra prohibitionem irregularitatis, quod efficaciter deducitur ex *cap. ad audientiam, & cap. significasti, de homicidio*, in quibus generaliter traditur doctrina pro omni puro dubio facti, quia in eis non traditur ratio aliqua peculiaris & propria dubii homicidii, sed generaliter omnibus dubiis, (excepto dubio in materia justitiæ) quia in illis capitibus non dicitur in dubio homicidii abstinendum esse à ministerio Altaris, quia in dubiis tutiorem semitam debeamus eligere, ubi exponendum est quod dicitur *debeamus*, quo denotatur tunc non imponi à Pontifice peculiarem aliquam obligationem pro casu homicidii, sed obligationem generaliter in dubio cujuscumque facti aliunde provenire, ex lege videlicet, aut ex præcepto, cujus transgressioni dubius se temerè exponit. Hæc Hurtado, & ideo Turrianus ait quòd in supradictis juribus interrogatus Pontifex non condidit novum jus, sed declaravit obligationem juris naturalis nam circa factum non debebat statuere legem, sed pro futuro. Item quia reddidit rationem suæ regulæ, nempe quia in dubiis tutior pars est eligenda, quæ ratio ineptè subjungeretur si esset falsa, & non contineret doctrinam universalem.

Sup. hoc in Ref. seq. §.1. sed lege eam per tot. & in Ref. 2. post seq. & inf. lege doctrinã Ref. 119. per tot. & signãter § penult. & in Ref. 1. post seq. & inf. lege doctrinã Ref. 119. per tot. & signãter § penult.

2. Verùm his non obstantibus communiter contrariam sententiam docent DD. nempe in solo homicidio quem censeri irregularem in dubio facti, secus autem in aliis casibus. Ita Malderus 1.2. *D. Thom. quæst.19. art.5. disputat.87. dub.8.* Alphons. de Leone *tractat. de offic. & potest. confess. tom.1. recollect.17. num.68* Suarez *de censur. disput.40.sect.6.* Henriquez *lib.14. cap.13.num.4.* Avila *p.7. disp.2.dub.5.concluſ.2.* Sanch. *tom.1. lib.1.cap.10. num.48.* Layman *lib.1. tractat.1.cap.5.§.4. num.3.* Coninch *de Sacram. disput.18. dub.2. numero 22.* Salas *in 1.2.quæst.21. tract.8. disputat.1.sect.18.num.168.* & alii penes ipsos. Prima pars nostræ

nostræ conclusionis probatur ex dictis *cap. ad audientiam, & cap. significasti.* Secunda pars probatur, quia omnia clamant in casu dubio neminem esse puniendum, eo quòd in dubiis melior sit conditio possidentis; ad rationes verò superiùs adductas respondet Suarez & alii *ubi supra.* Ex his infertur contra Henriquez *lib.14.cap.3. num.4.* dubium an mutilaverit non esse irregularem, cùm jura, vt dictum est, in solo dubio homicidii hanc irregularitatem statuerint, non sunt extendenda ad dubium facti mutilationis. Ita Sanchez *tom.1. lib.1. cap.10. num.49.* & alii. Deinde ex his sequitur quòd in dubio juris quis non sit censendus irregularis, quando videlicet non constat irregularitatem aliquam esse à jure statutam, quod clarè probatur *ex cap. is qui de sentent. excommunic. in 6.* ubi dicitur irregularitatem non incurri, nisi quando est expressa in jure: at quando jus est dubium, non dicitur esse expressa in jure. Ergo, & ita docent DD. cit. *ubi supra.*

3. Non reticeam tamen hîc adnotare aliquos asserere etiam in dubio facti homicidii neminem se irregularem gerere debere, & ad *cap. audientiam*, respondent procedere quando homicidium, vt verisimilius sit fuisse perpetratum, idque sic videri declaratum, ab Innocent. III. *cap. significasti 2. ad fin.* & hanc sententiam non esse improbabilem, docet ipsemet Suarez *de censur. disp.40. sect.6. num.70.* & post illum Salas *in 1.2. tom.1. quæst.21. tr.8. disp.1. sect.6. num.70.* Alphonsus de Leone *tr. de potest. confessor. tom.1. recollect.17. num.57.* & Rebellius *part.2. lib.1. quæst.3. sect.2. num.13.* asserens quosdam recentiores ita sentire; sed non est recedendum à contraria sententia, nisi in dubio homicidii justè commissi, vt in bello justo, nam in hoc casu dubitantem, vt suprà diximus, puto non esse irregularem, quia *in cap. ad audientiam, & in cap. significasti*, sermo est in dubio facti homicidii; occisio autem injusta non venit sub nomine homicidii. Ergo, &c.

RESOL. CIV.

An in dubio facti censendus sit quis irregularis, si agatur de homicidio? Ex p.8. tr.7. & Misc. Resol.6.

§.1. CVm communi sententia Doctorum, affirmativam sententiam docui *in parte 4. tr.2. resol.52.* Sed novissimè (attendas quæso, amice Lector) negativæ sententiæ adhæret Ioannes Escobar *tract. de utroque foro, art.1. num.74.* ubi sic ait: Ego verò, vt veritas noviter appareat præter omnes, quos viderim contendo, nullum discrimen inter dubium circa homicidium, & inter dubium circa alias, præter homicidium, irregularitatis causas; nam quocumque casu dubium vertatur, excludi irregularitatem verissimum censeo; nusquam enim vidimus aliquem jure puniri ob delictum, nec ob causam dubiam; certum enim debet esse factum, vt putà homicidium, mutilatio &c. ob quod incurratur irregularitas; aliàs dubio facto manente, potest quis vti ea possessione, in qua ante factum dubium constitutus erat: quæ regula locum obtinet tam in foro sæculari, quàm in foro animæ, vti ex pluribus observat Sanchez *1. in Decal. d.c.10. n.11.* Bonacina *2. de peccatis, q.4. punct.7. num.13. vers. Iusta, & de restit. disp.1. q.2. punct.2. n.34. & seq.* Ioan. Sanch *select. disp.42.* quare dubio manente, an homicidium sit sequutum, nulla aderit irregularitas; quod etiam in cæteris causis irregularitatis servandum est, vt probabimus: sicut enim dubitans an damnum intulerit, vel homicidium commiserit, ad restitutionem non tenetur, quæ jure naturali & divino provenit, vt patet *Tob.2. 21. & Matth.22.21. & ad Roman 13.7.* multò minùs irregularitati subjicitur, quæ juris positivi est, licèt in hoc contrariam habeamus Henriquez *13. de irregular. cap.16. num.3.* maximè dum certum jus ita statuens, non apparet, sicut in specie proposita nullum extare asserimus, vt ex dicendis patebit.

2. Tota igitur difficultas manet in intellectu textus *in d. cap. ad audientiam. 12. cap. significasti 18. quod si discerni, cap. pen. extr. de homicid.* in quibus aliud constitutum videtur, & sunt fundamenta potiora contrariæ sententiæ.

3. Dicendum est igitur, textum *in d. cap. ad audientiam, 12. de homicid.* nec contra nos esse, nec probare communem opinionem suprà relatam, cùm in eo maneat certa mors famuli, certa culpa Præsbyteri, & certum vulnus contra quem est juris præsumptio, nempè mortem ex vulnere ab eo illato secutam fuisse, sequitur necessariò contra illum judicandum, non tam circa reatum homicidii, *leg. ita vulneratus 51. & leg. seqq. ad leg. Aquiliam, cap.2. de Cleric. percussore, cap. continebatur. 8. cap. significasti, el 2. 18. in ord. de homicid.* Ant Gom *3. var. cap.3. num.29.* Gail. *observat. 111. n.11.* & alii penes Farinacium *3. tom. de homicid. quæst.127. n.21. & 23.* Sed etiam circa incursam irregularitatem, de qua loquitur *d. cap. ad audientiam*, & DD. citati circa *suprà n.67. & seq. & num.71.* Quamvis vertatur dubium circumstantiam homicidii, nempè, an ex vulnere, vel ex infirmitate, vel ex incursu Medici, excessúve vulnerati mors fuerit secuta; nam certo vulnere extante, & morte vulnerati dubium incidens, non debet attendi, ne certum pro incerto omittatur; nec quidem omitti debet possessio, tam quæ est pro lege inducente hoc in casu irregularitatem, quàm quæ est pro mortuo, & tam ratione vulneris quam culpæ vulnerantis, ob quam cecidit vulneran à possessione innocentiæ suæ, & exercendi sacra, nec juvari ea poterit, habendo contra se occisum certum, & certam culpam, pro quo est tutior pars, & major verisimilitudo in eo, quòd mors obvenit ex vulnere, tam ratione periculosæ partis, nempè dorsi, ubi fuit vulnus, ex adductis à Farinacio *de pœna tempor. quæst.96. num.52. & 3. p. quæst.127. num.5.* quàm ratione infirmitatis, quæ potuit oriri occasione vulneris, & ita ratione utriusque mortem obvenisse, absque excusatione ulla ex parte vulnerantis, pro quo major verisimilitudo est, quàm ex contrario, & ita utraque facie adest certum factum homicidii, non dubium.

4. Nec quidem contrariam habemus text. *in dict. c. significasti 18. §. quod si discernit, eodem tit. de homicid.* In quo etiam habemus certum occisum ex certo vulnere, & à certo inflicto vulneranti, habemusque etiam certam ejus culpam, cùm cooperatus fuerit in occisione; & ita habemus etiam certum effectum, id est, irregularitatem ex certo facto, & certo jure procedentem, vt *in præmisso 1. n.77. dixi.* Dubium quidem circumstantiæ est, an ex hoc, an ex illo vulnere mors fuerit secuta, quod in considerationem non venit adversùs tot certitudines in principali, quod retulimus, & cùm omnes auxiliantes, sive cooperantes concurrerint ad vulnerandum, occidendum, &c. non in dubio, sed verè & evidenter, necesse est vt concurrant irregularitatem, & locum habent cæteræ rationes, de quibus *in præced. duobus numeris.*

5. Itidem eamdem responsionem admittit textus *in d.c. penult. de homicid.* in quo certò apparent plures occisi, certæ percussiones, certáque culpa ex parte Pelagii Præsbyteri, qui quosdam percussit, & remordebat eum conscientia de interfectione alicujus ex quaplurimis, & qui occisi extiterunt, quod sufficit ad incursum irregularitatis, vt patet ex *d.c. significasti*, & *ibi* communiter DD. & ex pluribus citatis per Bonac. 7.

de irregularit. quæst.4. punct.8. ex num 28. & per Farinacium *3.tom. quæst.130. de Consultor.num.10.& 11.* quod procedit, non velut in re dubia, sed in certa, cùm certæ fuerint nèces, & certæ percussiones, licèt dubia aliqua sit circumstantia, quæ vinceret, non debet certitudinem meri facti, quæ verè adest, & ita erit consultiùs abstinere, quam temerè, celebrare, vt textus idem subdit. Hucusque Escobar, cujus sententiam novissimè probabilem putat alius Escobar Societatis *in Theolog. moral. tract. 4. examen.6. capit.5. num.72.*

6. Sed ego non audeo discedere à negativa sententia communi, quam stylus Curiæ Datariæ & Pœnitentiariæ observat infallibiliter. Et ita hanc sententiam novissimè docet, me citato, doctus & amicissimus Pater Franciscus de Lugo *in princip. Theolog. moral. part.1. quæst. 27. numero 155. & quæst.26. num. 151.*

RESOL. CV.

An siquis manet dubius, an suum consilium influxerit ad homicidium factum, debeat se reputare irregularem?
Et in dicto casu, an standum sit dictis ipsius consulti, ita vt si dicat se motum non fuisse per consilium, consulens maneat liber ab irregularitate. Ex p. 4. tract.2. Resol.25.

Sup hoc in Res. seq & infra ex Res. 109. § Notate per totum & signantet ante medium, & in to.8. tr.5. Res.8.8.& in aliis ejus primæ not.

§ 1. AD hunc casum frequentissimum affirmativè respondet Præpositum *in 3. p. quæst.5. de irregul. dub.8. n.64.* Sed negativam sententiam tenet Henriquez *lib.13. cap.10. num.3. in glos. lit.D.* ubi sic ait. In dubio æquali post factam diligentiam potest practicè deponere dubium & scrupulum, reputans se excusatum ab irregularitate propter possessionem innocentiæ. Sic ille.

2. Verùm sententiam affirmativam tenet etiam Sanchez *tom.1. lib.1.cap.10 num.44.* Saytus *de cens.lib.7. cap.3.num.2.* Merolla *in disput. Theolog. m.1. cap.3. disp.3.num.251.* Tabiena & Avila *part.7.disp.6.sect.2. dub.2. concius.5.* ubi nota quòd si homicidium commissum si post multos dies, res manet dubia, an consilium influxerit. Sed quoad hoc, contrariam tenet Tabiena *ver. consilium, num.6.* ubi sic asserit. In dubio præsumitur delinquentem fuisse motum ex consilio, aliàs non fuisset facturus, & etiam si stetitisset per multos dies pòst præsumitur quòd fecit propter illud consilium. Ita Tabiena. At cum Avila tenet Præpositus *loco citato*; tu ne discedas à sententia affirmativa, quam præter Doctores citatos tenet etiam Petrus Cornejo *in 3. part. tract.5. de irregularitate disp.1. dubit.2.* ubi tamen, & optimè advertit quòd in tali casu standum est dictis ipsius consulti, ita vt si dicat se motum non fuisse per consilium liber manet consulens ab irregularitate.

Sup. hoc in Res.1. not. præteritæ, §. Respondetur, & in Res. 2. in eodem §. & in Res. 3. §. Sedem &c.

RESOL. CVI.

An dubius, si mandatum suum, aut consilium influxerit, in homicidium, debeat se irregularem existimare?
Et docetur non esse irregularem, qui non potuit dissuadere fœminæ abortum, cujus consilium ipse prius author fuerat. Ex part. 11. tractatus 6. & Misc. 6. Resol. 42.

Sup hoc in Res. præterita & in aliis ejus primæ not.

§.1. NEgativè contra me, & alios respondet ex Henriquez novissimè Pater Gibalinus *de irregul.cap.4.q.1.consult.11.num.32.* ubi sic ait; Nego in utroque illo dubio contrahi irregularitatem: quare poterit Consiliarius iste deponere dubium practicum, atque sacra more solito peragere; quod evidenter sequitur ex regula universali à nobis stabilita consectario tertio, diximus enim in dubio facti contrahi irregularitatem in solo homicidio ex peculiari juris dispositione, quæ neque in aliis irregularitatibus valet, neq; nisi in casibus à jure expressis, atque in jure nunquam habetur in dubio, an consilium influxerit in homicidium, contrahi irregularitatem, nam loca omnia, quæ tribuunt hanc irregularitatem consilio, supponunt vi illius positum fuisse effectum: de dubio autem an ex illo consilio fuerit secuta cædes nihil planè definiunt; quare relinquunt juri communi quod in dubio facti irregularitatem contrahi non vult, nisi in quibusdam casibus ab ipsomet expressis *cap. audientiam, & c. significasti 2. de homicidio.* Fateor quidem in hoc dubio præsumi consilium fuisse operatum, vt cum Covar. *diximus lib. de censur. cap.5. §.3. num.21.* Quare ex ea præsumptione damnabitur tanquam irregularis iste Consiliarius non ratione dubi homicidii, sed certi, & constantis ex ea præsumptione, cui definitioni non tenebitur se aptare forum internum quod ducitur rei veritate, & non sola præsumptione quam sequi sæpius cogitur forum externum. Hucusque Gibalinus; & si hæc sententia est probabilis à multis scrupulis plures immunes erunt.

2. Sed ego non recedo à sententia, quam olim docui & docet præter alios doctus Magister Cornejo *in ref. cit. 3. part.tract.15. de irregul. disp.1. dub.2. fol.774. n.3.* ubi sic ait; Sed quid si consulens dubitet an ad hoc consilium præstitum hoc homicidium sit commissum, nec ne? Docet

3. Respondetur standum dictis ipsius consulti, ita vt si dicat se motum non fuisse per consilium, neque ad substantiam, neque ad circumstantiam homicidii, liber manet consulens ab irregularitate; ita Sayr. *lib. 6. c.2.* quod si hoc non possit ab eo sciri, utendum est prudentibus conjecturis, si omnibus pensatis existimetur consilium non concurrisse ad tale homicidium, consulens non erit irregularis si tamen omnibus inspectis dubium manet, irregularis est censendus; tum propter supradicta in dubio de homicidio, tum etiam quia in dubio præsumendum est, quod alter non committeret delictum, nisi instigantur consilio, *lege merito ff. pro socio.* Ita Cornejo, cui adde Castrum Palaum *tom.7. disp.6.punct.15.§.2. num.3.* & alios penes ipsum. Sup. hoc in Res. seq. & in aliis ejus primæ not.

4. Verùm circa præsentem difficultatem doctissimus, & amicissimus Barbi *de conscient. disp 6. c.7. §.8. num.3 & 4.* & Sanchez; Merolla distinguit; Dico igitur primò; si constat de homicidio jam peracto, & dubitato solùm versetur, an consilium præstitum habuerit influxum aliquem in delictum, quia præsumptio est contra consulentem ipsum, deberet enim probare homicidium vi sui consilii minimè illatum fuisse, quod in quibusdam circumstantiis, hoc est, ex assertione occidentis admiculata aliis conjecturis, poterit probari, si autem hoc non probetur, jus præsumit, quod si consilium datum non fuisset, homicidium illud minimè commissum fuisset: neque præsumptio ista censebitur temeraria; quoniam ex una parte habemus effectum, videlicet homicidium; & ex alia causa habemus causam sufficientem applicatam fuisse, nempe consilium præstitum, ideirco nisi oppositum appareat, censendum erit homicidium vi præstiti consilii secutum fuisse. Tunc veram censeo nodictam sententiam affirmativam; quia dicit secundò si dubium de influxu consilii emergat non constante de delicto, ideſt de homicidio, admittendum esse judicio priorem sententiam, quia cùm crimen non probatur præsumptio est pro reo, nempe pro consulente; ideoque non debet irregularem se existimare.

existimare. Et quidem omnes istæ tres sententiæ probabiles esse existimo.

5. Nota etiam hic obiter, Gibalinum *ubi suprà consectar. 11. num. 33.* & Henriquez docere etiam contra me, non esse irregularem, qui non potuit dissuadere fœminæ abortum, cujus ipse prius auctor fuerat, nam ait ipse, causa dicti abortus tunc causa est sola malitia ejus fœminæ, non consilium ipsi datum, quod revocatum est, & impeditum ne fieret; cum enim sit causa moralis, & non physica; activitas impediri potest; nam revocatio consilij impedit irregularitatem. Sed nostram sententiam sustinet etiam Palaus *ubi suprà num.* 4. & Cornejo *loco citato*, Gibalini tamen, & Henriquez opinio sua non caret probabilitate.

RESOL. CVII.

Quidam consilium dedit cuidam, qui jam determinatus erat Petrum occidere, sed ex dicto consilio citius occidit, quæritur, an incurrerit irregularitatem?

Et infertur non incidere in casum reservatum, si quis dedit consilium ad homicidium alicui parato homicidium facere, licet ex illo consilio postea libentius, & citius homicidium commiserit. Ex par. 8. tract. 7. & Misc. Resol. 92.

§. 1. REspondent aliqui negativè, nam, ut ex consilio circa alicujus necem quis incurrat irregularitatem, aliquæ conditiones sunt necessariæ.

2. *Prima*, ut homicidium verè consilio imputetur, hoc est, ut ejus fiat, nam si is, cui consilium tribuitur, non ab eo ad faciendam cædem, sed impellatur aliunde, hoc est, ab insito sibi in interfectum odio, vel alia quapiam causa simili, erit ab irregularitate liber consulens. Portelius *n.* 12.

3. *Secunda conditio* est in eo, ut qui consilium recipit, antea per se ipse, de necando homine consilia minimè cæperit, nam id sibi constitutum si fuisset, certúmque, ab hac pœna immunis foret, Hurtado *de regul. disp. 2. diffic. 6. n. 20.*

4. Causa est, quòd tunc non sit consulens homicidij, quoad substantiam, vera causa, quam in sententiam juere D. Antonin. *part. 1. cap. 1. tit. 12. §. 12.* Lessius *lib. de Iustit. cap. 13. dub. 2. num. 6.* non eum ergo irregularitas, quæ homicidij facti est, pœna afficit.

5. At habet (inquies) à consulente interfecto, ut hæc sit numero, non illa, aut alia, deinde ut citiùs, ut inhumaniùs, ac crudeliùs illata fuerit, est ei; ergo ut causæ imputanda, non alteri.

6. Antecedente concesso, neganda est consequentia, ejus non admittenda est hæc causa, quòd etsi consulens causa tunc sit distincti numero actus, non tamen in homicidium, quoad substantiam, influat, sed quoad modum dumtaxat, si qui sibi dari consilium patitur, ita erat animo comparatus, affectusque ante illud auditum, ac receptum, ut ipse sine illo rem consecuturus esset. Et hæc omnia docet etiam Baunius *in Theol. mor. par. tract. 11. q. 27.* Confirmantur supradicta ex doctrina Lupi *de cas. reserv. p. 2. cas. 8. num. 12.* & Mazuchelli *disp. 2. cap. 18. q. 2. num. 37.* asserentium non incidere in casum reservatum si quis dedit consilium ad homicidium alicui parato homicidium facere, licet ex illo consilio postea libentiùs, & citiùs homicidium commiserit.

RESOL. CVIII.

An detur parvitas materiæ excusans ab incursione irregularitatis propter accelerationem homicidij ex delicto.

Et notatur, quod qui alium inebriat non est irregularis, quamvis ille deinde ebrius alium occidat, aut mutilet, nisi prævideat illud periculum. Ex p. 11. tr. 6. & Misc. 6. Resol. 49.

Sup. hoc in Resol. præterita & lege doctrinam Resol. seq.

§. 1. QVis v. g. erat jam firmatus occidere Petrum nocte sequenti. Palaus verò fuit causa, ut citius tale homicidium committeret Petrus, quæritur an incurrerit in irregularitatem? Hunc casum invenio pertractatum à docto Gaspare Hurtado Societatis Iesu *de just. & jure disp. 3. diffic. 7.* ubi me citato sic asserit: Est ergo difficultas, an si executor damni, illud absolutè illaturus, v. g. occisurus Petrum, ut furaturus rem aliquam absque aliqua cooperatione ex dictis sex, non tamen eodem modo, quia cooperatio conduxit, ut citius fieret ab executore, vel facilius, vel crudelius, vel animosius, vel alacrius, an tunc sic cooperans positivè aliquo modo ex sex dictis teneatur ad restitutionem damni executioni mandati?

2. Cajet. *quæst. 62.* Sot. *lib. 4. q. 7. art. 3.* Petrus Navar. *lib. 3. cap. 4.* Vasquez *cap. 9. §. 1. dub. 1.* & Bonacina *disputat. 1. quæst. 2. punct. 7.* partem affirmativam tuentur (quæ etiam aliquando mihi arrisit) quia tunc verè cooperatur aliquomodo ad damnum, imò aliquando ad actum damnificationis numero distinctum.

3. Adrianus verò *in 4. quæst. 2. de rest.* Anton. 2. *p. tit. 2. c. 12. §. 12.* Lessius *c. 13. dub. 2.* Becan. *de rest. q. 35.* Layman *lib. 3. tract. 2. cap. 5.* & Diana *tract. 5. res. 84.* partem negativam tradunt, & merito, quia tunc cooperator non censetur moraliter causa substantiæ damni, seu cooperator ad damnum quoad substantiam, quia quoad eam etiam absque ea executor erat, verbi gratia occisurus eandem personam, aut furaturus centum ejusdem personæ, sed tantum censetur cooperari ad damnum, vel quoad modum, vel quoad circumstantiam, vel quoad hunc actum numero distinctum: imo quoad alium modum, vel quoad aliam circumstantiam, etiam fieret ab ipso executore absque dicta cooperatione, ex quo constat ad rationem adversariorum.

Quæ nunc est in tom. 8. tr. 7. Resol. 27. signanter §. Notandum est etiam, & in aliis ejus not.

4. Et ob eandem rationem, qui nullo modo ex se dictis censetur cooperari ad homicidium quoad substantiam, quia scilicet etiam erat committendum ab executore absque cooperatione illius non incurrit irregularitatem, ut dicimus *tract. de irreg. d. 1. diffic. 6.* quia scilicet tunc moraliter non censetur cooperari ad homicidium, quoad substantiam: qui est verum, quamvis sit causa, ut homicidium fiat citius, si parum citius fiat nempè duabus horis antea, quia brevis acceleratio mortis moraliter non censetur homicidium saltem respectu mediatè cooperantis: bene tamen censetur, quando acceleratio est notabilis, nempè, viginti, & quatuor horis antea, & ideò tunc cooperans ad eam notabilem celeritatem fit irregularis.

5. Sed non gravabor hìc apponere verba Caspensis *in Cur. Theol. tom. 2. tract. 18. disp. 1. sect. 9. §. 2. num. 98.* ubi sic ait: Sed quid si Petrus sit paratissimus occidere Ioannem die Iovis, & Franciscus roget, & instet ut occidat illum die Martis, tenebitur ne Franciscus restituere sicut Petrus? Affirmant Doctores secundæ sententiæ, quia sunt causæ totius actionis, ut hic & nunc exercetur: neque potest esse causa accidentium mortis, qui non sit etiam causa substantiæ ipsius mortis. Censeo tamen cum eodem Lessio non teneri Franciscum restituere damna illata ex substantia mortis Ioannis, sed tantum illa damna, quæ nata sunt ex anticipatione mortis illius. Ratio est, quia quod est causa ut differatur mors alicujus per tres dies,

non est causa substantiæ mortis, licèt hîc, & nunc sit causa illius. Et confirmatur, quia si quis occidat eum, qui justè damnatus erat ad mortem, quam erat certò, subiturus; non tenetur restituere nisi damna, quæ ex anticipatione mortis damnati orta sunt. Idem est in nostro casu: ergo, &c.

6. Nota hic obiter, quod qui alium inebriavit non est irregularis, quamvis ille deinde ebrius alium occidat, aut mutilet, nisi prævideat illud periculum, idque evitare neglexerit, quia ebrietas ex natura rei non est causa proxima occisionis: quare ad illam non influit nisi admodum remotè, & per accidens, qui vino ebriũ reddidit contra Vgolin. qui *c.18. §.2. n.3.* istum adeò damnat irregularitatis, quia rem illicitam fecit, & hunc eventum possibilem esse cogitare debuit, verùm actio illicita nihil facit hoc loco, sed connexio actionis positæ cum sequenti occisione, sive actio licita, sive illicita fuerit; hic autem, cùm non sit connexio necessaria inter ebrietatem, & cædem, non debuit illa prævideri, ut futura, neque enim satis est si possibilis sit ut obligemur ad eam prævidendam, nisi frequenter, & ordinariè accidat. Item negandum est contra dictum Vgolinum.

RESOL. CIX.

An si Paulus consulat, quod homicidium, quod Petrus vult hodie committere, cras committat, sit irregularis?

Et sequitur in eventibus in quibus non pecco suadendo, neque teneor ad restitutionem.

Et notatur, quod irregularis es, si consulas, tuisque rationibus persuadeas homicidium, vel mutilationem, debet tamen consilium influere, alias non eris illius causa.

Sed si dubius es, an consilium influxerit, teneris te irregularem reputare.

Et an Clericus incurrat irregularitatem, si existens in exercitu det consilium propinquum, hortetur que non solum ad fortiter agendum, sed ad occidendum, modo non hortetur, ut occidat hunc hostem in particulari?

Et docetur posse Clericum esse à Consiliis rerum bellicarum, sed cum aliquibus circumstantiis.

Et quid de vendentibus, aut donantibus arma etiam offensiva in ipso conflictu belli?

Et quid de Clericis in bello justo pugnantibus, & percutientibus, dummodo aliquem non occidant, aut deformem, an sint irregulares. Ex p.11. tract.8. & Misc.8. Res. 42.

§.1. VIdetur respondendum affirmativè ex doctrina, quam adducit Pater Vasq *opusc. de scandalo, art.1 dub.3.* ubi quærit: Vtrùm liceat invitare ad actum peccati, qui jam paratus esset illud, aut simile peccatum committere; ait enim *n.18.* ab omnibus censeri homicidam, & irregularem, quicunque ille sit, qui hominem paratum occidere invitat ad occidendum in hoc loco, & in hoc tempore, etiam eandem personam, quam occisurus erat; quia hoc ipso, quod consilio suo variatur tempus, & locus variatur etiam substantia homicidij; nam aliud homicidium est, quod hic, & nunc committitur, quàm homicidium, quod in alio loco, & tempore committeretur. Et in universum, inquit, omnes cooperatores alicujus damni, obligantur ad restitutionem, & rei sunt peccati, quotiescumque consilio suo fuere causa, damnum, quòd alias inferendum erat, citius, aut velocius, aut alio loco, committatur; quia variato quocumque modo, variatur substantia operationis; & hanc dicit esse communem doctrinam Doctorum omnium in materia de restitutione, & irregularitate.

2. Sed ingeniosus Pater Ferrantius contrariam sententiam tenet *disp.1. de scandalo, q.60. num.30.* ubi sic ait: Respondeo directè concedendo illum censeri homicidam, & irregularem, qui hominem paratum occidere, invitat absolutè ad occidendum in uno loco, aut tempore potius, quàm in alio, etiam eandem personam; non verò si conditionate, & ex suppositione prædicta, cæterisque existentibus debitis circumstantiis, ut scilicet justa adsit causa motiva invitandi, &c. Nullibi enim expressè habetur talis irregularitas; & alioqui *in c.15. qui de sent. excomm.* decernitur, ut quoties in jure non sit expressa talis pœna, per similitudinem rationis non deducatur ex simili casu: quod tamen intelligendum est, inquit Vasquez, ut si facto sufficienti examine, in jure non inveniatur expressa, non censeatur, ullo modo imposita talis pœna.

3. Afferamus aliquod exemplum ad clarius explicandam responsionem allatam. Petrus v.g. hodie est occisurus Paulum, Ego licitè suadeo, cùm aliter impedire non possim, ut potius cras, vel in alio loco distantiori occidat, ut hac ratione diutius protrahatur, & fortè simpliciter servetur vita Pauli. Item occisurus est in mea domo; & ego suadeo ad vitandum proprium meum damnum, ut potius alibi occidat, imò in casu, quo ex mea persuasione sit protrahenda vita Pauli, & adsit spes, quod simpliciter servabitur, existimo adesse obligationem ad ita suadendum, si non possit mors aliter impediri; Quia cum id facilè possim, & alioqui proximus in tanta sit necessitate, teneor ei opem ferre tali consilio, ac suasione licita.

4. Dices: Ex vi talis consilij, Petrus magis peccabit, quàm si statim occidat Paulum, quia toto illo spatio temporis longioris millies renovabit malam voluntatem occidendi. Respondeo. Ex vi mei consilij non sequi hujusmodi renovationem voluntatis occidendi, sed solùm executionem ipsam homicidij, quæ perinde fuisset secutura sine meo consilio. Quod si de facto ex meo consilio Petrus arripiat occasionem toties peccandi per renovationem malæ voluntatis, id oritur ex sua libertate, & malitia, quod ego cum habeam justam causam non impediendi, non teneor impedire.

5. Ex his sequitur, quod quando in dictis eventibus non pecco suadendo, neque teneat ad restitutionem, &c. Hucusque Pater Ferrantius; qui ego libenter adhæreo; & quidem in casibus supradictis Petrus non fuit motus ad homicidium faciendum ex consilio Pauli neque citius, neque animosius, &c. Ergo nullam irregularitatem incurrisse dicendum est, per ea quæ observat Ioannes Præpositus *in 3.part. Div. Thomæ quæst.5. de irregular. dub.8. num.64.*

6. Notare tamen hic obiter debes, quod irregularis es si consulas, tuisque rationibus persuadeas homicidium, vel mutilationem, *cap. si quis viduam 30. dist. cap. sicut dignum, §. Qui verò 3 & §. ultim. de homicidis*: debet tamen consilium in effectum influere, Quare aliàs non eris illius causa. Sicuti notavit Villadiego *de irregular. cap.6. numero 20.* Covarruvias *Clementin. si furiosus 2. part. §.2. numer. 1.* Suarez *disput.44 sect.1. numero 10.* Avila *7. part. disputat.6. sect.2. dubit.3.* Bonacin. *disputat.7. quæst.4. punct.8. numero 19.* & *sequentibus*, & alij apud ipsos. Consilium censetur operari in homicidium, sed mutilationem quoties homicidium, vel mutilatio ex consilio processit, vel processit facilius, citius, aut crudelius. Sicuti adnotarunt Vgolinus *de irregularit. cap.16. §.1. num.* Toler. *lib.1. cap.81.* Bonacin. *supra.* Avila *concluſ.4.* sed

sed in casu dubio, an consilium in effectum influxerit, illiusque fuerit causa inquit Avila *conclus.* 5. Henriquez *lib.* 4. *c.* 16. *num.* 3. Sayr. *de censur. tom.* 1. *l.* 7. *c.* 3. *num.* 2. Thomas Sanchez *lib.* 2. *de matrim. disputat.* 41. *num.* 17. *& lib.* 1. *in Decalog. cap.* 10. *num.* 42. *in fine*, ab ipsomet consulto, & ex aliis conjecturis colligendum esse. Sic enim homicida inimicus erat capitalis occisi, vel etiam mortem ante datum consilium minatus fuerat, vel necessaria ad patrandum delictum præparaverat, aut interfectus processerat etiam justè adversus interfectorem in causa criminali testificando, denunciando, vel accusando, seu instigando alium, sufficiens causa est, ut judicetur consilium tuum nullius efficacitatis fuisse; item si ipse consultus asserat se non esse motum à tuo consilio ad patrandum delictum, neque quoad substantiam, neque quoad modum, libet eris ab irregularitate, secus si contrarium testetur. Debet tamen esse vir, cui merito possit fides adhiberi, ut inquit Sanchez *l.* 1. *in Decalog. cap.* 10. *num.* 44. Si autem omnibus pensatis dubius es, an consilium influxerit, teneris te irregularem reputare, quia semper præsumendum est consilium operari, dum contrarium non probatur, quippe est causa de se efficax, & motiva voluntatis. Vt notavit Covarruv. *dicta* 2. *par.* §. 2. *num.* 2. *vers. in eo vero casu.* Avila, & Sanchez *loc. allegat.* Quamvis contra sentiat Henriquez *lib.* 14. *cap.* 14. *num.* 3. *& cap.* 16. *num.* 3. in Glossa *litt. D.* & Gibalinus *de irregularit. capite* 4. *quæst.* 1. *consect.* 11. *num.* 31.

7. Et tandem non deseram hic apponere casum de quo per litteras his diebus ex Germania interrogatus fui, an Clericus incurrat irregularitatem si existens in exercitu det causam propinquam, horteturque non solùm ad fortiter agendum, sed etiam ad occidendum; respondi negativè, quia relaxatum est jus commune decernens eam irregularitatem. Et deducitur *ex cap Petitio tua, de homicidio*, ab absurdoque probatur: nam aliàs omnes laici, qui innumeri sunt, pugnantes in bello justo, non occidentes, nec mutilantes hostem, manerent irregulares, quod nec praxis probat, nec ratio, at hi laici etiam hortantur sæ invicem, quod moraliter semper contingit; ergo in bello justo ex hortatu ad pugnam, & occasionem non contrahitur irregularitas. Quod si à laicis contrahitur, nec à Clericis contrahitur; in hoc enim pares sunt, licet sint dispares in eo, quod laicos non dedecet propria manu pugnare, sicut Clericus, nisi in urgentissimo casu ex præscripto Pontificis.

8. Limitant hoc assertum Pater Avila, & Henriquez quod non liceat Clerico hortari in bello militem, ut occidat hunc hostem in particulari, quia hæc est intentio multum specialis homicidij. Sed inconsequenter philosophantur, nam si semel concedatur, non incurri à Clerico irregularitatem, etiamsi hortetur ad homicidium, & sit causa moralis illius in communi sumptu (quod esset sufficiens causa incurrendæ irregularitatis, nisi esset relaxatum, aut dispensatum jus inducens illam, quoad bellum justum) cur incurret, etiamsi sit causa moralis homicidij in particulari. Et cur quoad hoc non erit jus relaxatum, aut dispensatum, cùm Pontifices non distinxerint, nec restrictionem apposuerint: Nec video eam intentionem specialem magis dedecere Clericum quam communem, cùm potiùs hæc in plura homicidia feratur, ideoque videatur potiùs à lenitate deficere. Quare hæc limitatio rejicienda est.

9. Ita doctus Pater Mendo *in Bull. Cruciat. disp.* 10. *cap.* 2. *num.* 18. qui etiam *num.* 20. subdit posse Clericum esse à consiliis rerum bellicarum, dum tamen non assistat judicio, si quando est ferendum pœna capitalis, aut mutilationis alicujus delinquentis puniendi, qui non sit hostis in ipso prælio deturbandus. Infertur secundò vendentes, aut donantes arma etiam offensiva ad bellum, licet in ipso conflictu illa suppediterint, indeque occisio sequatur, non manere irregulares, quia jus noluit pugnantes in bello justo, nisi occidant, aut mutilent, incurrere irregularitatem, quare eam non incurrent Clerici, qui actu præliantibus suppeditant missilia, hastas, aut similia; quantumvis ratione indecentiæ, si necessitas absit, non debeant hoc præstare; imo prohibitum illis esse censeo, argumento textus *in cap. sententiam, super relato.* Si tamen in bello justo id facerent, imò & propria manu pugnarent, & percuterent, dum non occiderent, aut deformarent, non manerent irregulares, ergo peccarent. Hæc omnia Mendo, quæ sunt valdè notanda, quia non passim obvia.

Sup. hoc sup. in Resol. 97. & in fin. Resol. 109.

Sup. hoc in Resol. 1. not. præteritæ circa finem.

Sup. hoc seq. sup. in Resol. 95. §. alt. & in aliis ejus not.

RESOL. CX.

Si quis consilio Petri aufugit in quadam obsidione à Castris, qui captus postea suspensus fuit, quæritur, an Petrus incurrerit irregularitatem?

Et ex doctrina hujus difficultatis alij casus inferuntur ad incurrendam, vel non incurrendam irregularitatem in illis ex consilio. Ex part. 7. tract. 10. & Misc. 1. Resol. 30.

§. 1. REspondeo negativè cum Caspensi *in Curs. Theol. tom.* 2. *tract.* 25. *sect.* 8. *num* 38. ubi plures casus benignè explicat, quoad contractionem irregularitatis, ideo apponam ejus verba, sic itaque assetit. * Infertur eum qui non impedit homicidium, quod ex justitia tenetur impedire, non incurrere irregularitatem, etiamsi ex dolo non impediat. Ratio est, quia licèt ista causa sit moralis, seu voluntaria homicidij, quod non impedit, & consequenter influat moraliter, & voluntariè in illud; nihilominus non est causa positiva influens positivè, vel opere aliquo, vel auxilio, vel consilio; & in jure hæc irregularitas non fertur, nisi contra verè, & positivè homicidas, saltem consilio, aut animatione, non verò contra non impedientes; & ob eam rationem, qui sciens non contradicit volentibus alium occidere in vindictam injuriæ, ei illatæ, non incurrit irregularitatem: neque Sacerdos qui sciens mulierem prægnantem à se redditam, abortum procurare, illam impedire non studet; quia in his casibus permittentes homicidium, sed non impedientes non influunt positivè, & à fortiori non est irregularis, qui alteri suadet furtum, cui scit impendere supplicium mortis, quia non peccaret contra justitiam circa mortem inferendam latroni, sed contra fortitudinem, quia consulit illi quando, & quomodo non oportet, ut se exponat periculo vitæ; Ita Vasquez 1. 2. *disp.* 100. *art.* 8. *dub.* 5. & reddit rationem, quia hoc modo non est causa homicidij positivè influens, sed tantùm peccat contra formitudinem, suadendo illi, ut se offerat periculo vitæ sine causa; nec is dicitur homicida per se, & propriè in jure ad effectum irregularitatis. Idem est de consulente alteri in bello fugam, cui est annexa pœna mortis, quamvis sciret fugientem exponere se periculo capturæ, & etiam de consulente alteri, ut fugiat à carcere, à quo sub pœna mortis fugere non potest, vel ut effringat carcerem, qui effractioni esset imposita pœna mortis, & juxta hæc possunt resolvi plures casus. Hucusque Caspensis, sed recognosce meipsum *in tract. de irregul. opposito in* 4. *p.*

* Sup. hoc inf. in Resol. 133. latè, & in tom. 3. tr. 3. Resol. 37. à lin. 1.

Sup. hoc inf. in Resol. 134. & in aliis ejus primæ not.

RESOL. CXI.

Ex Gallia per litteras interrogatus fui de hoc casu. An Titius

Titius contraxerit irregularitatem, dum consuluit Petro, qui ad duellum vocaret Paulum, si Paulus postea interfecit, in duello Petrum?

Et potatur, quod qui assistunt homicidæ, si faciliorem faciant occisionem sua præsentia, etiamsi nihil aliud conferant, sunt irregulares.

Et quid, si Pater, filius, consanguineus, aut etiam intimus amicus, qui alterum committantur, an incurrant irregularitatem, ex occisione adversarij?

Et docetur adulterum, aut fornicatorem, qui dum immoderata copula, cum muliere prægnante coit, illique abortum fœtus animati causat, irregularem fieri, non verò maritum si id faciat.

Et an qui fœminam ad se venire jubet per tecta, aliave loca periculosa, unde imprudens mortem sibi conscivit, aut si prægnans erat, fœtum excussit, sit irregularis? Ex parte 11. tractatu 6. & Misc. 6. Resol. 43.

Sup. hoc in Ref. seq. & ne prætermittas legere doctr. ref. ejus annotationum.

§. 1. NEgativè satis probabiliter respondi, & ad Gallum interrogantem, Gallum alium respondentem adduxi, nempe Patrem Gibalinum *de irregularit. cap. 4. q. 2. conjectar. 7. num.* 18. & ratio est, quia iste mandans, & consulens est causa moralis cædis mandatarij, & consultarij, quamvis enim suo mandato & consilio non intenderit, eam tamen indirectè voluit, cùm ejus periculo imprudenter exponere voluit, hunc mandatarium, & consultarium, quare illud homicidium non erit respectu consulentis prorsus casuale, sed indirectè voluntarium. Quare ita docent Suar. *disp. 44. sect. 3. num.* 18. qui contrariam, neque speculativè, neque practicè sequendam dicit. Villalob. *tract. 21. diffic. 20. num.* 10. Avil. 7. *p. disp. 6. sect. 2. dub. 5. con. 4.* Sayr. *lib. 7. cap. 3. n. 3.* Vgolin *c. 16. §. 8.* Molin. *tract. 3. disp. 32. n. 2.* Covar. 2. *part. §. 2. n. 1. vers. quod si ex pravo.* Qui omnes ferè Summistas, & Canonistas in hanc rem laudant, ut videbis apud Sayr. quod intelligendum tamen aliqui volunt si mandans, & consulens prævidere debuit periculum illius occisionis mandatarij. Quod etiam confirmatur ex eo quod qui exponit se periculo mortis absque rationabili causa verè homicida est sui ipsius si occidatur, qui igitur consulit, aut mandat alicui, ut ejusmodi discrimini, se objiciat, consulit, aut mandat homicidium; quare si contingat, verè homicida fuerit, atque adeo irregularis.

2. Respondetur nihilominus nullam hoc loco contrahi irregularitatem à mandante, aut consulente. Ita viri docti apud Suar. Henriquez *lib. 14. c. 16. n. 1.* Speculator *titulo de dispens. §. juxta n.* 43. Turrian. *l. 6. de cens. disp. 63. dub. 4.* Hurtad. *disp. 2. de irregul. diffic. 6. n. 22.* Præpositus *q. 5. de irregul. dub. 10. n. 78.* Vasq. *disp. 100. n. 45. 1. 2.* Neque dicit improbabilem Bonacin. *disp. 7. q. 4. punct. 7. n. 17.*

3. Ratio mihi perspicua videtur, quia nullibi imponitur irregularitas ob mandatum, aut consilium nisi quando quis mandat, aut consulit alicui, ut seipsum, vel aliunde occidat, & effectus illius mandati aut consilij ponitur: at verò qui mandat aut consulit Titio, ut Caium occidat, non mandat, ut Titius se ipsum occidat, quamvis mandet ut occidendo Caium exponat se periculo, ut occidatur à Caio; ergo etiamsi revera Titius, dum mandatum, aut consilium sibi datum exequitur, occidatur, mandans non erit irregularis. Major hujus argumenti patet expendenti jura quibus irregularitas ad mandantes, & consulentes extenditur, nam *cap. significasti 2. de homicid.* loquitur de eo cujus consilio, & mandato Parochiani processerunt contra latronem, *cap. autem sicut dignum §. Clericos eod. tit.* agit de Clericis qui consilium dederant, ut Cantuariensis Archiepiscopus caperetur, aut ejus captioni armati interfuerant. Denique *cap. fin. eod. tit. in 6.* Loquitur de mandante qui jusserat alium percuti, circa occasionem tamen, & mutilationem, qui tamen reus homicidij atque mutilationis factæ à mandatario fines mandati excedente dicitur, atque adeò irregularis, eò quod debuerit cogitare id evenire posse, atque ita in culpa sit, quod non vitarat tale periculum: ex quibus omnibus evidenter colligitur, nunquam in jure homicidam quempiam dici, atque ea de causa irregularem ratione mandati aut consilij, nisi qui mandat, aut consulit alicui occidere se ipsum, aut alium quempiam. Iam verò qui alteri consulit, ut alium invadat etiam cum periculo suæ vitæ, aut ut quid difficile, cum magno discrimine ne ab aliquo interimatur aggrediatur, non consulit ipsi ut se ipsum occidat, neque causam proximam illius occisionis ponit quod inde probatur, quia iste, qui aggressus alium, ab illo occiditur, aut qui objicit caput suum gravi periculo, ne ab alio occidatur, non occidit seipsum, licèt simpudenter hoc periculum adeat peccet contra fortitudinem, aut propriam charitatem, non enim ponit causam proximam tendentem ex se ad homicidium, atque independenter ab aliena voluntate, uti necessarium esset, ut diceretur se ipsum occidere. Sicuti igitur qui offert se morti ab alio inferendæ non occidit seipsum, ita neque qui illi consulit occisionem sui ipsius, quare ratione illius consilij, licet contingat hunc consultarium ab illo occidi, minimè incurret iste Consiliarius irregularitatem ex homicidio, quia ut ait Vasquez, consilium traditum ei qui occiditur, & quod non tendit in mortem nisi ratione periculi, quod incautè aggreditur, non videtur in jure prohibitum sub pœna irregularitatis, atque ita eliduntur adversatiorum rationes.

4. Vnde ex his immeritò dixit Suarez *de censur.* Sup. hoc cit. *disp. at. 44. sect. 3. num.* 18. hanc sententiam neque in quatuor speculativè, neque practicè sequendam esse, nam ego cit. in Ref. & sup. doctr. ref. puto, & speculativè, & practicè probabilem esse; & in ejus favorem, vide Vasquez, Turrianum, Hurtad. Præpositum, & alios penes Gibalinum *ubi suprà.*

5. Nota hic obiter, quòd qui assistunt homicidæ, si faciliorem faciant occisionem sua præsentia etiamsi nihil aliud conferant, sunt irregulares, quia, ut dixi cooperantur homicidio: si tamen ex illa associatione non fuerit auctus animus occisori, neque quidpiam aliud ipsi eam in rem præstitum, nam & viribus, & animo longè superabat adversarium, non sequeretur irregularitas, quia nulla fuit inibi cooperatio, ita Avil. 7. *part. disp. 6. sect. 4. dub. concl.* 1. Addo etiam Sup. hoc cit. patrem, filium, consanguineum, aut etiam intimum amicum, qui alterum comitatur bono animo, ne quid periculi patiatur, non incurrere irregularitatem, etiamsi occidat adversarium, quia vacat rei licitæ, neque in ea præsentia adhibenda peccat, ut ibidem tradit Avil. cum Henriquez *lib. 14. cap. 16. n.* 1. & Navarr. *cons.* 32. *de homicid.* qui negat esse irregularem eum, qui bono animo nudum ensem ferebat, interea dum frater tixabatur cum alio, quem occidit, si ipsum iste minimè vulneravit, quanquam Præpositus, *in 3. par. q. 5. de jure. dub. 8. num.* 65. id ita intelligendum esse moneat, ut homicida ex illa associatione fratris, aut amici non fiat animosior ad occidendum; verùm ferè impossibile est moraliter, ne crescat animus illi, qui videt se stipatum amicis, & ne audaciot fiat ad facinus aggrediendum; atque ita semper sequeretur irregularitas ex cuiuscumque associatione.

6. Nota secundò, quod Maiolus *de irregularit. Quæst. lib. 5. c. 48. §. 3. num. 14.* adulterum, aut fornicatorem, qui dum immoderata copula cum muliere prægnante coit, illi abortum fœtus animati causat, damnat irregularitatis, non verò maritum, si idem faciat, eò quod unus illicita copula, alter licita utatur; quæ

distin

distinctio nulla apud nos est, ubi cætera paria reperiuntur. Itaque si ex modo copulæ, fœminæ debilitate, aliisque circumstantiis potuit, & debuit suspicari periculum abortus, illique ut suæ indulgeret intemperantiæ se exposuit, consequuto deinde homicidio, reus illius est contra quintum Decalogi præceptum, & fit irregularis, sive maritus, sive adulter fuerit.

7. Nota tertio, qui fœminam ad se venire jubet per tecta, aliavè loca periculosa, unde imprudens sibi mortem conscivit, aut si prægnans erat, fœtum excussit, non fit irregularis, quia iste sive Clericus, sive laïcus (malè enim DD. aliqui solita ista distinctione utuntur hoc loco) non consuluit huic mulieri, ut se ipsam occidat, ut abortiat, neque ut causam necessariò connexam cum abortu, aut suo interitu suscipiat, quamvis aliquod periculum sit quod tamen vitare poterit, si ipsa cautè, & prudenter se gerat: quare sibi imputet si sua culpa aut pereat, aut abortiat, non tamen amasius, à quo invitata fuerat, dicetur propriè, & verè illius, aut fœtus ipsius homicida ad effectum irregularitatis, cùm revera illud homicidium non consuluerit, si tamen ipse secum traheret fœminam aut funem tenderet, aut explanandum iter suscepisset, aut removenda offendicula, quæ occurrerent, aut facilem transitum dixisset, unde illa credula incautiùs se gessisset, aut non adfuisset amasius ad horam condictam, ut opem ferret, illaque vel se delusam suspicata, vel metu exterrita concedisset, existimarem hunc esse irregularem, non ratione consilij veniendi per ejusmodi iter periculosum, sed quia ejus casui, cædi, aut abortioni reipsa fuisset cooperatus.

RESOL. CXII.

An qui incurrat irregularitatem, quando alteri consilium dedit, ut verbi gratia intret duellum vel occidat inimicum, & is, cui dedit consilium, occisus est?

Idem dicendum est de mutilatione. Ex part. 4. tract. 2. Resol. 12.

§. 1. CAsus potest esse frequens, & affirmativam sententiam docet Suarez *de censur. disput. 44. sect. 3 num. 18.* à qua nec speculativè, nec practicè putat esse recedendum. Idè tenent Navarrus & Coninch penes Hurtadum *ubi infrà*, quibus adde Petrum Cornejo *in 3. part. D. Thom. tract. 5. de irregul. disp. 1. dub. 2. §. 2. n. 3.* Avilam *de cens. part. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 5. concl. 4.* Sayrum *lib. 7. c. 3, n. 3.* Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 21. diffic. 20. n. 10.* ubi sic ait: [El que aconsejò, o mandò à uno que matasse a otro y sucediò al reves que otro le mato a el queda irregular, la razon es porque assi como el que aconseja à otro que se mate siguiendose el effecto queda irregular, assi tambien el que injustamente pone à peligro de muerte, porque en cosas morales lo mismo es hazer y ponerse à peligro de hazer; luego lo mismo se ha de dezir de aconsejar y mandar.] Ita ille.

2. Sed contrariam sententiam ut probabilem novissimè tuetur Turrianus *de cens. lib. 9. disp. 63. dub. 4.* ubi adducendo plures rationes pro hac firmanda sententia, tandem sic ait: Novi viros doctissimos hujus ætatis qui hanc sententiam ut veram sequuti sunt, alij qui ut acutam & probabilem laudarunt, & mihi videtur satis probabilis. Ita ille, & post illum hanc opinionem docet etiam doctus Hurtado *disp. 2. de irregul. diffic. 6. n. 22.* ubi sic ait: Addo contra Navarrum & Coninch, mandantem, aut consulentem aliquem ut occidat alterum (& idem est de mutilatione) non esse irregulatem adhuc ex homicidio casuali, etiamsi mandatarius, aut consultarius, seu consilium accipiens occidatur ab altero, quem invadit quia in jure non est lata irregularitas nisi ob mandatum, aut consilium, quò quis mandat aut consulit aliquem ut vel seipsum, vel alterum occidat sequuto effectu. In præsenti autem casu mandans, aut consulens non mandat, nec consulit invadentem occisionem ipsius, sed alterius: sicuti nec mandatarius, aut consultarius seipsum occidit (quamvis constituatur in occasione & periculo ut occidatur ab altero, & ob id peccet contra fortitudinem, quando id timet prudenter,) quia verè non apponit causam ex se ordinatam ad homicidium, & independentem à voluntate aliena, quod erat necessarium ut diceretur seipsum occidere. Hæc omnia Hurtado. Sed sciat etiam Lector hanc sententiam ante Turrianum & Hurtadum docuisse sapientissimum Vasquez *in 1. 2. tom. 1. disp. 100. q. 73. art. 9. dub. 3. n. 45.* ita asserentem: Qui alteri suaderet furtum ex quo scit illum puniendum pœna mortis, non incurreret irregularitatem, quia non fuit causa homicidij; irregularitas verò non est in jure inflicta propter consilium, quo quis alterum movet, ut se morti offerat, sed propter consilium, quo quis movet aliquem ad occidendum alium, aut etiam seipsum, quia est consilium directè tendens ad occisionem ipsam, tametsi in opinione positum sit, utrùm seipsum occidere sit contra fortitudinem, aut contra justitiam: consilium autem traditum ei, qui occiditur, quod non tendit ad mortem nisi ratione periculi, quod incautè aggreditur, non videtur in jure prohibitum, nec is dicitur homicida præsè & propriè in jure ad effectum irregularitatis, sed ille solùm qui consilium præbet occidendi aut seipsum, aut alterum. Ita ille, qui apud me instar multorum est. Vide etiam Henriq. *lib. 14. c. 16. n. 1.* qui eamdem sententiam docet, quam etiam novissimè probat Præpositus *in p. 3. q. 5. de irregul. dub. 10. n. 78.* Vnde hæc opinio satis probabilis remanet adversùs Suarez. Sed tu ne discedas à prima opinione tanquam probabiliori & tutiori, quia iste ut est vera causa moralis, incurrit irregularitatem hujus speciei: si verò non intendebat ejus mortem, incurreret irregularitatem homicidij casualis.

med. & in tom. 3. tr. 5. Resol. 91. §. Sed ego, ad med. à vers. an irregularitatem incurrat.

RESOL. CXIII.

Quidam mandavit Petro, ut occideret Caium, non pracogitando aliquid de morte Petri, & verisimiliter credere poterat non esse sequuturam, quia Caius longe debilior erat Petro.

Accidit vero, his non obstantibus, quod Caius occidit Petrum. Interrogatus fuit, an mandans incurrerit irregularitatem, ita ut non possit amplius ministrare, quia jam erat sacris Ordinibus initiatus?

Et an in dicto casu Episcopus possit dispensare, virtute Concily Tridentini sess. 24. c. 6. Ex par. 2. tract. 15. & Misc. 1. Resol. 17.

§. 1. REspondi, communiter DD. contra mandantem respondere, asserunt enim, in irregularitatem incurrisse, teste Bonac. *ubi infrà*. Ita Sayrus *de cens. lib. 7. cap. 2. num. 12.* Reginald. *in praxi, tom. 2. lib. 30. tract. 2. cap. 11. sect. 1. n. 126.* Navar. Cov. Armilla, Tabiena, Sylvester, Maiolus, Vival. Summa Confess. Vgolin. & alij. Probatur, ait Tabiena, *ver. irregularitas 2. §. 12.* quia fuit in culpa, & hoc evenire posse, debuit cogitare.

2. At mihi contraria opinio Hentiquez *lib. 14. capite 16. num. 1. litt. K.* probabilis videtur, sicut etiam probabilis, visa est Bonaciuæ *de censur. disp. 7. quæst. 4. punct. 7. num. 17.* Imò, & Avila *de censur. part. 7. dist. 6. concl. 4.* stat pro nostra sententia; nam contra Sylvium.

Sup hoc lege doctrin. Resol. præteritæ, & si placet etiam Resol. ejus primæ not. & signanter inf. in fin. Resol. seq. & in to. 8. tr. 5. Resol. 91. §. Sed ego, ad med. à vers. an irregularitatem.

&

& Panormitanum admittit quandam limitationem Innocentii, & Hostiensis: scilicet quòd opinio contraria, quam ipse Avila tenet, etiam adversùs Henriquez, solùm procedat, quando erat verisimile, quòd Petrus occidi pòterat à Caio invadendo, vt qui erat longè debilior Caio, vel quid simile; quæ quidem circumstantia non adest in casu, de quo loquimur, imò totum contrarium, nam Caius invadendus, erat debilior Petro.

3. Ex his omnibus putavi dictum consulentem non incurrisse irregularitatem, sed quia scrupulis angebatur, ad majorem conscientiæ suæ tranquillitatem consului, vt dispensationem ab Episcopo obtineret, virtute Concilii Tridentini *sess.24. cap.6.* qui dat illi authoritatem; vt possit dispensare in irregularitate ex homicidio casuali occulto proveniente. Sed ista irregularitas de qua loquimur, provenit ex homicidio casuali, vt notat Filliuc. *in qq.moral. tom.1. tract.20.cap.2. num.36.* & Suarez *de censur. d sput.44. sect.3. num.16.* quia nemo directè intendit homicidium ejus, cui mandat, vt alium occidat. Indirectè igitur tantùm imputabitur, & ideo casualis occisio erit, & irregularitas ex homicidio casuali, ergo poterit Episcopus circa illam dispensare.

Sup. hoc in tom.3. tr.3 Resl.45.

RESOL. CXIV.

An mandans homicidium ad evitandam irregularitatem non solùm teneatur revocare mandatum, sed monere occidendum, vt caveat; & quid de consulente?

Et quid, si bona fide consulens putabat sufficere tantum revocationem solam, an erit irregularis, si homicidium sequatur?

Et notatur, quod si mandatarius occidatur, mandantem manere irregularem. Ex part.4. tractat.2. Resol.14.

§.1. AFfirmativam sententiam docet Petrus Cornejo *in 3. part. D.Thomæ tract.5. de irregul. disput.1. dub.2. quæst.2. numero 2.* Turrianus *de censur. lib.7. disp.63. dub.3.* & Hurtado *disp.2. de irregul. diffic.6. num.24.* Ratio est, quia ipse suo mandato in eo periculo constituit occidendum; ergo si non potest efficaciter revocare mandatum, tenetur monere illum vt caveat, & ita hi Doctores asserunt de consulente.

Quamvis non plenè sup. hoc, sed tantum pro restitutione in hoc casu lege tamen in to.8. tr.5. doct. Resl. 86. & 87. & signanter in Resl. & vers. not. seq.

2. Sed mihi contraria sententia probabilior videtur, quam tuentur DD. quos citat, & sequitur Stephanus de Avila *part.7. disp.6 sect.2. dub.4. concl.3.* ubi sic ait; Qui consulit homicidium, vt liberetur ab irregularitate debet efficacius revocare consilium, quam mandatum, quia in mandato agitur res mandantis, in consilio verò agitur res ipsius consulti; unde consulens debet conari precibus importunis, ne consilium mandetur executioni, quod si non firmiter credat preces profuturas, debet indicare occidendo in particulari, vel in generali ad arbitrium viri prudentis vt caveat: at verò mandans non tenetur monere. Ita Avila & ante illum Henriq. *lib.14. cap.16. n.2.* ubi sic asserit: Curet mandans persuadere mandatario, vt omnino desistat, sed quia ille non agit nisi in gratiam mandantis, satis est huic intimasse revocationem mandati, nec tenetur monere eum, qui periclitatur vt caveat, vt tenetur qui dedit consilium. Hæc Henriquez. Est igitur magna differentia inter mandantem & consulentem in tali casu, & ideò optimè Villalobos *in summa tom.1. tr.21.diffic.20.n.7.* advertit, [que no basta para evitar la irregularidad revocar el Consejo antes de la muerte; que si de hecho se siguio la muerte en virtud del Consejo toda via quedaria irregular el que lo dio, que en esto ay grande differencia del mandato al Consejo; porque en el mandato aquel aquien se manda siempre esta pendiente de la voluntad del que se lo mandò en virtud de la qual obra: lo qual no acontece en el Consejo, porque el effecto del Consejo propriamente hablando es en enseñar al entiendimento, y hecho esto no pende de la voluntad del que le aconsejò y assi para evitar la irregularidad es menester dissuadirle.

3. Non desinam tamen in gratiam studiosorum hîc adnotare Præpositum *in 3. part. q.5. de irregul. dub.8. num.62. & 64.* Petrum Navarra *lib.3. de restit. cap.4. dub. num.26.* nullam agnoscere differentiam inter mandantem, & consulentem, & docere in nostro casu sufficere, revocare mandatum, & consilium, sic enim Navarra asserit. Tertiò notandum quòd antequam qui jussus est & consilium accipit opus exequatur, jubens; & consulens revocet mandatum & consilium, si sequatur damnum, non tenetur imperans, vel consulens restituere; quia tunc actio injusta non procedit ex eo consilio, vel imperio, sed alterius malitiæ imputatur sicut totali causæ. Vnde in jure immunis est ab irregularitate qui cùm mandasset, vel consuleret Clericum occidi, ante factum revocavit, & dissuadere conatus est. Ita ille, cujus sententiam probabilem putat Lessius *lib.2. cap.13. dub.3. numero 17. & 18.* vt notat Coninch *de Sacram. disputat.14. dub.15. numero 177.*

Sup. hoc in tom.3. tr.3 Resl.45. Navarra

4. Notandum est tamen hîc obiter quòd si bona fide consulens putavit sufficere tantùm revocationem solam, non erit irregularis, etiamsi sequatur homicidium. Ita Sayrus *lib.7.cap.3.n.6.* Petrus Cornejo *in 3. part. D.Thom. tract.5. de irregul. disp.1. dub.2. q.2. num.4.* qui etiam *quæst.1. num.4.* rectè notat, quòd si mandatarius occidatur, mandantem manere irregularem, non quidem irregularitate homicidii voluntarii, sed casualis, sive voluntarii indirectè, quia mandans non intendit mortem mandatarii, neque ad eam directè operatur, sed solùm indirectè in quantum dando operam rei illicitæ cogitare debuerat talem rem contingere posse, vt *infrà* dicemus.

Sup. hoc in Resl. 12. n. 8. & seq. doct. pro. eos. Ref. in que hic 120.

RESOL. CXV.

An qui homicidium suo nomine factum postea ratum habuit incurrat irregularitatem? Ex part.4. tractat.2. Resol.13.

§.1. INcurrere mordicus sustinet Molina *de justitia tom.4. tract.3. disput.33. membr.4.* Sylvester *ver. homicidium 1. quæst.7.* Majolus *de irregul. lib.5. cap.40. §.6.* Navarrus *cap.27. num.233.* & multi Iutisperiti, quia, secundùm regulam juris, ratihabitio mandato comparatur. Sed ex mandato homicidii incurritur irregularitas; ergo, &c. & hanc sententiam tanquam communem docet etiam Fernandez *in medulla part.2. cap.10. §.14. n.11.* ubi citat Speculatorem, Archidiaconum, Boich, Sylvest. & Rosel.

Quamvis non plenè sup. hoc, sed tantum pro restitutione in hoc casu lege tamen

2. Sed prorsus contrariam sententiam tenendam esse puto, quam tenuit Vasquez *in tract. manuscripto de irregular.* vt notat & sequitur Præpositus *in 3. part. q.5. de irregul. dub 8. num.66.* Turrianus *de cens. lib.9. disp.63. dub.3.* Hurtado *disp.2. de irregul. diffic.7. n.25.* Petrus Cornejo *in 3. part. tract.5. de irregular. disp.1. dub.2. quæst.3. num.3.* Coninch *de Sacrament. disp.18. dub.8. num.72.* Suarez *de censur. disput.44. sect.3. n.24.* Avila *part.2. disp.6. sect.2. dub.6.* Henriquez *libro 14. cap.16. num.2.* Villalobos *tom.1. tr.21. diffic.20. n.2.* Layman *in 3. part. lib.7. cap.2. quæst.9. num.85.* Megala *in 3. part. lib.7. cap.2. quæst.9. num.85.* Layman *sect.5. tract.3. part.3. cap.4. num.6.* ponit illud jam factum: sed ista irregularitas infligitur contra eos, qui sunt

sont causa homicidii ; ergo,&c. Adde quod ratihabitio mandato æquiparatur quoad culpam, non autem quoad pœnam, si Superior aliter non disponit, sicut disposuit respectu percussionis Clericorum *in cap. cùm quis, de sentent. excomm.*

RESOL. CXVI.

An si intimus amicus bono animo associavit aliquem, ne in rixa periclitetur, incurrat irregularitatem, si amicus inimicum occidat ?

Idem est dicendum de patre, filio, &c. Ex p.4. tract.2. Resol.17.

§.1. NEgativè respondet Avila *part.7.disp.6.sect.3. dub.3. concl.1.* & Henriquez *lib.14. cap.16. num.1. in fine*, & à fortiori idem dicendum est de patre, vel filio, &c. Vnde Navarr. *consil.32.de homicid.* docuit non esse irregularem eum, qui bono animo tenebat ensem evaginatum in manu sine alia læsione, quamvis alius percussus à fratre in rixa postea mortuus sit ; & ratio est, quia dabat operam rei licitæ. Sed hanc opinionem limitat novissimè Præpositus *in 3.part.q.5.de irregul. dub.8. num.65.* si exteriùs ita amicum rixantem associando non videatur illum animare ad occidendum.

RESOL. CXVII.

In quadam Civitate hujus Regni plures non ex consilio, sed ex rixa, subito contingente percusserunt aliquem, sed unus tantum percussit vulnere lethali, ex quo mortuus est, & cognitus fuit iste percussor ; quæsierunt postea à multis Theologis, an omnes incurrerint irregularitatem, vel solus ille, qui mortale vulnus inflixit ? Ex part.2. tract.15. & Misc.1. Res.18.

§.1. MVlti ex Societ. IESV, & ex Dominicana familia affirmativè responderunt, vt ipse consulens mihi affirmabat, quorum sententiam probabilissimam esse asserui, nam illam docet Stephanus de Avila *de cens. part.7. disput.6. sect.3. dub.3.* & Suarez *in 3.p. tom.5. de cens. disp.45. sect.3. n.11.* ubi ait : [Etiamsi vulnus inflictum, unum tantùm sit, illúdque lethale : omnes impugnantes occisum fiunt irregulares, non solùm quando incerta est persona percutiens, quod est indubitatum ; sed etiamsi certa sit, quia alii manent irregulares, propter incertitudinem] Sic ille.

2. Sed ego, dictos consulentes ab incursu irregularitatis immunes feci, & multos Authores adduxi : præcipuè Gregor. Sayrum *de censur. lib.7. cap.4.n.13.* ubi ait : [Quando unus è pluribus in rixa subitò contingenti, nec præmisso consilio vulneratus est, & in occiso reperitur unicum lethale vulnus, si constat quis id intulerit, tenebitur de homicidio, cæteri de percussione, *l. Item Mela, § sed & si servum, ff. ad leg. Aquil. & l. si rixa, ff. de sicariis.* Vnde ille solus irregularis erit, cæteri verò, vt ab homicidio, ita etiam ab irregularitate excusantur. DD. communiter *in cap. significasti 2. de homicidio.*] Hæc Sayrus, cujus sententiam docent etiam Covar. *in Clem. si furiosus p.2, §.2. num.3. vers. secundus casus de homicidio*, & Bonac. *de cens. disput.7. q.4. punct.8. num.29.* & Villadiego *cap.6. num.47.* apud Avilam, *ubi supra.* Qui quidem Avila nostram sententiam probabilem vocat. Ex his omnibus, vt dixi ad casum, de quo loquimur, negativè respondi.

RESOL. CXVIII.

An si inter multos dubium sit, quis ex illis occiderit, omnes remaneant irregulares ?

Et quid, si sciatur occisor ?

Et notatur, quod si quis alios comitetur, & nihil omnino per se faciat, nec causa sit, cur homicidium hic & nunc fiat, id est cum his circumstantiis celerius, acrius, animosius, audacius, &c. non est irregularis. Ex p.9. tr.7. & Misc.2. Res.20.

§.1. CAsus est etiam practicabilis : & quoad primum, communiter affirmativè respondent. Sed negativam sententiam probabilem esse putat Lessius *in 3.p. D.Thomæ, cap.3.de irregularib. dub.1. n.25.* ubi sic ait : [Quando non constat, à quo quis fuerit occisus, vel à quo vulnus lethale acceperit, omnes, de quibus dubitatur, sunt irregulares. Est communior sententia. Vide Covarruviam *2.p. §.2. n.3. in Clementina. Si furiosus.* Ratio est : quia in dubio homicidii censendus est quisque irregularis, cap. *Significasti 2. de homicidio.* Nota tamen, quosdam recentiores non improbabiliter dicere, hoc solùm habere locum in foro externo, idque maximè ante diligentem inquisitionem : in foro tamen conscientiæ, si post factam diligentem inquisitionem adhuc manet omninò dubium, quis sit author, neminem censendum irregularem : quia satius est crimen aliquod impunitum relinqui, quàm innocentes puniri.] Ita Lessius. Sup. hôc legelatam & subtilem doctr. Resol. seq. per tot. Sup. hoc in Resol. seq. §. Sed difficultas.

2. Quoad secundam difficultatem, si certò constiterit ; quis vulnus lethale inflixerit, omnes alios vulnus lethale non inferentes affirmat Covarruvias, aliis relatis ; *in Clem. Si furiosus 3.p. §.2. n.3. vers. Secundus casus*, non fore irregulares. Ducitur : quia infligens vulnus lethale tenetur de homicidio, & non alius, reliqui enim tenentur de percussione, ex textu in leg. *item Mela, §. Sed & si servum, ff. ad legem Aquiliam*, & in leg. *Si rixa ff. de sicariis.* Ergo, cùm liberi sint ab homicidio, liberi erunt ab irregularitate. Secundò probari potest ex cap. *Significasti el 2. de homicidio*, ubi Parochus excusatur ab homicidio, & irregularitate, si non inflixerit vulnus lethale latroni, qui aliis vulneribus acceptis subitò interiit. Et hanc sententiam probabilem esse fatetur Castrus Palaus *tom.6. disput.6. punct.15. §.6. num.4.* licèt ipse merito affirmativæ sententiæ adhæreat : quia illos negari non potest sua præsentia auxilium, & favorem occisori tribuisse, & occisum impedisse ne se defenderet : ac proinde omnes judicandi sunt secundùm Canones rei homicidii, & irregularitati subjecti, ex textu in cap. *Si quatuor homines 23. q.8.* & ita etiam docet Avila *de cens. part.7. disp.6. sect.3. dub.3. concl.4.* Coninch *de Sacram. disp.18. dub.8. n.70.* & alii. Sup. hoc in Resol. præterita.

3. Notat enim Lessius, *ubi suprà, n.13.* probabile esse, si quis alios comitetur, & nihil omninò per se faciat, nec causa sit, cur homicidium hic, & nunc fiat ; id est, cum his circunstantiis, celeriùs, acrius, animosius, audacius, &c. non esse irregularem. Et ratio est : quia non censetur contulisse quidquam, aut ullum præbuisse influxum in illud facinus ; unde etiam non tenetur ad restitutionem. Ita ille. Sup. hoc sup. lege doctr. Resol.116. & alterius Resol. ejus secundæ not.

RESOL. CXIX.

Quando non incurratur irregularitas, ex homicidio dubio ? Ex p.11. tr.6. & Misc.6. Resol.24.

Sup. hoc lége doctr. §. 1. Ref. præced. & resolutionum ultimæ part. hujus Ref.

§. 1. CAsus est frequentissimus, & nimis practicabilis, & novissimè Pater Ioseph Gibalinus vir quidem doctus, & eruditus ex inclyta Societate Iesu *lib. de irregularit. cap. 4. quæst. 1. num. 17.* ponit hanc regulam universalem. Quoties constat de homicidio commisso, dubiumque tantùm existit de persona committente, censenda est irregularis, saltem in foro externo, ex peculiari juris dispositione in hac materia, quod si dubitatur de ipsomet homicidij actu, an nempe fuerit aliquis occisus, in nullo foro censendus erit aliquis irregularis, donec veritas commissi homicidij comperiatur. Probat primam partem hujus regulæ *ex cap. Significasti 2. de homicidio*, ibi, enim constabat maleficum illum, qui Eucharistiam, & altaris ornamenta asportaverat, occisum fuisse; sed dubitabatur an interiisset ex vulnere, quod in ejus caput Sacerdos fossorio impegerat an verò ex aliis vulneribus, quibus eum Parochiani conciderant; in hoc igitur dubio, quod, ut vides, est non de occisione; sed de persona occidente, jubet hunc Sacerdotem Innocent. III. à Sacerdotali potius officio abstinere, quia id tutius est, quam temerè celebrare pro eo quod in altera nullum, in reliquo vero magnum periculum, timeatur. *in cap. quoque, ad audientiam, eod. tit.* Clem. III. eodem modo pronunciat habendum irregularem Presbyterum, qui dum corrigeret domesticum suum, illum suo cingulo percussit; dubium verò erat, an ex eo vulnere, an alio quopiam morbo interiisset. In his casibus vides dubium fuisse de homicida, non de homicidio, & falsò respondent aliqui recentiores, verisimilius fuisse eos Sacerdotes, de quibus dubitabatur, revera commisisse homicidium; nam *in cap. Ad audientiam*, nullum planè vestigium apparet illius verisimilitudinis ut lengenti constabit, *in cap. quidem significasti.* Innocent. affert sub finem vehementia indicia, ex quibus colligatur hunc Sacerdotem etiamsi vim illatam repulisset, & injuriam propulsasset, id tamen cum moderamine inculpatæ tutelæ minimè feciſſe, tum ratione instrumenti quo percussit; cum enim grave sit, non solet levem plagam inferre; tum ratione partis, in qua leviora vulnera sæpius lethalia sunt, quæ omnia faciunt valdè probabiliter hunc Sacerdotem homicidij reum, ac proinde irregularem, neque rem planè dubiam, & ancipitem relinquunt; prius tamen dixerat Pontifex: Quod si discerni non possit, ex cujus ictu percussus interiit, in hoc dubio tanquam homicida debet haberi, tunc Sacerdos etsi forsitan homicida non sit, à Sacerdotali officio abstinere. Quibus verbis nihil apertius dici potuit, neque contra adeò manifestas Pontificum responsiones sentire licet.

Sup. hoc cursim in fin. §. not. præteritæ.

2. Sed difficultas est, an in foro interiori iste dubius homicida sit irregularis? & quidem si jam fuerit ipsi imperatum à Superiori, ut abstineat à sacris, certum omninò est ipsum abstinere debere, ut etiam dixit Innocentius *in cap. significasti*, vox autem, *debere*, importat præceptum & obligationem, ut latè ostendit Sanchez *lib. 4. de matrim. disp. 23. num. 2.* Certum quoque mihi est, si delictum fuerit publicum, atque adeò passim habeatur irregularis, ratione dubiæ illius cædis teneri quoque ratione scandali tanquam irregularem se gerere, donec constet de rei veritate, aut fuerit cum eo dispensatum: sed quæstio est de crimine occulto, & non notorio, an perstante dubio, vtrum revera vulnus lethale aliquis alteri inflixerit, & an ex eo interierit, ubi post adhibitam diligentiam nihil comperit, hic percussor possit deponere dubium, atque ministrare in Sacris, quandiu Prælatus, aut Iudex id ipsi non prohibebit, quod ita affirmandum mihi videtur cum Henriquez *libro 14. cap. 3. num. 3.* & 4. quia percussor neque jure naturali, neque ex jure positivo tenetur se gerere ut irregularem in casu proposito; non primum, illa enim generalis regula, in dubiis tutior pars eligenda est, quæ una videtur hoc loco imponere obligationem abstinendi à Sacris, & qua utuntur Pontifices *capitibus citatis*, non est præcepti, sed consilij ut cum Navarr. *in cap. si quis autem de Pœnitent. disputat. 7.* latè probavimus, *lib. 3. prima part. Scientiæ Canonicæ*, & valeret in omnibus aliis dubiis facti, quod neque Sanchez, neque cæteri Adversarij unquam fatebuntur. Ius quoque positivum non obligat hoc loco ante præceptum Superioris, quia cùm dispositio horum capitum, quæ explicamus, sit peculiaris in hac materia, non obligabit nisi in casibus expressis, & eodem modo quo exprimuntur, atqui illa capita loquuntur de foro externo, licet non contentioso; ergo extra illud forum non obligabunt. Secundò *in capite significasti 1. eodem titulo* in dubio, an quis Clericus occidisset mulierem, quam equus, cui insidebat, non audiens habenas protriverat, jubet Pontifex illi injungi pœnitentiam ad cautelam, & deinde non impediri ne promoveatur ad superiores ordines, & ne in susceptis ministret; ergo poterat ille in conscientia, secluſa illa prohibitione facta à suo Superiore, tum ordines susceptos exercere, tum ad alios aspirare. Hucusque Pater Gibalinus.

3. Secunda verò pars Regulæ superius adductæ, videlicet, non contrahi irregularitatem, in ullo foro, quando dubium est de ipsomet homicidio, non de homicida, quia nempè non constat homicidæ fuisse commissum. Probatur à Patre Gibalino *numero 22.* quia certum est irregularitatem in dubio homicidij non incurri nisi ex peculiari juris dispositione, & in casibus ab illo expressis; atqui jus non loquitur, nisi quando certum est homicidium, & hominem revera interiisse, sed dubitatur, an vulnus lethale fuerit, & an alio quopiam vulnere ab alio illato, aut Medici incuria, aut denique alia quapiam de causa interierit, quod patet ex *cap. ad audientiam, cap. significasti*, utroque, & si quæ alia afferuntur, qui casus longè diversus est ab illo, de quo loquitur hæc pars nostræ regulæ; agitur enim de dubio ipsius cædis, quæ incerta est. Igitur in hac materia debemus stare, ait Gibalinus principiis universalibus, & duabus illis regulis generalibus, nempè nunquam contrahi irregularitatem, nisi in casibus jure expressis: Secundò, neminem in dubio facti censendum esse irregularem in ullo foro, præterquam ex singulari juris dispositione in dubio homicidij, in casibus expressis ab illo, atque ita necessariò dicendum est in dubio ipsius homicidij, & cædis, & non homicidæ, nullam incurri irregularitatem, vti definiebat nostra regula.

4. Itaque ex his omnibus breviter dicendum est secundùm mentem Gibalini, quod dubium in materia homicidij, potest dupliciter contingere; nam vel versatur circa ipsum homicidium, vel supposito jam homicidio, versatur circa personam quæ illud commisit, vel circa modum quo fuit commissum: In primo modo dubium de homicidio inducit irregularitatem; in secundo autem minimè. * Ex his sequitur, quod qui abortum procuravit, non est cēlendus irregularis, quādo dubitatur an fœtus sit animatus, quia id sequitur ex regula superius posita; dubium enim istud est de ipsomet homicidio, fuerit ne commissum, an non, neque dubitatur de homicida tantùm, & authore certi homicidij, atqui jus statuens irregularitatē in dubio homicidij, loquitur tantùm eo casu, in quo certum est fuisse commissum homicidiū, & dubitatur an Titius, qui percussit, etiā occiderit: hic autē cùm dubitatur, an fœtus excussus viveret, dubitatur an fuerit commissū homicidiū, & non de ejus authore, qui certus est, si illa abortitia occisio hominis

Sup. hoc lib. in n. 18. 20. & 21. lege alios notantes

minis foret, cùm igitur de eo casu jus non agat, in illo non contrahetur irregularitas. Et ita tenet Gibalin. *loco cit. num.* 26. cujus sententiam, quoad omnia superius dicta invenio confirmatã à Doctissimo Patre Francisco Sardi de *Conscientia, disp. 6. cap. 7. §. 4 num. 2. & 3.* ubi sic ait: Dispositio illius juris in *c. ad audientiam, & in illis capitibus supracitatis*, secundum quam statuitur in dubio homicidij, seu concursus ad illud, dubitantem reputandum esse irregularem, intelligi debet, quandò constat de corpore delicti, licet dubitetur an dubitans habuerit influxum in illud delictum, necne; tunc enim dicitur constare corpus hujus delicti, cùm sumus certi de morte hominis: at in casu nostro non constat, de ipso corpore delicti, cùm dubius sit an fœtus fuerit animatus, necne? Seu, an fuerit homo: & cum dispositio illa sit pœnalis, restringenda erit: proindè, nisi constet de homicidio, judicandum est delictum illud non esse comprehensum sub tali dispositione. Neque contra opinionem hanc urgent textus Canonici citati, qui cùm sint pœnales, & strictè explicandi, exponi possunt, loqui solum, quando constat de homicidio sequuto, & si attentè legantur, videbitur decisio supponere homicidium jam peractum. Ita Bardi, qui, ut vides, omnia quæ Gibalinus latè supra firmavit, ipse breviter approbat, ex quibus infinitæ irregularitates non incurrerentur. Vide etiam Escobat Iuristam de utroque foro, *art.* 1. §. 5. *num.* 89. Escobar Theologum *in Theol. mor. tract. 4. Exam. 6. cap. 5. numero* 72 Pellizarium *in man. Regul. tom. 2. tract. 7. cap. 5. num. 25.*

5. Observa etiam, quod doctrina superius adducta potest applicari in Iudice, qui dubius est, an aliquem ad mortem damnaverit. Item in milite, qui dubitat utrum in bello justo aliquem occiderit; nam in supradictis casibus, dubium versatur circa ipsum homicidium: ergo non ineludit irregularitatem. Ita Bardi *ubi supra* §. 9. & Gibalinus *n.* 25. qui etiam addit, quod cùm in jure non sit sermo de occisione justa, sed de homicidio, uti apparet ex *cap. ad audientiam, & cap. significasti*, homicidium autem dicit eo loco, & quando absolutè ponitur in jure, cædem illatam contra quintum Decalogi præceptum, qui dubius erit, an alium occiderit, quem justè vulneravit, occidereque potuit, non erit irregularis. Neque dicas Clericum in bello justo pugnantem, & dubium de occisione pronunciari irregulaem, *cap. penult. de homicidio.* Respondetur enim non esse irregularem propter dubium cædis justæ, aut in bello justo, sed quòd propria pugnasset manu, ut advertit Gloss. ibi *ver. remordet*, & Covarruvias *in Clement. si furiosus 2. par. §. 3. num. 2.* & nos inferius dicemus. Vide etiam Franciscum Lugo *de Conscient. cap. 2. q. 28. n. 157.* & Pellizarium *tom. 2. tract. 7. cap. 5. sect. 1. num. 24.* Vnde ex dictis ad illud Axioma tam decantatum, quod dubius de homicidio censendus sit irregularis: potest quis respondere. Primò, quod dubius de homicidio censendus sit irregularis in foro externo & concedo, in foro interno, & nego. Ita præter alios à me alibi citatos Gibalinus *ubi supra num.* 19. Respondetur secundò, quod dubius de homicidio censendus sit irregularis, quando dubium versatur circa personam occidentis, & circa modum occisionis: secus autem quando dubium versatur circa ipsum homicidium, an fuerit perpetratum, necne, ex his quæ supra firmata sunt. Respondetur Tertiò, quod dubius de homicidio censendus est irregularis, quando dubium versatur circa cædem illicitam; secus autem quando versatur circa homicidium injustum; unde ex his omnibus Responsores casuum Conscientiæ multas irregularitates evanescere facient.

Sup. hoc in §. not. 2. & 3. Resp. 102. & 104.

6. Verùm his non obstantibus, licet superius dicta, nimium plausibilia, & grata fore Lectoribus non dubito, tamen quia aliqua ex ipsis non approbat Praxis Dataríæ, & Sacræ Pœnitentiariæ; ideo secundùm mentem supradictorum Doctorum à me dicta esse volo, & in facti contingentia viri docti cogitent & judicent memores illius dicti, quod stylus Curiæ facit jus, & quòd non oportet sapere plus quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem; quod utinam fecisset noster Pater Vidal *in arca Theologiæ moral. tit. de Duello, inspect. 3. n. 22. cum seqq. & inspect. 4. n. 15. & seqq.*

RESOL. CXX.

Virum, qui tradidit arma Titio, quibus Caium occidit, sit irregularis? Ex parte 4. tractatu 2. Resol. 11.

§. 1. Affirmativè respondet Bonacina *de censuris disp. 7. quæst. 4. punct. 8. num. 35.* ubi citat Suarez, Filliucium, Molinam, Vgolinum & Felinum, si suspicionem aliquam habuit, illa peti ad homicidium patrandum, tunc enim occisio inde sequens censetur sufficienter voluntaria, ita ut imputetur ad culpã, & ad pœnam irregularitatis ex homicidio casuali; si verò nescivit, nec suspicatus est peti ad malum, excusatur ab irregularitate.

2. Non gravabor tamen hic adnotare sententiam Gasparis Hurtado *disp. 2. de irregul. diffic. 8 num. 32.* ubi sic asserit: Id tamen quod docet Sayrus, & Avila, nempe eum esse irregularem qui præbet arma, sciens, aut tinens esse ad injustè occidendum, quamvis verum existimemus, quando ea præbet ex intentione homicidij, quia tunc verè dicitur occidere juvando ad illud, imò id pertinet ad homicidium ex proposito, quia assumit medium utile ad occisionem ex intentione occisionis. Id tamen difficile existimamus, quando ea præbet absque intentione homicidij, quia tunc non dicitur occidere, nec ad id juvare, quia tunc tantùm tribuit arma; quibus occidens posset benè & malè uti absque intentione mali usus, quod non pertinet ad homicidium absque dicta intentione, quia ita est utile ad homicidium, ut etiam sit utile ad alia bona, & ad summum id tantùm est peccatum scandali passivi, & contra justitiam secundariò, & non obligans ad restitutionem damni, ita Hurtado; sed ne discedas à prima opinione.

RESOL. CXXI.

Quæ negligentia requiratur, ut per homicidium casuale ex ea consequens, efficiatur quis irregularis?

Et docetur Clericos esse irregulares ex oppressione filiorum, si ipsis procurantibus, aut studiosè negligentibus fuerint oppressi. Ex parte 4. tractatu 2. Resol. 21.

§. 1. Respondeo contra Megalam *in 3. par. lib. 7. cap. 2. quæst. 5. num. 110.* quòd requiritur negligentia, quæ omnibus considerata perveniat ad peccatum mortale, nam irregularitas homicidij casualis est pœna peccati commissi in non adhibendo diligentiam requisitam; cùm autem hæc pœna sit valdè gravis, non videtur esse intentio Ecclesiæ eam infligere propter levem culpam, & ideo *in cap. quæsitum, de pœnit.* declaratur Clerici esse irregulares ex oppressione filiorum, si ipsis procurantibus, aut studiosè negligentibus fuerint oppressi; & ita docet Sylvius in

Sup. hoc sup. in Resol. 1. 2. 3. & 6. cusim in duabus vl. ejus lin.

Ad elucidãdã hãc quæst. lege doctr. Resol. seq. & alterius §. ejus not.

in 2.2. D. Thom. q. 64. art. 8. concl. 3. qui citat Sotum, Bañez, & Suarez, quibus ego addo Filliucium *tom. 1. tract. 2. cap. 3. n. 59. & 61.* Coninch. *disp. 18. dub. 9. n. 88.* & alij communiter.

RESOL. CXXII.

An incurratur irregularitas ex homicidio casuali, quando factum fuit dando operam rei illicitæ, etiam si adhibita fuerit debita diligentia. Ex part. 4. tract. 2. Resol 20.

Quoad hoc §. 1. ne deferas legere doctr. Resol præteritæ à medio, à versic. declaratur & sup. ex Resol III. vide § Nota secundo. & alios §§ ejus part.

AFfirmativè respondet Caietan. *in 2. 2. q. 64. art. 9.* Sylvester *ver. homicidium 2. num. 2.* & alij, & hanc sententiam multi tenent quando homicidium sequitur dando operam rei illicitæ periculosè, & tendenti ad illud. Ita Petrus Cornejo *in 3. part. D. Thoma tract. 5. de irregular. disp. 3. dub. 2. concl. 2.* Avila *part. 7. disp. 6. sect. 1. dub. 1. opin. 3.* ubi citat Covarr. Sotum, Cordubam, Castrum, Medinam, Aragon. & Navarrum, quibus ego addo Fernandez *in medulla parte 2. capite 10. §. 14. numero 1* Majolum *de irregularit. lib. 5. cap. 48. §. 3.* Paludanum, Gabrielem, Conradum, Navarrum, Felicianum penes Tannerum *vbi infra*, Villalobos *in summa tom. 1. tract. 21. dub. 23. n. 3.* Valentiam *tom. 3. disp. 2. quæst. 3. punct. 3.* Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 9. dist. 32. n. 25.* & alios penes ipsos. Ratio est, quia tale homicidium est voluntarium in causa.

2. Sed ego negativæ sententiæ tanquam probabiliori adhæreo, quam docet Coninch. *de Sacram. disput. 18. dub. 9. n. 80.* Hurtado *disp. 2. de irregul. diff. 8. n. 28.* Præpos. *in 3. par. q. 5. de irregul. dub. 10. n. 63.* Filliucius *tom. 1. tract. 20. cap. 3. n. 64.* Tannerus *in 3. par. disp. 6. q. 10. punct. 11. n. 216.* Henriquez *lib. 13. cap. 11. n. 1. & cap. 15.* Emanuel Sà *ver. irregularitas ex deformatione licita, num. 4.* & alij. Dico igitur occidentem in casu nostro numquam fieri irregularem, nisi ipsa actio hîc & nunc ita sit periculosa, ut peccet contra jus naturæ præcisè ratione periculi occidendi, cui hic & nunc ita operando se exponit. Et ratio horum est, quia irregularitas, de qua agitur, non incurritur nisi intercedat culpa homicidij, cùm sit irregularitas ex homicidio casuali; sed in nostro casu non intercedit culpa homicidij, cùm ratione diligentiæ præstitæ homicidium non censeatur plenè voluntarium, ergo, &c.

3. Adde quòd, ut sæpiùs dictum est, irregularitas non incurritur nisi in casibus à jure expressis; sed in nullo jure expressum est homicidam esse irregularem ob homicidium omnino casuale, licèt factum dando operam rei illicitæ etiam ex se tendenti ad homicidium: ergo, &c. Vide Hurtadum & Coninch, qui respondent ad *cap. dilectus, & cap. Ioannes, de homic.* quæ facere videntur contra nostram sententiam, sed revera non faciunt.

RESOL. CXXIII.

An adulter irregularis fiat, si maritus, cognito adulterio, uxorem interficiat? Ex parte 4. tractatu 2. Resol. 1.

§. 1. PRima opinio affirmat, ita Navarrus *cap. 27. n. 238.* Gutierrez *in quæst. canon. lib. 2. cap. 6. num. 42.* Sayrus *de censur. lib. 6. cap. 17. num. 14. in fine.* Vnde Ioan. de la Cruz *in director. part. 2. de irregularit. dub. 11. concl. 4.* sic ait: Qui ob litteras amatorias missas adulteræ, aut ex eo quod eam insequitur, est in causa quòd adultera à marito occidatur, tunc adulter fit irregularis. Et patet, nam illa insecutio adulteræ cum suis circumstantiis considerata est periculosa & satis ordinata ad mortem, attento fervore zelotypiæ, qui ad vindictam mortis sumendam de adultera rapit virum. Sic ille.

2. Secunda opinio negat, & ita tenet Covarruvias *p. 4. n. 10.* Castrus *lib. 2. de lege pœnali cap. 14.* Aragonius *in 2. 2. q. 64. art. 8.* Navarra *de restit. lib. 2. cap. 3. numero 363.* nam adulterium, ut tenet se ex parte adulteri, non ordinatur per se ad homicidium adulteræ: ergo.

3. Tertia opinio distinguit, nam aut adulter temerè se ingerendo exposuit adulteram mortis periculo, & in tali casu procedit prima opinio affirmativa: aut verò adulter cautè, & arbitrio prudentis convenienti diligentia adhibita commisit adulterium, & tunc procedit opinio secunda. Ita Filliucius *tom. 1. tract. 20. cap. 3. n. 80.* ubi testatur de praxi Pœnitentiariæ. Layman *sect. 5. tract. 3. part. 3. cap. 10. num. 2.* Suarez *de censur. disputat. 45. sect. 6. num. 5.* & Petrus Cornejo *in 3. par. D. Thoma tract. 5. de irregular. disput. 3. dub. 2. concl. 1. num. 3.*

4. Omnes istæ tres sententiæ sunt probabiles, & secundam negativâ absolutè præter DD. citatos tuentur Avila *de cens. p. 7. disp. 5. sect. 3. dub. 3. conclus. 2.* & Megala *de cens. lib. 7. cap. 2. quæs. 5. n. 81.* ubi ita asserit. Dubitari hic potest, an irregularitatem contrahat adulter, qui ita imprudenter accedit ad uxorem alterius, ut probabiliter exponat illam periculo mortis? Et videtur esse respondendum affirmativè, siquidem si tunc mors sequatur, quamvis illam per se noluerit adulter voluit tamen in causa moraliter data homicidio. Tu verò dicas adulterum non esse irregularem, quia ad contrahendam irregularitatem ex homicidio casuali proveniente ex opere illicito, non sufficit quælibet causa, sed necessario requiritur, ut alterum ex his interveniat, vel ut opus illud per se sit aptum ad inferendum homicidium, vel ut sit causa immediata illius: sed adulterium nec per se est aptum ad inferendum homicidium, nec est causa immediata illius; ergo adulter non erit irregularis. Sic Megala *loc. cit.* Vide etiam Turrianum *de censur. lib. 9. disp. 63. dub. 4.* & Præpositum *in 3. part. quæst. 5. de irregularit. dub. 11. num. 88.*

RESOL. CXXIV.

An adulter efficiatur irregularis, si maritum aggressorem causa necessariæ defensionis occidat?

Et ex doctrina hujus quæstionis alij quatuor casus inferuntur, in quibus est dubium, an incurratur, vel non incurratur irregularitas. Ex p 4. tr. 2. Resol. 2.

§. 1. ESse irregularem docuit Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 21. diffic. 24. n. 4.* vbi sic ait: [El que dio à otro un bofeton, aunque no pueda evitar la muerte si no en huyendo, si mata el otro queda irregular porque pudò evitar la muerte evitando la injuria y lo mismo jusgo del adultero que fue hallado en adulterio y el marido le pretende matar, que en tal caso aunque para librarse de la muerte el le mate queda irregular, pues lo pudò excusar con excusar el pecado.] ta ille, & ante illum Navar. *cap. 27. n. 238.* Molina *de just. tract. 3. disp. 72. n. 5.* Vgolinus *de irregul. c. 29. §. 3. n. 3.* Majolus *de irregul. lib. 5. c. 48.* Philiarcus *de offic. sacer. p. 1. lib. 4. c. 11. §. 3.* Guttierrez *in can. 99. lib. 2. c. 6. n. 43.* & alij penes DD. *infra* citandos, quia adulterium est de se illicitum, & via quædam ad homicidium perpetrandum, & ideo prævideri poterant & debuerant ab occidente hujusmodi effectus.

Opinio hæc non potest hâ ratione sustineri. 1. Quia casus, quo occidens non fit irregularis, est, quando occidit ob causam necessariæ defensionis, quæ est, quando occidens non potest aliter se defendere ab occisi impetu, nisi occidendo, ut docet Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 9. disp. 21. n. 8.* & alij communiter. Sed adulter occidens maritum aggressorem, ut se defendat, non fit irregularis, ergo, &c. Probatur minor, quia adulter non potest se defendere, nisi occidendo maritum, ergo, &c. Probatur antecedens, quia adulter non habet jus se defendendi, ergo non potest se defendere, ergo, &c. Probatur antecedens, quia ille, qui habet jus se defendendi, est, qui non peccat mortaliter, se defendendo, ut docet Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 9. disp. 21. n. 8.* & alij communiter. Sed adulter peccat mortaliter, se defendendo, ergo, &c. Probatur minor, quia adulter peccat mortaliter, occidendo maritum, ergo, &c. Probatur antecedens, quia occidit ob causam, quæ non est sufficiens, ergo, &c. Probatur antecedens, quia causa sufficiens est, quæ est proportionata effectui, ut docet Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 9. disp. 21. n. 8.* & alij communiter. Sed causa, ob quam occidit adulter, non est proportionata effectui, ergo, &c. Probatur minor, quia effectus est gravis, causa autem est levis, ergo, &c. Probatur antecedens, quia effectus est gravis, quia est mors, causa autem est levis, quia est injuria, ergo, &c. Probatur antecedens, quia injuria est levis, quia est verbum, ergo, &c. Probatur antecedens, quia verbum est levis, quia est

2. Ve

2. Verùm his non obstantibus negativam sententiam docet Sotus *de justit. lib. 5. quæst. 1. art. 9* & alij decem Doctores quos adducit & sequitur Sayrus *de censur. lib. 6. cap. 17. num. 18.* quibus ego addo Petrum Cornejo *in 3. part. D. Thomæ tractat. 5. de irregularit. disput. 4. dub. 1. quæst. 3.* Iacobum Gordonum *in Theolog. mor. tom. 2. lib. 7. quæst. 18. cap. 10. §. 2. num. 72.* Avilam *par. 7. disput. 5. sect. 3. dub. 3. conclus. 1.* Turrianum *de censuris lib. 9. disput. 65. dub. 2.* Lessium *lib. 2. cap. 9. dub. 15. numero 106.* Mercadum *de contract. lib. 6. cap. 4.* & novissimè Hurtadum *disputat. 2. de irregular. difficult. 10. num. 36.* ubi sic ait: Quamvis occidens dederit occasionem alteri ut ipsum invadat, ut adulterando cum uxore invadentis non est irregularis. Ratio est, quia ex *Clem. si furiosus, de homicidio*, absolutè & sine ulla distinctione habetur, quod qui se invadentē occidit pro defensione propriæ vitæ cum moderamine inculpatæ tutelæ, non est irregularis: ergo, &c. Dicendum est igitur absolutè quòd etiam quando quis sua culpa se ingessit in necessitatem, ut ad defendendam vitam suam opus sit occidere invasorem, non est irregularis. Vnde ex his Sayrus benignè multos casus interpretatur. Primò quando quis alterum ignaviæ accusat, vel ad pugnam provocat opprobriis. Secundò quando quis furatur, & postea volendo desistere à furando occidit dominum bonorum volentem illum occidere. Tertiò quando quis ivit ad bellum injustum, postea verò ut propriam vitam defenderet, occidit militem contra se venientem. Quartò quando quis ingerit se volendo eripere reum à ministris justitiæ, vel impedire ne capiatur ab eis, & postea opus est ut se defendat à dictis ministris volentibus ipsum occidere, & defendendo se occidit aliquem. In his & similibus casibus dicendum videtur supradictos non incurrere irregularitatem, ut observat Sayrus *loco citato*; sed an probabiliter, remitto me judicio aliorum, aliqui enim non approbant dictos casus, ut videre est apud Petrum Cornejo *in 3. part. D. Thomæ, tractatu 5. de irregularit. disputatione 11. dubitat. 2. quæst. 3.*

3. Non desinam tamen hìc adnotare Coninch *de Sacrament. disputat. 8. dub. 9. numero 64.* Layman *section. 5. tractat. 3. cap. 10. num. 1.* Suarez *de censuris disputat. 46. section. 1. numero 12.* supradictas pugnantes sententias fœdere distinctionis reconciliare, asserunt enim tunc talem fieri irregularem, quando potuit antè prævidisse ex tali occasione se futurum in morali periculo aut occumbendi, aut occidendi. Secus autem esse, quando omnino sibi persuadeat nullum tale periculum hìc & nunc subesse, quia in priori casu homicidium fuit voluntarium in causa, secus autem in secundo: sed absolutè secundam sententiam negativam probabilem esse puto cum Portel *in dubiis regular. verb. homicidium, numero 32.* dummodo, ut observat Turrianus *loco citato*, homicidium fiat sine peccato, & cum moderamine.

RESOL. CXXV.

Si quis interfecit adulterum inventum cum uxore, & postea vult Ordinibus initiari, quæritur, an egeat dispensatione pro irregularitate ex illo homicidio contracta?

Et docetur quod licitum est patri, marito, & fratri occidere filiam, uxorem, & sororem, & adulterum cum eis commistum.

Et deducitur, quod non est compellendus ad Sedem Apostolicam ire qui in Clericum cum uxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter inventum manus injecerit violentas.

Et infertur peccare semper mortaliter, contra justitiam patrem, & maritum, qui adulteros occidunt propria authoritate.

Et idem dicendum est, si ante latam sententiam judex illis eos tradat, occidendos.

Et notatur, quòd secundum jus Codicis non datur marito facultas occidendi conjugem, sed adulterum, & quod uxorem accuset. Ex part. 11. tract. 6. & Misc. 6. Res. 28.

§. 1. ET negativè videtur respondendum; quia non desunt Doctores asserentes non solum in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ tale homicidium non fuisse illicitum. Ita Alverius *de Rosate 4. part. statut. quæst. 19.* ubi se à multis Religiosis audivisse ait Theologorum sententiam esse, occidentem malefactorem juris authoritate, non peccare; quasi tunc interfector se ut legis minister & executor habeat: quare non solum non peccare asserit, verum mereri. Nec displicet Iasoni (qui prædicta tradit) *in leg. ubi pactum, num. 16. cod. de transact.* Idem docet Antonius Gomez, *lege 8. Tauri, num. 52. & 55.* Castillo *lege 82. Tauri, num. 6. in fine* Menchaca *lib. 1. controvers. cap. 6. num. 2.* Azevedus *lib. 2. recopilat. tit. 20. leg. 1. in fine, & lib. 4. tit. 10. leg. 1. num. 21.* Barbosa *in leg. si ab hostibus, §. finali. numero 56. tom. 2. pag. 129. col. 2.* ubi ait, leges in ea re maritos, & patres executores facere delicti, quamvis nulla præcedat sententia, & justissimas esse ob bonum commune, pacemque publicam Reipublicæ, & citat pro hac parte Felinum *in c. quæ in Ecclesiar. num. 13. de const.* idem tenet Iulius Clarus, *lib. 5 sent. §. homicidium, num. 5. vers. sed hæc quidem*, ubi alios citat, & Sà *verb. Homicidium, num. 15.* ubi sentire videtur hoc esse probabile. Et novissimè hanc sententiam tenet Pater Thomas Hurtado *Var. tom. 2. tract. ult. res. 5. §. 7. num. 204.* ubi sic asserit: Licitum est Patri occidere propriam filiam conjugatam, & adulterum ei commixtum si eos, vel in sua domo, vel in domo generi reperiat actualiter adulterantes; nam civiles leges non solùm impunitum relinquunt Patrem ita occidentem, sed etiam ei conferunt ad talem occisionem potestatem, & pœnæ executorem constituunt. Ita expressè *leg. 21 23. & 23. ff. de Adulteriis, leg. Gracchus 4. Cod. de Adulteriis.* Item tenent leges Hispanicæ *leg. 5. titul. 20 l. 8. & leg. 2. tit. 20. lib. 8.* & aliæ plures, quas refert Covaruvias *de matrim. 2. par. c. 7. §. 7.* Quamvis verum sit quod secundùm jus Codicis non detur marito facultas occidendi conjugem, sed adulterum, & quod uxorem accuset. Quam sententiam defendunt Antonius Gomez *leg. 52. Tauri, num. 12.* Menchaca *in controvers. lib. 1. cap. 6.* & dicit esse probabilem Lessius *lib. 2. de just. cap. 9. dub. 3. num. 16.* & Salmanticæ anno 1617. eam tutaverunt graviores Cathedratici Primarij Legistæ illius universitatis, alij esse veram, alij probabilem, & nulla censura dignam asserentes, ut refert Legionens. *lib. 9. de matrim. cap. 15.* Et ego etiam idem tunc existimavi, & subscripsi. Et ita omnes Auctores, qui plures sunt, & quos citant Thomas Sanchez *lib. 10. de matrim. disp. 8. num. 39.* & Sà expurgatus intelliguntur, quod non liceat marito auferre vitam uxori adulteræ auctoritate propria, benè tamen auctoritate publica, & regia, quia constituitur publicus minister Reipublicæ ad tuendas res proprias, occidendo si ita necessum sit, invasorem, & latronem, honor autem facultatibus præfertur, *leg. Iulianus ff. si quis omiss. causa.* Et ita omnia argumenta, quæ affert Basilius Legionensis, *numero 5.* possunt solui facillimè ex hac tradita doctrina. Hucusque Pater Hurtadus. Ergo si tale homicidium non fuit in se peccaminosum, dicendum est non induxisse pœnam irregularitatis.

Sup. hoc in tom. 2. tr. 6. in Res. 223.

2. Confirmatur *ex capit. Si vero alicujus, de sent.*

Sup. hoc sup. in tr. 2. Res. 16. §. 1. à lin. §. & vers. El quarto. & in Res. 17. recitanter in princ. & in Res. 18. à lin. 2. & vers. Qui in Cle ricorum. & in tom. 9. tr. 1. Res. 49. §. Sed hanc.

Excommunication. vbi sic habetur: Nec ille compellendus est ad Sedem Apostolicam venire, qui in Clericum cum uxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter inventum manus injecerit violentas. Cæterum si in stupro, vel adulterio, quod committit cum ea, quæ ipsum ita proxima consanguinitatis linea contingit, ceperit, aut in eum violentas manus injecerit, non erit à sententia illius excommunicationis immunis. Hæc ibi. Ergo si tales non incurrunt in tali casu Cepsuram Canonis, ut observat Toletus *lib. 1. summæ, cap. 33. num. 1.* Suarez *tom. 5. de censuris disp. 22. sect. 1. num. 34.* Sylvester *verb. excommunicatio. 6. num. 6. §. 10.* Cardosus *in praxi de judicys verb. excommunicatio, num. 20.* Bermondus, *in tract. de concubinatu, fol. 267. num. 5.* Covarruvias *lib. 2. variarum cap. 10. numero 8.* Iulius Clarus *lib. 5. sentent. §. finali, quæst. 77. numero 11.* Claudius *in leg. ut vim, ff. de just. & jure, num 85.* Menochius *de arbitr. quæst. casu 419. num. 92.* Cevallos communis contra communem, *quæst. 833. num. 310.* Ergo dicendum in casu nostro homicidam de quo loquimur in irregularitatem incurrisse. Et ita in terminis ex rationibus adductis tenet Stephanus Fagundez *in Decalog. tom. 1. lib. 5. capit. 10. numero 31.* vbi sic asserit. Idem mihi planè videtur dicendum de irregularitate; non enim ob hujusmodi occisionem, irregularitas ex delicto homicidij voluntarij incurritur, sicut enim non incurritur excommunicatio, ita nec irregularitas, parcit enim Ecclesia his pœnis propter justissimum dolorem, nec reputat hoc homicidium tam ex voluntate, quàm ex vehementissima passione factum propter justum dolorem, quia textus ita loquuntur de hujusmodi percussoribus, & interfectoribus, ac de illis, qui se justè defendunt; constat autem eos, qui alios se justè defendendo occidunt nullam excommunicationem, aut irregularitatem incurrere, ut diximus in hoc libro, *cap. 3. num. 1. vers. Quod verò.* Et hæc opinio habet pro se omnes Doctores, qui dicunt licitum esse in foro conscientiæ patri, marito, & fratri occidere filiam, uxorem, & sororem adulteras simul cum adultero, quicumque ille sit, in adulterio inventas. Ita Fagundez *loco citato.*

Sup. hoc in Res. & §. not. seq.

* Docuit in tom. 8. tr. 5. Res. 74. §. ult. & in tom. 2. tr. 6. Res. 223. lege ejus doctr. pro hac quæst.

3. Sed hæc opinio apud me habet maximam difficultatem; nam ut ego olim * docui, & nunc iterùm doceo cũ Põncio adversus Patrem Hurtadum, & citatos Iurisconsultos, supradictam sententiam procedere in foro externo, non autẽ in foro conscientiæ, & ideò puto semper peccare mortaliter contra justitiam patrem, & maritum, qui adulteros occidunt, sua propria authoritate: Et idem dicendum est, si ante sententiam latãm Iudex eos illi tradat occidendos. Hanc tenent Sanchez *lib. 10. de matrimon. disp. 8. num. 3.* D. Thomas *in 4. distinct. 37. quæst. 2. artic. 1. in corpore.* D. Bonaventura *art. 2. quæst. 1.* Victoria *in summa, ubi de matrimon. num. 292.* Veracruz *3. part. speculi art. 4.* Sotus *in 4. dist. 37. quæst. unic. art. 3. conclus. 1. & lib. 5. de dist. q. 1. art. 3. ad 1.* Aragonius *2. 2. quæst. 64. art. 3. ad 2.* Rodriquez *tom. 1. summa in 2. edit. cap. 206. num. 9.* Sà *in sum. verb. Homicidium. n. 15.* Guttierrez *lib. 2. qq. pract. quæst. 1. numero 22.* Petrus Navarra *lib. 2. de restitut. cap. 3 part. 2. in nova edit. dub. 8. num. 206.* Navarrus *in Summ. Hispan. cap. 15. num. 3. in fine.* Covarruvias *in 4. Decret. 2. p. §. 7. num. 9.* Probatur ex *c. inter hæc 33. q. 2.* ubi Nicolaus Primus, ait licere secundùm leges mundanas, non tamen secundùm Ecclesiasticas uxorem adulteram impunè interficere. Secundo, quia leges civiles solùm ob vehementem dolorem hujusmodi homicidia impunè fieri permittunt, at leges permittentes aliquid impunè fieri, minimè à culpa excusant, ut latissimè, multis adductis exemplis, confirmat Titaquellus *leg. 9. connubiali, num. 1. & seqq.* aliud enim est ad vitanda majora peccata, & scandala, permittere aliqua minora: aliud illa præcipere, vel concedere licentiam ad illa perpetranda, ut patet ex meretricibus publicis; permittunt enim leges civiles meretrices in Republica Christiana ad evitanda majora peccata, & scandala adulteriorum, & sodomiæ: non tamen hæc permissio illas à peccato excusat, nec excusare potest, nec illorum actum facere potest licitum. Tandem, quia injustum est parte non audita, & ante latam sententiam concedere generalem, vel specialem facultatem perimendi reum. Quamobrem iniquissimè faceret judex, si ante latam sententiam adulterij id concederet parentibus, aut maritis earum, quæ in adulterio reperiuntur.

4. Nec obstat dicere quod leges humanæ expressè concedunt facultatem perimendi bannitos non auditos: ergo poterunt etiam hanc facultatem concedere circa adulteros. Respondeo esse diversam rationẽ, quia banniti sunt hostes reipublicæ, & nec capi, nec accusari possunt: at adulteri non sunt hostes Reipublicæ, & capi, & accusari possunt. Confirmantur superius dicta ex doctrina Doctorum asserentium illum maritum, qui privata auctoritate adulteros in scelere deprehensos enecat, teneri damna restituere ad aliorum homicidarum instar, quia peccat contra justitiam. Ita Petrus Navarra, *lib. 2. de restitution. cap. 3. part. 3. in nova edit. dub. 8. n. 207.* Sanchez *l. 10. de matrim. disp. 8. num. 41.* Bañez *2. 2. quæst. 64 art. 3. dub. 2. in solut. ad 3.* Parisius *cons. 154. num. 12. & numero 41. lib. 2.* Socinus *lib. 2. consil. 34.* asserentes peccatum hoc esse contra justitiam. Et ita hanc sententiam præter Doctores à me alibi citatos, tenet novissime doctissimus Magister Marcus Serra *in 2. 2. D. Thomæ q. 64. art. 3.* Amicus *in Curs. Theol. tom. 5. disputat. 36. sect. 2. numero 21.* & Ioannes Vvigers *de justit. & jur. tract. 2. cap. 2. dub. 3. num. 14.* ubi rectè dicit ab hac sententia communi in quæstione tam practica, & tanti momenti non esse recedendum. Et ita etiam docet Ioannes Pontius omninò videndus *in Curs. Theolog. disput. 52. quæst. 5. conclus. 3. numero 22.* Hinc sequitur maritum teneri ad restitutionem propter interfectionem adulteri in foro conscientiæ, & hunc posse licitè se defendere, ac etiam, si aliter evadere nequeat, interficere maritum tanquam injustum invasorem in foro conscientiæ. An verò esset irregularis, si interfecisset, ita controvertitur, ut utraque pars sit probabilis, & propterea potest occisor amplecti partem sibi magis favorabilem. Ergo cùm in casu nostro homicidium illud fuerit in conscientia illicitum, & mortaliter peccaminosum, ut probatum est, sequitur consequenter, pœnam irregularitatis induxisse, atque ideò supradictum homicidam non posse ordinibus initiari, nisi prius dispensationem irregularitatis obtineat.

Alibi inf. & §. num. Practica. Sup. hoc lib. in Res. pro tenuit.

RESOL. CXXVI.

An, si Clericus, vel Religiosus aggressus occidat invasorem, præter peccatum mortale, incurrat irregularitatem, si fugere posset?

Et an in hoc casu non peccet contra justitiam, sed contra Charitatem tantum?

Et advertitur, quod in prædicto casu nihil est distinguendum inter Clericum, & laicum, ubi uterque ad occisionem justam æquali premente necessitate, aliquem occidit, &c. Ex parte 11. tractatu 6. & Misc. 6. Res. 29.

§. 1. APud me certum est nihil prorsus distinguendum esse inter laicum & Clericum, ubi enim uterque ad occisionẽ justã æquali premente necessitate, sive obligatione vitandi mea. Sup. hoc tract. in Res. 29. in princ. & in Res. 30. in princ. & §. 1. seq.

tandi peccati aliquem occidit, utrumque immunem esse irregularitatis existimo cum Avila, *disp.5. sect.3. dub.5.* Molina *disp.109. tract.2.n.7.* idcircò enim negat contra Sotum, Navar. & Cajetan. alibi adducendos, opus esse protestatione de curanda morte, vt Clericus excusetur ab irregularitate propter denunciationem proditoris Patriæ, ad quam faciendam lege divina, & naturali obligatur, quia protestatio necessaria non est, nisi in iis casibus, in quibus illa contrahi potest irregularitas; atqui ostendimus in actione ad quam obligat lex naturalis, aut metus, nullam aut indecentiam aut lenitatis violationem, aliumvè defectum reperiri posse: ergo neque irregularitas. Quod autem, qui illam actionem ponit, sit laïcus, aut clericus, omninò per accidens est, quandoquidem premuntur eadem obligatione ponendi actionem, de qua disputavimus, ne peccent, & eodem periculi gravissimi metu impelluntur.

2. Difficultas est in casu nostro, an si Clericus possit fugere, ad id teneretur? & ideò quæritur an præter peccatum mortale, irregularitatem incurreret? Et ad hunc casum sic respondet doctissimus & m hi dum viveret amicissimus Pater Oviedo *tract. de Charitate, contr.13. punct.3. n. 39.* Quando quis intendit alium vulnerare, aut occidere, aut post unum vulnus inflictum, aliud infligere, licere injuriam prævenire invadentem vulnerando, aut occidendo, dum alia via non supereſt sine infamia talem injuriam vitandi, commune est apud Doctores. Dixi dum alia non supereſt via vitandi injuriam sine infamia, nam si absque infamia possit vulnerandus aut occidendus fugere, ad id tenetur. Docent autem Molina, Lessius, Puente, Hurtado, & alii, virum nobilem laïcum non teneri fugere invasorem injustum, quia talis fuga illi erit infamis, & contumelioſa. Tenetur autem fugere in hoc casu Religiosus, & Clericus, quia his non est infamis fuga, sed laudabilis. Docent verò Puente, Hurtado, & cum Iulio Claro, P. Lessius, Clericum & Religiosum in hoc casu nolentes fugere non peccare contra Iustitiam, sed tantum contra Charitatem. Addunt verò irregularitatem contracturos, si in eo casu occidant, aut mutilent invasorem, quod nescio an consequenter dictum sit; videtur enim irregularitas tantum imposita in pœnam homicidii, aut mutilationis contra justitiam, non verò præcisè contra charitatem, ille enim qui posset innocentem à morte eripere absque ullo incommodo, & non faceret, irregularitatem non contraheret, & tamen contra charitatem peccaret propter mortem sequutam. Video in casu quem tractamus, Religiosum, aut Clericum esse causam physicam mortis; in casu autem quo eam ab alio illatam, seu inferendam permitterent, non fore causam physicam, sed tantùm moralem, sed hæc differentia materialis tantùm videtur, dum eadem formalis malitia ex illa actione physica, & ex pura permissione consurgeret. Pater Vasquez, Navarra, & Bonacina apud Puente, Hurtado to.... §.135. asserunt Clericum, & Religiosum in eo casu contra justitiam peccare, quod ab illis non probari, ait Hurtado, qui cum Molina tenet non quamlibet mortem illicitè illatam esse contra justitia, sed eam tantum qua occiditur ille, qui justam causam non dedit. Hucusque Oviedo. Et ideò satis probabiliter quis dicere posset in tali casu, Clericum vel Religiosum nullam incurrere irregularitatem, vt probabiliter alibi diximus de his qui non ex justitia, sed tantùm ex Charitate tenentur aliorum mortem impedire.

RESOL. CXXVII.

An quis efficiatur irregularis, si fugiendo potuit mortem evadere, & maluit invasorem occidere?

Et quid, si aliquis aggressori alapam dedit, aut injuriosum verbum dixit, aut cum ejus uxore inventus est, an in talibus casibus, si aggressus potest fugere, possit licitè se defendere occidendo, & non incurrat irregularitatem?

Et an Clericus incurrat irregularitatem occidendo invasorem, si non fugiat, cum possit?

Idem est dicendum de Religioso, & homine infimæ notæ.

Et quid vero, si in aliquo casu etiam Clerico fuga esset ignominiosa?

Et notatur irregularitatem contractam ex homicidio facto in sui defensionem culpabilem non esse moraliter indispensabilem, sed comprehenditur in Concilio Tridentino sess.24. cap.6. Ex p.4.tr.2. Res.3.

§.1. AFfirmativè respondet Sylvius *in 2.2. q.64. art.7. quæritur nonò, conclus.1.* Vega *en espejo de curas tom.2. cap.12. §.26. num. 254.* Avila *p.7. disp.5. sect.3. dub.2. concl.3.* Villadiego *de irregul. c.6. num.75.* Layman *sect.5. tract.3. part.3. cap.9. num.3.* Reginaldus *tom.2. lib.30. tract.2. cap.9. n.105.* Vgolinus *de irregularit. cap.29.§....n.3.* Majolus *de irregular. lib.5.cap.48. num.6.* Navarrus *cap.27.num.271.* & alii. Ratio est, quia *in Clem. si furiosus, de homicidio*, excipitur tantùm casus in quo aliter non potest se defendere; ergo, &c. Sup. hoc in Res. seq. & lege etiam alias Res. §. & vers. ejus primæ not.

2. Sed tu contrariam sententiam tenet, quam tuetur Petrus Cornejo *in 3.part.D.Thoma tract.5.de irregular. disp.4. dub.1. quæst 4.* Turrianus *de censur. lib.9. disp.65. dub.1.* Hurtado *de irregular.disp.2. difficul. 10. n.36.* Coninch *de Sacram. disp.18.dub.9.num.90.* Villalobos *tom.1. tract.21. diffic.24.num.2.* Filliucius *ubi infrà.* Suarez *tom.5. disp.46. sect.1. num.6.* Præpositus *in 3.part. quæst 5. de irregul. dub.11. num.87.* Tannerus *in 3.part. disp.6. quæst.10. dub.11. num.210.* Dico igitur, eum qui non potuit evitare occisionem invadentis injustè, nisi fugiendo cum dedecore notabili, non esse irregularem, quia tunc non tenetur cum tanto detrimento proprio vitare mortem injustè invadentis, nisi quando invasus dedit causam gravem invasioni, vt quando adulterio, aut verbis contumeliæ incitavit injuriatum ad invasionem. Verùm si hæc per accidens consecuta essent, occidentem etiam in hoc casu non incurrere irregularitatem, docet Filliucius *ubi infrà, num.135.* tunc igitur incurritur irregularitas, quando in tali casu homicidium prævisum est, vel prævideri potuit ab inferente injuriam. Verùm Cornejo *ubi supra* absolutè docet, quòd si aliquis aggressori alapam dedit, aut injuriosum verbum dixit, aut cum ejus uxore inventus est, in tali casu, si aggressus potest fugere, non potest se licitè defendere occidendo, unde sibi imputet infamiam fugæ, cùm ipse occasionem dederit & ideo cogita an opinio Filliucii sit probabilis, nam contra illum præter Cornejo adest etiam Portel. *in dubiis regular. ver. homicidium, num.32. in fine*, ubi citat Suarez *de cens. disp.46. sect.1. num.12.* Sup. his seqq. in hoc §. in Res. seq. §. vlt. à lin 4. & vide alios § & vers. ejus not.

3. Nota tamen quòd ex hac doctrina infert Suarez & DD. citati *ubi supra*, Clericum incurrere irregularitatem occidendo invasorem, si non fugiat, cùm possit, quia Clericis non est ignominiosum fugere, & à fortiori idem dicendum est de Religioso, & Sotum *de just. lib.5.quæst.2.art.8.* & alii. Idem asserunt de homine infimæ notæ, qui nullam incurrit Sup. hoc in Res. præterit. § 2. & sup. in tr.2. Res. 21. §. Sed ego, à propè fin. vers. Secus.

Sup. his aut. sim in §. 2. n. 1. præcerte, & in 10. 8. tr. 5. Res. 3. §. 2.

infamiam ex fuga. Verùm si in aliquo casu etiam Clerico fuga esset ignominiosa, puto cum Felino *in cap. suscepimus, de homicidio*, quòd non incurritur irregularitas, & ita notat Filliuc. *tom. 1. tract. 20. capit. 6. num. 133.*

Sup. con cto in hoc §. in tom. 3. tr 3. Res 42. & in Res 46 § Sed, à lin. 4. & hic inf. in Res. seq. & sup. in tr. 2. Res. 21. § ego, paulò post initiū, ver. Vnde.

4. Notandum est tamen hîc obiter id quod alibi notavimus, irregularitatem contractam ex homicidio facto in defensionem sui culpabilem, non esse moraliter indispensabilem, (sicut contractam ex directè voluntario, in qua solus Papa dispensat) sed comprehendi sub decreto Concilii Tridentini *sess. 24. cap. 6.* quia idem Concilium *sess. 14. cap. 7. de reform.* tam homicidium factum in defensionem immoderatam, quàm casuale distinguit ab homicidio facto ex industria in ordine ad irregularitatem. Et confirmari potest ex eo quòd Iurisperiti docent, homicidium factum in defensionem immoderatam non puniri pœna ordinaria. Et ita hanc sententiam tenet Mercerus *de Sacrament. in 3. part. D. Thomæ quæst. 24. dubitat. 7. propos. 1.*

RESOL. CXXVIII.

Quidam vir Nobilis occidit Titium cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ, sed poterat fugiendo vitam servare; modo pœnitentia ductus vult sacros Ordines suscipere, quæsivit à me, an propter illud homicidium incurrerit irregularitatem, ita vt egeat dispensatione?

Et quid est dicendum, quando præcesserit culpa ex parte ejus, qui fugere cogitur, vt si ille dedit alteri alapam, vel injuriosum verbum dixit, vel cum uxore inventus est, aut pallium tollere est aggressus, &c. Ex p. 2. tr. 15. & Misc. 1. Res. 16.

Sup. hoc lege §. 1. doctr. præced. Res. signanter §. vlt. & aliarum Res. §§. & vers. annot. dicti §. vlt. signanter sup. tr. 2. ex Res. 21. §. 2. paulò post init. à vers. Vnde.

§. 1. QVidam Theologus Societatis Iesu, vt ipse consulens asserebat, partem affirmativam illi consuluit & probabiliter quidem: nam hanc sententiam cum 19. Doctoribus docet Sayrus *de cens. lib. 6. cap. 17. n. 16.* & novissimè tenet hanc opinionem Avila *de cens. part. 7. disp. 5. sect. 3. dub. 2.* Reginald. *in praxi, tom. 2. lib. 30. tr. 2. c. 9. n. 105.* & Fernand. *in exam. Theol. mor. p. 2. cap. 10. §. 14. num. 9.* Farin. *p. 2. fragment. crim. num. 400.* Et ratio est clara. Nam in Clementina, *Si furiosus de homicidio*, excusatur quis ab irregularitate aliquem occidendo, quando aliter vitam suam tueri non potest, sed in nostro casu hîc mortem vitare potest fugiendo. Ergo, &c. Adde, quòd ita occidens non videtur occidere pro defensione vitæ, sed pro defensione honoris. Ergo, &c.

2. Sed quia consulens erat vir nobilis, & fugiendo magnam infamiæ notam incurrisset, existimavi irregularitatem propter tale homicidium minimè incurrisse. Fateor quidem in hac sententia multos habere adversarios, sed illam audacter, & sine metu amplector, quia pro me stat Suarez *in 3. p. tom. 5. de cens. disput. 46. sect. 1. n. 6.* ubi nostram opinionem & docet, & ita asserit. Dicendum est, quod si quis non potest fugere, sine gravi nota & amissione honoris, non teneri ad fugiendum, nec irregularem fieri, si alium occidat, se defendendo. Probatur, quia quod vitari non potest sine magna infamia & dedecore, moraliter inevitabile est, & ideò meritò hic casus sub verbis Clementinæ comprehensus intelligitur. Hæc Suarez. Et post illum docent etiam hanc sententiam novissimè Filliuc. *in quæst. mor. tom. 1. tract. 20. cap. 5. n. 134.* Bonacina *de cens. disp. 7. q. 4. punct. 6. num. 4.* & Coninch *de Sacram. disp. 18. dub. 9. num. 90.*

3. Ex his patet responsio ad argumentum contrariæ sententiæ. Nam dicendum est in casu, de quo loquimur illum qui occidit, moraliter vitam suam alio pacto tueri non posse. Nota verò, quod Suarez suam sententiam limitat; nisi præcesserit culpa, & injuria, ex parte ejus qui fugere cogitur, vt si ille dedit alteri alapam, vel injuriosum verbum dixit, vel cum uxore inventus est, aut pallium tollere est aggressus, & alter in eum insurgit, non solùm, vt vim repellat, sed etiam vt vindicet & occidat. Nam tunc licèt hic excedat, non potest alter justè se defendere, sed potest fugere, cùm ipse dederit occasionem rixæ. Et ideò, si fugiendo amittit honorem sibi, & non alteri imputare debet. Sed hæc limitatio Suarez ita absolutè prolata, non mihi placet; sed cum Filliucio *ubi supra, n. 135.* tunc veram esse censeo, cùm id omne prævisum est, vel prævideri potuit ab inferente injuriam. At quando omninò per accidens ea consecuta essent, non video cur non possit vti jure suo permanendi, & si aliter non posset se tueri, quàm occidendo, non est cur deterioris conditionis fieri debeat, quàm alii.

Sup. hoc ego. Sed ego. ad hoc simile.

RESOL. CXXIX.

An sit irregularis, qui occidit invasorem, ne graviter vulneretur?

Et an, qui verbis, vel factis injuriando aliquem, dedit occasionem rixæ, si illum occidat cum moderamine inculpatæ tutelæ, incurrat irregularitatem? Ex part. 4. tractat. 2. Res. 6.

§. 1. NEgativè respondeo cum Hurtado *disp. 2. de irregular. diffic. 11. num. 36.* Salonio *in 2. 2. quæst. 64. art. 8. contr. 2. conclus. 1.* Sayro *de cens. lib. 6. cap. 17. num. 4.* quia ita se defendens vitam suam tuetur, cùm hoc ad vitæ consistentiam pertineat; & ideo Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 21. difficul. 24. n. 7.* sic asserit. [No se incurre irregularidad quando no ay peligro de muerte ni mutilacion, si le ay de grave percussion como si le yva à dar de palos, y no lo pudo evitar de otra manera.]

2. Vnde aliqui putant contra Petrum Cornejo *in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de irregular. disp. 4. dub. 1. quæst. 7.* & Avilam *de cens. part. 7. disp. 5. sect. 3. dub. 1.* qui citat Navarrum, quòd occidens invasorem ad se defendendum à gravi deformitate vultus non incurrit irregularitatem, & ita tenet Sayrus *ubi supra*, & magis in terminis Martinus Bonacina *de censur. disputat. 7. quæst. 4. punct. 6. num. 8.* quia homo tanti facit gravem vultus deformitatem, quanti gravem divitiarum jacturam, sed vt dictum est, potest quis ad defendendas suas divitias occidere invasorem. Ergo, &c. Adde quòd grave vulnus in facie magnum dedecus & infamiam affert, & ita hanc sententiam ante Bonacinam docuerat Henriquez *lib. 14. cap. 10. num. 3.* Notandum est tamen hîc obiter contra Navarrum *lib. 5. consil. 33. de homicidio*, quod qui verbis, vel factis injuriando aliquem, dedit occasionem rixæ, si illum occidat cum moderamine inculpatæ tutelæ, non incurrere irregularitatem. Ita Mercado *de contr. lib. 6. c. 4.* & Avila *ubi supra*, quia injuria non dat jus alteri vt quis se vindicet manu propria.

RESOL. CXXX.

An qui alterum occidit, cum moderamine inculpatæ tutelæ ad defensionem non vitæ, sed alicujus membri, sit irregularis? Ex p. 4. tract. 2. Res. 22.

§. 1. NEgativè respondet Navarra *de restit. lib. 2. cap. 3. numer. 364.* & alii communiter, quia invasus, vt docent DD. si non excedat moderamen inculpatæ

inculpatæ tutelæ, non solùm vitam, sed & membrorum integritatem licet tueri, ergo.

2. Verùm hæc sententia ab aliquibus non probatur, quia sublata est irregularitas juris antiqui quæ incurrebatur ex occisione ob necessariam vitæ suæ defensionem, loquitur enim *Clement. si furiosus*, de illo qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem. Neque satis est respondere quòd quantum ad irregularitatem, paria sunt homicidium & mutilatio, quoniam etsi sunt paria quantum ad hoc quòd ex utroque contrahitur irregularitas, non tamen quantum ad hoc, quòd quidquid de homicidio statuitur, dicendum sit de mutilatione, alioquin non esset irregularis, qui se defendens tunc occideret, quando posset evadere mutilando; cujus tamen contrarium est tenendum, quia iste non servaret moderamen inculpatæ tutelæ, & ita hanc sententiam docet Toletus, quem citat & sequitur Antonius Fernandez *in medulla part. 2. c. 10. §. 14. n. 9.* & inclinat Sylvius *in 2. 2. D. Thom. q. 64. art. 7. quæritur 7.* Sed licèt hæc opinio sit probabilis, negativam non minus probabilem & tutam in praxi esse puto, nam vt *suprà* ostensum est, potest quis sine metu irregularitatis occidere invasorem, ne recipiat grave vulnus in facie, vel in defensionem bonorum magni momenti, quanto magis ne recipiat mutilationem membri, & ita hanc sententiam tenet etiam Hurtado *de irregular. disp. 7. diffic. 10. n. 36.* ubi sic ait: Si ob homicidium factum in defensionem propriorum bonorum magni momenti non incurritur irregularitas, quia licitum est, multo minus incurretur quando fit ne occidens mutiletur, aut aliter graviter vulneretur, quia tunc non minus licitè fit. In Clement. verò tantùm declaratur esse immune ab irregularitate homicidium factum in defensionem propriæ vitæ, quia id esse licitum, erat certum apud omnes. Ita Hurtado, & ego.

RESOL. CXXXI.

An sit irregularis, qui occidit invasorem in defensionem bonorum temporalium, honoris, pudicitiæ, &c.?

Et notatur quatuor conditiones in tali casu esse necessarias, vt defensio sit licita sine metu peccati, & irregularitatis. Ex p. 4. tract. 2. Res. 4.

§. 1. Esse irregularem tenet Avila *p. 7. disp. 5. sect. 3. dub. 4.* Navarrus *cap. 27. n. 209. & 213.* Villadiego *de irregul. cap. 6.* & ratio est, quia *Clem. si furiosus*, excipit eum, qui non potest aliter defendere propriam vitam: ergo: & ita hanc sententiam novissimè docet Reginaldus *tom. 2. lib. 30. tract. 2. cap. 9. n. 107.* Salonius *in 2. 2. q. 64. art. 7. controv. 2. concl. 1.* & Bañez *eodem art. dub. 2. & 3.* Vega *en espejo de curas, tomo 2. cap. 22. quæst. 26. n. 255.* Layman *sect. 5. tract. 3. part. 3. cap. 9. num. 3.* ubi citat Abbatem, Sylvestrum, D. Antoninum, Armillam, Gutierrez, Molinam, Henriquez, & alios.

2. Sed ego contrariæ sententiæ tanquam probabiliori adhæreo, quam tuetur Petrus Cornejo *in 3. p. D. Thomæ tr. 5. de irregul. disp. 4. dub. 1. quæst. vlt.* Portel. *in dubiis regul. ver. homicidium, num. 34.* Gordonus *in Theol. mor. tom. 2. lib. 7. q. 18. cap. 10. §. 3. n. 73.* Villalobos *in sum. tom. 1. tr. 21. diffic. 24. num. 8.* Filliucius *tom. 1. tr. 20. cap. 5. num. 150.* Castrus *de lege pœn. lib. 1. cap. 74.* Sotus *lib. 5. q. 1. art. 8.* Præpositus *in 3. par. q. 5. de irregul. dub. 11. num. 90.* Tannerus *in 3. p. disp. 4. q. 10. dub. 11. n. 210.* Hurtado *disp. 2. de irregul. diffic. 10. n. 36.* Mercerus *de Sacram. in 3. part. D. Thomæ q. 24. dub. 7. propos. 2.* Coninch *de Sacram. disp. 18. dub. 9. num. 88. concl. 4.* Turrianus *de cens. lib. 9. disp. 65. dub. 3.* Suarez & alii penes ipsos, quia tale homicidium non est peccatum, vt clarè patet: sed propter privatum homicidium non est imposita irregularitas nisi quando est peccatum, vt latè probat Suarez, Tannerus, Præpositus & alii; ergo, &c.

3. Nota tamen in tali casu esse licitam defensionem sine metu peccati & irregularitatis, si adsint aliquæ conditiones. Prima, vt nocumentum temporale sit grave, & actu injustè inferatur. Secunda, vt non sit reparabile, vel cum tanta difficultate, vt ob eam censeatur grave nimis detrimentum. Tertia, vt verè sit defensio & moderata. Quarta, vt non possit alio modo fieri defensio nisi per mortem aggressoris. Ad Canones verò, quos pro affirmativa sententia adducunt DD. respondent optimè Coninch, Mercerus & Turrian. *locis citatis.*

RESOL. CXXXII.

An incurratur irregularitas propter defensionem licitam proximi maximè innocentis, & sibi propinqui? Ex p. 4. tract. 2. Res. 5.

§. 1. Incurri putat Layman *sect. 5. tract. 3. p. 3. cap. 9. n. 3.* qui citat glossam, Navarrum, Abbatem, Sylvestrum, & ante Layman ex eadem Societate Iesv docuerat hanc sententiam Stephanus de Avila *part. 7. disp. 5. sect. 3. dub. 4.* Vide etiam Bizozerum *in summa, cap. 5. de censuris n. 2.* Majolum *de irregular. lib. 5. c. 48. num. 9.* & ratio est, quia talis casus non excipitur in dicta Clem. *si furiosus*: ergo, &c. Deinde æquè est diligenda vita utriusque proximi.

2. Sed contrariam sententiam docet Covarr. Major, & Suarez, quos citat & sequitur Turrianus *de censur. lib. 9. disp. 65. dub. 4.* quibus ego addo Petrum Cornejo *in 3. p. D. Thomæ tr. 5. de irregul. disp. 4. dub. 1. q. 11.* Mercerum *de Sacram. in 3. part. D. Thomæ q. 24. dub. 7. propos. 3.* Tannerum *in 3. p. disp. 6. q. 10. dub. 11. n. 210.* Hurtadum *disp. 2. de irregul. diffic. 10. n. 36.* Coninch *de Sacram. disp. 18. dub. 9. n. 88. concl. 3.* Dico igitur non esse irregularem qui cum moderamine inculpatæ tutelæ occidit alterum in defensionem proximi innocentis, præsertim sibi propinqui; & hoc verum esse puto, non solùm in casu, quo defensio innocentis cadit sub obligatione, sed etiam quando tantùm est licita, & ita præter DD. citatos tenet etiam hanc sententiam Villalobos *in summ. tom. 1. tr. 21. difficult. 24. n. 11.* & Filliucius *tom. 1. tr. 20. cap. 5. n. 159. & 160.* ad authoritatem verò Clem. *si furiosus* sæpiùs adductam respondeo, quòd non adducit jus novum, quod declaret antiquum, & argumentum à contrario sensu est inefficax in hac materia.

RESOL. CXXXIII.

An non impediens homicidium, quod tenetur ex justitia impedire, vt Iudex, Gubernator, & alii ministri justitiæ, incurrat irregularitatem?

Idem est de mutilatione.

Et quid de Advocato, teste, Procuratore, Medico, & similibus?

Et an sit irregularis, qui per vim, vel dissuasionem impedit, ne aliquis impediat, hominis occisionem? Ex p. 4. tract. 2. Res. 7.

§. 1. Hic casus frequenter potest accidere, & affirmativam sententiam tenet Avila *de cens. part. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 7. concl. 2.* ubi citat Sylvestrum, Navarrum, Henriquez, Rodriquez, Felinum & alios, quibus

Sup. hoc sup. in Res. 110. à lin. 5. & melius pro omnibus persoquibus

nis contentis in hoc ex-ru, usque ad §.vlt. hujus Resol. in to.3. tr.3 Resol.57. à lin.1.

quibus ego addo Mercerum *de Sacr. in 3.p.D.Thomæ q.24.dub.6.ad 2.* Bañez *in 2.2.q.64.art.8.dub.1.part.2. concluſ.4.* Paulum Laymann *ſect.5.tr.3.part.3.cap.2. n.7.* Megalam *3.p.lib.7.cap.2.q.5.n.89.* Coninch *de Sacrament. diſp.18.dub.8.num.71.* Vega *en eſpejo de curas, tom.2.cap.12.§ 26.num.274.* Villalobos *tom.1. tr.21.difficult.22.n.16.* Sayrum *de cenſ.lib.7.cap.4.n.3.* & Bonacinam *de cenſ. diſp.7.quæſt.4.punct.8.n.37.* qui citat Suarez, Filliucium Reginaldum, Toletum aſſerentes quòd quotieſcumque omiſſio ſeu permiſſio homicidii eſt ſolùm contra charitatem, non incurritur irregularitas, licèt omiſſio illa ſit peccatum. Si verò omiſſio ſit contra juſtitiam, qua quis vel ex officio, vel ratione ſtipendii, vel alicujus obligationis factæ alium à morte, vel mutilatione defendere tenetur, tunc incurritur irregularitas ex homicidio ſequuto ex illa omiſſione; & ratio eſt, quia in tali caſu quis cenſetur cauſa moralis homicidii, privat enim alium jure ſuo, & re ſibi neceſſaria ad ſui defenſionem, unde conſequenter moraliter influit in homicidium. Vnde ex hac doctrina ſupradicti DD. inferunt, quòd judex, vel alius Gubernator, per omiſſionem non defendens innocentem ſi occidatur, vel mutiletur, incurrit irregularitatem. Idem de aliis miniſtris juſtitiæ, qui ex officio tenentur. Sic etiam dicendum eſt de illis, qui ex officio & juramento aſſumpſerunt cuſtodiam viarum, vt viatores turò poſſint itinerari, ſi doloſè quempiam occidi permittant; & ſimiliter qui ex promiſſione ſe obligavit ad defendendum aliquem. Idem dicendum eſt de aliis perſonis, quæ ex ſubjectione tenentur defendere ſuos ſuperiores, vt ſunt filii, ſervi, vaſalli, & è contra domini parentes, &c. Item Advocatus, vel Procurator aſſumptum patrocinium rei doloſè deſerens, ſi reus ob deſertionem damnetur ad mortem. Idem dicendum eſt de teſte, qui productus & legitimè citatus doloſè tacet veritatem, unde poſtea reus morte damnatur. Item Medicus ſi officium ſuum non exequitur, ſtipendio conductus & infirmus moritur. In his & ſimilibus caſibus ſupradictos incurrere irregularitatem, tenet Sayrus & DD. cit. quibus etiam adde Fernandez *in medulla part.2. cap.10. §.14. num.11.*

2. Verùm his non obſtantibus (attendas quæſo amice Lector) ingeniorum phœnix Gabriel Vaſquez contrariam ſententiam docuit, quam noviſſimè tuetur Hurtado *diſp.2. de irregular. diffic.9. n.34.* ubi ſic ait. Vaſquez in manu ſcripto docet non impedientem homicidium injuſtum non eſſe irregularem etiamſi teneatur ex juſtitia, & quamvis ex dolo non impediat & meritò, quia etiamſi iſte non impediens influat moraliter & voluntariè in homicidium, & ſit cauſa moralis & voluntaria homicidii quod non impedit; non tamen eſt cauſa poſitiva poſitivè influens, nec opere aliquo, nec auxilio, nec conſilio: in jure autem non fertur irregularitas niſi contra verè & poſitivè homicidas, ſaltem conſilio, aut animatione, non contra non impedientes homicidium, quod etiam eſt verum quamvis occidens id efficiat ad vindicandam injuriam illatam non impedienti, quamvis non contradicenti verbis ei, qui occidit, quia etiam tunc permittens non influit poſitivè. Ita Hurtado, qui citat etiam D. Antoninum & Tabienam, & hanc ſententiam ex Neotericis docet etiam Turrianus *de cenſur. lib.9. diſput.63. dub.3.* quia, ait ille, licèt talis peccet contra juſtitiam, tamen non dicitur in jure propriè occiſor, neque dicitur propriè dediſſe cauſam homicidio, ſed tantùm eſt per accidens non prohibendo. Item quia ſicut non diceretur excommunicatus, qui ex juſtitia tenebatur impedire Clerici percuſſionem, & non impedivit, niſi eſſet expreſſum *in cap. quanta, de ſent. excomm.* ita non eſt dicendus ille irregularis. In eo autem capite non excommunicantur omnes, qui non impediunt, ſed qui dolo non impediunt percuſſionem Rectoris Eccleſiæ. Item quia licèt peccet contra juſtitiam non impediens, tamen non debet puniri eadem pœna cum ea qua punitur ille, qui poſitivè operatur. Vnde ſicut in jure non dicitur fur, qui non impedit furtum, ſic etiam non dicitur homicida, qui non impedit homicidium, & ita ſenſit Pater Vaſquez *in manuſcripto tractatu de irregularitate*, hinc omnia Turrian. & hanc ſententiam probabilem putat Coninch *de Sacram. diſp.18. dub.8. num.71.* nam affirmativam ſententiam, quam ipſe tenet, vocat tantùm ſatis probabilem. Imò hanc opinionem negativam eſſe probabiliorem quàm affirmativam, tenet noviſſimè Præpoſ. *in 3. part. quæſt.5. de irregular. dubit.10. num.79.* Quid ego ſentiam dicam breviter. Prima opinio eſt communior & probabilior; ſecundam verò puto probabilem, unde ſi quis illam ſequi vellet, non damnarem.

3. Notandum eſt hîc à fortiori contra Suarez *tom.5. diſp.45. ſect.4. num.3.* Vegam *en eſpejo de curas tom.2. cap.22.§.26.num.275.* Megalam *in 3.part.lib.7. cap.2. quæſt.5.num.90.* Sayrum *de cenſ. lib.7.cap.4.n.8.* & alios penes ipſum non eſſe irregularem qui per vim, vel diſſuaſionem impediat hominis occiſionem, & ita tenet Avila *part.7. diſp 6. ſect.2.dub.7. concl.2. §. ex dictis*, quem ſequitur Layman *ſect.5.tr.3.part.3. cap. 4. num. 7.* Sed circa præſentem materiam olim mihi tale dubium propoſitum fuit.

RESOL. CXXXIV.

An ſit irregularis Sacerdos, qui ſciens mulierem prægnantem à ſe reddi tam abortum procurare, illam impedire non ſtudet?

Et docetur Patrem non teneri defendere vitam filiorum lege juſtitiæ, ſed pietatis, & officii paterni, Ex part.4. tract.2. Reſ.8.

§.1. Affirmativè reſpondent Sylveſter, Navarrus, Suarez, Sanchez, Reginaldus, Bonacina, Sà, quos citat & ſequitur noviſſimè Aloyſius Bartiola *in aphor. lit.I. ver. irregularis eſt Sacerdos*, quibus ego addo Portel. *in dubiis regul. ver. abortus, num.14.* Rodriquez *in ſumma tom.1. cap.5. ad finem.* Layman *ſect.5. tract.3. part.3. cap.4. num.7.* & Avilam *part.7. diſp.6. ſect.2. dub.7. concluſ.2. §. ſequitur, quarto*; & ratio eſt, quia tamquam pater tenetur titulo juſtitiæ vitam ſervare filio.

2. Verùm ego olim, vt dixi, de hoc caſu interrogatus reſpondi negativam ſententiam etiam probabilem eſſe. Primo ex doctrina quam adducit Vaſquez, Hurtado & Turrianus *in ſuperiori reſolut.* nempe ſi quis non impedit homicidium, quod impedire tenetur ex juſtitia, non eſſe irregularem. Secundò, quia ſatis probabiliter Leſſius *lib.2. cap.9. dubitat.13. num. 94.* docet patrem non teneri defendere vitam filiorum lege juſtitiæ, ſed pietatis, officii paterni; ergo, &c.

RESOL. CXXXV.

An quis incurrat irregularitatem, ſi ſciens non contradicat volentibus alium occidere, in vindictam injuriæ ei illatæ?

Et an ſit irregularis, qui rixam habens cum Titio admonet accurrentes in ſui auxilium, ne quid malum Titio inferatur? Ex p.4. tract.2. Reſ.9.

§.1. Affirma

§.1. AFfirmativè respondet Vega *en espejo tom.2. c.12. §.26.n.275.* ubi sic ait. [El que recebio injuria de otro y vee à sus deudos y amigos querer vengar la injuria, y el no lo prohibe quanto puede sino consiente, si se sigue muerte o cortamiento de miembro esta obligado de culpa y es irregular. Otra cosa serà si lo estorvò quanto pudò.] Ita ille.

2. Verùm quia hic casus frequenter potest accidere, non desinam hîc adnotare contrariam sententiam docere ex Vasquez Turrianum *de censur.lib.9.disp.63. dub.4.* & Hurtado *disp.2.de irregul.diffic.9.num.34. in fine*, quia in tali casu permittens homicidium; seu illud non impediens, non influit positivè; ergo non est irregularis, quod est valdè notandum quia quotidianum, & fundatur in doctrina superiùs posita, quòd non impediens homicidium non incurrit irregularitatem. Hinc à fortiori infertur contra Barbosam *in collect. tom.2. lib.5. tit.12.cap.17. num.3.* Riminaldum juniorem *consil.441.num.31.vol.4.* Osascum *decis.104. n.5.* & alios, non esse irregularem, qui rixam habens cum Titio admonet accurrentes, in sui auxilium, ne quid mali Titio inferant. Ita Bonacina *de censur. disputat.7. quæst.4. punct.8. num.34.* qui citat Avilam, Henriquez & Reginaldum.

RESOL. CXXXVI.

An si vulneratus vulnere non lethali mortuus est, Medici, vel propria incuria, incurratur irregularitas? Ex p.4. tract.2. Res.10.

§.1. AFfirmativam sententiam tenet Navarrus *cap.27.num.223.* Molina *tract.3. disput.32. num.2.* Guttierrez *in can. qq. lib.2.cap.6.num.9.* Avila *part.7. disp.6. sect.1. dub.5. concl.2.* Henriquez *lib.14. cap.14.num.4.* Turrianus *de censur.lib.9.disp.64.dub.1.* Layman *sect.5. tract.3.part.3.cap.10.num.5.* Villalobos *in summ.tom.1.tract.21.diffic.23.n.9.* & alii. Ratio est, quia si vulnus illatum non fuisset, mors non accidisset; quare non sola Medici, aut infirmi incuria, sed simul etiam ipsa vulneratio fuit causa mortis. Ergo, &c. Imò Villalobos *loco citato*, asserit. [Han se de ponderar las palabras del texto in cap. ad audientiam de homicidio; in dorso aliquantulum vulneravit, donde se da ad entender que basta herida pequeña si de alli resultò la muerte.]

2. Sed ego negativam sententiam etiam probabilem esse puto, quam docent Sotus *lib.5. quæst.1. art.9.* Sylvester *ver. homicidium 2. q.22.* Caietanus & Aragon. *in 2.2.q.64.art.8.* Lessius *lib.2.cap.9.dub.15.n.102.* & Hurtado *disp.2. de irregul.diffic.8.num.31.* quia etsi vulnus sit aliqua occasio, tamen revera non est causa mortis, sed negligentia, Medici vel ipsius vulnerati, tenebatur enim uterque diligentiam adhibere: ergo illi, qui neglexit, imputandus est effectus, &c. *in cap. significasti 2.de homicidio*, hoc apertè indicatur. Si verò vulnus fuerit leve, non incurrere in nostro casu irregularitatem ita vulnerantem, licèt vulneratus moriatur modo quo *suprà*, testantur Layman, Avila, Villalobos *loco citato*, quibus adde Coninch *de Sacram.disp.18.dub.9.num.80.*

RESOL. CXXXVII.

An crimen inducens irregularitatem, si sit occultum, modo sit externum, inducat irregularitatem?

Et notatur, quod & si peccatum occultum communiter irregularitatem non pariat lege Canonica, ab hac tamen lege excipitur homicidium, & peccata, quibus censura est annexa, nam si in ea celebratur, incurritur irregularitas, & si hæc celebratio occulta fiat à suspenso, vel excommunicato. Ex p.7.tract.11.& Misc.2. Resol.48.

§.1. NEgativam sententiam non esse improbabilem censet Baunius *in Theol.mor. part.2. tract.11. quæst.3. asser.4.* ubi sic ait. Etsi sit probabile actum vitiosum, ob quem incurritur irregularitas: etiam occultum, si tamen sit externus, & natura sua talis, vt videri possit, ad eam invehendam sufficere, contrarium tamen probabilitate non vacat. Quod ultimum probat ex duabus decretalibus. Prima Alexandri III. cui initium est, Ex tenore: Gregorii IX. altera, eaque ultima tituli de temporibus ordinationum, interrogatus enim Gregor. an adulteri, similesque viri, ab usu suorum ordinum cohibendi essent? respondit in hæc verba, si proposita crimina, ordine judiciario cõprobata, vel alias notoria non fuerint, non debent hi, præter reos homicidii post pœnitentiam in jam susceptis aut suscipiendis ordinibus impediri. Adde quod à natura abhorreat seipsum judici puniendum dedere, suique deditione, infamiam tam suo nomini, quàm alieno facere, præstat utrumque verò, qui vitio occulto laborans, ejus, aut impedimenti, cujus est causa, veniam sibi à superiori dari postulat.

Sup. hoc in tom.7 tr.1. Res.294. & Sed Pater, ad med. lege doctr. vers. qui n. 104. & alterius §. & vers. ejus not. & in to. 3. tr.3. res. 34.§.Secundũ, ad med. & §. Sed ego.

2. Sed hæc sententia absolutè mihi non placet, neque cum Baunio puto probabilem esse. Imò cum Præposito *in 3.part. quæst.5. de irregular. dub.2. num.5.* existimo improbabilem esse, & postea ipse Baunius illam limitat, unde sic addit. Notandum tamen quod etsi peccatum occultum, communiter irregularitatem non pariat lege canonum, ab ea tamen lege excipi homicidium, *arg. cap. quæsitum 17. tali de temporibus ordin.* idque propter sceleris enormitatem, & defectum lenitatis.

Sup. hoc notando in Res. §§ & vers. not. præteritæ.

3. Secundò excipienda sunt peccata quibus censura est annexa, nam si in ea celebratur, incurritur irregularitas; etsi hæc celebratio occultè fiat à suspenso, vel excommunicato.

RESOL. CXXXVIII.

Titius irregularis absque dispensatione sumpsit primam Tonsuram, & postea obtinuit beneficium, dando mediatori magnam pecuniarum summam, quæritur, quid juris?

Et si Titius nolit restituere fructus malè perceptos, quod onus mediatori incumbit?

Et alia curiosa circa hoc inferuntur. Ex p.11. tract.5. & Misc.5. Res.1.

§.1. DE hoc casu per literas ex Germania interrogatus fui, &c.

Sup. hoc primo sup. in Res. 12. à princ.

Dico primò posse irregularem primam Tonsuram sumere, docuisse Thomam Hurtadum *var. tom.2. tract.12. cap.1. num.514.* ubi sic ait.

2. Quare existimo quod licet iste filius, de quo loquimur sit irregularis, tamen collatio beneficii non est ipso jure irrita, quia licet non possit ordines suscipere, tamen potest suscipere primam tonsuram ratione cujus habilis sit ad validè recipiendum beneficium, vt docet Sayr. *de cens. l.5.cap.5.n.15 & 16.* Aloysius Bariola quem citat, & ejus sententiam probabilem reputat Bonacina, *de censur. in comm. disp.7. de irreg. q.1. punct.1.n.3.* quia prima Tonsura non est propriè ordo, cùm nullum habeat ministerium in ordine ad Sacramentum Eucharistiæ, & Sacrificium, sed solum est quædam deputatio ad ordines. Et sic inhabilitas ad ordines quam habet irregularis, præcipue si non sit ex delicto homicidii voluntarii, aut alio, non est extendenda ad primam Tonsuram, cùm irregularitas sit

Sup. hoc latè sup. in Res. 13. §.2. à lin.2. & in aliis ejus not.

sit Canonicum impedimentum directè impediens susceptionem, seu usum ordinum. Quamvis enim sit inhabilis ad ordinum susceptionem, non inde sit quod sit inhabilis ad primam Tonsuram, quia ista accepta, potest habere dispensationem ad alios ordines.

3. Neque obstat quod *Trid. sess. 14. de reformat. c. 2. in fin.* dicat quod Tonsuratus ab alieno Episcopo suspendatur, ne ad ulteriorem gradum possit procedere. Et ita multò magis valebit quod irregularis sit omnino inhabilis ad primam Tonsuram, ait Marchin. *tract. 2. de Sacram. ord. part. 1. cap. 14. n. 3.* nam, *Quomodo inquit, est verisimile Ecclesiam ad statum Ecclesiasticum velle admittere illegitimum, vel energumenum, si ad ulteriores gradus isti postea ascendere non valebunt?* Hoc, inquam, non obstat, tum quia in pœnis non valet argumentum à simili, vt pœna extendatur, *cap. pœnæ, de pœnis dist. 1.* ubi egregie Navarr. *n. 1. & 2.* Tum secundo, quia in pœnis non verisimilitudo, sed verba legis, quæ propriè sunt accipienda, operantur: nam pœnæ exorbitant à jure naturali: quare cum jure positivo sunt impositæ, extendi nullatenus debent propter verisimiles rationes. Quare Ecclesia non vult positivè admittere illegitimum ad primam Tonsuram, sed id permittit, cùm expressè non prohibeat, nisi promoveri ad ordines, ad quos vel Papa, vel Episcopus de facili dispensat. Ita Hurtadus. Et hanc sententiam probabilem esse existimat doctissimus, & amicissimus Pater Anton. Escobar *in pract. confess. p. 2. lib. 6. cap. 5. n. 31.* sic asserens; [Puede se recebir prima tonsura antes de la dispensacion de irregularidad? Lo comun es que no; porque la irregularidad dexa inhabiles para recebir todos los ordenes, luzgo con todo esso es defensable que si; porque la prima Tonsura no es Orden.] Ita ille.

Sup. hoc in Resol. not. primæ hujus Resol.

4. Sed ego puto non esse recedendum à sententia negativa communi, quam me citato tenet novissimè Ciarlinus *controv. forens. tom. 2. cap. 205. num. 5.* Dicendum est igitur irregularitatem quamcumque ex quacumque radice ortam, esse Canonicum impedimentum ad licitam Tonsuræ receptionem. Sic Suarez *de cens. disp. 40. sect. 1. num. 11. & sect. 2. num. 2.* dicens irregularem, si Tonsuram recipiat, lethaliter delinquere. Sayrus *lib. 6. de censur. cap. 1. numer. 19.* tradens in irregularitate etiam primæ Tonsuræ receptionem prohiberi; probatur primò ex philosophia, quæ docet, nullum in tota natura dari subjectum naturale, quod sit capax propriæ dispositionis ad aliquam formam; quin etiam talis formæ non sit capax, vt lucidè explicat D. Thom. *p. 1. q. 12. art. 5. ad 3.* sed prima Tonsura est dispositio ad ordines: ergo, si irregularis impeditur à susceptione ordinum, neque erit habilis ad primæ tonsuræ receptionem. Ita Marchin. *tract. 2. de ord. in part. 1. de 1. Tons. cap. 14. n. 2.* & inferius *num. 4. & 5.* Tonsuratus est capax beneficii, & connumeratur inter Ecclesiasticos ministros, gaudetque privilegio Canonis, & fori: sed irregularitas arcet à gradu clericali, & privat capacitate beneficii Ecclesiastici; Ergo.

5. Hinc deducitur, quod si quis aliquà irregularitate affectus, prima Tonsura initietur, non modò in culpam lethalem incidet; quia sciens contra Ecclesiæ prohibitionem ad Tonsuram accedit: sed fortassis etiam talis primæ Tonsuræ receptio erit invalida, & iteranda. Ratio est, quia prima Tonsura non habet propriam materiam, neque formam ex divina institutione; sicut habent ordines: ergo valor substantialis illius non distinguitur à licita ejusdem receptione: ergo quoties non est licita susceptio, neque erit valida, & consequenter iteranda. Licet verius videri posset eam fore validam, & nec iterandam, cùm in illa concurrant omnia substantialia; nimirum translatio à laicali statu in Ecclesiasticum per capillorum abscissionem, & verborum prolationem cum sufficienti intentione conferentis & recipientis juxta supradicta *cap. 12. hujus partis.* Quam sententiam lego etiam apud Duardum *in Bull. Cœn. can. 15. 9. 3. num. 8. leg. 1.* benè etiam dixit Gibalinus *de irreg. cap. 2. p. 4. corollar. 1. num. 12.* Certum esse hunc irregularem gravissimè peccare, etiamsi primam Tonsuram, aut ordines tantum minores cum eo impedimento Canonico suscipiat, aut præstet quamcunque actionem sacram, & quæ à Laïco exerceri non soleat, quia violat legem Ecclesiasticum in re gravi, nisi causa aliqua legitima excuset, vt metus, aut gravis infamiæ scandalum vitandum. Vide Marchinum *ubi supra*, & Hermanum Busembaum *in Medulla Theologiæ Moral. lib. 7. cap. 4. dub. 2.* & alios communiter.

6. Dico secundò Hurtadum *ubi supra, §. 22. Sup. his num. 1044.* & alios docere, irregularitatem inhabilem reddere ad concursum, & beneficium, ita vt accipiendo peccet mortaliter, collatio sit nulla ipso jure, & fructus restituere teneatur, adeo quod etiam post dispensationem, nova egeat collatione. Tum quia *capite 2. de Cler. pugn. & capite 2. Cler. non ord. minist.* haberur irregularitatem egere dispensatione ad obtinendum beneficium; tum quia beneficium datur propter officium: Sed irregularis non potest exercere officium: ergo neque potest consequi beneficium, nec jus habere ad fructus. Ita Parolettus *part. 2. sect. 2. condit. 2 num. 2.* Sed non desunt Doctores magni nominis contrarium asserentes, collationem beneficii factam irregulari, validam esse, sed impetrandam esse irregularitatis dispensationem; & sic irregularis potest ad concursum admitti, sed peccat acceptando. Addunt facere fructus suos, nec teneri restituere, etiamsi per judicé privetur. Item posse ante privationem renunciare ad favorem, & validè exercere actus jurisdictionis, vt delegare facultatem benedicendi sponsis, ministrandi Sacramenta, &c. quia irregularitas non separat ab Ecclesia, sed est purum impedimentum quod tollitur per dispensationem; hactenus Parolettus. Et ita præter auctores à me alibi adductos, acriter defendit hanc sententiam Gibalinus acutus, & eruditus Societatis Theologus, *de irregul. cap. 2. p. 4. corollar. 4. n. 16.* sic itaque asserit? Respondetur irregularem percipere posse fructus omnes sui beneficii, sive ante, sive post contractam irregularitatem obtenti, illudque omni ratione administrare, donec per sententiam judicis illo spolietur. Ratio evidentissima est, quia uti ostendimus, irregularitas neque privat beneficio prius obtento, neque ejus fructibus, neque reddit incapacem novi beneficii acquirendi: quandiu igitur non irritabitur novi beneficii collatio, aut veteris, non privabitur illorum fructibus, tamquam suis, & propriis gaudebit, quod fateri necesse est eos omnes qui nobiscum idem de effectu irregularitatis circa beneficia sentiunt; immò neque poterit judex, deinde privare hunc irregularem fructibus, quos in hanc diem licitè percepit neque est cur retrottaharur sententia ad diem commissi criminis, quia non debet esse tantum declaratoria; sed condemnatoria, loquor enim de privatione, quæ imponitur præcisè propter hanc irregularitatem pœnalem: non de illis delictis, quæ simul irregularitate, & privatione beneficiorum ipso facto plectuntur; quamvis enim ad sententiam usque declaratoriam criminis licitè percipiantur fructus beneficii à tali reo, tamen eos omnes deinde restituere tenebitur propter retrotractionem sententiæ ad diem commissi criminis. Ita ille; & postea quærens an irregularis possit renuntiare suum beneficium in favorem alterius, & an teneatur illud remittere? Respondet, primò, quoties officium debitum ratione beneficii præstari poterit ab irregulari per se, vel per alium, non cogitur illud dimittere. Ita

Alibi in folio annexo jus §

Ita Suar. *disputat.* 40. *sect.* 2. *num.*19. quia neque ullo jure, neque ullâ ratione ad hanc dimissionem beneficij adigitur, quandoquidem illius munera obire potest.

7. Secundo, si beneficium postulet personale aliquod officium, quod includat exercitium ordinis, & non possit obtineri dispensatio ab irregularitate, aut nolit beneficiatus illam petere, debebit dimittere beneficium, quod ratio ipsa indicat: non potest enim retinere id unde oritur obligatio, quam numquam implere poterit, at vero si sit spes aliqua dispensationis, interea dum illam quærit, licitè retinebit beneficium irregularis, ejusque fructus percipiet, cum onere tamen curandi ut alius officium impleat, & licet ipse sit aliquantulum negligentior in procuranda dispensatione, non idcirco tamen excidet suo beneficio. Ita Suarez *loc. cit.* Bonac. *disp.*7. *q.*1. *p.*4. *n.*20. ubi Filliuc. & Reginald. dabit.

8. Tertiò, poterit irregularis renunciare suo beneficio in favorem alterius in aut manibus superioris, antequam per sententiam illo privetur, & pendente lite, aut accusatione, ut tradit Gloss. *in cap.* 2. *ut lite pendente v. finita in* 6. Covarr. *in Clem. si furiosus* 2. *parte* §.3. *n.*7. ubi & alios refert, additque ex communiori sententia validam esse eam renunciationem, etiamsi quis jam illud beneficium impetraverit. Quod attinet ad nostrum consectarium, illud manifestum est ex dictis: cum enim irregularis adhuc obtineat, sive ante, sive post irregularitatem obtentum, habeatque plenam ejus administrationem, dispositionem, & usum, poterit illud alteri cedere, atque etiam permutare, quandoquidem ex nobis novi quoque acquirendi capax est, uti ostendimus. Hucusque Gibalinus, cui adde Candidum *tom.* 1. *disquisit.*18. *art.* 16. *dub.*9. *n.*8. & alios.

9. Verùm cum hæc opinio sit contra stylum Curiæ, & contra plures decisiones Sacræ Rotæ, quas ego ut par est, magnifaciendas esse existimo, non audeo discedere à prima sententia contra Gibalinum, & alios. Et ita habent plures Doctores à me *in part.*4. *tract.*2. *resolut.* 37. allati, & novissimè, me citato, hanc sententiam tenet Ioann. Baptista Parolettus *in Palæstra Clericali par.*2. *supra citat.* & Stephanus Baunius *in praxi Beneficiorum disput.*6. *q.*5. *in Thesaurum part.*1. *cap.*5.

10. Dicò tertiò, Simoniam, quæ contrahitur ex precio dato mediatori immediato, esse tantum prohibitam de jure Ecclesiastico, & ita Hermannus Busembaum *in Medulla Theologiæ mor. lib.* 3. *tract.* 1. *cap.*2. *dubit.* 3. *respons.* 2. *numero* 2. ubi sic ait: Simonia dividitur in eam, quæ est juris divini, estque prohibita propter malitiam suam v.g. Hostiam consecratam vendere; & eam, quæ est juris humani, estque mala tantum propter prohibitionem, & sic ab Ecclesia prohibetur. Primò, venditio beneficiorum secundùm id quod in ipsis temporale est, scilicet, quoad jus præcisum, percipiendi fructus. Secundò, venditio officiorum extrinsecè tantùm ordinatorum ad res sacras, verbi gratia. Sacristæ, Oeconomi, Advocati Ecclesiæ, Thesaurarij Tertiò, obligatio pecuniæ alicui factæ, ut suadeat alteri, ut det beneficium. Quartò; pactio de resignando beneficio, vel solvenda pensione, si alter beneficium tibi impetret. Quintò, permutatio, & resignatio beneficiorum; item reservatio pensionis ex beneficio resignato, & in casu permutationis beneficiorum æquatio fructuum, &c. si absque superioris authoritate fiant, quæ si accedat, licita erunt. Sextò; acceptio muneris, etiam sponte oblati, pro examine ad Parochiam, ex Trid. *sess.*24. *cap.*18. pro collatione ordinum, pro tonsura, litteris dimissoriis, ex Trid. *sess.*21. *cap.*10. Excipitur tamen decima pars aurei pro notario, si salarium non habet, & consuetudo permittat. Septimò, exactio pecuniæ pro admissione ad Religionem, non pro statu tantum: is enim spiritualis est, ideóque jure divino invendibilis; sed etiam pro onere sustentationis: nisi monasterij tenuitas, vel consuetudo contraria excusent. Ita Busenbaum: cui adde Antonium Escobar *in Theol. moral. tract. sextò, Exam. secundo, cap. sexto, num.*43. Hoc supposito posset quis asserere, Titium in casu nostro incidisse in pœnas juris latas contra Simoniacos; quia jura comprehendunt tantum simoniam quæ est prohibita de jure divino, & non de jure Ecclesiastico, & est ista de qua loquimur. Et ideò, me citato, hanc sententiam tanquam probabilè admittit Ægidius Bassæus *in Floribus Theologiæ practic.*16. *Simonia* 6. *numero* 5. sic asserens; Communis sententia est, excommunicationem, quæ contra Simoniacos in ordine & beneficio imposita est, incurri non solùm ob simoniam juris divini, & naturalis, verum etiam ob simoniam juris humani, est permutatio beneficiorum inter duos beneficiatos facta propria authoritate, reservatio pensionis sine authoritate Papæ, promissio pro beneficij suffragio in electione ad Episcopatum, &c. Ratio est, quia Simonia jure solum Canonico prohibita, est vera Simonia: ergo afficitur pœnis contra Simoniam generaliter latis: unde jura sub eadem voce insequuntur, tam Simoniam jure Canonico prohibitam, quàm juri divino contrariam, ut patet *ex cap. cum olim, C. quæsitum, de rerum permutat.* Ita Malderus, Valentia, Filliuc. Navarrus, Suarez. Nihilominus contraria sententia, nempe pœnas Simoniæ non incurri in casu quo adest tantum Simonia juris positivi & humani, mihi probabilis etiam videtur sicut visa est Lessio, Reginaldo, Dianæ, & quam tenent, Aragon, Petrus Navarra & alij, Unde secundum hanc sententiam licet in prædictis casibus sic facientes peccent, non tamen sunt excommunicati, nec privantur beneficiis sic receptis ipso jure; nec tenentur fructus restituere. Ita Bassæus, cui adde Tanctedi, Machadum, Giragum, Roccaful, Soriam, alibi à me adductos, & Escobar *supra num.*45. qui citat Sanchez, docentem hanc sententiam esse probabilem: sed ego nunc figo pedes, & puto prorsus adhærendum esse contrariæ sententiæ, stante stylo Curiæ, & praxi Romana, non agnoscentes differentiam quoad pœnas incurrendas inter Simoniam prohibitam à jure divino, & inter Simoniam prohibitam à jure Ecclesiastico.

Alibi in Resolutionibus & §§. nor. præteritæ.

11. Unde ego ex superius dictis pro casu proposito rescripsi in Germaniam ad consulentem, ut ad Sactam Pœnitentiariam recurreret, adducendo in memoriali, ut facilius dispensationem impetraret; opiniones Doctorum in sui favorem à me superius adductas; Addendo etiam non deesse authores asserentes stylum Rom. Curiæ obligare in foro exteriori, non autem in foro conscientiæ, & fundari in probabilitate contrariæ opinionis, & ita me citato docet Leander, *de Sacram. tom.*2. *tract.*9. *disputat.* 24. *q.* 48. qui citat Pontium, Granadum, Villalobos, & Cevallos, quibus addo doctum, & novissimum Martinum Perez *de matrim. disputat.* 46. *sect.* 6. *numero* 4. & 9. Præpositum *in* 3. *part. quæst.*8. *de dispens. matrim. dub.*6. *num.*61. Portel *in Respons. tom.*1. *part.*3. *cap.*5. *num.*3. Baunium *in Theolog. moral. tom.*2. *tract.* 11. *quæst.* 56. Martinum de San Ioseph *in Monit. Confess. tom.*1. *l.*1. *tract.*46. *de matrim. numero* 1. Vidalem *in Arca Theol. tit. de duello inspect.*3. *num.*22. Puente Hurtadum *to.*2. §. *disputat.*170. *sect.*1. *numero* 197. Pellizarium *in man. Regul. tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 5. *numero* 195. Fagundez

Sup. hoc stylo Curiæ, & foro exteriori, in tom.3. tr.2. Ref. 63. §. Difficultas & seq. & in Ref. 90. §.2. à lin. 2. & in Ref. 91. §. Itaque. & in Ref. 102. §. Dico secùdo & in Ref. 112. §.1. in fin & §.2 etiam in fin & in Ref. 116. in fin. & in to. 6. tr.1.

Resol. 31. §. Sed quid. & in tr. 2. tr. 7. Resol. 18. §. Imo.

par. 2. lib. 8. num. 48. Escobar *in Theologal. Moral. tom. 2. sect. 1. probl. 2. numero 91. & probl. 16. numero 214.* Gibalinum *de irregular. cap. 2. quæst. 3. part. 4. num. 10.* licèt ego supradictis Doctoribus non assentiar; vide Baunium *in praxi de beneficiis disp. 11. quæst. 9. assertione 4. & ultima.* Verùm si aliquis hic obiter quærat, an si in casu nostro Titius nollet restituere fructus malè perceptos, teneatur in defectum restituere, illos mediator, per quem Titio collatum fuit beneficium; libet respondere cum verbis Baunij *in praxi Beneficiorum disputat. 16. dub. 9.* Dico igitur, An mediatoribus sit imperanda restitutio, peræque ac Simoniacis? Summistæ ambigunt: Inclinant in affirmantem Navarr. *cons. 110. de Simon. & tract. de datis & promiss. numero 45.* Thesaurus *in praxi verb. Simonia cap. 2.* non tamen nisi secundo loco, & in defectum principalis causæ.

12. Addit Quaranta etiam confessarium remanere ad id obligatum, & quidem legitimè, si absolvendo pœnitentem, ei causa fuerit, non restituendi, quod non puto, quia ejus bonum, qui à suo est pœnitente læsus, procurare ex justitia non tenetur. Quod similiter Sà correctus, *verb. Simonia numero 11.* existimat, & proinde mediatori, in defectum causæ principalis fructuum, aut alterius cujuspiam interesse, (ut loquuntur) restitutionem jubendam non esse, quæ sententia etsi videatur isti Auctori probabilis, præstat tamen dispensationem, & compositionem à Pontifice petere, quàm periculo peccandi se exponere, ait Baunius.

RESOL. CXXXIX.

An collatio beneficij facta irregulari sit irrita & invalida ipso jure ante judicis sententiam? Ex p. 4. tract. 2. Resol. 79.

Sup. hoc in Resol. præterita §. Dico secundo. & in Resol. seq. & in Resol. 1. post seq. §. 1.

§. 1. AFfirmativè respondent communiter Doctores, ut Suarez *de censur. disp. 40. sect. 2. numero 30. 36. & 41.* Sayrus *lib. 6. cap. 2. numero 21.* Avila *part. 7. disp. 2. dub. 6.* & alij penes ipsos, quia beneficium datur propter officium, sive propter exercitium Ordinis, ergo qui per irregularitatem non potest Ordines exercere, incapax est beneficij, ita ut ejus collatio irrita sit, non minus ac si daretur purè sæcularibus Ordinibus carentibus, & ita hanc sententiam novissimè docuit etiam Turrianus *de censur. lib. 8. disp. 58. dub. 3.*

2. Sed contrariam opinionem Sylvestri *ver. excommunicatio, num. 4.* probabilem esse puto. Dico igitur collationem beneficij factam irregulari validam esse, & ideò talis solùm indiget dispensatione super irregularitate, non tamen nova collatione beneficij, unde potest fructus suos facere in conscientia; & ratio est, quia sicut irregularis potest retinere beneficium quod ante irregularitatem obtinuerat, ergo etiam potest retinere beneficium quod impetravit post irregularitatem incursam, quia in utroque casu militat eadem ratio privationis exercitij Ordinis; & ad argumentum factum pro sententia communi responderi potest negando consequentiam, & rationem discriminis optimè adducit Petrus Cornejo *in 3. par. D. Thom. tract. 5. de irregular. disputat. 5. dub. 2. quæst. 1.* ubi docet hanc Sylvestri sententiam esse satis probabilem.

RESOL. CXL.

An irregularitas reddat aliquem inhabilem ab beneficium obtinendum, & ad fructus percipiendos?

Et an obtenta dispensatione ab irregularitate, beneficium non possit obtineri sine nova collatione, seu revalidatione collationis prius factæ?

Et an valeat collatio Prælaturæ Regularis facta irregulari?

Et aliqua alia explanantur in §. ultimo hujus Resolutionis. Ex p. 4. tr. 2. Resol. 37.

§. 1. AFfirmativè respondet Villalobos *tom. 1. tract. 21. difficult. 2. n. 12.* Lessius *lib. 2. cap. 34. dub. 22. num. 120.* Avila *part. 7. disput. 2. dub. 6. concl. 3.* Navar. *cap. 27. n. 351.* Sayrus *lib. 6. cap. 2. n. 2.* Covarr. *in cap. alma mater, part. 1. §. 7. n. 1.* Henriq. *lib. 4. cap. 2. n. 7. in gloss. lit. C.* & alij penes ipsos, asserentes irregularitatem reddere hominem inhabilem ad obtinendum beneficium, & ideo irregularem non posse tuta conscientia beneficium retinere, vel fructus ex eo perceptos. Imò obtenta dispensatione ab irregularitate beneficium non potest retineri sine nova collatione, seu revalidatione collationis priùs factæ, & adducunt pro hac firmanda sententia *cap. 2. de Clerico non ordinato ministrante, cap. 2. de Clericis pugnantibus, cap. dudum. de electione, cap. cum bona, de ætate ordin.* & secundùm hanc opinionem non valet collatio Prælaturæ Regularis facta irregulari.

Resol. præced. in fin. §. Dico secundo. & in Resol. præced. §. Dico secundo.

2. Sed ego contrariam sententiam probabilem etiam esse teneo cum Turriano *de cens. lib. 7. disp. 58. dub. 2.* Suarez *disp. 40. sect. 2. num 35.* Hurtado *disp. 1. de irregular. difficult. 20. num. 21.* Præpos. *in 3. par. quæst. 5. de irreg. dub. 3. n. 18.* Coninch *disp. 18. dub. 1. n. 6.* qui tres ultimi respondent ad Canones supradictos. Igitur secundùm hanc sententiam certum est peccare mortaliter irregularem acceptando beneficium in irregularitate, & similiter retinendo; valet tamen collatio beneficij, & potest facere fructus suos, neque tenetur eos restituere etiamsi per judicem beneficio privaretur. Item potest validè resignare beneficium, antequam eo privetur. Item potest impetrata dispensatione irregularitatis, potest, inquam, quis licitè beneficium retinere absque alia habilitatione, vel nova collatione. Potest etiam validè exercere omnes actus competentes ratione beneficij, imò & licitè, si non sint actus Ordinis, & saltem non sit in mora petendi dispensationem. Hinc validè eligit, præsentat, confert beneficia, jurisdictionem, potestatem excipiendi confessiones, ministrandi Sacramenta, benedicendi sponsis, &c. Hæc omnia Præpos. *loc. cit.* & ideo hanc sententiam absolutè tenet Sylvester *ver. excommunicatio 4. num. 4.* & Plovius *de irregul. reg. 44. num. 39. & 40.* Verùm his non obstantibus tu ne recedas à prima opinione affirmativa, tanquam tutiori in praxi, ut observat Suarez, Coninch & Turrianus *locis citatis.*

RESOL. CXLI.

An irregulares sint incapaces obtinendi beneficium, & pensiones?

Et an ad obtinendam pensionem sufficiat septennium?

Et an excommunicatus sit capax, vel incapax pensionis?

Et quid, si pensiones sint perpetuæ, & data in titulum beneficij, & Præstimonij?

Et

Et aliqua alia cursim explanantur circa collationem beneficij factam irregulari, &c. Ex p. 7. tr. 12. & Misc. 3. Res. 7. aliàs 5.

Q Voad primum, sic respondet Caspensis *in Curs. Theolog. tom. 2. tract. 25. disp. 5. sect. 3. num. 23.* Est difficultas an per irregularitatem fiat irregularis incapax beneficij, & ad fructus percipiendos? Affirmant graves Doctores Navarr. *cap. 27. n. 351.* Avila *disp. 2. dub. 6.* Lessius *lib. 2. cap. 34. dub. 22.* & est communior sententia, quam probare nituntur ex variis juribus. Sed certè nullum jus invenitur in quo talis pœna decernatur, neque adduci potest. Qua propter opposita sententia satis probabilis est, scilicet peccare lethaliter irregularem acceptando beneficium in irregularitate, & retinendo illud; posse tamen facere fructus suos, nec teneri eos restituere; posseque impetrare dispensationem irregularitatis, & ea obtenta licitè beneficium retinere absque alia habilitatione, vel nova collatione, & hanc sententiam judicant probabilem Suarez *disput. 40 sect. 2.* Hurt. *diffic. 20.* & Ægidius *disp. 18. dub. 1.* & stando in hac sententia infertur ex illa, collationem beneficij factam irregulari, quamvis illicitam, & irritandam utpotè prohibitam; validam tamen esse, & nullo modo irritam: & ita juxta illam irregularis & validè recipit beneficium, & fructus facit suos, si faciat ministerium requisitum per beneficium. Neque obstat, quòd beneficium datur propter officium, sive propter exercitium Ordinis; ergo qui per irregularitatem non poterit Ordines exercere, incapax est, ut ei beneficium conferatur; ac proinde invalida erit collatio. Respondetur negando consequentiam, quia irregularitas non reddit irregularem omnino inhabilem ad ministerium Ordinis, sed solùm reddit eum impeditum ad licitum exercitium illius, & consequenter tantùm reddit illum impeditum ad licitam receptionem beneficij, non tamen ad validam. Hucusque Caspensis. Et hanc sententiam me citato tanquam probabilem admittit Machadus *de Perfecto Confess. tom. 1. lib. 1. part. 3. tract. 15. docum. 2. num. 5.* & Coninch *de Sacram. disp. 18. dub. 1. num. 6.*

2. Sed si quis vellet stare in affirmativa sententia quod irregularis sit incapax beneficij videndum est an etiam sit incapax pensionis? Et affirmativam sententiam tradit Navarrus. Quæ quidem omnia docet Castrus Palaus *tom. 2. tract. 13. disp. 1. punct. 11. §. 3. n. 8.* Nam irregularis est incapax beneficij, sed pensio non est beneficium, ergo. Et ideò, Primò asserunt aliqui ad obtinandam pensionem sufficere septennium, quia Concilium Tridentinum *sess. 23. de reform. cap. 6.* mentionem facit de beneficiis. Ergo non est extendendum ad pensiones. Et ita docet Gratianus *tom. 3. discep. forens. c. 397. n. 17. & seqq.* Lessius *lib. 2. c. 34. dub. 38. n. 203.* Zechius *de benefic. & pensionib. cap. 11. n. 7. in princ.* Moscovius *de majest. milit. Eccl. lib. 1. p. 3. cap. 3. pag. 501.* Aloys. Ricc. *in praxi dec. 430. in prima edit. & resolut. 367. in 2.* Secundò docet Gonzalez *in regul. Cancell. Glossa 5. §. 5. numero 26.* quod inhabilitatus ad beneficia non censetur inhabilitatus ad pensiones, quia pensio non comprehenditur sub nomine beneficij.

3. An verò excommunicatus sit capax, vel incapax pensionis disputat etiam Caspensis *ubi supra disput. 2. sect. 7. n. 74.* ubi me citato sic asserit. An excommunicatus sit etiam inhabilis ad recipiendas pensiones affirmativè respondit Villalobos *in summa tom. 1. tract. 17. diffic. 9.* & ita tenet Gigas *quæst. 14.* Covarruv. *in cap. Alma mater, §. 7.* quia sunt redditus Ecclesiastici. & ita aiunt esse in usu Curiæ Romanæ præmittentis absolutionem ab excommunicatione quando hujusmodi pensiones dantur. Dicendum tamen est, quamvis excommunicatus sit privatus beneficio, non tamen privari pensione, ac proinde consignationem illius factam excommunicatio validam esse. Ita Turrianus, Vasquez, Enriquez Layman, Cornejo, Avila, & Præpositus, quos refert & sequitur Diana *supra resolut. 103.* quia nullibi invenitur in jure, quòd concessio pensionis facta excommunicato sit irrita, nec id sequitur ex eo quòd excommunicatus sit incapax beneficij, quia pensio non est beneficium; cùm in illa non sit jus perpetuum ad fructus, quod requiritur ad rationem beneficij. Excipe pensiones perpetuas datas in titulum beneficij, & præstimonia. Ita Caspensis.

4. Sed ut verum fatear omnia supradicta, video esse contra stylum Curiæ practicatum in Dataria & Cancellaria, in quibus incapax beneficij est etiam incapax pensionis, ideò tu cogita. Vnde ea quæ olim scripsi intelligenda esse nunc volo secluso stylo Romanæ Curiæ; & Praxi Datariæ.

Vt in Res. 1. præterit.

RESOL. CXLII.

An Beneficiarius incidens in irregularitatem ex delicto possit beneficium renunciare in favorem tertij?

Et supponitur, quod Beneficiarius incidens in irregularitatem ex delicto possit retinere beneficium, dum per sententiam non privatur, sed debet tamen procurare dispensationem, & interim per alium coadjutorem satisfacere in actionibus, quæ ratione irregularitatis illi sunt prohibitæ. Ex p. 10. tr. 16. & Misc. 6. Res. 25. aliàs 24.

§. 1. SVppono, quod beneficiatus incidens in irregularitatem ex delicto, etsi possit retinere beneficium, dum per sententiam non privatur; debet tamen procurare dispensationem, & interim beneficij muneri vel per alium satisfacere in iis actionibus, quæ ratione irregularitatis illi sunt prohibitæ. Assumere enim coadjutorem pro aliquo tempore ex causa adeò gravi, neque est contra justitiam, neque illicitum, ut notat Suar. *dict. disp. 44. sect. 4. n. 19.* consentit Navarr. *lib. 5. cons. 17. de homicidio.* Cordub. *in summ. q. 41. & lib. 1. qq. quæst. 36.* Avila *7. part. disp. 2. dub. 6. vers. Hinc sequitur*, ubi explicat Felinum dicentem, tuta conscientia non posse retinere beneficium, cui est ordo sacer annexus, si ipse propter crimen illud exercere ordinem non potest, at intelligitur, si est in mora petendi dispensationem, vel desperatus est à dispensatione brevi tempore obtinenda. Bonacin. *disput 7. part. 4. num. 10.* Conisch *disp. 17. dub. 1. num. 5.* Paul. Layman *lib. 1. tract. 5. part. 5. cap. 1. coroll. 2.* Gaspar Hurtado *de irreg. diffic. 5. num. 21.* & alij. Vnde ex his infertur, irregularitatem supervenientem Clerico Beneficiato, non privare ipsum fructibus beneficij, neque privandum esse per sententiam, si munera, quæ ratione beneficij tenebatur exercere, per se, vel per alium exercuit, siquidem beneficij titulum retinet, & jus habet percipiendi illius fructus, posito muneris exercitio, sicuti aliis relatis docuit Suarez, Layman, & Coninch, *ubi suprà.*

Sup. hoc, quod hic supponitur in to. 4. tr. 8. Res. 43. §. ult. & in to. 7. tr. 7. Res. 59. §. Verum licet cursim in fin. & in Res. not. seq. §. Dico secundo. in fin à vers. quæres, an irregularis.

2. His suppositis de hoc casu interrogatus respondi affirmativè: dico igitur, quod ligatus irregularitate ex delicto, si nolit, vel non possit impetrare dispensationem, possit renunciare beneficium in favorem tertij, ac si nullam irregularitatem contraxisset, etiam pendente lite, & accusatione facta de irregularitate; quia usquequo accedat sententia, & condemnetur, retinet jus in beneficium, uti docuerunt Panormit *in cap. nisi cum pridem, num. 1. de renunciat.* Felin. *in cap. inquisitionis, col. 3. de accusationibus*, Ludovic. Com. *in regula de annali possess. quæst. 42. num. 3* Saytus *lib. 6. cap. 2. num. 14.* Suarez *disputat. 40*

Sup. hoc sup. in Res. 138. §. Tertio poterit. & in aliis vers. ejus not.

sect. 2. n. 19. & alii apud ipsos. Nec supradictis obstat decretum Tridentini *sess. 14. cap. 7. de reformat.* ubi loquens specialiter de irregularitate homicidii voluntarii, inquit: Qui suâ voluntate homicidium perpetraverit omni ordine, beneficio, officio Ecclesiastico perpetuo careat, sed caret ordine ipso jure; & absque sententia condemnatoria, ergo etiam carere debet beneficio, & officio. Propter hanc objectionem Majol. *lib. 5. de Irregular. cap. 48. §. 4. num. 1.* asserit post Conc. Trid. irregularitatem homicidii voluntarii privare beneficiis obtentis. Verùm vt rectè Suar. *disp. 44. sect. 4. num. 32.* affirmat per Concilium nihil esse in hac parte innovatum, sed illius verba intelligi debent juxta ipsarum rerum naturam, quæ est, vt carentia ordinis, quam induit irregularitas ipso jure incurratur. Secus verò privatio beneficiorum acquisitorum, quia plerumque expostulat Iudicis sententiam, nisi aliud exprimatur, sicuti in præsenti non exprimitur, vt advertit Salzedo, pluribus relatis in sua *pract. cap. 94.* Covarruv. *in Clement. si furiosus, de homicidio 2. par. §. 3. num. 6.*

RESOL. CXLIII.

Quidam irregularis, cui jam dispensatum fuit, vt sacros Ordines susciperet, quæsivit à me, an sine alia dispensatione possit beneficia recipere?

Et quid est dicendum de pensionibus?

Et difficultas est, an opinio negativa procedat non solum quoad beneficia curata, sed etiam quoad beneficia simplicia?

Et explanatur, quod si Pontifex dispensat cum illegitimo ad beneficium, non potest nisi unum obtinere, & si unum obtinuit, non potest secundum obtinere, etiam si relinquat primum.

Et an irregularis sit incapax pensionis?

Et an illegitimus, si saltem sit prima Tonsura initiatus, possit sine dispensatione obtinere pensionem?

Et an illegitimus, cui dispensatum est à Papa, vt possit obtinere beneficium Curatum, si postea efficiatur Religiosus, possit sine nova dispensatione fieri Prælatus Regularis?

Et docetur, quod cui dispensatum est, vt beneficium simplex obtineat, non censetur dispensatus ad Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis.

Etiamque advertitur homicidam voluntarium, & à fortiori quemlibet irregularem non esse pensionis incapacem. Ex p. 7. tr. 10. & Misc. 1. Res. 6.

Sup. hoc in tom. 3. tr. 2. Res. 56. & lege doctr. alterius Res. ejus primæ not.

§. 1. DE nullo casu sæpiùs hic Romæ interrogatus fui ac de isto, & videtur affirmativè respondendum ex Henriquez *libro decimoquarto, capite octavo, numero decimo*, non bene ab Avila pro negativa sententia adducto, quia irregularis, ratione irregularitatis, est incapax beneficii, & non potest ad ordines promoveri; Ergo sublata irregularitate per dispensationem manet habilis ad beneficia obtinenda. Verùm contraria sententia est communis, cum stylo Datariæ, & Cancellariæ; & ita docet Suarez *de Censur. disputat. quadragesima prima, sect. 3. numero tertio.* Sanchez *de Matrim. libro octavo, disputatione prima, numero vigesimo primo.* Azorius *tomo secundo, libro sexto, capite tertio, quæstione quarta & quinta.* Avila *de cens. part. septima, disputatione 3. dub. 6. ver. Quarto notandum.* Garsias *de benef. part. 1. cap. 6. numero 71 & part. 7. capite 2. num. 68.* Probatur primo, quia hæc duo sunt separabilia, & executio unius potest stare sine altero, quia dispensatio est strictè interpretanda, & per illam censentur tantùm auferri expressa; ideo *in capite primo de fil. presbyt. in 6.* habetur quod si Pontifex cum illegitimo dispenset ad beneficium, non potest virtute talis dispensationis nisi unum obtinere, & si unum obtinuit non potest secundum obtinere, etiamsi relinquat primum: quia, inquit textus, dispensatio est exorbitans, & tanquam odiosa restringenda. Sup. hoc tom. 3. tr. 2. Res. 56. & alia ejus

2. Sed magis difficultas est, an hæc opinio negativa procedat, non solùm quò ad beneficia curata, sed etiam quò ad beneficia simplicia? & affirmativè respondet. Avila, Azorius, & Garsias *locis citatis*, quia cum dispensatio, vt dictum est, sit stricti Iuris, solùm extenditur ad id super quo dispensatur; quæ ratio æquè probat de beneficio Curato, ac de beneficio simplici. Et ita etiam tenet Marchinus *de Sacrament. Ordinis, tract. 1. part. 9. capite quarto, numero decimotertio.* Campanili *in Diver. Iur. Can. Rub. 11. cap. 13. n. 96.* Marius Antonius *var. resol. lib. 1. resol. 19. num. 11.* & alii.

3. Non desunt tamen Doctores contrariam sententiam tenentes; inter quos, illam tenet Sanchez *de matrim. libro octavo, disputatione prima, numero vigesimoseptimo.* Oldradus *cons. 215. numero sexto.* Henriquez *lib. decimotertio, capite 57. numero quinto.* Majolus *de Irregular. libro primo, cap. 8. numero octavo.* Emanuel Sà *verb. dispensatio numero 14.* & alii, quos citat, & sequitur Sanctarellus *var. resol. part. 1. quæst. 38. numero vigesimonono, & trigesimo.* Probatur hæc opinio ex *cap. accepimus de ætat. & qualit.* ubi cogitur Episcopus, promoto ad sacros Ordines absque titulo, conferre beneficium. Dicendum est igitur, quod licèt Ordines sacri & beneficium simplex diversa sint, sunt tamen annexa quasi inseparabiliter, cum non deceat quempiam ad sacros Ordines promoveri, absque beneficii titulo, idque prohibuit Tridentinum *sess. 21. cap. 2. de reform.* quamvis promovendus, Patrimonium, aut pensionem habeat, nisi quasi dispensativè ratione necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ: Vnde hæc opinio est satis probabilis, sed primam tanquam probabiliorem ego amplector. Nota tamen quod Avila *ubi suprà, ver. Tertio notandum*, docet, quod cui dispensatum fuit vt beneficium simplex obtineret, non censetur dispensatum vt obtinere possit Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis nisi hoc exprimatur. Sup. hoc tom. 3. tr. 2. Res. 56. & lege doctr. alterius Res. ejus primæ not. §. Videque ibi not. ver. Nec

4. Verùm hic obiter etiam quærendum est, an irregularis sit incapax pensionis? & affirmativè respondet Castrus Palaus, *tom. 2. tr. de benefic. disp. 1. punct. 11. §. 3. num. 3.* Rebuffus *in Praxi, tit. de dispensatione ad plura, n. 65.* Lessius *libro 12. cap. 34. num. 205.* Sanchez *de matrim. lib. 7. disp. 44. num. 9.* Garsias *de benef. part. 1. cap. 5. num. 119. & seq.* Parisius *de Resignat. lib. 4. q. 3. & lege num. 37.* Vgolinus *tract. de Irregul. cap. 65. §. 1. num. 3.* citis. Rebuffus, Sayrus *de cens. lib. 6. capite 2. num. 22.* Molina *de Iust. tract. 3. disputat. 78. numero secundo.* Zecchius *de benef. cap. 11. num. 7.* & alii. Et ratio est, quia secundum stylum Curiæ observatum in Dataria, & Cancellaria, incapax beneficii, est etiam incapax pensionis; ergo irregularis, sicut est incapax beneficii, ita erit & pensionis, & cui est dispensatum vt Ordines suscipiat sicut probatum est, non censetur dispensatum vt beneficia, neque etiam vt pensiones obtinere possit. Sup. hoc tom. 3. tr. 2. Res. 56. & lege doctr. alterius Res. ejus primæ not.

5. Sed contrariam sententiam cum Castro Palao probabilem putat P. Thesaurus *in Praxi, part. 2. capite 2. numero secundo*, & Seraphinus, *decis. 126. numero secundo*, plures alios referens, docet quòd ille gitimus cui est dispensatum vt Clericatum suscipiat non indiget alia dispensatione pro pensione; quod etiam docuit Burattus, *decis. 53 numero 2.* nisi pensio super beneficio Parentum imponatur. Confirmatur supradicta sententia ex Sacra Congregatione Cardi

Cardinalium Concilij, declarante, teste Palao, *ubi supra*, homicidam voluntarium, & à fortiori quemlibet irregularem non esse pensionis incapacem, tametsi Beneficij sit. Vide etiam Suarez *de cens. disputat.* 44. *sect.* 4 *numero trigesimonono*, & Emanuelem Sà, *ver. homicidium, numero vigesimo*, & mordicus hanc sententiam sustinet Gonzalez *in regul. Cancellar. Glossa quinta, §. quinto, numero* 24. *& sequent.* ubi probat, illegitimum, si saltem sit prima tonsura initiatus, posse sine dispensatione obtinere Pensionem; & testatur ita servare sacram Rotam plures decisiones adducens; & ratio est, quia Pensio est, quoddam Ius temporale separatum, & per se distinctum ab ipso beneficio; unde privatus jure & inhabilis factus ad obtinenda beneficia, non est privatus jure ad obtinendas Pensiones; sed ut dixi Dataria existimat incapacem beneficij, esse incapacem Pensionis, & huic sententiæ ego adhæreo, non damno tamen negativam sententiam tanquam improbabilem.

Sup. hoc in tom. 1. tr. 1. Ref. 54. in fin. in Ref. §. ult. in fine.

6. Nota etiam quod illegitimus cui dispensatum est à Papa, ut possit obtinere beneficium Curatum, si postea efficiatur Religiosus, non potest sine nova dispensatione fieri Prælatus regularis, ut docent plures quos citat & sequitur Barbosa *in cap. nimis de fil. Presbyt. num.* 3.

RESOL. CXLIV.

An illegitimus occultus incurrat irregularitatem?

Et an illegitimus dispensatus, simpliciter ad Ordines intelligatur solum ad minores Ordines dispensatus?

Et an dispensatus ad Ordines sit dispensatus ad beneficia?

Et an dispensatus ad beneficium de uno, & simplici intelligatur?

Et an ex vi talis dispensationis possit illegitimus obtinere aliud beneficium, primo relicto?

Et an ex dispensatione ad Curata beneficia, censeatur dispensatio facta pro Canonicatibus, vel Dignitatibus Ecclesiæ Cathedralis, & principali Dignitate Ecclesiæ Collegiatæ?

Et tandem docetur, quod si illegitimus non dispensatus ausus fuerit celebrare in Ordinibus susceptis, & si gravissimè peccet, nullam tamen irregularitatem denuo contrahat, quia non ob violationem irregularitatis irregularitas contrahitur. Ex p. 10. tract. 13. & Misc. 3. Ref. 30.

Affers pro affirmatione hoc casu, & facilius terminare possis hanc legg. R. Ref. alias si annot.

§. 1. NEgativè respondet Alphonsus de Castro, *libro* 2. *de lege pœnali, cap. ult. concl.* 5. & hæc sententia firmari potest speciali textu, *cap. Congruente de fil. presbyt.* ubi hæc habentur. Fraternitati tuæ mandamus, quatenus si publicum est, & notorium Patrem R. Clerici habuisse in prædicta Ecclesia personatum, filium ejus ibidem ministrare, aut ejusdem Ecclesiæ personarum habere, nullatenus patiaris, & si jam institutus est ibi, etiam inde non differas demandare. Idem prorsus habetur *in cap. Quoniam, & cap. Ex tua nobis eodem per ea.* Vt si constaret eos esse filios Sacerdotis, &c. Ex quibus textibus manifestè liquet, illegitimos natales impedimento non esse, quominus possit quis beneficium, seu Dignitatem adipisci, ni sint notorij, ac publici; ergo si occulti fuerint, inhabilitatem ad beneficia, vel Ordines quorum eadem videtur esse ratio, non inducent, cùm à contrario sensu vim argumentum habeat. Confirmatur, quod circa hanc inhabilitatem ad beneficia lex Canonica publicos solùm consideravit natales illegitimos, quos punit, non aurem alios; exceptio enim firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis *leg. Nam cum liquidò, ff. de pœna legata, & leg. quæsitum* 22. *paulò ante §. Si quis fundum. vers. Idem respondit. ff. de Fund. instructo.* & cùm habeant esse de eodem, ut notatur frequenter à Doctoribus, non est dubium, quin ad rem nostram dicta regula faciat, demum adsit *ex cap. Innotuit de elect.* ubi ut *Glossa* animadvertit, non ex solâ secreta confessione natalium illegitimorum habita ab Archidiacono Eboracensi, electo in Episcopum, sed ex notitia, quam Pontifex comparavit ex quibusdam suffraganeis, illud condidit decretum, &c. Ergo opus est, ut notorius sit defectus hic natalium ad inducendam irregularitatem. Et ideò ex his novissimè Pater Gerunda *de Episcopatu tom.* 1. *lib.* 2. *disput.* 2. *cap.* 2. *num.* 3. existimat quod non est improbabile per defectum natalium occultè illegitimorum, non contrahi irregularitatem.

2. Sed, ego hoc non admitterem, cùm talis opinio sit contra communem sententiam Doctorum, asserentium illegitimum quantumvis occultum; & communiter, legitimum reputatum verè irregularem esse, quia *textus in cap.* 1. *& c. fin. de Filiis Presbyter.* & aliis, absolutè illegitimum ab Ordinibus excludunt, nulla distinctione facta de publico, vel occulto; Sicuti adnotarunt Navar. *cap.* 27. *num.* 201. Covarruvias, *Clem. Si furiosus,* 2. *par.* §. 3. *num.* 4. Vgolinus *de Irregularit. cap.* 44. §. 1. Gutierez, *lib.* 1. *Canon. Quæstion. cap.* 13. *numero* 20. Sayrus, *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 36. Azorius, 2. *part. Institut. Moral. lib.* 6. *cap.* 3. *quæst.* 23. Avila 7. *parte de Censur. disputat.* 3. *dub.* 6. *concl.* 1. Coninch, *disputat.* 18. *dub.* 12. *in princip.* Layman, *lib.* 1. *Summa tract.* 5. *parte* 5. *capite* 5. *numero* 1. Bonacina, *tom.* 1. *disputat.* 7. *quæst.* 2. *part.* 3. *numero* 2. Hurtado *de irregular. difficult.* 16. & alij passim. Et ad textus in contrarium adductos, præter alias rationes, assero, procedere in foro exteriori, non autem in foro interno.

3. Sed quia hic sermo incidit de illegitimis, multos casus de ipsis pro praxi breviter exponam. Dico itaque quod illegitimus dispensatus simpliciter ad Ordines, intelligitur solùm ad minores dispensatus, Glossa *in cap. litteras, verb. Ordinari, de filiis Presbytero. & in cap. ult. eodem tit. in* 6. *verb. Ad Ordines*, Suarez *de Censuris, disput.* 41. *sect.* 3. *num.* 3. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 1. *numero* 26. Azorius 2. *par. lib.* 6. *capite* 3. *quæst.* 6. & dispensatus ad Ordines non est dispensatus ad beneficia, quia sunt separabilia. Panormitanus *in cap. litteras, num.* 6. *in fin. de filiis Presbyteror.* Sayrus, *lib.* 6. *Thesauri, cap.* 10 *num.* 23 Azorius *supra, quæst.* 5. Sanchez, *num.* 27. Barbosa *allegat.* 45. *numero* 6. Et dispensatus ad beneficium de unico, & simplici intelligitur. Barbosa, ibi Sayrus aliis relatis *num.* 23. *&* 32. solùm est dubium an ex vi hujus dispensationis possit illegitimus obtinere aliud beneficium primo relicto? Negat Covarruvias *in* 4. *Decretal.* 2. *part. cap.* 8 §. 8. *num.* 5. *vers.* 6. Sayrus, *libro* 6. *cap.* 11. *in fine*, & alij relati à Sanchez, *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 31. *num.* 6. eò quòd dispensatio sit stricti juris & strictè intelligenda: & facit Textus *in cap.* 1. §. *Ille verò. de filiis Presbyteror.* ubi dispensatus ad Beneficium potest unicum tantum obtinere. Sed contrarium scilicet posse successivè plura Beneficia obtinere; probabile est, cùm enim quilibet possit plura Beneficia simplicia, quorum quodlibet congruæ sustentationi non sufficit, obtinere absque dispensatione, illegitimus secundùm communiorem sententiam hac potestate privatur, ac proindè etsi dispensatus sit ad beneficium, non censetur dispensatus nisi ad unicum tantùm, uti explicat Sanchez aliis relatis dicto *lib.* 8. *de Matrim. disputat.* 51. *num.* 11. Neque item ex dispensatione ad Curata beneficia censetur dispensatio facta pro Canonicatibus vel dignitatibus Ecclesiæ Cathedralis, quia sunt omnò

Sup. hoc in tom. 3. tr. 2. Ref. 54 & in aliis ejus primæ not.

Sup. hoc in tom. 3. tr. 2. Ref. 54 §. Notandum. & in alia Ref. ejus not. Sup. hoc & seqq. usque annot. seq. in tom. 3. tr. 2. Ref. 58. & in aliis ejus primæ not.

Sup. hoc in tom. 3. tr. 2. Ref. 54. §. ult. ad lin. 3.

nitò diversa, & propter eorum qualificationem debent necessario exprimi. Ob quam rationem sub dispensatione etiam generali ad quæcumque Beneficia non comprehenduntur; uti advertit Barbosa *dicta alleg. 45. num. 8. & 9.* Sayrus, *capite 10. numero 26. & 27.* Nec sua dispensatione ad Dignitates comprehenditur dignitas major Ecclesiæ Cathedralis, & principalis Ecclesiæ Collegiatæ Et hæc omnia docet etiam Castrus Palaus *tom. 6. disp. 6. punct. 9. n. 5.* qui *n. 13.* docet etiã quòd si illegitimus non dispensatus ausus fuerit celebrare in ordinibus susceptis, et si gravissimè peccet, nullam tamen irregularitatem denuò contrahit, quia nullibi est statuta, Sicuti non est statuta servis, & corpore vitiatis, eo quod absque dispensatione ordinati, in susceptis Ordinibus ministrent, non enim ob violationem irregularitatis irregularitas contrahitur. Sicuti tradit Innocentius *in cap. si celebrat, numero 3. de Cleric. excommun. Ministr.* Navarrus, *cap. 27. n. 153. & 194.* Gregorius de Valentia, *tom. 4. disp. 7. quæst. 19. part. 2.*

Sæp. hoc in Instr. 3. tr. 2. Ref. 46. §. His, &c.

RESOL. CXLV.

An irregularitas homicidij tollatur per Baptismum? Et an per Baptismum tollatur omnis irregularitas præterquam ea, quæ contracta est, ex defectu Sacramenti, ut bigamia? Ex p. 4. tract. 2. Resol. 51.

§. 1. MOrdicus negativam sententiam tenet Vgolinus *de irregul. cap. 56. §. 7. n. 4.* ubi ex pluribus rationibus illam conatur defendere, sed adversùs illum insurgit Villalobos *tom. 1. tract. 21. diffic. 7. num. 2.* ubi sic asserit: [De la irregularidad que nace del homicidio cometido antes del baptismo ay difficultad. Vgolino diçe que no se quita por el baptismo, que este solo quita la culpa y no la irregularidad, mas la contraria sentençia tienen casi todos y consta de un testo cap. si quis vidua dist. 50. aunque no es muy fuerte, porque se trahe por argumento à contrario sensu. Y aunque estando in puncto juris se podria defender loque dize Vgolino mas esta es mas probable y se ha de seguir en practica.] Ita ille. Vide etiam Hurtado *disp. 2. de irregul. diffic. 20. num. 64* & novissimè Ioan. Honorium *in compend. juris canonic. lib. 5. tit. 39. num. 111.* ubi sic ait: Tollitur Baptismo omnis irregularitas etiam ex homicidio contracta, præterquam ea quæ contracta est ex defectu Sacramenti, ut bigamia. Ita ille; & novissimè Petrus Cornejo *in 3. part. D. Thomæ tractat. 5. de irregular. disp. 1. dub. 4. §. 5.*

RESOL.ª CXLVI.

Quædam notabilia circa irregularitatem bigamiæ. Et inter alia, quæ inferuntur, & explanantur circa hoc, tandem quæritur pro praxi, an ducens fœminam à se defloratam incurrat irregularitatem? Ex p. 4. tract. 2. Resol. 38.

§. 1. AN laicus bis contrahens, sed cum altera, vel cum utraque invalidè, aut invalidè contrahens cum vidua, efficiatur irregularis, non constat apud DD. nam aliqui in omnibus his casibus affirmant, alij in quibusdam, in aliis negant; sed, ut verum fatear, nemo jus aliquod adfert, quo ullo ex his casibus irregularitatem contrahi clarè probetur. Hinc infertur primò laicum contrahentem bis invalidè, non esse irregularem. Secundò fictè contrahentem secundum matrimonium, aut cum vidua, neque etiam in irregularitatem incurrere. Infertur tertio etiam laicum contrahentem secundum matrimonium invalidè ob alium defectum minime irregularem esse, & hæc omnia docet Coninch *disp. 18. dub. 11. nn. 101.* licèt hoc ultimum cum aliqua formidine asserat; verùm illud docet Hurtado *disp. 2. de irregular. diffic. 13. n. 41.* Vide etiam ad supradictã stabilienda Avilam *parte 7. disp. 8. dub. 1. & 2.* cum Henriquez *lib. 12. cap. 6. numero 9.* Turrianno *de censur. libro 9. disputat. 70. dub. 2.* & Præpositio *in 3. part. quæst. 5. de irregular. dub. 7. num. 135.*

2. Notandum est hic obiter pro praxi, quòd ducens fœminam à seipso de floratam non incurrit irregularitatem. Ita contra non paucos, docet ex Sanchez Turrianus *loc. cit.* & Præpos. *in 3. part. quæst. 5. de irregul. dub. 1. num. 133.* cum Petro Cornejo *in 3. part. tract. 5. de irregul. disp. 10. dub. 2. num. 4.* & ratio est, quia in tali casu neuter dividit carnem suam nec verè, nec interpretativè, cùm illa non fuerit à pluribus cognita, sed ab uno & eodem.

RESOL. CXLVII.

An qui fornicatus est cum fœmina, si illam postea in uxorem ducat, possit fieri Clericus conjugatus? Ex part 7. tract. 12. & Misc. 3. Resol. 19. alias 17. §. Ad secundum.

§. 1. VIdetur prima facie negativè respondendum, quia talis est bigamus; Etenim non solum ad vitandam bigamiam requiritur etiam, quòd sit virgo, tempore, quo contrahitur matrimonium; ergo sive à se, sive ab alio prius corrupta fuerit, deficit ratio sacramentalis significationis; nam sponsa significat Ecclesiam, quæ est virgo non habens maculam, neque rugam, *ad Ephes. 5.* Hoc inquam non officit. Et ad Antecedens respondetur distinguendo illud; Requiritur quòd sit virgo quantum ad effectum, ut non dicatur corrupta, aut cognita ab alio, concedo Antecedens; Requiritur quòd sit virgo, tempore quo contrahitur matrimonium, id est non cognita, neque etiam ab eo, cum quo contrahit, nego Antecedens; quia hæc ut supponitur nunquam divisit carnem suam in plures; unde in hoc matrimonio salvatur ratio Sacramentalis significationis: est enim matrimonium unius cum unica, quæ carnem suam non divisit in plures.

2. Dicendum est igitur in tali casu Clericum illum non esse Bigamum, & irregularem, quia non divisit carnem suam in duas, nec illa in duos, cum ab uno tantùm cognita sit; ergo benignè interpretando. Hic dicitur Virginem duxisse uxorem, qui à seipso corruptam in uxorem duxit. Nam illa nulli alteri, nisi uni, corporis sui potestatem tradidit. Ita præclarè D. Thom. 3. *part. in Add. quæst. 66. art. 3. ad 2.* Sylvester *ver. Bigamia, num. 1. vers. 7.* Vide Sayr. *de Cens. lib. 6. cap. 4. num. 17.* Stephanum Baunium *in Theolog. Moral. tom. 2. tract. 11. q. 13.* Ioann. Præposit. *in 3. part. q. 5. de irregular. dub. 7. num. 133.* & Sanchez *lib. 7. disp. 84. num. 14.*

RESOL. CXLVIII.

An Clericus secularis sacris Ordinibus initiatus, si contrahat cum Virgine incurrat irregularitatem bigamiæ, vel an bigamia similitudinaria tantum contrahatur, quando quis post votum solemne castitatis contrahit matrimonium, quamvis cum Virgine, quæ tantum locum habet cum Religioso, & non cum seculari in Sacris initiatio? Ex part 4. tractat. 2. Resol. 39.

§. 1. AFfirmativam sententiam docet Petrus Cornejo *in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de irregul. disp. 10. dub. 2. quæst. 5.* Avila *part. 7. disput. 8. dub. 3.* Præpos. *in 3. part. quæst. 5. de irregular. dub. 8. num. 136.* Tolerus *lib. 1. cap. 26. num. 7.* Valentia *tom. 4. disput. 7. in quæst. 19. punct. 3.* Emanuel Sà *ver. irregularitas*, ubi de bigamia

bigamia *num* 4. Sanchez *de matrim. tom.* 2. *lib.* 7 *disp.* 85. *num.* 5. Suarez *de cens. disp.* 49. *sect.* 6. Coninch *disp.* 18. *dub.* 11. *num.* 102. & alij penes ipsos, & probant hanc opinionem ex *cap.* 1. *qui Clerici, vel voventes*, & ex *c.* 2. *eodem titulo.*

2. Sed adversùs hanc sententiam novissimè insurgit Hurtado *disput.* 2. *de irregular. disc.* 13. *num.* 47. ubi sic ait. Bigamia similitudinaria contingit quando quis post votum solemne castitatis cõtrahit matrimonium, quamvis cum virgine, quæ tantùm habet locum cum Religioso, & non cum sæculari in Sacris initiato, ut contra Suarez & Coninch advertunt non pauci, tum quia *in cap. quotquot* 27. *quæst.* 1. ubi inducitur hæc irregularitas, tantùm est sermo de Religiosis, tum etiam, quia aliàs superfluè sæcularibus in Sacris constitutis apposita esset irregularitas *in cap. nuper*, quando post unum matrimonium validum ante ordinationem contractum post ordinationem contrahunt aliud, quia primum matrimonium non esset necessarium ad irregularitatem, quia sufficeret contrahere post ordinationem, & etiam superfluè apposita esset eis irregularitas *in cap. ult. de bigamis*, quando post ordinationem contrahunt cum vidua, quia ad hanc irregularitatem ex bigamia similitudinaria sufficeret contrahere cum Virgine, ut patet *in d. cap. quotquot.* Ita Hurtado, & ante illum Tannerus *in* 3. *part. disput.* 6. *quæst.* 10. *dub.* 10. *num.* 184. qui citat Henriquez. Ad Canones verò quos pro contraria sententia adducit Sanchez & alij, respondet Turrianus *de cens. lib.* 9. *disp.* 70. *dub.* 3. quòd in illis capitulis non apparet initiatos sacris Ordinibus contraxisse cum virgine.

Hoc, hac Bigamia, & dispensatione in to. 2. tract. 1. Ref. 39. §. ult. verùm in fin.

RESOL. CXLIX.

An uxorem vi ab alieno cognitam maritus post Adulterium violentum cognoscens, incurrat irregularitatem bigamiæ? Ex p. 4. tract. 2. Ref. 40.

§. 1. AFfirmativè respondet Glossa, Turrecremata, Henriquez, Majolus, Palatius, Vivaldus & alij, quos affert & sequitur Thom. Sanchez *de matrim. tom.* 2. *lib.* 7. *disp.* 84. *num.* 15. quibus ego addo Villalobos *in summ. tom.* 1. *tract.* 21. *diffic.* 31. *num.* 6. Suarez *de cens. disp.* 49. *sect.* 3. *num.* 16. Et ratio est, quia vis illa præcisa excusat fœminam à culpa, at non efficit matrimonium illud aptum esse ad significandam conjunctionem Christi cum Ecclesia; Ergo, &c.

Sup. hoc inf. in Ref. 151. & ad lin. 4.

2. Sed contrariam sententiam esse probabilem, docet Io. Præpos. *in* 3. *part. D. Thom. q.* 5. *de irregular. dub.* 7. *num.* 135. quia Canones requirunt ut uxor adulterium commiserit; ut clarè patet ex textu; sed vim passa nõ potest dici adulterium commisisse. ergo, &c. Nec valet dicere quòd qui ducit corruptam ab alio, etiam vi, sit irregularis. Ergo qui cognoscit propriam uxorem ab alio cognitam. Nam respondetur negando consequentiam, quia in priori casu est expressa juris decisio, cùm Canones solùm requirant, esse corruptam, quod in omni proprietate etiam dici potest de ea, quæ vi est corrupta. In nostro autem casu dicitur in Canone, *cùm uxorem adulterium commisisse*, &c. Item si laici uxor in adulterio fuerit deprehensa, quod nullo modo dici potest in proprietate sermonis de ea, quæ vi ab alio est cognita, & in materia odiosa verba legis sunt restringenda quantum verborum proprietas patiatur.

3. Nec valet dicere secundò quòd irregularitas quæ ex bigamia interpretiva oritur, est ex defectu significationis qui etiam resultat ex accessu ad suam, quæ vi ab alio est cognita. Nam respondeo id non referre, quia propter illam solam congruentiam hæc irregularitas non incurreretur si non esset in jure imposita: sed in nostro casu non sufficienter constat hanc irregularitatem esse in jure impositam, ut patet ex dictis considerando Canones ergo, &c. Vnde patet responsio ad argumentum factum à Sanchez pro prima opinione.

RESOL. CL.

An quis incurrat irregularitatem bigamiæ, si cognoscat uxorem post ejus adulterium, licet non sit notorium, vel ignoretur ab eo? Ex part. 4. tractat. 2. Ref. 41.

Pro utroque casu, & contento in hac Ref. in §. 1. & 2. Ref seq. & in to. 3. tr. 1 Ref 39. §. Difficultas. & §. Sed ut verum.

§. 1. QVoad primum, affirmativam sententiam ex Navarro & Castro docet Sanchez *de matrim. tom.* 2. *lib.* 7. *disp.* 84. *num.* 15. & patet ex *cap. si cujus, & cap. si laici, dist.* 34. verùm Io. Præpos. *in* 3. *part. quæst.* 5. *de irregular. dub.* 7. *num.* 133. notat quod videtur requiri ut adulterium sit notorium. Nam in d. cap. *si cujus*, dicitur, *si cujus uxorem adulterium commisisse, cum esset laicus, evidenter fuerit comprobatum*; sed non est recedendum à prima sententia, quia textus ille intelligitur quoad forum externum, non autem in conscientia. Quoad secundum Emanuel Sà *ver. irregularitas*, qui agit de bigamia, *num.* 3 Petrus Ledesma *de matrimon. quæst.* 66. *art.* 3. & alij putant, tunc maritum in nostro casu incurrere irregularitatem, quando habet copulam cum uxore quam scit commisisse adulterium, secus autem si adulterium ignoret.

2. Verùm contraria sententia est tenenda, quam tuentur Doctores, quos citat & sequitur Sanchez *loc. citat.* quibus ego addo Petrum Cornejo *in* 3. *part. D. Thomæ tract.* 5. *de irregul. disp.* 10. *dub.* 2. *quæst.* 4. Villalobos *tom.* 1 *tract.* 21. *difficult.* 31. *num.* 6. Ioan. de la Cruz *in director. part.* 2. *de irregular. dub.* 1. *conclus.* 1. Hurtadum *disput.* 2. *de irregular. difficul.* 13. *num.* 49. Turrianum *de censur. lib.* 9. *disp.* 70. *dub.* 2 & Avilam *de cens. part.* 7. *disp.* 8. *dub.* 1. vbi cum D. Thom. & aliis recte docet hoc esse verùm, * licèt maritus compulsus per censuras Ecclesiæ (quia non plenè probavit adulterium in foro externo vel alia de causa) cognoscat uxorem quæ fornicata est. Igitur sive scienter, sive ignoranter maritus cognoscat uxorem postquam adulteravit, incurrit irregularitatem bigamiæ, quia talis irregularitas incurritur ex defectu significationis, qui reveia est in nostro casu, etiamsi in marito adsit ignorantia. Vnde cognoscens postea uxoris delictum, soluto matrimonio ab Ordinibus suscipiendis debet abstinere. Et ita præter Doctores citatos tenet etiam hanc sententiam Petrus Cornejo *in* 3. *part. D. Thomæ tract.* 5. *de irregular. disputat.* 10. *dub.* 2. *quæst.* 4.

* Sup. his censuris in Ref. 2. not. præteritæ. §. Sed quid dicendum.

RESOL. CLI.

Si quis ignoranter cognovit uxorem post ejus adulterium perpetratum, postea illa mortua vult sacros Ordines suscipere; quæritur, an censendus sit irregularis tanquam bigamus?

Et an ad incurrendam irregularitatem bigamiæ requiratur utriusque seminis commissio? Ex part. 7. tract. 12. & Misc. 3. Ref. 20. aliàs 18.

§. 1. AFfirmativè respondeo, quòd mirum alicui videbitur; sed ita res est. Dicendum est igitur, quod contrahitur bigamiæ irregularitas ex quacumque adulterij ignorantia, si post illud cognoscatur; quia hîc non agitur de vitio promovendi ad Ordines, ad quod desideratur scientia: sed de significationis defectu, quem potest pati ignorans. Et lex promotionis factum requirit, non voluntatem *cap. ul-*

*tim.*15.*quæst.*1. Nec obstant argumenta contra. Nec primum, quia longè alia ratio est de irregularitate ex occisione justa consurgente, & de hac. Quod illa oriatur ex defectu perfectæ lenitatis, qui nullatenus invenitur in ignaro occisionis. Hæc autem ex defectu significationis Sacramenti qui æquè invenitur, sive scientia, sive ignorantia adsit. Non obstat etiam secundum cum sua confirmatione, quia satis est copula illa sit voluntaria, & ex arbitrio procedat, ac proinde sit actus humanus: quamvis ignoretur corruptio, vel adulterium uxoris.

Per hac scientia, & ignorantia ibidem.

2. Et ideo hanc sententiam tenet Sanchez *de Matrim. lib.*7. *disput.* 84. *num.* 15. cui ego addo Caspensem *in Cursu Theolog. tom.*2. *tractat.*25. *disput.*5. *sect.*14. *num.*97. ubi sic ait. Notandum certius & probabilius esse, maritum post adulterium violentum cognoscentè propriam uxorem vi ab altero cognitam, incurrere irregularitatem Bigamiæ, & ita tenet Sanchez *lib.*7. *de Matrim. disput.*84. quia vis illa illata excusat quidem fœminam à culpa, non verò efficit, ut matrimonium illud sit aptum ad significandâ conjunctionem Christi cum una Ecclesia. Et similiter cum eodem Sancio censeo, incurrere eamdem irregularitatem, si cognoscat uxorem post ejus adulterium, etsi non sit notorium, sive scienter, sive ignoranter cognoscat illam, ob eamdem rationem; quia talis irregularitas incurritur ex defectu significationis conjunctionis Christi cum Ecclesia, qui re vera est in nostro casu. Ita Caspensis. Vnde in facti contingentia etiam post susceptum Sacerdotium ego consului fuisse impetrandam dispensationem irregularitatis ex copula ignoranter habita cum uxore post adulterium; licet Antonius Cucus *in instit. lib.*4. *tit.*12. *num.*175. & Bernardus Diaz *in Pract. Can. cap.*16. asserant cognoscentem ignoranter uxorem adulteram repelli ab Ordinibus suscipiendis non autem à receptorum executione.

Sup. hoc notando sup. in Resol. 149.

3. Notandum est hîc obiter id quod *in* 3. *part. tract.... Resol.* 43. adnotavi, scilicet esse satis probabile ad incurrendam irregularitatem Bigamiæ requiri utriusque seminis commistionem; Et ideo me citato sic novissimè ait Machadus *tom.*1. *lib.*3. *part.*3. *tract.*17. *docum.*3. *num.*5. [Dudan si para el incurso de esta irregularidad se requiere: Non solùm effusio seminis viri, sed etiam fœminæ. Algunos Autores sienten que basta, effusio seminis viri; porque como despues de Aristoteles enseña Santo Thomas, el de la muger no es necessario para la generacion, ni para la consumacion del matrimonio. Pero no obstante esto, otros defienden lo contrario; fundados en que segun sentencia de los Medicos, el semen fœmineum, es necessario para la generacion; i por consiguiente afirman, que sin el no se deve tener el matrimonio por consumado.] Sic ille; cui adde novissimè Caspensem, *ubi supra, in Cursu, Theolog. tom.*2. *tract.*25. *disputat.*5. *sect.*14. *num.*98.

Quæ hic est inf. Resol. 153.

Sup. hoc in tom. 2. tr. 6. Resol. 114. & in aliis ejus primæ not.

RESOL. CLII.

An ad incurrendam irregularitatem bigamiæ requiratur in copula seminis virilis emissio intra vas fœmineum, vel sufficiat tantum copula absque seminatione?

Et an in tali casu quis possit promoveri ad sacros Ordines si res occulta sit, sine aliqua dispensatione? Ex p. 4. tr. 2. Resol. 42.

§. 1. AD incurrendam dictam irregularitatem sufficere tantùm copulam absque seminatione, docet Avila *de censur. part.*1. *disput.*8. *dub.*1. Henriquez *lib.*11. *cap.*15. *num.*3. *in gloss. lit. B.* Tabiena, Armilla, Vivaldus, Palacius & alij, quos citat Sanchez *de matrimon. tom.*2. *lib.*7. *disput.*83. *num.*6. Sed ipse, & meritò, sententiam contrariam docet cum Borghasio & Vega quibus ego addo Hurtado *disp.* 2. *de matrimon. difficul.*13. *num.*47. Turrianum *de censur. lib.*7. *dub.*1. Præpos. *in* 3. *part. quæst.*5. *de matrim. dub.*9. *num.*75. juncto cum *num.*77. Coninch *disput.*18. *dub.*11. *n.*102. & Megalam *in* 3. *part. lib.*7. *cap.*1. *num.*65. Vnde in tali casu quis posset promoveri ad sacros Ordines si res occulta fuerit sine aliqua dispensatione; rationes verò hujus sententiæ invenies apud Sanchez, sed major difficultas consistit *in dub. seq.*

Vt melius hanc quæst. dissoluas lege prius to.

RESOL. CLIII.

An ad incurrendam irregularitatem bigamiæ requiratur non solum effusio seminis viri, sed etiam fœminæ?

Et ex doctrina hujus quæstionis infertur, quod si vir seminante fœmina non seminaverit, idque partibus constet, possint Religionem ingredi, sitque probabile, quod per professionem matrimonium solvatur, atque adeo pars in sæculo relicta possit aliud matrimonium inire.

Et an ad contrahendam affinitatem sufficiat seminatio viri, vel requiratur etiam seminatio fœminæ? Ex p. 4. tract. 2. Resol. 43.

§. 1.* SOlùm viri semen requiri docet Vega *in sum. tom.*1. *cap.*38. *cas.*4. Turrianus *de cens. lib.*7. *disp.*70. *dub.* 1. qui citat Sanchez *ubi infrà*, quia semen fœmineum non est necessarium ad consummationem matrimonij & generationem, ut post Aristotelem docet D. Thom. *in* 3. *part. quæst.*31. *art.*5. *ad* 5.

* Sup. hoc in Resol. 150. §. ult.

2. Sed ego contrariam sententiam non minus probabilem esse existimo, quam tuetur in terminis casus nostri, de quo loquimur, Io. Præpos. *in* 3. *part.* 9. 5. *de insolubilit. matrimonij, dub.* 9. *num.*81. & probabilem etiam esse existimat Sanchez *de matrim. tom.*2. *lib.*7. *disp.*83. *num.*6. *in fine*, quia ex Medicorum sententia semen fœmineum est necessarium ad generationem & consummationem matrimonij. Vnde ex his ultra decisionem casus nostri sequitur primò quòd si viro seminante mulier non seminaverit, idque partibus constet, possint religionem ingredi, sitque probabile quòd per professionem solvatur matrimonium, atque adeò pars in sæculo relicta possit aliud matrimonium inire. Ita Præpos. & alij, Secundo infertur decisio alterius casus, quem alibi tetigi, licèt cum aliqua formidine. Dico igitur esse sententiam probabilem & satis tutam in praxi asserere, quòd ad contrahendam affinitatem non sufficit seminatio viri in fœminæ matricem, in qua est sanguis menstruus ad generationem paratus, sed etiam requiritur seminatio fœminæ, & ita Hurtado *tract. de matrim. disp.*20. *difficult.*1. *n.*5. qui citat Innocentium & Lopez, & hanc sententiam probabilem etiam putat Præpos. Sanch. & Turrianus *loc. cit.* Vnde stante probabilitate hujus sententiæ qui habuit opulam cum consanguinea, vel affine uxoris, si illa non seminavit, non contraxit ullum impedimentum, & ideo potest sine alia dispensatione petere debitum.

Sup. hoc in tom. 2. tr. 6. Resol. 114. & in aliis ejus primæ not.

Alibi in re Resol. 137. §. Dico tutam 2. tr. 6. Resol. 148. & 149. Sylvius 2. 2. quæst. 154. art. 2. dub. 2. concl. 3. docet. aliud post. & Sanch. contrarium.

In indice primo hujus tom. 5. *lege Apendicem ad hunc tract.* 5. *ubi reperies alias quam plurimas quæst. mistas, & dispersas per alios tom. tract. & Resol. quæ simul pertinent ad hunc tract.* 5. *de Irregularitate.*

TRACTA

TRACTATVS SEXTVS,

DE ABORTV,

IVXTA BVLLAS SIXTI V. ET GREGORII XIV.

Atque de Absolutione, & Dispensatione pro excommunicatione, & irregularitate illius agitur.

RESOLVTIO PRIMA.

Quid sit Abortus ?

Et docetur, quod ille, qui dedit causam eiectionis fœtus animati, est verus homicida, & tenetur omnibus pœnis juris Canonici & civilis, quibus tenentur illi qui hominem jam natum peremerunt, ac proinde sit irregularis.

Si vero fœtus non sit animatus, licet procurare abortum non sit propriè homicidium, est tamen grave peccatum. Ex part. 7. tract. 5. Resol. 1.

ABORTVS est ejectio fœtus immaturi, potest autem fœtus immaturè ejici, vel antequam animatus est, vel post animationem : & quidem si animatus est, ille qui dedit causam ejectionis, est verus homicida, & tenetur omnibus pœnis Iuris Canonici, ac Civilis, quibus tenentur illi; qui hominem jam natum peremerunt, ac proinde sit irregularis.

2. Si verò fœtus necdum sit animatus, licèt procurare talem abortum non sit verum homicidium, est tamen grave peccatum : de quo Tertull. *in Apologet. c. 9.* Nobis homicidio semper interdicto, etiam conceptum utero dum adhuc sanguis in hominem delibatur, disoluere non licet ; homicidij festinatio est prohibere nasci, nec refert natam quis eripiat animam, an disturbet nascentem ; homo est qui futurus est, nam fructus in semine est, & S. P. August. *lib. 1. de nupt. & concupisc. cap. 15.* cujus verba referuntur *cap. aliquando 32. quæst. 2.*

RESOL. II.

Quid est procurare abortum ? Ex part. 7. tractat. 5. Resol. 2.

§. 1. REspondeo nihil aliud esse nisi studiosè quærere, sive per se, sive per alium, ut fœtus immaturè ex utero matris ejiciatur. Tribus autem modis procuratio hæc contingere potest. Primò impediendo ne fœmina concipiat, v.g. si vir ante concubitum potionem aliquam fœminæ præbeat, per quam ea sterilis evadat : verùm hæc non dicitur procuratio Abortus, ut patebit. Secundo procurando, ut fœtus conceptus quidem, sed necdum animatus ejiciatur. Tertio procurando, ut fœtus jam conceptus & animatus abigatur. Quare procurator, abortus propriè dicitur ille, qui id agit studiosè, ut fœtus, sive ille animatus sit, sive inanimatus, ex utero abigatur. Quæ procuratio multis modis fieri potest puta potionibus, percussionibus, magnis itineribus, laboribus, oneribus magnis prægnantibus mulieribus impositis, aliisque sexcentis modis, quos idemtidem perditarum mulierum excogitat audacia, vel libido, & obiter tangit Bulla Sixti V. citata. Quibus adde usitatum illum fascinantium vetularum modum, ut per maleficia procurent abortum.

RESOL. III.

De pœnis procurantium abortum ex jure Canonico, & Civili. Ex p. 7. tract. 5. Resol. 3.

§. 1. COntra procurantes abortus Concilium Ilerdense *Can. 2.* sic statuit : His qui abortivum faciunt, vel natos suos extinguunt, post septem annorum curricula, communio tribuatur, *Synodus 6. Generalis can. 9.* Quæ pharmaca abortum facientia procurant, vel, quæ venena suscipiunt perimentia partus, pœna occisoris accusentur : & Stephanus Papa. D. Humberto Episcopo Moguntino, *cap. consuluisti 2. quæst. 5.* Si ille, qui conceptum in utero per abortum deleverit, homicida est quanto magis, qui unius saltem diei puerulum peremit, homicidam se esse excusare nequibit ? *& si aliquis, de homicid. volunt.* Qui homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare, aut concipere, vel nasci soboles, ut homicida tenetur. Sed non reipsa, & opere commissum ; ideò si fœtus nondum erat animatus, antea nulla contrahebatur irregularitas *cap. sicut ex litterarum, de homicid.* Glossa *ibid. & cap. si aliquos, eod. tit.* cùm hæc non contrahatur, nisi homo jam actu animatus interficiatur.

2. Civiles autem leges decernunt in eosdem capitis supplicium, si fœtus fuerit animatus ; ut etiam sit *cap. 21. Exodi*, dicitur enim *in l. necare, ff. de lib. agnosc.*

agnosc. Necare videtur non tantùm is, qui partum præfocat, sed etiam is, qui abjicit, & *l. si mulierem ff. ad leg. Aquil. de sicariis.* Si mulierem visceribus suis vim intulisse, quò partum suum abigeret, constiterit, eam in exilium Præses provinciæ exigat. Idémque habetur *l. Divus, ff. de extraor. crim. & l. Cicero. ff. de pœnis* & constat ex oratione pro Cluentio. Marcus Tullius cùm esset in Asia, Milesiam mulierem capite damnavit, eo quòd accepta à secundis hæredibus pecunia, sibi ipsi medicamentis partum abegisset. Si verò fœtus nondum animatus erat, is cujus opera ejicitur, si sit honestæ conditionis, amissa bonorum parte, in insulam relegatur, si humilioris & inferioris sit conditionis, in metallum damnatur *l. si quis aliquid, §. qui abortionis, ff. de pœnis.*

RESOL. IV.

De pœnis procurantium abortum ex jure novo Sixti V. Ex p. 7. tract. 5. Resol. 4.

§. 1. SIxtus V. in Constit. 87 edita anno 1588. quæ incipit, Effrænatam, decernit in §. 1. eos, qui per se, vel per interpositas personas abortum fœtus animati procuraverint, percussionibus, venenis, medicamentis, oneribus, aliisve modis abortu secuto; & prægnantes mulieres, quæ præmissa scienter fecerint, teneri pœnis omnibus jure divino, canonico, & civili statutis contra veros homicidas.

2. Similiter §. 2. 3. 4 eosdem incurrere irregularitatem, unde nec promoveri possunt, nec si jam promoti sunt, ministrare, sed eo ipso omni privilegio clericali officio, & beneficio esse privatos, quæ sic vacatura reserventur dispositioni Papæ, atque inhabiles in futurum, etiamsi delictum fuerit occultum. Et qui foro Ecclesiastico sunt subjecti, degradati tradantur foro seculari capitali pœna puniendi.

3. §. 5. Similibus pœnis vult teneri eos, qui sterilitatis potiones ac venena propinaverint mulieribus, aut quo minus fœtus concipiant, impedimentum præstiterint, consuluerint, ac auxiliati fuerint: nec non & mulieres quæ ea scienter sumpserint.

4. §. 6. Detúrque in hoc crimine puniendo inter Iudices prævention contra quoscumque & testes jure inhabiles, suo arbitratu recipiant, & pœnis afficiant reos.

5. §. 7. & 8. Insuper prædictos omnes, qui vel uti principales, vel ut socij, consciive ad tale facinus opem, consilium, favorem, potionem, aut medicamenta scienter dederint, aut etiam scribendo literas, vel apochas, vel aliàs verbis, aut signis iuverint, aut consuluerint, ipso facto excommunicationem incurrant, à qua nequeant absolui (nisi in mortis articulo) nec etiam vi Iubilei, aut vigore Concilij Tridentini, nisi à Romano Pontifice, & similiter ab irregularitate, hac de causa contracta, ab eo tantum urgentissimis de causis dispensari possit. Non obstantibus, &c.

RESOL. V.

Quas pœnas Gregorius XIV. circa prædictam constitutionem Sixti V. moderavit? Ex part. 7. tract. 5. Resolut. 5.

§. 1. GRegorius XIV. *in Constit. 8. edita anno 1591.* quæ incipit *Sedes Apostolica*, moderavit Bullam Sixti V. contra procurantes abortum. Vnde in §. 2. *statuit*, si fœtus animatus fuerit, tam ad eos, qui hactenus deliquerunt, quàm in futuro deliquent, expresse à Sixto V. §. 1. 5. 7. ut à peccato, & excommunicatione possit quilibet Presbyter tam sæcularis, quàm regularis ad confessiones audiendas, & ad hos casus specialiter per Ordinarium loci deputatus. in foro tamen conscientiæ, absoluere: si verò fœtus animatus non fuerit; pœnas abortum procurantium, & exhibentium mulieribus, & suscipientium venena sterilitatis, aut quocunque modo dantium auxilium, & consilium reducit §. 3. ad terminos juris communis, sacrorum Canonum, & Conc. Tridentini, tam quoad præterita, quàm quoad futura, §. 4. Cætera verò omnia, quæ in Bulla Sixti continentur vult in suo robore manere.

His positis multæ extant circa præsentem materiam, curiosæ difficultates; Ideò quæro.

RESOL. VI.

An in facultate Iubilæi absolvendi à casibus & censuris reservatis includatur absolutio abortus?

Et docetur, quod casus abortus non est amplius Papalis, sed Episcopalis.

At vero, quando Episcopus, seu Ordinarius generaliter concedit alicui Confessario facultatem absolvendi à casibus, & censuris sibi reservatis, tunc non censetur concessus abortus fœtus animati per Gregorij Constitutionem, nisi specificetur. Ex p. 7. tr. 5. Resl. 19.

§. 1. REspondeo quòd negativam sententiam docuit Lavorius *de Iub. part. 2. cap. 28. num. 23.* nisi specificetur, quod ait constare ex Bulla Gregorij XIV. incipiente, *Sedes Apostolica*, edita pridie Calend. Iunij 1591. Sup. hoc n. tom. 4. in lege dilit. Ref. 61. & quæres ad lim. 5. vers. & addit.

2. At certum est comprehendi; quia licèt Sixtus V. in Bulla incipiente, *Effrænatam*, die 26. Novembr. 1588. editam afficiat abortum fœtus animati excommunicatione ipso facto incurrenda, illamque sedi Apostolicæ reservet, & decernat non censeri comprehensam in facultate generali absolvendi à censuris etiam per Iubileum concessa: nihilominus Gregorius XIV. in prædicta sua constitutione abstulit prædictam reservationem, & facit potestatem cuicumque loci Ordinario absolvendi à prædicta excommunicatione per se, vel per alium Confessarium ad id specialiter deputatum, ut tradunt Rodriq. *in Bullam Cruciatæ, §. 9. n. 88.* Quaranta *verbo abortus*, & Gavantus *in manuali Episcop. verbo abortus, num. 4.* & *verbo, absolutio, num. 36.* ac proinde casus, abortus non est ampliùs Papalis, sed Episcopalis. Casus autem Episcopales in Iubileo censentur omnes concessi, ut suprà ostensum est. Quare dictum Lavorij procedit tantum quando Episcopus, seu Ordinarius generaliter concedit alicui Confessario facultatem absolvendi à casibus, & censuris sibi reservatis, tunc enim non censetur concessus abortus fœtus animati per dictam Gregorij Constitutionem, nisi specificetur. Et hæc omnia docet Angel. Bossius, tract. *de Iubileo sect. 1. cas. 6. n. 1. & 2.* Sup. hoc n. go dicitur. lege, per tot. & annot. vide Laur. annot. ppos. Provin

RESOL. VII.

Quis possit absoluere ab incursa excommunicatione propter abortum?

Sed difficultas est, quisnam dicatur Confessarius specialiter deputatus, ut possit absoluere ab excommunicatione propter abortum?

Et notatur non posse Confessarium sæcularem absoluere pœnitentem, qui commisit aborum fœtus animati.

Et quid de Religiosis virtute privilegiorum, si ad hoc per

Provinciales non sint deputati? Ex part. 7. tract. 5. Resol. 15.

§. 1. REspondeo solus Papa in terminis Bullæ Sixti V. quam tamen postea moderavit Gregorius XIV. & ideò nunc in foro interno potest quilibet Confessarius approbatus ab Ordinario, & ad id specialiter deputatus à dicta excommunicatione absolvere. Cæterum ut observat Mazuchellus *tractat. de cas. reser. disputat. 2. cap. 3. quæst. 1. num. 2.* pro absolutione in foro exteriori obtinenda recurrendum est ad summum Pontificem, cui ea est reservata. Et licèt P. Thesaurus *in præxi, parte 2. cap. 1. num. 1.* asserat pro absolutione hujus censuræ non esse recurrendum ad Sedem Apostolicam, cùm hodie sit reservata locorum Ordinariis, tamen hoc intelligendum est pro foro conscientiæ.

2. Sed difficultas est, quisnam dicatur Confessarius specialiter deputatus, ut possit absolvere ab excommunicatione incursa propter abortum? Respondet sic Bonacina *tom. 3. disputat. 2. quæstion. 2. punct. 10. numero 16.* Dico non solùm eum censeri ad hos casus specialiter deputatum, qui facultatem habet absolvendi in individuo ab excommunicatione propter abortum contracta, verùm etiam qui facultatem habet absolvendi ab omnibus censuris, & excommunicationibus Episcopo reservatis: nam in hujusmodi facultate hic etiam comprehendi videtur; illa enim particula, specialiter non est adjecta ad excludendam absolutionem ab aliis censuris, sed ad indicandum, non posse quemquam virtute alicujus facultatis absolvere, nisi ea facultas ad hos etiam casus extendatur: non enim sufficit facultas absolvendi ab aliquo casu ab hoc distincto; facultas verò absolvendi ab omnibus casibus reservatis Episcopo, si distributivè explicetur, proculdubio casum abortus specialiter comprehendit. Hac de causa censeo Pœnitentiarios Ecclesiæ Metropolitanæ Mediolani, privilegium habentes absolvendi ab omnibus censuris Episcopo reservatis posse beneficium absolutionis ab hac censura conferre: tum quia sunt specialiter deputati ad censuras, & casus reservatos: tum quia sic usu receptum est. Quamvis ego aliàs de hac re non leve dubium haberem, dum Pœnitentiarij munus in præfata Ecclesia obirem. Ita Bonacina.

3. Vnde Machadus *de perfect. Confessor. tom. 3. libr. 2. cap. 3. tractat. 17. docum. 9. numero 5.* sic ait. [Quien sea confessor deputado especialmente para poder absolver desta descomunion en conformidad de lo dispuesto por la dicha constitucion de Gregorio XIV. no consta della. Si bien Bonacina enseña por dottrina cierta, que no solo se deve tener por Confessor especialmente deputado; el que tuviere facultad del Obispo para absolver deste pecado, y descomunion; sino tambien el que tuviere general facultad, para absolver de todos los casos, y descommuniones reservadas al Obispo; porque aquella palabra specialiter, no la puso el Pontifice para excluyr la absolucion de las demas censuras, sino para mostrar, que era necessaria facultad, que tambien comprehendiesse este caso, y absolucion.] Ita ille Vide etiam nostrum P. Alphonsum de Leone *de censur. Recollect. 7. num. 50.*

2. Verùm Mazuchellus *ubi suprà, tract. de cas. reser. disputat. 2. cap. 5. difficul. 4. num. 68.* probabilem hanc sententiam Bonacinæ existimaret, si verba Bullæ Gregorij XIV. in contrarium non obstarent, asserentis facultatem absolvendi in foro conscientiæ ab hoc casu penes eum Confessarium tantùm esse, qui specialiter sit per Episcopum, ad hunc casum deputatus. Vnde à fortiori venit refellendus Ioachimus Brunus *in resolut. cas. reservat. dubitat. 11. sect. 3. num. 90.* asserens, quòd Constitutio Gregoriana concessit, ut quilibet Sacerdos ab Ordinario approbatus ad confessiones audiendas possit absolvere ab excommunicatione incursa ex abortu in foro conscientiæ. Sed est hoc falsum, ut suprà probavimus, ut patet ex Fillucio *tom. 1 tractat. 29. cap. 6. num. 100.* qui asserit ex Constitutione Gregoriana abortum esse casum reservatum Episcopo: Ergo contra Brunum non potest Confessarius ordinarius illum absolvere.

5. Quæ quidem sunt adeò vera, ut loquens de Confessariis Religiosis sic asserat Villalobos *in Sum. tom. 1. tractat. 12. difficult. 14. numero 4.* [Mas el que procurasse el aborto, estando animada la criatura, siguiendose el efecto incurre en descomunion y irregularidad, mas puede absoluer del pecado, y descomunion qualquiera Confessor aprovuado por el Ordinario, y deputado especialemente para esto. Y los Confessores Religiosos, aunque por sus privilegios, puedan absolver de los pecados, y censuras reservadas, al Papa, ò al Obispo, como se dixo arriba: parece que tienen necessitad para este caso, de estar deputados especialmente por sus Provinciales como dize el Padre Portel: Porque Sixto Quinto, quanto a esto revoco los privilegios de los Religiosos, y Gregorio XIV. lo concedio con esta moderacion.] Ita ille, cui adde Zambellum *in Repert. moral. verb. Abortus, num. 2.* ideo non est recedendum ab hac sententia: quam etiam novissimè docet Novarius *in Summ. Bull. tom. 2. titul. de abortu, num. 13.* ubi sic ait, Subamplia; quòd Confessores clerici, etiamsi sint approbati, non tamen poterunt absoluere ab ista excommunicatione, nisi fuerint ad id specialiter deputati ab Episcopo, ex quo Gregor. XIV. expresè statuit debere esse Confessores ad id specialiter; unde Confessores regulares non possunt ab ista excommunicatione absolvere, nisi specialiter per suos Provinciales deputentur. Ita Novarius, & Trullench *in Decal. tom. 2. lib. 5. cap. 1. dub. 4. num. 8.* Videant igitur Confessarij quid faciant.

Sup. contento in hoc §. lege doctr. Resol. seq. & Resol. & §. ejus not.

6. Nota tamen hîc obiter Portel. *in dub. regul. ver. abortus, num 6.* docere non posse Confessarium secularem absolvere pœnitentem qui commisit abortum fœtus animati, quia jam est homicidium, & homicidium jure communi est reservatam Episcopo; sed hoc aliqui non admittunt, putantes hodie casus reservatos de jure non esse amplius ex praxi reservatos Episcopis, sed de hoc alibi.

Alibi in to. 7. tr. 1. Resol. 269 §. Nota quarto. &c.

RESOL. VIII.

An aliqui præter Episcopos possint absolvere ab excommunicatione incursa propter abortum fœtus animati? Ex p. 7. tract. 5. Resol. 16.

§. 1. AD hanc quæst. me citato respondet P. Thes, *in praxi part. 2. cap. 1. num. 1.* Poterunt etiam Prælati Episcopalem jurisdictionem habentes suos subditos absolvere. Roderic. *qq. regular. 33. art. 4. tom. 2.* Cariolus *de cas. reserv. tit. de Abortu, num. 10.* Addit Diana *resol. 13. tract. 2. part. 3. §. not. 4.* cum Sanchez, & Marullo, quod habentes privilegia absolvendi à censuris quibuscumque etiam Sedi Apostolicæ reservatis, poterunt absoluere à præsenti censura: quâvis etiam ex decreto Sacræ Congregationis, de quo dixi, *verb. absolutio, capit. 3.* isti non possint absoluere à casibus, quos Ordinarij locorum ipsi sibi reservabunt, tamen illud decretum non loquitur de casibus, qui sunt reservati Ordinariis à jure Pontificio, ut patet. Cæterum sæpe solent Ordinarij locorum

Quæ nũc est in to. 7. tr. 1. Resol. 269 §. Nota quarto & magis latè in alia Resol. ejus annot. & hic sup. lege doctr. præcedentis Resol signanter §. Quæ quidẽ.

rum casum abortus sibi reservare, ideò tunc non poterunt privilegiati absolvere.

RESOL. IX.

An Episcopus possit dispensare hodie in irregularitate contracta ex abortu?

Et observatur, quod supplicans in Sacra Pœnitentiaria in casu videlicet occulto pro dispensatione super irregularitate ex abortu, debet exprimere, si erat fœtus à se genitus, alias gratia erit subreptitia. Ex p. 7. tract. 5. Res. 21.

§. 1. REspondet affirmativè Novarius *in summa Bullarum tom. 2. tit. de Abortu, num. 21.* ubi sic ait. Declaratur primò, ut possint hodie Ordinarij cum subditis dispensare in irregularitate cum subdito contracta ex abortu animato, sequuto effectu, dummodo tamen crimen fuerit occultum, ut in terminis declaravit Sacra Congregatio. Ita ille. Sed cùm irregularitas abortus oriatur ex homicidio voluntario ad illam non se extendit auctoritas Episcopi; unde miror quo pacto potuit hoc asserere Novarius; & adducere Declarationem Sacræ Congregationis. Imò P. Thesaurus *in Praxi part. 2. cap. 1. in fine* observat, quod supplicans in Sacra Pœnitentiaria, in casu videlicet occulto, pro dispensatione super irregularitate ex abortu, debet exprimere si erat fœtus à se genitus; aliàs gratia esset subreptitia, ut patet ex stylo, & facultatibus Sacræ Pœnitentiariæ, in quibus major in hoc casu ponitur difficultas, ad dispensandum; quod etiam docet novissimè noster doctus & amicissimus P. Alphonsus de Leone *de Censur. recollect. num. 58.*

RESOL. X.

An Prælati Regulares possint dispensare in irregularitate suorum subditorum contracta ex abortu animato?

Et quid, si homicidium est occultum apud sæculares, & manifestum apud Fratres an possint Prælati Regulares adhuc in illo dispensare? Ex part. 4. tractat. 2. Res. 87.

Sup. hoc in Res. seq. & lege Res. not. 2 præcitatæ Res. Sup. hoc in Resolutionibus not. seq.

§. 1. NEgativam sententiam docet Emanuel Rodriquez *in quæst. regul. tom. 2. quæst. 33. art. 4.* quia, ait ille, tale homicidium est nimis qualificatum, unde si quis petiit dispensationem à Papa quod occiderit hominem, tacendo fuisse Clericum occisum, non manet dispensatus, quia homicidium Clerici est magis qualificatum. Ergo, &c.

2. Sed aliqui putant contrariam sententiam esse probabilem; dicunt igitur in supradicta irregularitate posse Prælatos regulares dispensare, dummodo sit occulta, quamvis Aloysius Vega *in summa tom. 2. cap. 15. cas. 6.* teneant quod si homicidium est occultum apud sæculares, & manifestum apud Fratres, possunt adhuc Prælati in illo dispensare; sed non posse quando est notorium, ita ut possit probari in judicio, docet Miranda *tom. 2. quæst. 8. art. 10. conclus. 2.* Et ita hanc sententiam affirmativam tenet Laurentius Portel. *in dubiis Regularium, ver. Abortus, num. 10.* & post illum Villalobos *in summa tom. 2. tract. 12. diff. 14. num. 6.* & Hieronymus Rodriq. *in compend. qq. reg. resol. 4. n. 6.* & respondent ad argumentum Rodriq. dicunt igitur quòd Ecclesia non ponit irregularitatem ob gravius & qualificatum peccatum, & ad exemplum de homicidio Clerici asserunt cum Castro Palao *in opere morali tom. 1. tractat. 3. disput. 6. punct. 16. §. 4. num. 16.* non esse necessarium in dispensatione illius qualitatis manifestationem, quia ad irregularitatem est omnino extrinsecum, & per accidens occisum fuisse Clericum, non enim ob sacrilegium, sed ob defectum perfectæ lenitatis imponitur, qui defectus in quacumque hominis occisione reperitur: Ergo; &c. Sed his non obstantibus non est recedendum à contraria sententia, quicquid sit an possit dispensare in irregularitate homicidij voluntarij.

Sup. hoc in tom. 3. tr. 2. Res. 59. & 60.

3. Nota verò quòd post hæc scripta inveni Hieronymum Rodriq. *in compend. qq. regular. ubi supra, resolut. 4. num. 15.* docere probabilem satis esse sententiam Alphonsi de Vega asserentis, ut diximus, posse Prælatos dispensare in irregularitate abortus etiamsi sit manifesta & notoria apud Fratres; sed tu ne recedas à prima sententia, maximè quòd intelligo, si verum est, hoc privilegium esse vivæ vocis oraculum, quod vide.

RESOL. XI.

An Superiores Regulares possint dispensare cum subdito in irregularitate occulta ex abortu animato?

Et an hoc extendatur ad quodcumque homicidium voluntarium?

Et an Prælatus possit committere uni Confessario subdito hanc dispensationem?

Et an dicti Prælati possint habilitare ad officia suos Religiosos etiam pro foro externo, & sine dubio ab excommunicatione absolvere? Ex parte. 7. tract. 5. Res. 22.

§. 1. REspondet affirmativè Villalobos *in sum. tom. 2. Sup. hoc in tract. 12. difficult. 14. num. 6.* ubi sic ait. [Hase de advertir, quanto a los Religiosos, que por un privilegio de Martino V. concedido al Prior de San Benito de Valladolid, que despues se estendio a todos los Priores, o Abades de todos los Monasterios de la Congregacion de España; el qual referimos arriba, pueden los Prelados, aunque sean conventuales, de todas las Religiones que communican este privilegio dispensar en la irregularidad que nace de homicidio voluntario, siendo occulto, commo alli queda dicho, donde dixi- mos con el Padre Cordova, que se estiende a qualquiera homicidio voluntario. Y assi podran dispensar en esta irregularidad, mayormente que la potestad de dispensar se ha de interpretar latamente, como se dixo arriba, y assi tienne esta opinion el Padre Portel contra el Padre Fr. Manuel Rodriguez, que dize que no se estiende esta potestad à este homicidio, por ser calificado, que muere el niño, y tambien se condena el alma porque no se bautiza. Mas este fundamento no es bastante por lo que queda dicho, y tambien que lo mismo es matar à un adulto, que està en pecado mortal, y no obstante esso, se puede dispensar. Ni tampoco obsta, que Sixto V. dize en su constitution: que no puedan dispensar los Prelados regulares por sus privilegios, lo qual no moderò Gregorio XIV. por que como Clemente VIII. confirmo despues nuestros privilegios, ex certa scientia, ya tiene fuerça de nueva concession como dize el Padre Portel, con otros] Hæc ille cui adde Zambellù *in Reper. Mor. ver. Abortus, num. 3.* Sic asserentem: Abortum fœtus animati procurans etiam sequuto effectu potest obtinere dispensationem ab irregularitate à suo Prælato non obstante quod sit homicidium voluntarium dummodo sit secretum, & potest Prælatus committere alteri hanc dispensationem.

Sm. hoc tom. 7. tr. 1. n. 332. tr. 2. n. 3. Per. hoc n. 5. 1. n. 6. Sup. hoc n. 6. 3. n. 3. Sup. hoc tom. 6. tr. 1. n. 34.

2. Et tandem Bordonus *in consil. Regular. resol. 13. quæst. 5. num. 19.* solidè probat, quòd Prælati Regulares

res ex vi suorum Privilegiorum possunt dispensare tam in irregularitate contracta ex abortu fœtus animati, quàm habilitando ad officia suos Religiosos, etiam pro foro externo, & sine dubio ab excommunicatione. Idem etiam Novarius *in summa Bull. tom. 2. tit. de Abortu, n. 21.*

3. Notandum est etiam hic obiter, supradictos Prælatos posse hanc potestatem delegare & committere uni Confessori subdito ut dispenset in foro conscientiæ cum delinquente. Ita Portel. *in dub. Reg. ver. Abortus, num. 12.*

RESOL. XII.

An Superiores Regulares possint habilitare ad officia Regulares, qui procuraverunt abortum?

Et an Religiosus indigeat hac dispensatione super excommunicationem, vel irregularitatem, si in Visitatione, aut Capitulo fuerit dispensatus in irregularitatibus, prout fieri solet in Visitatione à Prælatis, etiam si Religiosus crediderit, se non indigere dicta Prælatorum dispensatione, pro illo tunc? Ex p. 7. tr. 5. Resol. 23.

§. 1. Affirmativè respondet Villalobos *in sum. to. 2. tr. 11. diffic. 14. n. 7.* ubi ita asserit: [Assi mismo pueden los Prelados regulares dispensar en la inhabilidad para los oficios que pone Sixto V. que essa no es reservada, y tienen privilegio concedido despues de Sixto V. por Gregorio Decimoquarto para habilitar à sus subditos, y quitarles qualquiera inhabilidad, concedido à una Orden de Italia como refiere Sorbo. Y toda esta potestad la pueden cometer los Superiores, por lo que diximos arriba.

2. Advierte Portel por una doctrina de Navarro, que si el Religioso que huviesse incurrido en est caso, se hallasse en el Capitulo Provincial, o de la visita, donde el Prelado dize en general, *Absoluo vos ab omni censura; & dispenso vobiscum in omni irregularitate, & habilito vos ad omnia*, en tal caso quedaria el subdito absuelto, y dispensado, aunque entonces no se acordasse de la censura o irregularidad.] Ita Villalobos, & post illum Zambellus *in Reper. mor. verb. Abortus, n. 3.* Sic asserens: Advertimus tamen hic hunc Religiosum non indigere hac dispensatione, si in Visitatione aut Capitulo fuerit dispensatus ab irregularitatibus, prout fieri solet à nostris Prælatis, etiam non cogitantibus dispensationem hujus irregularitatis, & etiamsi Religiosus crediderit se non indigere dicta Prælatorum dispensatione pro illo tunc. Ita Zambellus, qui citat Graffium: Quibus omnibus adde Bordonum *in Cons. Regul. Resol. 13. q. 5. n. 20.*

RESOL. XIII.

Quid sub prohibitione officiorum contra procurantes abortum intelligatur in Bulla Sixti V? Ex part. 7. tract. 5. Resol. 27.

§. 1. Respondeo quòd nomine Officij intelligitur munus habens administrationem rerum, vel personarum Ecclesiasticarum cum superioritate. Sorbus *ver. ingressus non circ. fin. n. 8.* Sanch. *in Decal. lib. 6. c. 15. n. 66.* Et sic continentur officia habentia jurisdictionem ordinariam, ut Generalis, Provincialis, Superioris localis, & Vicarij, ut Sanch. *ibi.* Miranda *to. 2. q. 2. art. 8.* Bonac. *de largit. mun. disp. 3. punct. 5. n. 2.* Ité continentur habentes jurisdictionem delegatam ratione certi officij, seu personatus, vel ita ut sint in ea majores Ordinarij, ut Visitatores provinciarum, Mirand. *loc. cit. concl. 2.* Item contineri Definitores, Discretos, & Procuratores ad Capitula generalia, & provincialia, ait Mirand. *loc. cit.* Sed contraria est magis communis, scilicet istos non contineri, ut Bonac. ibi cum Sousa, & Barth. à S. Fausto, & aliis. E contra non continetur officium Concionatoris, Lectoris, Confessarij, Regentis studiorum, ut Sanch. *ibi.* Filliuc. *tr. 34. n. 77.* Bonac. & Mirand. *loc. cit.* Item non contineri Assistentes Generalis, Magistros Novitiorum, Consultores, Admonitores, & Præfectos Sacristiæ, ait Bonac. *ibi* cum citatis. Et hæc omnia docet P. Thesaurus, *in prax. p. 1. cap. 28. q. 1.*

RESOL. XIV.

Quomodo obliget privatio privilegij Clericalis, & omnium Dignitatum, & officiorum, & beneficiorum imposita in Bulla Sixti V?

Et an dicta pœna obligent reum in conscientia ante judicis sententiam, & declarationem? Ex p. 7. tr. 5. Resol. 17.

§. 1. Svppono procurantes abortum sequuto effectu, incurrere ex Bulla Sixti V. & Gregorij XIV. privationem omnis Privilegij clericalis, & omnium dignitatum, officiorum, & beneficiorum (quæ perpetuò erunt Sedi Apostolicæ reservata) & inhabilitatem ad alia similia. Hoc supposito quæritur, an dictæ pœnæ obligent reum in conscientia ante Iudicis declarationem; & aliqui respondent affirmativè, quia hæ pœnæ privant ipso jure bonis communibus ut publicis officiis, dicunt posse obligare, & censeri obligasse in foro conscientiæ reum ad dimittenda officia, etiam in casibus occultis, quia hæc bona magis pendent à potestate publica legislatoris: & ita tenet Garzias *de Benef. p. 11. c. 12. n. 18. 19 20.* cũ Abb. Felin. Navar. Paris. & Lorca, quos allegat *n. 18.* ubi cum Sorbo ait, quod commissa pœna privationis officiorum tenetur, vel dispensationem, seu rehabilitationem procurare cum omni diligentia, & sollicitudine, vel dimittere officium, seu renunciare; si tamen possit renunciare sine manifestatione proprij criminis, aliàs enim non teneretur cum sui infamia dimittere, juxta communem Theologorum: Ita Sayr. ibi.

Sup. hoc in Resol. seq. & in aliis multis ejus ann. not.

2. Sed contrariam sententiam docent communiter Doctores, quos ad satietatem adducit Sanctarellus, *tr. de Apostat. c. 4 n 13. in fine*, & me citato Marchinus *de Sacr. Ord. tr. 1. p. 8. c. 4. n. 32.* & etiam me citato novissimè Barb. *de potest. Episc. p. 2. Alleg. 44. n. 29* quia nullus tenetur esse reus, & vindex: ergo requiritur sententia declaratoria etiam in foro conscientiæ antequam quis obligetur imponere sibi pœnam à jure statutam. Et lex humana non censetur obligare cum tanto rigore, saltem nisi exprimat, ut in conscientia ante omnem declaratoriam dimittere teneatur; & quia hæc pœna exigit factum hominis positivum ad sui excutionem.

Marchinus citat Diana in Resol. quæ hic est in tom. 1. tr. 5. res. 63.

3. Verùm P. Thesaurus *in Praxi p. 1. c. 28.* sequitur mediam sententiam tutiorem, & in praxi passim receptam, præsertim in stylo Curiæ, quòd dicta privationis officiorum Ecclesiasticorum pœna obliget in conscientia juxta priorem sententiam, quando casus est manifestus; & ratio est, quia tunc superioris acta incipiunt esse nulla, cessante titulo colorato ob privationis notorietatem. Quandiu autem privatio est occulta, non videtur obligari in conscientia, quia ejus acta ratione publici officij sunt valida manente titulo colorato.

RESOL. XV.

An pœna inhabilitatis imposita in Bulla Sixti V. obliget ante judicis declarationem? Ex p. 7. tr. 5. Resol. 18.

§.1. AD hoc dubium respondet P. Thes. *in Praxi per. cap. 28. quæst. 4.* ubi sic ait. An pœna latæ sententiæ inhabilitatis ad officia obliget in conscientia statim atque fuerit commissa? Respondeo secundum magis communem sententiam obligare, prout dixi *supra cap. 5.* quia hæc pœna est purè privativa, non requirens factum hominis positivum ad sui executionem. Ita Cajetanus 2 2. *quæst. 62. art. 3.* & multi quos allegat Sanchez *in Decal. lib. 1. c. 39. num. ult.* & communiter dicunt Suar. *de legib. lib. 5. cap. 9. num. 2.* Cordub. *lib. 1. quæst. 36. num. 1.* Alij tamen probabiliter tenent non ligare in conscientia ante declaratoriam, quos allegavi *in d. cap. 5. limit. 1.*

Sup. hoc in Resol. præmissa à lin. 6. & sup. to. 1. tr. 5. Res. 63. per tot. & lege alias Res. ejus primæ to. & in to. 3. tr. 3. Res. 69. §. pen. & in to. 4. tr. 8. ex Res. 56. vide doctr. §. Ex quibus, & late in to. 6. tr. 1. Res. 34. §. ult. & in Res. 35. 36. & 78. & in to. 7. tr. 1. leg. latam doctr. Res. 246. & 247. & in to. 9. tr. 7. ex Res. 109. vide §. Sed quid.

2. Alij verò distinguunt, quia si pœna inhabilitatis simul cum aliis pœnis apponatur, quæ non obligent in conscientia ante declaratoriam, ut cum pœna privationis officij, vel beneficij tunc neque hæc obligabit; aliàs secus si ponatur per se, vel cum aliis merè privativis: ita Molina, *to. 1. disp. 96. §. duo*; cum Covarruvias & tenet Filliuc. *tract. 34. num. 79.* Hucusque Thesaurus.

3. Sed ego puto satis probabiliter hanc pœnam non obligare ante declaratoriam, ut docet Lessius *lib. 2. c. 35. dub. 26.* & Sanchez *in summa tom. 1. lib. 2. cap. 39. n. ult.* & alij cum hac tamen limitatione quòd si inhabilitatis pœna sit lata solùm quoad illud numero beneficium, obligat in conscientia ante omnem declaratoriam: ut Suar. *tom. 1. de relig. tract. ult. de simonia cap. 58. num. 9.* Secundò est certum quod inhabilitas consurgens ex censura vel irregularitate, obligat in conscientia ante omnem sententiam, & ita Sanchez *in Decalogum cap. 39. n. ult.* & tali ratione ligat inhabilitas, quam Sacra Pœnitentiaria dispensando super irregularitate ex homicidio, vel abortu, relinquere soler in eodem dispensato. Sed circa difficultatem hujus, & superioris Resolutionis, quando casus occurrerit videbis Thesaurum *ubi supra in part. 1. cap. 28. & 30.*

RESOL. XVI.

An detur præventio inter judicem secularem & Ecclesiasticum contra procurantes abortum?
Et an si reus sit Ecclesiasticus tradendus sit Curiæ seculari?
Et an ad exclusionem pœnæ temporalis, quando criminaliter agitur, fœtus præsumi debeat potius inanimatus, quam animatus? Ex p. 7. tract. 5. Res. 41.

§.1. RESpondeo affirmativè, ut patet ex Bulla Sixti V. & ita docet Novarius *in sum. Bull. tom. 2. tit. de abortu. n. 5.* unde *n. 19.* sic ait: Ampliatur quartò, ut probato delicto abortus, Iudices Ecclesiastici, vel seculares possint hodie procedere contra illud committentes, quia Gregorius circa hoc nihil innovavit. Ita ille, quod etiam docet Portel. *in dub. regul. verb. Abortus, num. 9.* & Rodriquez *in Quæst. Regular. tom. 2. q. 33. art. 4.* Et si reus sit Ecclesiasticus traditur Curiæ seculari, ut observat ex Quaranta Barbosa *de potest. Episc. 3. Allegat. 111. num. 20.*

Quoad hoc lege infr. doctr. Res. 20. & 21.

2. Nota tamen hîc obiter, quòd ad exclusionem pœnæ corporalis, quando criminaliter agitur, fœtus præsumitur potius inanimatus, quam animatus. Ita Doctores, quos citat & sequitur Barbosa *ubi suprà allegat. 51. num. 139.* quibus adde Trullench *in Decalog. tom. 2. lib. 5. cap. 1. dub. 4. num. 2.*

RESOL. XVII.

An ex abortu casuali incurratur reservatio?
Et pro praxi hujus quæstionis multi casus explanantur in textu hujus Resolutionis, in quibus ex abortu non incurritur reservatio. Ex p. 7. tract. 5. Res. 20.

§.1. RESpondet negativè Bordonus *in Consil. regul. to. 1. Resol. 45. §. 3. n. 3.* ubi sic ait: Quæres, An ex abortu casualiter procurato inferatur reservatio? Abortus autem casualis est ille, qui sequitur ex aliqua actione, quam Religiosus fecit non ex intentione, & animo abortiendi, sed alio fine, sive malo, ut ex odio, vel ut ex morte succederet in hæreditate, sive bono, ne sequeretur infamia, &c. Respondetur, Abortus casualis non prævisus, à Religioso non inducit reservationem, quia applicatio cujuscumque rei sit, non dicitur procuratio abortus, sed alterius rei. Confirmatur, quia casus iste intelligi debet juxta constitutionem Sixti V. ubi facit mentionem de abortu voluntario, non casuali. Deinde *Nau. cap. 15. n. 14.* dicit eum, qui in periculum non tamen probabile abortiendi induxit gravidam non peccare mortaliter, etiamsi postea abortiatur; ergo neque in casu nostro. Ita Bordonus, qui citat Floronum Graffium, & Lupum. Vnde ex his Mazuchellus *tract. de cas. reser. disp. 2. c. 3. quæst. 3.* resoluit non incidere in casum reservatum abortus, qui interrogatus de causis abortiendi remedium aliquod bona fide aperiret, quo postea fœminæ aliquæ ad abortum procurandum vterentur: in eo enim si bona fides adfuit, defuit voluntas abortum procurandi, proindéque in nullam reservationem dicendus est incidisse. Secundò excusari medicum, eum, qui ut matrem morte liberet, illi in partu laboranti potiones præbet, vel quid aliud exhibet, ut faciliùs partus jam maturus nascatur: licèt enim partus mortuus nasceretur, adhuc tamen non esset hoc medico imputandum ad peccatum. Et ratio est, quia ille non habebat intentionem procurandi abortum, sed partum naturalem. Tertiò, excipi illum qui ignoravit fœminam esse gravidam. Ita Steph. Quaranta, *verb. Abortus.* Et ratio est, quia non dicitur habuisse intentionem, & propositum procurandi abortum. Sic medicus, qui nescius an mulier sit gravida, idque nec animadvertens, nec animadvertere volens medicinam præberet, ex qua abortus sequeretur, non incideret in casum, etiamsi fortè mortaliter peccaret ob inadvertentiam culpabilem. Et ratio est, quia ad casum hunc incurrendum non sufficit, ut abortus possit alicui imputari, sed debet esse dedita opera, & ex industria quæsitus. Sic ignorantiam quantumvis crassam, dummodo non sit ingens temeritas, excusare à censura imposita scienter aliquid faciencti. Quartò non incidere in casum reservatum maritum, vel patrem, qui uxorem vel filiam leviter castiget, vel verbum aliquod proferat: unde mulier ira, & furore percita abortum patiatur. Et ratio est, quia hoc modo non dicitur procurare abortum, neque in se, neque in sua causa. Ita Chapeauil. *cas. 9. de procurat. abortus, q. 2. in princ.* Belloch. *de cas. reser. p. 2. q. 8. n. 100.* Floronus *p. 2. cas. 5. de procurantibus abortum, num. 13.* Quod verum est, etiamsi percussio gravis esset; itave vel percutiendo, vel objurgando ad mortalem culpam perveniret: ita tamen ut abortus non fuisset intentus. Quintò excipi mulierem illam, quæ ex repentina aliqua animi passione, puta lætitia, metu, appetitu sibi natura repugnanti, vel terribili, & formidabili alicujus aspectu, vel terrore ex armatorum, & rixantium hominum visione causato abortum patiatur. Et ratio est eadem, quia ipsa non dicitur procurare, sed effectus per accidens, & cõtingenter sequitur, quinimò ut plurimum contra voluntatem sequitur. Addo excusari etiam eum, qui hujusmodi metum mulieri gravidæ incutiat, si probabiliter ignorabat periculum abortus. Secutiat, si probabiliter ignorabat periculum abortus. Secus, verò, si sciens illius facilitatem in abortiendo alicujus monstri figuram, & imaginem dedita opera repræsentavit ad finem abortus. Et ratio est, quia vel dicitur

Sup. hoc in Resol. præmissa à lin. 6. & sup. to. 1. tr. 5. Res. 63. per tot. & lege alias Res. ejus primæ to. & in to. 3. tr. 3. Res. 69. §. pen. & in to. 4. tr. 8. ex Res. 56. vide doctr. §. Ex quibus, & late in to. 6. tr. 1. Res. 34. §. ult. & in Res. 35. 36. & 78. & in to. 7. tr. 1. leg. latam doctr. Res. 246. & 247. & in to. 9. tr. 7. ex Res. 109. vide §. Sed quid.

Sup. hoc in Resol. præmissa à lin. 6. & sup. to. 1. tr. 5. Res. 63. per tot. & lege alias Res. ejus primæ to. & in to. 3. tr. 3. Res. 69. §. pen. & in to. 4. tr. 8. ex Res. 56. vide doctr. §. Ex quibus, & late in to. 6. tr. 1. Res. 34. §. ult. & in Res. 35. 36. & 78. & in to. 7. tr. 1. leg. latam doctr. Res. 246. & 247. & in to. 9. tr. 7. ex Res. 109. vide §. Sed quid.

Sup. hoc in Resol. præmissa à lin. 6. & sup. to. 1. tr. 5. Res. 63. per tot. & lege alias Res. ejus primæ to. & in to. 3. tr. 3. Res. 69. §. pen. & in to. 4. tr. 8. ex Res. 56. vide doctr. §. Ex quibus, & late in to. 6. tr. 1. Res. 34. §. ult. & in Res. 35. 36. & 78. & in to. 7. tr. 1. leg. latam doctr. Res. 246. & 247. & in to. 9. tr. 7. ex Res. 109. vide §. Sed quid.

dicitur procurator abortus. Sextò excusatur mulier, quæ aliàs experta se passam esse abortum grave aliquod onus portando, vel scalas conscendendo, illud defert, aut scalas conscendit, sed tamen præter intentionem faciendi abortum. Et ratio est, quia non dicitur dedita opera, & studiosè illum procurasse. Quod verum est etiamsi casu contingeret, ut ea ob id abortum pateretur.

2. Vnde ex his ego olim consului non incidisse in casum reservatum medicum eum, qui medicinam ordinaverit ad abortum tendentem, ut ea Ceiræ gravidæ porrigeretur, & ea per aromatarij, aut ancillæ imprudentiam fuit porrecta Semproniæ item gravidæ. Et ratio est, quia abortus iste casualis est, proindéque nec medico imputandus.

3. Non desinam tamen ponere hic ea, quæ docet Molina *de Iustit. tom. 4. tract. 3. disp. 5. n. 6.* ubi sic ait: Ex his facilè intelligitur, quid dicendum sit ad eventum illum, quo quis prægnantem percurit; aut metum illi incutit, estque in causa, ut abortus sequatur, num scilicet, si fœtus animatus jam erat rationali anima, dicendus sit homicida volũtarius, an casualis? Cajetanus 2. 2. *q. 64. art. 8. ad 2.* ait, si percussio aut metus talis fuit, ex quibus non raro, sed frequenter sequi solet abortu; & percutiens, aut incutiens metum, non ignorabat mulierem esse prægnantem: esse homicidiũ voluntarium, esto percutiens id homicidium non intenderet. Navarrus verò *ubi suprà* id negat, asserens esse casuale. Dicendum verò sic est. Nisi, juxta regulam à nobis propositam, percussio, aut incussio metus, tam patens, ac manifesta sit causa abortus comparatione percutientis, aut incutientis metum, dum ita percussit, aut metum incussit, ut prudentis arbitrio percutiens, aut eum metũ incutiens, censeatur ac si abortum intenderit, homicidium non esse voluntarium, sed casuale, esto percutiens aut incutiens metum, attenderit, mulierem esse prægnãtem: eaque de causa regulariter, quando abortus evenit præter spem ejus, qui percussit, aut metum incussit, homicidium erit casuale. At verò quando percussio, aut incussio metus, esset tam manifesta causa abortus, ut arbitrio prudentis percutiens, aut metum incutiens, reputaretur ac si abortum intendisset, homicidium esse voluntarium, esto percutiens, aut incutiens talem metum, abortum non intenderit. Hoc modo esset homicida voluntarius ob abortum subsequutum, qui ira in prægnantem percitus, ita illam percuteret, ut probabiliter timendus esset abortus, esto non intenderit abortum, sed satiare vindictæ appetitum. Hic enim perinde se haberet, ac ille, qui ex proposito intenderet graviter vulnerare, ita ut inde sequi verisimiliter posset mors, non intendendo eo modo vulnerati mortem, sed solùm acrem vindictam, ex qua facilè poterat sequi mors, de hoc enim, subsequuta ex eo vulnere morte, nullus sanæ mentis diceret, esse homicidam casualem, sed diceret esse voluntarium. Ita ille.

RESOL. XVIII.

An qui procuravit abortum ante animationem, incidat in excommunicationem, & irregularitatem?

Idem dicendum est de præbentibus opus, consilium, &c. Ex p. 7. tract. 5. Resol. 8.

§. 1. REspondeo affirmativè ex Bulla Sixti V. sed hodie stante Bulla Greg. XIV. negativa sententia tenenda est; & ideò Machadus *de perf. Conf. to. 1. lib. 2. p. 3. tract. 17. docum. 9. n. 1. & 2.* sic ait: [Se ha de advertir, que Sixto V. por una constitucion especial dispuso, que todas las personas, que por si ô per otros cooperando con ayuda, consejo, ò de qualquiera otra manera fuessen causa de algun aborto: ora la criatura esté animada à no: incurra en las penas, que ambo Derechos imponen à los homicidas; y assi mismo impone descomunion mayor, ipso facto incurrenda contra los tales, y reservada à la Sede Apostolica su absolucion. Y que si fueren Clerigos, ipso facto, queden privados del officio, beneficio, ò dignidad Ecclesiastica que tuvieren, è inhabiles para tenerlas; despues, y si fueren seculares, queden inhabiles para Orden sacro, y todo lo demas que queda dicho.

2. Despues Gregorio XIV. por orta especial constitucion moderò la de Sixto V. particularmente en dos casos. Lo primero, es quanto à lo que por Sixto V. se avia dispuesto, de que incurriesse en las penas referidas, aunque la criatura no estuviesse animada, ò quando se diesse solamente bebida, ô otro remedio para no concebir, ò hazese esteril la muger; cuyas penas dexa à la disposicion de los sagrados Canones, y Concilio Tridentino.] Ita ille, cui adde Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 12. diffic. 14. n. 2.* & Bordonum *in Consil. Regul. resol. 45. n. 11.*

3. Hoc Villalobos *in sum. tom. 2. tract. 12. diffic. 14. n. 3.* sic ait: [Conforme à esto, el que el dia de oy procurasse aborto, no estando la criatura animada, o diesse veneno de esterilidad, o remedio, para no concebir, no quedaria descomulgado ni irregular.] Igitur licèt abortus fœtus inanimati sub excommunicatione interdictus esset in Bulla Sixti V. nihilominus illa Bulla hac in parte abrogata est, & ad terminos juris communis, sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini dispositionem redacta fuit per subsequentem Gregor XIV. Constitutionem. Propterea abortus fœtus inanimis hoc tempore sub excommunicatione vetitus non est. Et ita etiam observat Mazuchellus *tract. de cas. reserv. disp. 2. c. 3. diffic. 1. n. 2.* quod etiam dicendum est de præbentibus opus, consilium, &c.

RESOL. XIX.

Quo tempore fœtus animatur, ita ut, qui de illo abortum faciunt, incurrant excommunicationem, & irregularitatem? Ex p. 7. tr. 5. Res. 6.

§. 1. AD hanc quæstionem sic respondet Lessius *lib. 2. cap. 9. dub. 10. n. 65.* Petes, quando proles animatur anima rationali: Resp. Covarr. putat mares animari die 40. à conceptu, fœminas 80. & ita communiter sentire DD. Sed nulla videtur ratio, cur tanta sit discrepantia inter marem ac fœminam. Itaque verius est utrumque fœtum animari simul atque fuerit formatus. Nam *Exodi* 21. juxta versionem 70. dicitur: *Qui percusserit mulierem prægnantem, & illa abortum fecerit, si fœtus erat formatus, dabit animam pro anima, si nondum erat formatus mulctabitur pecunia*, ubi apertè insinuatur fœtum habere animã, simul ac formatus fuerit. Idem docent Medici. Quoto autem die formatio absolvatur, docet Lævinus Lemnius *cap. 4.* citans Hippocratem *l. de natura fœtus*, maris formationem absolui aliquando die 30 aliquando 35. aliquando 40. aliquando 45. fœminæ verò, nunc 35. nunc 40. nunc 45. nunc 50. Verùm Hippocrates id non docet: nam lib. de natura fœtus n. 10. docet masculum, ut longissimè triginta diebus formari; fœminam ut longissimè, 42. diebus, idque duobus locis eod. lib. repetit, & probat ex purgatione, quæ post masculi partum durat diebus 30. post fœminæ 42. ut diutissimè. Hucusque Lessius.

2. Non deseram etiam hic apponere verba Mazuch. *tract. de cas. reserv. disp. 2. c. 3. diffic. 1. n. 5.* sic asserentis: Ego tamen verius existimo, utrumque fœtum animari simulatque formatus est: sic enim *Exodi* 21. juxta

versionem 70. dicitur, (qui percusserit mulierem prægnantem,& illa abortum fecerit,si fœtus erat formatus,dabit animam pro anima: si nondum erat formatus mulctabitur pecunia.) Quibus verbis apertè insinuatur fœtum habere animam simulatque fuerit formatus, idémque Medici ipsi docent. Formatio verò fœtus ex Hippocrate *lib. de natura fœtus*, in maribus absoluitur aliquando die 30. aliquando 35. aliquando 40. aliquando 45. Formatio verò fœminæ absoluitur aliquando 35. aliquando 40. aliquando 45. & aliquando 50. Ratio autem cur fœtus non formetur eodem tempore in omnibus provenit ex caliditate, vel frigiditate matris. Ita Mazuchellus.

3. Sed cùm Aristoteles *lib. 7. de Animal. c. 3.* Plinius *lib. 7. c. 6.* & alij docent mares animari die 40. à conceptu, fœminas verò die 80. & aliquando 90. Existimo non esse recedendum ab hac opinione, cùm magis faveat pœnitentibus. Et ideo illam docet Layman, *lib. 3. tract. 3. p. 3. c. 4. n. 3.* Marchinus *de Sacram. Ordinis tr. 1. p. 9 c. 3. n. 7.* Trullench *in Decal. tom. 2. lib. 5. c. 1. dub. 4. n. 2.* Molina *de Iust. tom. 3. tract. 3. disp. 27. n. 1.* Megala *in Prompt. tom. 1. ver. Abortus, n. 1.* Coriolanus *de cas. reserv. p. 2. cas. 6. n. 4.* Quaranta *in sum. Bull. ver. Abortus, n. 5.* Scortia *in Bullis Pontif. Theorem. 376.* & Naldus *in sum. ver. Abortus, n. 2* ubi sic ait: Abortum post 40. dies in masculo, in fœmina post 80, animatum esse anima rationali, tradunt omnes. In dubio autem, id est, non constito, sit ne masculus, an fœmina, tunc censetur esse masculus, & sic animatus anima rationali; & ita servat sacra Pœnitentiaria. Ita ille, cui adde Machadum *de Perfecto Confess. tom. 1. lib. 2. par. 3. tract. 17. docum. 8. num. 2.* & Bordonum, *in Consil. Regul. tom. 1. resol. 45. q. 2. num. 2.*

4. Non desinam tamen hic admonere quod recentissimè Thom. Fienus *lib. de vi formatrice fœtus, edito an. 1260. q. 8. concl. 11.* putat animari fœtum anima rationali tertia ad summum die à seminis conceptione, suámque sententiam plurimis probat argumentis. Sed nolo ingerere scrupulos; ideò à communi sententia non est recedendum: igitur qui ante quadraginta dies procuravit abortum, non est censendus irregularis, neque in pœnas Bullæ Sixti V. incurrisse dicendum est, juxta Constitutionem Gregorij XIV. Et si dubitetur si masculus sit, vel fœmina, fœtum præsumendum est esse animatum post 40. dies.

RESOL. XX.

An qui facit abortum sit irregularis, si dubitat de animatione fœtus? Ex p. 4. tr. 2. Res. 16.

Affirmativam sententiam docent communiter DD. quos citat, & sequitur Merolla *in disputat. Theolog. tom. 1. disputat. 3. cap. 3. num. 237.* Sayrus *libro 6. cap. 15. num. 9.* Sotus *in 4. dist. 25. q. 1. art. 3. conclus. 4.* Barbosa *in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 12. cap. 12. num. 15.* Avila *part. 7. disputat. 2. dub. 1. concl. 1.* Sanchez *in summa tom. 1. libro 1. cap. 10. numero 43.* quia in tali casu, qui præbuit causam abortus, est dubius an sit homicida; ergo censendus est irregularis.

Sup. hoc in Res. seq. & sup. lege §. ult. Res. 16. & superius in tr. 5. ex lata & subtili doctrina Res. 119. §. Itaque. à lin. 8. & vers. Ex his. sed lege eam per tot. & non pigebit.

§. 1.

2. Sed contrariam sententiam tenet doctus Emanuel de Moura *opusc. de ensal. & incant. sect. 3. cap. 1. num. 27.* ubi sic ait: Non incurrit irregularitatem ille, qui cùm certus sit iniquè se concurrisse ad abortum, dubitat verò an proles per abortum occisa fuerit jam animata anima rationali. Ita ille, & post illum novissimè docet hanc sententiam ex Theologis Societatis Iesu Ioannes Præpositus insignis Theologus *in suis comment. ad 3. part. D. Thom. quæst. 5. de irregular. dub. 8. num. 58.* ubi si asserit: Incurritur irregularitas si quis post fœtum & animationem procuret abortum; peti verò potest quid sit censendum, si dubitetur de animatione fœtus? Respondeo si adhibita diligentia verè remaneat dubium, non videri irregularem, quia nec est censendus irregularis ex eo quòd irregularitas homicidio sit apposita, cùm dubitetur num hic & nunc cómissum sit homicidium, neque etiam ex eo quòd in dubio homicidij aliquis debeat se habere tanquam irregularem, quia si benè perpendantur jura id statuentia, advertetur ea non comprehendere præsentem casum, cùm omnia supponant subjectum capax mortis: nam agunt, quando constat de morte alicui illata, & dubium est à quo ex variis concurrentibus sit illata, quo casu decernitur eos, de quibus dubitatur, habendos irregulares. In præsenti verò casu dubium versatur circa conditionem subjecti, an scil. viveret necne; unde dispositio juris non intelligitur de nostro dubio, & proindè non satis constat an in præsenti casu irregularitas jure sit illata, & per consequens non est dicenda incurri. Ita Præpositus; & hanc sententiam videtur approbare Gomez *de delict. cap. 3. in rubr. de homicidio, num. 3. in fine*, & Baiardus *in addit. ad Iul. Clar. quæst. 68. numero 9.* ubi tenent, quòd in dubio fœtus præsumi debet inanimatus: hæc opinio est probabilis, verùm ne discedas à prima opinione tanquam probabiliori, quam prætet DD. citatos tenet Farinacius *in fragment. crimin. part. 2. numero 444.*

RESOL. XXI.

An in dubio, an fœtus sit animatus, quis censendus sit irregularis?

Et quid est dicendum quoad alias pœnas annexas irregularitati, qualis est privatio officij, & beneficij, & inhabilitatis ad hæc duo? Ex p. 7. tr. 5. Res. 24.

Sup. hoc in Res. 20. §. 1. & sup. lege §. ult. Res. 16. & superius in tr. 5. ex lata & subtili doctrina Res. 119. §. Itaque. à lin. 8. & vers. Ex his. sed lege eam per tot. & non pigebit.

§. 1. Ad hoc dubium affirmativè respondet Ioachim. Brulius *in Resol. de cas. reser. dub. 11. sect. 3. num. 86.* ubi sic ait: Petes, quid judicandum, dum est dubium fuerintne fœtus animatus, an non, incidetne in casum reservatum, & alias pœnas, procurans vel consulens abortionem? Respondetur primò in foro civili, ubi de imponenda pœna agitur, debet interpretatio fieri in mitiorem partem, ac judicandum est non fuisse animatum, *l. interpretatione, ff. de pœnis*, ubi dicitur interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potius, quàm asperandæ. Et hoc nomine secundùm Iulium Capitolinum laudatus fuit M. Antonius Philosphus, cui mos erat, ut omnia crimina minori supplicio, quàm legibus plecti solent, puniret.

2. Respondetur secundò in foro tamen conscientiæ, talis debet se tenere tanquam homicidam, tanquam obnoxium reservationi, tanquam excommunicatum & irregularem, ac proinde abstinere debet à Ministerio altaris. Probatur ex celebri illa regula juris. *In dubiis tutior pars est eligenda*, quam tradunt Pontifices, *in cap. ad audientiam, cap. significasti 11. & 2. de homicid. cap. Iuvenis, de spons.* Quam regulam multi quidem volunt habere tantùm locum in dubio facti, non verò in dubio juris. Basilius tamen Legion. *l. 10. de matrim. cap. 16.* cum Vasquez, & aliis, quos citat, probat ex rationis æqualitate, regulam illam esse intelligendam tam de dubio juris, quàm de dubio facti. Quidquid sit, hoc loco locum habet; cùm non sit dubium juris, sed facti. Hucusque Brulius cum DD. quos citat, & sequitur Scortia, *in Bulla Pontif. Theorem. 388.* quam doctrinam ipse intelligit quantum ad ordi-

num

num susceptionem, & administrationem quam intrinsecè includit irregularitas. Secus verò quoad alias pœnas quæ à Iudice solent imponi pro contracta irregularitate, ut beneficiorum privationem, & similes, cum pœna statuta delicto certo non sit imponenda delicto dubio, sed extraordinaria pro qualitate dubij. Vnde Novarius *in summ. Bull. to. 2. tit. de Abortu, n. 20.* sic ait: Amplia quintò ut in dubio an fœtus fuerit animatus, vel inanimatus, debet Clericus se reputare irregularem, Sanch. *in libro 1. Decalog. cap 10. numero 43.* Vnde si ex signis materiæ ejectæ, vel ex die coitus, vel aliunde id non possit deprehendi, ita ut excludatur omnis dubitatio, stante dubio de animatione fœtus, debet se reputare irregularem, solùm quoad ordines non recipiendos, vel in illis non ministrandum; hæc enim duo non potest admittere, seu facere, quoniam hæc duo intrinsecè, & clarè includuntur in irregularitate; At iste irregularis non tenetur se reputare irregularem quoad alias pœnas annexas irregularitati, qualis est privatio officij, & beneficij, & inhabilitas ad hæc duo: nam pœna ordinaria statuta delicto certo non est imponenda delicto dubio, sed extraordinaria pro dubio; imponitur verò irregularitas etiam delicto homicidij dubij. Ita Sanch. *loc. cit. num. 45.* ubi *num. 4.* ponit exemplum de eo, qui dubitat, an consilium à se datum fuerit causa homicidij, vel abortus, eo quòd facta diligentia, manet dubius adhuc, an alter habuerit animum faciendi etiam absque illo consilio, & resoluit stante tali dubio, debere se reputare irregularem modo supradicto. Hæc omnia Novarius.

3. Sed pro negativa sententia ego adduxi *in part. 4. tr. 2. resol. 16.* Mouram, Præpositum & alios. Vnde novissimè Machadus *de Perfecto Confessario tom. 1. lib. 2. part. 3. tr. 17. docum. 10. num. 3.* sic ait. [La secunda Quæstion es, si el que esta con duda, si la criatura que por su causa se aborto, estava animada, ò ne se deve tener por irregular? La mas comun, y recebida opinion es, que si; fundase en que el que fue causa del aborto, esta con duda de si cometiò, ò no homicidio, y en caso de tal duda, expressamente esta dispuesto por el derecho Canonico, que se deva tener por irregular. No obstante, que la contraria opinion defienden Dotores, de no poca autoridad: el fundamento que tienen es, porque por sola razon de duda no queda irregular el que aviendo hecho de su parte lo que buenamente pudò, para salir de la duda, se quedò toda via con ella. Ni tam poco el tal queda irregular por la disposicion del Derecho referida, que ordena, que en el homicidio se deva tener por irregular el que estuviere dudoso, si le cometio, à no; porque si bien se consideran los dichos textos, no comprehenden este caso, pues presuponen el sujeto capaz de muerte; y assi la duda entonces no viene à ser sobre si era vivo, ò no el sugeto, sino de si le matò, o no, el que està dudoso. Mas la duda de si la criatura estava animada, ò no, es acerca de la condicion del sugeto: conviene à saber si estava vivo, ò no, con que viene à ser, que ya la irregularidad dispuesta por el Derecho en caso de duda del homicidio cometido, no aya lugar en la duda, de si la criatura estava animada ò no; por ser principio, que el mismo Derecho nos enseña, que la irregularidad, que no estuviere expressa en el, no se deve admitir.] Hucusque Machadus.

4. Verum affirmativa sententia est communis, quam me citato tenet novissimè Barbosa *de Potest. Episcop. par. 3. Alleg. 51. num. 141.* & Baunius *in Theolog. Mor. tom. 2. tr. 11. q. 32.* quibus etiam adde Molin. *de Iust. tom. 3. tr. 3. disp. 27. n. 4.* Megalium *in Prompt. tom. 1. ver. Abortus, n. 3.* Coriolanum *de Cas. reserv. par. 2. Cas. 6. n. 3.* Caspensem *in Cursu Theol. tom. 2. tr. 25. disp. 5. sect. 8. n. 54.* & Avil. *de Cens. part. 7. disp. 2. dub. 5.*

RESOL. XXII.

An in dubio utrum fœtus sit animatus, procedat non solum quoad irregularitatem, sed etiam quoad pœnas? Ex p. 7. tr. 5. Res. 25.

§. 1. RESpondeo procedere tantùm quoad pœnam irregularitatis, non autem quoad alias pœnas; & ita docet Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 1. cap. 10. n. 43. & 44.* Barbosa *de potestat. Episcop. part. 3. Alleg. 51 num. 138.* Farinac. *q. 122. num. 138.* quibus adde Fagund. *in Decalog. tom. 1. lib. 2. cap. 10. num. 15.* ubi sic ait: Hæc autem pœna irregularitatis, quam incurrit ille, qui causam abortui præbet in dubio, an fœtus sit animatus, intelligenda est solùm de privatione quoad suscipiendos ordines, & in illis jam susceptis ministrandi; has enim privationes intrinsecè includit irregularitas, secùs verò quoad alias pœnas, quæ à judice imponi solent pro contracta irregularitate; qualis est privatio beneficiorum, & aliæ similes: & ratio est, quia pœna ordinaria statuta delicto certo, non est imponenda delicto dubio; sed extraordinaria arbitrio Iudicis pro dubij qualitate. Ita ille, qui citat Vasquez, Suarez, Salas, Sayrum, & alios.

Sup. hoc ex doctr. præcedentis Res. § 2. ante med. vers. Secus verò.

RESOL. XXIII.

An si quis procuraverit abortum fœtus animati, sed dubitat de effectu subsequuto; vel an mulier sit mota ad abortum ex consilio ei præbito, vel à seipsa, censendus sit irregularis?

Et an in supradicto casu possit stare dicto personæ fide digne, cui datum est consilium, si dicat non fuisse ab eo motam?

Et idem dicendum est de illo, qui dedit consilium, vel mandatum ad delictum, ut ad homicidium, vel Clerici percussionem, &c. Ex p. 7. tr. 5. Res. 26.

§. 1. AD hoc dubium sic respondet P. Thesaur. *in Praxi par. 1. cap. 16.* In dubio facti de homicidio, vel abortu, si quis applicavit media fallibilia ad procurandum abortum, vel homicidium, v. g. si solùm mandavit, vel consuluit, vel si prægnanti fecit venæ sectione sanguinem emitti, & postea non potest certiorari, an res habuerit effectum; tunc in dubio non est censendus irregularis, quia non proceditur contra quendam ad pœnas nisi constet de corpore delicti *l. 1. §. item illud screndum, ff. ad Syllan.* Osach. *decis. Pedem. 42.* Menoch. *de arbitr. cas. 452. n. 20.* & procedit tam pro foro externo, quàm interno Sanch. *loc. cit. in Decalog. c. 10. n. 44. lib. 1.* Navar. *cons. 47. de homic.* Quaranta *ver. Abortus, §. nota per hanc.* Barbosa *alleg. 51. n. 139.* Si autem applicata fuerunt media efficacia, & communiter effectum trahentia debet judicari, & irregularitatem, & alias pœnas juris incurrisse, ut Navar. *ibi.* Quia licèt facta in dubio non præsumuntur falli, quando sunt solita fieri: ut *l. ult. C. de fide instrum.* Mascard. *concl. 732. n. 5. & 7.*

2. Secundò, si constat de corpore seu materia delicti, sed dubitat quis, an habuerit sufficientem advertentiam, tunc in dubio censeri debet pœnas juris incurrisse: quia licèt in actibus internis facilè præsumi possit subreptio, & inadvertentia, non autem in actibus externis graviter malis, quia actus externi ex natura sua cùm sint valdè sensibiles, & non momentanei, solent excitare mentem ad sui considerationem; & quia membra externa non moventur, nisi per rationem superiorem. Ita Less. *lib. 2. c. 7. n. 19.* cum S. Thoma.

3. Tertiò,

Sup. hoc in tom. 8. tr. 5. Resol. 88. & in illis ejus primæ ann.

3. Tertiò, si quis consilium, vel mandatum dedit ad delictum, vel ad homicidium, abortum, vel clerici percussionem, &c. Et constat de corpore delicti, seu effectu sequuto, sed dubitat, an ille motus sit à sua cooperatione, seu consilio, vel mandato, an verò aliàs id principalis esset facturus; tunc in dubio præsumptio est contra ipsum, & censetur pœnas incurrisse, Sanch. *lib. 1. cap. 10. num. 44. propè fin.* Farinac. *quæst. 129. numero 140.* Sayr. *lib. 7. cap. 3. num. 2.* Imò etiam si executor dicat se aliàs fuisse facturum, non est ei facilè credendum, ut Farin. *num. 152.* Nisi adsint aliæ conjecturæ infringentes talem præsumptionem, ut gravis inimicitia præcedens, vel si protestatus jam fuerat se facturum, aut se jam præparaverat ad illud. Farin. *num 129.* cum multis Doctoribus, & *num. 143. cum seqq.* Aliqui tamen dicunt stari posse dicto illius, si sit persona aliqua fide digna, & non adsint aliæ conjecturæ cõtrariæ. Henriq. *lib. 14. cap. 16. n. 3.* Sayr. *de Cens. lib. 7. cap. 3. n. 2.* Sanch. *n. 44. in fin.* Avila *p. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 3. concl. 5.* Hucusque P. Thesaur.

Sup. hoc in Resol. not. præteritæ. §. Sed an. & in aliis ejus an.

4. Igitur dicendum est, quòd si quis procuravit abortum, sed dubitat de effectu subsecuto, non sit censendus irregularis. Et si dedit consilium, ego puto posse stare dicto personæ fide dignæ, cui datum est consilium, si dicat, non fuisse ab eo motum: verùm circa præsentem Quæstionem, ne deseras videre Fagundez *in Decalogum, tom. 1. lib. 2. cap. 10. num. 16. 17. & 18.*

Sup. hoc in §. annot. præteritæ, & in aliis §§. ejus not.

RESOL. XXIV.

An sit irregularis, qui non potuit dimovere fœminam à consilio dato de abortu faciendo? Ex part. 4. tract. 2. Resol. 15.

Sup. hoc in Resol. seq. &c.

§. 1. AFfirmativè ex Navarro & Corduba respondet Avila *de censur. part. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 4. concl. 3.* quia, vt dictum est * *in superiori resolut.* non sufficit revocare consilium ut evitetur irregularitas si in effectu mors ex dato consilio sequatur. Adde quod aliqui addunt quòd si consulens non potest occidendum monere de periculo, adhuc remanet irregularis: sed hoc accidit in casu nostro; ergo, &c. Et in hanc sententiam docet etiam doctus Petrus Cornejo *in 3. part. tract. de irregular. disput. 1. dub. 2. quæst. 2. num. 3.*

* Quæ nunc est sup. in tr. 5. Res. 114.

2. Verùm non reticeam contrariam sententiam docere Henriquez *libro 14. capite 16. numero 5. & in gloss. litt. O.* ubi sic ait: Non sit irregularis Clericus, qui conjugatam dissuadere non potest à consilio abortus dato, quia sat est præmonuisse infantem in matre sua ut moneri potuit. Ita ille, cujus sententiam ipse testatur docuisse aliquos recentiores. Sed asserit Avila quòd illa monitio infantis in matre nullius est momenti, siquidem infans in utero nullo modo potest se liberare; posset tamen quis dicere, quòd in tali casu consulens ut acertat homicidium facit quod facere potest, & ideò Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 21. difficult. 20. num. 8.* rectè notat: [Que el Consejo no es meramente causa natural, que ponga necessidad phisica como el veneno, sino solamente es causa moral, y por esto si el consejero hizo lo que moralmente pudo y devia hazer para impedir el effetto es visto haver quitado la causa y assi no se le imputarà el homicidio.] Ita ille, qui citat Suarez. His tamen non obstantibus contra Henriquez ante Avilam docuit affirmativam sententiam Sayrus *libro 7. capite 3. numero 5. in fine.* Verùm Navarra & Præpositus, quorum doctrinam probabilem putat Lessius, ut visum est *in superiori resolutione*, dixerunt sufficere consulentem revocare tantùm mandatum, & non monere occidendum; sed hoc accidit in casu nostro. ergo. Adde quod suprà probabiliter dictum est, quòd non impediens homicidium ad quod tenetur de justitia, non est irregularis; ergo, quanto magis in casu nostro, in quo impedimentum fuit præstitum. Vnde sententia Henriquez probabilis mihi videtur, sed primam puto probabiliorem & tutiorem.

Quæ hic est sup. in tr. 5. Resol. 114.

RESOL. XXV.

An qui dedit consilium de abortu faciendo, si non potuit dimovere fœminam à consilio dato, incurrat censuram, & irregularitatem? Ex p. 7. tract. 5. Resol. 29.

§. 1. AFfirmativam sententiam nominatim contra me tenet novissimè Eminentiss. Cardin. de Lugo *de Iustit. tom. 2. disp. 19. sect. 2. §. 2. num. 39.* & alij penes ipsum. At ego non discedo à negativa, quam docui *in part. 4. tract. 2. resol. 15.* Et novissimè illam docet Steph. Baunius *in Theolog. moral. tom. 2. tract. 11. quæst. 27.* ubi sic ait: An revocato consilio, qui suasit liberetur à scelere, controversantur Doctores. Affirmativa Navarr. placet, *cap. 27. summ.* Majol. *cap. 48.* Comit. *resp. lib. 4. quæst. 10.* P. de Navarra *lib. 3. cap. 4. num. 27.* Portelio *in dub. verb. homicidium, num. 12.* nam quid ab eo exigi præterea debeat, ac possit, non est facilè dicere, quam in alterius exitium, malè consultus telam texuerat, aura meliore afflatus è cœlo retexit, quid ab eo si ipsa supernè in terras laberetur æquitas, amplius postularet? hæc illi conjectura probabili, ad fidem non absonè.

2. Quæ tamen à Lessio non probantur, *lib. 2. de Iust. cap. 13. dub. 3. num. 16.* negat enim ad culpæ fugam consulenti satis esse, si quæ ipse consuluit, revocet, infectaque nolit, utpote prohibita legibus, nisi etiam opposita persuadeat. V.C. suasit quis amico ut litem contra fas & æquum vicino intenderet, si pecuniam quam mentitur sibi debitam, deneget, eidem vim faciat, è re id sua esse; enimverò si contemni se sciverit, honoris se, ac famæ facturum aleam, proinde audendum esse, quod metuitur dedecus, vitæ alienæ periculo redimendum esse. Contendit hic Auctor, ad officium boni viri consulenti satis non fore, si se deceptum asserat, si contra quàm prudentia postulabat ac charitas, de vi inferenda fortunis, aut vitæ alienæ, iniqua se ac turpia dedisse consilia dicat, nisi quam habet anticipatam animo voluntatem ea faciendi, oppositis rationibus abstergat, ac dissipet. Et hoc firmantem ejus præcipuum, quod ostensione commodi, honoris, aut famæ, sibi ex hoc grandi, vastóque facinore conciliandæ in populo, consulens, ejus voluntati, quam est consiliis suis ad illum patrandum aggressus, fortes acrésque ad malum stimulos addidit, qui stimuli perseverant haud dubiè, manéntque, quádiu eorum incitatus motivo (ut aiunt) conceptum scelus vult prosequi, ex quo sequi ait Lessius, quòd cùm sit consulens, hujus voluntatis auctor, ac causa: fore quoque & effectus, id est, necis, damnique, ac proinde, veri speciem habere, extra irregularitatis periculum consulentem non fore, si dati consilij revocatione mera, soláque contentus non id agat, ut in contrarium inflectat ejus animum cui auctor sceleris admittendi fuerat.

3. Et hæc sententia probabilis, prior tamen tenenda in praxi, ratio est, quod quando id consulens operam dedit, ut priora sua consilia, argumentis everteret, facerétque pro viribus, ea ut iniqua, malaque esse parerent omnibus, nec sequenda, non videtur horum executor, illis moveri agique ampliùs, sed improbitate sua dumtaxat, ac malitia. Hucusque Bauinius,

nius, cui ego libenter adhæreo; unde puto utramque sententiam esse probabilem, & ideò Machad. *de p.f. Conf. tom. 1. lib. 2. part. 3. tract. 17. docum. 10. num. 2.* me citato sic ait: [Queda dudoso si el que aconsejo à alguna muger, ô le dio remedio para que abortasse la criatura ya animada, y despues atrepentido del pecado la dissuadio todo lo possible, para que no executasse el aborto; y con todo esso no lo pudo conseguir: incurra en esta irregularidad. Navarro, y otros sienten que si; fundados, en que no basta revocar el consejo. Si in effectu mors ex dato consilio sequatur, La contraria opinion defiende Henriquez, Villalob. y otros; fundados en que el consejo no es meramente causa natural, que ponga necessidad fisica, sino solamente se tiene por causa moral; y por esto si el consejero hizo lo que moralmente pudo, y devia hazer para impedir el effecto es visto aver quitado la causa: y assi no se le imputara el homicidio.] Vide etiam Caspen. *in Cur. Theol. tom. 2. disp. 1. sect. 9. num. 71.* qui nostram sententiam adducens, putat consulentem in casu de quo loquimur nullam incurrere irregularitatem; & me etiam citato idem docet novissimè Mazuch. *de cas. reserv. disputat. 2. cap. 18. quæst. 2. num. 42.* quibus adde Tannerum *in 2. 2. disputat. 4. quæst. 6. dub. 4. num. 394.*

RESOL. XXVI.

An qui procurvait abortum fœtus animati, si effectus non sequatur, incidat in excommunicationem?
Et an saltem in casum Episcopalem reservatum inciderit in supradicto casu?
Et quid de Regularibus? Ex p. 7. tr. 5. Res. 9.

§. 1. VIdetur affirmativè respondendum, quia in reservatione Episcoporum casus contra procurantes abortum includuntur etiam illi, qui abortum procurarunt non secuto effectu, ut docet Bellocchius *de cas. reserv. par. 2. q. 8. n. 69.* Zecchius *de cas. reserv. in cas. 9.* Bonacina *de rest. disp. 2. quæst. ult. punct. 7. n. 6.* & alij, asserentes incurri reservationem, etiamsi effectus non sequatur, v. g. fœmina sumpsit potionem, ex qua putabat abortum secuturum. Medicus medicinam porrexit, & venam in pede secari fecit, ut mulier abortiretur, & tamen non est abortita: adhuc dico reservationem incurri.

2. Sed ego puto in excommunicationem Bullæ Sixti V. non incurrere procurantes abortum effectu non secuto: Et ratio est, quia dictus Pontifex in sua Bulla, ut lata excommunicatio incurratur, requirit effectum, ut patet ex illis verbis. Inde, ut reipsa abortus secutus fuerit. Et ita docet Bonacin. *tom. 3. disp. 2. q. 2. punct. 20. n. 6.* Adde quod ego etiam contra citatos Doctores probabiliter teneo, non incidere in casum Episcopalem procurantes abortum, si effectus non sequatur, quia reservatio comprehendit tantùm actum externum cum effectu, & ita ex Finellio, & Chapeavilla docet Mazuchel. *tract. de cas. reserv. disp. 2. cap. 3. q. 2. num. 27.*

3. Vnde nostram sententiam docet etiam Naldus *in sum. ver. Abortus, n. 5.* ubi sic ait: Abortus censura non incurritur, nisi effectu secuto, quod etiam generaliter in omnibus censuris admittunt omnes; specialiter autem hoc apertè innuunt verba hujus Constitutionis Sixtinæ in secunda ejus parte, ibi: & reipsa abortus secutus fuerit, & ad tale facinus committendum, &c. liquet autem verba regulariter intelligenda esse cum effectu ipso, quem propriè significant. Vnde exhibens potionem fœminæ, quæ probatur gravida, quæ tamen postea juxta consuetudinem mulierum, fecit ventum, non ligatur hac censura; quamvis ex nulla ratione contrarium asseruerit Graff. *lib. 2. decis. aur. 63. n. 33.* licèt secus sit quoad casus reservatos inter regulares per expressam in hoc declarationem; ut *infra Religios. in fin. sub num. 43. vers. Procuratio auxil.* ubi effectu etiam non secuto incurritur reservatio ista. Ita Naldus.

RESOL. XXVII.

An quid incidit in excommunicationem, si procuret abortum per alios: & quod de consulentibus, &c?
Et quid de operantibus ab abortum ope, favore, potione, vel alio cujusvis generis medicamento, aut scribendo litteras privatas, vel apochas, aut alia ratione verbis, aut signis?
Et notatur in dictam excommunicationem non incurrere supradictos consulentes, auxiliantes, &c. effectu non sequuto.
Idem dicendum est de irregularitate, & pœnis dictarum Bullarum. Ex p. 7. tr. 5. Res. 10.

§. 1. REspondeo affirmativè, quia Sixtus V. *in Bulla* asserit. Qui de cætero per se, aut per interpositas personas, &c. Et ita docet Bonacina *tomo 3. disp. 2. quæst. 2. punct. 10. num. 5.* & Bordonus *in Consil. regul. resol. 45. quæst. 9. num. 9.* ubi sic ait. An mandans comprehendatur in hoc casu? Negativa videtur, quia regulare est non subintelligi in pœnalibus, neque reservatione nisi exprimatur, ex probatis *resolut. 38. quæst. 15.* hic autem non exprimitur. Respondetur: Mandans comprehenditur sub illo verbo, Procuratio, qui enim mandat faciendum abortum, sine dubio dicitur hunc procurare, ideo non excusatur à reservatione. Et id est conforme Bullæ Sixti V. illis verbis: Qui de cætero per se, ecce immediata procuratio sine mandato, aut interpositas personas, ecce procurationem per mandatum; mandans enim dicitur agere per interpositam personam. Ita ille.

2. Notandum est etiam hic, in dictam excommunicationem incurrere scienter cooperantes ad abortum ope, consilio, favore, potione, vel alio cujusvis generis medicamento, aut juvare scribendo litteras privatas, vel apochas, aut alia ratione verbis, aut signis; sic enim expressè dicitur Constitutione Sixti V. Nota tamen supradictos consulentes, auxiliantes, &c. non incurrere in excommunicationem effectu non secuto: cùm enim ut dictum est in super. Resolutione ob actionem principaliter prohibitam hæc censura non incurratur ante secutum effectum, multò minus incurri debet ob accessorium, quæ minus principaliter, & secundariò prohibetur. Sup. hoc inf. in Res. 35. §. Et ita. Quæ hic est antecedens.

3. Vnde Novarius *in summa Bull. tom. 2. tit. de Abortu, numero 22.* ita ait: Declaratur secundò, quòd non incurrat pœnas dictarum Bullarum dans consilium, vel medicinam abortui fœtus animati, etiamsi remedium fuisset applicatum, si tamen effectus non fuisset subsecutus, nec erit irregularis, quoniam verba legis accipienda sunt cum effectu secuto, quem legislator punire intendit, ut ait Navarr. *cons. 60. de sentent. excommun.* & propterea conatus solus ad culpam non meretur pœnam ordinariam legis effectu non secuto. Sup. hoc ibidem.

RESOL. XXVIII.

An supradictis excusentur à censura, si in illis adsit ignorantia juris, vel facti etiamsi sit crassa, supina, & affectata, modo cum ingenti temeritate conjuncta non sit? Ex p.7.tr.5. Resol.11.

Sup. his ignorantiis superius in tr. 1. latè in Resol. 36. per tot. & in multis aliis Resol. & §§. ejus annotationum.

§.1. REspondeo affirmativè, quia Sixtus V. in sua Bulla apposuit particulam, *scienter*, quæ omnem excludit ignorantiam, nisi sit conjuncta cum ingenti temeritate. Vnde me citato, rectè Trullench *in Decal. tom.1.lib.1.cap.3. dub.9. §. 5.n.21.* sic asserit: Quinto deducitur eximi ab hac censura eum qui ignorantia, quantumvis crassa, & lata culpa, immò & affectata ignorantia, nisi adsit ingens temeritas, legat, teneat, imprimat, vel defendat prædictos libros; quia Bullæ clausula petit, scienter hæc fieri: at quando scientia petitur, excusat quævis ignorantia, nisi ingens sit temeritas. Ita ille.

2. Et ideo non deseram hic apponere verba Mazuchelli *tract. de cas. reserv. disp.1.q.4.§.10.n.133.* ubi sic ait: Respondeo ignorantiam etiam affectatam excusare ab hac censura incurrenda, dummodo non adsit ingens temeritas, qualis intercedit cùm quis vehementem habet suspicionem delicti prohibiti. Et probatur, quia Confessor cum hac ignorantia absolvendo verè, & propriè non dicitur audere absolvere. Tum quia quæ ignorantia excusat à pœna imposita scienter aliquid facienti, eadem excusat à pœna imposita audenti aliquid facere, ut patet ex dictis. Atqui ignorantia etiam affectata in sententia Sanchez excusat à pœna imposita scienter aliquid facienti. Ergo, &c. Hinc est ut Bonac. *disp.2. de excom. in partic. extra Bullam Cœnæ, q.2. pun.8. n.17.* explicans censuram latam contra contrahentes matrimonium in casibus probibitis *in Clem. unic. de consang.* dicat probabiliter sustineri posse, ignorantiam etiam affectatam excusare ab ea incurrenda; cujus ratio est, quia habens ignorantiam affectatam non dicitur re ipsa scienter contrahere. Idémque docet inferiùs, puncto videlicet 19. in explicatione censuræ latæ contra præsumentes violare libertatem Ecclesiasticam circa electiones, ubi ait ignorantiam etiam affectatam excusare ab hac censura incurrenda; cùm in textu dicatur (grave præsumunt.) Idémque habet alibi passim.

3. Dixi in responsione, dummodo non adsit ingens temeritas: tunc enim ignorantia nullo modo excusaret, licèt pœna fuisset imposita contra scienter aliquid facientes, seu contra præsumentes, vel certè audentes facere. Et ratio est, quia ignorantia hæc importaret latissimam culpam, & dolo æquipararetur. Hucusque Mazuchellus. Quæ omnia faciunt ad confirmandam nostram responsionem, quam latè probat Sanchez *in sum. tom.1. lib.2.c.10.n.38. & de Matrim. lib.9. disp.32. num 36. & 39.*

4. Et ita affirmativè in terminis ad casum præsentis Resol. mecum respondet Bonac. *to.3. disp.2.q.2. pun.10. n.10.* ubi sic asserit: Dubium est utrùm præbens opem, consilium, vel favorem, vel potionem, ab hac censura eximatur, quoties hæc præstat ex ignorantia juris, vel facti? Respondeo affirmativè, etiamsi ignorantia non sit probabilis, sed vincibilis, crassa, supina, vel etiam affectata, modò cum ingenti temeritate conjuncta non sit: Summus enim Pontifex adjecit particulam, scienter, quæ quamlibet ignorantiam excludit, modò cum ingenti temeritate conjuncta non sit, ut alibi sæpiùs dictum est. Et ideo præter Doctores citatos hanc sententiam docet post hæc scripta visus noster P. Alphonsus de Leone *de Cens. Recoll.7. n.38.*

RESOL. XXIX.

An qui approbat abortum jam factum etiam suo nomine incidat in pœnas latas à Sixto V?

Idem dicendum est de casu abortus per Episcopum reservato.

Et an mulier incidat in casum reservatum, cui inscia, & ignoranti amator medicamentum, & potionem tribuerit, ut abortus sequeretur, etiamsi post sumptionem potionis rem illi amator aperiret, & ipsa facto gauderet, atque illud ratum haberet?

Idem dicendum est, etiamsi postquam fuerit monita, de procuratione abortus, illum nollet impedire, cum tamen posset. Ex p.7.tr.5.Resol.14.

§.1. REspondeo negativè; & ita docet Zambel. Quamvis lus *in Reper. mor. ver. Abortus, num.1.* ubi sic ait: Abortum approbans post factum etiam suo nomine non est irregularis; at si ante executionem approbavit, in pœnas Sixtianas incurrit. Ita ille, cui addit Novarium *in sum. Bull. tom.2. tit. de Abortu, num.24.* Et sic dicendum est de casu abortus per Episcopum reservato: unde Mazuchellus *tract. de cas. reser. disp.2. c.3.q.3.n.40.* asserit, in casum reservatum non incidere mulierem, cui insciæ & ignoranti amator medicamentum; & potiones præbuerit, ut abortus sequeretur. Et ratio est, quia non dicitur procurasse, etiamsi post sumptionem potionis rem illi amator aperiret, & ipsa facto gauderet, atque illud ratum haberet; ea enim necdum esset dicenda procurasse, proindéque mortaliter tantùm peccasse. Ita Floronus *p.2. casu de procuratibus abortum, n.14. vers.13. excipitur.*

2. Addo hoc idem esse dicendum, etiamsi postquam fuisset monita de procuratione abortus, illum nollet impedire, cùm tamen posset; adhuc enim non diceretur incidere in casum, vtpotè quæ non diceretur abortum procurare, sed illum tantùm permittere.

RESOL. XXX.

An amasius teneatur impedire fœminam, ne abortiatur, & aliter in censuram, & irregularitatem incurrat?

Et an Clericus, qui sciens mulierem à se prægnantem redditam meditari concepta ab ea sobolis abortionem irregularitatem suscipiat, si hanc pro virili non impediat?

Et an pater, cui mater dixit se velle procurare abortum, si solum taceat, incurrat irregularitatem?

Et docetur patrem non teneri defendere vitam filiorum lege justitiæ, sed pietatis, & paterni officij. Ex p.7. tr.5. Resol.28.

§.1. REspondet affirmativè Naldus, *in sum. ver. Abortus, n.6.* ubi sic ait: Abortus reddit irregularem illum, à quo fœmina cœpit, si hæc dicens, illi, se velle abortum procurare, non fuit ab illo impedita, qui tenebatur ex justitia eandem impedire; hoc asserunt quidam ex Avila, qui tamen hoc non dicit in loco, què citant, in meo Codice. Potest autem probari hoc ex illa ratione, quia ejusmodi fornicator videtur teneri fœtum illum in vita tueri, tanquam ejus generationis causa; error autem, cui non resistitur approbatur juribus vulg. & ex cap. significasti, & ibi scribentes, de homicidio, is dicitur reus homicidij, qui cum commodè potuisset, non impedivit alterius occisionem. Ita Naldus; locus verò Avilæ est *in p.7 disp.6 sect.2. dub.9. concl.2. §. Sequitur quarto.* Et hanc sententiam tenent alij, quos

quos ego citavi *in p.4. tract. 2. resol.8.* Sed ibi merito negativam sententiam probabilem etiam esse putavi.

Vide hic est Sup. in tr. 5. Resol. 134.

Vnde non deseram hîc apponere verba Stephani Bauny *in Theol. Moral. tom. 2. tract. 11. quæst. 33.* ubi sic ait.

Sup. hoc in Resol. nor. præcedent., & in alio 5. ejus primæ ann.

Huic Quæstioni est hæc agnata, Clericus qui sciens mulierem à se prægnantem redditam, meditari conceptæ ab ea sobolis abortionem, irregularitatem suscipiat, si hanc pro virili non impediat.

2. Qui affirmantem sequuntur, nituntur his rationibus: prima irregularitatem non effugit, cui cùm incumbat ex justitia, alienæ saluti consulere, eam cùm protegenda esset negligit, sed patris sunt hæ partes, eæque ex justitia vitam tueri filij. Ergo, &c.

3. Secunda, reus est homicidij, qui causam præbet. Fecit id Clericus, nam imprægnando mulierem, in has eam angustias redegit, ut aut fœtum ab illa extingui, aut famæ suæ jacturam pati esset necesse, in irregularitatem ergo incidet Clericus pueri pater, si ejus ejectionem non impediat; sic sentiunt Portel. *in dub. reg. ver. Abortus num.* 14. Layman *lib. 3. sect. 3. tract. 3. part. 3. cap. 4. num. 7.* Avila *part. 7. disput. 6. sect. 2. dubitat. 7. concl. 2.*

4. In negantium partes qui sunt transgressi Turrian. *de Cens. lib. 9. disp. 63. dub. 3.* Hurtad. *de irregularit. disp. 2. diffic. 9. num. 34.* principiis nituntur oppositis, nempe nec patri necessitatem ullam esse lege justitiæ impositam, tuendi filij, sed pietatis paternique officij, quæ est opinio Lessij, *lib. 2. cap. 9. dub. 13. num. 94.* nec qui ex justitia patrocinium ac defensionem debent alteri, si vim ei fieri non impediant, aut vitam adimi, irregulares esse.

Sup. hoc tom. 5. Resol. 4. in fin.

5. Vtraque sententia probabilis, prior tamen præposteriore, quod assensum habeat Patrum, ac probationem, *in can. inferenda*, qui est Ambrosij *3. q. 3. his verbis ex lib. 1. de officiis, c. 36.* Qui non repellit à socio injuriam cum potest, tam est in vitio, quam ille qui facit, & *in can. qui sequitur*, qui est Anastasij & Damasi: nec enim caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare, & *in can. extremo ead. q. & causa*, qui est D. Aug. *in Psal. 81.* Qui desinit obviare cum potest consentit. Hucusque Baunius. Recognosce me ipsum loco citato, à quo multa desumpsit Baunius; & novissimè nostram sententiam tanquam probabilem me citato admittit Eminentiss. Lugo *de just. tom. 1. disp. 10. sect. 11. num. 222.* quia Amasius in tali casu non concurrit nec cooperatur ullo modo positivè, sed solum merè negativè non defendo quem defendere tenebatur; irregularitas autem solum incurritur propter cooperationem positivam: ergo, &c. Vnde non est audiendus Portel *in dub. Reg. ver. Abor. num.* 14. asserens Patrem fœtus animati incurrere irregularitatem, cui mater dixit se velle procurare abortum si solùm taceat.

RESOL. XXXI.

An qui propinat remedia sterilitatis mulieri, ut impotens fiat ad generandum, incurrat in censuram, Bullæ Sixti V?

Sed difficultas est in terminis Bullæ Sixti V. ante correctionem Gregorianam, an incidebant in censuram, qui porrigebant remedia sterilitatis alicui viro?

Et quomodo hodie damnetur hic casus? Ex p.7. tract.5. Resol.12.

§.1. REspondeo negativè, quia in hoc Gregorius XIV. correxit Bullam Sixti V. & ideo Machadus *de perfect. Confess. tom. 1. lib. 2. part. 3. tract. 17. num. 1.* sic ait: [Despues Gregorio XIV. por orrra especial constitucion moderò la de Sixto V. particularmente en dos casos. Lo primero, en quanto à lo que por Sixto V. se avia dispuesto, de que incurriessen en las penas referidas, aunque la criatura no estuviesse animada, ò quando se diesse solamente bebida, ò otro remedio para no concebir, ò hazerse steril la muger; cuyas penas dexa à la disposicion de los sagrados Canones, y Concilio Tridentino. Et paulo post *num.* 4. Conforme à lo qual, el que en estos tiempos diesse algun remedio para esterilidad ò para no concebir: ni quedaria descomulgado, ni irregular.] Ita ille cui etiam adde Portel. *in dubiis reg. verb. Abortus, num.* 4.

2. Sed hîc oritur difficultas, an in terminis Bullæ Sixti V. ante correctionem Gregorianam incidebat in censuram, si quis porrigebat remedium sterilitatis alicui viro? & affirmativam sententiam tenet Petrus Gregor. *in syntag. jur. p. 3. lib. 36. cap. 15. num. 10* sed prorsus negativa sententia tenenda est, quia Sixtus V. in Bulla expressè dicat prægnantes mulieres; sed pœnæ non sunt extendendæ extra casum, ergo. Et ideo nostram sententiam tenet Villalobos *in Summ. tom. 1. tract. 12. difficul. 14. num. 2.* & Scortia *in Bull. Pontif. Epito. 146. Theore. 177.* Sayrus *de Cens. lib. 3. cap. 35. num. 27.* Damnatur tamen hic casus *in cap. si aliquis, extra de homicid. vol.* ubi ex Concilio Vvormatiensi dicitur teneri, ut homicidam, qui homini, & mulieri aliquid fecerit, vel dederit ad potandum, ut non possit generare, aut concipere, aut nasci soboles.

RESOL. XXXII.

An fœmina, quæ post coitum mingit, vel digitis semen ejicit, dicatur procurare abortum, ita ut incidat in panas?

Et an talis fœmina non peccet mortaliter ex se, sed solum ex conscientia erronea, quatenus putat hoc conducere ad non concipiendum?

Et an peccet mulier vi oppressa, si post coitum statim semen ejiciat? Ex part.7. tract.5. Resol.31.

§.1. REspondeo negativè cum Bordono *in Consiliis Regul. resol. 45. q. 1. num. 1.* ubi sic ait. Floron. dixit abortum procurari, quando post copulam, impeditur ne fœtus concipiatur, procurando, ut fœmina sterilis efficiatur; sed ego puto ejectum semen statim post copuam mingendo, vel digitis ejiciendo non dici abortum, sed tunc solùm cum est conceptum semen, hoc est, inceptum fieri fœtus in loco suo naturali per organisationem licèt imperfectam, simplex enim ejectio seminis quatenus adhuc tale est formaliter abortus non est. Ita Bordonus. Dicendum est etiam talem fœminam non peccare mortaliter de se, sed solum ex conscientia erronea, quatenus putat hoc conducere ad non concipiendum, ut ex multis docet Mazuchell. *tract. de cas. reser. disputat. 2. cap. 3. difficult. 4. num* 24. Licet contrarium videatur docere Marchant. *in resol. Pap. 1. cap. 6. quæst. 21.* ubi tamen admittit non peccare mulierem vi oppressam si post coitum statim semen ejiciat, quia hoc est defendere se contra invasorem injustum, quæ invasio censetur adhuc moraliter perdurare in semine illius qui oppressit. Neque hic casus erit his temporibus extraordinarius, cùm passim milites mulieres opprimant.

Sup. hoc in tom. 2. tr. 6. lege doctr. Resol. 212. &c.

Sup. hoc in tom. 2. tr. 6. Resol. 41. & in alio vers. ejus primæ not.

RESOL. XXXIII.

An vir vel fœmina qui in actu carnali retrahunt se à seminis emissione, vel receptione in vase debito causa generationis impediendæ, incurrant in hanc censuram?

Et

Et an ex casu abortus Episcopali excusetur, qui ne liberos suscipiat, vel alia de causa, puta ex odio mulieri potionem præstet, quo minus concipiat? Ex p.7.tractat.5. Resol.13.

§.1. AFfirmativè respondet Petr. Gregor. *in Synt. jur.p.3.lib.36. cap.15.num.20.* sed oppositum dicendum est cum Scortia *in Bull. Pont. theor.377.* ubi sic ait: Sed nunquid comprehendantur his pœnis viri aut mulieres in copula retrahentes se ab emissione, & receptione seminis in vase debito, vitandæ generationis causa? Affirmat idem, qui suprà Petr. Greg. *loc. cit.* quòd impedimentum præstent, quominus fœtus concipiantur. Oppositum docet Sayrus *in thes. leg.3. cap.35. num.27.* Bonacina *de contr. d.2. quæst. ult. sect.1. part.7. num.6.* quòd Mens Pontificis sit agere de abortu fœtus, sive animati, sive inanimati; ubi autem seminis receptio non est, non fit fœtus, & consequenter nec abortus. Adde, si id admittatur, necessarium esse idem in multis aliis admitti, ut quisque per se videre potest, & denique non sint extendendæ pœnæ. Ita Scortia, cujus sententiam docuit iterum Bonacina *tom.3. de Cens. in practic. disp.2. quæst.2 punct.10. num.14* & novissimè illam docet Dicastill. *de Iust. lib.2. tr.1. disp.10. dub.13. num.183.* & Portel. *in dubiis Regul. ver. Abortus num.4.*

2. Hic notandum est ex casu abortus Episcopali excipi illum, qui ne liberos suscipiat, vel alia de causa, puta ex odio mulieri potionem præbet quominus concipiat. Et ratio est, quia iste non dicitur propriè abortum procurare, sed tantùm impedire conceptionem, sive agere, ut semen non sit prolificum, quæ duo distincta sunt, ut patet. Vnde in Tabella Æsina, ut habet Belloc. *n.94.* ut etiam casus iste comprehenderetur, reservatio fuit lata in hæc verba, abortus, aut sterilitatis, in quavis fœmina procuratio. Etiam excusari eum, qui in actu matrimonij, vel copulæ se abstinet vel retrahit à seminis emissione, ut conceptio vel generatio impediatur. Et ratio est eadem, quia hoc non est procurare abortum. Verum tamen mortaliter hunc peccaturum, quia dicitur privare naturam effectu suo cùm privet semen vita, ad quam directè tendebat. Quare de Onano filio Iudæ dicitur *Gen.cap.38.* quòd cùm jussus esset ingredi ad uxorem fratris sui Her, jam defuncti, & illi sociari, ut fratris sui semen susciteret, percussus est à Domino, eo quòd rem detestabilem faceret, fundendo semen in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur. Et hæc omnia docet Mazuch. *tractat. de cas. reser. disputat.2. cap.3. quæst.3. num.43. & 44.*

RESOL. XXXIV.

Virum maritus habens copulam cum uxore, si ex magna corporis agitatione sequatur abortus, incidat in censuras?

Et an maritus, vel pater, si uxorem, aut filiam verberasset, unde illa furore percita abortum fuisset passa, incurrat in pœnas abortus?

Et an liberetur à pœnis impositis contra procurantes abortum ille, qui in præsentia mulieris, cum qua rem habuisset, diceret, nollem te esse gravidam, quia inde aliquod grave malum tibi, & mihi suspicor eventurum, unde ipsa abortum procuraret? Ex part.7. tractat.5. Resol.30.

Quamvis non plenè sup. hoc ne deseras tamen sup. in

§.1. REspondent aliqui affirmativè, quia in probabili periculo abortus, quoties cautionem non adhibeant ad illum vitandum dicuntur illum intendere, & procurare: licèt enim inter illos licita sit libido, non tamen licita est procuratio abortus. Secùs verò si debitam diligentiam, & justam cautelam adhibeant, quia tunc sicuti excusantur à peccato mortali, ita & à reservatione.

2. Verùm mihi placet distinctio quam adhibet Floronus *de cas. reserv. p.1. casu 5. num.9. vers. Sexto locum habet.* Si enim vir, & uxor nimia utantur libidine ea intentione ut abortus sequatur; tunc incidunt in casum. Secùs verò si abortum non intenderent, sed tantùm explere libidinem: tunc enim licet ex illa corporis agitatione abortus fuisset secutus, & illum aliquo modo prævidissent, adhuc tamen illos excusarem ab hac reservatione. Et ratio est quia licet ij peccassent mortaliter, & essent in culpa: non tamen dicerentur procurasse abortum, quia non studiosè, nec ex industria ille fuisset quæsitus.

3. Hinc licèt aliqui asserant incurrere in pœnas abortus, qui uxorem suam graviter verberasset, unde illa furore percita abortum fuisset passa; Tamen magis placet illum in reservationem incidisse, quoties uxoré suam verberasset ea intétione ut abortus sequeretur; verbum enim ipsum, procurare, significat studiosè, & ex industria quærere: quoties maritus, vel pater, uxorem, aut filiam verberando prævidisset periculum abortus, peccasset quidem mortaliter: si tamen illum non intendisset dicendus esset immunis ab hac reservatione: non enim in casum hunc incidunt quotquot sunt causa abortus, sed tantùm, qui illum procurant.

4. Non tamen liberarem à pœnis impositis contra procurantes abortum, illum, qui in præsentia mulieris cum qua rem habuisset diceret, nollem te esse gravidam, quia inde grave aliquod malum tibi, & mihi suspicor eventurum: unde ipsa, & malo itura obviam, & amatori gratificatura abortum procuraret. Intellige tamen hoc verum esse, quoties desiderium hoc exprimendo adverteret futurum, ut perdita fœmina abortum procuraret: in hoc enim casu diceretur per alium procurare abortum.

RESOL. XXXV.

An mater, quæ procuravit abortum incidat in excommunicationem Sixti V?

Et an procurantes abortum per se, vel alios, aut cooperantet ope, consilio, vel alia ratione, contrahant excommunicationem Sixti V. cuiscumque gradus conditionis, vel ordinis existant, tam laici quam Clerici; sæculares, aut Regulares cujuscumque ordinis, imo etiam mulieres sæculares, & professa?

Et an excusetur ab excommunicatione mulier, quæ per metum cadentem in constantem virum cogitur sumere potionem, ex qua abortus sequatur? Ex part.7. tract.5. Resol.7.

§.1. NEgativam sententiam docet noster P. Naldus *in summ. ver. Abortus, num.1.* ubi sic ait: Abortum proprium procurans mulier prægnans, quamvis prima facie videatur incurrere excommunicationem latam per Sixtum V. contra procurantes abortum, aliud tamen dicendum venit, si rectè perpendantur verba ejusdem Pontificis qui in prima parte suæ Constitutionis incip. *Effœnatam*, & infrà, varias pœnas temporales inflixit contra hujusmodi scelus perpetrantes; in secunda verò, ibi, *Insuper ut immanissimi*, infert pœnam excommunicationis, & in hac parte nulla prorsus mentio sit mulieris prægnantis, proprium procurantis abortum, in hoc fortè compatiendo ejus sexus fragilitati; cùm tamen in prædicta prima ejus parte semel ac iterum in ordine ad pœnas

rem

temporales expresse meminerit ejusdem fœminæ proprium procurantis abortum, ut ibi prægnantes ipsas mulieres; & postea, ibi, ac mulieres ipsæ, quæ eadem pocula sponte, &c.

2. Nec obstat, quòd immediatè præcedant illa verba, sive, ut principalis, sive, ut socia; quia illa vox, principalis, intelligi debet de principali dando medicamenta, seu pocula abortienti; quod apertè probatur ex illo verbo, dederint, à quo regitur illud nomen, principalis quæ enim reguntur ab eodem verbo, eandem recipiunt qualitatem, & qualificant totam orationem Bart. & alij *in l. talis scriptura, de leg.* 1. Doctor. *in c. secundò requiris de appell.* ubi Dec. late, *col.* 2. & sequitur Rot. *decis.* 559. *num.* 5. *Seraph.* & insuper, quia subsequentia magis declarant præcedentia, quàm è contra, & verba, ubi clara sunt, non sunt cavillanda, nec ab eis recedendum; neque sunt extendenda ultra intentionem legislatoris. Ita Naldus, cujus sententiam non videtur improbare Machadus *de perf. Confessor. tom.* 1. *lib.* 2. *part.* 3. *tractat.* 17. *docum.* 9. *num.* 1.

3. Sed ipse meritò addit contrariam sententiam esse communem, sic enim ait: [Desta descomunion comunmente afirman los Dotores, que comprehende tambien à las mismas madres, que procuran el aborto; porque las palabras de la dicha constitucion son universales.] Ita ille. Nec aliter sentiendum est.

4. Et ita nominatim contra Naldum tenet Dicastill. *de Iud. lib.* 2. *tract.* 1. *disp.* 20 *dub.* 13. *n.* 179 Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 14. *cap.* 6. *num.* 4. Bonacina *de Cens. in part. tom.* 3. *disput.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 20. *num.* 12. 13 Dicendum est igitur omnes procurantes abortum per se, vel per alios, aut cooperantes ope, consilio, vel alia ratione in præcedentibus explicata excommunicationem Sixti V. contrahere, cujuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis existant, tam laici, quam clerici seculares, aut regulares, cujuscumque ordinis; imò etiam mulieres seculares, vel professæ: isti enim omnes in Bulla exprimuntur.

Sup. his in hoc §. 17. §. Secundum eam legem.

5. Ex quo patet etiam ipsasmet fœminas prægnantes socias, seu conscias abortus, huic censuræ subjici: textus enim loquitur non solùm de cooperantibus, verum etiam de ipsismet fœminis, quæ vel ut principales, vel ut sociæ, conscie sunt talis criminis per opē, consilium, favorem, potionem, &c. Non desinam tamen hîc adnotare in defensionem nostri P. Naldi suam sententiam docere Avil. *de Cens. p.* 2. *cap.* 5. *disput.* 3. *dub.* 12. *concl.* 2. §. *Quintò*, ubi tenet motum Sixti V. quantùm ad excommunicationem, non comprehendere fœminas procurantes abortum in seipsis, ut patebit ait ipse attentè consideranti litteram, & ita sententiam Naldi me etiam citato tenet novissimè Alphons. de Leone *de cens. Recoll.* 7. *num.* 34.

6. Notandum est tamen hîc cum Mazuchello *tract. de Cas. reserv. disput.* 2. *quæst.* 3. *num.* 48. excusari mulierem, quæ per metum cadentem in constantem virum cogatur sumere potionem, ex qua abortus sequatur. Et ratio est, quia quoties coacta sumit potionem, ex qua secuturus sit abortus, non dicitur studiosè quærere, ut fœtus abigatur; Ergo non dicitur procurare abortum.

RESOL. XXXVI.

An stante aliqua rationabili causa liceat aliquando sterilitatem in uxoratis procurare?

Et adducitur notabile dubium pro praxi prædicta difficultatis.

Et an, hoc fieri prohibeatur in Bulla Sixti V. de abortu?

Et docetur non licere prabere pharmacum directe tendens ad fœtus nondum animati ejectione etiam quando non potest aliter matri succurri. Ex p. 5. tract. 14. & Misc. 2. Res. 90.

§. 1. ACcidit in hoc Regno casus notabilis, de quo interrogatus fui. Antoniæ viro nupta per plures partus, seu abortus fœtus mortuos peperit abortiendo circa sextum vel octavum mensem & fœtum mortuum ac denigratum pariens quandoque sanum, quandoque frustratim, idque provenit ei ob uteri malam intemperiem fluxu putridorum humorum à lue Gallica fortè contractam, & factis adhibitisque primò canonicis remediis, dicto morbo obviari non potest. Nam adhuc abortus facit maximo cum vitæ discrimine. Vertitur in dubium, an in casu posito liceat Medico Christiano sterilitatem inducere, cùm fœtus semper mortui emittantur, & patiens in abortiendo incidat in mortis periculum? Et affirmativam sententiam docet Torrebianca *in pract. jur. spir. lib.* 12. *cap.* 13. *n.* 31. & 36. ubi sic ait. Sterilitas procurari non potest, neque ex causis naturalibus, quia conceptionis via impeditur, nisi probabiliter constet mulierem in partu vitæ discrimen subituram, vel quia nimis arcta, vel præ uteri angustia ferri nequeat, quia Medico perito licebit ei poculum sterilitatis præbere ne concipiat. Ita ille.

Sup. hoc in Res. seq. & inf. in Res. 45. post med. cursim in vers. Vel propter.

2. Sed, pace viri docti, hæc opinio mihi displicet, & ideo contrariam meritò docet in terminis hujus casus Turrianus *in quæst.* 2. 2. *D. Thom. tom.* 2. *disput.* 26. *dub.* 2. *num.* 45. vide etiam Sanchez *de matrim. tom.* 3. *lib.* 9. *disput.* 20. *num.* 2. 8. & 10. Navarrum *in manuali cap.* 16. *num.* 35 Sylvium *in* 2. 2. *D. Thom. quæst.* 64. *art.* 7. *quæritur* 4. *concluf.* 3. Filliucium *tom.* 1. *tract.* 29. *cap.* 7. *num.* 101. asserentes nullo bono fine honestari posse sumptionem potionis qua prolis conceptioni obstetur. Et idem etiam tenet Rodriquez *in sum. tom.* 1. *cap.* 15. *num.* 1. ubi sic ait. [Pecado es contra natura tomar la muger alguna bevida, ò dar sela, o por otra via impedir la generacion, y este pecado es tan intrinsecamente malo, que ninguna circunstantia le puede honestar.] prolis enim conceptionem, quæ nata est sequi ex copula carnali impedire est contra naturam, & naturalem finem generationis; & ideò hoc facere prohibetur in Bulla Sixti V. *de abortu* §. 5. & *in c si aliquis, de homicidio* ubi Buttrius *num.* 2. asserit, paria esse occidere, vel nasci impedire.

3. Nec valet dicere cum Tannero *tom.* 3. *disput.* 4. *quæst.* 8. *dub.* 4. *num.* 61. quòd dicta decreta intelligi debent extra causam justam. Vnde *in d. cap. si aliquis*, sic habetur. Si aliquis explendæ libidinis causa, vel odij meditatione homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare, aut concipere, vel nasci soboles ut homicida teneatur, quod confirmatur ex doctrina ipsius Sanchez *ibidem num.* 9. & aliorum Doctorum penes ipsum, quibus ego addo Villalobos *in summa tom.* 2. *tract.* 12. *difficul.* 13. *num.* 8. Molfesium *in summa, tom.* 1. *tract.* 11. *cap.* 19. *num.* 197. Tannerum *loco citato* & Layman *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 4. *num.* 4. asserentes posse Medicum ad vitandam mortem matris directè procurare abortum, nondum tamen animatum, quo supposito sic posset aliquis argumentari. Multo magis à generatione distat semen, quam fœtus jam ex semine conceptus licèt nondum animatus, sed probabiliter asserunt citati Doctores, posse aliquem licite procurare abortum fœtus nondum animati ad tuendam vitam matris infirmæ. Ergo probabiliter etiam dici potest licitum esse procurare sterilitatem ad vitandam mortem matris provenientem ex conceptione fœtus modo quo supra explicatum est.

Sup. hoc in §. seq. hujus Res. & inf. in Res. 38. & 43. §. At his, ad lin. §. & lege etiam doctr. aliarū Res. ejus primæ not.

4. Verùm

4. Verùm his non obstantibus puto non esse recedendum à negativa sententia, & ad casum de procuratione abortus, nondum animati, pro tuitione vitæ matris infirmæ, posse quis respondere, opinionem istam rejicere Sylvium & Filliucium *ubi suprà*. Lessium *lib.2. cap.9. dub.10. num.60.* Navarr. *de restitut. lib.2. cap.3. num.140.* Maldorum *in 2.2. tract.3. cap.1. dub.16.* Basilium Pontium *de matrim. lib.10. cap.13. num.2.* Azorium *tom.2. lib.2. cap.26. quæst.5.* Præpositum *in 3. part. D. Thom. quæst.6. de bonis matrim. dub. 9. num.74.* Vasquez *opusc. de restitut. cap.2. §. 2. dub. 6. in fine*, & alios, docentes mordicus non licere præbere pharmacum directè tendens ad fœtus nondum animati ejectionem, etiam quando non potest aliter matri succurri.

5. Sed quia ego puto sententiam Sanchez & aliorum esse probabilem, respondeo ad argumentum propositum, esse disparem rationem quoad utrumque casum; nam, ut rectè observat Sanchez, Filliucius, & alij in casu, quando expellitur fœtus ad tuendam viram matris, fœtus actualiter aggreditur matrem, & est causa materni obitus, cujus periculum est præsentaneum, sed in casu de quo loquimur, quando præbetur medicina sterilitatis, fœtus non est aggressor matris, & periculum est distans: ergo quod est in illo casu licitum, in isto minimè erit. Vnde contra Torreblancam rectè docet Sylvius *ubi suprà*, & alij ad vitandum vitæ periculum, quòd mulier est experta sibi ex partu imminere, non licet impedire conceptionem.

Sup. hoc, quod hic docetur in resolutionibus annot. 1. hujus Res.

6. Notandum est tamen hîc, Lector ne decipiatur, si legat Torreblancam citantem pro sua sententia Sanchez, Cordubam, Aragonium, & Lopez notandum est, inquam citatos auctores, sententiam, quam Torreblanca docet, minimè docere; ut de Sanchez visum est *suprà*, & de aliis illos legendo patebit.

RESOL. XXXVII.

An mulier experta periculum mortis in partu possit sumere medicamentum, ut sterilis evadat, & non concipiat? Ex p.7. tr.5. Res.33.

§.1. Respondeo negativè, quia sic data opera dicerètur impediri semen à suo naturali fine generationis, parumque, & solùm secundùm magis & minus hoc distaret à seminis effusione extra vas. Vt benè Cajet. 2.2. q.156. art.2. circa solutionem ad 4 §. ad singula autem objecta. Petrus de Ledes. *de matrim. q.49 art. 6. dubio 2. concl.6.* Tabiena *verb. matrim. 3. in fine*, & alij quos citat & sequitur Mazuchellus *tract. de cas. res. disp.2. cap.3. diffic.4. num.24.* Recognosce me ipsum *in p.5. tract.14. resol.90.* ubi probo sterilitatem procurare esse contra bonum prolis nascituræ, & contra ordinem naturæ.

Quæ hic est Res. antecedens, & signanter in fine §. pen. & inf. in res. 45. post med.

RESOL. XXXVIII.

An mulieri gravidæ, quando pro salute nullum aliud superat remedium, liceat indirectè uti medicamentis, ex quibus sequendus sit abortus fœtus inanimati?

Et ad confirmandam doctrinam hujus quæstionis alij diversi casus adducuntur in exemplum, & pro praxi. Ex p.7. tr.5. Res.34.

Sup. hoc sup. in Res.36. §. Nec valet. paulò pòst init. & §. seq. & inf. in res. 43. §. At his. ad fin. 5. &

§.1. Negativè novissimè respondet Mazuchellus *tract. de Cas. reser. disp.2. cap.3. diffic.3. num.9.* ubi sic ait: Ego verò respondeo nullo modo licere præbere Pharmacum eo animo, ut mulier gravida abortiatur etiamsi fœtus sit inanimatus. Et probatur quia si ad periculum matris vitandum liceret aliquando procurare abortum fœtus inanimati, dari etiam posset lege ordin. casus, ut liceret effundere semen extra vas ad vitandam conceptionem seu aliquando liceret aliquid dare mulieri, quo prolis conceptio vitaretur, puta quando fœmina esset experta se in partu probabilissimum mortis periculum subire. Atqui hoc non licet, ut patet ex capite; *Si quis de homicidio*, quo loco decidit, hunc ut homicidam teneri? Tum quia semen frustretur suo fine generationis, ad quam ordinatur; ergo si non licet effundere semen, multo minus licebit fœtum etiam inanimatum per abortum expellere. Tum quia tam intrinsecè mala est abortio, quàm intrinsecè mala est pollutio. Atqui nullo modo licet procurare pollutionem, etiamsi ea ad salutem sit necessaria. Ergo nec licet procurare abortum, licèt hic ad mulieris sanitatem sit omnino necessarius. Tum quia hoc modo liceret puellæ gravidæ ad vitandum periculum vitæ, vel famæ, quod sibi ex partu probabilissimè timeret, abortum procurare. Hucusque Mazuchellus.

2. Sed affirmativa sententia est communis inter Neotericos, eo quòd in tali casu fœtus dicatur aggressor, cùm ille invadat quasi matrem, dum illi periculum mortis creat, eo planè modo, quo pravi humores invadunt naturam; Ergo simili ratione poterit ille expelli & abigi, cùm melius sit illum nondum animatum expellere, quàm matrem extingui. Tum quia licitum est ob salutem totius abscindere partem: sic enim si quispiam esset manu alligatus ad cratem ferream, accedente incendio, vel hoste, licitù illi esset manum præscindere: quod verùm etiam existimavi *in tract. de restit. in partic.* si Tyrannus aliquis, vel Iudex hoc præciperet; sicut Iosephus Clitoni authori rebellionis cujusdam imperavit, ut mox sibi manum abscinderet ut refert ipse Ioseph. *lib.2. de bello Iudai. c.ult.* pro qua sententia citavi Tolet. *lib.5. c.6.* Less. *lib.2. c.9. dub.14. num.101. §. ult.* Atqui fœtus antequam anima informetur est pars ventris: Ergo non est ille conservandus cum tanto discrimine matris, eo vel maximè quòd matre pereunte fœtus ille non animabitur.

3. Sed ad hæc argum. respondet Mazuch. & ad primum asserit, fœtum illum inanimatum non dici aggressorem, alioqui dicendus etiam esset ubi anima esset informatus. Pariter dicendum esset aggressor semen quoties illius abundantia vel retentio moibum crearet: & sic quoties licitum esse procurare abortum fœtus inanimati, licitum jam esset procurare pollutionem ad semen abigendum.

4. Ad secundum respondeo concedendo licitum esse pro conservatione totius abscindere partem; pars enim naturaliter est propter totum: Sed tamen nego fœtum esse propriè partem. Si tamen fœtus esset corruptus, tunc liceret directe illum abigere ad conservandam salutem matris, quia tunc non diceretur amplius fœtus, sed maligna massa.

5. His tamen non obstantibus puto affirmativam sententiam esse probabilem, & tutam in praxi, quam omnium communi calculo admitti testatur Naldus *in summ. verb. Abortus, num.3.* Homobonus, *de cas. reser. part.3. cap.67.* & ideo Trullench *in Decalog. tom.2. lib.5. cap.1. dub.4. num.1.* sic ait: Quòd si fœtus nondum sit animatus, ejúsque expulsio unicum est remedium ad vitam matris, licèt etiam ex intentione quidquid Lessius *lib.2. cap.9. dub.10. num.61.* Filliuc. *infrà citatus, num.101.* & Bonac. *ubi de restitut. disp.2. quæst. ult. punct.7. num.3. sectione 1.* & Pet. de Navarra *lib.2. de restit. cap.3. num.132.*) sumere medicamentum ad illud expellendum: nam vita præsens matris præstat futuræ prolis: Tum etiam quia fœtus inanimati expulsio non est tam intrinsecè mala (sicut est pollutio voluntaria) quin ex aliqua causa possit honestari, cùm in ea delectatio non sentiatur, sicut in seminis resolutio-

ne.

ne. Ita Henriq. *lib.* 11. *de matrim. cap.* 16. *tract.* 8. Navar. *cap.* 26. *num.* 62. quos sequitur Sanch. *tom.* 3. *de matrim. lib.* 9. *disp.* 70. *num.* 9 & Sà verbo homicidium, & alij Hucusque Trullench.

RESOL. XXXIX.

An pro salute matris prægnantis licitum sit aliquando uti medicamentis non directè tendentibus ad expulsionem fœtus, ut sectio venæ, pharmacum, balneum, &c. ex quibus tamen potest sequi abortus fœtus animati?

Et doctrina hujus quæstionis est valde notanda, quia in exemplum supradictæ difficultatis multæ aliæ similes adducuntur, & cursim explanantur. Ex p. 7. tract. 5. Res. 35.

§. 1. REspondeo quod quando talia medicamenta necessaria sunt ad salutem matris possunt licitè adhiberi, quia licèt nefas sit directè occidere innocentem, tamen per accidens ac præter intentionem licitum est aliquando illum occidere, ut constabit ex dicendis sic enim invasus equo considens potest licitè fugere per viam angustam, vel ostium in quo puer aliquis sit necessariò proterendus. Sic in bello justo, ut experientia testatur, ac pariter concedunt Doctores omnes agentes de bello, licitum est bellica tormenta, aut ignes dirigere in arcem, seu urbem, in qua constet esse plures innocentes. Ergo etiam in bello justo contra lethales humores susceptо licitum erit ægroto sumere pharmaca ad salutem deservientia, licet inde prævideatur secutura mors fœtus animati; hoc enim non est intendere occisionem fœtus, sed tantùm illam permittere. Tum quia tam intrinsecè mala est pollutio: quàm mala est peremptio fœtus animati. Sed illam licitum est permittere, ut diximus: ut si valetudinis gratia utendum esset medicamento, aut potu, ex cujus caliditate prævideretur pollutio secutura. Ergo etiam licebit hanc permittere. Tum quia fera invadente potest mater gravida fugere etiam cum periculo abortus; Ergo pari modo invadente morbo poterit sumere phamarcum, etiamsi adsit periculum abortus. Demum verò si proles jam nata materno lacte extremè indigeret, matri verò ad vitam tuendam necessarium esset ubera exsiccare: porrò posset illa exsiccare, etiamsi prævideret mortem prolis secuturam, quia posset uti jure suo. Ergo pari modo pro conservatione suæ vitæ poterit sumere pharmaca, etsi videat talem sumptionem futuram conjunctam cum periculo abortus. Et hanc sententiam cum pluribus ego docui *in* 3. *p. tr.* 5 *res.* 11. quibus nunc addo me citato P. Lugum *de just. tom.* 2. *disp.* 10 *sect.* 5. *n.*... Scip. de Rubeis *in Aphor. Confess. ver. abortus, n.* 3. Layman. *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 4 *n.* 4. & Dicast *de Just. lib.* 2. *tr.* 1. *disp.* 10. *dub.* 13. *n.* 166. ubi sic ait. Licitum erit eas medicinas adhibere, quæ per se & directè ordinatæ sunt ad sanitatem matris quamvis per accidens inde timeatur fœtus occisio, v. g. venæ sectionem, pharmacum ventris purgativum in eo casu, in quo certo medicorum judicio mater cum prole ante ejus nativitem moritura sit, nisi tale medicamentum adhibeatur. Ratio est quia non repugnat rectæ rationi innocentem per accidens, & præter intentionem in casu necessitatis occidere. In prædicto autem casu occisio illa per accidens resultat, cùm enim fœtus pendeat à vita, & salute matris, rarissimèque contingat fœtum vivum edi post matris mortem. Ideò medicamentum quod ad procurandam salutem matris adhibetur, secundariò tendit ad salutem fœtus, licèt per accidens illi noceat: confirmatur exemplo: nemo enim negabit, fera invadente matrem, ipsi licitum fore, imò est in præcepto naturali, ut fuga vitam suam certæ morti expositam liberet, si possit, quamvis cum probabilissimo abortus periculo. Imò ego putarem, si posset illa, & auderet quando aliter effugere non possit, pugnare cum fera, quando spes esset vincendi illam, quamvis cum periculo abortus, id licitum esse. Ergo pari ratione medicamentis pugnare cum ægritudine, tanquam armis, seu lacertis cum fera, etiamsi ex utraque pugna, vel cum fera, vel cum ægritudine immineat periculum probabilissimum abortus. Ita Dicastillus, quidquid alii qui in contrarium asserant.

RESOL. XL.

An idem dicendum sit, quando medicina applicanda æqualiter tenderet ad salutem matris, & ad fœtus abortum?

Et utrum sit licitum in tali casu dicta medicamenta applicare?

Et difficultas est, an cum medicamentum prorsus dubium est, num auxilium, aut mortem sit illaturum, possit adhuc adhiberi si salus infirmæ omnino desperata est, imo Medicus in tali casu tale medicamentum teneatur adhibere, & applicare?

Et obiter quæritur, an si mors certa immineat ab incendio excitato, vel fera invadente licitum sit detento, seu invaso è loco alto se præcipitare cum dubio mortis periculo? Ex p. 7. tract. 5. Res. 36.

§. 1. NEgat. Corduba *in sum. q.* 173. *dicto* 2. Manuel. 1. *to sum. c.* 5. *concl.* 3. *n.* 3 Lud. Lop. 1. *p. instruct. c.* 63. §. *sed in casu dubio.* Vega 1. *to sum. c.* 5. *casu* 3. ea autem potissimum niti possunt ratione, quia hoc esset directè procurare abortum, quoties medicina illa de se tenderet etiam ad abortum. Respondeo tamen, & matrem posse illam licitè sumere, & medicum posse licitè applicare. Ratio est, quia potius jus habet mater ad vitam suam conservandam, quam habet fœtus, cùm hic à matre pendeat, & non è cõtra: Ergo si medicina æqualiter tendat ad salutem matris, & ad necem fœtus, præferri potest vita matris, saluti fœtus: eo etiam maximè quod matre pereunte pene miraculum sit, si fœtus incolumis evadat. Hanc sentẽtiam docet me citato Trullench. *in Decal. tom.* 2. *lib.* 5. *c.* 1. *dub.* 4. *n.* 5. Sanch. *de mat. lib.* 9. *disp.* 20 *n.* 18. qui etiam *n.* 19. concedit hoc etiam esse licitum, etsi medicamentum esset dubium num mortem, an auxilium esset laturum. Ratio est, quia periculum damni est modicum, suppopimus enim desperatam esse salutem; ad summum verò illud damnum sequetur, quòd mors aliquantulum anticipabitur; at lucrum est maximum, si res feliciter cedat, puta, salus matris quæ videbatur desperata; Sic si mors certa immineat ab incendio excitato, vel fera invadente, licitum est detento, seu invaso è loco alto se præcipitare cum dubio mortis periculo. Imò addit Sanchez, medicum in tali casu teneri tale medicamentum applicare, eo quòd teneatur minus malum ægroti eligere: minus autem malum est dubia mors spem aliquam salutis habens, cum aliquali dubio anticipationis, quàm sit mors omnino certa.

2. Rectè igitur ego olim in facti contingentia consului, quod quãdo nulla est spes ut vivus edatur partus, & ex alia parte adest spes sanitatis matris, si adhibeatur remedium illius sanativum, adhiberi posse, etsi tale remedium æquè sit ordinatum ad fœtus mortem & ad matris salutem; tunc enim mater utitur jure suo, nec tenetur vitam exponere, quando nõ est spes salutis proximi. *Dixi si remedium sit æquè sanativũ: nam si remedium sit ex sua natura mortiferum fœtui, & hac ratione solùm sanativum, quatenus est fœtui mortiferum,

Sup. hoc inf. in res. 43 §. Notandũ est hic. ad med. vers. Sed difficultas.

Sup. hoc casu melius in tom. 8 tr. 5. res. 52. à lin. 3.

Et pro contento à vers. Imo hujus. cum eodem Sanch. inf in res. 43 §. Et hanc. in fin.

*Sup. hoc cũ eodem Dicastillo, & aliis in res. seq. & in alio §. ejus not.

non potest licitè adhiberi. Ita docet Dicastillus *de Iust. lib.2.tract.1.disp.10.dub.13.num.169.*

Et contento in hoc §. ult. inf. in Resol.43. §. Et hanc. cursim in fin. §. Notandum est.

3. Sed difficultas, an cùm medicamentum prorsus dubium est, num auxilium aut mortem sit allaturum, possit adhuc adhiberi si salus infirmi omnino desperata sit, ut si in casu nostro mater & fœtus perituri sint, nullúmque apparet auxilium. Et affirmativam sententiam ego cum Sanchez olim docui, quam me citato impugnat Trullench *in Decal. tom.2. lib.5.cap.1. dub.4. num.6.* sed fatetur meam sententiam non esse improbabilem.

RESOL. XLI.

An si adsit spes ut possit fœtus in lucem prodire teneatur mater cum periculo ipsius vitæ supra dicta medicamenta non adhibere, ut fœtus baptizetur?

Et an in prædicto casu mortaliter peccet Medicus contra charitatem talia remedia applicando, & mulier assumendo?

Et si tali remedio non adhibito, valde probabile esset utrumque moriturum; eo vero adhibito probabile esset matrem saltem posse conservari, an in tali casu possit adhiberi? Ex p.7. tract.5. Resol.37.

Sup. hoc in Resol. præterita §. Rectè. & inf. in Resol.43.§. ult.

§.1. REspondeo affirmativè; dico igitur quod si adsit probabilis spes, ut matre ab illis medicamentis abstinente possit fœtus in lucem prodire, & mortaliter peccat contra charitatem medicus talia medicamenta applicando, & mulier assumendo. Et ratio est quia præceptum charitatis illam obligat ad præferendam vitæ suæ corporali vitam spiritualem proximi extremè indigentis, qualis est puer non baptizatus. Vnde Layman *in Theol.mor.lib.3.p.3. c.4.n.4.* sic ait: Si autem fœtus animatus est, medicinas, quæ directè ad fœtus occisionem tendant puta venenum, dilacerationem, &c. adhibere numquam licitum est: cùm hominem innocentem per se, & directe nefas sit occidere; medicinas autem, quæ per se ac directè ordinatæ sunt ad sanitatem matri conferendam, licet per accidens timeatur fœtus occisio, v.g. venæ sectione, pharmacum ventris purgativum adhibere non est illicitum; si certo medicorum judicio mater cum prole ante nativitatem ejus moritura sit, nisi ejusmodi medicamentum adhibeatur. Ratio est, quia innocentem per accidens, & præter intentionem in casu necessitatis occidere, à recta ratione alienum non est. In proposito autem casu occisio maximè per accidens contingit; cùm enim fœtus pendeat à vita, & salute matris, atque rarissimum sit, fœtum vivum progigni post mortem matris; ideo, si ad procurandam salutem matri medicamentum præbeatur, tendit secundario ad salutem fœtus, licèt per accidens illi noceat. Confirmatur: quis enim neget, invadente fera matrem, ipsi licitum fore, imò etiam in præcepto naturali, ut fuga vitam suam certo interitui expositã liberet, sit possit, quamvis cum probabilissime abortus periculo? Verumtamen in casu unico repugnabit charitatis legi, matris vitam medicamento servare cum probabili periculo necandi fœtus, si, non adhibito tali medicamento, de mortua matre credatur, fœtum vivum in lucem edendum; & baptizandum fore. Cujus ratio est, quia ordo charitatis postulat, ut vita spiritualis animati fœtus præferatur vitæ corporali ipsius matris. Ita Layman, cui adde Candidum *in Disquis. tom.1. Disquis.1. art.1. dub.1. n.3.* Trullench *in Decal.to.2.lib.5.c.1.dub.4.n.4.* Lessium *lib.2.c.31.dub.6.n.33.* Sanchez *de matrim.lib.9.disp.20. n.17.* Vnde Dicastillus *de Iust.lib.2.tr.1.disp.10. dub.13. n.168.* sic ait: Tunc autem lege charitatis repugnabit matris vitam medicamento servare cum probabili periculo enecandi fœtus, si non adhibito tali medicamento, & mortua matre, credatur fœtum vivum in lucem edendum, & baptizandum fore. Ratio est, quia ordo charitatis postulat, ut vita spiritualis animati fœtus præferatur vitæ corporali ipsius matris. Hunc tamen casum vix esse possibilem testatur Sanchez *n.17.* Mihi tamen constat, & me ferè præsente bis contigisse, ut mortua jam matre, fœtus ederetur vivus, & baptizaretur. Quorum primum casum, cùm narrassem olim Excellentiss. D. Ioanni Alvarez de Toledo, Comiti Cropesano, paulo post contigit, ut fœmina communis conditionis difficili partu laboraret; at Comes pro insigni sua pietate, & misericordia, qua semper apud omnes commendatus fuit, per duos, trésve dies curavit, ut semper sine intermissione, & Chirurgus aliquis adesset, & Presbyter, ille ut matrem mortuam dissecaret, hic ut fœtum extractum baptizaret. Vtrumque factum est. Ita ille.

2. Nota tamen cum Lessio, quod si tali remedio non adhibito probabile esset utrumque moriturum: eo verò adhibito probabile esset matrem saltem posse conservari, in tali casu licitè posset illud adhiberi.

RESOL. XLII.

An quando mater probabiliter timet esse in statu peccati mortalis, teneatur abstinere à supradictis medicamentis, si speretur, ut dictum est, fœtum in lucem edendum, & baptizandum fore?

Sed tota difficultas est in casu verò, in quo mater moraliter esset certa de sua vita spirituali, an tunc teneatur pati mortem corporalem pro vita spirituali prolis?

Idem dicendum est, quando quis ex justitia tenetur vita spirituali alterius consulere, v.g. in Pastoribus Ecclesiarum tempore pestis, ne subditi fideles sine Sacramento Pœnitentiæ moriantur. Ex part.7. tractatu 5. Resol.38.

§.1. AFfirmativè respondet Eminentiss. D. meus Card. de Lugo *de Iust.to.1.disp.10.sect.5.n.133.* ubi sic ait: Dixi attento ordine solius naturæ, quia difficultas est, an attento ordine gratiæ id licitum sit: videtur enim obligari mater ad abstinendum tali remedio, ne filius in utero moriatur absque baptismo, cùm debeat salutem spiritualem sui filij propriæ vitæ temporali præferre, juxta supradicta, quare Turrianus, *n.33. & seqq.* dicit, si mater ipsa probabiliter timet, se esse in statu peccati mortalis, & damnationis, non teneri ob spiritualem salutem filij astinere ab illo remedio, quia non tenetur vitam spiritualem propriam contemnere pro vita spirituali alterius, quando vero certa esset de sua salute æterna, & certum etiam esset, filium consecuturum animæ salutem eo modo: quæ duo rarò, inquit, poterunt evenire, tunc matrem obligari ad ferendam mortem, ejúsve periculum subeundum propter salutem spiritualem filij.

Quoad hæc videtur inutilis in rect. sed dubia. Fide

2. Hæc tamen distinctio quoad utramque partem videtur inutilis: quoad primam quidem, quia si mater timet probabiliter se esse in statu peccati, non ideò à procuranda salute spirituali filij excusatur, sed potiùs ad eum finem obligatur ad procurandum statum gratiæ, ad quem potest se per contritionem, & sacramenta præparare. Alioqui nec Parochus, nec ullus tenetur etiam ex officio ad subveniendum proximis in extrema necessitate spirituali cum periculo vitæ, quando probabiliter timerent se esse in statu peccati mortalis, quod falsum omnino est: tenentur enim se constituere in statu gratiæ, ut debito modo suo muneri satisfaciant. Quoad secundam etiam partem distinctio illa non subsistit, quia si ad hujusmodi obligationem requireretur

quiretur certitudo de propria salute, & certitudo de salute futura proximi, vanum ferè & metaphysicum magis quàm morale redderetur præceptum illud, quod debemus pro nostris proximis (scilicet ad minus extremè indigentibus) animas nostras ponere, si solùm obligaret quando aliquis certus esset de propria salute æterna acquirenda, si tunc moriatur; quotus enim quisque hoc de se scire potest.

3. Melius ergo P. Sanchez, *ubi suprà num.* 17. dixit peccare contra charitatem matrem ejusmodi medicamentum assumendo casu quo spes probabilissima à Medicis conciperetur, fore ut matre cum vitæ suæ periculo ab iis medicamentis abstinēte, fœtus in lucem prodire posset, ut baptizaretur; è contra verò adhibitis iis medicamentis, fœtus sine baptismate periret. Addit tamen hunc casum rarissimum esse, ac moraliter impossibilem, quia matre lethaliter ægrotante, humores corrumpuntur, & inficiunt alimentum, quo fœtus nutriendus erat, itaut penè miraculum sit, matre pereunte fœtum incolumem remanere. Hucusque Lugo.

4. Non desunt tamen Doctores contrariam sententiam tenentes, quam novissimè tuetur Ludovis. Casspensis *in Curs. Theol. tom. 2. tr. 18. sect. 5. n. 139. & seq.* ubi sic ait. Vbi solùm agitur de corporali vita filij & matris; etiam post animationē, licitū est matri sanguinem mittere; quia mater habet jus ad suum sanguinem tanquam scilicet servientem sibi neque tenetur illum intra se retinere cum tanto sui periculo, ut conservet vitam filij: sicut neque post natum filium tenetur mater retinere lac, etiam si necessarium sit vitæ prolis jam natæ ex utero. Deinde judicante Medico etiamsi matri non applicetur remedium ad sanguinem mittendum, fœtus nihilominus non esset vivus nasciturus, tunc bene & licitè posset remedium illud applicari ad sanguinem fundendum; tunc enim jam non agitur de vita corporali prolis.

5. Secundò dicendum est, non teneri matrem pro salvanda vita spirituali filij, pati mortem corporalem, scilicet ad hoc ut filius baptizetur, quando ipsa timet probabiliter se esse in peccato mortali: non enim tenetur vitam spiritualem propriam contemnere pro vita spirituali alterius. In casu verò in quo mater esset moraliter certa de sua vita spirituali, est tota difficultas, an tunc teneatur pati mortem corporalem pro vita spirituali prolis, cujus decisio pendet ex communi quæstione, an pro salute spirituali proximi, teneamur propriam corporalem vitam perdere? Et multi affirmant esse scilicet obligationem. Alij verò dicunt hoc esse verum quando quis ex justitia tenetur vitæ spirituali alterius consulere v. g. in Pastoribus Ecclesiarum tempore pestis, ne fideles subditi sine sacramento Pœnitentiæ moriantur. Alij autem docent, quamvis in aliis casibus sit talis obligatio, negant tamen in nostro casu: & utraque sententia est probabilis, & tuta. Ita Caspensis.

Sup. hoc in num. 1. tr. 1. lege doctr. Res. 2. & Sectarum ejus primæ ante.

RESOL. XLIII.

An liceat procurare abortum ad evitandum periculum vitæ, & infamiæ alicujus puellæ prægnantis?

Et quando mater in aliqua infirmitate post fœtus animationem periculosè laborat, & nullum aliud remedium sit, an possint prabere ei medicamenta directè tendentia in curationem, ut sectio venæ, balnea, pharmacum, &c?

Sed difficultas est, quando medicamenta aquè tendunt ad salutem matris, & ad mortem fœtus, ubi salus infirmæ omnino desperata est & fœtus etiam periret, an inquam in tali casu supradicta medicamenta liceat prabere?

Et aliqua alia contingentia circa hoc notantur & tandem docetur, quod non sint adhibenda medicamenta dubia in supradicto casu. Ex p. 3. tract. 5. & Misc. 1. Res. 11.

§. 1. NEgativam sententiam docent Tannerus *in* 2. 2. *D. Thomæ, disp. 4. q. 8. & dub. 4. n. 58.* Sanchez *de matrim. tom. 3. lib. 9. disp. 20. num. 10.* Sylvius *in* 2. 2. *D. Thom. q. 64. art. 7. quæritur 4. concl. 3.* Finellius *tract. de cas. ref. part. 2. cas. 5. v. abortus, §. 1. n. 3.* Azorius, & Zanardus *ubi infra*, Bellochius *in praxi Theol. mor. p. 2. q. 8. n. 78.* Filliucius *tom. 2. tract. 29. cap. 6. n. 130* & alij. Ratio est, quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona, & unde nullo bono fide honestari potest abortus.

Sup. hoc in duabus Res. seqq. & sup. in Res. 38. §. 1. cursim in fin. & lege etiam doctr. Res. & § not. seq. & Res. not. 1. post seq.

2. At his non obstantibus aliqui ut notat Zanardus *in direct. conf. part. 1. de sacram. matrim. cap. 41. q. 17.* & Azorius *tom. 3. lib. 1. cap. 4. q. 1.* docent in tali casu licitum esse procurare abortum, quia cum fœtus non sit animatus, nulli fit injuria si procuretur remedium, ne concipiatur. Deinde probabiliter asserunt Aragon, Sayrus, Lessius, Henriquez, & Reginaldus, Sanchez, & alij, quos citant, & sequuntur Layman *in Theolog. mor. lib. 3. sect. 5. tract. 3 part. 3. cap. 4. num. 4.* & Homobonus *tract. de cas. reser. part. 3. c. 4.* * quod quando aliud non suppetit remedium pro salute infirmæ matris, potest quis licitè procurare abortum, si fœtus nondum est animatus. Ergo etiam facere licitum erit in nostro casu. Negat hanc consequentiam Sanchez & adducit disparitatem rationis.

* Sup. hoc sup. in Res. 36. §. Nec valet. à lin. 7. & in Resolut. 38. quamvis in ista vltima Res. sit pro fœtu etiam animato.

3. Sed illum impugnat doctissimus Pontius *de matrim. lib. 10. cap. 13. num. 2.* ubi sic ait. Si licet evacuatio fœtus nondum animati ad vitandam mortem matris, & restituendam sanitatē, liceret etiam procurare abortum nondū animatum, cùm ad famam, & statum conservandum opus erit; casus enim sese offerre potest adeò premens, ut nullo alio modo possit mulier eripi, nisi abortu fœtus nōdum animati, quod tamen Sanch. non vult admittere, sed nullo convenienti assignato discrimine. Ita Basilius. Vnde vel negandum in utroque casu licitum esse procurare abortum, ut negat Basilius, vel concedendum est in utroque casu licere, & hoc ultimum novissimè docet Franciscus Torreblanca *de mag. lib. 2. c. 43. n. 10.* ubi sic ait. Quando ex partu concepto evidens periculum apparet, vel quod puerpera soleat ad extremum deduci, aut nimis arcta sit, aut fama ejus lædatur, aut aliter vitæ discrimen, vel existimationis possit subire, bene poterit poculum abortionis præberi, dum fœtus tamen non erit animatus. Ita Torreblanca, qui, ut vides, apertè docet licere procurationem abortus ad tuendam vitam, vel honorem puellæ prægnantis, Sed an hæc opinio sit probabilis, judicent viri docti, mihi enim omnino non placet. Sed quia incidit sermo de abortu.

4. Notandum est hìc obiter, quòd si mater in aliqua infirmitate post fœtus animationem periculosè laboraret, & nullum aliud remedium sit, possunt præberi medicamenta directè tendentia in curationem, ut sectio venæ, contra Pontium *de matrim. lib. 10. cap. 14. n. 6.* & Vasquez *opusc. de restit. cap. 2. §. 1. dub. 7. n. 28. & c. 5. §. 2. dub. 6. n. 23.* etiam balnea, & pharmaca ad purgationem ventris; quia mater habet jus ad talia medicamenta, licèt indirectè, & per accidens ex illis sequatur mors fœtus. Ita communiter DD. Sed difficultas est, quando medicamenta æquè tendunt ad salutem matris, & ad mortem fœtus, ubi salus infirmæ omnino desperata est, & fœtus etiam periret; an inquā, in tali casu liceat supradicta medicamenta præbere? Negativè respondent Corduba, Lopez Rodriquez & Vega apud Sanchez *de matr. tom. 3. lib. 9. disp. 20. n. 19 & 20.* at ipse affirmativam sententiam docet etiam in casu dubij.

Sup. hoc sup. in Res. 38. & 39.

Sup. hoc sup. in Res. 40.

Sup. hoc casu dubij ibidem § Sed difficultas, & in fin. §. Et hanc. hujus Res.

5. Et hanc sententiam docent etiam Ioan. de la Cruz *in direct. part. 1. præcept. 5. q. 1. dub. 7. concl. 3. & 4.* & Villalobos *in sum. tom. 2. tract. 12. dub. 13. num. 2.* ubi sic asserit. [Quando la medicina ygualmente se orde-

na à la salud de la madre, y à la muerte de la creatura, no haviendo otro remedio para librar la madre, es licito tomarla: porque se ha de preferir la vida de la madre, y muerta ella à maravilla vivira la creatura, y lo mismo digo, quando el medicamento es dudoso.]

Sup. hisseqq. in hoc §. sup. in Resol. 40. §. 1. in fin. & §. Sed difficultas.

Si igitur de vita matris, & fœtus omnino desperatum sit, licitum erit medico, & ad id tenetur, ait Sanchez, applicare medicinas ad matris salutem & ad fœtui nocendum ejusque abortum: imò etiam si medicamenta sint dubiâ, auxiliùm, vel mortem potius sint illatura, in tali eventu melius est anceps auxilium experiri, quàm omni spe destitutam, sinere infirmam perire.

Sup. hoc sup. in Resol. 10. §. Rectè. in fin. & in Resol. 41.

6. Notandum est tamen cum Lessio *lib. 2. c. 9. dub. 10. num. 63.* & aliis communiter, quod quando proles est animata, illicitum erit, præbere matri medicamentum directè curativum cum notabili periculo prolis, si certum erat, vel valde probabile, prolem sine illo vivam edendam. Sed Sanchez *ubi supra de matr. tom. 3. lib. 9. disp. 20. n. 17.* existimat casum hunc rarissimum esse, ac moraliter impossibilem; matris enim morbo laborantis lethali, corrupti humores alimentum quo puer nutriendus est, ita inficiunt, ut penè miraculum sit, matre pereunte fœtum incolumem evadere. Sed ad alia procedamus.

RESOL. XLIV.

An ad evitandum periculum vitæ, & infamiæ puellæ prægnantis, sit licitum procurare abortum, si fœtus non sit animatus? Ex part. 6. tract. 8. & Misc. 3. Resol. 37.

Quæ hîc est Resol. antecedens, & in Resol. seq. & sup. in Resol. 38. §. 1. in fin. sed lege eam à princ. & §§. ejus primæ not.

§. 1. PRo affirmativa sententia *in 3. part. tract. 5. resol. 11.* adduxi Torreblancam *de Magia, lib. 2. cap. 43. num. 10.* & quidem putabam suam sententiam à nemine sequendam esse, sed deceptus sum, nam illam postea docent Leo Zambell. *in Repertorio Morali. verb. Medicus n. 11.* Bordon. *in Consiliis Regul. resol. 45. q. 4. n. 4. in fine.* Et hanc sententiam tanquam probabilem admittit novissimè Magister Lezzana *in summa Quæstionum Regularium, tom. 3. verb. Abortus, n. 5.* ubi sic ait. Peccatum grave est procurare abortum etiam in casu quo fœmina Nobilis, aut Monialis cum viro peccaverint, & timent mortem vel infamiam, vel scandalum si gravidæ fiant, non enim sunt facienda mala, ut veniant bona, & est contra ordinem impedire conceptionem fœtus, nam semen & copula à natura sunt instituta ad prolis conceptionem & generationem. Dicit tamen Azorius oppositam esse opinionem aliquorum, quos nō refert, quam credo probabilem solùm in eo casu quo nullo alio omnino modo, nullavè via impediri posset infamia, aut mors talis fœminæ, tum enim non videtur esse intrinsecè malum procurare abortum fœtus inanimis, aut impedire conceptionem ipsius. Ita Lezzana, cui etiam addendus est Ægidius Trullench *in Decalogum, tom. 2. lib. 5. cap. 1. dub. 4. n. 1.* sic asserens. Aliqui existimant si aliud non suppetat remedium, licere procurare abortum fœtus tamen inanimati ad evitandum periculum vitæ, & infamiæ puellæ prægnantis, sicut diximus licere ad evitandam mortem naturalem. Hæc autē opinio non omnino placet Dianæ, & meritò quidem, non tamē videtur improbabilis. Ita Trullench. Et tandem non desinam hic adnotare, quod consultus de hoc casu à viro nobili, & fide digno testatus est mihi doctissimum Theologum Societ. Iesu quem ego scio, respondisse, ut supradictum est licitum esse pro salvanda vita & honore puellæ prægnantis procurare ejus abortum ante fœtus animationem. Sed adhuc ego non discedo à sententia negativa, quam supra docui, & docet novissimè pluribus citatis, & me etiam relato Pater Thesaurus *in Praxi, part. 2. verb. Abortus, cap. 1. limit. 3.* ubi testatur hanc sententiam esse communem inter Theologos, & Iuristas, quod etiam fatetur Eligius Bassæus *in florib. Theolog. præt. verf. Aborsus, num. 1.* & contrarium esse improbabile tenet doctissimus, & amicissimus Pater Magister Candidus *in Disquis. Mor. to. 2. disquis. 1. art. 1.* Imò audio, si verum est, fuisse damnatum in Congregatione Sancti Officij.

RESOL. XLV.

An pro tuendo honore, & vita pullæ prægnantis licitum sit sine timore censurarum procurare abortum fœtus animati?

Et an doctrina hujus quæstionis vera sit, in fœmina cujuscumque conditionis id est, si Monialis sit & Deo sacra, aut Nobilis, aut etiam si scandalum timeatur?

Et quid postquam natus est fœtus, an licitum sit eum occidere, vel suffocare, ne reveletur peccatum? Ex p. 7. tract. 5. Resol. 32.

Quæ hic est. Resol. antecedens, & in alias seq. & sup. in Resol. ejus annot.

§. 1. PRo probabilitate partis affirmativæ adduxi aliquos DD. *in p. 6. tr. 8. * resol. 37.* Sed ego illam prorsus improbabilem puto; Et idcò negativam sententiam novissimè meritò docuit Ludou. Caspensis *in curs. Theol. tom. 2. tract. 18. disp. 3. sect. 5. n. 40.* ubi sic ait. Non tamen est licitum applicare matri medicinas præfatas, quando non periclitatur vita matris ex malis humoribus, vel ex abundantia sanguinis: unde si tales medicinæ sumantur ad abortum fœtus, vel impediendam generationem, quia alias si detegatur peccatum matris, occidetur à marito, vel à propinquis. In hoc ergo casu non licet sumere medicinas, vel applicare, propter vitandam mortem matris cum periculo mortis fœtus: sicut neq; postquam natus est, licitum est illum occidere vel suffocare ne reveletur peccatū. Ratio est, quia tunc fœtus non est aggressor, ut ita dicam, sed mater ipsa est causa sui periculi provenientis ab extrinseco. Unde patet minus licitum esse procurare abortum ad vitandam infamiam, vel propter periculum quod mater est experta aliquando in ipso partu. In his ergo casibus, neque per accidens, neque indirectè licet fœtum occidere, vel exponere mortis periculo; esset enim talis mors voluntaria, etiam per accidens intenta. Ita Caspensis, cui adde Scipionem de Rubeis *in Aphor. Episc. ver. Abortus n. 3.* Mazuchel. *tr. de cas. res. disp. 2. c. 3. diff. 4. n. 24.* & Dicastillum *de Iust. lib. 2. tr 1. disp. 10. dub. 13. n. 173.* qui addit hoc verum esse in fœmina cujuscumque conditionis, id est etiamsi nobilis sit, aut monialis & Deo sacra, aut etiamsi scandalum timeatur. Probatur primò, quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Secundò quia hoc est contra naturam generationis; fœmina verò sibi imputet periculum mortis vel infamiæ. Et ita hanc sententiam me citato tenet novissimè noster P. Alphonsus de Leone *de censuris Recollect. 7. n. 18.*

Sup. hoc sup. in Resol. 36. & 37.

RESOL. XLVI.

An licitum sit suadere abortum, quando mulier gravida parata est se occidere ad infamiam vitandam? Ex p. 7. tract. 5. Resol. 39.

§. 1. NEgativè videtur respondendum ex P. M. Candido *in Disquis. tom. 1. Disquis. 1. art. 2. dub. 2. n. 5.* ubi nostra sententia non videtur admittere consilium ad minus malum. Sed ego teneo affirmativam sententiam cum Mazuchello *tract. de cas. reserv. disp. 2. cap. 3. quæst. 3. difficult. 1. num. 63.* ubi sic ait. Quoties pater esset animo firmatus, ac determinatus occidere filiam suam, quam gravidam comperisset ex praevo

vo concubitu; vel filia ipsa esset parata seipsam occidere ad infamiam avertendam, nec alio modo posset ab hac voluntate averti: in tali casu liceret consulere, & inducere ad abortum procurandum, quia hoc non esset inducere ad malum, sed ad electionem minoris mali, quæ bona est. Ita ille. Et licet multi negent non esse suadendum minus malum, ad evitandum majus, tamen hoc posse fieri magis probabiliter asserunt alij: Et ita novissimè tenet Eminentissimus Dominus meus Cardinalis de Lugo *de Iust. tom. 1. disp. 19. sect. 2. §. 2. num. 43.* ubi sic ait. Hæc quæstio supponit illam aliam, an volenti facere gravius peccatum liceat consulere minus? In qua quæstione multi absolutè negant id licere, Antoninus, Gabriel, Sylvester, Cajetanus, Conradus, Covarruvias, Valentia, Angles, quos affert Thomas Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 11. num. 14.* qui eam sententiam satis probabilem putat. Alij tamen communiter, quos idem Sanchez refert, & sequitur *num. 16* dicunt, cum debitis circumstantiis id licitum esse: nempe quando ille cui id consulitur, firmum animum habebat utrumque, vel certè gravius malum faciendi, nec aliter potes illum avertere à graviori malo. Ratio autem est, quia consilium illud non est absolutum sed conditionatum explicitè, vel implicitè scilicet, si unum ex his facturus es, fac hoc minus, & non illud gravius, quod quidem verissimè, & rationaliter consulitur: quia ex duobus malis minus malum est eligendum. Ita ille.

& in tom. 8. tr. 7. vide doctr. Res. 30.

In indice primo hujus Tom. 5. in fine tract. 6. de Abortu, sunt pauciss imæ Diffic. quæ simul pertinent ad hunc prædictum tractat. 6. de Abortu, &c.

TRACTATVS SEPTIMVS,

DE SIMONIA,

ATQVE DE DATIS,

ET PROMISSIS SVPER BVLLAM GREGORII XIII.

RESOLVTIO PRIMA.

An si quis cum Pontifice sciente committeret simoniam incideret in panas, si Papa expresse cum ipso non dispensaret?

Ex quo infertur, quod si statuto Episcopi caveatur, quod ludens ad hazardum sit excommunicatus, ludens cum eodem Episcopo, qui statutum edidit, an sit excommunicatus, etiamsi Episcopus non incidat in panas statuti?

Etiamque advertitur, quod si Princeps sciens aliquem esse inhabilem ad dignitatem, quam ei conferre intendit, ipso facto, quo ei confert, tacitè, implicitéque videtur eum capacem reddere, & cum eo dispensare.

Et tandem quæritur, an Pontifex incurrat crimen, & pœnas simoniæ juris positivi? Ex part. 10. tract. 16. & Misc. 6. Res. 16. alias 15.

§. 1. hoc in tom. 3. tr. 2. Sect. 44. §. 4. & quoad hoc lege inf. Resol. 15. signanter in fin.

AFFIRMATIVAM sententiam docet Paludanus *in 4. d. 25. quæst. 4.* Sylvest. *in verb. simonia quæst. 4.* Aurea Armilla *in eodem verb. in fin.* Dominicus à Soto *lib. 9. de Iust. & jure quæst. 5. art. 2.* Petrus de Aragon. *in 2. 2. S. Thomæ q. 100. art. 1. versus fin.* Greg. de Valent. *in eadem in q... punct. ult.* Angelus *in verbo simonia 5. §. 7. 8. & infra verb. illo 7. §. 5.* S. Antonin *2. part. tit. 1. cap. 5. §. 2.* Felinus *in hoc cap. & in cap. De cætero col. fin. de re judic.* Turrectem. *in d. cap. latorem. num. 4.* Martinus Navarr. *loco citato*, & ejus Discipulus Didac. Covarr. *in relect. cap. Peccatum de reg. jur. in 6. part. 2. §. 8. num. 9.* Cosmus Philiarcus Theologus Florent. *tom. 1. de offic. Sacerdotis lib. 6. cap. 3. concl. 5.*

Atque hæc est communior, receptiorque opinio. In partem negantem iverunt Adrian. *quodl. 9. art. ult. ad 4. principale.* Ioannes Major *in 4. d. 25. quæst. 3.* In hanc partem allegatur à Panormit. etiam Ioannes Andreas *in regul. cui licet de reg. jur. in 6. Mercurialis.* Vbi ad propositum facit, quod ait in simili. Si Episcopi statuto caveatur, quod ludens ad hazardum, sit excommunicatus ludens cum Episcopo, qui talem statutum edidit, excommunicatus est, etiamsi Episcopus non incidat in pœnam statuti. Cardinalis Cajetanus *2. 2. quæst. 110. art. ultimo.* anceps est in hac dubitatione. Vtriusque sententiæ argumenta ponit, & solvit. Et quidem dispensatio est actus potestatis legislativæ, atqui Pontifex admittens simoniam, si aliud non dicat non utitur hujusmodi ullâ potestate; sine dispensatione autem manent in suo vigore leges pœnales respectu subditi; ergo in proposito ejusmodi pœnas incurrit. Deinde, etiam si Papa salutet excommunicatum verbo, osculo, literis, aut alio quovis modo cum ipso communicet, non propterea eum censetur absolvere, ut apertè definitum est Clementina, si summus Pontifex; De sententia excommunicationis.

2. Sed, ut verum fatear, ego negativæ sententiæ adhæreo, dico igitur, quod Pontifex scienter committens cum alio tertio simoniam, ipso facto dispensat cum eodem, ut non incidat in pœnas à Canonibus latas contra simoniacos, secundum affirmantem, communiorem, & veriorem opinionem. Ratio est, quia scientia Principis purgat hoc crimen, quantum ad eas pœnas, quæ sunt juris positivi. Quandoquidem Princeps sciens aliquem inhabilem ad dignitatem, quam ei conferre intendit, ipso facto, quo ei confert, tacitè, implicitéque videtur eum capacem reddere, & cũ eo dispensare, juxta dicta à Bart. *in l. Barbarius n. 12. ff.*

de offic. Prat. Felinus *in cap. præterea num. 9. de testibus cogendis.* Panormitan. *in cap. in cunctis §. Infer. & in cap. Innotuit. colum. 4. de elect.* Roman. *in cons. 327.* & alios alibi. Atque causa ejus reddi potest: Quia alias actus Principis esset illusorius, nullumque effectum sortiretur, quod est absurdum, idcóque non dicendum. Ex hac conclus. infero cum Paludan. & post eum S. Anton. & aliis, quod si quis acciperet beneficium in Curia Romana, & conscientiam haberet de scientia Papæ confirmantis, pœnitendo de peccato, non teneretur resignare, sed posset retinere. Ad illud allatum à Ioanne Andrea de ludente cum Episcopo, qui tulit excommunicationem in sic ludentem, & Respondet Sylvest. & alij quidam, in primis de Episcopo, quod ipse non potest secundum aliquos facere, ut stante statuto suo contraveniens non ligetur: quod tamen Pontifex potest: Vel aliter, quod Episcopus ludendo cum aliquo etiam præsumptivè dispenset, ut ille impunè cum eo ludat sicut etiam Pontifex secundum prædicta implicitè, & præsumptivè dispensat in simonia ejus, qui eandem secum committit. Et ideò hanc sententiam præter Doctores citatos sustinet Lessius *lib. 2. cap. 35. dub. 5. n. 32.* Covarruvias *ad regul. peccatum part. 2. §. 9. n. 9.* & Ioannes VVigers *de just. tract. 7. cap. 4. dub. 5. n. 23.* Malderus *tract. 9. cap. 3. dub. 4.* Navarra *de Rest. lib. 2. cap. 2. num. 434.*

Alibi in Resol. 1. not. præcedit.

Sup. hoc ibidem.

3. Sed si aliquis inquirat, an Pontifex incurrat crimen simoniæ juris positivi. Aliqui existimare videntur peccatum simoniæ juris humani non posse in Pontificem cadere. Suarez *tom. 1. de Relig. 4 de simonia cap. 52. num. 4.* dicit, quod Pontifex summus possit facilè vitare simoniæ vitium, etiamsi venditiones, vel contractus faciat circa res spirituales, qui jure tantùm Ecclesiastico simoniaci effecti sunt, Bonacina autem *quæst. 5. numero 5.* dicit quod possit Pontifex culpam simoniæ Iure Canonico prohibitivo contrahere, si rei naturam præcisè spectemus; ulterius vero significat, quod tamen de facto nunquam contrahat; in quod etiam inclinari videtur Suarez: fundamentum horum est duplex, puta quod Pontifex præsumatur secum dispensare, quando facit tales contractus. Sed Suarez magis placet aliud fundamentum, quod materiæ illæ illorum canonum non æquè concernant Pontificem, & inferiores Prælatos, ac fideles: quod certè universaliter non videtur verum; non enim apparet quare, materia quæ cadit sub prohibitionem de non vendendis beneficiis, & spiritualibus officiis non æquè concernat summum Pontificem, quando necessitas, aut utilitas Ecclesiæ id non requirit, ac inferiores Prælatos, imo videretur multo magis ipsum concernere, quandoquidem habeat longe plura, & quæ majoris sunt momenti conferenda, & ex quorum sana distributione magis pendet commune bonum Ecclesiæ. Neque ad rem facit quod habet Bonacina, quod nullus supremus Reipublicæ, Princeps prohibeatur vendere officia vendibilia suæ Reipublicæ, quia etsi id verum esset, sepositâ omni prohibitione positiva, si tamen ipse cum Senatu Regni judicasset, esse contra bonum Regni talia vendere, & sic universalem prohibitionem fecisset, teneretur ipse quoque lege illa ut directiva, & delinqueret, si absque rationabili causa contrarium faceret; quemadmodum in aliis legibus æquè Principem & subditos concernentibus. Et hæc omnia docent Lessius, & Vvigers *ubi supra.* Sed cum Suarez, & Bonacina concurrit Malderus *loco citato:* Verùm quidquid sit de hoc, certum est, quod numquam Pontifex incurrit pœnas jure Ecclesiastico constitutas contra simoniacos, ut excommunicationem, suspensionem, inhabilitates, &c. Ita docent communiter Doctores: Vide etiam præter alios supra adductos Petrum Binsfeldium *in cap. 1. de simonia, quæst. 2. per totam.*

Sup. hoc in tom. 6. tr. 3. lege doctr. Resol. 202. & 55. ejus not.

RESOL. II.

An in simonia detur paruitas materiæ, ita ut hoc peccatum possit aliquando esse veniale, & adducuntur multi casus in exemplum, & pro praxi hujus difficultatis?

Et an excommunicatio Extravag. 2. de simonia, & Const. Pij V. incurratur per simoniam, qua videtur esse parua ex parte pretij? Ex p. 5. tr. 5. Resol. 2.

§. 1. NEgativam sententiam mordicus docet Suar. *de Relig. tom. 1. lib. 4. cap. 3. num. 5. & sequent.* quia neque ex parte rei spiritualis, nec ex parte pretij potest ita diminui hoc peccatum. Primum patet, quia nullum donum gratiæ, quantumvis parvum videatur esse posse vendibile sine gravi irreverentia Dei, & ipsiusmet doni, quod licet in suo ordine sit parvum, nihilominus non potest contemni, neque conculcari sine gravi culpa, & eadé ratione nec vendi potest sine culpa, quia per hoc gravissimè contemnitur, & tanquam quid vile tractatur. Et quantum est ex parte talis actionis subtrahitur à gratuita donatione Dei. Nam quod pretio potest æstimari ac dari, non reputatur tanquam pendens ex gratuita donatione Dei. Unde sicut laberetur gravissimè, qui vel minimum opus pietatis sibi tribueret, & non gratuitæ donationi Dei, neque in tali cogitatione potest inveniri levis materia: ita graviter peccat semper, qui donum aliquod gratiæ, etiamsi minimum esse videatur, venditioni exponit. Sic existimo esse peccatum mortale vendere vel minimum unum cereum, agnum, vel pro vero pretio unam orationem Angelicam, vel aliud simile spirituale facere, aut conferre. Multóque certius est esse peccatum mortale, primam Tonsuram pretio dare, licèt in gradu Ordinum videatur quid minimum, idémque est in similibus. Idem facilè ostendi potest ex parte pretij, nam illud magnum fit eo ipso quòd apparet gravis deformitas, quia tunc ex utroque capite satis magna est materia talis delicti. Item illud est magnum lucrum temporale, & est turpissimum, quia per abusum rei spiritualis acquiritur; est ergo grave peccatum.

Sup. hoc ibidem tam cum eodem tamen hic adducto quam in n. 2. tr. 6. de Sacram. in gen. n. 2. infra.

2. Dices rationem hanc probare solùm ex parte vendentis, nam ille qui emit, nihil lucratur temporale, sed potiùs jacturam patitur. Respondeo primò ementem peccare saltem ex priori capite, quia rei spirituali injuriam facit, & quo majus pretium dat, eo, ut sic dicam; minus gratis vult illam habere, atque ita vult habere gratiam non gratis, quod, perversum est (ut dicitur *in cap. gratia 1. quæst. 1.*) etiam in minimo dono gratiæ, & deinde cùm emere, & vendere correlativa sint, si venditio est simoniaca, etiam emptio; & si una est gravis, etiam altera, saltem per quandam societatem & cooperationem: si autem pretium sit vile, eò magis videtur vilipendi, & contemni res spiritualis, quæ sic venditur, æquiparatur enim pretio temporali, & quia in suo ordine parua esse videtur, vili pretio danda, aut comparanda censetur. Itaque cujuscumque quantitatis sit id, quod pro re spirituali datur, si revera ut pretium datur, & accipitur, simonia est, & per eam gravis irreverentia fit rei sacræ, & ideo non potest excusari à peccato mortali propter materiæ levitatem. Et hæc omnia docet Suarez; cui etiam addè Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez *in sum. lo. 1. lib. 1. cap. 4. num. 1.* quibus ego addo Castrum Palaum *tom. 1. tract. 2. disput. 2. punct. 7. num. 4.* Layman *lib. 4. tract. 10. cap. 8. num. 4.* Sancium *in selectis disput. 15. num. 14.*

*num.*14. Baldellum *tom.*1.*lib.*3.*disput.*14.*num.*12. Homobonum de Bonis *in consultat. moral. vol.*2. *part.*5. *respons.*139. Molfesium *in summa tom.*1. *tract.*8. *cap.*8. *n.*67. Alphonsum de Leone *de offic. Confess. part.*1. *recollect.*7. *num.*36.

3. Non desinam tamen hîc apponere verba Iacobi Gordoni *in summa tom.*2.*lib.*8.*quæst.*7.*cap.*3. *num.*7. ubi sic ait. Collegit Suarez hoc peccatum tam esse in suo genere grave & mortale, ut non possit esse veniale ex levitate materiæ, sive pretium, sive rem sacram intelligas per materiam. Ratio sit, quia minima materia magnam habet indignitatem, & injuriam annexam, si vendatur, v. g. guttula aquæ benedictæ: contractus porrò & pactio, quia habet sufficientem libertatem, non sit ex inconsideratione sola, itaque est quædam ignoratio, quæ facere potest ut sit veniale, ignorantiam intellige culpabilem, sed venialem; hæc quidem probabiliter dicuntur loquendo de pretio, imò res spiritualis, quò minori datur pretio, eò vilior reputatur, & idem plures docent de morosa delectatione, & de blasphemia. Sed quidquid nunc sit de aliis rebus, certè in hac materia Religionis, præsertim extra gratiam & Sacramenta, durum videri potest, minimam sacram materiam trahere secum gravissimam Dei offensionem, & tantopere à Patribus exaggeratam, cùm etiam intra latitudinem Religionis sint multa alia peccata, quæ fiunt venialia ex levitate materiæ. Hucusque Gordonus Et ideo in peccato Simoniæ dari paruitatem materiæ, docet etiam Reginaldus *tom.*2. *lib.*23. *cap.*15. *num.* 219. Molina *tom.*1. *tract.*2. *disputat.*92. *num.*5. Vnde puto utramque sententiam probabilem esse. Et Bonacina *de legib. disp.* 10. *quæs.*2. *punct.*8 §. *inciden. num.*13. stando in hac sententia secunda putat in Simonia materiam paruam excusantem à mortali esse illam, quæ excusaret in furto, sed hoc remittendum esse arbitrio prudentis putat Merolla *tom.* 1. *disput.* 2. *cap.*4. *dubit.*7. *num.*116.

4. Notandum est tamen, quòd stando in prima sententia; quæritur an excommunicatio *Extrav.* 2. *de simonia, & Const. Pij V.* incurratur per Simoniam, quæ videtur esse parua ex parte pretij? & ex Navarro *consilio* 51. *de simonia*, respondet affirmativè Suarez *ubi suprà cap.*56. *num.* 8. quia illa simpliciter est peccatum mortale, & ideo est causa sufficiens talis censuræ. Sed stando in secunda sententia in tali casu dicendum est excommunicationem non incurri.

RESOL. III.

An pœna contra simoniace ordinatos extendatur ad eos, qui prima Tonsura initiati sunt?
Et an suspensio, qua puniuntur simoniace ordinati incurratur per susceptionem cujuslibet Ordinis?
Et an ordinatus, sit irregularis? Ex part. 11. tract. 5. & Misc. 5. Resol. 17.

§.1. Affirmativè respondet Layman *lib.*4. *tract.*10. *cap. ult.* §. 7. *num.* 11. ubi sic asserit; Quod attinet ad simoniam realem & completam in ordine; per eam incurritur in primis excommunicatio Papæ reservata tam ab ordinante quam ordinato, uti habetur *in extravag.*2. *de simon.* Idque intelligendum etiam videtur de prima tonsura; quia per eam usitato modo loquendi, aliquis ordinari dicitur, id est in Ordine Clericorum constitui; sicuti ex communi notavit Vgol. *tab.*4. *cap.*3. *num.*2. *& c.*4. *num.*1. Suarez *c.*56. *num.*5. contra Lessium *dub.*24. *num.*133. Adde quod Navatr. respondit *lib.*3. *consil.*59. *de simon. edit.*1. Avila *part.*3. *de censuris disputat.*5. *dub.*9. simoniam commissam in Reverendis seu dimissoriis commissam censeri in ordine, quandoquidem Reverendæ seu dimissoriæ litteræ ordinantur ad ordines, tanquam media ad finem. Hucusque Layman.

2. Verùm contrariam sententiam tenet Baunius in *prax. benefic. disp.*16. *quæst.*62. *dub.*31. Nam cùm verba legis pœnalis propriè ac strictè capi debeant, & tonsura non sit ordo, sed dispositio ad illum, quæ pœnæ contra ordinatos simoniacè sunt statutæ, extendi ad tonsuratos non debent. Quæ opinio est Lessij *c.*35. *dub.*24. *num.*133. ubi asserit; Non esse probabile velle Ecclesiam ut incurratur excommunicatio, dando aliquid pro sigillo, aut literis testimonialibus, cum hoc sit mera redemptio vexationis.

3. Et hæc omnia docet etiam Palaus *tom.*3. *tract.*17. *disp.*3. *punct.*24. *num.*1. sic asserens; Qui simoniacè aliquem ordinat, aut ad ordinem sic conferendum mediator, seu præsentator existit, eo ipso est excommunicatus excommunicatione Papæ reservata: habetur *in extrav.* 2. *cum detestabile, de simon.* Hoc tamen secundùm probabilem sententiam non extenditur ad collationem primæ tonsuræ; quia non est verus ordo, & pœnæ debent restringi. Neque etiam extendi debet ad Notarium, & Ministrum, qui pro literis dimissoriis, aut testimonialibus aliquid exigeret: neque etiam ad Episcopum, si post ordinem gratis collatum aliquid postea recipiat: nam esto, ij omnes peccent, & simoniaci sint juxta Trident. *sess.*21. *cap.*1. *de reformat.* non tamen incidunt in hanc excommunicationem, neque in aliquam pœnam ipso facto: quia illa verba Concilij *Dantes; & accipientes, ultra divinam ultionem pœnas à jure inflictas ipso facto incurrant.* debent referri tantùm ad dantes, & accipientes ordines, non ad alias actiones illo *in cap. enumeratas*; quia solùm pro dantibus & recipientibus ordines simoniacè, aut illorum mediatoribus pœnæ ipso jure latæ sunt. Ita Palaus.

4. Sed hîc quæri potest. An suspensio qua puniuntur ordinati simoniacè, incurratur per susceptionem cujuslibet ordinis?

5. Et existimant nonnulli eam nonnisi per majores malè collatos & receptos invehi.

Causa est, quod cùm de pœna agitur, hæc non cadat nisi in id, cui propriè nomen rèique convenit significata, ac vetita per canonem: At ex probabili quorumdam sententia, non nostra tamen, minores ordines Sacramenta non sunt, sed Sacramentalia: ergo eorum receptio extorta pretio non est suspensionis puniendæ pœna.

6. Confirmatur. In pœnis sequenda est interpretatio mitior: at mitius est, eam qui minoribus est initiatus per simoniam, suspensum non esse ab eorum executione, & receptione superiorum, quàm esse: ergo in eam partem inclinandum est in favorem pœnitentium, quod est contra Suarez *cap.*56. *n.*5. *lib.*4. *de Simon.* quod probabile quoque esse asserit Regin. *tom.*2. *lib.*23. *cap.*12. *sect.*1. *n.*124. & hæc omnia docet Baunius, *ubi suprà.*

7. Et quidem ordines Minores non esse Sacramenta, præstantissimi docent Theologi, quos ego alibi adduxi.

Alibi in to 3. tr. 1. Res 65. §. 2 à lin 18. Et pro contento in hoc § Notãdum. sup. in tr. 5. ref. 19. §. Hinc. per tot. & melius in to 4. tr. 3. ref 137. §. 2. & ult. & tom. 7. tr. 1. ex lata de-

8. Notandum est hîc obiter, veteres Theologos docuisse, ordinatum simoniacè esse irregularem: ita Alensis *in* 2.*p.q.*167 *membr.*2. Scot. *in* 4. *dist.*25. *q.*1 *art.* 1. Richard. *in eand. dist. art.*2. *q.*3. his verbis: *Respondeo quod simoniacus propter ordinis susceptionem simoniacè susceptæ, sive propter beneficij consecutionem, est irregularis.*

9. Sed contrariam sententiam tenendam esse puto cum Lessio *lib.*2. *capite* 25. *dub.* 24. Suarez *de Religione tom.* 1. *lib.*4. *capite* 56. *numero* 20. Baunio *ubi*

trina Res. 298. §. ult. ad med. vers. Notandum est.

suprà, & aliis. Ratio est ex juris interpretum axiomate, irregularitatem extra casus jure expressos non incurri : at non venitur in Sacrorum Canonum voluminibus eum irregularem esse, qui pecunia Sacrum ordinem, aut beneficium nundinatur : ergo, &c.

10. Deinde in Sixti V. Constitutione contra Clericos malè promotos, non habetur nisi sola pœna suspensionis, qua sola potest Romanus Pontifex eximere, ac adjecta admonitione, si post susceptionem hi malè promoti in susceptis Ordinibus ministrare præsumpserint, futuros irregulares : non sunt ergo jure factoque tales; sed erunt, si excommunicati celebraverint, aut suspensi.

RESOL. IV.

An Bulla Sixti V. contra malè promotos ad Ordines sit usu recepta, quoad absolutionem censurarum, & inhabilitatum?

Et explanantur, quæ pœnæ sint latæ in Ordinatos simoniacè?

Et an simoniaci occulti suspensio tollatur per pœnitentiam; & manifesti per Episcopum post pœnitentiam? Ex p. 11. tr. 5. & Misc. 3. Res. 19.

§. 1. NOta, Sixtum V. edidisse Bullam quandam contra malè promotos, quæ incipit *Sanctum, & salutare*, quam Bullam, etsi Clemens VIII. ann. 1595. revocaverit, & ad jus commune reduxerit, non tamen quoad pœnas simoniacorum; imò potius ibi dixit se velle in suo robore persistere eas omnes, quæ sunt latæ contra simoniacè ordinantes, & ordinatos.

2. Pœnæ verò latæ in ordinatos simoniacè sunt, Prima, excommunicatio ipso facto, habetur *in supradicta Extravagante*. Secunda, suspensio ab executione suorum ordinum : ita *in supradicta extravag.* & non solum ejus quem sic suscepit, sed etiam omnium quos habet : illa enim particula *suorum ordinum*, hoc indicare videtur; & ita tenet communis sententia : Greg. Lop. *leg. 11. tit. 17. par. 1. verb. ve dado por derecho.* Man. Rod. *secundo tomo, summæ cap. 56. num. 6. vers. el octavo* Lessius *dub. 25. n. 135.* & Suar. *tit. 5. de cens. disput. 31. sect. 4. num. 33.* quamvis probabilitate non careat, ut tenent supradicti Doctores, solùm extendi suspensionem ad ordinem simoniacè susceptum, non ad alios ritè susceptos, quia licèt Pontifex loquatur in numero plurali, dicens, *Sint ab executione suorum ordinum suspensi*, illa locutio pluralis correspondet plurali locutioni præcedenti; loquebatur enim de omnibus, qui ordinati sunt simoniacè, & de illis statuit, ut sint à suorum ordinum executione suspensi, hoc est, quilibet à suo ordine simoniacè suscepto, & omnes simul à suis ordinibus sic simoniacè susceptis.

Sup. doctrina contenta in hoc & seq. §. sup. in tr. 3. lege res. 44.

3. His suppositis, ad dubium propositum in titulo hujus resolutionis sic respondet Castrus Palaus *tom. 3. tract. 17. disp. 3. punct. 24. n. 4.* Tandem in supradicta Bulla Sixti V. absolutio harum censurarum, & inhabilitatum Pontifici reservatur, simulque revocantur concessiones, & facultates Religiosis concessæ, & etiam concessæ Episcopis *in Trident. sess. 24. cap. 6. de reform.* Existimo tamen hac in parte non esse hanc Bullam receptam, imo Lessius *dub. 24. num. 134. fin.* ait, hanc Bullam plerisque locis ignorari, ac proinde non esse usu receptam. Idem indicat Sà *verb. simon. num. 12.* quatenus ait; simoniaci occulti suspensio tollitur per pœnitentiam, & manifesti per Episcopum post pœnitentiam.

4. Sed contrariam sententiam tenet Pater Tanerédus vir doctissimus, amicissimus *de relig. tract. 2. lib. 4. disp. 34. n. 6.* quia Lessius dicit, Puto hanc constitutionem plerisque locis ignorari, ac proinde non esse usu receptam, quod verum est ubi ignoratur : at ex hoc non infertur alibi non esse usu receptam, Bonacina ait *quæst. 7. §. 6. num. 11.* sed id in Italia saltem non admitterem, & Suarius illam esse receptam supponit; & sic ejus doctrina procedit de omnibus censuris occultis, exceptis iis in ordine, ita Sanchez *consil. moral. lib. 2. cap. 3. dub. 104. num. 45. & dub. 120. num. 1.* & Filliuc. *cap. 13. num. 38.* Hucusque Tancredus, cui adhæreo.

RESOL. V.

Notabilia quædam circa pœnas contra simoniaces inflictas.

Et docetur pœnas contra simoniam confidentialem multas esse, & pro praxi in textu hujus Resolutionis adscribuntur septem.

Et advertitur de pœnis ipso jure latis nullam esse impositam committentibus simoniam, nisi simonia fuerit commissa in ingressu Religionis, in ordine, & beneficio.

Sed difficultas est, an dictæ pœnæ incurrantur ante sententiam prater excommunicationem? Ex p. 11. tr. 5. & Misc. 5. Res. 20.

§. 1. DIco primò, quod renunciare beneficia cum pacto de re aliqua facienda, aut omittenda, quæ jure non inest, est simonia; Est tamen ejusmodi pactio quamvis simoniaca à pœnis simoniacorum libera. Sed probatur; nam ut Sylvest. *verb. Simonia quæst. 19.* nulla simonia pœnas juris ipso facto inducit, nisi in ordine, & beneficiis : quia Ecclesia prædictis pœnis non punit alios, quam qui propriè sunt Simoniaci, traditione pretij pro re spirituali. At hoc eorum non accidit, cùm simonia est talis tantùm jure Ecclesiastico : vera est ergo pars hæc assertionis, in qua dicitur, conventiones reciprocas circa spiritualia, simoniacas quidem esse, à pœnis tamen, quæ simoniam concomitantur, liberas. Et ita hanc sententiam tenet Baunius *in praxi benefic. disputatione 16. quæst. 46.*

Sup. dubitabis ad seq. atque ad §. Dico tertio hujus Res. in fin. seq. & in Res. seq. §. No. ta etiam. & Res. 8. & de aliis ad eorum ana

2. Dico secundò, ad eos qui officia Ecclesiastica sibi pretio comparant, non pertinere has pœnas, quia non sunt beneficia, & in pœnalibus verba sumenda sunt in notione sua propria. Item ab his quoque pœnis esse liberos, qui beneficia sua auctoritate propria permutant.

Sup. hoc ult. in fin. §. 8. in alio ejus genere annot.

3. Ratio est, quod hic non interveniat propriè dicta simonia, cùm non detur temporale pro spirituali : ergo cùm pœnæ restringi debeant, excommunicatio, quæ est una de pœnis quibus jure Ecclesiæ plectuntur propriè dicti simoniaci ad compermutantes beneficia sua auctoritate propria, non se extendet, cùm non sint hi nisi jure Ecclesiæ tales proindeque impropriè, decreto tamen Innocentij III. beneficiis sunt privandi, in quibus facta est permutatio, sic enim ille, *cap. cùm olim 7. de rerum permutat.* consequenter post sententiam, quæ non est necessaria, ubi reperitur propria simonia, ut patet in Extravag. citata.

Sup. ex in Res. 4. Item, etiam assero, simoniam, Ecclesiasticam censuram, aut quamvis aliam pœnam juris non incurrere in ordine, beneficio, & Religionis ingressu. Et ratio est eadem, nempe quod pœnæ juris eos dumtaxat afficiant, qui propriè sunt tales, quales punire Principi placet. At simoniaci simonia juris positivi, &

& Ecclesiastici non sunt nisi impropriè tales, cùm spirituale, nec vendant, nec emant; unde si quis in conferendis aliis Sacramentis, consecrationibus, dispensationibus, pensione vendenda, aut redimenda, conferenda Vicaria temporali, peccaverit, non contrahet pœnam excommunicationis, suspensionis, aut inhabilitatis. Tanner. *in* 2 2. *disputat.* 5. *quæst.* 8. *dub.* 4. *numero* 95. sicut nec qui jus patronatus pretio distrahit, Sanchez *tom.* 1. *opuscul. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 107. *num.* 3. quia non est beneficium. Vide etiam Lessium *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 23. *num.* 30. & Baunium *ubi supra, quæst.* 53.

5. Dico tertiò, pœnas contra simoniam confidentialem multas esse. Prima est, excommunicatio reservata Papæ.

6. Secunda, inhabilitas ad beneficium, in quo est commissa simonia.

7. Tertia, ejus privatio à die commissæ confidentiæ.

8. Quarta, omnium etiam beneficiorum, pensionum, & aliarum rerum Ecclesiasticarum privatio, quas confidentiarius justè ante possidebat.

9. Quinta, inhabilitas ad illas, ita Pius V. Bulla cui initium *Intolerabilis*, quam Navarrus explicat *in manual. cap.* 23. *n.* 110.

10 Sexta, quod beneficium quod est receptum cum confidentia, sit devolutum ad Papam, eique reservatum.

11. Vltima, quod presumentes beneficia recipere cum confidentia, Cardinales & Episcopi sint ab Ecclesiæ ingressu interdicti: qui autem sunt his inferiores minores Clerici, excommunicati, ut dictum est antea.

12. Sed difficultas est, an dictæ pœnæ incurrantur ante sententiam? præter excommunicationem, nullam ex dictis pœnis incurri docet Lessius *lib.* 2. *de just. capite* 45. *dub.* 26. Reginald. *l.* 23. *n.* 183. Azorius *tom.* 3. *lib.* 12. *cap.* 10. *quæst.* 4. *& cap.* 21. *quæst.* 12. Suar. *lib.* 4. *de leg. cap.* 43. Layman. *tract.* 10. *cap. ult.* §. 7. maximéque id locum habere in privatione beneficiorum, quæ possidebantur ante simoniam confidentialem admissam.

13. Causa est, quod Pius vocem in sua constitutione nullam adhibeat, unde constare queat, pœnam hanc locum habere in foro conscientiæ ante sententiam, saltem declaratoriam criminis; fructibus quidem, pensionibus, & beneficiis simoniacos privat: sed an iis hoc ipso, & sine sententia excidant, non *indicat. Fructibus*, inquit, *pensionibus & aliis rebus Ecclesiasticis, ac etiam Romanæ Curiæ, & aliis officiis temporalibus præsentium auctoritate privamus, & ad futura inhabiles decernimus.* His autem, ideest pensionibus, & beneficiis ante confidentiam obtentis, illos ultrò, ac sponte abire oportere, ac non coactos à judice, quàm est improbabile? Sanè Tannerus *in* 2. 2. *disput.* 5. *q.* 8. *dub.* 4. Simoniam confidentialem, pœnam aliam negat inducere ipso facto, quàm excommunicationem, inhabilitatem autem ad alia beneficia, & privationem acquisiti per simoniam in foro conscientiæ nequaquam, sed exteriori tantùm. Sed contrariam sententiam tenet Flaminius *de simonia confidentiali quæst.* 58. *numero* 15. Flavius Cherubinus, *Bull. constitut.* 85. *Pij V. Scholio* 2. & alij. Et his assentiendum putat Baunius *ubi supra q.* 56 quoad beneficij privationem acquisiti per confidentiam; nam retinere nemo potest quod non est suum: at beneficia per confidentiam acquisita non sunt acquirentis, cum collationes de iis factas Pius Quintus velit esse *nullius momenti, ipsaque vacare, ac dispositioni S. Sedis reservata esse.* Idem dici de fructibus debet, quos Cameræ Apostolicæ malè perceptos applicat. Certum est tamen Cardinales, & Episcopos secundum Thesaurum 2. *par. praxis verb. Simon. cap.* 3. non incurrere excommunicationem ex confidentia; quia in Bulla Pij IV. quam Pius Quintus, confirmat, ejus nulla fit mentio.

14. Dico quartò, quòd confidentia, illicita quidem est, sed non Simoniaca, cùm resignans, aut qui ei resignandi est causa, confidit, ac sperat eum cui confert, aut conferri, vel resignari facit beneficium, sibi illud idem resignaturum, aut cui voluerit, sine pacto tamen, aut cum confidit partem fructuum sibi, aut alteri datum iri.

Sup. hoc inf. Res. seq. §. Non desinã. post med. vers. Sexto. & inf. in res. 7. §. ult. ad med. vers. excipe, & in Res. 8. §. Verum. ad med. vers. cæterũ & inf. latè in Res 30. & 31. & lege aliã Res. positam in annot. hujus ult. Res.

15. Pars prima probatur, quia à cupiditate indebita spes talis oritur; est ergo in sua causa principioque illicita, non est tamen simoniæ vitio infecta, quia ibi nulla intervenit pactio, nulla est venditio, quæ res tamen sunt ad simoniam necessariæ.

16. Sed si pactum de re supradictarum aliqua, intercedit resignantem inter & resignatarium, conferentem, & collatarium, aut eum cujus opera beneficium possideri incipit, erit confidentialis simonia, quia pactio omnis legalis adjuncta spiritualibus, quibus natura, aut consuetudine non cohæret, labem habet simoniæ *cap. quæsitum 5. de rerum permutatione, cap. de pactis final.* ergo, & confidentialis, si talis transactio fluat, aut oriatur à confidentia recipiendi alicujus commodi ex resignatione, collatione, aut procuratione facta, aut facienda alicui de beneficio.

17. Dixi *legalem*, quia pactio quæ tantùm debitum honestatis, fidelitatis, & gratitudinis efficit, quo nempe unum beneficium alio compensatur, non est jure naturali absque ulla obligatione civili, simoniaca, sed sola legalis, quæ tantæ est efficaciæ, ut debitum vi ejus coram judice repeti possit.

18. Et hoc ultimum est valdè notandum quod ex Navarro docet Baunius *disputat.* 16. *quæst.* 57. *assert.* 2.

19. Dico quintò, conventionalem simoniam maximè mixtam, pœnas juris inducere, ac si realis foret. Ita Caietanus *in summa verb. simonia, & in* 2. 2. *quæstione* 100. *artic.* 7. *& tractat. de simonia, qui est* 9. *in* 2. *tom. opusc. quæst.* 2. Major *in* 4. *dist.* 25. *q.* 7. Comitol. *resp. l.* 4. *q.* 6. Ratio est; quia incontractu venditionis sit res tradita, aut pretium conventum, etiamsi non sit hoc persolutum, ergo, & in contractu simoniacæ emptionis.

Sup. hoc inf. in §. ult. hujus Res. post med. à vers. Dico secundo. & in Res. seq. §. Non desinã. ante med. vers. Tertio. & inf. in Re. 7. à princ. & ex Res. 27. lege ejus latam doctr.

20. Sed mihi placet opinio contraria. Ita Castrus Palaus *ubi supra punct.* 22. *num.* 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 26. *n.* 149. Navarrus *c.* 21. *n.* 104. Baunius *q.* 70. & alij.

21. Probatur eo, quod Ecclesia, non alia opera suis legibus puniat, quàm, quæ sunt in suo genere completa, ac perfecta. At simonia in conventione mera posita, excepta ea quæ confidentia dicitur, non est in suo genere completa, ex Navar *c.* 23. *n.* 104. Less. *l.* 2. *cap.* 35. *dub.* 27. *n.* 149. ergo non punienda pœnis simoniæ.

22. Confirmatur. *In extravag. cum detestabile* pœnæ non statuuntur nisi in eos, qui conventione facta, quomodolibet dando, vel accipiendo simoniam commiserunt, ergo cum neutrum pura conventionalis simonia habeat, pœnis non tenetur simoniacorum propriis.

23. Ex his infertur ex conventionali, in qua res spiritualis data est ante pretium, pœnas Ecclesiasticas nullas incurri. Ita Lessius *ubi supra capite* 39. *numero* 143. Henriquez *leg.* 13. *capite* 137. *numero* 3. & alij quos citat & sequitur Baunius, *ubi supra*, eo quod pœnæ Ecclesiasticæ excommunicationis, & suspensionis non incurruntur, nisi actio prohibita sit completa; ut fatentur Caietanus *verb. excommunicatio in princip.* Sylvest. *verb. pœna quæst.* 5.

actio

actio autem simoniæ non completur, nisi ea, sit realis.

Sup. hoc cũ DD. inf. Resol. 7. §. 1. post med. à vers. Imò addo.

24. Hinc colligitur, simoniam conventionalem non fieri realem per chirographum datum ab altera parte contrahentium, de solvendo pretio promisso: quia exhibitio chirographi non est pecunia, sine qua tamen non potest consistere emptio: ergo cùm non sit simonia, ubi deest emptio, sequitur per chirographum contrahentium non compleri simoniæ vitium.

25. Et tandem contra Suarez de simonia *l.4 c.42. n.2.* existimat Baunius suprà, sine periculo culpæ teneri potest, cum pœnis Ecclesiæ minimè subjacere, qui pro aureis centum, quos collatori pollicitus est, pro beneficio recepto calculos numerat.

26. Ratio est, quod simonia voluntatem emendi postulet, quam iste non habet, sed fallendi.

27. Secundò, deest vera ratio pretij, ac valoris: ergo & simoniæ.

Sup hoc leg. doctr Resol. seq. & Resol. 1. post. seq. & aliarum ejus primæ not.

28. Dico sextò, de pœnis ipso jure latis, affirmandum est nullam esse impositam committentibus simoniam, nisi simonia fuerit commissa in ingressu Religionis, & in Ordine, & in beneficio, docet Sylu. *verb. simonia, q.19.* Navarr. *c.23 n.111.* Vgolin *tab.1.c.12. & tab.4.c.3.* Lessius *l.2.c.35. dub.23.* Suar. *l.4.c.51.n.5.* & alij ab eisdem relati. Ratio hujus conclusionis est, quia neque in decreto, neque in decretalibus invenitur textus imponens ipso jure censuram, vel pœnam aliquam simoniacis, ut rectè expendit Suarez *suprà.* Vide Castrum Palaum *tom.3.de simon.disp.3.punct.21. n.2. & 3.*

29. Et tandem dico septimò, Iosephum Rocaful. in praxi *Theol. mor. tom.2. lib.3. de 7. præcepto Decal. sect. ult. n.1105.* hæc asserere: Non per quamcumque simoniam incurri pœnas juris, nec esse impositas cuicumque simoniæ, sed solùm juxta probabiliorem sententiam simoniæ reali, non verò conventionali, vel materiali; neque cuicumque simoniæ reali latæ sunt pœnæ à jure, sed solùm simoniæ in beneficio, in ordine, & ingressu religionis; sed & Sanchez *in opuscul. tom.2.l.2.c.3.dub.108.n.3.* censet contra Navarrum pœnas non incurri in simonia jure tantùm humano prohibita; præfatio enim extravagantis secundæ, loquitur de simonia jure divino & humano prohibita; & sic pœnæ ibi statutæ, sunt de ista simonia intelligendæ: præfatio quippe dat intellectum tot ilegi, & hanc opinionem censet probabilem Diana *4.p.tract.4. resol.155.* ex qua deducit *5.p. tract.14. resol.1.* eum qui habet jus ad rem, & non in re, dedit pecuniam electori, ne sibi præferret indignum, quantumvis sit simoniacus, non incurrere pœnas juris; quia, ut ipse Sanchez *dub.7. n.6.* contra Raphaëlem de la Torre probabile tenet, hæc simonia de jure humano tantùm est. Hucusque Rocaful. qui postea *n.1110.* sic ait; Dico secundò; Si simonia sit conventionalis, secundùm nostram sententiam; cùm non incurrat pœnas juris, sufficit quod qui accipit pecunias restituat, qui autem accipiat beneficium non resignet, nec debet resignare. Ita ille *& num.1120.* ait: Quod si quis accipit beneficium per simoniam conventionalem, juxta eos, qui dicunt simoniacum conventionalem incurrere pœnas juris, tenetur dimittere beneficium: juxta nos verò qui tenemus non incurrere pœnas juris, non tenetur dimittere; tamen per sententiam judicis est privandus beneficio. Hæc Rocaful.

Resol. 1. citata in hoc textu hic est inf. Resol. 8. Secunda vero est Resol. 41. & in aliis earum annotat.

Sup. hoc sup. in §. Dico quinto. & seqq. hujus Resol.

RESOL. VI.

An tantum simoniaci in ordine, & beneficio, & ingressu Religionis subdantur pœnis?

Et de aliis pluribus casibus benignioribus circa materiam simoniæ agitur.

Et tandem notatur non esse obligationem restituendi pretium acceptum pro collatione Sacramentorum.

Et supponitur simoniam non obligare ad restitutionem jure naturali, sed jure positivo. Ex par. 4. tract. 4. & Misc. Resol. 157.

§.1. Respondeo affirmativè, unde aliæ simoniæ non pœnis simoniæ, & ita docet Adamus Tannerus *in 2.2. D. Thom. disp.5. quæst.8. dub.4. num.95.* ubi sic ait: Nulla simonia inducit pœnas juris ipso facto, nisi in Ordine, beneficiis & Religionis ingressu. Vnde si quis in aliis Sacramentis conferendis, vel accipiendis in consecrationibus, benedictionibus, dispensationibus, in pensione vendenda & emenda, vel redimenda, in Vicaria temporali conferenda, simoniam committat, graviter quidem peccabit, non tamen contrahet pœnam excommunicationis, suspensionis, aut inhabilitatis, quod proinde itidem dicendum videtur de permutantibus, sine debita authoritate beneficia. Ita ille, & ante illum Lessius *lib.2.cap.35.dub.23. n.130.* & novissimè Gordonus *in Theolog. moral. tom.2. lib.8. q.9. cap.3. §.1. num.8* & Sanchez *in opusc. tom.2. lib.2. cap.3. dub.107. num.3.* quia non datur alius textus puniens simoniacos, nisi *Extravag.1.& 2. de simonia*, in quibus supradicti simoniaci tantùm puniuntur, hinc præter superiùs dicta infert Sanchez, quòd vendens jus patronatus, licèt sit simoniacus, at non est excommunicatus, nec incurrit pœnas simoniaci, quia non est beneficium. Similiter si Canonici Sede vacante convenirent, ut qui ex ipsis eligeretur Vicarius Capituli, divideret cum reliquis salarium & emolumenta ex officio provenientia, omnes essent simoniaci, non autem excommunicati, quia licet Vicarius sit quid spirituale, non tamen est beneficium.

2. Ex his infertur non esse audiendum Sotum *de just. lib.9. quæst.8. art.2. prope finem*, asserentem omnem simoniacum incurrere excommunicationem, per *Extravag.2. de simonia*, ibi, *qui quomodolibet dando, vel recipiendo, simoniam committit*, & *infra*, *in beneficiis & officiis Ecclesiasticis*: ergo comprehendit omnem simoniam.

3. Nam respondeo cum Sanchez quod illa verba; *quomodolibet dando, vel recipiendo*, intelliguntur pro Ordine & beneficio, nam de hac tantùm simonia ibi Pontifex loquitur, & sub nomine officiorum Ecclesiasticorum intelliguntur beneficia, ut docent communiter Doctores, quos penes Sanchez habebis.

4. Non desinam tamen hic obiter apponere quæ post discussam materiam de pœnis simoniæ collegit Adamus Tannerus *ubi suprà in 2.2. D. Thom. disput.5. quæst.8. dub.4. num.99.* ubi sic asserit: Ex his quæ de simoniæ pœnis diximus, colliguntur hæc pronuncianda ad praxim notabiliora. Primò nullam simoniam inducere pœnas juris (in quibus est etiam pœnalis restitutio accepti) nisi in Ordine, beneficiis & Religionis ingressu, ex probabili sententia. Secundò simoniam mentalem nec in his quidem ipsis, aut ullis aliis casibus ullam pœnam juris incurrere, ex communi. Tertiò ex probabili, neque simoniam conventionalem, excepta confidentiali inducere ipso facto illas pœnas juris positivi. Quartò ex probabili, neque simoniam realem obligare ad restituendum spirituale simoniacè acceptum, præterquam beneficium. Quintò tandem simoniam (præter excommunicationem in Ordine) in Ordine & beneficiis, & suspensionem in Ordine) in supradictis casibus obligare quidem ad restituendum rem pro qua

temporale simoniacè acceptum etiam ante sententiam, sed ex probabili opinione ante sententiam satis esse restituere ei à quo acceptum est. Sextò simoniam confidentialem ipso quidem facto inducere excommunicationem, attamen juxta probabilem sententiam nec inhabilitatem ad beneficia (nec privationem beneficij, nisi eadem simonia simul etiam realis sit) in foro conscientiæ ipso facto inducere, sed solùm in foro exteriori adeóque post sententiam declaratoriam criminis. Septimò hoc idem verum habere in simonia, quæ committitur sive in electione Papæ sive in examine ad paræcias. Octavò & denique ex probabili sententia etiam electionem Papæ, etsi per simoniam factam, si alioqui à duabus tertiis partibus Cardinalium legitimè facta sit, non esse ipso facto irritam. Ex quibus licèt quædam minus probabilia, & meo etiam judicio, falsa sint, propter authoritatem tamen Doctorum probabilia & in praxi tuta censeri possunt. Hæc Tannerus *loco cit.* Sed si aliqua ex supradictis falsa sunt, ut ipsemet Tannetus fatetur, nescio quomodo in praxi tuta esse possint.

5. Et tandem pro coronide hujus resolutionis ponam hîc ea, quæ Turrianus novissimè *in disput. select. cent. 4. cens. Theolog. dub. 59.* notavit. Sic enim ait: Vasquez aliique viri docti hujus ætatis, senserunt non esse obligationem restituendi pretium acceptum pro collatione Sacramentorum, supponunt enim simoniam non obligare ad restitutionem ex jure naturali, sed ex jure positivo. Secundò docent jus positivum non loqui de hac simonia quantum ad restitutionem, sed de simonia in beneficiis, & multi viri de hoc interrogati in Hispania senserunt esse probabile, quibus ego subscribo. Ita ille.

RESOL. VII.

An ut simoniacus incurrat in pœnas juris, opus sit simoniam esse ex parte utriusque completam?

Et pro praxi hujus quæstionis adducuntur aliqui diversi casus in textu hujus Resolutionis.

Et inter prædictos casus duo præcipuè proponuntur, ut simoniacus in illis tutus in conscientia maneat.

Et interim poterit Confessarius virtute Bullæ Cruciatæ absoluere ab excommunicatione, & suspensione, &c.

Sed si simoniacus est in mora petendi dispensationem, non est absolvendus donec dispensationem obtineat.

Etiamque notatur pœnas latas in simoniacos non comprehendere illos, qui tantum simoniam committerent jure Ecclesiastico, & humano prohibitam. Pro quo etiam aliqui casus in exemplum adducuntur in §. ultim. hujus Resolutionis. Ex p. 11. tract. 6. & Misc. 6. Res. 30.

§. 1. NEgativæ sententiæ adhærent Doctores, quos citat & sequitur Garzias de beneficiis *tom. 1. p. 8. cap. 1.* & Castrus Palaus *tom. 3. tract. 17. punct. 27. num. 5.* Sed licet hæc sententia sit probabilis, non minus probabilem affirmativam esse existimo, ut fatetur ipsemet Castrus Palaus, & illam tuentur Doctores, quos larga manu adducit Garzias *ubi supra n. 19.* & Palaus *num. 4.* quibus ego addo Rocaful. *in Praxi Theol. mor. tom. 2. lib. 3. de Septimo præcepto Decalogi, sect. ult. n. 111.* & omninò videndum Petrum Binsfeldium *in Rubrica de simonia, not. ab. 15. §. tertium fol. 62.* & Redmigium *in Pract. Confess. tract. 5. cap. 7. §. 7. n. 4.* ubi sic ait: La simonia real, es quando al modo de pacto se llega tambien la integridad de la cosa espiritual, y temporal de una, y otra parte: y mientras esta no intervienne, no queda el contracto perficionado en orden à incurrir las penas, conforme à la extravagante, que trata de las penas de los simoniacos, que habla de datione, ac receptione pretij, & beneficij? Que es dezir, que ha de ser completa de entrambas partes. Ita ille. Sed non deseram hîc apponere verba Patris Tancredi *de Religione, tract. 2. l. 4. de simonia, disput. 38. q. 5. n. 18.* sic asserentis: Dico tertio, etiamsi beneficium, aut ordo sit collatus, si pretium non est solutum, sed tantum præcessit promissio, adhuc non incurruntur dictæ censuræ, quia sic usu Romano receptum est, ut sola simonia realis utrimque completa puniatur excommunicatione, & suspensione, licet ex vi verborum jurium, quæ solent allegari, videatur sufficere ad incurrendam suspensionem collatio beneficij, aut ordinis cum sola pretij promissione. Imò addo, non esse simoniam completam, etiamsi instrumentum pecuniæ, factum sit, & traditum alteri, qui dedit beneficium: nam ut ait Sanchez *lib. 2. cap. 3. dub. 106. n. 4.* scriptura non est pars pretij in rigore. Ita Tancredus. Adverte hîc pro praxi, quod qui commisit simoniam realem, id est ex utraque parte completam, tunc primum remedium est subire pœnas juris, renunciando beneficio, non percipiendo fructus ejus, & petendo absolutionem ab excommunicatione, & suspensione. Secundum remedium est, quod petat dispensationem à Papa, vel ejus nuncio, si ad id facultatem habet, & petat collationem beneficij, & paciscatur super fructibus malè perceptis, & si dispensatio fuerit facta vera relatione manebit tutus in conscientia; interim verò dum expectatur dispensatio, poterit confessor virtute Bullæ Cruciatæ absoluere ab excommunicatione, & suspensione, & sic absolutus, si fuerit Sacerdos, poterit celebrare missam secretò. Quod si simoniacus differat petere dispensationem, & sit in mora petendi, non est absolvendus, donec dispensationem obtineat.

Sup. hoc sup. in Res. 5. recitancer in §. Hinc.

2 Nota etiam hic obiter, pœnas latas in simoniacos, non comprehendere illos, qui tantùm simoniam committerent, jure Ecclesiastico, & humano prohibitam. Ita probabiliter plures Doctores, quos alibi adduxi, quibus nunc addo Giragum *de Regimine Regularium, p. 1. dub 8. n. 8.* ubi sic ait; Nota multum mihi placere opinionem asserentium simoniam realem, & completam, solo tantùm jure Ecclesiastico prohibitam, non subjacere restitutioni, & pœnis simoniæ: unde in permutatione beneficiorum inter duos beneficiatos facta propria authoritate, & in reservatione pensionis sine licentia superioris, in promissione, seu donatione pecuniæ mediatori pro intercessione beneficij, & in conventione, addit Diana *4. p. tract. 4. Miscell. ref. 155.* inter electores, elige me in Provincialem, & ego eligam te in Guardianum, affirmant relati Doctores sic facientes peccare quidem mortaliter, non tamen incidere in excommunicationem, nec privari beneficiis sic receptis ipso jure nec teneri fructus restituere, eo quod ista sunt prohibita jure Ecclesiastico: fundantur in hoc, quia hæc non est simonia propriè dicta, cùm non detur temporale pro spirituali, sed generali modo simonia vocatur: ergo quando jura loquuntur de simoniacis, non debent extendi ad hanc simoniam, sed ad aliam, quæ propriè & strictè est simonia, pœnæ enim sunt restringendæ: addunt etiam quod ex proœmio *Extravag. 2. de simonia*, id clarè deducitur, sic enim incipit: Cùm scelus simoniacæ pravitatis tam divinorum, quam Sacrorum Canonum authoritas abhorreat: unde habetur jura tantùm loqui de simonia divino simul, & jure Canonico reprobara, nam præfatio legis, dat intellectum toti legi & ex ipsa regulatur, & causam finalem accipit ut tradit ex multis Molina *de primog. l. 1. c. 5. n. 5* & alij communiter. Excipe ab hac doctrina cum Sanch. *1. opusc. lib. 2. c. 3. dub. 108. n. 4.* simoniam confidentialem, quæ subdita est pœnis, licèt

Alibi in Res. 1. not. seq. & in aliis ejus annot.

Quæ nunc hanc sequetur, & signanter pro doctrin. sequenti in hoc textu inf. in Res. 11. & in alio §. & vers. ejus primæ annot.

Sup. hoc pro. pè fin. hujus.

licèt aliquando sit tantùm jure humano prohibita, ut quando quis renunciat beneficium pacto inito, ut sibi vel aliis postea reddatur, vel cum reservatione pensionis, non sibi, quia hæc non est confidentialis, ut probat Sanch. *ubi supra, dub.* 34. sed aliis solvenda; excipe etiam, quando datur aliquid Notariis, vel officialibus Episcopi, licet sit jure humano simonia, nam in tali casu incurruntur pœnæ Tridentini, *sess.*21.*cap.*1.*de reform.* Hucusque Giragus; cui adde Patrem Tancredi *ubi supra disp.*37. *q.*3. *n.*8. postquam sententiam Suarij & aliorum in contrarium adduxerit, in fine sic concludit: Sanè quamvis Suario hæc sententia non videatur probanda, mihi tamen tuta apparet, quod etiam docet novissimè Diana Clericus Regularis vir pietate & erudione insignis *resol.* 155. *tract. Miscell. part.*4. qui optimè concludit, quando aliquis obtinuit beneficium data pecunia mediatori, vel si electores pacti sunt ut unus alteri suffragetur, non incurrere privationem beneficiorum, ex Sanch. qui putat esse simoniam jure humano tantum *lib.*2.*cap.*3. *dub.*26.*num.*9. & Villalob. *sum. tract.* 27. *tom.*2. *diff.*24. *num.*1. loquente in secundo casu. Immò nec caret probabilitate quod docet Navarrus, de eo qui pensionem sibi reservat. *sine* (hæc vox ex incuria Typographi non fuit impressa) Papæ auctoritate. Ita Tancredi. Quod vltimum etiam sustinet novissime doctus Pater Ioannes de Soria in Epitome Summarum, *par.*2.*tract.*1 *sect.*4. *disp.*5. sic asserens: Propter simoniam, quæ tantum est juris humani (non incurritur pœna simoniæ, ut in permutatione beneficiorum facta propria auctoritate, & reservata pensione, ac propterea valida est talis permutatio. Excipe tantùm simoniam fiduciale, v.g. cùm quis renunciat beneficium cum pacto, ut sibi, vel alteri postea reddatur, vel cum reservatione pensionis, non sibi, sed aliis solvendæ. Hæc Soria. Et tandem hanc sententiam tenet etiam doctissimus & amicissimus Pater Escobar de Mendoza *in Theol. mor. tract.*5. *Exam.*2.*c.*6.*n.*25 & Ioseph. Rocafull. *in praxi Theol. tom.*2.*lib.*3. *de septimo Præcepto Decalogi, cap. ult. sect. ult.n.*1105.

§.verſ. Excipe. & latè ſup. in reſ. 5. §. Dico quarto & in reſ 6. §. ult. ad med. verſ. Sexto. & inf. in reſ. ſeq. §. Verum. ad med. verſ. Cæteras. & latè inf in Reſ. 30. & 31. & in tom 3. tr. 5. reſ. 115.

Sup. hoc ſup. ante med. hujus §. à verſ. Excipe. & in aliis ejus annot.

RESOL. VIII.

An simonia realis, & completa, solo tamen jure Ecclesiastico prohibita subjaceat restitutioni, & pœnis simoniæ?

Et in corpore hujus Resolutionis excipiuntur aliqui casus, in quibus non incurritur pœna simoniæ. Ex p.4.tr.4. & Misc. Res. 155.

§.1. AFfirmativam sententiam docet Malderus *in* 2.2. *D.Thom. tract.*9.*cap.*3. *dub.*18. §. *tertio loco dicendum est.* Villalobos *in summa tom.* 2. *tract.*37. *diffic* 39. *num* 2. & ideo Navarrus *in c. si quando, de rescript. except.*4. *in fine*, asserit incurrere excommunicationem, & collationem esse nullam, si aliquis diceret. Renuncio meum beneficium, ut tu renuncies tuum; & tamen hæc simonia est tantùm de jure positivo. Idem hoc etiam asseruit quando quis renunciat reservata pensione, quæ etiam est simonia de jure humano. Facit etiam Felinus *in cap. ad audientiam, el* 2. *de rescript.* & Panorm. *in cap. ex parte, el* 1. *de offic. delegat.* ubi docent esse simoniam de jure humano, si quis renunciat, ut detur beneficium certæ personæ, & tamen asserunt non valere collationem, nec renunciationem factam alteri, & ita hanc sententiam præter DD. citatos docent Valen. *tom.*3. *quæst.*16. *punct.*6. Bonacina *de simonia disp.*1. *quæst.*7. §.2. *num.*10 & Filliucius *tom.* 3. *tract.*15. *cap.*13. *q.*3. *num.*7. asserentes quoad pœnas non esse discrimen inter simoniam juris naturalis, & positivi, quod patet *in Extravag.* 2. *de simonia.*

Ad elucidandam doctrinam hujus Reſ. lege ſup. ex Reſ. 5. à princ. uſque ad §. Dico tertio. & ex Reſ. 7. §. Nota. à lin. 6. & ſi legis eas per totas, & alias Reſ. & §§. earum annotationum doctr. & diſtinctione repleberis pro caſibus concurrentibus circa hanc quæſt.

2. Verùm his non obstantibus cum Lessio *libro* 2. *c.*35.*dub.*25.*n.*141. & Reginaldo *tom.*2. *lib.*23. *cap.*12. *n.*184. probabilem puto contrariam sententiam, quam novissimè tuetur Sanchez *in opusc. tom.*2. *lib.*2. *cap.*3. *dub.*108. *n.*3. & ante illum Aragon. *in* 2.2. *D.Thom. q.*110. *art.*6. & Petrus Navarra *de restit. lib.*2. *cap.*2.*d n.*436. cum aliis asserentibus pœnas simoniæ non incurri in casu quo adest tantùm simonia juris positivi & humani, ut in permutatione beneficiorum inter duos beneficiarios facta propria auctoritate reservatione pensionis sine authoritate Papæ, promissione beneficij pro suffragio in electione ad Episcopatum, promissione, seu donatione pecuniæ mediatori pro intercessione beneficij, &c. Igitur in his casibus secundum opinionem probabilem suprà dictorum auctorum sic facientes peccant quidem, non tamen sunt excommunicati, nec privantur beneficiis sic receptis ipso jure, nec tenentur fructus restituere, quæ omnia probat Sanchez *ex d. Extravag.*2. sic enim incipit, *Cùm sicut simoniacæ pravitatis tam divinorum, quàm sacrorum Canonum authoritas abhorreat.* Ergo loquitur de simonia divino simul & canonico jure reprobata, nam præfatio legis dat intellectum toti legi, & ex ipsa regulatur, & causam finalem accipit, ut tradit ex multis Molina *de primog. lib.*1. *cap.*5.*n.*3. & alij communiter. Cæteras rationes videbis apud Sanchez *loc. cit.* qui meritò excipit ab hac doctrina simoniam confidentialem: quæ subdita est pœnis licèt aliquando sit tantùm jure humano prohibita; ut quando quis renunciat beneficio, pacto inito, ut sibi, vel alij postea reddatur; vel cum reservatione pensionis, non sibi tamen, sed aliis solvenda. Excipe etiam quando datur aliquid Notariis, vel Officialibus Episcopi, licèt etiam sit simonia jure humano, nam in tali casu incurruntur pœnæ Trident. *sess.*21. *cap.*1. *de reform.* & circa præsentem quæstionem ne prætermittas videre Adamum Tannerum *in* 2.2. *D.Thom. disp.*5. *quæst.*8.*dub.*4.*n.*95. Vnde ex supradictis saltem post factum habebunt Confessarij probabilia principia ad sedandos scrupulos, & pacandas conscientias, maximè, ut *supra* dictum est, quando aliquis obtinuit beneficium propter pecuniam datam mediatori, qui casus sæpiùs soleret accidere de quo Sanchez *ubi suprà in opusc. tom.*2. *lib.*2. *cap.*3. *dub.* 26. *n.*10. & quando electores conveniunt ut alter in una electione suffragetur uni, & alter suffragetur in altera, de quo casu vide Villalobos *in summa tom.*2. *tract.*27.*diffic.*24.*n.*1.

RESOL. IX.

An emens Vicariatum Episcopi teneatur resignare, & Episcopus pretium restituere, velut simoniacè receptum?

Et in textu hujus Resolutionis docetur, cui restituendum est pretium pro simonia, in Ordine, beneficio, & ingressu Religionis.

Et an non tantum pretium pro simonia in Ordine, beneficio, & ingressu Religionis sit necessario restituendum, sed etiam pro aliis diversis casibus? Ex p.4. tr.4. & Misc. Res. 167.

§.1. QVoad primum affirmativè respondet Lopez *in instruct. part.*1.*cap.*307. Navarrus *in manuali cap.*23. *num.*111. *ver. ad* 13. sed contrariam sententiam, cui tanquam probabiliori adhæreo, tenet Sanchez *in opusc. tom.*1. *lib.*2. *cap.*3. *dub.* 113. *num.*6. & ratio est, quia vicariatus Episcopi non est beneficium.

2. Quoad

2. Quoad secundum verò dubium, an Episcopus teneatur restituere pretium, ejus resolutio pendet ex illa quæstione, an non tantùm pretium receptum pro simonia in ordine, beneficio, & ingressu Religionis sit necessariò restituendum? & affirmativam sententiam docet Navarra *de restit. lib. 2. cap. 2. n. 405. & lib. 4. cap. 2. n. 134.* Aragon *in 2. 2. D. Thom. q. 100. art. 6.* D. Anton. *part. 3. tit. 1. cap. 5. §. 7.* Sylvester *ver simonia, quæst. 20. dicto 2. in fin.* Cajetan. *in sum. ver. Restitutio, c. 4.* Covarr. *in reg. peccatum, part. 2. §. 2. num. 7.* Lopez *ubi supra*, & alij.

3. Sed licèt hæc sententia sit probabilis, non minus probabilem contrariam esse censeo, quam in terminis docet Thomas Sanchez *ubi supra, num. 2.* qui respondet ad omnes Canones, qui videntur facere pro affirmativa sententia, & ideo absolutè docet nullo modo teneri restituere ante judicis sententiam pretium recipientem simoniacè extra simoniam in beneficio, ordine, & ingressu religionis, quia jure divino ad id non tenetur, ut probat *dub. 111.* & jus Ecclesiasticum nullum est quod obliget ante judicis sententiam restituere, exceptis illis tribus casibus; ergo, &c. Vnde hanc sententiam quòd jure Ecclesiastico non impediatur translatio dominij, nisi in simonia, in ordine, beneficio & ingressu Religionis, tenet ex Thomistis Sotus *de just. lib. 9. quæst 8. art. 1. ad 6. ver. Porrò verò.* Vide etiam Henriquez *libro 7. de indulg. capite 35. numero 4. in glossa lit. S.* Et hanc opinionem probabilem esse concedunt ipsi adversarij, ut Lopez *loc. cit. parte 1. capite 307.* & tenent quidam docti recentiores, ut observat Sanchez, qui hoc intelligit, & optimè, quando tradita est res spiritualis, si enim non sit tradita, pretium est restituendum: & ponit alios duos casus, in quibus pretium restitutioni obnoxium est. Verùm ex dictis oritur etiam pro praxi sequens quæstio, videlicet cui est restituendum pretium receptum pro simonia in ordine, beneficio & ingressu Religionis? & tale pretium esse restituendum Ecclesiæ in cujus injuriam simonia commissa est, vel pauperibus, tradit D. Thom. *in 2. 2. quæst. 100. articulo 6. ad 4. & quæst. 32. art. 7. ad 2. & quæst. 62. art. 4. ad 2.* Tabien. *ver. simonia, quæst. 76. & 77.* D. Antoninus *part. 2. tit. 1. cap. 5. §. 7.* Aragon *in 2. 2. quæst. 32. art. 7.* Cajetanus *ver. restitutio, cap. 4.* & alij. Probatur hæc opinio ex *cap. de hoc, & cap. Audivimus, de simonia*, & tenet præter DD. citatos Lessius *libro 2. cap. 41. dub. 31. num. 171.*

4. Verùm licèt hæc opinio sit valdè probabilis, ut ait Bañez *in 2. 2. quæst. 32. art. 7. dub. 2.* tamen ego teneo in tali casu, pretium ante judicis sententiam esse restituendum danti; & ita docet Bañez *loc. cit.* Molin. *de just. tom. 1. tract. 2. disput. 92* Medina *in summ. lib. 1. cap. 14. §. 21.* Sotus *de just. lib. 9. quæst. 8. art. 1.* & alij, quos citat & sequitur Thom. Sanchez *in opusc. tom. 1. libro primo, capite tertio, dub. 114. numero 11.* quibus ego addo Villabos *in summ. tom. 2. tract. 37. diffic. 4. num. 2.* & Gordonum *in Thol. moral. tom. 2. libro 8. quæst. 9. cap. 2. §. 4. num. 7.* quia dans non aliter abdicat à se dominium, nisi ut in recipientem tranferat. Ergo si recipiens est incapax, dominium remanet apud dantem, de quo non debet spoliari, nisi per legem aliquam, quæ tamen non extat. nam textus citati pro contraria sententia *ubi supra*, applicantes Ecclesiæ injuriam passæ pretium, sunt in pœnam talis injuriæ; sed pœna non obligat ante judicis sententiam. ergo, &c.

5. Notandum est tamen quòd cùm omnes supradictæ sententiæ sint probabiles, potest quis tuta conscientia dictum pretium vel danti, vel Ecclesiæ, vel pauperibus restituere; & ideò si is qui recepit pecunias in pretium beneficij & Ordinis, sit pauper, potest retinere sibi dictum pretium. Ita Sanchez *ubi supra num. 12. & 13.* qui etiam optimè excipit à dicta conclusione datum simoniacè pro gratia & justitia, & datum pro ingressu Religionis. nam in primo casu pretium ex Bulla Gregor. XIII. restituendum est pauperibus, in secundo verò ex *cap. veniens, de simonia*, restituendum est danti.

RESOL. X.

An Generalatus, Provincialatus, Correctoratus, Prioratus, &c. includantur sub nomine beneficij ad incurrendas pœnas simoniæ?

Et an mediatores simoniacæ electionis ad Prælaturam aliquam Religionis incurrant excommunicationem? Ex p. 4 tr. 4. & Misc. Res. 156.

§. 1. Affirmativè respondet per *Extravag. 2. de simonia.* Filiucius *tom. 3. tractat. 15. cap. 4. quæst. 7. num. 87.* Suarez *tom. 5. disp. 22. sect. 5. num. 24. & disp. 31. sect. 4. num. 45* Navarrus *in manuali cap. 27. num. 116.* Raynerius *in catal. cens. pap. 9. excommun. 12.* Cajetanus *ver. excommunicatio, cap. 75.* & hanc opinionem de nostris Consultoribus, Definitoribus, Præpositis, &c. docet etiam Peregrin. *in constit. part. 3. cap. 1. lit. I. §. 2. ver. septimo.* ubi asserit supradicta esse beneficia regularia, & qui illa simoniacè obtineret, in pœnas latas contra obtinentes beneficia cum simonia incurreret, & novissimè idem docet Reginaldus *in praxi tom. 2. lib. 23. cap. 12. num. 182.* & mutans sententiam Lessius *in novissim. editione Lugdunensi 1622. lib. 2. cap. 35. dub. 25. num. 137.* & tandem Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 2. cap. 3. dub. 104. num. 5. & 11. & dub. 107. num. 3.*

2. Sed aliqui contrariam sententiam probabilem etiam esse putant, & illam tuetur Barbosa *in collect. tom. 3. lib. 5. Extrav. 2. num. 9.* Peirinus *de Relig. subdito, tom. 1. quæst. 1. cap. 31. §. 9. dict. 21.* Azor *part. 3. lib 12. cap. 21. quæst. 6. ver. quæres,* & Bonac. *tom. 1. de simonia, disp. 1. quæst. 7. §. 2. num. 4.* Ex iisdem verbis *tom. 3. disp. 2. quæst. 3. punct. 24. num. 4.* & alij penes ipsos, asserentes, sub nomine beneficij intelligi ea solùm, quæ propriè beneficia vocantur, & si *in d. Extrav. 2. de sim.* Papa voluisset quælibet officia spiritualis regiminis complecti, clariùs locutus in illa fuisset, & ideo cùm in materia pœnali versemur, verba non sunt interpretatione amplianda, sed potiùs restringenda. Vnde in materia pœnali non valet argumentum à pari, vel à minori ad maius, sed proprietati verborum standum est. & *in d. Extrav.* nomine officiorum Ecclesiasticorum non intelliguntur quælibet officia Ecclesiastica, sed beneficia, ut patet ex verbis antecedentibus & consequentibus. nam ut Summus Pontifex omnia beneficia generaliter comprehenderet, usus est dictis verbis, quia fieri potest ut aliquod beneficium aliquibus in locis *Officium* vocetur.

3. Verum his non obstantibus ne discedas à prima opinione affirmativa quam præter Doctores citatos tenet Portel *in dub. Regular. tom. 1. ver. simonia, num. 5.* Hieronymus Rodriquez *in compen. qq. Regul. resol. 129. num. 5.* Tamburinus *de jure Abbatum tom. 2. disput. 10. quæst. 5. num. 3. & 4.* Gordonus *in summ. tom. 2. lib. 7. quæst. 13. cap. 4. num. 70.* & Sebastianus à Bononia *in tract. de elect. part. 2. cap. 1. dub. 58. num. 18.* cum quo in uno casu libenter negativæ sententiæ adhærerem, quando officium Ecclesiasticum obtentum simoniacè penderet ex arbitrio delegantis, ut sunt Vicariatus domus in nostra Religione, qui dependent ad libitum ex voluntate Præpositi.

4. Ex his resoluitur illa quæstio, an mediatores simoniacæ

niacæ electionis ad Prælaturam aliquam Religionis, incurrant excommunicationem? Doctores qui asserunt has Prælaturas non includi sub nomine beneficij negativè respondebunt, & ita Peyrinus *ubi suprà d.* 24. sic ait: Qui fuit mediator ad consequendam aliquam dignitatem in Religionibus mendicantibus, non incurrit excommunicationem *Extravag.* 2. *de simonia* Ita ille. Sed Doctores sentientes has Prælaturas esse beneficia ad casum propositum, affirmativæ sententiæ adhærebunt.

RESOL. XI.

An Regulares convenientes inter se, ut alter in una electione suffragetur uni, & alter alteri in alia, committant simoniam?

Et quid, si pactum non intervenit, sed tantum futuræ oblatio spei; & si dicatur, da hoc suffragium, & providebitur tibi de aliare, vel quid simile? Ex p. 3. tr. 2. Res. 125.

Sup. hoc lege doctr. res. seq. & sup. signanter in fin. res. 7. §. Nota etiam, paulò pòst init. vers. Addit Diana.

§. 1. Respondeo affirmativè, ut innuit *c. cùm pridem, c. fin. de pactis.* Secus asserunt aliqui, si pactum non intervenit, sed tantùm futuræ oblatio spei, ut si dicatur, Da hoc suffragium, & providebitur tibi de alia re, vel quid simile; & ideo Villalobos *in summa, tom.* 1. *tractat.* 27. *diffic.* 24 *n.* 1. sic ait. [Advierte Emanuel Rodriquez con Navarro, que una cosa es, ofrecer esperança, y otra cosa, el hazer pacto y concierto, porque si el Superior dixesse al subdito, por amor de mi que dexeis este oficio, que yo procurare dar os otra cosa, como se suele hazer muchas vezes, sin animo de obligarse, no sera simonia, aunque parece cierta manera de soborno, y por este camino se escusan muchos que dizen à sus amigos, ayudadme en esta ocasion con vuestro voto, que yo os ayudare en otra, que esto no es hazer pacto, si no ofrecer esperança; mas lo cierto es que esto se llega mucho à simonia.] Ita ille, & post illum Hieronymus Rodriquez *in compen. qq. Regul. resol.* 129. *num.* 3. Sed cùm hæ oblationes subornationis speciem præ se ferant, ideo debent à Religiosis esse maximè alienæ, vide etiam Suarez *de relig. tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 44. *num.* 3 *& seq.*

RESOL. XII.

An sit simonia permutare res spirituales, dummodo non sint beneficia, ut v. g. si Monachus dicat alteri: Elige me in Provincialem, & ego eligam te in Priorem; vel fac pro me Sacrum, & ego faciam pro te; audiam tuam confessionem, si tu audias meam, &c? Ex p. 4. tr. 4. & Misc. Res. 150.

Sup. hoc inf. in Res. 26. §. Hinc, paulò pòst initium, cursim in vers. Et hanc sententiã & sup. in Res. 7. §. Nota etiã paulò pòst init. vers. Addit Diana. & lege doctrinã præcedentis Res.

§. 1. Vt, v. g. si Monachus dicat alteri, Elige me in Provincialem, & ego eligam te in Priorem: vel si aliquis dicat, Faciam, pro te Sacrum, & tu fac pro me; audiam tuam confessionem, si tu audis meam, &c. & affirmativè respondet Richardus *in* 4. *dist.* 25. *art.* 3. *quæst* 2. *ad.* 1. Sylvester *ver. simonia, quæst.* 16. *in fine.* Tabiena *eodem ver. quæst.* 45. *num* 46. Armilla *num.* 41. & Petrus Navarra *de restitut. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 386. nisi prædicta commutatio, ait Lopez *in instruct. part.* 1. *cap.* 299. fieret ex benevolentia & gratitudine absque aliqua obligatione.

2. Verùm contraria sententia docet in his casibus nullam adesse simoniam, quia jura prohibent commutationem beneficiorum; ergo cùm sint pœnalia, non debent extendi, & sic intelligendus est textus *in cap. quæsitum, de rerum permut.* Confirmatur, quia simonia est commutatio rei spiritualis pro temporali; sed in dictis casibus, vel similibus, nil est temporale, ergo non potest esse simonia. Ita Aragon *in* 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 1. Sotus *lib.* 9. *de just. quæst.* 5. *art.* 2. ad 3. Victoria *in relect. de simonia num.* 17. & hæc omnia docet novissimè Sanchez *in opusc. tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 44. *num.* 3. ubi asserit ita sentire doctos recentiores.

3. Vnde ex mente supradictorum Doctorum infertur corruere ea, quæ tanquam certa asserit Peregrinus *ad nostras const it. part.* 3. *cap.* 1. *lit. I.* §. 2. *ver. sexto & septimo*, quia in casibus quos ipse *ibi* ponit, non commutatur spirituale pro temporali, sed spirituale pro spirituali, & illa officia licèt sint spiritualia, non sunt tamen beneficia, ut supponit Peregrinus, nam multi ut *infrà* videbimus, contrarium docent; & ita contra Lopez docet Sanchez *loco cit. num.* 4. ubi sic ait. Hinc excusantur à simonia Monachi convenientes inter se, Elige me in Provincialem, & ego te eligam in Priorem; quia licet hæc officia sint spiritualia, at non sunt beneficia; sic docti juniores. Hæc Sanchez.

4. Sed licèt hæc opinio sit probabilis, ego tamen contrariam teneo, per ea quæ dixi *in* 3. *p. tract.* 2. *resol.* 125. & licèt hoc efficere non esset simoniacum, esset tamen damnabile, ex aliis rationibus.

Quæ hîc Res. intendens & oppositam Res. 13. ejus ra-

RESOL. XIII.

An incurratur labes simoniaca, si petatur à Monialibus dos, quando Monasterium est dives? Ex p. 8. tr. 7. & Misc. Res. 29.

§. 1. Novissimè Renatus à Valle edidit eruditissimam disceptationem de Religioso negotiatore, & *in* §. 9 *num.* 140. agens de proposita quæstione, ad illam affirmativè respondet, sic enim ait. Attendendæ tamen, & exactè servandæ sunt conditiones quas proponebam. Nempe ut Monasterium sit egenum, nec plus accipiatur, quàm præcisè ferat sustentatio unius pullæ, alioqui acceptio erit simoniaca, sin minus nudo jure divino, & naturali, at saltem supposito jure Ecclesiastico, ex *cap. quoniam, de simonia.* Scio Sotum *l.* 9. *de justit. quæst.* 6. *art.* 2. & Philiarcum 2. *p. lib.* 6. *c.* 7. *sub finem*, contrarium sentire, existimantes Monasterium locuples posse accipere quod necessarium est ad puellæ sustentationem. Sicut Sacerdos aliunde copiosus, potest ex Altaris ministerio accipere sustentationem suam, absque simonia. Sed quod dixi multis confirmatur à Suar. *tit.* 5. 3. *part. disput.* 22. *sect.* 2. *num.* 10. *& lib. de simon. cap.* 17. *num.* 9. Et ratio est, quia Ecclesia intuitu Religionis, & ne consortium spirituale, ac status perfectionis acquirendę videretur subjici pretio, edixit, ut bona Monasterij gratis conferrentur in sustentationem personæ, quæ in illud cooptatur. Si igitur collatio talium bonorum vendatur; (ut sanè fit, si persona non admittatur ad fruendum bonis illis absque pecunia) non modò admitteretur injustitia, (quod unum concedit Reginald *l.* 13. *num.* 193. estque ex natura rei perspicuum;) sed etiam admitteretur simonia, saltem supposita Ecclesiæ prohibitione, quæ jus adimit Monasterio percipiendi quicquam ob admissionem ad participationem bonorum cõmunium, sive ad sustentationem ex eis habendam. Igitur si Monasterium locuples, dicatur pro admissione aliquid accipere titulo sustentationis, titulus est vanus atque confictus: reverta autem titulus accipiendi non potest esse, nisi admissio ad sustentationem ex bonis Monasterij accipiendam, quæ est aperta simonia, qualis esset ejus qui diceret se gratis conferre beneficium, sed accipere pretium pro fructibus. Affine exẽplum est ejus, qui diceret se à mutuatario accipere ultra sortem titulo sustentationis, non titulo mutui, quod nemo negaverit continere veram usu-

usuram. Vt igitur pro puellæ cooptatione in Monasterium, sive in ingressu primo, sive in professionis emissione, aliquid accipi possit; necesse est, ut Monasterium aucto numero puellarum jam admissarum, vel quas admittere consilium est, non possit præ egestate istam, de qua agitur, sustentare absque hoc subsidio, quam conditionem dicebam observandam.

2. Non posse autem plus accipi, quàm exigatur ad commodam unius puellæ in tali statu sustentationem, quæ erat conditio altera, rectè asseritur à Navarro *supra*, & à Suarez *cap. illo 17. num. 14. & disp. illa 22. numero 12.* necnon à Roderico *tom. 2. qq. Reg. quæst. 49. art. 1.* Et ratio est, quia ea sustentatio est solus titulus justè paciscendi, aut accipiendi occasione ingressus, vel professionis, (quod in hoc negotio eodem recidit.) Si ergo plus aliquid accipiatur, non accipietur titulo sustentationis, sed ob admissionem in Religionem, quæ esset vera simonia. Vnde simoniacum est plus petere pro aliqua puella, quia est obscuris natalibus, ut Rodericus *supra* rectè notavit. Item quia ædificatio novi Monasterij non comprehenditur ambitu sustentationis puellarum primi Monasterij, simoniacum est, à puella admittenda in illud primum Monasterium aliquid exigere ut suppetant sumptus ad novum Monasterium in eadem urbe, aut in alia ædificandum, etiamsi ipsa non sit in illud novum Monasterium cooptanda. Ad hæc, quia corollarium illud dotis, de quo *supra*, v. g. munus pro sacristia, ægrè potest revocari ad sustentationem, periculum est ne pactio de eo munere sit simoniaca. Suarez sanè *de simon. cap. 17. num. 16.* existimat talia dotis superpondia, *Extravag. 1. de simon.* percelli excommunicatione ipso facto incurrenda, & Summo Pontifici reservata. Nam *ibi* Vrbanus IV. præter cætera vetat intuitu ingressus pullæ, quoscumque pastus, seu prandia, pecunias, (nempe ad modum distributionum) jocalia, aut res alias, etiam ad usum Ecclesiasticum, seu quemvis pium usum deputata, seu deputanda. Quibus verbis exscindi videntur munera, verius extorsiones pro sacristia, aut valetudinario, supra dotem exacta ex pacto. Quod tamen ad prandia attinet, non excluditur moderata collatio pro solemnitate juxta consuetudinem, talis enim collatio facilè potest ad sustentationem revocari, nec sublata est à Tridentina Synodo *sess. 25. cap. 16. de reformat.* cùm sub anathemate vetuit dari quicquam Monasterio præter Novitiæ victum. Quod ergo Vrbano displicuit, fuit sordidus modus extorquendi ea prandia, qui valdè improbatur, *cap. audivimus, & cap. tua nos, & cap. quoniam, de simon.* Facilè sanè est, ut ex his dotis superpondiis, cùm non dantur ex pura, & plena benevolentia, putor aliquis simoniacus inhaletur.

3. Hic conveniri velim conscientias Præfectarum Monasteriis, & eorum qui Præfectas, & Monasteria dirigunt, verè ne ob egestatem Monasterij, ad unius puellæ candidatæ sustentationem impotentis, petantur, (veriùs extorqueantur) præter pinguem dotem, varia præmia, etiamsi numerus Monialium, juxta constitutiones, aut habitationis commodæ qualitatem expletus sit, nec de pluribus excipiendis, vel amplificando Monasterio fortè jam satis dilatato cogitetur; an verò ad ingluviem nunquam exsatiandam referenda sit ista petacitas. Quid enim dicemus de quibusdam Monasteriis Regia munificentia ante multa sæcula opulentissimè fundatis, nec modico censu potientibus, in quæ tamen hodiéque nulla admittitur puella, quin dotem afferat propè sufficientem ad ejus collocationem in matrimonio natalibus congruente? An Deus maledicit bonis per cupiditatem nulla unquam mole explendam comparatis; ita ut quod Aggæus de fructibus contempto numine comportatis denunciabat, comedentes non essent ex eis satiandi? Non videtur dubium, quin si decreta Ecclesiastica, de manibus hac in parte servandis planè puris, executioni mandarentur, benignè faceret Deus in bona voluntate sua Cœnobiis, providerétque Antistitas, & alias census Cœnobij administras adeò industrias, ut absque his fœdis negotiationibus fieret pax in virtute Domini, & abundantia in turribus ejus. Considerent, quorum interest. Hucusque Renatus.

4. Sed his non obstantibus negativæ sententiæ adhæreo, quam præter alios tuetur Villalobos *in summa tom 2. tract. 37. diffic. 15. num. 5.* ubi ita asserit. *Aunque el Monasterio sea rico, no se incurre simonia recibiendo algo por el sustento de la Religion, como se dixo arriba del Sacerdote rico, que no incurre simonia por recebir algo por el sustento, pues no es cosa espiritual sino corporal, como dizen Sylve, Aragon. y Ledesma, Y dize Suarez, que es espiritual derecho que tiene el Religioso, para sustentarse de los bienes del Convento, y assi que se ha de justificar esto con titulo de necessidad; y que se puede hazer, supuesto que en los Conventos ricos son muchos los gastos, y todos han menester el dia de oy. Mas dize Sylvestro, que quando un Monasterio es rico, y recibe algo por sustentar la Religiosa, ay presumpcion de simonia, y reprehende à las Monjas que ensoberviciendose con la riqueza, quanto el Monasterio es mas rico piden mayor dote, y juzgan del estado de la Religion, como del casamento del mundo. Y es notable para esto un texto, que dize assi.* Quoniam simoniaca labes adeò pleraque Moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio accipiat in sorores paupertatis, &c. *Y al fin dize; Præcipimus, ut diœcesani Episcopi singulis annis hoc faciant, per suas diœceses publicari. Mas esto no esta en uso, y assi me parece que aun en el fuero exterior, es licito, pues todas lo hazen assi con escrituras publicas. Y pueden se escusar en parte las Monjas ricas, porque en aquellos Monasterios se hazen mayores gastos.* Sic ille. Vide etiam Hieron. Rodriq. *in comp. qq. Regul. res. 54. n. 3.* ubi docet opulentiam Monasterij non facere ut quod in paupere non sit simonia, in divite Conventu censeatur, nisi pecunia extra victum pro aliis causis recipiatur, puta quia puella recipienda est vilis conditionis, vel si ad magnitudinem & magnificentiam clariorem Monasterij, arctius & superabundans pretium dotis pro ingressu exigatur.

5. Nec deseras etiam Doctores quos citat, & sequitur Layman *lib. 4. tract. 10. cap. ult. §. 4. n. 39.* excusantes ratione consuetudinis Moniales poscentes dotem, etiam si sint in Monasteriis divitibus.

RESOL. XIV.

An si Minister Sacramenti petat, ut detur pecunia in pretium illius, & faciat jurare dantem, ut omnino tali pacto det, possit sine simonia dari?

Et an in tali casu jurans possit uti æquivocatione, & restrictione tantum in mente retenta?

Et quid, si Minister petat me jurare coram aliis?

Et an necessitas recipiendi viaticum homini jam confesso, vel non habenti peccatum mortale sit causa sufficiens ad hoc, ut pro illo recipiendo det pecuniam Ministro nolenti aliter ministrare?

De Confirmatione, & Extrema-unctione in dicto casu non videtur esse eadem ratio.

Et an sit simoniacus, si adultus in extrema necessitate Baptismi constitutus, sibique persuadeat, quod difficulter sufficientem contritionem habebit, pecuniam offerat Ministro, ad redimendam suam vexationem? Ex p. 11. tr. 6. & Misc. 6. Res. 32.

§. 1. HAnc quæstionem pertractat Ioannes Vvigers *de Iust. tract. 7. c. 4. dub. 6. n. 28.* & ait ex Suarez,

rez, quòd quando talis non amplius urgeret sed simpliciter peteret ut sibi detur pretium Sacramenti, non per hoc cogi alterum, qui pecuniam dat, dare juxta intentionem petentis, sed posse dare in sustentationē, vel ad tollendum impedimentum baptismi. Quod si autem iniquus ille velit, ut dans profiteatur & juret se dare pecuniam illam in pretium Sacramenti, tunc quidem si ille id faciat in contēptum Sacramenti, & Religionis Catholicæ, prout hoc natum est intelligi, cùm vix occurrat ratio alia, qua id aliàs sic peteret, tunc inquā, ex communi omnium Doctorum sententia nullo modo obsequendum est ejus petitioni, ne extrinsecus quidē, sed potius permittendum, quod infans sine Baptismo moriatur, quia tunc à datione pecuniæ est inseparabilis injuria Religionis, quæ est intrinsecè mala, unde nec committi potest pro spirituali salute proximi. Si verò ponamus, aut fingamus, quod non petat istam declarationem, & juramentum fieri in cotemptum Religionis, sed ob aliquam causam privatam, aut extrinsecam, in tali casu vult *lib.9. de just. q.6. art.1.* licitum esse dare pecuniam in pretium, & affirmare cum juramento hac intentione dari. Fundamentum ejus est, quod existimet emere Sacramentum, non proinde esse intrinsecè malum, sicuti ipsum vendere, unde putat extremam infantis necessitatem posse emptionem ejus facere.

2. Sed hæc opinio tanquàm omninò improbabilis à Suarez *tom.1. de Relig. lib.4. c.12. n.16.* & aliis rejicitur, quia in primis ista professio ejusmodi dationis, est valdè injuriosa rebus divinis, & Sacramentis, neque est talis injuria separabilis, etiamsi ab iniquo exactore non formaliter intendatur. Deinde fundamentum etiam omninò falsum est, quod scilicet emptio Sacramenti non sit intrinsecè mala, quod, vel ex eo colligitur, quo clarè D. Thomas *q.100. art.2. ad 1.* dicat, quod nullo modo deberet quis pretium pro Baptismo dare, sed potius absque Baptismo decedere, quod saltem formaliter intellectum debet censeri, verè à D. Thoma dictum quod scilicet nullo modo liceat per modum emptionis dare pecunias pro Baptismo tanquam pretium ejus: unde etiam Doctores passim omnes supponunt ante omnia, removendam semper esse intentionem emendi Sacramentum, vel dandi pretium pro Sacramento: quod si non possit haberi intentio illa, non poterit quoque exterius dicere, aut jurare, quod illā habeat, nam si juret, committet periurium: si absque juramento profiteatur se dare tanquam pretium Sacramenti erit mendacium perniciosum, & sacrilegium contra reverentiam debitam Sacramento, inquit Suarez: & ita in specie sic urgendo casum hūc docuit Ioannes Major *4. dist.5. ad 3.* & ex modernis Vgolinus, *tab.1. cap.6. n.5.* & 8. neque satis video, quomodo ejusmodi declaratio in talibus terminis facta, vel juramentum ipsum justificari possit per amphibologias, aut restrictiones mentales, prout videtur Bonac. *tract. de simonia, disp.1. q.4. §.1. n.4.* innuere. In illo itaque casu, addit Suarez, ommittendum erit ipsum Sacramentum. Hucusques Vvigers; Ex quibus ultimis verbis negativè ad casum propositum respondendum videtur.

3. Sed affirmativam sententiam docet Tancredi *de Relig. tract.2. lib.4. disp.7. q.4.* asserit enim probabilissimum esse in casu præsentis dubij, jurare cum æquivocatione tantum in mente retenta, verbi gratia, juro me non dare tibi hanc pecuniam ad redimendam vexationem, sed in pretium Sacramenti, & intra se intelligendo, ut tu dicis perversè vel quid simile. Moveor, quia in hac assertione juxta loquentis intentionem, non est mendacium: ergo neque periurium, nec sacrilegium, ut volebat Suarius, consequentia posito antecedente clara est, & notat Layman agens de mendacio *tract.2. Lessius lib.2. cap.4. dub.9.* & passim alij. Antecedens probatur fusè, & optimè à Sanchez *lib.3. sum. cap.6. n.15.* & à nobis *tract.4.* Probat etiam Navar. *in cap. humanæ aures 22. q.5. in q.2.* ubi ostendunt non esse mendacium uti verbis ex se non ambiguis, sed facientibus verum sensum, quamvis ex sola additione retenta in mente id fiat: si ergo non est periurium, nec mendacium illo modo uti, certè licebit juramentum ex tam justa, & urgenti causa, ut docet Sanchez *loc. cit. n.29.* cùm Navarr. *suprà*, ubi ait licere quoties necessarium est, aut utile ad salutem corporis, vel ad honorem familiæ, vel ad quemlibet alium virtutis actum: ergo multò magis ad salutem animæ in tanto periculo procurandam. Quod tamen intelligendum, dummodo id non cedat in injuriam, & irrisionem Sacramenti, ut si minister petat me jurare coram aliis, & ego non possem illis manifestare meam bonam intentionem. Et hæc omnia docet Tancredi *ubi supra*, qui citat Valentiam *tom.3. disp.6. q.16. punct.3.*

Sup. hoc in Resolutionibus not. seq.

4. Et quidem licet novissimè nominatim contra me Thom. Hurtadus *var. tom.2. tract.7. resol.3. cum seqq.* quærat, utrum secundùm se ea oratio, quæ falsa erat sine restrictione mentali, possit esse vera apposita tali restrictione mentali pura, ita ut externo signo neque implicitè, neque explicitè talis restrictio denotetur, & sic à mendacio, & cordis duplicitate sit libera: prorsus negativè respondeat cum pluribus Doctoribus, quos adducit; tamen non desunt alij præstantissimi Theologi, qui nostræ affirmativè sententiæ adhærent, quos ego alibi citavi, quibus adde Castrum Palaum *tom.3. tract.14. disputat.1. punct.7. numero 5. in fine*, ubi sic ait: Quoties cumque aliqua causa honesta se offert tegendi veritatem, poteris absque peccato uti amphibologico juramento, ut ex allatis exemplis constat, & ea ratione sæpè dicta; quia tale juramentum veritatem, & justitiam habet, & cum utile sit illud præstare, non deficit judicium. Ex nullo ergo capite vitiari potest. Quapropter, ut bene dicunt Sanchez *lib.3. capite 6. numero 45.* Bonacina *disputat.4. de jurament. quæst.1. punct.12. vers.7.* & alij apud ipsos, etiamsi rogans omnem æquivocationem vellet excludere, & ultra juramentum de re facta petat juramentum de calumnia; exigatque juramentum dicendi veritatem sincerè, & absque ulla æquivocatione, adhuc poteris jurare amphibologico juramento, & restrictione facta; Quia subintelligere potes, te juramentum absque æquivocatione injusta; nulla enim propositio, ita amplè sumi potest; quin aliquam restrictionem habere possit in mente. Quod manifestè convincitur in confessore rogato de delictis in confessione auditis, quia ea tacere tenetur quomodocumque juramentum exigatur. Dari ergo potest aliqua via occultandi veritatem absque mendacio. Ita Palaus. Vnde remanet satis probabilis opinio superius allata docti, & amicissimi Patris Tancredi; qui etiam *num.20.* quærit, an necessitas recipiendi Viaticum homini jam confesso, vel non habenti peccatum mortale, sit causa sufficiens ad hoc ut pro illo recipiendo det pecuniam ministro nolenti aliter ministrare juxta supradicta? Et affirmative respondet; quod etiam intelligit etiamsi iterum sumendum esset Viaticum in eadem infirmitate, quia non debet se privare tanto bono, quantum affert Sacramentum illud in fine vitæ, quamvis non sumeretur per modum Viatici cum cæremoniis solitis, sed revera infirmus est in mortis periculo, quia militat eadem ratio necessitatis. De aliis verò Sacramentis, nempè Confirmatione, & Extrema unctione, non videtur esse eadem ratio, quando constaret infirmo moraliter se esse in peccato, & jam recepit Eucharistiam: Contra verò si illam non posset recipere ob infirmitatem; ferè eadem ratio militat; quia hoc Sacramentum magnam affert utilitatem. Hæc Tancredus, cui ego libenter adhæreo.

Affirmant Palaus & alij.

Sup. hoc in Resol. 22. num. 3. præcepti. Sanch. lib. 3. cap. 6. n. 21. tom. 1. n. 1. Ref. 22.

Sup. hoc in fine hujus §. hinc in n. 7. Ref. 22. §. alio.

5. Sed

5. Sed si aliquis hic quærat, an sit simoniacum, si adultus in extrema necessitate Baptismi sit constitutus, sibique persuadeat quod difficulter sufficientem contritionem habebit, pecuniam offerat ad redimendam suam vexationem? Et quidem communiter affirmativè respondent Doctores, sed ego negativæ sententiæ adhæreo, quam tuetur Valentia, Henriquez, Richardus, Major, & alij, quos affert, & sequitur doctus Pater Binsfeldius *in cap. 9. de simonia, quæstione 3. concl. 3.* Et ratio est quoniam etiam adultus in necessitate Baptismi gravissimam habet causam negligendi tunc peccatum alterius, atque procurandi per vexationis redemptionem Baptismum; quamvis qui sic pecuniam recipit simoniam committat. Etenim quis certus esse potest, an veram, & sufficientem contritionem habeat, quæ sine Sacramento ad salutem sufficiat, cùm nemò sciat, an amore, an odio dignus sit, & quisquis merito timere debeat de sua dispositione? Atque etiam in hoc casu oblatio pecuniæ in adulto est vera redemptio vexationis, pro tuendo optimo necessarioque jure, quod Christus concessit omnibus ad Sacramentum saluti necessarium, imò efficax, tutissimumque remedium.

RESOL. XV.

An Musici, qui in Ecclesiis divina Officia canunt, aliquid temporale accipere possint sine labe simoniæ?

Et quid de concionatoribus?

Et an sit simonia aliquid tanquam pretium accipere pro labore interno functionis spiritualis?

Et quid pro labore externo, v. g. iter agere unius leucæ ad dicendum Sacrum, expectare quotidie per horam, vel aliud tempus ad celebrandum, &c?

Et an ad simoniam pertineat, si quis judicem Ecclesiasticum inducat pecunia ut justitiam in causa spirituali administret?

Et quid in causa alias saculari? Ex part. 11. tract. 6. & Misc. 6. Resol. 34.

§. 1. IN hoc casu nimis scrupulosè loquitur Ioannes Vvigers *de just. tract. 7. cap. 4. dub. 8. num. 42.* ubi sic ait: Difficultas est de cantu Ecclesiastici officij, utrum pro eo possit aliquid temporale accipi. Quidam affirmant, idque ratione scilicet laboris quem ipsi æstimant quasi intrinsecum officio divino, quia nimirum posset officium legi sine cantu, aut quia ille cantus videtur reponendus inter spiritualia illa mixta, in quibus temporale prædominetur, sive quæ plus habent de temporali, in quibus licet simpliciter vendere quod temporale est, modò non habeatur ratio spiritualitatis. Indicat hoc de cantu Toletus *lib. 5. cap. 86.* Suarez, *tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 21. num. 15.* Verùm quandoquidem cantus ille ex munere clericali aut ordine, sive ex officio spirituali adhibeatur in Dei cultum, omninò dicendum videtur nihil pretij pro eo posse dari aut accipi, idque non tantùm si Clerici aut Sacerdotes, sive ex officio suo per se canant, sed etiam quando Vicarij nomine, & vice istorum canunt; quia actus planè spiritualis est, & ex sua ratione postulans quod virtute Religionis informetur, ut legitimè fiat. Neque refert quod officium legi possit sine cantu, quia ut vendibilis non sit, satis est, quod ipse talis cantus per se exigat, ut religiosè exerceatur, & quod ex spirituali principio procedat aut pendeat. Neque convenienter dici videtur quod in cantu Ecclesiastici officij prædominetur temporale, sicuti dici solet de Calice consecrato, cùm principaliter ipse cantus adhibeatur, & æstimetur idcirco, quia in eo laudatur Deus, non propter aliud temporale: quare dicetur melius quod Vicarij non pro cantu officij Divini, sed pro sua sustentatione accipiant stipendium; ipsa tamen specialis ars cantandi, & singularis vocis suavitas forsitàn possent pretio temporali æstimari; quamvis contrarium appareat probabilius, quia nec grata elocutio Concionatoris, neque ars ejus benè dicendi, imò nec prærequisitum studium possunt pretio temporali æstimari & vendi, ut de studio expressè docet Suarez *loc. cit.* Sed non satis placet quod significat ibidem, nimirum quod Cantores musici conducti, & qui instrumentis musicis iudunt, tantùm adhibeantur ad ornandum Divinum officium suis vocibus aut instrumentis, revera per se non exerceant actionem spiritualem, neque officium Divinum recitent, aut peragant; quia in primis actus illi & instrumenta sunt idonea, & convenientia ad laudandum Deum, & divinas laudes celebrandas; ut ex scriptura constat, quæ sæpius nos hortatur, vt laudemus Deum in hymnis & canticis, in sono tubæ, in organis, & cymbalis benesonantibus; quidni igitur quando in Ecclesiis, & Oratoriis, ad quæ populus religionis causa convocatur & convenit, dicenda erunt adhiberi, ut in illis Religiosum officium exerceatur. Sanè si tantum adhibeantur ad demulcendas curiosorum aures, non id sine vanitate & culpa fieri posse in tali loco, & in tali conventu existimarem. Accedit quod totum officium, ut Laudes, Vesperæ, & aliæ Preces decantati possint per tales conductos musicos, & musicalia instrumenta; unde si illi non exerceant actionem spiritualem, nec officium divinum peragent, consequens videtur quod populus potius censebitur vocari ad comœdos audiendos quam ad audiendum, & interessendum Divinis officiis: quare commonendi sunt ejusmodi cantores ut accipiant temporale titulo sustentationis, aut gratis religionis causa faciant, vel abstineant. Hucusque Vvigers.

2. Ego paucis me expediam, & contra Professorem Lovaniensem alium Professorem adducam, & is est Ioannes Malderus *in 2. 2. de Just. & Iur. tract. 9. cap. 3. dub. 6. ad argum. 3.* Dico igitur si cantus ex munere Clericali, aut ordine, aut dono spirituali adhibeatur, non licere ejus pretium, sed tantum personæ pacisci sustentationem. Secus si aliundè ad populi devotionem excitandam adhibeatur; tunc enim non minus licet ejus pretium pacisci, quam pulsus campanarum, quo homines ad orationem vocantur, & incitantur. Ita ferè Adrianus *quodlibeto 9 q. 1. ad 3. principale*; quamvis ex opinione sua addat, etiam priori modo posse locari operam. Toletus tamen *lib. 1. c. 86.* cantum Ecclesiasticum ponit cum illis spiritualibus mixtis, in quibus prædominetur temporale, aut quæ plus habeant de temporali, ubi liceat simpliciter vendere quod temporale est, modò non habeatur ratio spiritualis.

3. Sed si quæras hîc obiter, an sit simonia aliquid tanquam pretium accipere pro labore interno functionis spiritualis? Videtur negativè respondendum, quia labor ille, aut molestia non est in se spiritualis, aut ordinis gratiæ; quamvis enim fatigationem habeat spiritus, ut summù tantum indè dici poterit spiritualis à spiritu humano, quod diximus ad simoniam non sufficere. Deindè habet fatigationem corporis, quam æstimari posse nemo negaverit. Nec obest conjunctio interna cum re spirituali; neque enim ea major est, quam sit auri cum consecratione in Calice, quod tamen vendi potest. Deinde Matth. 10. & Lucæ 10. affirmatur ministrantem in iis rebus spiritualibus dignum esse mercede: non est autem dignus mercede ratione bonorum spiritualium, quæ aliis confert, neque ratione actionis, quam confert, si enim hæc omnia posset sine ullo labore, & temporis diuturnitate conferre, nullam mercedem, pretiumve exigere posset. Ergo est

dignus mercede pro labore, & tempore, quod insumit in Sacris faciendis & quatenus illæ actiones Sacræ sunt sibi molestæ, & aliarum actionum sibi utilium impeditivæ. Qua ratione majori stipendio, & sustentatione dignus est, qui toto die audit confessiones, quàm qui una hora; & qui Missam canit, quàm qui illam recitat. Aliàs deterioris conditionis essent Ministri Ecclesiæ, quam actores, & negotiatores temporalium rerum, qui ob defatigationem, & laborem impensum, & tempus quod insumunt, possunt aliquid ferre. Cur ergo privari debent ministri, qui in negotiis salutis æternæ incumbunt? Et ita hanc sententiam docet D. Bonaventura *in 4. dist. 25. art. 1. q. 4.* Ricardus *eadem dist. art. 3. q. 2. ad 8.* Adrianus *ubi supr.* & Glossa *in c. significatum, de Præben.* Sed verior sententia videtur affirmativa; nam quamvis labor iste interius æstimationem aliquam habeat, nullam tamen habet per se nisi propter valorem substantialem actus spiritualis, qui pretio temporali inæstimabilis est, & quidem si venialis esset hujusmodi internus labor, non opus esset (quod tamen Patres passim faciunt, D. Thomas, & graviores Scholastici) ita inculcare. quidquid Sacerdotes accipiunt temporalis emolumenti, pro sola sustentatione accipere: imò nihil ulterius pro sustentatione deberetur, sicut operario non debetur alia sustentatio, semel ad æqualitatem soluta mercede. Neque solet in emptione, & venditione, & similibus commutationibus urgere sustentatio. Itaque dicendum est pretium recipi non posse pro hoc labore intrinseco, & necessario conjuncto operibus spiritualibus: posse tamen recipi stipendium sustentationis, si aliàs actio spiritualis debita non sit. Et ita hanc sententiam tenet Sylvester *verb. simonia, quæst. 9. num. 3.* Sotus *lib. 9. de just. q. 6. artic. 1.* Valentia, *tom. 4. disp. 6. q. 16. punct. 2.* Suarez *in 3. part. tom. 3. disputat. 86. sect. 1.* & alij communiter.

4. Nota verò alios labores esse accidentales, & quasi extrinsecos actionibus Sacris, quippè (moraliter loquendo) necessarij non sunt ad actiones Sacras efficiendas, v. g. agere iter unius leucæ ad dicendum Sacrum, quando id non adnectitur officio, vel beneficio, expectare quotidie per horam vel aliud tempus ad celebrandum, dicere Missam statutis horis, vel in certis locis, & ad hoc obligari, promittere extraordinarium studium ad concionandum, &c. Pro iis igitur & aliis similibus pretium exigi potest, & pro obligatione ad hæc omnia efficienda; quia sunt temporalia onera, & privant laborantem aliis commodis temporalibus. An verò ad simoniam pertineat, si quis Iudicem Ecclesiasticum inducat ut justitiam in causa spirituali administret? Respondet Sylvester *hoc verbo q. 9. numer. 9.* pertinere. Sed majoris dubitationis est, si Iudex quidem ex potestate Ecclesiastica judicet, sed in causa alias sæculari. Quidam putant, etiam tunc esse simoniam. Favet *cap. Vendentes 1. qu. 3.* Glossa tamen ibidem indicat contrarium, & videtur probabile. Neque enim sufficit quovis modo à potestate spirituali actum proficisci, ut simoniaca sit ejus emptio, vel venditio; aliàs qui pretio induceret Clericum ad sibi locandum fructus sui Beneficij, etiam esset simoniacus. Alteri tamen sententiæ favet D. Thomas *dist. 25. q. 3. art. 2.* ubi absolutè dici, Iudicem simoniam committere vendendo justitiam si sit spiritualis Iudex. Idem sequitur Turrecremata *in dict. cap. Vendentes*; & videtur verius; licet enim sit temporale, est tamen revera usus potestatis spiritualis. Aliud est quando elocat Clericus fructus sui beneficij, utitur enim quasi temporali dominio quod habet in illos, aut in æstimatam spem eorum. Et ita ego olim interrogatus respondi commisisse simoniam quemdam judicem Ecclesiasticum, qui pretio judicavit, licèt in casu sæculari.

RESOL. XVI.

An liceat alicui ludere preces cum alio pro præmio temporali?

Et an in hoc sit simoniæ periculum?

Et notatur, quod si Dominus nihil prorsus mancipio prebeat, quod insumat in honestam recreationem, neque quidquam servus ipse aliunde habeat, tunc poterit aliquid insumere ex bonis Domini in moderata recreatione, aut ludo, quia servus jus habet sumendi moderatam recreationem.

Et alij diversi casus pro ludis adducuntur in corpore hujus Resolutionis, qui omnes hic sunt appositi in indice ultimo rerum notabilium hujus tomi. Ex p. 11. tract. 6. & Misc. 6. Res. 9.

§. 1. EMinentissimus Dominus meus Cardinalis de Lugo putat hoc esse illicitum; quia in hoc esset simoniæ periculum, quatenus spirituale opponitur temporali in contractu oneroso, in quo æqualitas exigitur inter ea, quæ ab utroque contrahente sunt solvenda. Sed Ioannes Pontius nominatim adversus illum putat id licere, *in curs. Theol. d. 56. quæst. 3. concl. 3. num. 9.* sicut enim absque simonia potest quis obligare se ad dicendum sacrum pro alterius intentione cum conditione quod ipse solvat ipsi decem asses, & alter potest ipsi solvere illos propterea; ita prorsus potest aliquis obligare se ad dicendum Sacrum pro ejus cum quo ludit, intentione, ea conditione, ut si ipse vincat, alter solvat ipsi decem asses; non quidem pro sacro, nec pro applicatione intentionis, sed pro labore quem dum sumit in sacro dicendo, vel pro substentatione, est enim prorsus eadem ratio. Confirmatur, quia obligans se ad dicendum sacrum si perdat, pro altero obligato ad dandum ipsi decem asses si vincatur, non exponit nisi decem asses, quos ipsemet posset habere, si diceret sactum pro alterius intentione; sic autem observatur tanta æqualitas, ac proportio, etiam in re exposita ludo instat utrimque: ergo nihil impedit quò minus id fieri possit. Per quod patet ad rationem Cardinalis, quia non est ipsum sacrum quod exponitur, sed quod corresponderet sacro tanquam pretium laboris, in eo dicendo insumpti; aut tanquam pars sustentationis, quæ deberetur ei, qui vellet dicere sacrum, quod est totum temporale. Deindè etiamsi esset malum ipsasmet orationes exponere, tanquam æqualis valoris ulli rei temporali, tamen non propterea committeretur simonia id faciendo, cùm non vendantur pro pretio. Rursus, qui vellet ludere orationes pro aliquo præmio temporali, lucrando per ludum, non necessario deberet propterea existimari æquiparare orationes illi præmio: nec enim talis æqualitas requiritur semper in re utrimque exposita ludo; quia potest quis, si voluerit, justè exponere viginti nummos pro uno, cùm sit Dominus argenti, & sicut posset nummos absolutè donare, cur non posset eos periculo exponere pro uno nummo si velit?

2. Notandum est hîc obiter id quod docet Dicastillus, *de Iust. lib. 2. tr. 1. 8. disp. 5. dub. 7. num. 48.* quod si Dominus nihil prorsus mancipio præbeat, quod insumat in honestam recreationem, neque quidquam servus ipse aliundè habeat, tunc poterit aliquid insumere ex bonis Domini in moderata recreatione, aut ludo, quia servus jus habet sumendi moderatam aliquam recreationem. Et testatur ita sensisse in communibus casuum conscientiæ conferentiis graves & doctos viros Societatis.

3. Nota hîc etiam, quod Malderus *de Iust. t. 1. c. 12. dub. 1.* existimat, quando quis nulla fraude alterum

ad sponsionem pellexit, etiamsi de victoria fuerit certus, non teneri eum ad restitutionem. Sed oppositum puto verius: nisi alteri prius declaraverit, se certò cognoscere, & persisterit nihilhominus alter & voluerit certare, tunc enim locum habebit, quod scienti & volenti non fit injuria. Et ita ex multis docet Ioannes Vvigers, *de Iust. tract. 5. cap. 4. dub. 1. num. 3.* qui etiam optimè observat *dub. 5. num. 13.* quod qui ludit ludo prohibito, si habeat animum non solvendi, vel solutum repetendi, non potest lucrari sic, ut lucrum justè detineat. Ratio est, quia colluforem decipit, dum se gerit tanquam paratus esset pari sorte concurrere cum altero, ut solvat, si vincatur, & lucrum recipiat, si vincat: cùm tamen intendat solum ab altero lucrum captare, & si perdat nihil ipsi concedere; quod facit contractum inæqualem & iniquum. Qui tamen sincerè lusit, non habens animum non solvendi, aut recuperandi in judicio, poterit ludo peracto mutare animum & non solvere. Ita quoque Bonacina *de Rest. in particul. disp. 2. q. 3. punct. 3. num 9.* quia jus commune utrique hoc concedit, & in eo pares sunt.

4. Nota, hæc procedere in ludo vetito, quia qui ludo licito ludit, etsi cogitet non soluere, poterit tamen lucrari; quia quamvis soluere non intendat, poterit tamen ad solvendum compelli, atque ita victor censetur hîc paris esse conditionis ad lucrum faciendum, non obstante contraria voluntate colludentis.

5. Et tandem nota, quod cogentes ad ludendum debent restituere quod lucrantur; secus autem qui ab ipso lucratur. At Pontius *ubi sup. disput. 58. quæst. 3. conclus. 6. num. 13.* contrarium videtur docere contra Cardinalem Lugum, & alios; quia ex injuria facta uni, debet constitui indemnis; alter verò non item, cùm ipsi non sit facta injuria. Ego convenio cum primis, quia ex injuria per metum facta non sequitur aliud, quam quod debeat servari indemnis: ergo non debet ex illa reportare lucrum; reportaret autem si deberet lucrari, & non posset perdere. Quam resolutionem teneo ex natura rei; sed valdè opportunè provideretur per leges positivas, ut qui hoc modo induceret ad ludendum, in pœnam illius injustitiæ perderet quod alter lucraretur. Ita Pontius. Sed ego puto non esse discedendum à sententia Cardinalis Lugo, quæ est communis.

RESOL. XVII.

An simonia ad alia beneficia obtinenda inhabilem reddat simoniacum?

Et an Episcopus possit virtute Concilij Tridentini sess. 24. cap. 6. dispensare in inhabilitate simoniæ ad alia beneficia? Ex p. 11. tr. 5. & Misc. 5. Res. 18.

§. 1. REspondeo probabilius esse juxta Constitutionem Pij V. te ipso jure inhabilem reddi, inquit enim Pontifex. Illis scilicet beneficiis per simoniam acquisitis sit ipso jure privatus, & perpetuò sit inhabilis ad ea, & quæcunque alia Ecclesiastica beneficia obtinenda; & ita tradit Suarez *lib. 4. cap. 58. num. 11.* Verùm Navarr. *conf. 82. de simon.* existimat, inhabilitatem ad beneficia obtinenda ipso jure non incurri: quia in hac parte illa constitutio non est recepta; & consentit Suarez, supra, & Lessius *cap. 35. dub. 26.* cùm etiam respectu simoniæ confidentialis requirat sententiam declaratoriam criminis ad inhabilitatem contrahendam respectu aliorum beneficiorum. Vide etiam Palaum *tom. 3. tr. 17. disp. 3. punct. 25. num. 7.*

2. Sed hîc non deseram apponere id quod docet Baunius *in pract. benefic. disputat. 16. quæst. 62. dub. 18.* ubi sic ait; Rehabilitare simoniacum ad beneficia, ad quæ est per simoniam inhabilis jure suo quis possit?

3. Non alius quàm Pontifex, opinione Thesauri, & Bonacinæ *de Simon. quæst. 7. punct. 2.* est tamen meo sensu, eorum non improbabile judicium, qui asserunt Episcopum virtute Trident. Concilij *sess. 24. c. 6.* dispensare posse in inhabilitate occultæ simoniæ ad alia beneficia. Ita Baunius: cui adde Sanchez *in opusc. tr. 1. lib. 2. dub. 120. num. 40.* & Henriquez *lib. 13. de excommunic. cap. 37. littera F, & 56. num. 1. litt. E*, Sed opinio Thesauri, & Bonacinæ in hac Curia videtur recepta.

4. Sed post hæc scripta, inveni doctissimum, & amicissimum Patrem Vincentium Tancredi *de Religione tract. 2. l. 4. disp. 44. quæst. 2. numero 10.* putare, sententiam Baunij quam supra adduximus, esse tutam & probabilem; itaque sic asserit. Dico tertiò; inhabilitas ad alia beneficia, quæ contrahitur ipso jure in simonia confidentiali (nam in aliis diximus non contrahi, nisi post sententiam ex Navarro) non potest nisi à Papa tolli, & verius est, nec per aliquem in casu occulto, quia non est irregularitas, sed quædam pœna; est communis sententia teste Castro Palao *punct. ult. num. 3.* & extant pro ea Cardinalium Declarationes. Ita Suar. *cap. 61. n. 11. & seq.* Filliuc. *cap. 13. num. 38.* ubi ait, ita esse ex usu sacræ Pœnitentiariæ.

5. Sed contrarium putat tutum, & probabile Castro Palao *loc. cit.* cum Lessio, & Henriquez apud ipsum, & Sanch. *supr. num. 40.* Et verè probabilis est sententia, quia hæc inhabilitas est quædam irregularitas, nec declarationes, & Rotæ decisiones cogunt, ut benè cum Vasquez 1. 2. *& d. 177. c. vet num. 75.* docet idem Castro Palao, & ego alias fusè. Hucusque Tancredus.

6. Sed ego non recederem à contraria sententia, stante declaratione Cardinalium, & praxi pœnitentiariæ.

RESOL. XVIII.

Si quis obtinuit beneficium simoniacè, quæritur, an ipso jure privetur beneficiis antea, vel postea obtentis?

Et docetur, quod ob simoniam realem in beneficio Ecclesiastico, incurritur primo excommunicatio Papalis.

Secundo, quod irrita est electio, præsentatio, confirmatio, & institutio; unde talis non facit fructus suos; idque etiam si à tertia persona taliter provisus id ignoravit, nisi tamen contradixerit; vel si à tertio data fuerit pecunia per fraudem, ut fieret inhabilis; vel nisi bona fide possideret beneficium per triennium.

Et an quando crimen simoniæ in beneficio est occultum, sólique suo authori notum suspensionem ei inferat? Ex p. 11. tr. 5. & Misc. 5. Res. 7.

§. 1. REspondeo negativè, quia nullibi est expressa talis pœna, scilicet privatio ipso jure beneficiorum ritè obtentorum cum eo rigore: nam licet *in cap. inquisitionis de accusat.* dicatur, obtinentem beneficium simoniacè esse impeditum à retentione beneficij, etiam post peractam pœnitentiam, intelligendum est à retentione ejusdem beneficij, vel intelligi debet à retentione cujuscumque beneficij secuta sententia

Sup. hoc inf. in §. ult. hujus Res. à lin. 6. vers. Deinde. & melius sup. in Res. 5. §. Sed difficultas. & seqq.

condemnatoria; siquidem ibi æquiparatur simoniacus homicidæ, qui beneficiis non privatur ipso jure ante sententiam, sed venit privandus, ut colligitur *ex cap. Clericus, ne clerici, vel Monachi, ibi, honore privetur,* & Hermanus Busembaum *in Medull. Theol. moral. l. 3. tract. 1. cap. 2. dub. 3. art. 2. ad 3.* sic ait: Ob simoniam realem in beneficio Ecclesiastico, incurritur primò excommunicatio Papalis. Secundò, irrita est electio, præsentatio, confirmatio, & institutio. Vnde talis non facit fructus suos; idque etiam, licet à tertia persona taliter provisus id ignoraverit: nisi tamen contradixerit, vel nisi à tertio data fuerit pecunia per fraudem, ut redderetur inhabilis, vel nisi bona fide possederit beneficium per triennium. Lessius *lib. 2. cap. 35. d. 31.* Laym. *lib. 4. tract. 10. cap. ultimo.* Bonacin. *dist. 1. q. 7. part. 2. num. 20.* ex Gomez, Garzia, &c. Tertiò, efficitur inhabilis ad idem beneficium, etiam per dispensationem Episcopi obtinendam: aliis tamen beneficiis ipso jure non privatur, nec ad alia obtinenda fit inhabilis ante sententiam judicis. Ita ille, cui adde Baunium ubi infra. Sed quid dicendum utrumnè simoniæ crimen in beneficio contractum, quando est occultum, solique suo Auctori notum, suspensionem ei inferat.

Sup. hoc inf. latè in Resol. 32. & lege etiam §. ejus primo ann.

2. Inferre multis Auctorum testimoniis probare conatus est Comitol. *in responsionibus.* Verùm nobis esse debet eorum opinio potior, qui inferre verbis non obscuris negant, ejus asserendæ tuendæque Princeps Novarrus extitit *in Manual. c. 23. num. 111. dict. 3. & in 5. d. consiliorum conf. 31. de simon.* cujus in sententiam pedibus concessere, Sanch. *tom. 1. conf. lib. 2. dub. 194. num. 9.* Henriq. *lib. 4. de irregul. cap. 6. num. 7.* Tanner. *in 2. 2. D. Thom. disp. 5. qu. 8. dub. 4. num. 99.*

3. Causa est, quod in pœnis ea eligenda sit opinio, quæ est mitior, maximè cum de voluntate imponentis certò non constat. At est pœna non levis beneficiarium à sui administratione beneficij impediri, ac rejici, nec ullus est canon quo probari queat, simoniacum ab ejus esse usu, regendique potestate suspensum: quæ causa Covarruviæ extitit *in Clem. si furiosus p. 2. num. 7.* asserendi, quæ de suspensione incurrenda à beneficiario ob simoniam in beneficio commissam affirmantur, dubia esse suspectaque, non certa, cùm sit ergo humanius, suæ rei usum possessori relinquere liberum, quam eidem illum adimere; dici debet, simoniacum in beneficio, maximè occultum, ab ejus administratione suspensum non esse.

4. Objicies, haberi in Pij V. Constitutione edita anno 1566. quæ incipit, *Cum primum*, quod qui per simoniam beneficium est adeptus, ipso jure sit eo privatus. Sed dici debet inde non concludi esse irregularem, cùm multi suis sacerdotiis sæpè excidant, sine obligatione incurrendæ talis pœnæ. Deinde etiamsi simoniacus non possit retinere beneficium in quo est admissa simonia, non tamen tenetur alia ante illam commissam habita dimittere, nisi post sententiam condemnatoriam: Ita Thesaur. 2. *part. prax. Eccles. verb. simon. 2.* Navarr. *lib. 5. conf. de simon. 54.* vel ut habent libri alij 92. Lessius *lib. 2. cap. 35. dub. 26.* Emman. Sà *verb. simonia 9.* qui omnes aiunt, quoad hanc pœnam, Bullam Pij V. receptam non esse, vel si est, de simoniaco dumtaxat convicto loqui, qui est hoc ipso infamis, & consequenter irregularis, & beneficiorum incapax, non verò occultus. Et hæc omnia docet Baunius *in prax. benef. disp. 6. q. 62. dub. 3.*

RESOL. XIX.

An mutuare aliquid cum pacto, ut ille, qui recipit mutuum, conferat officium, vel Ecclesiasticum beneficium non solum sit usura, sed simonia?

Et an utraque deformitas usuræ scilicet, & simoniæ in confessione explicanda sit?

Et quid est dicendum, quando aliquis, v. g. confert statim, quantum in se est, beneficium, de quo interpellavit mutuatur, sed solemnitate aliqua hoc ipsum postea debet perficere? Ex p. 1. tr. 8. Resol. 61.

§. 1. AFfirmativè respondet Aragonius *in 2. 2. q. 78. art. 2. dub. 2.* Medina *in sum. lib. 1. c. 14. §. 23.* Lopez *in instruct. p. 2. cap. 56. §. adde* Medina Complutensis *q. 4. de usuris, §. inde sequitur.* Regin. *tom. 2. lib. 25. c. 11. n. 202.* Et ratio est: quia illa obligatio tollit libertatem præsentandi collatori, ac proinde est pretio æstimabilis. Ergo habere tale officium, vel beneficium, est usura: & non solùm usura, sed simonia. Vnde ait Regin. *tom. 2. lib. 25. cap. 11. num. 190.* & Rebellius *part. 2. lib. 8. quæst. 4. num. 13.* quòd utraque deformitas, usuræ, scilicet, & simoniæ, in Confessione necessariò explicanda erit: nam, quatenus in pretium mutui intendit rem spiritualem, quæ de jure pro temporali dari nequit, simoniam committit: usuram verò, ut dictum est quatenus ex mutuo intendit rem, quæ, etsi de jure comparari nequeat; pretio tamen æstimabilis est.

2. Sed, licet hæc omnia vera sint, advertit tamen Petrus à Navarra *de rest. lib. 3. cap. 2. part. 2. dub. 6.* quòd deducere in pactum collationem, vel præsentationem beneficij statim faciendam, non esset usura: quia, ut dictum est *suprà*, obligatio ad statim, cùm modico tempore duret, non est pretio æstimabilis: ergo mutuare cum pacto, ut statim mutuatarius conferat beneficium, non est usura. Idem observavit Malderus *in 2. 2. tract. 5. cap. 3. dub. 6.* ubi ait, quod si mutuum daret, non ut pretium beneficij Ecclesiastici; sed ut hac ratione provocet amicitiam collatoris, aut ut gratiam præstet, quam non vult præstare, nisi alter statim gratificetur conferendo beneficium, probabile est, nec usuram, nec simoniam fore. Et tandem Less. *lib. 2. c. 20. dub. 9. n. 64.* asserit: [Si mutuas alteri cum pacto, ut conferat beneficium Ecclesiasticum; partim est usura, partim simonia: modò illud pactum sit justitiæ, secùs si amicitiæ. Ex his possunt Confessarij in foro conscientiæ animadvertere, quando mutuans cum pacto, ut recipiat beneficium, committat usuram nécne.

3. Dices, quid sit dicendum, quando aliquis, v. g. confert statim, quantùm in se est, beneficium, de quo interpellavit mutuator; sed solemnitate aliqua hoc ipsum postea debet perficere? Respondeo cum Maldero *ubi suprà*, quòd si post inchoatam collationem beneficij à mutuatario, ejus, quod superest, obligatio non habeatur pro civili, sed antidorali, & ex gratitudine; probabilissimum est non esse usuram. Vide Navarr. *lib. 3. c. 2. n. 272.*

RESOL. XX.

An sit simonia, si Titius promittat Caio se daturum eleemosynam pauperi, vel loco pio, si Caius impetret Titio beneficium Ecclesiasticum, vel habitum Religionis Militaris? Ex part. 5. tract. 14. & Misc. 2. Resol. 75.

§. 1. NEgativè respondet Turrianus *in selectis disp. 16. part. 2. disp. 16. dub. 3.* quia qui offert impetrationem beneficij, nihil accipit temporale pro beneficio, aut intercessione; sed Titius movet illum ad bene operandum per obligationem pecuniæ ad actum honestum; sicut quando pater, v. g. offert pecuniam, vel

vel quid simile filio, vel filiæ, ut moveat illos ad bene operandum, v.g. ad audiendam Missam, vel confitenda peccata, & ideo potest fieri sine simonia promissio de dando aliquid infideli, ut convertatur ad fidem, vel fideli, ut ingrediatur Religionem semper enim dicendum est fieri sine simonia, si non detur per modum pretij rei spiritualis, sed solùm ad movendum hominem ad benè operandum. In præsenti dubio non offert Titius pecuniam Caio, sed promittit se facturum actum honestum, & gratum Caio, ut moveat illum ad impetrandum beneficium, sicut si filius promitteret patri se facturum aliqua opera virtutum grata patri, ut pater illa filio conferret, non ut pretium rei spiritualis, sed motus ex gratitudine, in quo non esset simonia, sicut neque è contrario est simonia, quando pater offert filio aliquid pretio æstimabile, ut moveat illum ad opera virtutum facienda; & eodem modo collator beneficij posset illud beneficium promittere alicui, ut moveret illum ad faciendam eleemosynam, non ut pretium beneficij, sed ut actum honestum, & Deo gratum. Et idem judicium est si offerretur eleemosina alicui loco pio, ut aliquis moveretur ad impetrandum, vel conferendum habitum Religionis militaris, & tandem advertendum est, quòd licet pro Curia Romana sit bulla in qua prohibetur dari aliquid pretio æstimabile pro impetratione beneficij Ecclesiastici, tamen per illam Bullam non prohibetur casus præsentis dubij, quia hîc revera non datur àliquid pro intercessione, sed, ut diximus, offertur pecunia ad actum honestum, ut alius moveatur ad impetrandum, vel offerendum beneficium, & hæc omnia ad verbum asserit Turrianus *loco citato.*

RESOL. XXI.

Plura dubia in materia simoniæ observantur; & multi, & diversi casus in corpore hujus Resolutionis proponuntur pro praxi. Ex p. 11. tract. 6. & Misc. 6. Res. 31.

§. 1. hoc in fin. præced.

Quæro primò, an sit simonia si aliquis promittat alicui magnam pecuniarum summam, quam erogabit pro eleemosina alicujus monasterij, si ei impetret beneficium. Negative respondet Ioannes de Soria *in Epitome summariu, par. 2. tit. 1. sect. 4. disp. 5.* docet enim non esse simoniam si quis promittat alteri se daturum eleemosynam loco pio, si ipsius opere beneficium impetret, & ideò inter alios titulos excusantes à labe simoniæ apponitur eleemosina; unde Ioseph Rocafull. agens de modis, quibus pecunia dari potest & accipi in beneficiis absque simonia, ita asserit, *in Praxi Theolog. mor. tom. 2. lib. 3. de septimo præcept. Decalogi sect. 4. cap. 2. num.* 1087. Primo ratione consuetudinis; quando enim consuetudo recepta est, ut dato, vel accepto spirituali, detur, vel accipiatur aliquod temporale, non est simonia illud dare, vel accipere, quia probabiliter censetur hujusmodi usum esse benè introductum. Vide Azorium *lib. 12. c. 12.* Secundò in sustentationem vitæ: Tertiò in stipendium laboris extrinseci conjuncti cum re spirituali: Quartò tanquam gratis oblatum: Quintò, ut eleemosina: Sextò in pœnam; sic imponi solet multa pecuniaria, cum quis absoluitur à censura: Septimo tanquam id, in quo aliud permutatur, ut cùm votum, vel juramentum pecunia redimitur: Octavò, quando pecuniam, vel paciscimur, vel largimur non directè ad rem spiritualem obtinendam; sed quasi per accidens ad removenda impedimenta, quæ per vexationem, & litem occurrere solent. Ita Rocaful. Sed circa titulum gratitudinis.

2.* Quæro secundo, an si quis gratis promittat aliquid pro beneficio obtinendo possit de hoc paciscí? & si placet lege etiam doctr. Res. 49.

Suppono quod latè probat ex communi DD. sententia heu quondam noster doctus, & amicissimus Quintanadueña *tract. 6. singul. 15. num. 7.* titulum gratitudinis à simonia excusare, ideò qui tradit aliquid temporale, intendens ut sibi aliquid spirituale conferatur titulo gratitudinis, simoniam non committit, cum liceat ab alio petere quod ex naturali obligatione præstare tenetur. Et ideo Sanctorius *de panis part. 2. cap. 15.* sic ait. Non est simonia donare aliquid temporale, vel ante vel post, ei, qui exhibet àliquod spirituale etiam cum inrentione, quòd donatarius moveatur ad dandum spirituale ex gratitudine, & è contra, dare spirituale cum intentione, quod recipiens ex virtute gratitudinis donet postea temporale. Et ratio est, quia donum opponitur pretio. & elicitur *ex cap. sicut Episcopum 1. quæst. 2. cap. Et si quæstiones cap. Dilectus 2. fine cap. Tua, de simonia* docet Sotus *lib 9. de just. q. 7. art. 3.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 5. num. 4.* contra Innocentium *in cap. Tuam, de erat. & qualit.* Duo tamen hic adnotaverim, alterum qui hoc faceret in foro exteriori, præsumeretur simoniacus, alterum quod difficile esset in his formalitatibus sub præcisa doni ratione consistere; impossibile tamen non est. Ita Sanctorius. Vnde ex his asserit Pasqualigus *in qq. Canon. Centur. 4. quæst. 378. num. 6.* esse verè eandem rationem de simonia, ac usura: unde sicut usura excluditur reducendo contractum ad aliquem justum titulum percipiendi lucrum, ita etiam excludatur simonia reducendo exhibitionem pecuniæ ad aliquem honestũ titulum, pro quo exhiberi possit, & qui sit sufficiens, ut intentio dantis removeatur à spirituali, ita ut faciat, quod pecunia non exhibeatur pro spirituali, aut ipsi annexo. Quando enim intentio dantis non respicit ad spirituale, non venit in contractum spirituale, atque adeò non committitur simonia. Et ex his poterunt in facti contingentia resolui plures casus. *Et q. 379. n. 5.* subdit Pasqualigus, quod si quis dedisset pecuniam in ordine ad obtinendum aliquid spirituale absque eo tamen, quod habuisset effectum, & intentionem illam tradendi pro spirituali, non esset in foro conscientiæ damnatus de simonia, si posset considerari aliquod quod fuerit compensatum per illam pecuniam. Cùm enim desit intentio dandi pro spirituali, cessat radix unde provenit simonia, nempè studiosa voluntas emendi pretio rem spiritualẽ quæ est essentialis simoniæ; proinde deficit etiam ipsa simonia, aut saltem redditur incerta: præsertim, quia actus non operatur ultra intentionem agentis: *leg. non omnis ff. Si cert. pet. & leg. In agris ff. de acquir. domin.* Vnde cum defuerit intentio respiciens ad dandum pretium pro spirituali, non debet censeri datum pro ipso; & proinde est excludenda simonia. Itaque in hoc simoniæ formalitas consistit, ut temporale detur tanquam pretium, & accipiatur tanquam pretium, secus autem ob liberalitatem, gratitudinem, amicitiam, laboris mercedem, &c.

3. His igitur suppositis, difficultas est, an quibus titulis licet aliquid dare, vel recipere, liceat paciscí in omni re spirituali? Et affirmative respondet Ioannes de Soria *ubi supra fol. 457.* ubi sic ait: Non est simonia si quis det Paulo pretium: ut intercedat apud Petrum, ut ipse Petrus intercedat apud Ioannẽ collatorem beneficij: quod probabile esse docent Vasquez, & Sanch. Idem si aliquid detur pro labore suscepto eundo, & redeundo ad beneficij collationem, vel in compensationem alicujus damni, quod inde patitur, aut alicujus lucri, quod amittit. Imò probabile est eo modo quo licet temporale accipere pro spirituali sine simonia licere etiam de hoc ipso paciscí. Ita ille, cui adde Mercam Vidal *in Arca Tusc. mor. titul. de simonia, Inquisit. 2. num. 45.*

Sup. hoc in Res. seq. & in aliis vers. ejus not. 1.

Sup. his inf. in Res. 24. § ult & in aliis ejus annot.

num. 45. ita asserentem: Colligitur quintò, eo modo quo licet sine labe simoniæ dare temporale pro spirituali etiam licet de hoc ipso convencionem facere; nempè tanquam dando, vel ex gratitudine, vel ex benevolentia, vel ex justitiâ non quidem pro re spirituali, ut spiritualis est, neque tanquam pretium, sed ob aliquam aliam rationem licitam, & à jure concessam. Hæc Vidal, & plures alij à me alibi adducti. Et quidem qui potest intendere finem, potest media adhibere, ut sibi conferatur beneficium ob gratitudinem alicujus obsequij temporalis: ergo potest id ipsum in pactum deducere tanquam medium ad suam intentionem obtinendam. Adde quod in tali casu pactum, & conventio non cadit supra spiritualia aut aliquid ipsis annexum, sed super aliquid consequens ad collationem spiritualium, quod contingenter se habet, ita ut possit consequi, & non consequi. Sola autem spiritualia; & ipsis annexa prohibentur deduci in pactum, quia sola prohibentur subjici venditioni. Sed his non obstantibus ego * alibi hanc doctrinam pro praxi non approbavi; & novissimè me citato, non approbat Rocafull. *ubi supra*, *num.* 1082. & ego iterum idem sentio.

Alibi in Resolutionibus positis supra in not. §. Quæro secundo, hujus

* Alibi ibidem.

4. Quæro tertio, an sit simonia si quis det pecuniam Titio, ut ipsius merita apud collatorem beneficij exponat. Affirmativè respondet Carthagena *in disp. an liceat dare munera intercessori pro beneficio, cap. 6. difficul.* 1. Sed negativam sententiam docet novissimè Pasqualigus *ubi supra, q.* 380. *num.* 3. tenet enim quod nulla interveniat simonia, si quis det pecuniam alicui ut propria sua merita notificet collatori, ut inde moveatur ad ipsum ei conferendum, juxta doctrinâ quam tradunt Adrianus *quodlib.* 9. Angelus *verb. simonia*, *num.* 25. Sylvester *q.* 6. Azorius 3. *p. lib.* 12. *cap.* 5. *q.* 4. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *de simonia, c.* 53. *num.* 17. Filliucius, *tract.* 55. *cap.* 12. *quæsito* 7. *num.* 12. *in fine.* Bonacina *disp.* 1. *de simonia q.* 1. §. 2. *n.* 16. Ratio autem est, quia ad inducendam simoniam requiritur quod detur temporale pro spirituali, aut è contra; in hoc autem casu non datur temporale pro spirituali, quia datur temporale pro illo munere exponendi merita, & finis proximus est acquisitio bonæ opinionis apud collatorem beneficij, non autem ipsum beneficium. Insuper ut interveniat simonia necesse est, quod quando datur pecunia, finis immediatus sit acquisitio alicujus spiritualis mediante illa pecunia, non autem sufficit, quod sit quid consequens ex alio immediato fine, juxta doctrinam quam tradunt D. Thomas 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 4. *ad* 3. Navarr. *in Manuali, cap.* 23. *num.* 101. Suarez *tom.* 1. *de Relig. cap.* 36. *num.* 7. Garzias *de benefic. p.* 11. *cap.* 5. *num.* 170. Molfesius *par.* 1. *Sum. tract.* 6. *c.* 15. *num.* 56. ubi alios citat. In præsenti autem casu quod intenditur mediante pecunia, non est beneficium, sed expositio meritorum ad bonam opinionem acquirendam, & acquisitio beneficij solum respicitur ut quid consequens. Dicendum est itaque ex Suarez, & Adriano, mediatorem assumentem curam præcisè informandi Prælatū de meritis talis personæ, posse pro hoc munere pretium recipere; quia in hac parte solum gerit officium Advocati repræsentando merita personæ; pro quo officio dicemus posse pretium recipi: est tamen hoc periculosum, quia sæpè mediator excedit officium informantis, & assumit officium exhortantis, & inducentis plus quam merita personæ simpliciter repræsentata possent inclinare. Et ita docet Castrus Palaus *to.* 2. *tr.* 13. *disp.* 3. *punct.* 11. *num.* 5.

5. Quæro quartò, an justa vexatio possit redimi pecunia ab eo, qui non habet obligationem opponendi? & affirmativè respondet Pasqualigus *decis.* 237. qui conatur aliquibus argumentis hanc suam sententiam stabilire: Sed ego adhæreo sententiæ negativæ, quam nominatim contra Pasqualigum firmant novissimè doctus, & amicissimus Pater Tancredi *de Religione, tr.* 2. *lib.* 4. *disp.* 34. *q.* 4. *n.* 33. cùm justa est vexatio, & communis sententia indistinctè loquatur, non posse pecunia redimi justam vexationem teste ipsomet Pasqualigo *decis.* 236. quod debet dici factum fuisse ex inconsideratione Doctorum, ut innuit Pasqualigus *n.* 2. *d.* 236. sed quia voluerunt dare regulam universalem, ex sacris Canonibus deductam; quia media pecunia pararetur via ad beneficium; nam cùm ea detur, non ad tollendam vexationem, cum ea non sit, ut diximus; nec ad tollendum malum animum opponentis & ad faciendum hoc opus bonum, nam supponimus ipsum moveri sancto zelo, & manifestationem esse bonam, & opus virtutis, remanet ut tantum detur ad facilitandam viam ad beneficium media pecunia quod nullo modo licitum est per Sacros Canones. Verùm stando in hac sententia, contra Pasqualigum dictam simoniam esse de jure humano videtur docere Tancredi *loco citato* atque ideò non inducere statim ut supra firmatum est, pœnas contra simoniacos à sacris Canonibus latas, quod est valdè notandum.

Sup. hoc. cit. lege dicta num. §. 1.

6. Et tandem notandum est hîc obiter, quod Pater Pasqualigus quærit an pro cessione juris spiritualis, possit dari pecunia ad redimendam illam vexationem ad. 31. nolentis cedere? Et affirmativè respondet *in decis.* 241. Item quærit, an si electus vexetur per viam juris circa possessionem jam habitam possit pretio redimere vexationem? Et affirmativè respondet *ubi supra, num.* 2. Item quærit an dare pecuniam alicui, ne mihi in electione exceptionem opponat, quam jure potest opponere, vel concurrenti, ut à concursu desistat, sit simonia? & ad utramque partem negativè respondet *in Decis.* 245. & 248. Item quærit, an sit simonia pacisci cum aliquo ne concurrat in hac electione, & tu non concurres cum illo in subsequente? Et negativè respondet *in decis.* 249. Item quærit, an quando jus ad possessionē est dubium, liceat pretio redimere vexationem contra possessionem illatam? & circa præsentem quæstionem quandam distinctionem adhibet. Item quærit, an si quis det alicui pecuniam ut metum competitori incutiat adhoc ut desistat à concursu circa electionem ad beneficium, sit simonia? Et negativè respondet *in decis.* 250. Sed ego supradictis opinionibus P. Pasqualigi non audeo, nec possum adhærere, cùm sint opiniones singulares, & ferè omnes contra communem sententiam Doctorum, ut ipsemet fatetur: Undè meritò contra dictas opiniones insurgit novissimè Patet Tancredi *de Religione, tract.* 2. *lib.* 4. *disput.* 34. & *n.* 38. *usque ad n.* 60. qui respondet ad argumenta Pasqualigi. Et hæc remissivè dicta sufficiant circa suprà dictas ejus opiniones.

Sup. hoc. cit. contento in verf. seq. hic ius vetus inf. ex Ref. 36. & ejus doctrina §. Probatur cautum, & cum eodem Pasqualigo hic citato in verf. Confir. mantia.

RESOL. XXII.

An sit simonia dare pretium cuidam tertio ut intercedat apud alterum, & ipse intercedat apud collatorem beneficij, ut beneficium illi conferat?

Et quid, si daretur aliquid famulo Archiepiscopi Granatensis, ut precibus ab ipso Archiepiscopo obtineret, ut me præsentaret Regi ad beneficium illius Regni?

Et quamvis in textu hujus Resolutionis advertantur alij casus circa simoniam, pro coronide est pulchrum dubium in §. Et tandem.

Et ultimo quæritur, an servire Episcopo intendendo, ut conferret beneficium, non tanquam pretium servitij, sed ex gratia, & benevolentia causata ex servitio, sit simonia? Ex p. 4. tract. 4. & Misc. Res. 151.

§. 1. Ad

AD hunc casum ita respondet Sanchez *in opusc. tom. 1. libro 2. cap. 3. dub. 26. num. 7.* Si daretur pretium cuidam tertio, ut intercedat apud alterum cui non incumbit conferre, nec eligere, nec præsentare, vel iste tertius obsecret ut detur illi beneficium, hoc non est illicitum, & nullo modo est simonia; quia datur pro re merè temporali, nec paratur via immediatè & proximè ad beneficium; sic Gabriel Vasquez disputato casu Matriti, & alij juniores dicunt hoc esse probabile, licèt sentiant oppositum esse probabilius, & consequenter ad hanc sententiam dicunt non esse simoniam, nec peccatum dare aliquid famulo Auditoris, ut obsecret suum herum ut me proponat Regi ad beneficium, quia Auditores non præsentant ad beneficia, sed Rex, & eorum suffragium est tantùm consultivum, & sic non paratur via immediatè ad beneficium; secus si daretur aliquid famulo Archiepiscopi Granatensis, ut precibus ab ipso Archiepiscopo obtineret, ut me præsentaret Regi ad beneficium illius Regni. Sic docti recentiores. At licèt hoc probabile sit, probabilius tamen est oppositum. Ita Sanchez. Igitur secundùm hanc supradictorum D.D. sententiam non est simonia dare pretium Paulo ut intercedat apud Petrum, ut ipse Petrus intercedat pro me apud Ioannem collatorem beneficij, ut mihi tale beneficium conferat. Sed affirmativa sententia videtur mihi sequenda, & an contraria sit probabilis, ut asserunt Vasquez, Sanchez & alij juniores, remitto judicio aliorum. Non desinam tamen hìc apponere verba Turriani *in selectis disp. cent. 2. censur. Theol. dub. 75.* ubi sic ait; An sit probabile asserere, quòd pro intercessione beneficij spiritualis comparandi potest dari pretium? Aliqui referuntur ita sentire, mihi tamen hæc doctrina displicet, neque audeo dicere esse probabile placitum. Ita ille, qui potest intelligi quando datur pretium mediato intercessori cum ipso collatore beneficij; ideo totum relinquo judicandum doctioribus, ut superiùs dixi.

2. Notandum est etiam hìc, quòd secundùm aliquos probabile est esse tantùm simoniam de jure humano dare pecunias mediatori pro intercessione ad beneficium, quia revera hic non emit beneficium, sed illam intercessionem, quæ videtur quid temporale, unde sequitur, quòd cùm quis pretio dato pro intercessione mediante tali intercessione obtinuit beneficium, non incurreret omnes pœnas simoniæ, & sic valere collationem beneficij, nec alterum teneri restituere pretium, quia satis est probabile per simoniam de jure humano, qualis est hæc, non incurri has pœnas. Nec obstat Extravagans 2 de simonia, ubi excommunicatur mediator in simonia, quia hic intercessor non est mediator, non enim offert alicui pretium ut conferat beneficium, sed ipsemet est, qui simoniam contrahit, vendendo suas preces ad beneficium; & hæc omnia docet Sanchez *loco citato, numero 10.* quæ judicanda etiam doctioribus relinquo.

3. Et tandem pro coronide hujus resolutionis ponam pro curiosis pulchrum dubium. Petrus prætendebat quoddam beneficium curatum, & fecit cum Paulo, ut vulgò dicitur, *una scommessa*, quòd si obtineret, illud beneficium, dabit Paulo uncias ducentas; si verò illud non obtineret, Paulus illas dabit ei; sed hoc facto, postea Paulus intercessit pro Petro, & obtinuit beneficium; quæritur, an in hoc casu intercesserit simonia? Responsio hujus dubij clarè colligitur ex his quæ adducit Sanchez *ubi supra num. 12.* adi illum, & non pigebit.

4. Et idem Sanchez *dub. 28. num. 7. & 8.* docet quòd servire Episcopo intendendo ut conferat beneficium non tanquam pretium servitij, sed ex gratia & benevolentia causata ex servitio, non est simonia, & licèt aliqui limitent, modò non intendat servire principaliter ob beneficium: at verius est etiam in hoc casu non esse simoniam, si non ut pretium intendatur. Imò licèt valde scrupulosum sit, & suspicione simoniæ non careat, si quis serviat Episcopo gratis, eo quòd speret ab ipso beneficium; at si non speret ut mercedem servitij, sed gratis & ex benevolentia, licèt principaliter speret beneficium non est simonia. Et licet aliqui dicant esse simoniam si detur beneficium ad exonerandum se ab obligatione antidorali, seu quæ oritur tantùm ex virtute gratitudinis; ut si Prælatus det alicui beneficium, hoc expresso, quòd ea collatio sit in remunerationem, & ad tollendam obligationem, qua ad antidorale debitum tenebatur; at verius est non esse simoniam, sed licitum, quia debitum antidorale non est propriè debitum, nec pecunia æstimabile. Ita Sanchez. Verùm penes ipsum Butrius, Panormitanus & alij in hoc ultimo contrarium sentiunt.

RESOL. XXIII.

An qui servivit Episcopo cum intentione recipiendi beneficium, ut pretium servitutis, teneatur illud resignare?

Et an simonia mentalis inducat pœnas simoniæ, quæ ad restitutionem obligent? Ex part. 4. tract. 4. & Misc. Res. 168.

§. 1. RESolutiò hujus casus pendet ex illa quæstione, an simonia mentalis inducat pœnas simoniæ? & affirmativam sententiam docet Sotus *de just. lib. 9. quæst. 8. art. 1. ad 2.* Major *in 4. dist. 25. quæst. 1. art. 7.* Medina *in summ. lib. 2. cap. 14. §. 21.* Medina Complutensis *Cod. de restit. cap. de usurar. rest. §. Jam ad rationes.* Henricus *quodlib. 6. quæst. 26.* Adrianus *quodlib. 9.* & alij. Ratio est, quia usurarius mentalis tenetur etiam ad restitutionem; cæteras rationes videbis apud citatos Doctores. Pro contrario in hac Res. præterita §. ult. & lege sup. doctrin. Res. 6. & 8.

2. Sed ego contrariam sententiam puto probabiliorem, & ita docet D. Thom. *in 2. 2. quæst. 100. art. 6. ad 6.* Guttierez *can. qq. lib. 2. cap. 23. num. 35.* & alij, quos citat & sequitur Villalob. *in sum. tom. 2. tract. 37. diff. 36. num. 4.* ubi sic ait: [No ay derecho que obligue al simoniaco mental à que restituyà, y es necessario guardarse esto en practica, porque favoreçe à las animas, que es muy difficultoso de hazer la restitucion, y dexar el beneficio, y de otra manera muchos de los criados de los Obispos estarian obligados à resignar los beneficios, que les dan, porque situen por esso principalmente que no hazen distinçion de intençion primaria ni secundaria, ni aun la saben hazer.] Sic ille, & ideo hanc sententiam docet etiam Sanchez *in opusc. libro secundo, capite tertio, dub. 105. numero quinto*, ubi ita asserit: Hinc inferunt aliqui quòd si quis servivit Episcopo animo interno recipiendi beneficium, ut pretium servitij, & Episcopus ei contulit beneficium animo interno solvendi illi servitium: at externè nullum etiam implicitè interfuit pactum, sed uterque finxit gratis facere, recipiens beneficium non tenetur illud resignare, nec Episcopus soluere servitium, quia solùm fuit simonia mentalis, quæ ad restitutionem non obligat. Hæc Sanchez, qui citat Cajetanum, Angles, & alios. Ad argumentum contrarium de usura mentali respondet Villalobos *ubi supra.* Sup. hoc lege §. not. præteritæ, & ex Res. 2. dictæ annot. §. pen. paulò post init. vers. Secundo. & in tom 9. tr. 5. ex Res. 26. §. Observandum.

RESOL.

RESOL. XXIV.

An in obtinendis beneficiis liceat pacisci de aliquo temporali, retribuendo eanquam motivo, seu pro recompensatione gratuita?

Et notatur ejusmodi pacta continere semper labem simoniæ.

Et an sit simonia, si aliquid detur pro labore suscepto eundo, & redeundo ad beneficij collatorem, &c? Ex part. 2. tr. 16. & Misc. 2. Res. 37. aliàs 39.

Sup. hoc in duabus Res. seqq. & sup. in Res 21. §. Quero secundo. & seq & si vacas otio lege inf. doctrinam Res. 49.

§. 1. VIdetur respondendum negativè ex *cap. finali, extra de pactis*, ubi hæc verba habentur. In spiritualibus omnis pactio, omnisque conventio cessare debet; & *in cap. quæsitum, extra de rerum permutatione*, adnotatur ejusmodi pacta continere semper labem simoniæ; vide etiam *cap. tua nos, de simonia, & cap. quam pio* 1. q. 2.

2. Non reticeam tamen contrarium docere Valent. *tom.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 16. *punct.* 3. ubi sic asserit: Duobus modis potest fieri tale pactum, de quo loquimur; uno modo ita, ut promissio temporalis petatur aliquo modo in jure prohibito: ut quasi temporale debeatur ratione rei spiritualis tanquam ejus pretium, ut spiritualis est. Et sic certum est, id esse simoniam prohibitam, vel jure naturæ, vel jure positivo. At ejusmodi pacta damnantur in capitulis citatis pro contraria sententia. Altero modo potest pactum fieri ita, ut petatur promissio temporalis eo modo, & eodem prorsus titulo conferendi, quo licitum est, ipsum temporale actu recipere, & dare pro spirituali, videlicet tanquam stipendium, vel remunerationem quandam cujusdam operis, vel officij, quod secundùm communem quidem rationem officij consideratum meretur, etiam ex justitia, recompensationem: & consideratum etiam ut officium spirituale, meretur remunerationem gratuitam, & sic de temporali, pro spirituali pacisci, in foro conscientiæ licitum est. Ita Valentia, qui citat Gabrielem, Cajetanum, Sotum, & alios. Et ita etiam novissimè post Valentiam, docet hanc sententiam ex eadem Societate Iesu, Adamus Tannerus *in* 2. 2. *disp.* 5. *q.* 8. *dub.* 3. *n.* 76.

3. Igitur dicendum est probabiliter, quòd eo modo, quo sine simonia, licet temporale pro spirituali dare, vel recipere, etiam licet de hoc ipso pacisci, nempè tanquam dando, vel ex gratitudine, vel etiam ex justitia, non quidem pro re spirituali, ut spiritualis est, sed spectata secundùm communem ratione laboris prout ex obligatione onerosa suscipitur.

Sup. eorento in hoc §. in Res. 1. not. præteritæ, §. ult. cursim ad med. & in Res. 2. §. Hinc. ante med. & post med. & sup. in Res. 21. §. His. ad lin. 8. & inf. in Res. 34 §. Sed his. ad med. & in Res. 35. cursim in §. ult.

4. Vnde ex hoc capite, nempe pro suscepto labore, Suarez *de Relig. tom.* 1. *lib.* 4. *disp.* 53. *n.* 17. ex Navarro adnotavit, non esse simoniam si aliquid detur pro labore suscepto eundo, & redeundo ad beneficij collatorem, vel in recompensationem alicujus damni, quod ea de causa patitur, aut alterius lucri, quod amittit. Sed cavendum est, ne sub hoc colore aliquid accipiatur, ultra æstimationem talis laboris, vel damni secundùm se spectati, alias simonia non evitabitur. Ita Suarez, sed quoad hoc ultimum, impugnatur nominatim à Rodriq. *in sum. tom.* 4. *cap.* 133. *n.* 19. quia, [El dicho trabajo (hæc sunt ejus verba) y la compensa del daño, y de la ganancia, que se pierde, son cosas meramente temporales, las quales con dineros se pueden vender. Empero sera pecado de injusticia, mortal, o venial segun el excesso del dinero, que se da.] Hæc ille. Igitur secundùm Rodriquez, si detur aliquid notabile ultra æstimationem laboris, non erit peccatum simoniæ, sed injustitiæ, quia emitur ille labor ultra justum pretium, quod meretur. Sed hoc peccatum injustitiæ, existimo ego quod evitari etiam potest; si illud plus quod labor ille non meretur, detur liberaliter, & gratis; ita ut in tali casu adsit contractus justæ emptionis, & liberæ donationis. Notentur hæc, quia sedabunt multos scrupulos.

RESOL. XXV.

An si quis promisit aliquam summam pecuniæ pro beneficio obtinendo, protestans se illam daturum gratuitàvis causa, & non ex debito justitiæ, incurrat in crimen simoniæ?

Et notatur, quod si resignas beneficium ea intentione, & spe, ut alterum tibi à Superiore conferatur, alias non resignaturus, non eris simoniacus.

Et quid, si prædictam spem verbis, aut scripto quis hoc exprimat Superiori? Ex part. 6. tract. 7. & Misc. 2. Resol. 42.

Sup. hoc Res. quarto & sup. in Res. 21. §. Quero secundo. & seq. & si vacas otio lege inf. doctrinam Res. 49.

§. 1. AFfirmativam sententiam tenet novissimè Fr. Ciscus Sylvius *in resolutionibus variis, verb. simonia* 2. *concl.* 2. ubi sic ait: Talis promissio est pactio quædam, & contractus non gratuitus, faciam si feceris. Et quamvis Titius dixerit, loco gratitudinis, non beneficij causa, illa ejus propositio seipsam destruebat: indicabat enim se gratis daturum, & tamen inibat contractum non gratuitum, hoc ipso quo promittebat 100. florenos post obtentum beneficium dandos, si nimirum ejus consilio, seu interventu obtineret. Nam hæc primissio non erat de re sola gratitudine danda. Si namque illo, qui collatori multum gratiosus erat, totum id præstante, quod Titius ab eo petebat, Titius non obtinuisset illud beneficium, Titius non sensisset se obligatum dare illi 100. florenos: quia solùm promiserat dare post obtentum beneficium: & tamen gratitudinem debuisset ipsi mediatori propter operam præstitam, Ita Sylvius, cui adde Bonacinam *tom.* 1. *disput.* 1. *de simonia, q.* 6. *punct.* 1. *n.* 7. & Filliucium *tom.* 3. *tract.* 45. *cap.* 10. *n.* 24. ubi ita asserit. Nec obstat, quòd talis promissio illicita sit, quando tanquam ex justitia debita exigatur; at si postuletur solùm ex benevolentia, non apparet aliquid mali: ut enim gratis promissio fieri potest, ita etiam postulari tanquam gratis ex benevolentia conferenda. Respondeo enim si postuletur post factum gratis beneficium, non esse illicitum secluſa palliatione iniquæ intentionis, etsi ordinariè ad id non obliget gratitudo: at si postuletur ante præstitum obsequium, & ut conditio necessaria, sine qua beneficium non dabitur, etiamsi liberaliter postuletur, est aperta simonia, est enim pactio & contractus, faciam si feceris; & licet addatur, nisi facias liberaliter, tamen est falsa propositio, & seipsam destruit: hoc enim pacto aperiretur via simoniis omnibus & usuris. Hæc omnia Filliucius. Vide etiam Raphaëlem de la Torre *in* 2. 2. *D. Th. q.* 100. *n.* 6. *disp.* 3.

2. Sed contrariam sententiam tenet novissimè Cœlestinus *in compend. Theol. mor. tract.* 7. *cap.* 4. *n.* 3. ubi sic ait: Difficultas, utrùm id quod est dandum ex gratitudine, in pactum deduci possit absque labe simoniæ? Respondeo primò non posse, si pactũ fiat de reddenda gratitudine tanquam debita ex justitia, ratione rei spiritualis, & tanquam pretium illius, ut spiritualis est. Respondeo secundò, posse gratitudinem deduci in pactum, si solùm petatur, ut debita jure naturæ ratione beneficij collati: quia si finis est licitus, etiam media ad finem sunt licita; sed intendi potest spe gratitudinis aliquod beneficium pro obsequio temporali, vel è contrario: ergo pactum, quo mediante impetratur finis, non potest esse illicitum, nec simoniacum. Ita Cœlestinus. Cui adde Ghilinum *in pract. resolut. cas. conscient. verb. beneficium, n.* 7. ita asserentem. In obtinendis beneficiis licet pacisci de aliquo temporali retri-

tribuendo, tanquam motivo, seu pro recompensatione gratuita; & in hoc non committitur simonia: quia in hoc casu datur vel ex gratitudine, vel etiam ex justitia, non quidem pro re spirituali, ut spiritualis est; sed spectato secundùm communem rationem labore, prout ex obligatione onerosa suscipitur: & etiamsi detur aliquid notabile ultra æstimationem laboris, non erit peccatum simoniæ, nec injustitiæ dando illud plus, quod labor ille non meretur, liberaliter & gratis. Hæc Ghilinus, qui citat Valentiam, & Tannerum, quos antea citavi *in par. 2. tract. 2. miscell. resol. 39.* ubi licèt hanc sententiam speculativè probabilem existimavi, tamen in praxi puto non esse amplectendam. Notant etiam aliqui quod si resignes beneficium ea intentione & spe, ut alterum tibi à Superiore conferatur aliàs non resignaturus, non erit simoniacus, si non intendas obligare Superiorem obligatione alia præter antidoralem: ita expressè Valentia *tom. 2. disp. 6. quæst. 16. par. 3. vers. sunt tamen*, cum Soto *q. 7. art. 2.* & colligit ex *cap. unico, de rerum permutatione, in 6.* & consentit Man. Rodrig. *tom. 2. sum. cap. 56. n. 8. in fine.* Farinacius aliis relatis *lib. 1. consil. 75. n. 3 44. & 48. & 53. post medium, & 62. & n. 82. in fine.* Et addit Valentia hoc etiam esse verum, etsi prædictam spem verbis, aut scripto exprimat Superiori: quia quod licet optare, licet etiam verbis exprimere: & in jure nullibi reperitur prohibitum, ne talis spes exprimatur. Quod etiam docet Castrus Palaus *tom. 3. tract. ult. punct. 4. num. 2.* Sed hæc opinio aliquibus non placet, quia in illa videtur adesse pactum implicitum.

RESOL. XXVI.

An si quis pro beneficio obtinendo iniret pactum non rigorosum, sed ex gratitudine, committeret simoniam?

Et alij diversi casus circa simoniam cursim adducuntur in textu hujus Resolutionis, sed jam omnes magis latè in suis specialibus Resolutionibus pertractati & appositi sunt in hoc ipsomet tractatu.

Et docetur, quod si pro intercessione detur plus, quam valet labor; aut pro beneficio collato, aut præsentato plus detur Patrono, quam ratio gratitudinis patitur, neque committi peccatum simoniæ, ut est, neque injustitiæ, modo illud plus detur liberaliter, & gratis. Ex p. 10. tr. 15. & Misc. 5. Res. 5.

§. 1. HAnc quæstionem ego pluries alibi pertractavi, & quia est difficilis, & quotidiana, iterum nunc de illa erit sermo. Itaque ad quæsitum negativè respondet Rocaful. *in Praxi Theol. mor. to. 2. l. 3. de 7. præcept. Decal. cap. 6. n. 980.* ubi sic ait: Sed quæres an liceat volenti obtinere beneficium dicere vel patrono, vel collatori se futurum gratum, vel habiturum gratiam? Respondeo si per hæc verba non inducatur obligatio, sed solùm sint verba urbanitatis, quæ ut vulgo dicuntur, non obligant, licitè dici. Ita cum Navarr. tenet Villalobos, *tract. cum detur 37. distinct. 17.* Cui addo si solum iis verbis declaretur quod licitè sperare potest collator, vel patronus nullum apparere inconveniens, cur non possit declarari, & per ea verba spem ingenerari, quod enim sperari potest licitè, verbis declarari etiam licitè potest, imò posset alicui videri, neque iis verbis ullam incurri simoniæ labem, quamvis quis intendat per ea se obligare non obligatione civili, neque pacto rigoroso, sed tantùm ex pacto latè sumpto, seu ex gratitudine, vel ex pura fidelitate, seu ex decentia, quæ resultat ex eo, quod dixerit se gratum futurum. Ita tenet expressè Gaspar Hurtadus *de Justitia, & jure disputat. 3. de usura, difficul. 7.* & certe grati animi significatio, & exhibitio jure naturæ debetur benefactoribus, non est autem credibile voluisse Papam prohibere hæc, quæ sic debentur, sed solum, ut his ultrà jus ex vi pacti rigorosi non addatur obligatio, sed illud non parum juvat. Quid quod expressio ejus quod tacite inest, & tantùm modo quo inest non faciat rem illicitam rem alioquin licitam, cap. *Significasti de elect. & leg. 3. ff. de lege*, at hoc hic contingit, ergo, &c. Neque obstat quod in collatore non sit materia gratitudinis, quia ex officio tenetur id facere, quia sæpè multi concurrunt, & potest vel isti, vel illi conferre, & quod huic potius conferat quàm illi beneficium est respectu ejus, cui confert, unde debet iste in hoc casu gratias agere, sed si libenter, & celeriter facit quis quod debet, non tamen occasionem præbet, ut quis ei gratificetur, certè perfectè gratus hoc non omittet sicut perfectè obediens non solùm præceptis, sed & signis, & nutibus voluntati domini paret. Ita Rocaful.

2. Hinc Machadus *de perfecto Confessario, tom. 1. l. 3. part. 3. tract. 5. docum. 2. num. 4.* sic asserit. [Queda pues dudoso, y controverso si caso que se deduxesse à pacto, y promessa obligacion antidoral de averse da remunerar el agradicimiento, seria simonia? Santo Thomas, y los Autores sienten, que si; y principalmente en los beneficios Ecclesiasticos, en los quales (como hemos dicho) tan rigurosamente prohibe el Derecho qualquiera pacto, y convencion. Si bien algunos sienten lo contrario, fundados, en que conforme al mismo Derecho ne se comete simonia quando en el pacto, que en ella se pone no se contiene, ni declara mas de aquello, que de jure inest. Y en el pacto de que el que recibe el beneficio, sea agradecido, no parace que se pone cosa alguna mas, que lo que en si naturalmente contiene, que es la obligacion de agradecimiento.] Et hanc sententiam docet ex Societate Iesu Pater Escobar, & Mendoza *in Theolog. Moral. tract. 5. de exam. 2. capite 6. num. 25.* ita asserentes. Est ne simonia. Elige me in Provincialem, & eligam te in Priorem? Non esse affirmant Sanchez quia est permutatio rerum spiritualium inter se. Dare Petro pretium, ut intercedat apud Ioannem ut ipse Ioannes apud Antonium intercedat beneficij collatorem ut illud conferat: est ne simonia? Vasquez existimat probabile simoniam non esse. Est ne simonia aliquid dare pro labore suscepto eundo, & redeundo ad beneficij collationem, vel in compensationem alicujus damni, quod inde patitur, aut alicujus lucri, quod amittit? Non esse, Suarez asserit. Num liceat de hujusmodi pretio pacisci? Existimo cum Valentia eodem modo, quo licet temporale accipere pro spirituali sine simonia, licere etiam, de hoc ipso pacisci. Hæc Pater Escobar, & nota quod ad secundum dubium ab ipso appositum cum Vasquez idem docet Rocaful. *ubi suprà numero 983.* Quæres ait: An si pecuniam det quis non patrono, sed intercessori apud patronum pro labore intercessionis committat simoniam? Respondeo, & dico Primò, si daret pro labore in eundo, & redeundo ad patronum, aut pro damno emergente, aut lucro cessante, non committit simoniam. Ita Villalobos citatus *tractatu 17.* Dico secundò, si daret pro intercessione immediata, committere simoniam; si pro intercessione mediata, nempe pro intercessione apud intercessorem immediatum, non committere quia hæc intercessio mediata, & remota est merè temporalis, neque ullo jure humano prohibitum est pro illa dare aliquid, sicut assentior probabile dare pro immediata. Nota verò, quòd si pro intercessione detur plus quam valet labor, aut pro beneficio collato aut præsentato plus detur patrono, quàm ratio gratitudinis

Sup. hoc sup. in Res. 12. &c. Sup. hoc inf. ad lin. 13. seq. & in Res. ejus not.

Sup. hoc sup. in Res. 24. §. ult. &c.

Sup. hoc notato sup. ante lin. 13. vers. Dare Petro, & sup. in Res. 22.

Sup. hoc sup. in Res. 22. §. 1. propè fin. à vers. An sit. &c. & pro parte, in princ. dictæ Res. &c.

Sup. hoc notato sup. in Res. 24. §. ult. & in aliis ejus annot.

patiatur, neque committi peccatum simoniæ ut est, neque injustitiæ, ut volebat Rodriquez, modo illud plus detur liberaliter, & gratis. Ita Rocaful. Et tandem non deseram hæc apponere verba Fragosi *in Republica, tom. 2. lib. 5. disp.* 13. §. 11. *num.* 5. sic asserentis: Non est intrinsecè malum per se loquendo petere animum gratum in recipiente donum, vel obsequium, quando aliquid gratis donatur ante receptum donum spirituale, probatur ex D. Thom. 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 2. *ad* 3. ibi, munus, inquit, ab obsequio, vel à lingua non quasi ex obligatione rei exhibetur, sed ex benevolentia, quæ sub æstimatione pecuniæ non cadit, licèt hoc accipere, & exigere, & expetere, quo in loco agit de usura. Sicut ergo licet hoc debitum exigere quod persoluitur ex gratitudine, & ex benevolentia, ita in materia simoniæ hoc licebit peti sine aliquo vitio, cùm teneatur ex naturali obligatione facere quod petitur, hoc est recognoscere naturalem obligationem gratitudinis. Non licebit tamen deducere in pactum antidoralem obligationem, novamque addere promissionem ad illam implendam. Felinus *in cap. ad audientiam, 2. de rescriptis, num.* 10 his verbis: Deducere in pactum obligatorium obligationem antidoralem est simonia, secus ubi sola obligatio naturalis deducitur in pactum eo modo quo debitor est obligatus, quia non videtur illicitum. Ita Felinus quia hoc secundum pactum non est aliud quam pactum ostendendi se gratum, quod licet, neque est pactum novum, sed memoria, seu recordatio beneficij accepti, quæ inest accipienti beneficium. Primum autem pactum cum speciali promissione adimplendi antidoralem obligationem ideò reprobatur, quod novam obligationem inducat præter naturalem, & hæc pactio in spiritualibus non est licita, & cùm sit pretio æstimabilis, & non insit antidorali obligationi, est illicita, & simoniaca. Ita ille. At aliqua ex supradictis mihi non placent per ea, quæ alibi diximus, & per ea, quæ novissimè docet Petrus Marchant. *in Tribun. Sacrament. tom. 3. part. 1. tract. 10. tit. 6. quæst. 9. concl. 1.* omnino videndus cum Patre Vidali *in Arca Theolog. Moral. tit. de simonia, inquisit. 1. num. 34. cum seqq.* & circa superius vide alios Doctores penes me ipsum *part. 2. tract. 16. resolut. 37. part. 4. tract. 4. resolut. 155. part. 6. tract. 7. resolut. 42. part. 7. tract. 4 resol. 2. & part. 9. tract. 9. res. 35.*

Resolutiones istæ citatæ in hoc textu per eundem ordinem in hoc tract. sunt Res. 24. 8. 25. 49. & 35.

RESOL. XXVII.

Quis obtinuit beneficium cum promissione dandi magnam pecuniarum quantitatem, quæsivit à me, an incurrerit pœnas latas à jure contra simoniacos, cum postea pretium non fuerit solutum?

Et quid est dicendum in pradicto casu, si postea post multum temporis, soluat illam summam pecuniarum, quæ vocatur retrotractio, an talis incidat in pœnas simoniacorum? Ex p. 10. tr. 16. & Misc. 6. Res. 15.

Sup hoc sup. ex Res. 5. lege doctr. §. Dico quinto. & seq. & alterius vers. ejus not. & ibi etiã §. ult. dictæ Res. post med. à vers. Dico secundo. & in Res. 7. à princ.

§. 1. PRima sententia affirmat docens, collationem, provisionem, seu aliam dispositionem beneficij per simoniam conventionalem factam, esse nullam, etiam si promissio temporalis, seu conventio, & pacta non sint executa. Itaque ad effectum nullitatis tituli, seu provisionis non est necessarium implementum ex parte promittentis temporale. Quæ sententia expressè probatur per text. *in d. cap. ea quæ, 1. q. 3.* ubi Urban. II. in Concil. Placen. sic ait: Ea quæ à sanctis patribus de simoniacis statuta sunt, nos quoque, & judicio S. Spiritus, & Apostolica authoritate firmamus. Quidquid ergo vel in Sacris Ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus, vel data, vel promissa pecunia, acquisitum est, nos irritum esse, & nullas unquam vires habere censemus. Vide etiam cap. *cum Clerici de pactis* & cap. *nobis. De simonia*, & constitutionem Pij V. incipientem. *Cum primùm.* Ex quibus omnibus apparet ad effectum privationis ipso jure beneficij, & nullitatem provisionis beneficium simoniacè fuisse acquisitum, quod satis verificatur, etiamsi promissio rei temporalis, seu conventio, non sit exquuta, & completa, ut patet, quia non datur gratis, & liberè. Et simonia inducitur, & causatur ex sola promissione, Abbas *in d. cap. nobis, num.* 3. & *ibi* Felinus *num.* 2. Lambertus, *de jure patronatus 1. parte 2. lib. quæst. 9. artic.* 11. & 2. *part. 2. lib. quæst. 9. articul. 3. num.* 8. & Flamin. Paris. *d. lib. 14. quæst. 7. à numero* 32. Adde quia emptio & venditio videtur perfecta, si res tradatur etiam si pretium nondum sit solutum. Et ita hanc sententiam tenent plures Auctores, quos citat, & sequitur Garzias *de beneficiis, tom. 2. parte 8. cap. 26. num.* 28. Sed idem Garzias *ibidem numero* 19. pro negativa sententia adducit 28. Doctores magni nominis, inter quos adsunt Navarrus, Covarruvias, Guttierrez, Lessius, Avila, Bovius, Suar, Ledesma, & alij, asserentes, quod nulla simonia conventionalis, excepta ea, quæ confidentialis dicitur, inducat ipso facto ullas pœnas juris positivi. Probatur hæc opinio, quia etsi fortè ex rigore juris videantur hæ pœnæ contrahi per simoniam conventionalem, etiam neutra ex parte completam; (eo quod ad substantiam contractus emptionis, & venditionis, sufficiat conventio, seu pactum; quia consensu perficitur) tamen juxta stylum Curiæ Romanæ non censentur incursæ, nisi per simoniam realem utrimque completam, ut testatur Navarrus, non obstante Bulla Pij V. hac de re edita, quæ non videtur fuisse recepta. Cujus ratio esse videtur, quod pœnæ (præsertim graves, & quæ ipso facto incurruntur) quantum fieri potest, sunt restringendæ, ac proinde pœnæ constitutæ iis, qui spiritualia emunt, aut vendunt, restringendæ sunt ad emptionem, & venditionem completam, nisi expressè contrarium significetur, lex enim puniens aliquem actum, censenda est punire actum completum. Confirmatur Extravag. *Cum detestabile, de simonia*, ubi hæ pœnæ non statuuntur, nisi in eos, qui conventione facta quomodolibet dando, vel accipiendo, simoniam commiserunt.

2. Quid ego sentiam dicam brevius. Opinio affirmativa videtur mihi probabilior, & illi ego adhæreo; negativam tamen existimo probabilem, & tutam in praxi, ut illam æstimat Castrus Palaus *tom. 3. tract. 17. disp. 3. punct. 22. num.* 6. & illam præter Doctores citatos tenet etiam Villalobos, *in Summa tom. 1. tract. 37. diffic. 37. num.* 3. vide etiam Machad. *tom. 1. lib. 3. part. 3. tract. 3. diffic. 5. num.* 8. Petrum Navarra, *de Resl. lib. 2. cap. 2. num.* 428. Sed his positis, difficultas est, an consequens beneficium, sub promissione pecuniæ, & illam post multum temporis soluens incidat taliter in pœnas simoniacorum, ut ipsæ pœnæ censeantur incursæ quoad omnes suos effectus, ac si à principio pactionis fuissent incursæ, quæ vocatur retrotractio? Affirmat Lessius *cap. 35. d. 27. num.* 151. ubi sic ait: Si simoniaca pactio utrimque in totum, vel in partem completa fuerit, incurruntur pœnæ, & retrotrahuntur ad tempus pactionis, v. g. collator convenit cum Petro 100 aureis de dando illi beneficio, & statim illud contulit; sed Petrus nondum soluit pecuniam promissam: nondum incurrerunt pœnas juris, nec collatio est irrita. Si tamen postea, etiam post menses, vel annos Petrus soluerit, jam incursa censemenses, vel annos Petrus soluerit, jam incursa censebitur, & inhabilitas abitur excommunicatio ab utroque, & inhabilitas à Petro ab initio contractus, & contractus censebitur ab initio

initio nullus,& collatio invalida. Ita ille,qui & Navar. teſtante de ſtylo Curiæ. Sed hoc non obſtante in foro conſcientiæ hanc ſententiam non habere locum putat idem Leſſius *numero* 155. ſic aſſerens: Adverte,videri quibuſdam hanc retrotractionem non habere locum in foro conſcientiæ,quia Canones id non ſtatuerunt, ſed ſolùm in foro externo: nemo enim verè,& coram Deo eſt excommunicatus ante contumaciam; verè autè non eſt contumax, niſi cùm fecerit illud, quod ſub pœna excommunicationis ei erat prohibitum. Deinde contumacia non retrotrahitur, ergo nec excommunicatio, nec pœnæ illam ſequentes. Denique hæc retrotractio ſolùm fit per quamdam fictionem juris, ut ſic magis puniatur is,qui deliquit,& ſolum per ſtylum Curiæ Romanæ in quibuſdam cauſis eſt introducta,quod eſt ſignum pertinere dumtaxat ad forum externum. Vnde in foro conſcientiæ pœnæ ſimoniæ non cenſebuntur incurſæ niſi à tempore completæ ſimoniæ, nec retrorſum trahentur; quare non tenebitur talis beneficiarius ad reſtitutionem fructuum interim perceptorum, nec cenſebitur fuiſſe inhabilis ad alia beneficia. Hæc Leſſius, & poſt illum Caſtrus Palaus, *ubi ſuprà*, *numero* 7. Dicendum eſt igitur in foro conſcientiæ nullam pœnam,neque cenſuram contrahi, quæ retrotrahitur ad tempus pactionis. Et primò de excommunicatione eſt evidens, cum excommunicatio non incurratur,niſi ob contumaciam, quæ (hac opinione ſuppoſita)non committitur quouſque ſoluas pretium, illo verò ſoluto retrotrahi non poteſt,ſicut irregularitas ex homicidio tunc conſummatur, quando mors conſummatur, neque poteſt retrotrahi ad tempus inflicti vulneris, quia pro toto illo tempore neque fuit excommunicatus, neque irregularis. Ergo per nullam potentiam fieri poteſt,ut fuerit excommunicatus, aut irregularis, ut bene probat Suarez *lib.* 4. *de ſimonia capite* 56. *numero* 37. *&* 38. Idem probat de ſuſpenſione in ordine, & in *capite* 57. *numero* 53. probat, collationem beneficij recepti validam eſſe, & non teneri dimittere beneficium, niſi pretium ſolveris, *& in num.* 56. inclinat in foro conſcientiæ, te non teneri fructus perceptos illo medio tempore reſtituere, neque obligatum te eſſe dimittere beneficia acquiſita illo intermedio tempore, quo non ſoluiſti pretium, quia hæc omnia jam ſuum effectum ſortita ſunt. Quocirca ſolum in foro exteriori & poſt condemnationem ſentit fructus illo intermedio tempore perceptos debere reſtitui. Et ideò hanc ſententiam puto ſatis probabilem eſſe.

RESOL. XXVIII.

An liceat vendere, & redimere penſiones? Et an hoc ſit ſimonia? Ex part. 4. tract. 4. & Miſcell. Reſ. 153.

§. 1. NEgat Aragon *in* 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 4. Henriquez *libro* 13. *capite* 13. *num.* 2. Navarrus, Beia, Rebuffus, Salzedo, Lopez, Rodriquez, Corduba, & alij, quos citat Sanchez *ubi infra*, pro hac ſententia plures adducens rationes: hæc ſententia eſt probabilis.

2. Sed non minus probabilem contrariam eſſe puto. Dico igitur quòd omnes penſiones poſſunt pecunia redimi, dempta ea,quæ datur in titulum beneficij ob aliquod miniſterium ſpirituale futurum, coadjutori Epiſcopi, vel Parochi ſenis. Ita Sanch. *in opuſc. tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 46. *n.* 19. Ex his,

3. Infertur primò penſionem, quæ ſolet aſſignari ſeni renunciantì beneficium ob labores præteritos exhibitos poſſe redimi, quia non datur ad exercendum aliquod miniſterium ſpirituale, ſed tanquam alimentum illius Clerici,& ſic temporalis.

4. Infertur ſecùndo penſionem quæ datur Clerico pauperi etiam poſſe redimi,quia eſt merè temporalis, non enim datur pro miniſterio ſpirituali, ſed tantùm in alimentum, unde Clericatus & Ordo ſacer tantùm ſe habent concomitanter.

5. Infertur tertiò penſionem quæ conceditur in renunciatione & commutatione beneficiorum,cùm ſcilicet quis commutat beneficium pinguius, reſervata penſione,aliqui tenent eſſe ſimoniam, eam redimere? ſed ſatis eſt probabile poſſe redimi, quia hæ penſiones ſunt merè temporales, nam jam ſunt extractæ à titulo & officio ſpirituali. Idem dicendum eſt de penſionibus quæ conceduntur ad componendam litem dubiam ſuper beneficio de illis quæ dantur perſonis omnino ſæcularibus, ut Principibus, militibus, &c. vel filio Comitis, etiam Clerico ob obſequia quæ pater Eccleſiæ præſtitit,nam poſſunt omnes abſque ſimonia redimi: & hæc omnia docet Sanchez *ubi ſuprà*, quæ breviter notare volui, cùm in dies occurrant.

RESOL. XXIX.

An poſſit reſignari beneficium cum pacto de penſione redimenda?

Et an dicendum ſit eſſe ſimoniacum tale pactum, & contractum?

Et an penſio ſic conſtituta poſſit non ſolui, & beneficium tanquam vacans propter ſimoniam impetrari?

Et notatur ſimoniam committere, reſignantem beneficium, & petentem à reſignatario ſolutionem expenſarum, quas in ejus acquiſitione fecit. Ex p. 10. tr. 14. & Miſc. 4. Reſ. 1.

§. 1. REſpondeo negativè. Et ita docet Toletus *libro* 5. *capite* 92. Leſſius *libro* 2. *capite* 35. *dub.* 22. *numero* 124. Garcias *de beneficiis, tomo* 2. *part.* 11. *capite* 3. *numero* 172. Giga *de Penſione, quæſtione* 87. *ad finem.* Ioannes Vvigers *de jur. & juſtit. tractatu* 7. *capite* 4. *dub.* 15. *numero* 92. ubi teſtatur de communi. Et ideò non deſeram hîc apponere verba Caſtri Palai *tom.* 3. *diſputatione* 3. *de ſimonia, punct.* 17. *numero* 14. ubi ſic aſſerit: Infero,reſponſionem illius quæſtionis, an ſine manifeſtatione Superioris (qualis eſt ſolus Pontifex) poſſit reſignans cum reſervatione penſionis obligare reſignatarium ad aliqua onera admittenda verbi gratia, ut fidejuſſorem ſæcularem, vel aliquam hypothecam aſſignet, vel illi anticipate ſoluat, timet enim Reſignatarium futurum tardum in ſolvendo? Et dicendum eſt eſſe ſimoniacum contractum; quia obligat Reſignatarium ad id quod de jure non ineſt, eique ex vi reſignationis onus pretio æſtimabile imponit; ita Leſſius, *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 15. *numero* 93. Suarez, *lib.* 4. *cap.* 35 *numero* 23. *in fine.* Quæ reſolutio ita vera eſt, ut etiamſi ordinarius commiſſionem haberet imponendi penſionem adhuc hujuſmodi contractum approbare non poſſet: ita Suarez *ſuprà*. Vnde penſio ſic conſtituta poſſet non ſolui, & beneficium tanquam vacans propter ſimoniam impetrari, ut benè dicit Leſſius *illo numero* 93. Verùm ſi poſt conſtitutam penſionem obligaretur Reſignatarius ad hæc onera, dicendum eſt ſimoniam non committi, neque in foro exteriori debere præſumi, ſed potius præſumi debet liberè ſe obligaſſe. Ita tradit Flaminius *cum omnuni ſententia, lib.* 14. *quæſt.* 7. *à num.* 53. Hæc Palaus;

quæ omnia menti tenenda sunt, cùm circa illa video hic Romæ multos naufragare, & idem Castrus Palaus *ubi supra, punct. 3. numero* 11. firmat, resignantem beneficium cum onere pensionis non posse facere pactum; ut constitutra pensio redimatur, est enim illud onus pretio æstimabile.

Sup. hoc inf. lege doctr. §. ult. Res. 38.

2. Nota etiam, Simoniam committere resignantem beneficium, & petentem à resignatario solutionem expensarum, quas in ejus acquisitione fecit: colligitur ex *cap. Super hoc de Renunciat. & cap. Cum pridem, de Pactis*, & tenet Lessius *supra, num.* 94. & Suarez, *n.* 26. & Flaminius, *lib.* 14. *de resignat. quæst.* 7. *num.* 1. cum aliis. Ratio est, quia petit aliquod onus, quod de jure non inest resignationi; non enim resignatio secum affert illas expensas, sed expensæ factæ sunt ante resignationem in acquisitione beneficij. Ergo beneficium nequit dari cum aliquo speciali onere, quod non daretur, si beneficium illis expensis acquisitum non esset; non enim ob hanc rationem pluris debet æstimari, sicut si possessionem domus multis expensis obtineres, non ob id cariùs vendere posses, quam si nullis tibi expensis stetisset.

RESOL. XXX.

An si quis resignet beneficium cum conditione ut sibi pensio solvatur, sit simonia confidentialis?

Et an si quis resignaret beneficium reservans sibi pensionem sine licentia Papæ, subjaceat restitutioni, & pœnis simoniæ?

Et notatur, quod in Constitutionibus Pij IV. & Pij V. pensio, & quodlibet aliud sub nomine beneficij propriè non comprehensum, etiam si resignetur cum accessu, vel regressu, vel alio quovis modo simoniaco non prohibetur, nec punitur in his Constitutionibus. Ex p. 9. tract. 9. & Mis. 4. Res. 17.

Sup. hoc in Res. 1. not. seq. cursim in eodem §. & vers. Cæteras. & sup. ex Res. 5 lege doctr. §. Dico quarto & seqq. & Res. & §§. ejus annot.

§. 1. NOn solum in tali casu adesse simoniam, sed simoniam confidentialem docet Suarez, & Garcias, quos citat, & sequitur Castrus Palaus *tom.* 3. *disp.* 3. *punct.* 18. *n* 6. quibus ego addo Ioannem Vvigers *de just. tr.* 9. *cap.* 4. *dub.* 17 *n.* 96 Quia confident. a simoniaca est resignatio beneficij sub conditione, ut provisus fructus illius, vel partem ad utilitatem, vel libitum conferentis, aut cedentis, aut alterius relinquat, & remitat. Ergo idem dicendum est de resignatione sub reservatione pensionis, quia pensio pro parte fructuum debet computari. Secundò, quia una ex conjecturis, quæ ibi adducitur ad probandum crimen confidentiæ, est si resignans post resignationem fructus percipiat: quæ præsumptio cessaret, si non esset confidentia resignare cum pacto, ut detur aliqui fructus resignanti. Tertiò, quia in Bulla Pij IV. ad cujus confirmationem Pius V. suam expediit, ut constat ex proœmio, damnatur ut simonia confidentialis ea resignatio, quæ fit cum onere solvendi pensionem, vel fructus beneficij eidem resignanti, ut omnes fatentur; ob cujus causam dicit Lessius *cap.* 35 *n.* 97. se credere hac in parte illam bullam non esse receptam.

2. Sed probabilem etiam negativam existimo, quam præter Vgolinum, Navarrum, Menochium, & Lessium docet etiam Pater Sanchez *in opusc. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 34. *n.* 12. Probatur, quia motus proprius Pij V. explicans, quando censeatur simonia confidentialis, dicit hæc. Si quis ex resignatione, vel cessione beneficij simpliciter, aut cum circuitu retrocessionis receperit beneficium, ut eidem dimittenti, vel alteri conferatur postea: aut ejus fructus, vel eorum pars alij, vel aliis concedantur, vel pensiones solvantur ex eisdem simonia confidentialis censeatur. Ecce quomodo quando resignatur beneficium cum pacto, ut postea restituatur, dicit motus proprius, eidem dimittenti, vel alij; at quando loquitur de pacto restituendi fructus, non dicit, eidem, vel alij, sed alij, vel aliis. Item quia statim immediatè tractans motus proprius, quando habens potestatem conferendi, vel præsentandi, confert, vel præsentat cum pacto restituendi fructus; dicit: Ad utilitatem conferentis, vel cedentis, vel alterius, vel pensionem illi, vel illis, vel alij, quem patronus, collator, vel cedens signaverit, persoluat. Ecce quomodo dicit esse simoniam confidentialem, quando collator, vel patronus paciscitur, ut sibi, vel resignanti, vel alij detur aliquid ex fructibus; at quando resignans apponit pactum, tantùm dicitur, ut restituantur fructus alij, vel aliis. Ergo, si resignans apponit pactum, ut sibi restituantur fructus, non erit simonia confidentialis ibi damnata. Nec obstat, quod si dare fructuum beneficij alij, vel aliis arguit confidentiam, à fortiori arguit confidentiam dare fructum eidem. Tum quia satis est, quod ille motus proprius non judicat hoc esse confidentiam; & non est ampliandus, ut pœnalis, & odiosus. Tum etiam, quia dare, vel promittere eidem fructus simoniam arguit, sed non confidentiam: sicut dare, vel promittere alij, vel aliis, quia hoc arguit, quod resignans confidit Resignatario, & convenit cum eo, ut daret illis. Non obstant etiam verba posita in proœmio, quia nunquam dicit argui confidentiam ex sola reservatione fructuum, sed simul dicit, beneficia apud alios deponunt, vel incunt pactum, ut de illis possint postea disponere, quod manifesta est simonia confidentialis, ut nos etiam diximus. Et in fine ubi ponit proprius motus conjecturas, non dicit esse simoniam confidentialem, eo quòd resignans percipiat postea fructus, sed esse conjecturam: inde enim conjecturari potest non pure datum esse beneficium, sed in depositum, & confidentiam. Ex his patet utramque sententiam esse probabilem, sed affirmativam puto probabiliorem; & ideò Machadus *tom.* 1. *lib.* 3. *par.* 3. *tract.* 3. *decum.* 18 *n.* 4. sic ait: Dudan los Dotores, si el que resigna el beneficio con condicion, de que el Resignatario le pague alguna pensio, cometa simonia confidential, è incurra en las penas de las constituciones referidas. Muy probable opinion es de Navarro, y otros, que afirman, que no se comete simonia confidential por las dichas constituciones, sino es quando la resignacion se haze en favor, y con obligacion de pagar à otro, ò à otros; pero no al mismo resignante. Pero mas probable es lo contrario: conviene à saber, que la resignacion del beneficio, hecha con obligacion de que al Resignante le pague al Resignatario alguna pension, ò frutos del, no solo es simoniaca, sino tambien simoniaca confidencial, y comprehendida en las penas de las dichas Constituciones. Ita ille, & ego.

3. Nota verò Lector, quod si aliquis vellet stare in hac opinione negativa Sanch. & aliorũ, si quis resignaret beneficium reservans sibi pensionem sine licentia Papæ, quia non committeret simoniam confidentialem, sed tantum simoniam prohibitam de jure Ecclesiastico, non subjaceret restitutioni, nec pœnis simoniæ; ideò in tali casu quis non esset excommunicatus, nec privatus beneficio sic recepto ipso jure, nec teneretur fructus restituere, Probatur, quia Canones loquuntur de simonia divino simul, ac Canonico jure reprobata: sin verò nam præfatio legis dat intellectum toti legi, & ex ipsa regulatur, & causam finalem accipit; ut optimè multos allegans docet Mol. *lib.* 1. *de primogen. capit.* 5. *num.* 3. Gutierrez *l.* 3. *pract. quæst.* 17. *num.* 89. & *quæst.* 1. *num.* 36. & *l.* 1. *q.* 89. *num.* 5. 6. Secundò probatur, quia verba in dubio capi debent in potiori significato, ut docet Ludovicus Gomez *Reg. de triem. q.* 12. §. *Sed quod*

Sup. cum hac in beef. in Res. 1. Vers. Dubitat. & seqq. 3. Cæterum in Res. 5. Nota etiam cursim in eodem §. 33.

quod regula. Sicut diximus de excommunicatione quod in dubio capitur pro majori, *cap. penult. de sent. excommun.* & in materia pœnali, & odiosa, qualis est ista simoniæ, nomine simoniæ tantum comprehenditur illa quæ propriissimè est simonia, ut docent idem Gomez *d. quæst. 12. versicul. Cum igitur.* At potius nomine simoniæ significatur simonia jure divino prohibita, & ea tantùm est propriè, & strictè simonia, ut constat ex simoniæ definitione, quæ est, emptio, & venditio rei spiritualis: ergo. Vnde cùm *in Extravag.* 2. dicitur, quomodolibet dando, &c. solùm prohibetur modus; non objectum, non enim dixit, quodcumque dando, sed quomodocumque, sive enim spirituale pro temporali per munus à manu, obsequio, &c. incurruntur pœnæ. Tertiò, quia *cap. Cum olim, de rerum permutat.* quod loquitur de permutantibus beneficia, tantum habet pœnam privationis ferendam tamen, Excommunicationem verò non habet, & hanc sententiam tenet Sanchez *in opuscul. tom. 1. lib. 2. capite 3. dub. 108. numero 2. & 3. juncto num. 4.* individualiter pro casu nostro.

4. Notandum est verò cum Castro Palao *ubi sup. n. 1.* quod in Constitutionibus Pij IV. & Pij V. pensio, & quodlibet aliud sub nomine beneficij propriè non comprehensum, etiamsi resignetur cum accessu, vel regressu, vel alio quovis modo simoniaco non prohibetur, nec punitur in Constitutionibus, quod etiam docet Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 4 de simonia, cap. 43. num. 4.*

RESOL. XXXI.

An si quis resignet beneficium cum intentione, ut resignatarius iterum conferat, & resignet v. g. suo nepoti, committat simoniam prohibitam in Bullis Pianis?

Sed difficultas est, an sola resignatio beneficij cum accessu, recessu, & ingressu, vel an etiam permutatio in supradictis Bullis prohibeantur?

Et breviter declarantur prædicta verba accessus, regressus, & ingressus. Ex par. 9. tract 9. & Misc. 4. Res. 18.

AD hanc quæstionem sic respondet Machad. *tom. 1. lib 3. p. 3. tract. 3. docum. 18. n. 3.* [Es tambien dudoso, y controverso entre los Dotores, si la resignacion del beneficio hecha con intencion, que el resignatario buelua hazer resignacion en algun Pariente del Resignante, ò que pague frutos del, sea simoniaca, y prohibida por Constituciones referidas. Suarez, Navarro, y otros defienden, que no basta que la resignacion se haga con intencion manifiesta de obligar al Resignatario, que buelua à hazer la resignacion en su favor, ò le pague frutos; sino que tambien es necessario que intervenga tacito, ò expresso pacto desta obligacion; porque sin este pacto juzgan, que no se comete simonia convencional, y por consiguiente ni punible por las dichas Constituciones. Otros defienden lo contrario, y que basta la intencion como se le manifieste à la persona, que huviere de recibir el beneficio, para que sea simonia confidencial, y expuesta à las penas de las Constituciones referidas; y aun algunos quieren, que lo sea, aunque no se aya manifestado à la otra parte.]

2 Itaque secundum priorem sententiam à Machado positam, dicendum est non sufficere resignationem fieri cum intentione manifesta arctandi, & obligandi resignatarium, ut in favorem resignantis beneficium iterum resignet, aut fructus solvat, sed requiri etiam tacitum, vel expressum pactum hujus obligationis. Quia sine hujusmodi pacto non committitur simonia conventionalis, & consequenter neque punibilis per supradictas Constitutiones. Ad verba tamen Pij V. affirmantis censeri confidentiam simoniacam commisse, qui receperit beneficium ea intentione, ut postea dimittenti esset regressus. Respondet Navarrus *cap. 23. n. 100. §. 6.* illa verba solùm intelligi de præsumptione, hoc est si in exteriori foro probetur dimittentem habuisse intentionem arctandi, & obligandi resignatarium ad sic resignandum beneficium, eo ipso præsumatur resignatarius commisisse simoniam hanc confidentialem.

3. Verùm, licet hæc sententia sit satis probabilis, mihi magis placet opinio contraria, quam docent Auctores, quos citat, & sequitur Castrus Palaus *tom. 3. disp. 3. de simonia, punct. 18. n 4.* existimat enim resignantem beneficium ea intentione, ut resignatarius maneat obligatus iterum in sui favorem beneficium resignare, vel fructus soluere, committere simoniam, modo tamen intentio illa recipiendi beneficium manifestetur, quia absque hac manifestatione solùm est mentalis simonia, quæ pœnis Ecclesiasticis non subjacet; ut constat ex cap. fin. de simonia,

4. Sed quia in dictis Constitutionibus Pij IV. & Pij V. prohibetur resignationes beneficiorum cum accessu regressu, vel ingressu ad beneficium, breviter, & clarè declarabo dicta verba. Accessus itaque vocatur, si mihi impedito ob ætatem, vel alia de causa, Prælatus conferat jus; ut quam primum capax sim, ingrediar beneficium, quod Petro interim confertur. Regressus dicitur, si beneficium à me possessum cedam alteri servato jure regrediendi ad illud; si fortè ille pensionē non soluerit, aut Religionem ingrediatur, aut Episcopus fiat, aut præmoriatur. Ingressus verò dicitur, si beneficium mihi collatum ante captam ejus possessionem alteri resignem, reservato mihi jure ingrediendi possessionem illius, si ille præmoriatur, aut fiat Episcopus; vide Lessium *lib. 2. cap. 35. dub. 16. n. 98.* & Ioannem Vvigers *de just. tr. 7. cap. 4. dub. 17. n. 97.*

5. Sed est difficultas, an sola resignatio beneficij cum accessu, regressu, & ingressu; an etiam permutatio in supradictis Bullis prohibeantur? Suarez *lib. 4. de simonia cap. 43. n. 11.* & Machadus *ubi supra §. n. 2.* putant probabilius sic permutātes non committere simoniam confidentialē, quia Pontifex solùm de beneficiis acceptis ex resignatione, aut cessione loquitur. Permutatio autem non propriè dicitur cessio, & resignatio; ea de causa esto sic permutantes committerent simoniam, non tamen committunt simoniam confidentialem, & his Canonibus punitam. Sed optimè Castrus Palaus *loco cit. num. 2.* putat secùs affirmandum esse de Episcopo, & quolibet alio collatore beneficij, etiam ex causa permutationis, si sub iis confidentiis conferat Quia verba Pij V. quoad collatores sunt valdè universalia: ait enim si ordinarius, aut collator contulerit ante hac, aut conferat in futurum beneficium Ecclesiasticum quovis modo vacans, &c. vacat autem ex causa permutationis beneficium, ut est recepta omnium sententia relata à Garcia *11. p. de beneficiis cap. 4. à num. 1.* taliter quod non potest renuncians beneficium ex causa permutationis redire ad beneficium renunciatum sine nova collatione, etiamsi permutatio non sequatur, seu non teneat, aut habeat effectum nisi renunciatio esset in manibus Pontificis, ut multis allegatis probat Garcia *loco citato.*

RESOL. XXXII.

Si quis post possessionem beneficij novit à patre, vel amico per pecuniam, ipso ignorante, illud obtentum

fuisse? quæritur, an in foro conscientiæ teneatur resignare?

Et quid de fructibus in præcitato casu?

Et nitatur Episcopum jure suo dispensare posse cum promoto simoniacè in minoribus ordinibus, & prima Tonsura.

Item, ut in majori ordine rite susceptо ministret, non autem in eo, quem per simoniā recipit, neque ut ad alios ordines possit ascendere, quod de eo debet tantum intelligi, qui sciens & volens viam fecit sibi ad ordines per simoniam, sed ab eo, qui ignoravit datum fuisse pro se Ordinatori pretium, suspensionulla incurritur. Exp. 11. tract. 5. & Misc. 5. Ref. 56.

Sup. hoc sup. in Ref. 18. §. 1. cursim ad med. vers. Vnde talis, & sup. in tr. 3 Ref. 55. lege doctr. §. sed an. & seq.

§. 1. AFfirmativè respondendum est ex D. Thoma *in 2. 2. qu.....art. 6. ad 3.* Navarro *consil. 95. & 97. de simonia.* Suarez *lib. 4. cap. 57. num. 35.* ubi sic ait: Dico ergo, collationem factam sic ignoranti ipso facto esse nullam, & consequenter habere hoc ex jure positivo. Ita sentiunt, mea sententia, reliqui Theologi cum D. Thoma, & sumitur etiā ex Canonistis super jura citata, quæ nunc amplius ponderabimus; præsertim ex Abb. *in cap. penult. de elect.* Cassador. & Ludovic. Gomez apud Navarr. *supra.* Probatur ergo assertio ex tribus effectibus ab omnibus receptis. Primus est, quia iste ignorans, cùm primum scierit vitium suæ collationis, tenetur in conscientia statim relinquere beneficium, nulla expectata condemnatione, vel sententia, seu ad superiorem legitimum recurrere, ut de remedio provideat, Hoc docet D. Thom. clarè, sequuntur Cajetan. Sotus, alij; & Covar. non audet negare, nec Navarr. qui expressè docet *cons. 97. de simon. in princ.* & idem sensit in *cons. 95.* fatetur etiam Vgolin. *d. capit. 8. §. 1.* & colligitur clarè *ex capit. ex insinuatione de simon.* ubi id notat Glossa *verb. resignasti*, Abb. & alij. Et expressius *ex d. capit. sicut tuis*, sic dicente. *Quamvis secundum Sacrorum Canonum instituta etiam parvuli, qui cupiditate parentum Ecclesias per pecuniam sunt adepti, eas dimittere teneantur.* Et habetur *in capit. Quicunque 1. q. 5.* ibi: *Postquam illas omninò dimiserint.* Tenentur ergo eas dimittere in conscientia, etiamsi non cogantur exterius,

2. Secundus effectus, ex quo id evidentius ostenditur, est, quia tenetur ille talis restituere fructus omnes, non solùm à die vitij cogniti; sed etiam à principio obtentionis beneficij, cum hac differentia; quod fructus prioris temporis tenetur restituere tanquam bonæ fidei possessor, & ideo non tenetur restituere quos bona fide consumpsit, nec quos recepit tanquam condignum stipendium sui operis, ac ministerij, etiamsi mediante titulo beneficia obtineantur, ut sunt distributiones quotidianæ, aut personales, quia bona fides totum hoc indubiè operatur, estque maximè consentaneum rationi, & justitiæ; tenetur tamen restituere fructus alios exstantes, ut D. Thom. dixit. At verò fructus posterioris temporis, seu perceptos à scientia vitiosi ingressus, & à mora culpabili in dimittendo beneficio, tenetur restituere, tanquam malæ fidei possessor, vel sicut diximus de illo, qui scienter acquisivit simoniacè beneficium, in qua doctrina omnes etiam cum D. Thom. conveniunt, Covar. *ubi supra.* Navarr. *d. cons. 90. 95. & 97.* Cassador. *d. decis. 6.* Vgolinus *dict. capit. 7. §. 2.* Hæc autem obligatio restituendi antiquiores fructus non potest fundari, nisi in hoc, quod licèt possidens naturaliter beneficium, illos receperit bona fide, tamen revera recepit ex re non sua, & ideò non fecit illos suos, ac subinde nec retinere illos potest, ergo signum clarum est, collationem à principio non fuisse validam. Nam si fuit valida, ergo recipiens verè possidebat beneficium suum, ergo faciebat suos omnes fructus ejus, quo ergo jure obligatur postea partem eorum extantem restituere, vel potius à se abdicare (cùm sit sua) nullo cogente.

3. Tertius effectus est, quia non obstante ignorantia recipiens beneficium simoniacè, manet inhabilis ad illud idem beneficium obtinendum, indiget enim dispensatione, vel Papali in dignitatibus, & curatis, beneficiis, vel saltem Episcopali in simplicibus, ut dicitur in *capit. penult. elect. in 6.* ergo signum manifestum est, relictum fuisse impedimentum ad tale beneficium obtinendum, etiam de novo: aliàs cur dispensatio, & cum tanto rigore, ac distinctione postularetur? Ergo multò magis erat inhabilis talis persona ad obtinendum validè à principio tale beneficium tali modo, scilicet per simoniacum ingressum, etiam à se ignoratum. Probatur consequentia, quia longè minus videtur iterum recipere beneficium liberè dimissum statim post cognitum defectum ab eo, qui alias potest illud conferre gratis, & sine ullo novo vitio, quàm obtinere illud validè per vitiosum ingressum etiam ignoratum: sed ille ingressus (non obstante bona fide) reliquit impedimentum ad subsequentem collationem validè obtinendam, quamtumvis aliàs honestam, & legitimam, ergo multò magis impedivit, ne prior valida existerit.

4. Verùm his non obstantibus (attendas quæso amice Lector) negativam sententiam sustinet Adrianus *quodlib. 9. artic. 3. littera C.* & ex neotericis Millardus *tract. de pœnitentia capit. 65. instruct. 9.* & novissimè ex Societate Iesu Stephanus Baunius *in praxi beneficiorum disputat. 16. quæst. 55.* ubi docet Primùm, talem collationem in foro conscientiæ validam esse, nec ita provisum teneri ad restitutionem fructuum quos percipit ante simoniam cognitam. Alterum, ubi ea nota fuerit, non obligari illum illicò in conscientia renunciare beneficio, nec si illud retinuit post eam notitiam, teneri ad restitutionem fructuum, ante sententiam judicis, ejusdémque executionem. Ratio est, quod collatio facta ignoranti simoniam, causa sua admissam esse, sit valida, nec enim est jure naturali irrita, aut divino, ut probat Suar. *capit. 57. numero 15.* nec Ecclesiastico, cum nullus Canon proferri queat, quo expressè irritetur: ergo cum collatio beneficij, quæ est rata, det jus ad illud, & ad ejus fructus, eo spoliari beneficiarius non poterit, nisi sit expressus Canon, in quo dicatur, eum, cui ignoranti simoniam causa sua commissam, beneficio est collatum, illud ante omnem sententiam, ipso facto amittere, ubi primum de tali vitio docebitur, sed nullus est talis: retinere ergo illud poterit, ejusque fructus omnes, donec per sententiam iis privetur.

5. Confirmatur hoc ipso, quod collatio est valida, verum jus beneficiario in beneficium acquiritur, & in fructus ejus omnes, quo spoliari justitia illæsa non potest, nisi per Canonem quo hæc ei pœna, ipso facto dicatur imposita, & ante omnem sententiam. At non est in jure Canon ullus, quo suam super hac re sacri Pontifices mentem expressam voluerint; sicque beneficio à se, aut aliis donatum, ipso privarint: ergo, &c.

6. Scio à Patre Suarez nonnullos tam ex decreto, quam decretalibus depromptos proferri, quibus ostenditur, hunc, de quo agimus, cum simonia ad Sacerdotium ab Episcopo admotum, id amicis ac procinquis mala arte pretioque, eo ignorante molientibus, post habitam ejus rei notitiam, illud servare non posse, ut sunt *Canon primus causa 1. quæst. 5. & 33. de simon.* ex quibus concludit hic auctor, collationem talem fuisse invalidam, cum sacerdotia dimitti necessario

cessario non debeant, quæ sunt acquisita, collataque legitimè.

7. Sed dicendum est in primo illo Canone, agi dumtaxat de foro exteriori, & de dispensatione in illo obtinenda, cum enim hæc haberi nequeat, nisi beneficium dimittatur, & fiat nova collatio, mirum esse nulli debet, si id Pontifex fieri imperet.

8. Ex secundo, argumentum peti nullum efficax potest, ad ejus rei fidem, quam auctor propositam habet, quia etsi in odium simoniæ, Papa beneficium illico dimitti velit, & hanc in eo admissam esse constat, contendo tamen nullam in eo Can. pœnam addi, quæ voluntatem in Pontifice indicet obligandi sub mortali, ad petendam novam collationem beneficij simoniacè collati ignoranti, ubi id factum esse causa sua per amicos intelliget, quare peccabit, si Pontifici morem non gesserit, imperanti beneficium, ita acquisitum, relinqui, non tamen mortaliter, nisi fortè ratione scandali, quando ejus simonia est omnibus nota, aut ex contemptu Ecclesiæ parere renuit, neutrum si erit, eaque dimissio ob causam legitimam omittatur, nullum erit peccatum, talis est futura, si simonia erit occulta, & non expediat eam sciri, ne ipse sibi aliisque creet infamiam.

9. At enim (inquies) qui est simoniacè, ignoranter tamen, de beneficio provisus, fructus suos non fecit, quos proinde restituti omnes est necesse, quod non accideret, si fuisset ejus collatio valida.

10. Major est falsa, cùm talis pœna non legatur in ullo Canone, tam ante, quàm post simoniæ admissæ notitiam, inflicta. Verùm negari nequit (inquies) quin ei dispensatio sit necessaria. Omnino, sed in foro dumtaxat exteriori, ne puniatur, & beneficio privetur. Dices tertiò, collationes beneficiorum omnes, in quibus intervenit simonia, ita decernente Paulo II. nulla esse. Respondendum loqui in sua Extravag. Pontificem de his dumtaxat, qui scienter, & ex industria simoniam contrahunt, de ignorantibus sermonem ei nullum esse, sit pro argumento, quod Pontifex simoniacos ipso facto excommunicatione percussos esse velit, qualis in ignorantes, utpotè innocentes non cadit. Hucusque Baunius, qui etiam observat hanc suam sententiam Lessium *de justit. lib. 2. cap. 35. dub. 25. numer. 144.* tanquam probabilem admittere: at ego non recedo à sententia, quam docui, nam illam in praxi amplexam video in hac Romana Curia, in qua scribo. Nec deseram hic etiam observare doctrinam Parisij *de confidentia quæstione 14. numero 34.* loquentis: Et hic non omittam, quod forum conscientiæ ligat, & validat actum, in quo est prætermissa forma tradita, vel non servata, dummodo dolus non intervenerit: Innocent. *in cap. quia propter, de election.* Ioann. And. & Abb. *in cap. is qui de sponsal.* Abb. *in cap. 1. de constit.* ubi Felinus, & Decius *numero 28. 29.* Gemin. *in cap. 1. per illum textum de sponsal. in 6.* Ancharan. *in cap. beneficium quæstione 7. de regul. jur.* Iason *in l. si non sortem numero 4. ff. de condit. indeb.* Gig. *de pens. quæstione 34. numero 8.* Quod nota pro eo qui non publicavit resignationem juxta Gregorianam, non emisit professionem fidei, non fuit approbatus ab examinatoribus electis in Synodo Diœcesana, habuit beneficium per electionem non servata forma tradita à jure, vel præsentationem patroni elapso tempore, aut per collationem non habentis facultatis, vel habentis, & non valentis conferre propter excommunicationem, suspensionem, aut alienam causam. Nam illi omnes videntur tuti in foro conscientiæ, Abb. *in cap. 1. de in integrum restitutione, ad finem.* Anchar. *Reg. 1. de reg. jur. q. 7. col. 34.* Tiraquell. *in tract. de leg. comm. gloss. 2. n. 20.* Boër. *decis. 1. n. 15.* cum aliis allegatis per Covar. *in cap. cum esset, n. 5. de testam. & in reg. peccatum* §. 3 *num. 9.* Dominicus Soto *lib. 4. de just. & jur. q. 8. art. 3.* & plura exempla hujus notabilis conclusionis affert Niconit. *in cap. quoniam contra par. 1. num. 682. de probat.* Hæc omnia Flaminius ubi supra. Sed hanc sententiam Georgius Branden *super concordatis inter Sanctam Sedem, & Nationem Germanicam, q. 5. n. 13.* putat non esse extendendam, sed omninò restringendam ad forum conscientiæ purum, hoc est, quando defectus formæ, vel tituli est ita occultus, quod probabiliter nemo alius cogitationem de eo defectu habebit, & ex petitione novæ provisionis, vel dimissione beneficij, provisus pateretur magnum damnum status, vèl famæ. His duobus concurrentibus, titulum aliàs de jure nullum in foro conscientiæ sustineri, rectè ex mente allegatorum DD. asserimus.

11. Notandum est etiam hic obiter, quod docet Comitolus *lib. responsionum moral. q. 41.* Episcopum jure suo dispensare posse cum promoto simoniacè in minoribus ordinibus, & prima tonsura, item ut in majori ritè susceptо ministret, non autem in eo, quem per simoniam recepit, neque ut ad alios ordines possit ascendere.

12. Quod de eo tantùm debet intelligi, qui sciens, & volens viam sibi ad ordines facit per simoniam, ab eo enim, qui ignoravit datum fuisse pro se ordinatori pretium, suspensio nulla incurritur; Navarrus *cap. 15. numero 68.* Henriquez *libro 3. capite 37. numero 4.* Sup. hac ignorantia sup. in tr 3. Res. 55. & in aliis ejus primæ not.

13. Ratio est, quod culpa caruit in susceptione ordinis hoc modo, potest ergo, quia simoniacus non est, remanere in suo ordine, *in c. de simoniacis, tit. de simon.* Vide Baunium *loco cit.*

Dub. in Obiectioni 8. not. tertiæ.

RESOL. XXXIII.

An permutantes beneficia sine Superioris permissu, incidant in censuras, & alias pœnas, ut simoniaci?

Idem est de reservantibus sibi pensionem sine Papæ authoritate.

Et an Superior sufficiens ad permutationem sit Episcopus vel alius Prælatus inferior, ad quos collatio beneficij, aut institutio spectat, & non in aliis?

Et an inter se beneficiati possunt tractare de permutatione, accedente authoritate Superioris futura?

Et an sit necessaria aliqua causa in permutatione beneficiorum?

Et in textu hujus Resolutionis explicantur aliquæ causæ pro praxi hujus ultimæ difficultatis. Ex p. 10. tr. 16. & Misc 6. Res. 17. aliàs 16.

§. 1. NEgativam sententiam tenet Petrus Navarra *lib. 2. de restit. cap. 2. n. 436.* ubi sic ait: Tandem colligo, an prædicta de excommunicatione, & restitutione, tam beneficij, quam fructuum accipienda sint de simoniaco, contra jus positivum, ita ut si duo permutent beneficia traditione sequuta, sine licentia superioris, sint excommunicati & uterque beneficio ipso facto, privati, fructúsque perceptos, & consumptos restituere teneantur? Et sanè videri posset alicui quod dictæ pœnæ talibus à simoniacis incurrantur. Primum, quia in cap. *cùm olim de rerum permutatione*, prohibetur pactum inter beneficia sub privatione beneficiorum. Secundò, quia in *Extrav. 1.* fulminantur illæ pœnæ contra simoniacos. Constat autem in jure, esse verè simoniacos, qui sine licentia superioris dant unum spirituale pro alio, ut supra latè probavi. Vnde *in cap. quæsitum de rerum permutatione* dicitur labem continere simoniæ. Si igitur in jure tales simoniaci dicuntur, sequitur sub illa Constitutione Pauli II. comprehendi, maximè quia ibi dicitur Sup. hoc sup in Res. 6. §. 1. cursim ad med. à vers. quod proinde. & in Res. 7. §. Nota etiá. breviter, ad lin. 10. & in Res. 8. §. Verum. à lin. 8. & in Res. 30. §. Nota vero. in fin. & in Res. 5. §. 1. in fin.

quomodolibet dando, vel recipiendo, quasi dicat, etiam si non detur spirituale pro temporali, sed unum spirituale pro altero, ex pacto, secutâ traditione. Atque hæc quidem videtur communis sententia. Ego, si audiendus sum, numquam credidi, sic agentes esse excommunicatos, aut privatos beneficiis ipso jure: atque idem est de reservantibus sibi pensionem, sine Papæ auctoritate. Moveor ea ratione, quia nullum est jus, quod de hoc genere simoniæ loquatur, scilicet de beneficiorum permutatione vel unius rei spiritualis pro alia, quod habet aliquam pœnam ipso facto annexam. Nam in cap. *cùm olim de rerum permutatione*, quod loquitur de permutantibus beneficia, solum habet pœnam privationis beneficiorum ferendam tamen, excommunicationem vero nullam; cap. *autem, cum pridem de pactis & cap. Insinuatum, de simonia*, omnia loquuntur de pœna ferenda neque in ullo eorum de excommunicatione aliquid. Imò si rectè consideres: Nec ad hanc pœnam ferendam agunt ad propositum: cùm ibi sit sermo de simonia proprie & strictè, quando accipitur temporale pro spirituali. Vnde solum potest probari contraria sententia per d. Extravag. 2. *de simonia*, & Concil. Constant. quod in ea relatum est. At neque ex hoc probatur prædicta opinio: cùm enim prædicta Constitutio nihil aliud dicat, quam quod simoniaci illas pœnas ipso facto incurrant, non debet extendi ad eos: qui permutant beneficia: est enim materia pœnarum, & earum gravium, atque adeò restringi debet vocabulum, & in propria accipi. significatione: constat autem propriam significationem, & strictam verbi, simonia, esse emptionem, & venditionem rei spiritualis pro temporali, quod est jure naturali, & divino prohibitum. Licet enim verum est ut supra diximus, jure vocari simoniam dationem unius spiritualis pro alio non gratuito, seu ex pacto, tamen revera hoc est in lata significatione, & extensa vocabuli, non in propria, & stricta, in qua mea sententia comperio Covarruviam *lib. 1. Varia. resol. cap. 5. num. 3. in fine, & num. 5. vers. item, quod vidimus non displicet*, imò Navarr. clariùs loquentem, *cap. 23. num. 105. in fine*. Per hæc patet, ad rationes à me pro hac ratione factas, cap. enim *olim* privationem habet beneficiorum, ferendam tamen, ut patet legenti. Ad secundum etiam solutio patet: licet enim tales permutantes, vel pensionem reservantes, aut quovis alio modo conventionem exequentes in rebus spiritualibus, in jure verè simoniaci appellantur, tamen in materia pœnarum, non oportet eos intelligi cùm non stricte, sed extensione quadam vocabuli, dicti sint simoniaci. Ad illud, quod Extravag. dicit: *Quomodolibet dando, vel recipiendo*. Respond. solum prohiberi modum non objectum. Non enim dixit, quodcumque dando, vel recipiendo: nam eo ipso quod datur spirituale pro temporali quomodolibet fiat sive pecunia, sive servitio, sive munere à manu, vel lingua, incurruntur prædictæ pœnæ ipso facto in beneficiis. Hucusque Nav. cui etiam adde Petrum Aragon. *in 2.2. quæst. 100.* & ita hanc sententiam de rigore juris disputativè posse defendi putavit Binsfeldius *de simonia in rubrica fol. 67.*

Sup. hoc in Resolutionibus, & §§. not. præterfl.

2. Sed ego prorsus, existimo contrariam sententiam tenendam esse tam practicè, quàm speculativè. Dico itaque, quod permutatio beneficiorum, & cujusvis juris spiritualis beneficia concernentis, si fiat auctoritate privata est illicita, & simoniaca contra prohibitionem Ecclesiæ; habetur cap. *cum olim* cap. *quæsitum de rerum permutatione*. cap. *majoribus de Præbendis*. cap. *ult. de pactis*: Ita est communis Doctorum sententia, ut videre est in Rebuff. *in punct. 3. p. tit. de permut. num. 52.* Vgolin. *tab. 1. cap. 27.* Redoano *tit. de simonia part. 3. cap. 3. & 23.* Suar. *lib. 4. cap. 31. num. 8.* Valen. *disp. 6. quæst. 16. part. 3. vers. ac videtur capit. 1659.* esto contra teneat glossa & Innocent. *in cap. quæsitum. de rerum permutatione*, dicentes præbendas ejusdem Ecclesiæ, & ejusdem rationis posse permutari privatim, sed Hostiens. Panormit. & alijibi, & Doctores suprà relati non admittunt exceptionem, & meritò, quia jus non admittit, cum prohibitio sit generalis. Quod à fortiori procedit in casu, quo permutatio fieret in manibus Superioris, & permutantes inter se convenirent de danda pensione ei, qui pinguius beneficium in alium resignavit, aut permutavit ut bene dicit Valen. *quæst. 16. part. 3. vers. tertio modo, pag. 1659.* & Man. Rodriquez *2. tit. Summ. capit. 65. numero 6.* cum Aragon. *quæst. 100. art. 4. vers. est aliud dubium in 3. conclus. part. 1121.* Ex hac conclusione infero cum Lessio *lib. 2. cap. 35. dub. 17. numer. 110.* & multis aliis, quos refert, & sequitur Nicolaus Garcia *de benefic. 11. part. capit. 4. num. 6.* permutantes propria authoritate beneficia aut jus ad illa effecisse actum irritum, & nullum; ac proinde non posse propria authoritate beneficium tenere. Superiorem tamen posse in pœnam commissi criminis eos per sententiam beneficiis privare, ut patet ex cap. *olim 7. de rerum permutat.* non tamen amittere ea ipso facto, imò neque incurrere censuras secundum probabilem sententiam. Et hæc omnia docet Castrus Palaus *tom. 3. tract. 17. disp. 3. punct. 15. num. 3.* Cui adde Ioannem Vvigers *de Iust. tract. 7. cap. 4. d. 14. n. 583.* qui etiam observat quod Angelus *verb. permutatio, n. 5.* & Sylvest. *eodem, 2. q. 2.* existimant superiorem sufficientem ad permutationem non esse Episcopum solùm, vel qui Episcopalem jurisdictionem habet, sed quando ad illos non spectat talium beneficiorum collatio, tunc sufficere posse etiam Prælatum inferiorem, ad quem collatio, aut institutio spectat, quod & D. Soto *lib. 9. q. 5. art. 2. & quæst. 7. art. 2.* videtur supponere, ubi sub disiunctione loquitur de Episcopo, vel eo, ad quem collatio spectat quamvis ex professo hoc non disputet: & videtur posse colligi ex cap. *unico de rerum permutatione num. 6* in quo dicitur, illos tamen, qui secundum formam juris sua beneficia in eadem Diœcesi ad tuam collationem spectantia permutare volentes, &c. ubi urgeri potest illud, ad tuam collationem spectantia, quia videtur indicare permutationem beneficiorum, quæ non spectant ad collationem Episcopi, ad eum non pertinere. Est quidem ista opinio contra communem: ubi tamen est in longa praxi, & quasi præscripta poterit servari, quamvis non foret satis tutum ubi non est in usu, eam introducere. Sed licet hæc omnia optimè à Vvigers dicta sint, tamen sententia Angeli, & aliorum est satis probabilis, & ut talem defendit Suarez *de simonia lib. 4. cap. 32. num. 18.* & videtur probari ex cap. *unico de rerum permut. in 6.* ubi approbatio, & consensus Episcopi requiritur in permutatione beneficiorum, quæ ipse conferre potest, non § non in aliis, dicitur enim ibi, qui secundum formam juris sua beneficia in eadem Diœcesi ad tuam collationem spectantia permutare volentes, libere, & sine fraude in manibus tuis ipsa resignent. Ergo quæ ad collationem Episcopi, non pertinent, non tenentur in manibus Episcopi resignare. Ratio verò est, quia consensus Episcopi in permutationibus ideò spectatur, quia sine illo nec renunciatio beneficij, nec alterius obtentio fieri potest; cum ergo possit absolutè beneficium resignari, aliudque de novo obtineri sine Episcopi consensu, quando ad illum collatio, seu institutio non spectat, non est cur dicamus, esse necessarium ejus consensum: & tandem quia ille Prælatus, ad quem collatio beneficiorum spectat, habet in

in hac parte jurisdictionem Episcopalem ; si quidem beneficiorum collatio propria est Episcopi, cap. *omnes Basilicæ 19. quæst. 7.* Ergo quoad tales actus recte comprehendi potest sub nomine Episcopi. Et ita ex his rationibus Palaus *ubi supra num. 5.* hanc sententiam tanquam probabilem tuetur.

3. Sed hic quæro primo, an inter se beneficiati possint tractare de permutatione, accedente auctoritate superioris futura? Aliqui negant ; ita enim sentit Hostiens. *in d. cap. quæsitum*, quem sequitur Ioannes Andreas, ut citat Panormitanus, favet illud ipsum cap. & cap. *Cum olim.* supra citatum ; ubi videtur damnari omnis pactio, & consensus partium in permutationem præveniens prolationem Superioris. Favet etiam cap. *cum universorum, & ibi glossa eodem* ; ubi damnari videtur factum eorum qui incipiunt tractare inter se de permutatione suarum Præbendarum, antequam Superiorem consulant. Sed omninò dicendum est licere partibus interse tractare de futura permutatione, si superior consentiat : est communis, Sylvestri *supra*, Panormitani *in d. cap. quæsitum*, qui citat Innocentium ; Rebuff. *de permutat. num. 52.* Glossæ *in Clementinam unicam, eodem.* & aliorum, Confirmatur ex praxi totius orbis Christiani, & quia hujusmodi contractus planè resoluuntur in conditionem, adeóque in consensum Superioris. Neque debet hæc condirio haberi pro impossibili, ut jura solent habere conditionem illam, quæ pendet à sola Principis voluntate ut patet leg. *continuus*, §. *cùm quis ff. de verb. oblig.* hic enim consensus non fertur in præsens, sed in futurum, & non expectatur dispensatio Superioris sed ordinaria quædam validatio, & auctoritatis impertitio.

4. Quæro secundò, An sit necessaria aliqua causa in permutatione beneficiorum? Respondeo, cap. *quæsitum*, De rerum permutatione, indicari debere in permutatione intervenire necessariam aliquam causam. Quod non ita accipiendum, quasi pro Ecclesiæ, vel beneficij, vel communi utilitate citra aliam necessitatem non liceat permutatio. Si enim qui utilis est Ecclesiæ in hoc suo beneficio, utilior sit futurus in alio, jam satis justa est causa permutandi, ut docet in illud cap. Panormitanus, & hoc ipsum indicat Pontifex *in fine cap.* justum finem personæ exercere. Erit etiam justa causa, si permutans uno loco commodiùs propriæ saluti sit consulturus. Indicat D. Thomas *in 4. distinct. 25. quæst. 3. art. 3. ad 8.* Si vero fiat permutatio solum pro aliquo commodo temporali alterius, vel utriusque partis, est simoniaca secundum eundem D. Thomam. Non tamen damnandus erit simoniæ, qui in hoc beneficio non inveniens congruam sustentationem, cum alio qui tanta sustentatione non indiget, sine fraude consciente permutat, quia beneficium ejus pinguius est, & ad necessariam sustentationem sibi utilius : hoc ipsum enim etiam ad decorem Domus Dei cedit, quod in ea non indigeant ministri : secundum illud Malachiæ 3. *sit cibus in domo mea, & probate me super hoc*, &c. Similis ratio erit, si Clericus permutet, quia in loco sui beneficij perpetuas, & assiduas habet inimicitias vel incommodum patitur propter aëris intemperiem. Vide Mald. de Simon. *tractatu 9. capite 3. dubit. 10.* & alios *ubi supra.*

RESOL. XXXIV.

An sit peccatum simoniæ dare aliquid Titio, ut Caium adscribere faciat inter Equites D. Iacobi, Calatravæ, Alcantaræ, &c?

Et explanatur, quod dans vel accipiens aliquid pro ingressu Religionis ligatur excommunicatione, Summo Pontifici reservata, in Extravag. 1. de simonia.

Sed notatur ad faciliùs impetrandam suam receptionem in aliqua Religione posse quem gratis, & sponte præbere munera Superioribus vel aliis ; imo in tali casu pactum adhibere posse.

Et an quis probabiliter sustinere possit supradictos ordines D. Iacobi, &c. non esse vere Religiones?

Et an sit simonia, si Rex vendat las Encomiendas *supradictorum Ordinum, vel saltem sit peccatum mortale?*

Ex p. 3. tract. 2. Resol 64.

§. 1. Affirmativè respondet Azor. *to. 5. lib. 12. c. 16. q. 5.* quia per preces Titij via ad ingressum in Religionem paratur Caio, & sicut Caius pecuniam dare non potest, ut in Religionem admittatur, sic etiam non potest dare, ut sibi viam paret ad ingressum in Religionem. Ita ille, & dans, vel accipiens aliquid pro ingressu in Religionem, ligatur excommunicatione Summo Pontifici reservata in Extravag. 2. *de simonia*, ut notat Reginaldus *tom. 2. lib. 23. cap. 12. num. 173.* & alij.

Sup. hoc in Resol. seq. & in Resol. 1. post seqq. §. penult. in fine.

Quoad hoc in §. seq lege à lin. 7. ante fin. vers. asserentes ad facilius.

2. Sed his non obstantibus ego existimo supradictam opinionem Azorij procedere, quando Titius daret Caio illam pecuniam, tanquam pretium emendi habitum illorum Ordinum, quod licite fieri non potest *ex cap. quoniam, & cap. non satis, de simonia*, secus autem si illam pecuniam præberet Caio gratis, & liberaliter, vel in remunerationem laborum, licet excederet eorum mensuram ; nam in isto casu possunt adesse duo contractus, ut ego ipse notavi * *in part. 2. mearum. Resp. moral. tr. 2. Miscel. resp. 39.* Vnus scilicet emptionis laboris : & alter liberæ donationis, & ita hanc sententiam expresè collegi ex D. Thom. *in 2. 2. quæst. 100. art. 3. ad 4.* & illam tenet novissimè Bartolomæus de Vecchis *in praxi novit. disput. 1. dub. 3. n. 1.* & alij communiter, asserentes ad facilius impetrandam suam receptionem in aliqua Religione, posse quem gratis, & sponte præbere munera Superioribus vel aliis. Imo ego puto in tali casu licitè pactum adhiberi eo tamen modo, quo explicavi cum Valentia *to. 3. disp. 6. quæst. 16. punct. 3.* & Adamo Tanner *in 2. 2. D. Thom. disp. 5. quæst. 8. dub. 3. num. 76.* in dicta resolutione loco citato.

* Quæ hic est sup. Resol. 24. & in aliis ejus primæ, & secundæ annot.

3. Deinde notandum est, quod habere habitum dictorum Ordinum secundum communem hominum existimationem est quid honorificentissimum ; ergo quando quis præbet pecuniam prò ejus susceptione, non intendit mere, ut ita dicam Religionem, sed honorem illum pretio æstimabilem, quem confert habitus dictorum Ordinum, & sic Villalobos *in summ. tom. 2. tract. 37. diffic. 14. num. 5.* sic asserit [El que compra el habito, no quiere comprar la Religion, que antes le pesa con los votos, quæ estan per accidens conjunctos al habito, y el no quiera sino la honra, y renta, que es à qui lo principal, y lo demas accessorio.] Igitur nullo pacto committitur in tali casu simonia.

Sup. hoc in Resol. seq.

4. Adde etiam, quod quis probabiliter sustinere potest supradictos ordines non esse verè Religiones unde cessat ratio adducta ab Azorio *ubi supra*, & ita tenent Doctores, quos citat Sanchius *in select. disp. 49. num. 12.* Garzias *de benefic. tom. 1. part. 1. cap. 4. num. 16.* Barbosa *de potest. Episcop. part. 2. alleg. 12. num. 46.* & quos ego ipse citavi *in 1. part. tract. de immunit. Eccles. resolut. 49.* quibus nunc addo Ioannem Franciscum Suarez *in Enchiridio casuum conse. lib. 3. ver. Religio.* Bonacinam *in Bull. Cœn. disput. 1. quæst. 16. sect. 1. punct. 3. num. 16.* Alterium *de cens. tom. 1. lib. 5. disp. 16. cap. 1.* Zanardum *in direct. Theol. part. 2. prac. 4. cap. 31.* Narbonum

Quæ nunc est in tom 9. tr. 2. Resol. 262. & ibi in Resol. 167. & 169. & hic inf. in Resol. 1.

post seq. §. Nec valet, inter med. & fin. vers. Respondeo, & in aliis multis positis in annot. prædicti vers. Respondeo.

Narbonem *in recopil. tom. 1. tit. 5. leg. 8. glossa unica, num. 14.* & Vivianum *in praxi noviss. Iurispatronatus, part. 2. lib. 6. cap. 2. num. 17.* ubi testatur sic fuisse decisum in Rota Romana coram Seraphino die 4. Iunij 1586. & ita declarasse Sacram Cardinalium Congregationem die 10. Novembr. 1609.

5. Nec valet dicere cum Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 4. cap. 27. num. 6.* quod dato hos Ordines non esse verè Religiones, tamen eo modo, quo sunt Religiones, habent aliquid spirituale & invendibile, nam respondeo cum Aragonio *in 2. 2. quæst. 100. art. 4.* & aliis; quod quamvis ordinentur hujusmodi Religiones, ultimatè ad divinum cultum, proprius tamen earum finis est quid temporale, scilicet in militia: sed cum non ultimi, sed proximi finis sit habenda ratio, non erit simonia, dare aliquid, ut quis in his Ordinibus adscribatur; & ideo Raphaël de la Torre *tom. 2. in 2. 2. D. Thom. quæst. 100. art. 4. disp. 3.* Villalobos, Suarez, Aragonius & alij penes ipsos docent, non esse simoniam, si Rex vendat *las Encomiendas* supradictorum Ordinum.

Et pro contento in hoc ult. §. in resol. seq. §. 1. propè fin. vers. debent. & in §§. seqq. & latè in resol. 1. post seq.

6. Sed instabis dicendo supradictos Doctores asserere quidem, non esse simoniam vendere dictas Encomiendas, tamen omnes asserunt, si Rex faceret, esse peccatum mortale. Ergo hoc etiam dicendum est in casu nostro Respondeo negando consequentiam; nam in casu, de quo loquimur, Rex ad preces tantùm alicujus privati sine ullo pretio, & pecunia confert habitum Equiti habenti, ut suppono, omnia requisita necessaria; Eques verò est ille, qui pro labore, ab intercessore suscepto dat ei in pretium aliquam pecuniarum summam, quod si excedat laboris mensuram, dum dictus Eques, ut omnes facere possunt, illud plus, quod labor ille non meretur, gratis, & liberaliter remittat, nescio quo pacto in tali negotiatione culpa intervenire possit. Salvo semper meliori judicio; & præsertim præstantissimorum Hispaniæ Doctorum, quibus hæc corrigenda humiliter, & ex corde submitto.

RESOL. XXXV.

An emere schedulam Habitus D. Iacobi, Alcantaræ, Calatravæ, &c. ab aliquo ministro Regis sit simonia?

Et docetur, quod si non pro schedula, sed pro laboribus assumpti, pecunia præbeatur tertio impetranti, & si ex pacto hæc fiat, nullomodo illicitum est.

Et an Habitus prædictorum Ordinum, non sit Habitus Religionis veræ, sed secundum quid? Ex p. 9. tract. 9. & Misc. 4. Res. 35.

Sup. hoc in Res. præterita in princ. & signanter & melius in §. Deinde.

§. 1. QVidam Auctor modernus, me sæpè parùm modestè impugnans de opinionibus satis probabilibus, quem ex consilio Doctorum virorum silentio mulctavi, ad propositam difficultatem affirmative respondet: sed nominatim contra illum insurgit doctus Ioseph Ianuarius *in Resolut. moral. part. 1. resolut. 6.* per totam, in qua me citato negativam sententiam firmat, quam etiam me citato tenet ex Societate Iesu Stephanus Fagundez *de Contract. lib. 5. cap. 20. n. 9.* ubi sic ait: Quæstio est, utrùm licitum sit pretium cuidam tertio dare, ut Caium admittere faciat, & adscribere inter Milites, & Equites D. Iacob., Christi, Alcantaræ, & Calatravæ, illorumque Habitu, & Commenda insigniri? Et supponimus, illum esse idoneum ad talem Habitum, & Commendam, & Benemeritum illius. Supponimus etiam eum, cui pretium porrigitur, plurimùm valere apud Regem vel apud ministros Regios, qui tàm Habitum, quam Commendam conferre possunt; tandem supponimus cum communi Doctorum, eam gratiam, quam habet erga Regem pretio esse æstimabilem, meréque temporalem, & illam, & laborem, quem positurus est in eo negotio assequendo, plus, minusve tantum in æstimatione hominum valere, quantum æstimatur, valetque pretium, quod ex pacto accipit, & si quid plus valet, libentissimè & liberalissimè illud plus donare; similiterque si pretium excedit æstimationem, laboris & gratiæ, dantem illud plus libentissimè, & liberalissimè illud remittere, & condonare accipienti! Et in his terminis negat Azorius *tom 3. libr. 13. capit. 16.* ubi ait; Id esse illicitum, quia est Simonia, & venditio Habitus Religiosi Ordinis, & Commendæ, & consequenter dicit, ligari excommunicatione summo Pontifici reservata, contenta Extravaganti 1. de simonia, ut notat Reginaldus, *tom. 2. lib. 23. cap. 12. num. 173.* & hanc opinionem Azorij debent tenere omnes illi Auctores, qui asserunt, prædictos Equites esse verè Religiosos, & illorum habitum sacrum & Religiosum esse: quos supra citavimus §. de Equitibus verò. Dicendum tamen est, in præfatis terminis loquendo, non solùm id non esse simoniam, sed etiam rem esse licitam, absque ullo peccato fieri posse, & de illa cum accipiente pacisci, & in iisdem terminis id tenet expresè Diana *tract. 2. de dubiis regularib. res. 64. initio, junctò §. instabis.* Debent tenere id omnes, qui dicunt, non esse simoniam vendere Commendas; quos statim citabimus in §. *Attamen*, & illi etiam, qui tenent, in hujusmodi milites non esse vere Religiosos, nec Habitum illorum Religiosum esse, sed insigne tantùm notabilitatis. ita Fagundez; qui postea validis rationibus hanc sententiam confirmat.

Sup. hoc in Res. seq. Nec valet. Quæ hic et sequ. asserenda, & late in Res. seq. multis qui noc.

2. Idem etiam me citato, tenet Machadus *de perfecto Confess. tomo 2. libro 5. parte 4. tractatu 2. docum. 1. num. 4.* sic asserens: [No es menos controverso entre los Dotores, si el vender los Habitos de las Ordenes militares sea materia de simonia? Graves Autores sienten que si, fundados en que no solo las Encomiendas que tiene la Ordé de San Iuan son beneficios Eccleſiasticos, sino tambien las de Santiago, Alcantara, y Calatrava, &c. Pero la mas probable y recibida opinion es, que en la venta de los Habitos de las dichas Ordenes Militares no se comete simonia, por no ser beneficios Eccleſiasticos las Encomiendas, sino cosa temporal, y precio æstimable que se da à los Cavalleros militares con titulo laical para ayuda de costa, y estipendio por los servicios que han Hecho, ò se espera harran en guerra contra los enemigos, de la Santa Iglesia.] Hæc ille. Vide etiam Ludovicum à San Iuan *difficul. 2. dub. 1.*

3. Probatur hæc opinio primò, quia juxta meliorem opinionem, Habitus prædictorum Ordinum, non est habitus Religionis veræ, sed secundum quid; non ergo erit simonia, illum pretio, modo præfato, procurare, sed nec erit etiam illicitum. Secundò, quia ille habitus hodie post dispensationem in votis castitatis perpetuæ, paupertatis, & carentiæ propriæ, & rigorosæ obedientiæ à Summo Pontifice obtenda, manet ille habitus, insigne honoris honorificentissimum, non insigne Religionis personarum, quæ Deo per vota Religionis substantialia consecrantur, & ideò quando quis cum alio pacisci tur, ut habitum sibi pretio obtineat, aut illum emit, non emit illum tanquam insigne Religionis, sed tanquam insigne quoddam honoris sæcularis, pretio æstimabile; quare si aliunde est idoneus ad illum, & non datur excessus considerabilis pretij & laboris ex utraque parte, aut si datur libenter, & gratiosè, ad invicem remittitur, non video cur hoc illicitum sit. Alias rationes videbis apud Ianuarium loco citato, qui respondet ad argumenta, quæ contra me dictus Auctor modernus adduxerat.

4. Nota

4. Nota quod Ianuarius, me citato, ubi supra docet, quod si non pro cedula, sed pro laboribus assumptis, pecunia præbeatur tertio impetranti, & si ex pacto hoc fiet, nullo modo illicitum est. Immò si pretium exuperat labores assumptos; & qui emit intelligit donare gratis tali tertio, magis hoc licitum est, & nullo modo est simonia. Sed de hoc.

RESOL. XXXVI.

Excusatur quædam conventio Equitum Ierosolymitanorum à labe simoniaca.

Et inter alia, quæ in textu hujus Resolutionis inferuntur, & docentur, maxime deducitur in criminalibus esse amplectendam opinionem, quæ favet reo, relicta probabiliore, & aliquid de consuetudinibus agitur.

Et quæritur, an si unus ex concurrentibus det alteri pecuniam, à concursu desistat, ob impedimentum tollendum, committat simoniam?

Et an pactum cum aliquo, quod non concurrat in ordine ad hanc electionem, & ego non concurram secum ad sequentem, licitum sit?

Et tandem quæritur an Commendæ Equitum D. Iacobi, Alcantaræ, Calatravæ, &c. sint beneficia Ecclesiastica, & materia simoniæ?

Et an prædicti Equites sint vere Religiosi?

Et in textu hujus Resolutionis alias curiosas difficultates invenies signanter à §. Probatur secundo usque in finem. §. Probatur tertio, & in fine §. Notandum est. Sed aliquæ earum jam iterum adscriptæ sunt in hoc ipsomet tractatu. Ex p. 6. tract. 8. & Mis. 3. Ref. 17.

§. 1. SVpposita veritate facti, satis in discursu, & summario enarrata, assero ex multis rationibus Dominum de N. immunem esse à labe simoniæ. Primo, quia commendæ Religionis Melitanæ ferè semper non sunt materia simoniæ, non enim debent inter beneficia Ecclesiastica annumerari, quia conferuntur titulo Laico, nam dantur in stipendiũ pro temporalibus servitiis: ergo non sunt aliquid spirituale, sed tantùm temporalia quædam subsidia, & alimenta militaria, & ideo hanc sententiam tenent communiter Theologi, & præcipuè inter illos Suarez, Rodriquez, Ledesma, & Vega, quos citat, & sequitur Castrus Palaus *tom. 3. tract. ultim. disput. 3. punct. 13. num. 13.* quibus ego addo Filliucium *tom. 3. tract. 45. c. 6. n. 4.* Aragonium *in 2. 2. D. Thomæ, quæst. 100. art. 4.* Cælestinum *in Compend. Theolog. Moral. tract. 7. cap. 5. quæst. 9.* Villalobos *in summa tom. 2. tract. 37. difficult. 14. num. 2. junctο. n. 3. in fine.* Lezzanam *in sum. Quæst. Reg. tom. 2. c. 5. num. 26.* Bonacinam *tom. 1. disp. 1. de Simonia q. 4. num. 25.*

2. Nec valet dicere, quod sacra Rota olim contrariam sententiam tenuit coram Puteo *lib. 1. decis. 282.* & coram Maranta *decis. 68.* & ex illa postea Parisius *de consiliden. quæst. 17.* Garsias *de benefic. tom. 1. part. 1. cap. 4. num. 1.* Molfesius *in summ. tom. 1. tract. 6. cap. 2. num. 29.* Sanchez *in opusc. tom. 1. lib. 2. cap. 2. dub. 24. num. 8.* & alij penes ipsos. Non inquam valet hoc dicere; nam licet penes me authoritas Sacræ Rotæ sit maxima, tamen ratio per quam statuit dictas Commendas esse beneficia, mihi non placet, asserit enim dictos milites esse Religiosos, & dictæ Commendæ non dantur nisi Religiosis professis & ideo videtur annexę statui Religioso, quem constat esse spirituale. Sed respondeo cum Villalobos, & Aragonio, licet hujusmodi Religiones ad divinum cultum ultimatè ordinentur, proprius tamen finis eorum instituti est quid temporale, scilicet militia: & non ultimi, sed proximi finis est habenda ratio. Ergo: &c. vel respondeo cum Suarez, & aliis Theologis ubi suprà hujusmodi Commendas non tradi Religiosis ob professionem, tanquam ob titulum, sed tantùm ob conditionem sine qua non conferuntur. Pontifex enim non vult illas Commẽdas conferri, nisi Professis; consequenter in recepturo hujusmodi Commendas requiritur professio ut sit habilis ad eas recipiẽdas: non tamen hinc sequitur hujusmodi Commendas esse aliquid spirituale; sicut si Pontifex præciperet bona aliqua temporalia distribui inter Religiosos, nõ ob id illa bona essent spiritualia, seu annexa titulo spirituali, & ideo pensiones non efficiuntur spirituales, quòd supponant primam tonsuram, si nullam secum afferãt spiritualem obligationem; nec talis existimanda est obligatio quam habent dicti milites recitandi aliquas preces: hic autem est titulus spiritualis: ergo hujusmodi Commendæ conferũtur titulo spirituali. Nam respondeo illam precum obligationem non oriri ex Commenda, sed ex Professione, & Regula: sicut Laici aliquarum Religionũ obligãtur ad privatas quasdam preces; unde fructus Commendæ non sunt revera stipendia pro tali divino officio, sed pro temporali ministerio Militiæ, quam quidem Militiam esse opus temporale pretio æstimabile dicendum est, quod æstimationem suam non amittit, etiam si fiat ex voto, & referatur ad cultum Dei, ut fusius explicat Suar. *n.* 8. & alij *ubi suprà*, qui etiam addunt non obstare, quod dicti Commendatarij aliquando habeant jus præsentandi in Ecclesiis suis aliquem Clericum sui ordinis, ut beneficium in tali Ecclesia obtineat, quod totum spirituale esse videtur: nam respondent illud se habere per modum juris patronatus, quod antecedenter est annexum beneficio Ecclesiæ, & quasi inest Commendæ temporali tanquam fundamento, & transit cum ipsa Commenda: si verò instabis, Suarez, & alios citatos Doctores loqui de Commendis Equitum Divi Iacobi, &c. & non de commendis Equitum Divi Ioannis, inter quos, ut tenet Molfesius *loco citato*, & novissimè Fagundez *de Iustit. lib. 5. cap. 20. n. 11.* est magna differentia: nam isti sunt verè Religiosi, illi autem non. Respondeo Equites Divi Iacobi ex communiori sententia esse verè Religiosos, ut ego satis firmavi *in part. 2. tract. 2. resolut. 49. & 72. tract. 6. resolut. 23. & part. 3. tract. 2. resolut. 30.* & me citato docent novissimè Amaia *in Codicem, l. b. 10. titul. 39. num. 15.* Marchin. *in resol. pro jure ordin. milit. art. 2. numer. 7.* & Sperellus *decis. 2. num. 58.* ubi plena manu, & ad satietatem adducunt Doctores hanc sententiam tenentes, & dato & non concesso, quod dicti Equites non sint verè Religiosi, tamẽ in ordine ad committendam simoniam hoc nihil obstaret: nam ut rectè observat Suarez *loco cit. num. 6.* satis esset, quod eo modo, quo sunt Religiosi, spirituale aliquid habeant, & invendibile, cui videntur annexæ eorum Commendæ, & tamen hoc non obstante, ut probatum est, supra citati Doctores constanter asserũt Commendas dictorum Equitum non esse materiam simoniæ; ergo, & idem dicendum est de Commendis Equitum D. Ioannis, cum in utrisque eadem militet ratio, & ideo hanc opinionem firmavit Summus Pontifex Iulius II. in Bulla dat. Romæ apud S. Petrum anno 1505. Kalend. Iulij Põtificatus sui anno 2. ubi clarè asserit Priores, Præceptorias, &c. Religionis Melitanæ non esse Beneficia, & Pius II. in alia Bulla, anno 1460. Kalend. Martij idem etiam asseruit. Vnde bona venia Canonistarum, quos ego sæpè libenter sequor, circa hanc quæstionem, potius Theologis adhærendum esse puto; licèt ex illis contrarium asserat Aprius *tom. 1. lib. 13. cap. 6. quæst. 2.* ego ad firmandam nostram sententiam adducam ex Canonistis Ioannem Quintum *in Repetit. ad cap. de multa, de Præbend. numer. 8. & à numer. 15. ad numer. 163.* ubi in specie docet Præceptores vel Commendatarios Divi Ioannis non esse Beneficiarios, nec beneficium habere, sed administrationem, & officium, quod

Duæ primæ Ref. citatæ in hoc text. hic sunt in to. 9. tract. 2. Ref. 262. & 169. Tertia vero nũc invenietur in to. 7. tr 3. Ref. 54. Quarta reperietur ibi in tr. 1. Ref. 99. & sup. hoc ibi in Ref. 100. cursim. & in Ref. 149. § Quæro secundo, & hic sup. in Ref. 34. §. Adde. & in Ref. 35. §. 1. cursim prop. fin. & in to. 3. tr. 1. Ref. 79. cum multis DD. in §. 2. & in to. 4. tr 3. Ref. 98. à lin. 1. & vers. Ex doctr. & in Ref. 99. à lin. 2. & in to 8. tr. 1. Ref. 11. §. 1. & seqq. & ibi in tr. 4. Ref. 28. à lin. 2. & in to. 9. tr 2. ex doct. Ref. 167.

quod etiam ex Iurisconsulto firmat Martinus de Vilar, *de Patronatu Calatagur. part. 4. dist. 1. num. 16.* & Cabedo *de Patron. Regium. Conclusit. cap. 15. a numer. 15.* docentes, Commendas, & Prætorias Ordinum Militariuin non esse beneficia: ergo non esse materiam simoniæ dicendum est. Itaque circa præsentem quæstionem cum duæ adsint opiniones, nescio quare non sit amplectenda illa quæ favet reo, cum omnia jura clament in dubiis pro reo. Et ita in terminis tenet Coracius *in tract. de Comm. opin. lib. 2. tit. 9. cas. 22. num. 168.* Garonus *de Privileg. Fisci, lib. 4. titul. 7. cap. 4. num. 11. & 12.* Imo Doctores asserunt in criminalibus esse amplectanctam opinionem probabilem, quæ favet reo, relicta probabiliori. Ita Villalobos *in summa tom. 1. tract. 1. difficult. 15. n. 3. & 4.* Emanuel de Moure *opusc. 1. de Ensal. & Incan. sent. 1. cap. 1. num. 25.* Metella *tom. 1. disp. 3. cap. 4. num. 181.* Salas *in part. 2. D. Thom. tract. 8. disp. ... sent. 12. n. 115.* Palaus *tom. 1. disp. ... punct. 11. num. 4.* & alij.

Sup. hoc in Resol. 2. nor. seq. in eodem §. & in 2. in fine.

Sup. hoc in tom. 8. tr. 1. Resol. 2. §. Sed hic, & inf. in tr. 10. Resol. 58. recitanter in fine.

3. Probatur secundò nostra sententia, dato & non concesso Commendas Militares esse materiam simoniæ: tamen in nostro casu simoniam non adesse dicendum est. Nam ut observat Pater Suarez *de Relig. to. 1. lib. 1. c. 48. n. 3.* aliquando ratione consuetudinis exactiones temporalium pro spiritualibus non sunt tanquam simoniacæ damnandæ, quod confirmat ex Concilio Trident. *sess. 23. cap. 14. de reformat.* ubi supponitur aliquas consuetudines hujusmodi esse prauas, & alias pias, & ideo præcipit examinari, & discerni, ut piæ retineantur, & aliæ auferantur: ergo infert Pater Suarez, sunt aliquæ consuetudines, quæ possunt hanc exactionem honestare. Et ideò Ioannes Vvigers. *de just. & jur. tract. 7. cap. 4. dub. 8. num. 45. dub. 6. num. 47. dub. 10. num. 56.* Layman *lib. 4. tract. 10. cap. ultim. numer. 46.* Lessius *lib. 2. cap. 35. dub. 9 numer. 58. dub. 10. numer. 62. dub. 12. num. 70.* & alij non improbant aliquas consuetudines particulares exigendi pecuniam in materia spirituali, & apertè docet D. Thomas *in 2. 2. quæst. 100. art. 2. ad 4.* Hoc igitur supposito sic argumentor; aliquæ sunt consuetudines, ut probatum est, quæ in materia accipiendi aliquid pro spiritualibus ex justa causa possunt cohonestari: sed talis videtur consuetudo, de qua loquimur, ergo non est improbanda. Probo minorem: nam talis consuetudo faciendi similes concordias, ut habetur in discursu, fuit in Religione Hierosolymitana introducta pro æqualitate inter dignitates inducenda, & ob bonum pacis, ad evitandas rixas, & contentiones cum periculo vitæ, quæ oriri poterant inter Equites, cùm unusquisque antecellere meritis, & servitiis, alios existimaret; ergo non videtur improbanda: maximè quod dictæ concordiæ ut plurimum (& factum est in casu nostro) efficiuntur cum licentia magni Magistri, qui non solum jurisdictionem ordinariam habet in tota Religione, sed etiam facultatem super dictas Commendas pensiones imponendi, reservandi, easque cum Commendis ipsis permutandi, ut supponitur in Discursu, & ex Bullis Pij. IV. & Sixti V. determinavit sacra Rota in Melitana pensionis die 29. Maij 1637. coram Ghislerio. Ergo conventionem, de qua loquimur, ut potè ortam ex justa causa, & authorisatam à facultate habita à magno Magistro, simoniacam minimè esse, dicendum videtur ex his, quæ asserunt Doctores: & primò quia licèt Episcopus nequeat pensionem reservare, ex causa tamen justa, maximè pro bono pacis potest illam imponere, ut latè probat Abb. *in c. conquerente num. 5. de Cleric. non resident.* Felinus *consil. 4. n. 2. de Simonia.* Gigas *de pensionibus, quæst. 6. num. 2.* Caccialupus *de pensionibus, q. 4. n. 4.*

Sup. hoc latissimè in to. 3. tr. 3. Resol. 116.

Quoad hoc lege sup. ex resol. 33. doctr. §. Sed

4. Secundò asserunt aliqui Doctores non esse simoniam interveniente auctoritate Prælati, quando beneficia sunt inæqualia in fructibus temporalibus, per pecuniam inæqualitatem resarcire, nullo tamen modo intendendo dare pretium pro spirituali titulo, nam per pos. intentionem istam, fieri potest ut pecunia detur pro temporali, & non pro spirituali: & ita tenet Caietanus *in 2. 2. qu. 100. art. 4.* Lessius *lib 2. cap. 35. dub. 17. n. 101.* Sotus *de just. lib. 9. quæst. 7. art. 2.* Sylvestet *verb. permutatio 2. quæst. 6.* Angelus *eodem verbo. num. 6.* Tabiena *verb. beneficium 3. num. 25.* & alij quod probatur *ex cap. ad quæstiones de rer. permutat.* & Clemens III. respondit Ecclesias Parochiales permutari posse auctoritate Episcopi, ut si possessiones unius abundantiores sint excessus pecunia compensentur. Confirmantur supradicta ex opinione aliorum Doctorum asserentium, quod ex consensu Ordinarij possit inæqualitas fructuum spiritualium per impositionem pensionis compensari ut verbi gratia, est permutatio facienda de beneficio tenui cum pingui, licitum est ex ordinarij consensu imponi beneficio pinguiori aliquam pensionem, & sic permutationem concludi. Ita Navarrus *consil. 43. de Simonia, num. 4.* quem sequitur Nicolaus Delfinas *de Iurepatronat. lib. 2. quæst. 28. num. 161.* & Gonzales *in Regul. 8. Cancellariæ, Gloss. 5. D. 5. num. 27. & seq.* cum aliis penes ipsum. Cùm igitur adsit consuetudo ex justa causa introducta faciendi similes concordias in Religione Hierosolymitana: & interveniente etiam facultate, authoritate, & consensu magni Magistri, relinquo considerandum ex supradictis an sit concordia de N. tanquam simoniaca damnanda, & improbanda.

Sup. hoc inf. in Resol. 40. n. 3. Sup. hoc inf. in Resol. 43. §. Sed hinc, &c.

5. Probatur tertiò, concordiam supradictam non esse simoniacam; quia etiam ante jus quæsitum licitum est vexationem redimere ab iis, qui obesse possunt ad consequendum beneficium non autem prodesse, ut ex communi Theologorum sententia docent Lessius *l. 2. cap. 35. dub. 18. n. 108.* Malderus *de just. tr. 9. cap. 3. dub. 17.* Sylvius *in resol. variis, ver. Simonia 2. concl. 1.* Filliuc. *tom. 3. tr. 45. c. 11. n. 6. & 7.* Bassæus *in Flor. Theol. Prati, ver. Simonia 5. n. 5.* & Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 4. c. 30. n. 23.* quia hoc non est emere rem spiritualem, sed removere injusta impedimenta. Quod ita verum est ut aliqui existiment in tali casu non tolùm ad redimendam vexationem pecuniam dari posse iis, qui tàtum obesse; sed etiam iis, qui prodesse possunt, videlicet Electoribus. Et ideo, si aliquis inter dignos sit dignior & Elector injustè neget beneficium, poterit pecuniam offerre sub onere, ut eligatur, quia non in pretium electionis pecunia offertur; sed in remotionem majoris pecci, quod intendit Elector committere eligèdo dignum, prætermisso digniori. Item quia talis habet jus quæsitum, ne in tali concursu alius præferatur; ergo pecunia non acquirit jus, sed defendit habitum. Et ita hanc sententiam mordicus sustinet Sapientissimus P. Hurtado de Mendoza *de fide vol. 1. disput. 173. sect. 17. §. 234.* & Castrus Palaus *tom. 3. tr. ult. disp. 3. punct. 20. n. 4.* Sed quidquid sit de hac doctrina in nostro casu Dominus de N. *ex stat. 5. de elect.* habebat jus acquisitum ad obtinendas omnes dignitates suæ Religionis, & ad illas jus certum habere à peritis, consultus fuerat; ergo licitè ad redimendam vexationem potuit pecuniam offerre non iis qui prodesse poterant, sed obesse; ergo nullam in tali concordia labem simoniacæ pravitatis adesse manifestè dicendum erit. Confirmantur supradicta à fortiori ex quibusdam opinionibus P. Pasqualigi, qui *in decis. 248.* quærit an si unus ex concurrentibus det alteri pecuniam, ut à concursu desistat, ob impedimentum tollendum, committat simoniam? Et negativè respondet. Item *in decis. 249.* quærit an pactum cum alio quod non concurrat in ordine ad hanc electionem, & ego non concurram secum ad subsequentem, licitum sit: Et in affirmativam partem inclinat, quæ quidem omnia mirificè faciunt ad excusandum Dominum de N. ut in

Sup. hoc inf. in Resol. 40. n. 3. Sup. hoc inf. in Resol. 43. §. Sed hinc, &c.

Sup. hoc inf. in Resol. 40. n. 3. Sup. hoc inf. in Resol. 43. §. Sed hinc, &c.

conventione de qua loquimur non incurrerit in labem simoniacam.

6. Sed tandem quidquid sit de dictis opinionibus P. Pasqualigi ad defensionem Domini de N. non deseram hic per extensum apponere verba Francisci Zypæi in suis eruditis Consultationibus Canonicis novissimè impressis *lib. 3. tit. de Iurepatronatus, consultat. 4. num. 6.* ubi sic asserit. Sed & illud quod A. & B. juramentum offerunt intentionem suam procul abfuisse à simoniæ labe: quodque uterque vitæ hactenus inculpatæ fuerint nobiles, Sacerdotes: quod in tota alioquin actione palam processerint usi consilio Secretarij, Nuncij Apostolici, & Notarij in hujusmodi praxi admodum periti, aliorumque: atque licèt etiam is inficiatur, qui non intelligit se illicitum quid admittere *cap. per tuas 37. 10. de Simon.* tamen traditum est auctoritatem viri alicujus docti excusare à culpa, & pœna; Navarr. *consil. 29. num. 3. leg. eum pater. §. Titio de leg. 2. Gloss. finalis in fine. cap. ad audientiam, de his, qui vi, aut met.* Vvames *consil. 561. numer. 5.* ubi ex Petro de Palud. docet, si quid ad simoniam deest, quippe studiosa, ac depravata voluntas; actúsque agentium non operantur, ultra eorum intentionem. Hæc omnia Zypæus *ubi supra*: quæ quidem mirificè faciunt pro casu nostro, in quo dominus de N. in iis concordiis initis palam processit, & non solùm cum consilio peritorum: sed etiam licentia magni Magistri.

7. Vnde ex his, & aliis rationibus superius suppositis sequitur Dominum de N. ab incursu simoniacæ labis omnino liberandum, ejusque electionem validam declarandam esse. Et quidem si in dubio nemo censendus est simoniacus, cum in materia simoniæ probationes debeant esse claræ, & concludentes, ut determinavit sacra Rota in una Vasien. Prioratus die 27. Maij, anno 1600. coram Seraphino *tom. 2. decis. 1359. n. 3.* & in Civitat. Plebis prætensæ simoniæ die 12. Ianuarij 1620. coram Burato *tom. 2. decis. 445. n. 6.* & ibi amicissimus Ferentillus, ut diligenter solet, plures alias Sacr. Rotæ decisiones adducit quibus adde adductas à Farinacio *post. consil. 75. dub. 1.* Ideo miror quomodo possint Adversarij prætendere electionem dicti Domini de N. simoniacam declarandam esse, cum, ut diximus, ex tot rationibus, & Doctoribus superiùs adductis ab omni pravitate simoniaca liberam esse manifestè apparet, & ita ego sentio.

Sup. hoc in additionibus tom. 1. hujus Res.

8. Notandum est tamen quòd post hæc scripta inveni amicissimum Alexandrum Sperellum *decis. 2. n. 101.* docere Commendas Equitum D. Iacobi, Alcantaræ & Calatravæ esse beneficia Ecclesiastica, & materia simoniæ, sed contra ipsum vide non solum Doctores citatos in principio huius Resolutionis, sed etiam novissimè Stephanum Fagundez *de justit. & contract. lib. 5. cap. 20. numero 10.* qui etiam *numer. 9.* me citato tenet licitum esse absque ullo peccato pretium dare alicui, ut te faciat adscribere inter milites horum Ordinum, ultimum est valdè notandum, quia in praxi quotidianum.

Sup. hoc latè in Res. 35. & lege Res. 35.

9. Et tandem confirmationem supradictorum non desinam hîc adnotare, quòd post hæc scripta, & Romæ cum multis communicata, pervenit ad manus meas Votum R. P. Francisci Bardi ex inclyta Societate Iesu præstantissimi Theologi, in quo latè, & doctè firmat ut plurimum Commendas Equitum Melitensium non esse beneficia Ecclesiastica, & per consequens materiam simoniæ, & supradictum Votum fuit etiam subscriptum à Patribus Alexandrino Nevola, Cæsare del Bosco, Francisco del Bone, Iosepho de Augustino, Martino Prates, & aliis viris doctis eiusdem Societatis.

RESOL. XXXVII.

An sit simonia vendere locum honoratiorem pro sepultura?

Et quid de vasis sacris, & capellis? Ex p. 2. tract. 15. & Misc. 1. Res. 57.

§. 1. AFfirmativam sententiam docet Suarez *de relig. tom. 1. lib. 4. de simonia, c. 14. n. 2.* Reginal. *in praxi tom. 2. lib. 23. cap. 16. num. 226.* Filliuc. *tom. 3. tr. 45. c. 3. n. 26.* Raphaël de la Torre *in 2. 2. to. 2. q. 100. art. 4. disp. 7.* & Malderus *in 2. 2. tract. 9. c. 3. dub. 9.*

Sup. hoc in tom. 6. tr. 1. Res. 127. cursim in §. Ad confirmationem & ibi in tr. 7. Res. 65 §. Et ideo ad med. vers. quia tunc. & in to. 1. tr. 4. Res 49.

2. Sed contrariam sententiam amplectendam esse maxime de hoc stante consuetudine universali; & ita in specie contra Suarez docet Garsias *de benef. tom. 1. part. 5. c. 9. n. 117. in additionibus*, ubi citat Sotum, Spin. Gratianum, Lara, Salazar & Humadam, quibus ego addo doctissimos Theolog. Ioann. de la Cruz *in direct. conf. p. 1. præc. 7. q. 4. dub. 9. concl. 2.* Rodriq. *in qq. regul. to. 3. q. 58. art. 2.* Arag. *in 2. 2. q. 100. art. 4* Philiarch. *de offic. Sacerd. to. 2. p. 2. lib. 6. c. 9.* ex Societate Iesu Emmanuelem Sà *ver. simonia, n. 2.* ex nostra Religione Naldum *in sum. ver. sepult. n. 8.* & tandem novissimè Barb. *in suis collect. tom. 2. lib. 3. tit 28. c. 13. n. 2.* Ragucium *de Eccl. discip. q. 86. n. 3.* Genuensem *in praxi Archiep. c. 32. n. 19.* cum aliis. Dico igitur, quod aut pretium petitur pro sepultura simpliciter aut pro aptiori loco sepulturæ. Primo casu pretium peti non potest absque labe simoniæ, quod cessat secundo casu, quando locus honorabilior petitur pro sepultura; nam cum talis locus non sit necessarius ad sepulturam, non venditur sepultura nec sacrum contra Suar. & Ecclesia cœmeteria habet ubi gratis sepeliri homines possunt. Situs igitur, & locus dignior non videtur concernere spiritualia, unde tanquam non necessarius, vendi potest; & ideo si aliquis eligat honorabilem locum in Ecclesia, propter talem præeminentiam, potest ille honor pretio æstimari, & vendi, cùm hoc casu non vendatur sepultura, quæ gratis præstanda est, sed ille locus aptior, & honorabilior. Et ita fuisse decisum in Rota, in causa Tarraconensis sepulturæ 17. Maij. 1572. coram Lancellotto, testatur ex Gratiano, Garsias *ubi sup.* Nec sacri Canones aliud prohibét quàm quod Clerici nolint mortuum in loco sacro sepeliri, nisi aliquid detur pro terra: sed non si quis nolit sepeliri, in loco communi aliorum, sed petit locum honoratiorem; nam in hoc casu non erit simonia aliquid exigere; sicut & vasa sacra, & capellæ, venduntur ratione materiæ: Et ita ego sentio, in favorem consulentis.

RESOL. XXXVIII.

An habens jus litigiosum in beneficio possit dare aliquid alteri prætendenti, ut non prosequatur jus suum?

Et an hæc pactio sit simonia?

Et an idem dicendum sit de eo, qui habens possessionem beneficij vellet relinquere alteri prætendenti ob aliquod pretium ab eo receptum?

Et an, si quis fecerit expensas in beneficio litigioso, possit illas exigere ab illo, cui vel in cujus favorem resignat. Ex p. 11. tract. 6. & Misc. 6. Res. 7.

§. 1. AD hoc dubium quod in praxi potest accidere, sic respondet Ioannes Pont. *in cur. Theol. disp. 56. q. 2. concl. 10. n. 37.* Difficultas est, an qui haberet jus in beneficio, sed litigiosum, posset recipere ab alio prætendente jus in eodem beneficio aliquid, ut renunciaret juri suo; vel dare aliquid, ut renunciaret alter? Sententia communior videtur, quod non

Sup. hoc sup. ex Res. 21. lege quatuor primas lin. ejus §. Et tandem,

possit hoc fieri absque simonia. Sed salvo meliori judicio, existimarem non esse simoniam, si daretur aliquid non pro beneficio, quod dans putaret esse suum; sed ut vitaret expensas, quas deberet facere, ut defenderet jus suum: nam procurare per decem nummos, ne quis exponeretur periculo perdendi centum nummos, quos in lite deberet expendere, nihil prorsus habet malitiæ; neque enim quod dat, est spirituale; neque etiam illud pro quo dat. Dare quidem aliquid, ut alter renunciaret juri positivè, videtur esse simoniacum; quia jus illud est spirituale; dare verò aliquid ut non moveat litem ad prosequendum jus suum, & consequenter ad renunciandum juri suo negativè, hoc est non prosequendo ipsum, non apparet simoniacum, quia illa negatio prosecutionis juris non est spirituale. Idem dicendum si reciperet ab altero aliquid, ut ipsemet non prosequatur jus suum.

2. Sed quia, an idem dicendum de eo, qui habens possessionem beneficij vellet illud relinquere alteri prætendenti ob aliquod pretium ab illo receptum? Resolutio hujus casus videtur mihi difficilior, quàm prioris, quia hic dando possessionem beneficij, videretur dare rem spiritualem pro illo pretio. Respondeo tamen mihi videri, quod possit hoc facere absque simonia, quia cùm non sit certum quod beneficium sit suum, sed propter probabilitam tamen quam habet, quod sit suum, vel in litigando expensas facere, nullo modo apparet esse simoniacum, ut vitet illas expensas aliquid recipere, quia neque quod accipit est spirituale, neque illud pro quo accipit, hoc est, expensæ, quas faceret in litigio. Itaque si qui dat, non emit jus alterius, ut non debet, quia potest esse contentus jure suo, neque possessionem quod etiam non est necessarium ut faciat, quia sufficit quod alter permittat, ut ipsemet eam vito suo accipiat, aut ab eo, qui potest possessionem dare, sed solum det alteri aliquid ratione expensarum, quas faceret, ut probaret jus alterius non esse bonum, non apparet esse ulla simonia ex parte ipsius; similiter, si recipiens neque dat jus suum, quod alteri non est necessarium, cùm habeat proprium; neque possessionem positivè, sed negativè tantum, permittendo, ut alter recipiat illam, sed solum recipiat aliquid ne faciat expensas defendendo possessionem suam, non committit ullam simoniam. Hucusque Pontius, quæ ex ejus mente dicta esse volo.

Sup. hoc sup. ex Res. 29. lege doctr. §. ult.

3. Quærit idem ibidem *concl 6. num. 33.* si quis fecerit expensas in beneficio litigioso, an possit eas exigere ab illo, cui, aut in cujus favorem resignat? Et respondet negativè cum communi, loquendo de exactione tanquam pretij, aut debiti; quia quod alter solueret pro expensis, esset aliquod pretium pro beneficio; posset tamen æquivalens recipere gratuitè, de quo non est dubium. Ita ille.

RESOL. XXXIX.

An si quis post collationem beneficij impediatur injustè accipere possessionem, possit pecunia redimere hanc vexationem?

Et an hoc sit simonia? Ex part. 5. tract. 14. & Misc. 2. Res. 3.

Sup. hoc in Res. seq. §. ult.

§. 1. Aliqui probabiliter negativè respondent. Ita glossa *in c. decimas, 2. 17. quæst. 7.* Abbas *tn c. ad aures, de simon. num. 6.* & *ibi* Innocentius, Felinus *in c. dilectus, num. 3.* cum aliis. quia possessio beneficij quid spirituale est. Sed meritò affirmativam sententiam docet Sanchez *in opusc. tom. 1. lib. 2. cap. 3. dub. 30. num. 15.* quia tota spiritualitas possessionis beneficij est ratione tituli, in quo talis habet jus ad rem acquisitam per collationem. Et hanc sententiam docet etiam Moscosus *in summa, tract. 15. cap. 15. num. 5.* ubi sic asserit. [Si despues que un Beneficiado tiene colacion juridica de su beneficio, no le quisiessen dar su possession, haziendole agrauio contra justicia y razon, no es simonia redimir esta vexacion, y alcançar la possession de su beneficio con dineros.] Ita ille. Vide omnino Raphaëlem de la Torre *in 2. 2. tom. 2. quæst. 100. art. 4. disp. 9.* validissimis rationibus affirmativam hanc sententiam confirmat. Vnde de hoc non est dubitandum.

RESOL. XL.

An si elector inclinet ad eligendum indignum, vel minus dignum, possit dignior redimere hanc vexationem?

Et an redimere supradictam vexationem sit simonia?

Et an in hoc casu simonia non sit de jure divino, sed humano?

Et an facta collatione beneficij, si quis injustè impediatur accipere possessionem, possit pecunia redimere hanc vexationem? Ex p. 4. tract. 4. & Misc. Res. 152.

Sup. hoc §. dubio 1. & 2. & tertio §. & in fin. & in Res. §. Probatur tertio, & alio vel eorum notionum.

§. 1. Respondeo negativè, quia est simonia redimere pecunia vexationem, dum quis habet tantum jus ad rem, ut si quis injustè vexetur, ne detur sibi collatio beneficij, nam cùm adhuc beneficium non sit suum, paratur pecuniâ via ad obtinendum beneficium; sed totum hoc accidit in casu nostro. ergo, &c.

Sup. hoc 1. num. præcertim med. & alia ref. §§. ejusm.

2. Non desinam tamen hîc adnotare secundùm opinionem Sanchez *in opusc. tom. 1. lib. 2. cap. 3. dub. 30. num. 7.* esse satis probabile simoniam in hoc casu non esse de jure divino, sed humano, unde per ea quæ dictus Sanchez dixerat antea *in dub. 16. n. 9. & 10.* valeret collatio dicti beneficij, nec alter teneretur restituere. Hæc, ut dixi, procedunt in opinione Sanchez qui tamen fortasse loquitur de pretio dando alicui tertio, qui infert vexationem.

Sup. hoc 2. Res. prox.

3. Notandum est etiam hîc obiter, quòd licèt aliqui probabiliter asserant quòd facta collatione beneficij, si quis injustè impediatur accipere possessionem, non potest pecunia hanc redimere vexationem, quia possessio beneficij quid spirituale est: at probabilius est licere, quia tota spiritualitas possessionis est ratione tituli, in quo habet jus in re acquisitum per collationem. Ergo, &c. Ita Sanchez *ubi sup. dub. 30. numero 11.*

RESOL. XLI.

An qui ad redimendum vexationem Electori dedit pretium, ne minus dignus eligatur ad beneficium sit simoniacus, & incidat in pœnas latas contra simoniacos?

Et an in hoc casu simonia non sit de jure divino, sed humano? Ex p. 5. tr. 14. & Misc. 2. Res. 1.

Sup. hoc 1. Res. præmitta. & in §. fin. & in Res. §. Probatur tertio, & ad eum & habet.

§. 1. Quoad primum, affirmativè respondendum est, & ita docet Moscosus *in summ. tract. 15. cap. 15. num. 6.* & Villalob. *in sum. to. 2. tract. 37. diff. 23. num. 3.* & alij. Sed difficultas est quoad secundum punctum; nam Sanchez *in opusc. tom. 1. libro 2. cap. 3. dub. 30. num. 6.* circa præsens dubium sic ait: Duobus petentibus unum beneficium, & electore inclinante suam voluntatem ad indignum, vel ad minus dignum, esset simonia pretio redimere hanc vexationem, quia tantùm habet jus ad rem. Est tamen satis probabile simoniam in hoc casu non esse de jure divino, sed humano,

humano, & potest probari ex his, quæ diximus *suprà dub.26.num.9.* Ita Sanchez, qui cùm asserat satis probabile esse hanc simoniam esse de jure humano, quod etiam docet Layman *in Theolog. mor. lib. 5. tract.10. capit. ult. §. 2. num. 22.* sequitur ex alia sententia probabili, quam ego ipse docui *in 4. part. tract. 4. res.155.*cum eodem Sanchez,& aliis,dictum simoniacum non subjacere pœnis simoniæ,(unde talis non est excommunicatus,nec ipso jure beneficio privatus,)nec teneri fructus restituere.Etenim, ut dictum est simonia realis & completa,solo tamen jure Ecclesiastico vetita, non subjacet restitutioni,& pœnis simoniæ,quicquid in contrarium teneat cum aliis à me *ubi supra* citatis,Paulus Layman *in Theolog. moral. lib.5. tract.10. cap.ult.§.6.num.66.* Lopez *in instr.Conf part...cap.299. concl.5.*& Sotus *de Iust.lib.9.quæst.5. art.2.ante respons. ad argumentum.*Sed simonia,de qua loquimur, secundùm Sanchez, & Layman non est de jure divino sed humano. Ergo,&c. Non reticeam tamen Raphaëlem de la Torre *in 2.2 tom.2.quæst.100.art.4.disp.9.* docere hanc simoniam esse de jure divino; sed sententia Sanchez est probabilis.

RESOL. XLIII.

An sit licita redemptio vexationis, si quis offerat pecuniam Electori, qui vult eligere indignum, vel minus dignum, nisi pecuniam à digniori accipiat?

Et an hæc si aperta simonia?

Et aliqua alia explanantur sæpius contingentia in praxi in redimendis vexationibus ad beneficia, ad cathedras, &c.

Sed difficultas est in supradicto casu, an si meus adversarius, v.g. obtulit judici, vel Electori pecuniam, quam ille accepit, utrum ego possim illum pecuniis allicere, ut mihi opituletur? Ex p.5. tract.7. Res.17.

§.1. NEgativam sententiam alibi docui cum Moscoso & Villalob.quibus nunc addo Lessium *lib.2.c.35.n.106.*Suar.*de Relig.lib.4.de simon.c.50.n.28.* & alios, quia, ut patet ex D. Thom. *in 2.2. quæst.100. art.2. ad 5.* hac ratione per pecuniam munitur via ad acquirendum aliquid spirituale,quod est apertè simonia,hoc etiam probatur ex *cap.de hoc,cap.sicut tuis,cap. Matthæus,de simonia.*

2. Sed contrariam sententiam respondens ad istos Canones docet novissimè Hurtado de Mendoza *in 2. 2. disp.173. sect.17. §.234. usque ad §.237.* & ad rationem ex D.Thom.adductam respondet,in hoc casu non muniri viam directè ad spirituale acquirendum, sed præcisè ad constituendum judicem in animi æqualitate debita singulis,nempe ut velit illum eligere,quem judicat non posse sine peccato præterire. Itaque cum oblatione pecuniæ removetur affectus ille injustus conferendi beneficium indigno,vel minùs digno. Me autem esse illum, qui sine peccato præteriri non potest, nihil obest, quia directè non intenditur, nisi ut amoveatur affectus injustus, quo remoto manet elector,ut oportet, ad eligendum justè.

3.Deinde quoties concurrunt duo mala licitum est consulere minus, vel significare ejus materiam juxta opiniones propositas:sed in offerenda pecunia pro collatione justa consulitur minus malum,aut significatur ejus materia.Ergo licitum est eam offerre.Tunc consuli minus malum probo, quia minus malum est eligere dignum accepta pecunia, quàm eligere indignum ea non accepta;quia electio indigni est contra multas virtutes. Primùm contra justitiam distributivam,imò & commutativam. Item manet elector obnoxius ad restituenda omnia damna honoris & fructuum, quod quidem frequenter est contra charitatem propriam, quia propter ingentem difficultatem restituendi se conjiciunt in periculum evidens numquam restituendi cum aperto discrimine salutis æternæ.Tertiò peccatur contra charitatem Ecclesiæ,cui pernicio sissima est indignorum electio,& quamvis peccaretur cótra solam justitiam,adhuc esset gravius peccatum non quòd justitia sit melior, quam Religio sed quia magis obligat. Ex quibus apertè deduces licitam esse hanc redemptionem vexationis injustæ. Quòd si nulla ratione potest redimi illa vexatio,nisi inclinando electorem,ut eligat Petrũ,potest inclinari licitè oblata pecunia, quia tunc non emitur jus,sed removetur pravus affectus eligendi iudignum:si autem plures sint eligibiles, sine peccato non possumus pecunia inclinare electorem ad Petrum, quia Petrus nullam patitur vexationem injustam. Et hæc omnia & multa alia docet Hurtado pro sua sirmanda sententia. Vide etiam Basil. Pontium *de matr. lib.5.cap.18. §.6. num.39.*qui etiam *n.44.*loquendo de electionibus ad cathedras,asserit quod si unus ex candidatis dignus est, & cæteri indigni, offerri peccunia potest,non tantùm ne eligantur alij, & ne scholastici suffragium pro illis ferant,sed etiam directè offerri potest pecunia, ut eligatur ipse, qui dignus judicatur à viris prudentibus, & literatis qui in iudicando non ducuntur amore,aut odio,sed ratione.Quòd si alius dignus etiam sit,non licet pecuniam scholasticis offerre. Idem dico si unus ex is dignior sit reliquis,qui non digniores,digni tamen sunt,posse offerre pecuniam, ut dignior eligatur omisso digno. Cujus doctrinæ ratio desumitur ex dictis, est enim gravius peccatum eligere indignum prætermisso digno, vel eligere dignum omisso digniore,quàm furtum committere,quod perpetratur in ea acceptione pecuniæ,ut constat. Vnde licet offerre materiam minoris peccati,hoc tamen intelligendum si scholasticus paratus sit majus peccatum committere, scilicet eligere indignum omisso digno, vel dignum omisso digniore.Quòd si duo reperiantur æquè digni,quia vel re ipsa sunt,vel difficile de eorum excessu judicari potest,non licet tunc offerre pecuniam scholasticis, cùm non offeratur materia minoris peccati, siquidem illi in cujusque ex illis electione, justè agunt, solùm excipe casum,si scholasticus priùs non incitatus,sed sua sponte pecuniam postulaverit,aut indicaverit,licet enim dare in eo eventu. Ita Pontius *ubi supra.*

4. Sed difficultas est in dicto casu, an si meus, v. g. adversarius obtulit judici,aut electori pecuniam,quam ille accepit,utrùm ego possim illum pecuniis allicere, ut mihi opituletur? Quæstio est difficilis, nova, & in praxi maximè necessaria,& ad illam respondet Hurtado *loco citato §.243.* Dico igitur primò, esse opus ut mi constet satis apertè electorem, aut judicem accepisse pecuniam,alioquin non possum ego eam offerre licitè. Secundò dico, non videri improbabile eam pecuniam offerre,quia quod ego peto,potest fieri benè & malè; quod si malè fit, est illius culpa, quam ego vitare non teneor cum gravi damno; est autem grave damnum ut judex,aut elector sit pecuniis à competitore devinctus. Neque tunc ego sum occasio peccati, quia iam ille est formaliter in peccato.Absolutè tamen censeo non licere offerre pecuniam,quia ego non vexor iniustè, iudex enim & elector possunt antecedenter esse determinati ad ferendam sententiam pro competiore sine ulla iniustia. Quid autem interest illos esse determinatos pecuniis potius,quam alia de causa? Potero tamen ego indicare meum animum, & ostendere me esse paratum ad dandas pecunias, si iudex,aut elector eas voluerit,hæc enim non est provocatio,neque consilium. At verò mihi non licèt eas dare aut amittere.Ita Hurtado.

RESOL. XLIII.

An quando aliquis nouæ, vel fraude illata, sed solum per subornationem, preces, & munera quæ Electoribus, confert, impedit, ne quis eligatur ad beneficium, &c. possit ille pretio redimere hanc vexationem, etiam dando pecuniam non solum tertiæ personæ, sed etiam uni ex Electoribus, ne subornet alios, &c.

Et an sit simonia redimere pretio talem vexationem? Ex p. 5. tract. 14. & Misc. 2. Res. 2.

Sup. hoc sup. in Res. 36 §. Probatur tertio.

§. 1. NEgativam sententiam docet Sotus *de Iust. lib. 9. q. 6. art. 1. ad 5.* quem sequitur Moscosus *in sum. tract. 15. c. 15. num. 4.* ubi sic ait. [Si estos impedimentos no se ponen con violencia, ni engaño, sino con ruegos, y sorbonos, aunque algunos autores dizen, que tambien se puede redimir esta vexacion con dineros; Soto dize que no, y me contenta su opinion, porque este daño no es contra justicia, sino contra caridad, y à semejantes ruegos, acudir se deve con otros, y no con dineros.] Sic ille.

2. Sed affirmativam sententiam probabiliorem esse existimo, quam ex Aragonio tuetur Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 37. diffic. 10. num. 3.* ubi sic asserit. [Quando uno impide à otro que consiga el beneficio, que justamente pide, nô por fuerça y engaño, sino subornãdo por precio y ruegos, seria licito redimir aquella vexacion, dãdole dineros para que desista del suborno, porque como aquel ambicioso puede dañar, y no aprovechar, el darle dineros no es comprar el beneficio, sino redimir la vexacion, y assi es licito.] Hæc ille. Et ita hanc sententiam novissimè docet Sanch. *in opusc. to. 1. lib. 2. c. 3. dub. 30. n. 5.* ubi ait. Licèt aliqui dicant licere redimere vexationem, quando aliquis vi illata impediret; secus quando impediret meam electionem per subornationem, & muneta, quæ electoribus conferret, ne me eligerẽt, tunc enim non liceret pretio redimere vexationem. Alij verò hoc admittunt quando impediens potest obesse, non tamen prodesse secundus jus: si verò possit etiam prodesse dicunt esse simoniam. At satis probabile est, non esse simoniam pretio redimere talem vexationem, licèt impediens per subornationem possit etiam prodesse. Ita Sanchez quod est valde notandum. Nam ex hoc sequitur me ad redimendam vexationem posse dare pecuniam non solùm tertiæ personæ, sed etiam uni ex electoribus, ne subornet alios, dummodo non dem, ut pro me suffragetur; licèt hoc ultimum de electore qui potest prodesse neget, Sylvius *in 2. 2. quæst. 100. art. 2. concl. 3.* Lessius *lib. 2. c. 35. dub. 17.* Malderus in *2. 2. tract. 9. cap. 3. dub. 17.* & alij sed sententia Sanch. est etiam probabilis.

Sup. hoc in tribus præcedentibus Res. & in aliis §§. earũ primarum anotation.

Sup. hoc in Res. not. 1. hujus Res. & in eodem §. in princ. & in fine.

3. Non desinam tamen hîc pro curiosis adnotare Gregorium de Valentia, insignem Theologum Societ. Iesu, *in 2. 2. D. Thom. disp. 6 q 16. punct. 3.* reiicere illam distinctionem, quam afferunt Doctores de vexatione ante jus acquisitum, vel post jus acquisitum, & existimat utroque modo licere redimere vexationem in beneficiis, & aliis spiritualibus. Vnde docet, quod in foro conscientiæ nihil obstat, quominus possit vexatio redimi licitè, etiam ante jus acquisitum. Verùm hæc opinio refellitur à Raphaele de la Torre *in 2. 2. tom. 2. quæst. 100. art. 4. disput. 9.*

RESOL. XLIV.

An si Responsor casus conscientiæ, recipiat pecuniam propter consilium requisitum à petente ad pacandum conscientiam, & in illius foro, sit simoniacus? Ex p. 5. tr. 14. & Misc. 2. Res. 4.

§. 1. HIc casus potest frequenter accidere, & affirmativam sententiam docet Moscosus *in sum. tr. 15. c. 2. n. 2.* ubi sic asserit. [La Theologia perficiona el entendimiento con verdades sobrenaturales, sacadas de las entrañas de la diuina Escritura, importantissimas para ganar las almas al Cielo. Y assi quando un Theologo es consultado de algun caso de concientia por algun hombre afligido, que no sabe que hazerse para assegurar su alma, y conciencia, como cada passo acontece, attento que este consejo espiritual guiado al bien sobrenatural, no es precio estimabile, es clara simonia lleuar dineros por el.] Ita ille, & ante illum Villalobos *in summ. tom. 2. tract. 37. diffic. 8. num. 2.* ubi sic ait. [Todas las vezes que uno pide al Theologo la resolucion de alguna duda para saber la, o para seguir su justicia en el fuero exterior, puede recebir precio por la tal resolucion sin pecado de simonia. Mas no si la pide para quietar su conciencia, y comunmente à los Theologos se les preguntan estas resoluciones en orden al fuero de la conciencia, por laqual non pueden lleuar precio.] Hæc Villalobos. Et hanc sententiam ex Thomistis docet Ledesma *in sum. part. 2. tract. 12. difficult. 2. post tertiam conclusionem*, & fusè Raphaël de la Torre *in 2. 2. D. Thomæ, tom. 2. quæst. 100. art. 2. 3. & 5. disp. 5.* & ex Theologis Societatis Iesu hoc etiam tenet Sanchez *in opuscul. tom. 1. lib. 2. cap. 3. dub. 5. 7. & 8.* Vide etiam Turrianum *in sum. part. 1 cap. 204. dub. 5. num. 3.* & Malderum *in 2. 2. Divi Thomæ, tract. 9. cap. 3. dub. 8.*

2. Sed his non obstantibus docet Suarez *de Religione, tom. 1. lib. 4. cap. 18. n. 19.* tale consilium, si sistat in pura instructione intellectus, non esse materiam simoniæ, etiamsi ab interrogante petatur ad pacandam conscientiam suam, vel ad dirigendam illam; secùs verò si fiat per modum exhortationis, ita ut æquivaleat veluti privatæ concioni. Nam tunc eadem ratio est publicæ, vel privatæ concionis; sicuti eadem ratio est de concione, quam tres audiunt, vel quæ coram copioso populo fit. Ita Suarez. Sed responsoras casuum conscientiæ ferè semper, ut patet, præbent consilium pro instructione intellectus, & non ita ut illa instructio æquivaleat privatæ concioni. Ergo, &c. Rationes verò, quas pro hac firmanda sententia adducit Suarez, videbis penes illum. Vnde puto hac sententiam esse probabilem quam præter Suarez tenet etiam Paulus Layman *in Theol. moral. lib. 5. tract. 0. cap. ult. § 4. n. 32. in fine*, ubi sic ait. Pro responso seu consilio morali merces accipi potest, quia per se, ac directè doctoralis aliqua instructio est, licet per accidens, & consequenter inserviat ad pacandam conscientiam. Ita ille. Et tandem hanc etiam opinionem docet Filliucius *to. 3. tr. 45. cap. 4. n. 31.* quibus ego libenter adhæreo.

RESOL. XLV.

An Cancellarius Episcopi possit ratione laboris sumere aliquid pro licentia audiendi confessiones & concionandi, &c? Ex p. 5. tract. 13. & Misc. 1. Res. 70.

§. 1. REspondeo negativè, quod alicubi non rectè observatur, & ita docuisse sacram Congregationem Cardinalium die 16. Julij 1591. testatur Gavantus *in ench. Episc. ver licentia, n. 3.* ubi sic ait: Licentiæ sedendi, audiendi confessiones, concionandi, & ministrandi Sacramenta, dentur gratis. Sic ille, quod etiam ex alia declaratione in una Apruntina, teste Aldano, docet Barbosa *in Collectan. Doct. ad Concil. Trident. sess. 23. c. 15. n. 57.* ubi asserit Cancellario Episcopi nullo pacto licere etiam in vim taxæ antiquæ pro approbatione ad confessiones audiendas, quam hoc decretum gratis dari mandavit, quicquam exigere. Et tandem pro hoc casu &

& similibus non desinam hic apponere etiam aliam Sacræ Congregationis declarationem, quam doctus Barbosa *ubi suprà in Conc. Trid. sess.*21.*cap.*1. *num.*16. affert. ubi sic ait: Notario, vel Cancellario nihil licere accipere, neque ratione Scripturæ, neque sigilli, neque laboris, aut alio titulo, sed gratis his, quorum interest, debere præstare omnia infra ponenda, tenet Sell. *d. c.* 10.*n.*21. attestans sic fuisse decisum in una Vicen. 8. Martij 1602. videlicet.

Approbationem ad audiendas confessiones.

Licentiam administrandi Sacramenta.

Licentiam deserviendi beneficiis.

Licentiam sepeliendi defunctorum corpora in Ecclesia.

Licentiam celebrandi Missas.

Licentiam colligendi eleemosynas.

Mandata publicandi in Ecclesia in eos, qui primam Tonsuram, vel minores Ordines ac sacros suscipere voluerint.

2. Quoad alia verò quæ sequuntur, poterit aliquid percipere, si nullum sibi salarium, vel stipendium constitutum fuerit, tùnc que congruam tantùm sui laboris mercedem, quæ quoad litteras collationis, vel institutionis curatarum Ecclesiarum, vel deputationis Vicariorum in illis unum aureum, & quoad litteras dimissorias, & testimoniales decimam unius aurei partem nonquam excedat.

Pro litteris collationum, institutionum, seu provisionum beneficiorum vacantium per obitum, vel per resignationem etiam ex causa permutationis, vel alia.

Pro litteris dimissorialibus, seu testimonialibus, quæ conceduntur Presbyteris, seu Clericis ad alias diœceses transituris.

Pro litteris recipiendi Ordines ab alienis Episcopis.

Pro licentia ordinandi se ad titulum patrimonij, seu pro approbationibus hujusmodi titulorum.

Pro licentia absentandi se ab Ecclesia, seu beneficiis.

Pro licentia erigendi Cappellas.

Pro litteris approbationis concurrentium ad Parochialium vacationes in mensibus reservatis quæ ad Sedem Apostolicam transmittuntur.

Pro approbatione juris patronatus ex fundatione, vel donatione.

Pro creationibus Vicariorum in Parochialibus.

Pro deputationibus Oeconomorum dum beneficia vacant.

Pro executionibus litterarum Apostolicarum gratiam, seu justitiam concernentium.

Hucusque sacra Congregatio. Vnde videant Episcopi in omnibus casibus supradictis, quid efficiatur in eorum Curiis.

3. Notandum est tamen hic obiter in dictis verbis Concilij *sess.*23.*cap.*15. contineri præceptum quo præcipitur Episcopis, ut approbationem ad confessiones gratis impendant, sed non continetur ut conditio necessaria, qua non servata, non valet approbatio. Et ita docet Suarez *to.*4.*disp.*28.*sect.*5.*n.*10. Fagundez *pract. lib.*7.*cap.*2.*n.*66. secus autem in indulgentiis, ut in sequenti resolutione dicendum est.

RESOL. XLVI.

*An pro dispensationibus matrimonialibus possit delegatus sumere aliquid ratione laboris, & quid pro executoriis, & licentiis publicandi Indulgentias, & signantes Indulgentias Bullæ Cruciatæ? Ex p.*5. *tr.*13. *&* Misc. 1. Res. 71.

Sup. hoc in §. 1. tom. 3. tr. 2. Res. 165. 166. & 167. §. ult.

DIfficultas oritur ex clausula, quæ apponi solet in dictis litteris dispensationum tenoris sequentis. Volumus autem quòd si spreta monitione nostra ejusmodi aliquid muneris, aut præmij occasione dictæ dispensationis exigere, aut oblatum accipere temerè præsumpseris, excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurras. Hoc supposito ad quæstionem propositam affirmativè Sanchez *de matrim. lo.*3. *lib.*8. *disp.*35. *num.*10. ex aliis viris doctis, à se consultis, cùm prohibitio hujus clausulæ loquatur de munere, aut præmio, atque ita de muneribus, quæ in gratitudinis præmium sponte offeruntur. At quod est laboris impensi stipendium non est remunerationis præmium, nec muneris rationem habet. Inde quod mens Pontificis in hac prohibitione sit ne muneribus corruptus, & excæcatus ordinarius, minus bene munus suum obeat. At stipendium laboris jure, vel consuetudine debitum non corrumpit judicem, nec ipsum à recto desistere obligat. Ita Sanchez, qui etiam addit consuetudinem obtinuisse, vel saltem declarasse hoc stipendium recipi posse.

propè fin. vers. Gæteræ & in to. 4. tr. 1. Res. 40. & nanter ad med. §. Neque. vers. Similiter.

4. His tamen non obstantibus contrariam sententiam tenendam esse puto, & ita declarasse Sacram Congregationem Cardinalium ex Armendariz testatur Barbosa *in Collectan. Concilij Trid. sess.*21. *cap.*1. *n.*15. ubi sic ait: Pro dispensationibus matrimonialibus non licere Episcopo, vel ejus Vicario quicquam accipere, nec ratione taxæ etiam ex immemoriali consuetudine, nec ratione sigilli, vel alicujus alterius rei asserit, resolutum Armendar. *d. tit.*18. *de Episcopis*, *n.*10. *in resp. ad* 6. advertens propterea decretum illud, quod solet poni in litteris dispensationum matrimonialium, ut nihil muneris, aut præmij sponte accipi possit pro illarum executione, ita intelligendum esse, ut neque ordinarius ipse, neque Vicarius ejus quicquam pro mercede laboris quem ea in re susciperent, capere possent: addit deinde Notarium pro examine testium quartam aurei, seu ducati partem licitè accipere posse. Hæc Barbosa, & ante illum Navarrus. Vnde non desinam pro isto casu & aliis similibus apponere hìc per extensum declarationem Sacræ Congregationis, quam affert Garsias *de beneficiis, tom.*2.*p.*8.*cap.*1. *n.*77. tenoris sequentis. Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Canonici & Capitulum Ecclesiæ Gerunden. animadvertentes quod Reverend. D. Iacob. Cassad. modernus Episcopus Gerund. quotidie contra stylum antiquum dictæ Ecclesiæ multa indebitè extorquet, & multa gravamina infert, quod non curat se ab illis abstinere, sed de die in diem in illis continuando causam querelandi & murmurandi aliis præbet cum maximo damno & scandalo populorum, ideo ut ex dicta eorum Ecclesia extorsiones & gravamina hujusmodi de medio tollantur, & ne abusus hujusmodi in prævam consuetudinem transeat, aliique successores in dicto Episcopatu malum exemplum hujusmodi imitari possint, deliberarunt nonnulla Capitula extorsionum & gravaminum hujusmodi vestris Illustrissimis & Rever. DD. deferre ad hoc ut ex sola benignitate in his, in quibus eis videbitur, providere dignentur.

3. In primis Rever. Dominus Episcopus à provisis de beneficiis à Sede Apostolica in forma *Dignum* extorquet pro collatione in vim mandati Apostolici facienda Iulios duos pro quolibet scuto valoris dicti beneficij. Secundò item pro collationibus beneficiorum, quas ipso jure ordinario facit, extorquet pro qualibet provisione aliquando scuta sex, & aliquando septem. Et hoc idem vult extorquere à provisis ab inferioribus, ad quos collatio spectat. Si vero collationes fiant ab Abbatibus, vel aliis inferioribus à sua jurisdictione exemptis, ipse dominus Episcopus vult quod collationes ab ipso, vel ejus Vicario approbentur, ac ratæ & gratæ sint, & tantumdem persoluant, alioquin non vult quòd possint gaudere dictis beneficiis. Tertiò item pro litteris dimissoriis, seu testimonialibus, aut commendatitiis, Dom. Episcopus exigit undecim grossos

& unum nummum, contra formam Concilij Tridentini *cap.1. sess.21. de reform.* Quartò item facit solvere Clericos volentes se ordinare ad aliquem Ordinem sacrum, pro literis publicatoriis duos grossos & quatuor denarios, & id repetit in quolibet Ordine suscipiendo. Quintò item pro licentiis exercendi curã animarum, & confessiones audiendi sine coadiutoriis, exiguntur tredecim grossi pro quolibet, quæ quolibet anno sine alio examine renovari debẽt, & iterum persolui contra formam *cap.15 sess.23.* ubi expressè cavetur quòd gratis concedantur. Sextò item dispensationibus matrimonialibus, quæ in vim literarum Apostolicarum conceduntur, exigit unum marcum argenti, quod est valoris trium ducatorum, & ultrà, contra formam ipsarum litterarum Apostolicarum, in quibus sua Sanctitas mandat, quòd nihil percipiant à sponte offerentibus. Septimò item pro examine in concursu fiendo pro obtinendo Parochiales quocumque mense vacantes, facit solui ab examinatis & approbatis cuilibet examinatori Iulios quatuor, contra formam *cap.18. sess.24.* Octavò item, quia de consuetudine dictæ Ecclesiæ Episcopi in eorum ingressu solent exigere à personis Ecclesiasticis quoddam donativum, & dictus modernus Episcopus ampliando hanc consuetudinem vult exigere & exigit etiam dictum donativum ab illis, qui postea beneficia obtinuerunt, & successivis temporibus obtinent, nec permittit ipsos capere possessionem beneficiorum, nec Bullas, nec literas provisionis expedire vult, nisi priùs soluant dictum donativum. Nonò item infligit quotidie pœnas & censuras Ecclesiasticas in causis civilibus, & parui momenti etiam pro debito duorum Iuliorum, non aliter, servata forma Concilij *cap.3. sess.25.* sed contra illius formam, quo fit ut censuræ hujusmodi paruipendantur. Decimò item confert Ordines generales utplurimum in quadam Capella sui palatij, & si quando illos in Cathedrali confert, id in Capella remota & obscura, nulla præcedente intimatione, nec vocatis aliquibus Canonicis, facit contra formam *cap.18.* incip. *Ordines, sess.23. de reformatione.* Hæc & multa alia dictus Dom. Episcopus extorquet, & in multis aliis gravat subditos, ideo supplicatur humiliter vestris Illustrissimis & Reverendissimis Dominis, ut pro solita benignitate dignentur consulere benignitati subditorum, ac simul cupiditati dicti Prælati.

4. Responsio. Reverendissime Domine, uti frater, Canonici & Capitulum istius Ecclesiæ, libellum, qui erit cum his literis, sacræ Congregationi Cardinalium Concil. Tridentini interpretum obtulerũt in eo, quòd de amplitudine tua conquerantur, ipsa perspiciet, simulque videbit, quid ad unumquodque ipsius libelli caput sacra Congregatio responderit. Nempè ad primum & secundum pro collatione, aut institutione Ecclesiarum, & præsertim curatarum, Cancellarium posse in singulis accipere mercedem suo labori convenientem, quod tamen scriptura, sigillo & cæteris omnibus computatis unum aureum non excedat, ut dummodo ipsi Cancellario salarium nullum pro suo officio exercendo constitutum sit, & ex pecunia quam accipiet, nihil prorsus emolumenti collatores, aut institutores ullo modo directè, vel indirectè percipiant. Ad tertium nihil exigendum pro dimissoriis commendatitiis, aut testimonialibus literis, juxta *cap. sess.21. Concilij ejusdem.* Ad quartum de literis publicatoriis id prohiberi eodem *cap.1 sess.21. vers. nec. alia quacumque de causa.* Ad quintum gratis oportere concedi hujusmodi licentias, juxta *cap.15. sess.23.* Ad sextum pro dispensationibus matrimonialibus non licere Episcopo, vel ejus Vicario quidquam accipere, nec ratione taxæ, etiam ex immemoriali consuetudine, nec ratione sigilli, vel alicujus alterius rei; quapropter decretum illud quod solet ponи in litteris dispensationum matrimonialium, ut nihil muneris, aut præmij sponte accipi possit pro illarum executione, ita intelligendum est, ut neque Ordinarius ipse, nec Vicarius ejus quidquam pro mercede laboris, quem ea in re susciperent, capere possent. Notarios verò pro examine testium quartam partem aurei, seu ducati licitè accipere posse. Ad septimum non debere examinatores occasione examinis ad parochiales Ecclesias quicquam accipere, alioquin puniendos arbitrio Ordinarij. Ad octavum de donativo in ingressu, respondet istam consuetudinem esse sublatam per Concilium *cap.14 sess.24.* Ad nonum non debere censuras infligi nisi servata forma *cap.3. sess.25.* Ad decimum sacrorum Ordinum collationes in cathedrali Ecclesia vocatis, præsentibus ad id Ecclesiæ Canonicis publicè celebrari debere, juxta *cap.8. sess.23.* Quæ illi sigillatim præscribere voluimus, ut cùm videat ea minimè licere, ab illis Amplitudo tua abstineat, quod facere debebit, nec cuiquam relinquere offensionis, aut querelæ locum; interea eam benè in Domino valere, gratiæque suæ donis cumulari optamus. Romæ die 12. Aug 1588.

Amplitudinis tuæ Reverend. uti frater
A. Carafa Cardinalis.

5. Vnde ex supradicta declaratione *in responsione ad 6.* apparet sententiam Sanchez non esse tenendam, hinc etiam infertur stantibus verbis impositis in Bulla Latina, Commissarios Bullæ Cruciatæ non posse recipere aliquid pro revalidatione, publicatione, &c. Indulgentiarum, neque pro jure laboris, & ideo in quodam confessu doctorum hominum ex ordine Eminentissimi Domini mei Cardinalis ab Auria, me etiam interveniente & consulente, fuit determinatum, neque Magistrum Notarium Cruciatæ pro jure laboris potuisse accipere aliquid pro licentia publicandi Indulgentias, quia in omnibus Curiis Episcopalibus saltem Italiæ, dictæ licentiæ publicandi Indulgentias, licèt præbeantur in scriptis, præbentur tamen gratis; quod expressè Cardinalis Paleotus ordinavit in suo Archiepiscopatu Bononien. *part.4. concil.1. fol. mihi 232.* Tum, quia in Bullis Sanctissimi Domini nostri Vrbani VIII. dictarum Indulgentiarum annullantur Indulgentiæ, si pro earum publicatione aliquid etiam à sponte dantibus sumatur, & pro expeditione dictarum concessionum, etiam pro jure laboris, Pontifex non vult ut aliquid accipiatur; & ideo in fine apponuntur hæc verba, *Gratis pro Deo etiam scriptura.* Et in Concilio Tridentino *sess.21. capit.9.* Canonicis, qui eleemosynam quærunt pro certis Indulgentiis, negatur aliquid dari pro jure laboris. Et ita hanc sententiam in terminis, ut dixi, solet, terminantibus, docet novissimè ex insigni Musæo Sorbonico doctus Andreas Duvallius *in part.2. D. Thomæ tract. de Indulgent. quæst. unica, art. 8. in fine.* quem omnino videbis.

Sup. loc. com. 4. n. 2. Rec. ad fol. ad fin. & magn. lit. in f. Tandem.

6. Nec valet dicere quòd mandatum, ne aliquid sumatur, est directum Commissario Cruciatæ, non autem Magistro Notario, qui aliquid recipit jure tantùm laboris: nam respondeo quòd Bullæ Vrbani VIII. in quibus conceduntur Indulgentiæ, prohibent absolutè aliquid recipere, neque personis particularibus dirigiuntur. ergo, &c. Deinde licèt Concilium Tridentinum *sess.23. cap.15.* cum Episcopis tantùm loquatur, ut approbationes confessionum gratis concedant, tamen, ut visum est in superiori resolutione, sacra Congregatio in dictis verbis Concilij, declaravit inclusos esse etiam Cancellarios accipientes aliquid pro jure laboris, unde in casu *cap.1. sess.21. ejusdem Concilij*, Notarios nominatim excludit. ergo, &c. Ita tunc ego, præter alia jura, & rationes, quæ pro hac firmanda sententia alij Theologi consulti adduxerunt.

7. Vnde

7. Vnde à fortiori dicendum est, quòd pro executoriis dictarum Indulgentiarum in hoc Regno ab Officialibus laicis, ne quid minimum accipi potest, etiam sub colore præstiti laboris, quod etiam absolutè præcepit Serenissimus Rex Philippus II. in quadam epistola data Matriti die 28. Decembr. 1571. & directa ad excellentissimum Ducem de Terra-Nova, in qua ponit querelas sibi factas à Cardinali Alexandrino super aliquos abusus, qui tunc in hoc Regno extabant, & *cap. 5.* dictæ epistolæ sic Rex asserit: [Tambien nos han hecho entender, que quando se dan letras executorias, no se concede si no se paga primero cierta suma de dineros, y porque esto no parece cosa conveniente, prouecreys que de aqui adelante no se lleuen dineros por esta causa, sino que se espida gratis. Et tunc omnes ex sacro Concilio subscripti ad dictam epistolam sic responderunt. Per lo passato s'hanno perceputo per li Officiali Regij alcune raggione per consideratione delli loro travagli, però poi che sua Maesta comanda che questi negotij si spediscano gratis cosi, si facci esseguire, ch'oltro che su Maesta lo comanda pare cosa da se molto conveniente.] Ita ibi, quod si in omnibus Papalibus rescriptis observandum est, maximè procedit in expeditione Indulgentiarum, quæ sunt res spirituales, & quæ annullantur à Pontifice, si pro publicatione ipsarum aliquid recipiatur.

DE DATIS, ET PROMISSIS Super Bullam Gregr. XIII.

RESOL. XLVII.

An Bulla Greg. XIII. de Datis, & Promissis in Romana Curia sub nomine gratiarum includantur absolutiones, indulgentiæ, dispensationes, beneficia, & aliæ gratiæ, quæ solo verbo perficiuntur? Ex p. 6. tr. 7. & Misc. 2. Res. 14.

§. 1. REspondet affirmativè ex Navarro Bonacina *tom. 3. de censur. disp. 2. q. 3. punct. 31. num. 2.* Molin. *de just. tom. 1. tract. 21. disp. 42.* & Azorius *p. 3. lib. 12. cap. 24 q. 6.* ubi sic ait: Pontificia constitutio intelligit nomine gratiæ & justitiæ, quicquid per litteras Apostolicas, Diplomata, sive Bullas, & Brevia Pontificia gratiosè conceditur: quæ itidem per solam signaturam in solo verbo, vel vivæ vocis oraculo concedi solent; cujusmodi sunt multæ absolutiones, dispensationes, indulgentiæ, facultates & privilegia. nam in constitutione dicitur, *Per litteras Apostolicas, & quibuscunque aliis modis.* Ita ille.

2. Non desinam tamen hic adnotare Gabrielem Lotherium doctissimum Iurisconsultum Romanę Curiæ *de re beneficiaria lib. 3. quæst. 32. num. 26. & sequentib.* docere sub nomine gratiæ in dicta Bulla Gregoriana non contineri gratias extra materias contentiosas, ut dispensationes, absolutiones, beneficia, pensiones & similia: & probat restrictionem illam ad causas appositas in Bulla, & sic ad materias contentiosas non diffundi per verba sequentia, *seu aliàs per litteras Apostolicas*: quasi causæ & judicia, non etiam per litteras Apostolicas expediri consueverint, imò plurimæ sic decidantur, & expediuntur: quæ omnia probat ipse Lotherius *ubi supra*. Cujus sententia si esset probabilis, multi in pœnas dictæ Constitutionis non incurrerent: recognosce illum, & non pigebit. Sed prima sententia Navarri est communis, quam approbat stylus Pœnitentiariæ, & Romanæ Curiæ, & ideò ab illa non est recedendum.

RESOL. XLVIII.

An in aliquo casu absque incursione pœnarum Bullæ Greg. XIII. de Datis, & Promissis possint in Curia Romana excusari dantes munera?

Et an judex, qui in Romana Curia reciperet ab utraque parte ante latam sententiam, vel ante gratiam obtentam majores, quas vocant propinas, seu sportulas, quam sibi essent debitæ, quamvis peccet contra justitiam, & teneatur restituere, non tamen incurreret prædictas pœnas, neque etiam qui eas propinas soluit?

Et notatur, quod hujus Bullæ pœnæ non habent locum, si daretur aliquid simpliciter, nullo pacto præcedente, & ad effectum specificè obtinendi aliquam gratiam, vel justitiam, & aliqua alia circa hoc explanantur. Ex p. 7. tr. 4. Res. 1.

§. 1. MAteria hæc est satis periculosa, & faxit Deus quod circa illam multi non naufragentur, ut patet ex Commentariis Navarri, Boccacij, Farinacij, Azorij, Bonacinæ, Molinæ, & aliorum editis in explicationem dictæ Bullæ. Non est tamen negandum posse, non obstante dicta Bulla aliquod munus præbere sine peccato, & incursione pœnarum, modo quo infra dicendum est, ex mente tamen aliquorum Doctorum. Asserunt igitur, Primo, quòd in quocumque tempore, sive post, sive ante, quando munera dantur non pro gratia, vel justitia obtinenda, sed ob alium titulum, & finem Bulla Gregoriana non obligat. Nam leges non sunt extendendæ ultra propriam verborum significationem, & legislatorum voluntatem. Sed in casu nostro Pontifex non voluit subjacere pœnis, nisi dantes pro gratia, & justitia: Ergo non includuntur in dicta Bulla ex alio titulo dantes, nempe ob meram liberalitatem, & gratitudinem; Igitur primus titulus excusans ab incursione pœnarum dictæ Bullæ, est quando quis aliquid donat non pro gratia & justitia obtinenda, sed ob liberalitatem, & gratitudinem.

2. Secundus titulus potest esse ratione laboris, & hoc procedit etiam si detur majus stipendium, quàm sit debitum, modò id non referatur ad obtinendam gratiam, vel justitiam; etiamsi detur ante collatam gratiam, vel justitiam: ac proinde in Romana Curia judex, qui reciperet ab utraque parte ante latam sententiam, vel ante gratiam obtentam, majores, quas vocant, propinas, seu sportulas, quàm sibi essent debitæ, peccaret quidem contra justitiam, tenereturque restituere; non tamen incurreret prædictas pœnas, neque etiam, qui eas propinas soluit; cùm non pro gratia, & justitia obtinenda, sed tanquam pretium excessivum datæ sint, & acceptæ.

3. Tertius titulus erit ratione damni compensandi, ut qui dant, vel accipiunt ad compensandum damnum, quod resultat intercedenti, modò excessus notabilis non sit. Hac ratione dicunt prædicti posse excusari cubicularios, secretarios, aliósque familiares Principum, qui non recipiunt aliquid ob gratiam, vel justitiam à Principe impetrandam; sed ad compensandum damnum inde illis resultans. Sæpè enim ob gratiam semel impetratam non audent, vel certè, non ita facilè frequenter, & confidenter aliquid aliud petere; imò exponunt se periculo non obtinendi alia, & quod habeantur nimis petaces, & importuni, minuatúrque gratia, qua apud Dominos valent. Imò etiam aliquid potest dari, & accipi pro majori exhibenda industria quam alioqui in negotiis exhibere teneantur prædicti cubicularij. Licet enim teneantur cubicularij, aut familiares Principum, vel Iudicum mediocri diligen-

tia aditurij supplicaturis permittere, vel supplices libellos, responsaque referre, libellos decreto munitos reddere, & hujus generis alia, ratione quorum nihil possunt accipere; quia gratis præstare tenentur, & stipendium aliunde accipiunt; si tamen majorem præstent operam, quàm ex officio teneantur, potest aliquid hoc titulo dari, & accipi. Id enim non accipiunt pro gratia, vel justitia obtinenda: sed pro majori illa opera, & industria à se exhibita, dummodo neque in hoc excedatur; imò etiam si excedatur peccabitur contra justitiam: sed non contra Bullam, ut dicebamus cum Molina in simili de stipendio Iudicis & aliorum ministrorum. Et hæc omnia docet novissimè doctus P. Ioan. Dicastillus *de just. & jure lib. 2. tr. 1. disp. 5. dub. 7. a n. 208. usque ad 222.* cui adde Bonacinam *to. 3. disp. 2. q. 3. punct. 31. n. 14.* & P. Leonem *de cens. recol. 4. littera verb. Dantes.*

4. Nota etiam quod Io. Ant Novarius *in sum. Bull. p. 2. tit. de dato, & promiss. pro. Iust.* &c. *num. 7.* docet ut hujus Bullæ pœnæ non habeant locum si daretur aliquid simpliciter nullo pacto præcedente, & ad effectum specificè obtinendi aliquam gratiam vel justitiam: Ita ille, qui ait sic fuisse decisum in Rota *decis. 136. post. conf. Farinacij tom. 1.* & hæc omnia supetiùs dicta videantur penes Doctores citatos: nam in hac quæstione de meo nihil asserere volo.

RESOL. XLIX.

An in dicta Bulla sint prohibitæ omnes promissiones maximè cum verbis generalibus? Ex p. 7. tract 4. Resol. 2.

Quamvis nō plenè sup. hoc, sed ad fulciendam doctr. hujus Resl. lege sup. si placet, ex Resl. 21. §. Quarto secundo. & seqq. & Resl. 24. 25. & 26. & in tom. 4. tr. 1. Resl. 40. per tot. & signanter in fin. §. Tandem.

§. 1. DOctores agunt de hac quæstione separatim à quæstione in superiori Resol. posita, & ideo hoc etiam ego facio. Aliqui docent ex quibus est Azorius *par. 3 lib. 12 cap. 23.* Molina, & alij incurri pœnas si promissio talis sit, ut moveat ad justitiā, vel gratiam conferendam, quia Pontifex in sua Bulla prohibet pacta, vel promissiones occultas, vel manifestas verbis generalibus vel expressis conceptas, tales sunt hæ, ergo prohibentur. Bonacina verò *tom. 3. disp. 2. quæst. 3. punct. 3 1. n. 10.* distinguit, & ait: Vel verba solùm profe-runtur urbanitatis gratia, absque animo illius obligationis sibi imponendæ, vel proferuntur animo re ipsa promittendi, seu se obligandi. Si proferuntur solùm urbanitatis gratia, censeo proferentem non incurrere pœnas à præfatis à Pontificibus constitutas. Si verò proferantur animo promittendi, & hoc pacto inflectendi judicem, aut gratiæ collatorem, ad gratiam vel justitiam concedendam, arbitror promittentem ligari his pœnis. Ratio est, tum quia prohibita sunt quælibet pacta, & promissiones etiam generales, & occultæ; tum quia administratoribus justitiæ, & collatoribus hujusmodi gratiarum nihil simpliciter debetur ex gratitudine; cum aliunde habeant stipendium, & sustentationem, nihilque de suo conferant, & obligatio ex gratitudine potiùs oriatur ex eo, quòd quis ex mera liberalitate confert, quàm quod facit, id quod ex officio, & munere suo præstare debet, tum quia hujusmodi promissiones nihil aliud sunt, quàm munera in se oblata; vetitum est autem aliquid tradere cum tacita promissione pro gratia, vel justitia obtinenda. Hinc patet.

2. Primò judicem, aliumve gratiæ collatorem, qui intuitu hujusmodi promissionis aliquid facit, subjacere pœnis istius constitutionis: nam dicitur acceptare promissionem, vel donationem pro justitia, vel gratia; & hoc præsertim valet in judice, aut gratiæ collatore, qui novit promittentem consuevisse verba seu promissionem opere implere.

3. Secundò patet his constitutionibus prohiberi ea verba, quæ continent generalem promissionem: ut si quis dicat: Recognoscam labores tuos, vel non ero tibi ingratus vel honestum est, ut laborans pro alio recognoscatur. Hoc tamen intellige, modò hæc verba non adhibeantur solùm causa urbanitatis, aut modò non adsit intentio conferendi stipendium labori debitum. Ita Bonacina qui citat Farinacium & Boccacium.

4. Sed Dicastillus de *Iust. lib. 1. tract. 1 disp. 5. dub. 7. n. 189.* docet esse nimis scrupulosum id quod asseritur à Bonacina, quòd illa verba generalia proferantur solùm urbanitatis gratia, absque animo ullius obligationis. Nam si illud absque animo ullius obligationis, ita strictè accipiatur, ut nullam cujuscumque generis, vel minimam obligationem admittat, certè difficile apparet. Nam, cùm illa verba sonent aliquid in futurum ortum ex animi gratitudine (de qua postea dicemus) non est vera & propria significatio animi grati ille loquendi modus futilis, & vanus, qui adhiberi solet à plerisque. Illud enim genus gratitudinis, ab æquis rerum, prudentibusque æstimatoribus nihil fit, cùm meræ nugæ sint, aut inania verba: ergo si qua actio rationalis, & virtus gratitudinis exerceri debet in eo casu, debēt esse verba, quæ vera sint, & significent verum animum gratum, qualis non aliter significatur, quàm verbis ex animo dictis. Vnde, si ea exprimat quis in ea occasione, qua debet habere animum gratum; aliquam habet obligationem dicendi ea verba; non tanquam vana, & nugatoria: sed in uno aliquo sensu nempe cum animo faciendi ea vera, licèt non habeat animum obligandi se ex virtute Iustitiæ. Vnde erit obligatio, quasi fidelitatis, vel certè illa obligatio decentiæ, quæ resultat ex eo, quod quis alteri significaverit animum gratum, & aliqualem voluntatem ostendendi operibus ipsis gratitudinem. Cùm autem sit aliquale debitum, id, quod ex gratitudine debitum est, non est credibile voluisse Papam prohibere illam animi ostensionem, etiamsi inde affulgeat aliqua spes ei, ad quem ea verba dirigūntur, & sub ea spe fortassè moveatur, aut impellatur ad gratiam, vel justitiam, aut absolutè conferendam, aut faciliùs saltem & alacriùs. Neque obstat, quòd prohibita sint pacta, & promissiones, etiam generales & occultæ. Nam hæ, quæ non sunt propriæ, & strictæ promissiones, & aliàs ex gratitudine quodammodo debitæ, aut de materia, quæ quodammodo erit debita ex gratitudine (ut paulò post ostendam) non debent intelligi prohibitæ.

5. Porrò esse posse in his rebus materiam gratitudinis, neque esse verum, nihil ex gratitudine aliquo modo deberi collatoribus gratiæ, & justitiæ; quin potiùs sæpè dignos esse, ut erga illos ea virtus exerceatur, probari facilè potest.

6. Atque in primis in Collatoribus gratiarum apertissimè probatur. Licèt enim si habeant jam suum stipendium assignatum pro munere suo exercendo, ita, ut sæpe teneantur eam gratiam ex officio conferre, & licèt nihil de suo conferant, id est, de bonis suis, quibus priventur, ut alteri dent; negari tamen non potest, quòd sæpe gratiam aut beneficium, quod libere uni aut alteri poterat conferri, conferre huic potius quàm illi, sit beneficium comparatione ejus, cui confertur, quem potuisset conferens prætermittere, & alteri conferre. Ergo par est in eo casu gratias ei agere. Ergo non deest ibi materia gratitudinis. In aliis verò, quæ ad Iustitiam pertinent, quamvis non dissireat minus posse inveniri materiam actionis gratiarum, sæpe tamen vel in modo, vel in alacritate, aut celeritate solent apparere signa voluntatis, & animi ex parte conferentis, quæ aliqualem præbent materiam ostendendi gratitudinem, quamvis res collata non sit prodendi gratitudinem. Imo vel aliqualis similitudo, prièt materia gratitudinis. Imo vel aliqualis similitudo, aut

aut species beneficij potest esse materia, & occasio sufficiens antidoraliter respondendi lato aliquo modo gratitudini, quamvis non sit ita propriè. Cujus rei oppositum habemus exemplum in virtute obedientiæ. Quamvis enim propria materia ejus virtutis sit præceptum: ad illius tamen perfectionem spectat patere, non tantùm præceptis, sed signis & nutibus voluntatis Superioris citra expressum præceptum, ut omnes viri sancti, & Religiosi fatentur. Eadem ergo ratione ad gratitudinis perfectionem poterit pertinere se extendere, etiam ad minùs propria beneficia: maximè cùm præcipua ratio beneficij, & merita gratitudinis consistant in animo & voluntate conferentis. Et hæc omnia docet Dicastillus, *ubi supra*.

7. Verùm absolutè, & sine ulla distinctione Navarrus, quem sequitur Filliucius *tom. 1. tract. 15. capite 6. numero 129.* asserit promissionem factam verbis generalibus ex gratitudine non prohiberi in hac Bulla, nisi inducat super se civilem obligationem. Hæc enim grati animi significatio, & exhibitio jure naturæ debetur benefactoribus. Accedit, quòd S. Pontifex non censetur velle hæc prohibere, quæ sic debentur. Deinde, quia expressio ejus, quod tacitè inest, & tantùm modo, quo inest, non facit illicitam rem, alioquin licitam, *c. significasti, de elect. & l. 3. ff. de leg.* quod contingit in hoc casu, cum jure naturæ recipiens beneficium, videatur teneri ex gratitudine, ad antidora, & ad agendas gratias debito loco, & tempore.

8. Confirmatur supradicta opinio ex doctrina celebri P. Gasp. Hurtado *de Iust. & jure disp. 1. de judic. forensi, difficult. 21.* ubi sic asserit: Addimus à Gregorio XIII. in Bulla ab ipso edita anno 1574. mense Novembri, specialiter sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, & Romano Pontifici reservatæ, & sub aliis pœnis prohiberi dationem, & acceptionem munerum, & eorum pactionem, & promissionem: & acceptationem illius pro impetranda gratia, vel justitia sive pro se, sive pro alio facta apud Sedem Apostolicam in Curia Pontificia, & etiam collationem auxilij, vel consilij, vel favoris ad aliquam actionem prohibitam ex dictis. Et quia ea particula, *pro*, quando dicitur pro gratia, vel justitia, denotat datum munus tanquam pretium, non censetur prohibita datio muneris liberaliter facta, nec acceptio illius. Ita Hurtadus, ex cujus doctrina sequitur promissiones in Bulla Gregoriana prohibitas, esse illas quæ inducunt supra promittentem obligationem justitiæ, non autem promissiones sine civili obligatione ex gratitudine & liberalitate. Et ad majorem confirmationem ejusdem sententiæ adducam etiam hic alium locum dicti P. Gasparis Hurtado *ubi supra de just. & jure disputat. 3. de usura difficult. 7.* ubi sic ait: Ex dictis constat quod qui ratione mutui ex pacto rigoroso obligavit, vel quasi obligavit ex justitia mutuatarium, ut conferat ipsi mutuanti aliquod officium, usuram commisit, & si accepit, tenetur illud resignare, seu relinquere, quamvis sit Ecclesiasticum, & rigorosum beneficium, quia illud invalidè accepit, & retinet, ut de omnibus rebus usurariis, dicemus *difficult. 19.* quia sine titulo accepit, & retinet, quia nec titulo liberalis donat onis, nec alio, imò si officium sit beneficium Ecclesi sticum, non solùm commisit usuram, sed fuit etiam simonia ab utroque commissa, quia tunc beneficium datum fuit, & acceptum tanquam pretium mutui, vel tanquam merx illius, in quo simonia consistit. Qui verò ratione mutui, non quasi obligat ex pacto rigoroso, seu ex justitia, sed tantùm ex pacto latè sumpto, seu ex gratitudine, vel ex pura fidelitate ad officium nullam committit usuram, & quamvis sit beneficium, nullam committit simoniam, nec qui sic illud accepit, tenetur ad illius resignationem. Ita Hurradus, unde ex suis principiis promissiones & pacta prohibita tunc censentur prohibita, quando inducunt civilem obligationem, secus autem antidoralem; prohibentur igitur quando efficiuntur ex justitia, non autem ex gratitudine & liberalitate. Et hæc sunt placita Doctorum circa præsentem Quæstionem, & aliam in superiori resolutione appositam. Ego autem tanquam Pigmeus nolo inter Gigantes etiam in proscenium ascendere, & meam proferre sententiam, ideò hæc omnia viris doctis maturanda relinquo.

RESOL. L.

An quis incurrat pœnas dictæ Bullæ Gregor. XIII. de Datis, & Promissis, si aliquid promittat, & donet Vrbis Gubernatori, vel Burgi, aut judicibus Capitolij, vel eorum delegatis?

Et in textu hujus Resolutionis proponuntur aliqua alia, pro quibus, si aliquid quis promittat, vel donet, in illis est dubium, an incurrat, necne in pœnas hujus Bullæ? Ex p. 7. tr. 4. Res. 3.

§. 1. AD hoc dubium ita Respondet Scortia *in Bullis Pontificiis Epitom. 125. Theorem. 334.* Porrò Constitutio solùm agit de iis, quæ contingunt apud Sedem Apostolicam, quo nomine Navarr. *d. comm. n. 29.* intelligit Romanum Pontificem, prout habet jurisdictionem spiritualem ad excludendas actiones factas apud eum ut Regem temporalem. Vnde secundum eum hæc constitutio non comprehenderet eos, qui impetrant gratiam, vel justitam à Gubernatore Vrbis, Burgi, Iudicibus Capitolij, eorum delegatis, & similibus ministris: sed comprehenderet solùm qui impetrant v.g. à Summo Pœnitentiario, Camerario, Vicario Vrbis, Cubicullariis, Secretariis, & similibus. At Ioan. Azor. *loco citato quæst. 7.* rectiùs exponit Romanum Pontificem, quatenus spiritualem, vel temporalem jurisdictionem habet, ideo hanc prohibitionem comprehendere quoscumque ministros, etiam habentes in Romana Curia jurisdictonem temporalem, quod Pontificis sit mens & intentio, non tantùm à Romana Curia simoniam repellere, sed etiam ambitionem, & avaritiam. Hucusque Scortia, cujus sententiam sequitur etiam Bonacina *ubi infra*, cum Dicastillo, & Azorio.

2. Sed negativam sententiam Navarri tenet etiam Molina *tom. 1. tract. 2. disp. 92.* & probabilem esse docent ipsimet adversarij: unde apponam hic verba Bonacinæ *tom. 3. disp. 2. quæst. 3. punct. 31. n. 5.* ubi sic ait: Colligitur ex nostra sententia impetrantem gratiam, vel justitiam temporalem, prævia promissione, vel donatione apud Gubernatorem Vrbis, vel Burgi, vel apud Iudices Capitolij, vel ipsorum Delegatos, apud Senatorem, Cardinalem, Camerarium, Clericos Cameræ, vel apud Summ. Pontif. quatenus est Rex; id est, quatenus habet temporale dominium, cum Sede Apostolica, seu cum jurisdictione spirituali per accidens conjunctum incurrere pœnas hujus Extravagantis: nam in nostra sententia dicitur obtinere gratiam, vel justitiam in Curia Romana, seu apud Sedem Apostolicam. Quanquam opposita sententia probabilis est; sicut etiam probabilissimum est, eum non incurrere pœnas Extravagantis hujus, qui aliquid tradit majori domus Præfecto, seu magistro domus S. Pontificis, ut in famulatum, & obsequium temporale instar aliorum famulorum, qui aliis Principibus inserviunt, admittatur; hoc enim propriè loquendo non videtur venire nomine gratiæ, vel justitiæ. Secus si intendat obtinere munus, & officium adnexam habens exercendæ jurisdictionis obligationem: nam con

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

consecutio hujusmodi officij ad gratiæ nomen revocatur. Ita Bonac. cui adde Filliuc. *tom. 1. tract. 25. cap. 6. n. 139.* & Dicastillum *de just. & jure lib. 2. tract. 1. disp. 5. dub. 7. n. 159.* asserente etiam sententiam Navarri, & Molinæ esse probabilem. Et licèt Filliucius asserat obstare praxim sacræ Pœnitentiariæ, quis respondere posset sacram Pœnitentiariam, sequi opinionem affirmativam probabilem, non tamen ex hoc sequi opinionem negativam Navarri non esse probabilem & sequendam, si quis velit. Et hæc dicta esse volo secundum mentem supradictorum Auctorum, nam de meo nihil dicere intendo. Et ne deseras etiam videre novissimè nostrum P. Leonem *de Cens. recol. 4. lit. B. verb. Dantes*, ubi docet à Clem. VIII. dictam excommunicationem fuisse ampliatam pro quocumque Tribunali in urbe vel extra, & pro gratiis quæ obtinentur à Papa ut est Dominus temporalis.

RESOL. LI.

An Gubernatores, & alij Officiales status Ecclesiastici, si accipiant munera, incidant in censuram Papæ reservatam?

Et difficultas est, an pœna dupli si restituenda ante judicis sententiam, & cuinam facienda sit restitutio?

Et an, si aliquis ex supradictis reciperet munus, & postea finito officio restitueret illud non pauperibus, sed donanti, si postea iste donans munus iterum restituenti voluntarie, & sponte, vellet donare, an inquam in tali casu obstaret prohibitio, & censura, de qua loquimur? Ex p. 9. tr. 8. & Misc. 3. Res. 42.

§. 1. REspondeo affirmativè, ut patet in Extravag. Pauli II. & est 3. ejusdem, cujus initium est: Munera. Quam Constitutionem Sixtus IV. in Bulla 15. quæ incipit: Etsi confirmavit. Vbi Paulus II. prohibet, ne Rectores, & Gubernatores, aliique Officiales Romanæ Ecclesiæ, vel etiam Legati à latere ad regimen, & gubernationem Provinciarum, Civitatum, ac Terrarum Romanæ Ecclesiæ deputati, vel deputandi, à Provinciis, Civitatibus, vel Terris, quibus præsunt, vel officia exercent, aut à singularibus suæ legationis regimini, vel gubernationi suppositis, aliquod genus muneris, aurum, argentum, vestem, aut equum, vel alterius cujuslibet speciei accipiant, præter esculenta, & poculenta, quæ intra biduum consumi possunt: alioquin tam dantes, quàm recipientes, etiam si Pontificali præfulgeant dignitate (dummodò non sint Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, qui in Sacro Collegio coram Pontifice sponte sua obtulerunt, & promiserunt non recepturos hujusmodi munera) ipso facto sententiam excommunicationis incurrunt, à qua absolvi non possunt nisi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constituti.

Quamvis non plenè sup. hac Extravagante lege tamen inf. doctr. Res. 55.

2. Sed pro explicatione dictæ Excommunicationis, nota Primò, quod pro officialibus habentibus, &c. intelliguntur de habentibus Iurisdictionem temporalem in dicto statu, hoc enim significant verba Bullæ, ibi: Rectorem, Gubernatorem, suorumque Officialium, vel Legatorum à latere ad regimen, & gubernationem Provinciarum, Civitatum ac Terrarum Romanæ Ecclesiæ, &c. quorum appellatione veniunt Consultores, & Assessores.

3. Nota secundò, quod ut in illam officiales supradicti incidant, recipere munera debent ab iis, qui ipsis subditi sunt, vel apud quos sua officia exercent. Et ideo, si v. g. Gubernator Perusiæ reciperet munera à Magno Duce Hetruriæ, vel ab alia privata persona extera, non incideret in hanc Censuram, quia lata est contra recipientes munera à subditis.

4. Sed difficultas est, an pœna dupli sit restituenda ante judicis sententiam? Et affirmativè respondet Pater Thesaurus *in praxi, p. 2. ver. Munera, cap. 8.* ubi sic ait: Nota, quod hæc pœna dupli obligat in conscientia, etiam ante declaratoriam, propter particulam illam, reddere teneantur: ut de eadem particula dicunt communiter Doctores *in cap. 2. de Cens. in 6.* & Lessius *cap. 16. n. 37. lib. 2.* Emmanuël Sà, *verbo Suspensio ipso Iure, n. 13.* & in terminis hujus Bullæ, Bonacina *de Cens. part. disp. 2. q. 7. punct. 8. n. 8.* & facit pro hac sententia, quia ratione juramenti præstiti Officiales obligati sunt observare hanc constitutionem, ut supra dictum est, ex eadem Bulla. Ita Thesaurus. Verùm Pater Castrus Palaus *tom. 6. disp. 3. punct. 18. n. 10.* contrarium docet; sic enim asserit: Præter excommunicationem obligantur recipientes reddere omne id, quod acceperunt, & aliud tantundem. Quo ad eam partem, qua tantumdem reddere tenentur, certum existimo sententiam saltem declaratoriam criminis requiri, ne sint proprijæ pœnæ exequutores, se privando dominio acquisito. At quo ad partem, qua acceptum obligantur reddere, reputo probabilius secluſa sententia obligari, utpotè rei, cujus dominium non est illis acquisitum. Ita ille: unde utramque opinionem probabilem puto.

5. Videndum modo superest, cuinam facienda sit restitutio. Alij asserunt pauperibus; alij partem pauperibus, partem danti. Sed illos conatur concordare noster Pater Leo *de Cens. Recoll. 4. litt. M, ver. Munera*, ubi sic ait: Bonacina subdit, dictam restitutionem integri dupli faciendam esse pauperibus contra Filliucij docentem partem receptam esse restituendam danti, aliam partem verò pauperibus. Quas opiniones concordarem hoc modo, scilicet, quòd opinio Bonacinæ sit vera, quando dans munera, dedit in casibus, in quibus erat illi prohibitum, nempè illicite; opinio verò Filliucij sit vera, quando dicta munera dantur licitè, scilicet ad redimendam injustam vexationem, &c. Ita Leo. Mihi verò magis placet opinio Filliucij, quam etiam tuetur Castrus Palaus *ubi supra tom. 6. disp. 3. punct. 19. n. 10.* asserens rem receptam restitui posse donanti ante sententiam condemnatoriam, aliud verò tantumdem, quod pœnali Constitutione restitui præcipitur, solis pauperibus restituendum esse. De hac secunda parte nemini est dubium, cum obligatio restituendi illam quantitatem solùm ex lege pœnali proveniat, & posita sententia condemnatoria, quæ nunquam donanti, sed pauperibus, aliisque operibus piis restitutionem applicabit. Priorem partem probo, quia cum rei acceptæ dominium non sit translatum in accipientem, eo quòd translatio lege impediatur, videtur penes donantem remanere, quia, ut illo donans non privetur, sententia declaratoria criminis requisita est. Sicuti requiritur ad obligationem restituendi illius tantundem quod acceptum est.

6. Sed hic oritur dubium, de quo consultus fui, & in praxi accidit, an si aliquis ex supradictis reciperet munus, & posteà, finito officio, secundùm nostram sententiam restitueret illud non pauperibus, sed donanti, si posteà iste donans illud munus iterum restituenti voluntariè, & sponte vellet donare an inquam in tali casu obstaret prohibitio, & Censura, de qua loquimur? Et respondi negativè: nam in isto casu, neque Recipiens est Gubernator, Iudex, vel Officialis, ut suppono; neque dans est ei amplius subditus: ergo non habet locum prohibitio, & Censura Pauli II. quia loquitur de Officialibus recipientibus munera. Igitur cum unusquisque possit de re sua ad libitum disponere; non est dubium: quòd restituens in tali casu posset illud munus à donante recipere.

RESOL.

RESOL. LII.

An fictè promittens incurrat pœnas Gregorij XIII. de Datis, & Promissis?

Et quid in hoc casu de acceptante promissionem, an subjaceat prædictis pœnis?

Et quid est dicendum in utroque, si promittens obtenta gratia, vel justitia, aliquid mutata voluntate, non tradat intuitu præcedentis promissionis? Ex p. 7. tract. 4. Res. 4.

§. 1. NEgativam sententiam docet Bonacina *tom. 3. disp. 2. q. 3. punct. 31. n. 8.* ubi sic asserit: Arbitror fictè promittentem non subjacere his pœnis. Ratio est, tum quia ficta promissio non est promissio, nisi ore tenus, ut patet ex dictis, de contractibus; tum quia versamur in materia pœnali, consequenter odiosa, & consequenter non extendenda. Ita in simili docet summa Corona *part. 3. de simonia, n. 14. fol. mihi 72.* Lessius *lib. 2. cap. 35. num. 11. dub. 1.* Sotus *lib. 9. de Iustitia q. 8. art. 1.* Tolet. *lib. 5. cap. 9. ad finem.* Hic tamen in foro externo præsumetur excommunicationem, & alias pœnas contraxisse, quia forum externum judicat de externis.

2. Ad primam rationem in contrarium respondeo, hoc esse specialiter constitutum in præfatis Extravagantibus de eo, qui se fingit talium operam, atque industriam pretio quæsiviſse, in pœnis autem non est argumentandum à minori ad majus, sed standum est verbis legis.

3. Ad secundam respondeo hujusmodi promittentem graviter peccare, quia inducit ad peccata; non verò subjacere pœnis hujus Extravagantis.

4. Ad tertiam responderi potest primò, acceptantem hujusmodi promissionem subjacere pœnis: tum quia quantum est ex parte sua acceptat promissionem, & gratiam, vel justitiam concedit intuitu promissionis; tum quia non implicat recipientem aliquid his pœnis subjacere, quamvis non subjaceat tradens, ut si recipiens accepcet pro gratia, tradens verò tradat alio titulo.

5. Responderi potest secundò, nec ipsum acceptantem subjacere pœnis, tum quia non dicitur acceptare promissionem (cùm ficta promissio non sit promissio) tum quia cùm hic sit veluti contractus onerosus, & non solet claudicare (quamvis reipsa non sit verus contractus, cùm hujusmodi promissio, etiamsi fiat animo adimplendi, invalida sit, utpotè de re, quæ sine peccato adimpleri nequit) acceptans non censetur acceptare, nisi alter velit promittere; propterea licèt acceptans peccet ob conscientiam erroneam, & ob affectum ad peccatum, tamen excusandus videtur à pœnis, quia promissionem non acceptat, nec recipit quidquam.

6. Hoc tamen limita, modò promittens, obtenta gratia, vel justitia, aliquid mutata voluntate non tradat intuitu præcedentis promissionis, alioquin utrumque ligari dicendum esset, ut patet ex verbis Extravagantis. Hucusque Bonacina.

7. Non deseram tamen adnotare alios contrariam sententiam docere, ut illam novissimè tenet Dicastillus *de just. lib. 2. tract. 1. disp. 5. dub. 7. num. 179.* Quia ait ipse in Bulla comprehenduntur, qui auxilium, consilium, seu favorem dant, ut ea fiant, quæ ibi prohibentur, sed ficta promissio, quamvis in ratione promissionis non sit propriè promissio (quod suam habet quæstionem) tamen revera movet, & juvat alium, ut rem efficiat, aut intentet, & includit virtuale consilium, & exhortationem: sed quando quis ex sua parte dat consilium, auxilium, seu favorem, exercet actionem prohibitam in Bulla illis verbis: Dantésque illis, & aliis supradictis consilium, auxilium, vel favorem: ergo licèt in ratione promissionis non comprehendatur ficta, comprehendetur in ratione auxilij, consilij, vel favoris.

8. Respondebis fortasse, talem promittentem fictè saltem quando non admittitur promissio ficta non incurrere; quia tunc nullus est favor, auxilium, vel consilium ad actionem quæ non est. Hæc tamen responsio facilè refellitur: nam iuxta supradicta eo ipso, quod actio per se prohibeatur, etiam si ex ea non sequatur effectus, incurritur pœna. Et hæc omnia docet Dicastillus *loco cit.* adversus ea quæ docuerat Bonacina, ideò tu cogita.

RESOL. LIII.

An ex promissione non acceptata incurratur in pœnas Bullæ Gregorianæ de Datis, & Promissis?

Et quid est dicendum de his, qui aliquid dant alteri, ut fiat pactio, vel receptio pro gratia, vel justitia obtinenda? Ex p. 7. tr. 4. Res. 5.

§. 1. NEgativè respondet Bonacina *tom. 3. disp. 2. q. 3. punct. 31. n. 9.* ubi sic ait: Dicendum videtur promittentem non incurrere pœnas istius Extravagantis, altero, cui fit promissio, non acceptante promissionem, nisi aliquos pollicitationibus ambiat, quos gratia præstare arbitretur. Ratio est, quia de ratione promissionis est acceptatio, cùm promissio sit datio fidei, & fides non dicatur data, nisi sit acceptata; per hoc enim promissio differt à pollicitatione, quod pollicitatio est solius offerentis promissio, ut patet ex dictis, de contractibus, *quæst. 11. pun. 1.* & cùm in materia odiosa versemur, non est facienda extensio promissionis ad pollicitationem.

2. Neque obstat ratio allata ad probandam Molinæ, & aliorum opinionem: nam licèt promissio sit actio principaliter prohibita, tamen non dicitur propriè promissio: nisi acceptata sit, & illa formula disiunctiva adhibetur, non ad excludendam promissionem propriè acceptam, sed ad indicandum, promissione acceptata, non solùm promittentem, verùm etiam acceptantem his pœnis subiacere. Secus dicendum est de iis qui aliquid dant alteri, ut fiat pactio, vel receptio pro gratia, vel iustitia obtinenda; isti quippe ligantur pœnis huius Extravagantis, quia dando, vel recipiendo efficiunt actionem principaliter in hac Extravaganti prohibitam. Ita Bonacina qui citat Azorium.

3. Sed affirmativam sententiam docet Molina, Fatinacius, Boccacius, quos citat & sequitur Dicastillus *de just. & jur. lib. 2. tr. 1. disp. 5. dub. 7. n. 182.* Quia est promissio una ex actionibus principaliter prohibitis, nec copulativè, seu disiunctivè prohibetur.

4. Alii verò negant; quia ea promissio non est propriè promissio, nisi acceptetur; de ratione enim promissionis est, quòd acceptetur, in Bulla verò promissiones prohibentur, quæ debent intelligi propriè. Tamen hæc sententia ex nuper dictis reiicitur. Nam licèt promissio non acceptata, sit tantùm pollicitatio, quæ est inchoata promissio, ut dicemus in Tractatu de promissione, dub. 6. tamen non solùm quatenus promissio in Bulla prohibetur, sed etiam quatenus consilium, auxilium, vel favorem continens, ut probatum est.

5. Sed, quod caput est in hac re, expressè etiam in Bulla meminit eorum, qui pollicitationibus ambiunt, cúmque promissio non acceptata, pollicitatio sit, iam comprehenditur saltem, quando eos, quos gratia præstare arbitrantur (ut ait Pontifex) donis, pollicitationibúsque

búsque imbiunt. Hæc Dicastillus. Vide etiam Sanch. *in opusc. tom.1.lib.2. cap.3. d.10. a.5.* ubi tenet,quòd licèt non sit completa promissio , inciditur in pœnas nostræ Bullæ Gregorianæ , si aliquid promittatur pro justitia, vel gratia.

RESOL. LIV.

An ad incurrendas pœnas dictæ Bullæ Gregorianæ sufficiat , ut donum attingat quantitatem sufficientem ad constituendum peccatum mortale furti? Ex p.7. tr.4. Resol.6.

§.1. Affirmativè respondet Bonacina *tom.3.disp.2. q.3.punct.31. n.13.*Tum quia Summus Pontifex absolutè,& sine distinctione has pœnas injungit dantibus,vel accipientibus,promittentibus , vel acceptantibus aliquid paruum , vel magnum ; ubi autem jus non distinguit , neque nos distinguere debemus, nisi adsit sufficiens ratio distinguendi,tum quia ad has pœnas incurrendas , eam rem sufficere censendum est,quæ in materia furti,vel sacrilegij,aut in aliis materiis notabilis judicatur , nec inconveniens est dicere id,quod est notabile & magnum , in materia aliarum virtutum censeri magnum,aut saltem paruum in hac materia, juxta mentem Summi Pontificis, prohibentis etiam promissionem rei paruæ ; tum quia ferè numquam constaret aliquem his pœnis irretitum esse, si certa rei quantitas ad has pœnas incurrendas aliquid notabile censetur in materia furti , quia est contra domini voluntarem (furtum enim est rei alienæ invito domino) illíque notabile incommodum affert spectatis regulis à nobis assignatis , in tractatu de restitutione. Ergo illud idem censebitur notabile , aut saltem paruum, secundum hujus Extravagantis tenorem , quod est juxta recipientis voluntatem , illique notabile commodum afferre potest. Cæteras rationes videbis apud ipsum Bonacinam.

2.Sed his non obstantibus mihi placet opinio asserentium materiam constituentem peccatum mortale in terminis Bullæ citatæ esse relinquendam prudentis arbitrio ; spectata , tum qualitate, dantis,& accipientis, tum gravitate gratiæ , aut justitiæ de qua agitur, & aliis circumstantiis. Ita Molina suprà. Azor. Navarr. citati, Menochius de arbitrariis, *lib.2. cent.2. casu 145.num.4.* Boccacius *1. par.de pactis , n.31.* Ideò juxta hanc sententiam non est admittenda quantitas, quæ alias sufficeret ad mortale furti , sed an res ejus momenti sit , quæ allicere possit , & pervertere accipientem. Si enim talis non sit , non censendum erit dantes , aut accipientes pœnas incurrere. Addit Navarrus consequenter posse contingere inter personas tales tali loco,& tempore,ut dare equum, non videatur sufficiens ad movendum, seu flectendum animum recipientis spectatis prædictis circumstantiis. Causa autem finalis hujus Extravagantis condendæ fuit , ne gratia, vel justitia muneribus obtineretur ; & hic , & nunc fieri potest , ut vim non habeat largitio unius equi.

3.Nec obstant contraria argumenta Bonacinæ:nam ad illa copiosè, & doctè respondet Dicastillus *de just. lib.2.tract.1. disputat.5. dub.7.num.203.& sequent.* Adi illum,& non pigebit. Vide etiam nostrum P.Leonem *de cens. resolut.4.litt.B , ver. dantes,*ubi Bonacinam impugnat, & docet secundum Sanctarellum non incurri censuras propter largitionem duorum , vel trium aureorum.

RESOL. LV.

An Cardinales includantur in pœnis dictæ Bullæ Gregor.XIII? Ex p.7. tr.4. Resol.7.

§.1. Respondeo probabiliter sustineri posse Cardinales nulla in parte ligari hac constitutione; nec cùm sit pœnalis hæc constitutio,& odiosa,& in odio sis Cardinales non veniant nomine Clericorum , nec ligentur legibus pœnalibus,nisi exprimantur,quamvis ligentur legibus divinis & naturalibus. Ita Bonacina *tom.3.disp.2.q.3.pun.31.n.16.*Dicastil. *de Just.lib.2. tr.1. disp.5.dub.7.n.236.* Licèt asserant & meritò affirmativam sententiam esse tutiorem & probabiliorem, omnibus omnino pœnis illius Constitutionis ligari Cardinales,quia Cardinales comprehenduntur in Bullis, quando id quod prohibent est per se malum,aut erat, alioquin jure communi interdictum:sed in nostro casu prohibetur id quod erat vetitum de jure communi apud Extravagantem Bonifacij VIII. Ergo Cardinales in illa & nostra constitutione comprehenduntur: non audeo tamen contrariam sententiam tanquam improbabilem damnare,& ego illam teneo cum Molina, & Navarro quoad pœnam beneficiorum, & officiorum obtentorum. Item à pœna infamiæ, & inhabilitatis ad beneficia, & officia , quia non est verisimile Papam viros tam qualificatos tam gravi pœna punire.

RESOL. LVI.

An incidat in pœnas dictæ Bullæ promittens vel dans aliquid pro justitia auferenda , vel differenda? Ex p.7. tr.4. Resol.8.

§.1. Negativè respondet Farinacius *p.3.q.111. numer.351.*ubi sic ait:Quando pecunia daretur, & reciperetur non pro justitia obtinenda , sed pro ea differenda,aut auferenda,secundum Ioan.Imol.*Menac. in d. Extravag.1.de sent.excom.in verbo sub generalibus, post med.vers.unde dato.*Duplici motus ratione.Primò. quia lex loquens in uno casu non trahitur ad alium, *l.commodissimè.ff.de liber.& posthum.cap.susceptum , de rescript.in 6.* Secundò,quia pœnalis constitutio extendenda non est, *cap.pœna,dist.1.*

2.Sed contrarium docet Scortia in Bullis Pontificiis *Epitom. 125. Theorem.333.* Filliucius *tom.1. tract.15. cap.6. numero 133.* Boccacius *de pactis part.3. numero 77.* & alij: quia qui dat aliquid pro justitia auferenda vel differenda , obtinet gratiam. Ergo ligatur pœnis Bullæ.

RESOL. LVII.

An qui dat , vel promittit judici , ut causam expediat, incidat in pœnas dictæ Bullæ? Ex part. 7. tract. 4. Res.9.

§.1. Negativam sententiam tenet Farinacius *par.3. q.111.n.350.* quando quis cum Iudice paciscereturaliquidve ipsi daret,aut promitteret , ut citiùs causam expediret , quàm aliàs faceret, sine tamen alicujus præjudicio,& cum vera animi sinceritate,ut non ad alium effectum , nec ad judicem corrumpendum sic dederit,aut promiserit.Tunc enim pactionem hanc jure naturæ non esse prohibitam , nec in foro fori, nec in foro poli probat Navar.*in Constit. Greg. XIII. in 9. notabili num.16. vers. Pactio verò facta ob causam*

secun

secundam. ubi propterea infert isto casu non succedere pœnas dictæ constitutionis, nisi agatur de causa spirituali.

2. Verùm affirmativæ sententiæ adhæret Bonacina *tom. 3. disp. 2. q. 3. pun. 31. n. 14.* & Scortia *in Bull. Pontif. Epitom. 125. Theorem. 333.* sed licèt hæc sententia sit probabilior, opinionem tamen Fatinacij puto probabilem, & tanquam probabilem etiam admittit Dicastillus *de just. lib. 2. tr. 1. disp. 5. dub. 7. n. 210.*

RESOL. LVIII.

An si quis post impetratam gratiam, & justitiam donet aliquid etiam si non sit moderatum, sed excessivum, incidat in pœnas dictæ Bullæ?

Et an habeat locum pœna hujus Constitutionis extra Curiam Romanam, unde si aliquid daretur Neapoli pro obtinenda gratia à Sede Apostolica, evitaretur hæc pœna?

Et an pœnæ latæ in Bulla Greg. XIII. non spectent etiam ad judices legatos citra Montanos? Ex par. 7. tract. 4. Resl. 10.

§. 1. NEgativè respondet Boccacius *tract. de pactis, p. 3. n. 78.* ubi sic ait: Sed nunquid sine parabola præcedente potest dari aliquid promotori negotio completo, Ioannes Monach. in dicta quarta glossa arguit primò, quod sic, allegat *l. Atilius Regulus, ff. de donat. & lib. 1. § si verò, ff. de variis, & extr. cognit. & cap. dilectus in 2. de simonia, in fine*; ibi illud tamen gratanter recipi poterit quod fuerit sine taxatione gratis oblatum, & *in c. 8. in fi. dist. 18.* & *c. 4. q. 1. alleg. 2.* Ioan. Monach. *c. fin. 1. q. 1. & quæ dicta sunt sup. n. prox. 77.* sed ea non loquuntur de datione facta post finitum negotium, sed in calumniando, & differendo negotium non finitum, & sequitur Navar. Ioan. Monach. *sup. constit. Greg. n. 31.* ubi multa allegat contra, quibus respondet, & confirmat dicta per Ioan. Monach. *vers.* de his non obstantibus, dummodo quæ dantur sint moderata. Ita Boccac. cui adde Farin. *to. 3. q. 111. n. 348.* & Ioan. Ant. *in Sum. Bullar. p. 2. tit. De Dato, & Promisso, & c. n. 14.* asserentes Bullam non comprehendere dantes, vel recipientes post gratiam, vel justitiam obtentam, quando donatio esset moderata.

2. Sed hanc limitationem non apponunt Scortia *in Bull. Pontif. Epitome 125. Theorem. 333.* Azorius *par. 3. lib. 12. cap. 23. quæst. 4.* & alij. Et revera Bulla imponit pœnas danti, vel promittenti ad obtinendam justitiam & gratiam; ergo dictæ pœnæ non sunt extendendæ contra dantes & accipientes post gratiam, sive moderatæ sint, sive non: nam obtenta gratia prohibitiones Bullæ non inficiunt, si nihil ante promissum vel pacto firmatum sit pro gratia vel justitia obtinenda. Et hanc sententiam tenet Baunius *in Theol. Mor. par. 2. disp. 5. tract. 2. quæst. 12.* ubi mordicus probat post finitam litem non obstante Bulla Gregoriana licitum esse præbere munera Iudicibus.

3. Notandum est hic obiter cum Ioanne Antonio Novario *in Bull. Pontif. part. 1. tit. de dato & promisso, num. 12.* Vt non habeat locum pœna hujus constitutionis extra Curiam Romanam, unde si aliquid daretur Neapoli pro obtinenda gratia à sancta Sede Apostolica, evitaretur hæc pœna, & in terminis fuisse judicatum per Rotam Romanam, ut testatur Seraphin. *decis. 825.* Vnde ego olim respondi, quod si quis daret aliquid alicui extra Romam, pro Cardinalitia obtinenda dignitate, non incurreret in pœnas Bullæ Gregorij XIII. de qua loquimur; licet si hoc faceret Romæ pœnas non evaderet, si Summus Pontifex hoc nesciret, nam ipso sciente, cessant pœnæ hujus Bullæ. Ita Novarius *part. 2. eodem tit. n. 6.*

4. Notandum est etiam hic, secundum opinionem Stephani Baunij *in Theolog. Moral. part. 2. disputat. 3. tract. 2. quæst. 12.* pœnas latas in Bulla Gregorij XIII. ad Iudices delegatos citramontanos non spectare. Ita ille.

RESOL. LIX.

An qui non denunciant delinquentes contra præfatam Bullam incidant in excommunicationem?

Et an in hac ultima pœna solum ligentur existentes in Curia Romana?

Et an qui aliquid ex prohibitis in hac Bulla faceret cum Summo Pontifice, vel cum ejus Ministris aut familiaribus de illius consensu expresso, vel tacito, in pœnas dictæ Bullæ non incidat?

Neque in his actionibus, quæ alioquin non essent prohibitæ jure divino, sed humano positivo, esset simoniacus? Ex p. 7. tr. 4. Resl. 11.

§. 1. AD hoc Dubium ita respondet Dicastillus *de Just. lib. 2. tract. 1. disp. 6. dub. 9. n. 250.* Qui noverit delictum contra hanc Constitutionem, nisi intra triduum deferat Summo Pontifici, aut alteri, qui eidem Papæ fideliter denunciet, ipso facto incurrat excommunicationem.

2. In hac ultima pœna docet Molina *versu, Cum omnes.* Azorius *supra quæst. 8. ad finem.* Navarrus *notabili 22. num. 37. post* Sylvestrum *verbo excommunicatio, casu 33.* solùm ligari ea excommunicatione existentes in Curia Romana. Esset enim irrationabile, velle paupere longè distantes à Curia Romana, vel à Sede Apostolica teneri illam adire ad denunciandos hujusmodi delinquentes. Quæ sententia omnino probabilis est. Sed adhuc probabilius videtur teneri, non quidem intra triduum cùm id ferè semper sic distantibus impossibile sit, teneri tamen cùm primùm possint. Neque enim existimo illam obligationem ita circumscribi triduo, ut si intra triduum non potuerit denunciari, cesset jam obligatio denunciandi; sed est obligatio, quæ semper urget ad eum modum, quo de præcepto annuæ Confessionis, & similibus docent Authores, & nos dicemus etiam elapso termino constituto perseverare obligationem non ulterius differendi; neque esse instar præcepti audiendi Missam in festo, quò elapso cesset jam obligatio, quia tunc impleta non fuit.

3. Accedit quod qui longè distant videntur obligari, vel ad denunciandum per litteras directas, vel ad Sum. Pontificem, vel ad alium fidelem Internuntium, qui illi denunciet; vel si adsit propè monere potest verbo, vel scripto aliquem alium, quem spectet prudenter; fore ut ad Pontificem, aliumve ministrum, qui tandem Pontifici deferat, rem totam scribat, maximè si non longè distet Nantius Apostolicus, Collector generalis & alij similes. Ita Dicastillus.

4. Non deseram tamen adnotare quod Bonacina *tom. 3. disp. 2. q. 3. punct. 31. n. 18.* & 19. observat, viros gravissimos sibi asseruisse Bullam quoad hoc usu receptam non esse: quod etiam novissimè docet P. Leo *de Cens. Recoll. 4. lit. D. ver. dantes.* Notandum est etiam hîc obiter, quod qui aliquid ex prohibitis in hac Bulla faceret cum Sum. Pontifice, vel cum ejus ministris, aut familiaribus de illius consensu expresso, vel tacito in pœnas Bullæ non incideret, nec in his actionibus, quæ alioqui non essent prohibitæ jure divino, sed tantùm humano positivo esset simoniacus. Ita Dicastillus *ubi supra n. 235.* & Bonacina.

Quoad hoc. & seq. in hoc §. lege tamè sup. ex resl. 1. doctr. §. 1. & in fin. §. 2. & vide alium §. ejus nor. primæ.

RESOL. LX.

An si quis sciat aliquem violasse dictam Bullam, antequam ipsum denunciet, teneatur adhibere correctionem fraternam? Ex p.7.tr.4.Res.12.

§.1. NEgativè respondet Boccacius *tract. de pactis, p.1.n.52.* ubi post multa sic asserit. Hic circa pascisceentes, promittentes, dantes, & recipientes sumus in peccato, & delicto commisso contra legem Pontif. prolatam pro bono publico, unde non est opus denunciatione Evãg. vel correct. fraterna, sed est locus delationi ad Pontif. ut faciat quidquid sibi videtur, maximè quia hujusmodi delinquentes excommunicati non possunt ab aliquo absolui, nisi à Sum. Pontif. quæ est ei reservata in d. Constit. Abbas *in c. fin. col. 3. vers. aut habemus, de temp. ordin.* Nam istud delictum inducit privationem beneficiorum ipso jure ultra infamiæ notam Abb. *in d.c. fin. col. 4. vers. causa autem quare, & dictũ D. Th.* Alphonsus *in pract. crim. canon. in tit. denunciatione Evang. concl. 3.* sequitur, & allegat alios tenentes eandem opin. Præterea non sumus in denunciatione Evang. & sic circa ea quæ proveniunt ex præcepto Domini, sed circa ea, quæ proveniunt ex jure positivo Pontifici, & ista non vocatur denunciatio Evangel. sed judicialis, Alfons. *in d. pract. crim. de denunciat. judiciali, cap. 1.* quare videtur, quod dicta per Navarrum non applicentur. Hucusque Boccacius.

2. Sed sententiam affirmativam Navarri tenet Bonacina *tom. 3. disp. 2. q. 3. pun. 31. n. 20.* ubi ita ait: Suboritur difficultas utrùm qui novit aliquod delictum commissum contra hanc constitutionem, teneantur delinquentem fraterna correctione admonere, antequam denunciet?

3. Respondeo affirmativè, modò ex correctione fructum speret. Ratio est, quia Prælato non est obediendum contra Domini præceptum: nam Deo magis, quàm hominibus obedire oportet, *Act. 7.* præceptum autem Domini est ut frater delinquens prius privatim corrigatur, quàm denuncietur: corripe eum inter te, & ipsum solum, inquit Christus in Evang. sic Bonac. cui adde P. Dicasti. *de Iust. lib. 2. tr. 1. disp. 6. dub. 9. n. 254.* ita asserentem? Dubitari verò potest, an qui novit aliquod delictum commissum contra hanc constitutionem, teneatur delinquentem fraterna correctione admonere, antequam denunciet?

4. Hujus dubij solutio dependet ex regula generali de correctione fraterna sub loco explicanda. Ex qua nunc deduco debere præmitti prædictam correctionem, si ex ipsa fructus speretur. Ita generaliter docet Vasquez ex Navar. *in opusc. de Restit. c. 9. §. ... n. 4.* ubi loquens de delinquente manifestando sub excommunicationis sententia, sic ait: Si verò persona manifestanda est, tunc non statim, sed præmisso ordine Evangelicæ correctionis, ut inter te & ipsum solum admoneas; si te non audierit, adducito tres testes, &c. Hæc Vasq. Eandem doctrinam docent Petr. Navarr. *lib. 2. cap. 4. n. 247.* Reginal. *lib. 24. n. 60.* Clavis Regia *lib. 12. c. 14. n. 27.* Navarrus *in sum. c. 25. n. 40.* Enriq. *lib. 13. cap. 18.* Lazar. *in monit. sect. 2. q. 7.* Praxis Neap. *c. 2. n. 2.* Sylvest. *ver. Denunciatio, q. 4.* Sotus *5. de Iust. q. 5. art. 1.* Avila *de cens. 2. p. disp. 5. c. 5. dub. 4. concl. 1.* Suar. *de cens. disp. 20. sect. 3. n. 2.* Filliuc. *tr. 14. tom. 2. q. 1.* & alij multi. Ratio est, quia Prælato non est obediendum contra Domini præceptum, qui eum ordinem servari præcipit. Et huic doctrinæ libenter adhæreo, exceptis tamen delictis pertinentibus ad nostrum sacrum Tribunal Inquisitionis, ut alibi satis firmavimus.

Sup. hoc latè in to. 7. tr. 4. Res. 38. §. ult. & in Res. 39. §. Igitur. in princ. & in Res. 46. à princ. & in Res. 51. §. Ex dictis. & in alio §. earũ annotationũ & inf. in tr. 9. Res. 3. § Sed. ad fin. 9. & hæc ult. Res. deserviet pro alibi cõtẽto in fin. ult. hujus Res. & ibi in aliis.

RESOL. LXI.

Quid dicendum de consulentibus, & auxiliantibus, & quando incidant in pœnas dictæ Bullæ Greg. XIII? Ex p.7.tr.4.Res.13.

§.1. CIrca præsentem quæst. apponam verba Dicastilli, quia Codex non ita facilè invenitur, sic enim asserit, *de just. lib. 2. tr. 1. disp. 6. dub. 7. n. 258.* improbabiliter asserunt aliqui non ligari pœnis dantes auxilium, consilium, vel favorem effectu non secuto; quia scilicet istæ tres actiones tantummodò accessoriè videtur prohiberi. Quoties autẽ aliqua actio accessoriè solùm prohibetur sub censura, non videtur censura incurri effectu nondum secuto. Ita Molin. *supra, vers. ad tres alias.* Navar. *sup. notab. 30. n. 43.* Azor. *q. 8.* Farin. *sup. n. 309.* Imò Azor. putat dantem auxilium, favorem vel consilium non affici his pœnis, nisi gratia obtenta sit; cùm tamen Molin. & Navarr. citati (ut notavimus *sup. q. 4. n. 168.* in fine) doceat sufficere ut actio ad quam datum est consilium, auxilium, vel favor secuta fuerit, etiamsi non sequatur effectus obtinendi gratiam, vel justitiam. Hoc tamen ego non video quo fundamento dicatur, neque enim ex littera textus apparet verbum, ex quo colligi possit eas actiones secundariò prohiberi, itaut potius illæ requirant ut aliquis effectus sequatur. Verba enim textus sunt: Constitutionem prædictam cum suis censuris, & pœnis omnibus innovamus, easdémque omnes extendimus ad audentes qualecumque horum facinorum quæ adscripsimus, dantésque illis supradictis, auxilium, consilium, vel favorem. Sed eodem tenore verborum prohibetur dare auxilium, consilium, vel favorem; atque promittere, acceptare: ergo ex hoc capite æquè primò, & principaliter prohibentur hæ actiones, atque illæ. Ergo nisi ex alio capite excusentur, etiam incurrent pœnas effectu non secuto. Legantur quæ dicemus de Censuris *disp. 1. n. 19.* & locis ibi notatis.

2. Nihilominus licèt sint hæ actiones principaliter prohibitæ adhuc non incurretur pœna, nisi sequatur actio, ad quam tale consilium, auxilium, vel favor ordinabitur. Ratio est, non quia sunt prohibitæ per se, & principaliter; sed quia nisi ille alius, cui datur tale consilium, &c. non datur alicui ex prædictis in Bulla. Supradicti enim erant dantes, accipientes, promittentes, acceptantes, &c. qualis non est qui consilium audiens, non acquiescit consilio, nec oblatum auxilium, vel favorem admittit. Hucusque Dicastill. vide etiam Bonacinam, *tom. 3. disputat. 2. quæst. 3. punct. 31. num. 22.*

RESOL. LXII.

An si quis ignorantia vincibili nesciret pœnas hujus Constitutionis, in illas incurreret?

Et infertur committentem incestum homicidium voluntarium, raptum Virginis, sacrilegium cum Monialis fœdomiam, & similia peccata, quibus annexa est reservatio, assici reservatione, etiam si hæc ignoretur.

Et quid de reservatione absolutionis eorum, qui malè præmoventur ad Ordines, & similia? Ex par. 7. tract. 4. Res. 14.

Sup. hoc in tr. 1.

§.1. AD hoc dubium sic respondet Mazuchellus *tract. de cas. reser. disp. 2. q. 2. difficult. 5. n. 16.* ubi 33. & sic ait: Advertendum duplicis generis esse posse reservationem. Altera est quæ simpliciter fit, & ad bonam Ecclesiæ gubernationem refertur, ut videlicet graviora quædam,

cer legi alias li eius ord ex Re

quædam, & atrociora delicta, si fieri possit, per reservationem corrigantur, ut opportuniora remedia illis adhibeantur: quòd à quocumque Confessario fieri non potest, sed tantùm à pertioribus, ut habet Sotus *in 4. dist.* 28. *qu.* 2. *art.* 5. *ver. secundum argument.* Vel demum ut ob difficultatem veniæ impetrandæ nefarij, ac scelesti homines reddantur minùs proclives ad committenda peccata: ab hujusmodi sceleribus arceantur, & à recidivis præserventur; hæ enim sunt rationes, ob quas fuerunt inductæ reservationes in Ecclesia.

2. Altera est, quæ in lege præcipitur, à superiore imponitur, ad inducendam observationem alicujus legis.

3. Respondeo ergo primò, si reservatio sit primi generis, eam incurri, etiamsi delinquens ignoret tale peccatum esse reservatum. Et ratio est, quia talis reservatio propriè non est pœna pœnitentis, sed est ablatio jurisdictionis: ad hanc autem tollendam non opus est, ut pœnitens sciat reservationem, nihilque interest, quòd illam ignoret, nec-ne: & sicut, si quis bona fide confiteretur simplici Sacerdoti, ignorantia illa nihil prodesset ad validitatem confessionis, neque efficeret ut absolutio esset valida; ita neque ignorantia reservationis prodesse potest ad absolutionem, cùm ipsa reservatio nihil aliud sit, quàm ablatio jurisdictionis. Ita Vgol. *tr. de officio, & potest. Episcopi, cap.* 39. *n.* 1. *vers.* 3. Homobon. *n.* 14. Sanchez *lib.* 9. *de matr. disp.* 32. *n.* 18.

4. Vnde inferas, committentem incestum, homicidium voluntarium, raptum virginis, sacrilegium cum Moniali, sodomiam, & similia peccata, quibus adnexa est reservatio affici reservatione, etiamsi hæc ignoretur. Et ratio est allata, quia hujus generis reservationes, quæ absolutè & simpliciter fiunt, & ad bonam Ecclesiæ gubernationem referuntur, nihil aliud sunt, quàm ablatio jurisdictionis: ut ignorantia non prosit.

5. Respon. secundò, si reservatio sit secundi generis ignorantiam excusare ab illa incurrenda. Hujus generis est reservatio qua Sixtus V. sibi reservavit absolutionem eorum, qui malè promoventur ad Ordines. Vnde si quis ignoraret hanc Constit. sustinerem cum Sanch. *loc. cit.* hunc esse immunem à reservat. etsi is, qui malè promoveretur ad Ord. sciret se peccare. Ratio est, quia reservatio hæc propriè est pœna statuta in odium delinquentis, ut proinde ab ea incurrenda excuset ignorantia.

6. Sic Greg. XIII. tulit excommunicationem in eos, qui aliquid dederint, promiserint, acceperint, aut acceptaverint promissionem pro justitia, aut gratia à sede Apost. obtinenda, ut patet ex Extravag. edita an. 1574. & addidit, ut nullus possit absolui ante realem restit. eorum, quæ pro tali gratia fuerint accepta. Molina tamen, *to.* 1. *de Iust. tr.* 2. *disp.* 92. *col.* 541. *vers. pœna*, putat ignarum talis Constit. immunem ab hac reservatione, quòd credat reservationem hanc esse pœnam statutam in odium delinquentis. Ratio est, quia hujus generis reservatio pœna est imposita contra transgressores constitutionis, aut legis; ergo ea sequetur naturam principalis, id est, legis; cùm autem ignorantia legis excuset à transgressione, excusabit etiam à pœna. Hucusque Mazuchellus.

In indice primo hujus tom. 5. lege Apendicem ad hunc tract. 7. ubi reperies aliàs multas quæst. mistas, & dispersas per alios tom. tract. & Res. quæ simul pertinent ad hunc tract. 7. de Simonia, &c.

TRACTATVS OCTAVVS,

DE HÆRESI, ET EIVS ABSOLVTIONE,

Atque de aliquibus aliis Delictis pertinentibus ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis.

RESOLVTIO PRIMA.

An dubius in fide sit Hæreticus? Ex p. 2. tract. 16. & Misc. 2. Res. 51. aliàs 53.

§. 1. AFFIRMATIVE respondent sexdecim Doctores, apud Sanchez *ubi infra*, quibus ego addo Villalobos *in summ. tom.* 2. *tract.* 1. *dub.* 10. *num.* 3. Sylvium *in* 2. 2. *D. Thom. quæst.* 11. *art.* 1. Fabrum *de sacram. Ordinis, distinctione* 25. *quæstione quinta, disputatione tertia, capite quarto, numero* 112. Homobon. *de exam. Eccles. part.* 2. *tractatu* 12. *capite quarto, quæst.* 16. Molfes. *in summ. tomo primo, tractatu octavo, articulo octavo, numero* 44. Lorca *in* 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 3. *disp.* 42. *num.* 5. & Coninch. *de actib. supernat. disp.* 18. *dub.* 7. *num.* 102.

2. Sed contrariam sententiam non minus probabilem esse existimo, quam tuetur Cano *de locis libro* 12. *capite nono*, & Emanuel Sà *verb. Hæresis, numero primo*, quos citat, & sequitur Sanchez, *in summa, tomo primo, libro secundo, capite septimo, numero duodecimo*, quibus ego addo Tanner. *in secunda secundæ, disputatione prima, quæstione octava, dubitatione sexta, numero* 109. Portel. *in addit. ad dubia regularia, ver. Hæresis, numero quarto*, & Putean. *in secunda secundæ, D. Thom. quæstione* 11. *art.* 2. *dubitatione secunda.* Et ratio est, quia de ratione hæresis est electio erroris contra fidem, sed dubitans nondum aliquid eligit, sed manet in dubio, & in ancipiti. Ergo non est hæreticus. Deinde, hæresis est error fidei contrarius, seu assensus contra fidem, at dubitans nullum fert assensum pro, nec contra, hoc est enim dubitare, id est, neque assentire, neque dissentire. Ergo si nullum habet assensum, nullum error-

forem habet contra fidem, nec proinde hæreticus est.

3. Ad authoritatem verò Stephani Papæ *in c. 1. de hæret.* ubi asserit dubium in fide esse infidelem. Respondetur, hoc esse verum privativè, quia scilicet privatur certitudine assensus necessaria ad habitum fidei retinendum: non autem esse verum contrariè, quasi habeat actum fidei contrarium, cum revera non habeat. Secundò respondetur, quòd dubius in fide dicitur infidelis, quoad forum externum. Et tandem dico dubium in fide esse infidelem, ex mente dicti Pontificis, quotiescumque hæret, & præterea reflectit se supra suam cogitationem dubiam, & elicit judicium erroneum circa res fidei, ita ut de facto putet illas esse tantùm probabiles. Hic ergo, qui hac ratione dubitat, est vere infidelis. Opinio igitur nostra est satis probabilis, & tuta in praxi, unde Portel *ubi supra*, asserit ex consilio etiam cujusdam insignis Theologi, excusasse quemdam, qui dubitabat, an Christus Dominus verè esset in Eucharistia, quia intellectus talis dubitantis dubius, & pendulus fuit, & nullum judicium formavit. Hæc doctrina est valde notanda à Confessariis.

RESOL. II.

An qui asserit de rebus Fidei se dubitasse, puniendus sit tanquam Hæreticus? Ex part. 11. tract. 8. & Misc. 8. Res. 47.

Sup. hoc lege doctr. præcedentis Res.

§. 1. Affirmativè respondet Sanchez *in summa tom. 1. lib. 6. cap. 8. num. 13.* Sic enim asserit Sexto deducitur, hæreticum eò quod res fidei esse dubias credat fore externum, si dicat de rebus fidei se dubitare, quamvis non dicat esse dubias. Quamvis enim solum dubium absque eo judicio non constituat hominem hæreticum (ut diximus *cap. præcedenti num. 12.*) & hîc solam suam dubitationem explicet. At cum moraliter (ut eo *num. 12.* fine diximus) cum ea dubitatione sit conjunctum id judicium reddens hominem hæreticum, ea verba vehementem hæresis præsumptionem inducunt: ac sufficientem, ut Ecclesia possit id judicium præsumere, ac procedere contra illum, ac hæreticum. Ita Sanchez.

2. Sed circa hanc Sanchezij opinionem valdè dubitat, nec admittit Dicastillus *de Sacrament. tom. 2. tract. 8. disputat. 10. dubitat. 5. numero 57.* Quamvis enim multi dicant dubitantem de rebus fidei esse hæreticum, si cum pertinacia dubitet, ac proinde omnibus hæreticorum pœnis obnoxium, ut videre est apud eundem Sanchez *citat. capit. 7. numero 11.* ubi quam plurimos refert; alij tamen negant illum esse verè hæreticum; ac proinde non subjacere pœnis hæreticorum, dubitare enim propriè est non habere assensum in alterutram partem: Hæresis autem est error fidei contrarius, ut ipse Sanchez ibidem docet *numero 1.* item fides, & hæresis sunt duo extrema, sicuti assensus, & dissensus circa eandem rem fidei, dubium verò est quasi medium inter utrumque; nec obstat, quod *cap. 1. de hæreticis*, qui dubius est in fide, dicatur infidelis, nam ut respondet Canus *lib. 12. de locis Theologicis. capit. 9.* dicitur infidelis non contrariè, sed privativè, quia caret assensu fidei, & etiam dici potest talis, quoad præsumptionem, sed non re vera: præsumit enim jus cum tali dubio conjungi vitium contrarium. Nec etiam obstat quod ille, qui dubitat, eo ipso perdat fidem ut potè carens assensu certo, in quo fidei substantia consistit; nam ut rectè etiam respondet Canus, fides non solùm amittitur per hæresim, sed per dubium quod inter hæresim, & fidem est medium; sicut color albus non solum per nigrum expellitur; sed etiam per colores medios. Ne tandem obstat quod error in fide cum pertinacia in baptizato sit hæresis: hic autem erat in fide, ut potè habens, quæ sunt certa pro incertis, eo ipso quod dubitat; hoc (inquam) etiam non obstat, quia ille revera (ut dicemus) non habet judicium erroneum, sed est merè pendulus. Ita Præter Canum, sentit Sà *in summ. verbo hæresis num. 1.* & idem Sanchez *cit. num. 12. cap. allo 7.* sed de his alibi.

3. Ex quo fundamento constat probabile esse, quod quamvis revera habeat interius judicium contrarium: quo ille hæreticus judicet res fidei esse dubias adhuc si tantùm dicat, se dubitare de rebus fidei, non sit externus hæreticus; illa enim verba solum significant animum pendulum non verò animum habentem judicium contra fidem. Quod autem Ecclesia possit præsumere contra illum, non eo ipso censetur ille sufficienter hæreticus externus, nec video cur debeat puniri pœnis quibus puniuntur veri hæretici. Vnde contra delinquentes, quorum delictum solum manet in præsumptione, non solet in foro exteriori tam acris ferri sententia, sicut contra delinquentes plenè convictos, aut confessos. Vetba autem ipsa etiamsi præbeant occasionem suspicandi illum habere animum hæreticum nullo tamen modo hæreticum animum significant; neque id, quod non possit esse sine hæretico animo, neque enim necesse est, ut eo ipso, quod quis dubitat de aliqua re sibi credenda proposita, quasi reflectatur supra suum actum dubitandi, cùm possit id non facere; sive quia non cogitat de tali actu eliciendo; sive, quia cùm subiit cogitatio illius, divertit ad alia objecta. Itaque solum, quod ita moraliter sæpius contingit non videtur sufficere ad illam plenam significationem internæ hæresis quam verba illa non significant. Et hæc omnia docet Dicastill. *ubi supra*, unde in facti contingentia à Dominis inquisitoribus, & eorum Consultoribus, attentè, & maturè causam talis perpendendam esse puto.

RESOL. III.

An qui dixit hæresim externam, sed postea dubitavit, an dum illam protulit, ita mente senserit, vel illam affirmavit causa joci, quæritur, an talis hæresis sit reservata?

Et an, si propter dubium illud inferior absolvit ab hæresi, v. g. vel ab alio peccato reservato, & postea pœnitens re melius examinata, deponat dubium, & recordetur certò peccati commissi, quod erat reservatum, censeatur jam legitimè absolutus, an vero debeat recurrere ad Superiorem pro absolutione?

Et an Hæreticus externus sit ille, qui in somnis, aut ebrietate pronunciavit hæresim externam?

Et alius curiosus casus proponitur circa hæresim in principio §. penult. hujus Resolutionis. Ex p. 11. tr. 7. & Misc. 7. Res. 19.

Sup. eumdem in hoc. §. lege in tr. 1. tr. 3. res. 42. per tot. §. Verùm de alio ejus prima not. & ibi etiam cunctis.

§. 1. Affirmat Sanchez *in summa tom. 1. libro 1. capit. 10. numero 74.* quia quando est præsumptio fori externi pro veritate peccati admissi, illud peccatum esse reservatum, quia dum constat de veritate, forum internum sequitur præsumptionem fori externi. Ergo in casu proposito præsumptio est pro hæresi, proinde illam hæresim externam esse reservatam, quia cùm verba sint naturaliter signa internæ conceptionis, & intentionis nisi constet de opposito, non præsumitur proferentem aliud sensisse interius, & aliud seu alio modo exterius loquutum fuisse, ut colligitur ex *l. labeo verb. ad tubero ff. de suppell. leg.* & confirmant quia in foro externo talis homo censeretur hæreticus, ergo idem est dicendum in foro interno.

2. Verùm contrariam sententiam docet Eminentissimus

tissimus Lugo *de sacr. pœnit. disp. 30. sect. 2. numero 18.* ubi absolutè & absque distinctione ex pluribus Doctoribus me etiam citato firmat, * in dubio non censeri casum reservatum, nec admittit argumentum Sanch. desumptum à foro externo in quo reputaretur, & puniretur ut hæreticus propter præsumptionem fundatam in verbis: est enim clara differentia: nam in foro externo verba externa probant hæresim internam: & hæc probatio non infirmatur sufficienter, cùm nihil afferatur quòd in foro externo probet contrarium: atque ideo reputaretur hæreticus simpliciter & absolutè. At vero in foro interno contra præsumptionem fundatam verbis affertur aliquid ejus vim infirmans, nempè conscientia, & testimonium pœnitentis, dicentis se dubitare de consensu interno: quod quidem licet in foro externo non crederetur; creditur tamen in foro conscientiæ, in quo stari debet dicto pœnitentis: quare creditur, quod verè dubitaret de consensu ad hæresim requisito. Et hanc sententiam Cardinalis Lugo sequitur etiam novissimè Pater Bardi *in selectis libr. 6. quæstione 4. numero 9.*

* Sup. hoc dubio in to. tr. 5. Resol. 2. à principio, & Resol. 4. per totum, & si. quanter pauci. Post initium, & vers. constat & in Resol. 39. Nova edit. à principio, & in Resol. 41. in principio, & hic supra in tract. 2. Resol. 5. sub. sult. ad medium, vers. unde.

3. Sed ponamus subdit Cardinalis Lugo *num. 20.* si propter dubium illud inferior absoluit ab hæresi v. g. vel alio peccato reservato & postea pœnitens re melius examinata deponat dubium, & recordetur certò peccati commissi; quod erat reservatum, an censeatur jam legitimè absolutus, an vero debeat recurrere ad superiorem pro absolutione? Videtur dicendum ablatam esse jam reservationem, si juxta id quod diximus supra *disputat. 16. sect. 2.* probabile esset quòd qui confessus est peccatum dubium, licet postea recordetur fuisse certum, non teneatur illud iterum ut certum confiteri, quia jam fuit ab illo directè absolutus sub conditione si fuerat commissum: similiter enim in casu præsenti remanet directè absolutus, quia ille, qui in dubio absoluit ab hæresi peccato ad hoc maximè absoluit ut si verè fuit peccatum, remittatur, ergo si postea constat fuisse verè peccatum: constat etiam fuisse absolutum directè; ergo non remanet obligatio illud iterum superiori confitendi. Hæc Lugo.

Sup. hoc eũ eodem Lugo n. num. 1. n. 5. ex doctrina Resol. 40. & Ad secundum, & in aliis ejus num.

4. Verùm ego alibi non ausus sum discedere à communi sententia asserente peccata dubia certò postea cognita debere iterum clavibus Ecclesiæ in confessione subjici.

Alibi in Resol. 40. num. præcitat. & in Resolut. 2. citati 5.

5. Sed pro curiosis non deseram hìc apponere alios duos casus quos affert Bardi *loco citato quæst. 7. num. 4.* ubi sic; ait. Colligo quòd si aliquis hæreticus internus disceredat plura mysteria fidei, v. g. Trinitatem divinarum personarum, Eucharistiam, incarnationem, &c. & volens deliberata intentione proferre exterius unum ex prædictis erroribus, &c. Deum non esse incarnatum, & tamen casu præter suam intentionem proferat, corpus Christi post consecrationem non esse in Eucharistia) colligo inquam ex principiis supra positis talem ita loquentem non esse hæreticum externum, ita ut incidat in excommunicationem; & per consequens prolationem illam externam non esse casum reservatum: ratio est, quia licet ille voluerit deliberata voluntate externè manifestare suum errorem, tamen illa manifestatio prout est manifestatio erroris interni circa Eucharistiam, non est libera, & cùm neque fuerit manifestatio alterius erroris, sequitur non esse reservatam & quamvis casum hunc apud neminem viderim excogitatum, tamen censeo evidenter inferri posse ex principiis supra positis: similis huic est ille de quo loquitur Sanchez *libr. 2. Decal. capite octavo, numero 25.* dum ait hæreticum externum non esse eum, qui in somnis aut ebrietate pronunciavit hæresim internam; & ratio quam adducit, est, quia tunc hæresis externa excommunicationi subjicitur, quando procedit ab interna, quod debet intelligi liberè, & modo humano: at hæresis in somnis pronunciata, quamvis aliquomodo procedat ab interna, nihilominus non procedit ab illa modo humano. Sic ego dicam, licet manifestatio illius erroris quo quis credit Christum non esse in Sacramento Eucharistiæ procedat ab errore interno, tamen non procedit ab illo liberè, & modo humano, ideoque non erit casus reservatus.

Quod hoc tetra Resol. 5. n. 12. ge doctrin. ne vers. Secundus ca. & vide ibi alium ejus nor.

6. Et hæc omnia dicta esse volo secundùm mentem docti, & amicissimi viri. Et quidem communiter asserunt Doctores, Titium v. g. volentem percutere Caium Clericum si casu, vel per ignorantiam percutiat Sempronium Clericum, hoc non obstante incurrere in excommunicationem.

Sup. hoc magis late sit. perius in tr. 2. Resol. 35. & in aliis vers. primæ not.

RESOL. IV.

An Hæreticus externus per accidens occultissimus incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ? Ex part. 6. tractat. 6. & Misc. 1. Resolut. 51. Sed hic tantum primum dubium hujus Resolut. transcribitur.

§. 1. QVoad primum: Negativam sententiam probabilem esse docet Crousers *in Regulam S. Francisci, cap. 7. lect. 4. fol. 518.* ubi sic asserit Hactenus dictum est Hæreticum externum esse excommunicatum.* An verò omnis externus, etiam occultissimus, sit excommunicatus; cujus scilicet hæresis externa nullo modo probari potest, in foro externo dubitari posset. Sanchez confundens hæc duo externum & manifestum, accipit pro eodem externum & manifestum: vúltque omne externum censeri manifestum, saltem per se, & suapte natura: sicut è contrario confundens internum & occultum, vult sola interna esse occulta. Verùm non videtur mihi in tanta amplitudine accipi debere manifestum; aut sub tanta restrictione occultum; quod hæc acceptio sit contra communem usum. Cùm enim dicitur, quod Ecclesia non judicat de occultis, & quòd propterea electio criminosi omnino occulti sit valida, non est sermo de peccatis mentalibus. Vnde etiam probabile censerem, hæreticum externum, qui saltem denuntiari non potest, non esse excommunicatum; neque in re morali de occulto censendum metaphysicè, sed moraliter. Ita Crousers.

* Sup. hoc in Resol. seqq. §. 1. ad medium. vers. Quattus licet & infrà lege doctrinam Resol. 7. & sup. in tract. 1. Resol. 15.

2. Sed hanc sententiam refellendam esse puto: & ideo illam rejicit Fagundez *de Præcept. Eccles. tom. 1. lib. 1. cap. 11. num. 7. & seq.* Hurtadus de Mendoza *de fide, vol. 1. disput. 83. sect. 4. §. 36.* Suarez *disp. 21. sect. 2. num. 6.* Azorius *tom. 1. lib. 2. cap. 8. num. 6.* & alij communiter. Et ratio est, quia Ecclesia habet jurisdictionem ad puniendos suos ob crimina occulta pœnis, quibus possint frænari ab eis admittendis; sed id hæc in parte eam fecisse constat, quia excommunicatio lata est in omnes hæreticos, excepto nullo, qui sit in jurisdictione fori externi; ergo, &c. Major probatur; quia illa delicta sunt verè sensibilia, & externa; contingereque potuit, ut aliquis adesset. Secundò quia aliàs nec occultus percussor Clerici ignotus ipsi Clerico, vel etiam notus, excommunicatione teneretur: immò & occultus homicida non esset irregularis; aliáque id genus sequuntur absurda.

3. Dices primò hæresim mentalem esse tam per accidens occultam, quàm externam, & tamen quia est occulta, non meretur excommunicationem: ergo nec occulta per accidens. Probo majorem: quia hæresis mentalis est per se cognoscibilis à judice, quia per se potest hæreticus eam asserere: & potuit adesse testis hæresis externæ. Nego majorem. Ad probationem respondeo, hæresim mentalem per se nec posse percipi

à judice: nec hæreticus potest eam per se ostendere, sed per signum exterius, quod per se est objectum sensus, ex cujus sensione mens percipit hæresim: à nullo autem signum esse perceptum, est, non ob defectum signi, sed audientium: mentalem verè hæresim non percipi, non est ob testium absentiam, sed ex defectu ipsius hæresis, quæ non est objectum sensus, ecce ergo discrimen apertum.

4. Dices secundò hæresim occultam esse physicè cognoscibilem, non tamen civiliter & more forensi: in foro enim, quæ testibus carent, perinde sunt, ac si non essent externa. Quid enim interest eorum exterioritas, nisi possint in judicio aut probari, aut saltem judicari? Respondeo, eo argumento probari non posse in foro pœnam nullam infligi ob testium defectum: omnis enim judex pœnam infligit in judicio per sententiam, quæ ferri debet secundùm allegata & probata. At verò excommunicatio lata à jure vel homine ob delictum futurum, non servat omnes leges fori, nec est more judiciario: sed præcavet jus, ne peccata patrentur. At propterea mitiùs agitur cum hæretico occulto, quàm cum manifesto. Medicina autem illa æquè curat utrumque. Non est igitur sententia affirmativa, ut voluit Crousers probabilis: immò falsa, & nullo modo in praxi secura.

5. Dicendum est igitur, quòd Ecclesia per leges imponit censuras, & alias pœnas ipso facto pro omni peccato hæresis sub sua jurisdictione comprehenso: siquidem loquitur in talibus legibus generaliter & sine ulla limitatione: atqui omne peccatum hæresis externum etiam per accidens occultum est sub jurisdictione Ecclesiæ: ergo omne etiam per accidens occultum punitur ab Ecclesia. Quod autem Ecclesia possit punire hæresim externam quantumcumque occultissimam probatur: quia hæresis, eo ipso quòd externa, & sensibilis est, cadit sub jurisdictionem Ecclesiæ, neque enim jurisdictio, sive potestas puniendi pendet à cognitione, quamvis aliquando pendeat effectus, sive actus puniendi: ergo benè poterit Ecclesia punire talem hæresim externam per sententiam generalem, & per legem, quia hic modus puniendi non requirit cognitionem publicam actualem in judice, vel legislatore, sed satis est, quòd sit notum ipsi hæretico, quòd pœna inflicta hoc modo infligitur quasi sub conditione, si hoc feceris, ac proinde nullum periculum est, quòd possit injustè infligi, si aliundè justa sit ex defectu cognitionis: quod periculum unica ratio est, cur cognitio ad sententiam particularem requiratur, cùm hoc non inferat pœnam quasi sub conditione, sed absolutè, ut mos est: Ergo, &c.

RESOL. V.

An in aliquo casu quis non incidat in excommunicationem, etiam si proferat exterius hæresim externam?

Et an hæreticus, purè mentalis incurrat in excommunicationem?

Et an hæreticus purè externus, qui mente non negat fidem, non incurrat in censuram, ita ut possit à quolibet Confessario absolvi in foro conscientiæ? Ex p. 4. tract. 4. & Misc. Res. 240.

§. 1. AD hanc quæstionem ita respondet Iacobus Granado *in* 2. 2. *D. Thomæ contr.* 1. *tract.* 15. *disp.* 13. *num* 14. Dubitari solet, an contingere possit, ut quis exterius proferat hæresim internam, quin subjaceat censuris Ecclesiæ, præsertim excommunicationi? Respondetur affirmanter. Et quidem primus casus est, quando illam manifestaret solùm ad petendum consilium, vel ad illam aperiendam Confessario. Ita Aragon §. *sed dubium est.* Similiter, qui illam scitebaret inter sua peccata, ut manifestaret Confessario: etenim totum hoc non est formaliter se manifestare hæreticum, sed quærere medicinam criminis omnino mentalis. Secundus casus est, quando quis omnino indeliberatè; & absque ulla advertentia exterius diceret hæresim; hic enim actus non est humanus, ac proinde nulla illius ratio habenda est ad incurrendam doctrinam, non reservari, aut subjici excommunicationi peccatum, nisi quod secundùm quantitatem operis externi, & non sola relatione ad consensum internum, certò constet esse mortale, dicítque esse multorum recentiorum. Addunt etiam alij, & benè, non incurrere pœnas hæreticorum illum, qui exteriùs manifestaret hæresim cum deliberatione, quæ tantùm sufficeret ad peccatum veniale. Tertius, si quis iocosè tantùm, & non assertivè eam proferret, & alioqui esset homo, de quo hæresis præsumi non posset. Ita Victoria, quem refert, & videtur sequi Simancas *de Catholicis institutionibus tit.* 42. *num.* 10. Quartus, licèt alii contrà sentiant, videtur valdè probabile, non incurri pœnas ab hæretico mentali, qui efficeret aliquod signum externus, ex quo nullus alius, si esset præsens, posset probabiliter colligere, illum esse hæreticum, quamvis, qui illud profert, haberet animum exteriùs illam proferendi. Ita Henriq. *lib.* 6. *sum. c.* 14. *n.* 6. *litt. I.* Colligitur planè ex Castro 2. *de justa hæreticorum punitione, cap.* 18. ubi ait, solos illos hæreticos excommunicationi subiacere, qui hæresim mente conceptam manifestant, ut si qui esset tunc præsens, posset cognoscere, illum lapsum esse in talem hæresim; & Banez *suprà* ait, non incurri excommunicationem ab eo, qui exteriùs signum efficeret, quod secundum se, aut ex circumstantiis non esset sufficiens ad explicandum errorem. Probatur, quia propterea Ecclesia non punit hæresim penè mentalem, quia non potest ab illo cognosci, præter quam ab habente illam; sed idem est, quando signum ne probabiliter quidem potest alteri manifestare hæresim: ergo perinde reputandus est, ac si foret hæreticus mentalis. Vnde si quis hæreticus exteriùs moveret caput, quando nullus posset ullo modo colligere, id fieri ad profitendam hæresim, non incurreret pœnas; secùs verò, si ille dixisset, se uti illo signo ad hæresim suam profitendam, quia jam satis se declaravit. Denique alij dicunt, non incurri excommunicationem ab hæretico mentali, qui solum recitativè profert hæresim suam, dicendo; Ego habui in mente mea istum actum hæresis. Quod quidem probabile valdè videtur, si nullatenus inde colligi posset, adhuc eum in errore permanere, & juxta hoc intelligendum est quod tenet Azor. *lib.* 8. *cap.* 10. *quæst.* 6. & hæc omnia docet Granado *ubi suprà.*

2. Notandum est tamen hîc obiter primò contra Panormitanum, Ioannem Andream, Ananiam, Felinum, & cæteros Canonistas *in cap. nti. de hæres.* Adrianum *in* 4. *quæst.* 2. *de confessione.* §. *Alij probant.* Albertum Pighium *lib.* 6. *de Eccles. Hierar. cap.* 16. Albertinum *de agnoscen. asser. quæst.* 33. Rojas *de hæret. part.* 1. *num.* 246. Menochium *de arbitrariis cas.* 360. *num.* 6. Azevedum *in recopil. lib.* 8. *tit.* 3. *leg.* 1. *num.* 152. Spino *in speculo testam. glos.* 7. *principali num.* 3. *cum seq.* & alios, hæreticum purè mentalem non incurrere in excommunicationem, quia Ecclesia non habet jurisdictionem in actus, qui nullo modo possunt esse exteriùs cogniti, regimen enim illius est visibile; ergo debet versari circa objecta visibilia. Ita DD. communiter.

3. Nota secundò contra Cajetanum *in* 2. 2. *quæst.* 94. *art.* 1. hæreticum purè externum, qui mente non negat fidem, non incurrere in censuram; optimè, ut observat cum communi Mercerus *de Sacram. in* 3. *part. D. Thomæ q.* 66. *art.* 9. *num.* 4. Quare poterit à quolibet Confessario

sessario absolui in foro conscientiæ, ut rectè notat Granado *ubi suprà in 2.2.contrà,tract.15.disp.13.n.11.* licèt Ecclesia præsumat, illum esse hæreticum, & excommunicatum, nisi aliunde constiterit oppositum.

RESOL. VI.

An Hæreticus ignorans excommunicationem in illam incidat? Ex part.5.tract.13. & Misc.1.Resol.18.

§.1. VIdetur negativè respondendum ex Sanchez *in summa,tom.1.lib.2.capite 8.n.5.* ubi indicat hæreticum ignorantem censuram, in illam non incurrere; quod de omni excommunicatione ob quodvis delictum dixerat *tom.3.de matrim.lib.9.disput.32.num.13.* & hæc contra Suarez *in 3.part.tom.5.disp.4.sect.19. n.10.* Ego ipse alibi cum Sanchez *loco citato n.31.* putavi satis probabile esse, etiamsi delinquens ignoraret censuram ignorantia culpata,& vincibili, non autem crassa,neque supina.

2. Sed hæc doctrina non procedit in Regnis, ubi tanquam eorum fulcrum, & fundamentum sacrosanctum Nostrum Inquisitionis Hispanicæ Tribunal institutum est: & ideo Hurtadus de Mendoza *in 2.2. disp.89.sect.2.§.9.* sic asserit. Observa in Hispania moraliter esse impossibilem ignorantiam legis Ecclesiasticæ excommunicatis hæreticos,quia Quæsitorius Phatus totum Regnum illustrat, nec angulus non torretur ejus igne. Tota item Provincia est plena Quæsitorum ministris,quorum edicta de concione frequenter personant. Quapropter nullus potest ad absolutionem ignorantiam prætexere,nisi crassissimam. Inconsideratio actualis faciliùs contingeret,si hæreticus sit solus, potest enim raptus in contemptationem erroris, legum Ecclesiasticarum oblitus censere falli universam Ecclesiam,idque voce proferre; sæpe enim ardor studij mentem avocat ab aliarum rerum consideratione, nec sinit præverti ratione actus externos. Hac in re arbitror apud nostrates id esse moraliter impossibile,est enim tanta mutatio de Catholico in hæreticum, ut non crediderim eam fieri, quin rectè expendantur quæsitoriæ leges. Si verò testis adsit,magis impossibilis est moraliter ea hæresis externa cum inconsideratione, tantus enim est metus,ne ad Quæsitores deferatur ejus nomen, ut sit attentissimus actionibus externis; prudentiores enim nos reddit metus injectus, quàm oblivioſos studium. Idem dixerim de Provinciis, in quibus more Hispanensi Quæsitores vigent,nisi fortè apud barbaros Indos,& parum cultos nonnullos ejusmodi invenies distantes à ministris Quæsitoriis. quod item est impossibile, propter diligentiam Magistrorum. Quapropter existimo apud nos non posse probabiliter aliquem excusari à censura, nec reservatione. Hæc omnia Hurtadus,cui ego libenter adhæreo.

RESOL. VII.

An sit hæreticus externus, qui simulat se dormire,& profert aliquam hæresim, quam verè tenet, si audientes sibi persuadeant,verè eum dormire? Ex p.5. tract 13. & Misc.1. Resol.17.

§.1. CAsus est curiosus. Vnde in tui gratiam visum est mihi, amice Lector, ea, quæ circa ipsum Philosophatur Hurtadus de Mendoza,hic apponere,is enim qui semper de thesauro suo nova profert, sic ait *in 2.2.disp.83.sect.3.§.29.* Demus hominem non dormire, sed simulare somnum,ita ut omnes sibi persuadeant eum dormire, & cùm hac simulatione loquatur hæresim, quam tunc verè conceptam habet; pono fictionem illam somni esse occultam per se, & purè mentalem, non explicatam signo ullo eam indicante probabiliter. Rogas utrùm hic sit hæreticus externus? Quæstionem hanc numquam audivi, videtur autem dirimi posse ex principiis adductis in partem negatem, quia tunc nullus absque peccato temeritatis potest loquentis mentem hæreticam interpretari, persuasi enim illum dormire, non habent fundamentum ad eum damnandum hæresis, quod confirmo primò. Si quis simulet amentiam tam aptè, ut eam omnibus persuadeat, si verè sit hæreticus,& hæresim æquatur,à nullo censeri potest hæreticus, ut à nullo censetur injuriosus, aut blasphemus, aut latro, tametsi multa efficiat, quæ in homine sano essent evidenti argumento illorum vitiorum. Secundò confirmatur. Si comœdus sit hæreticus purè mentalis, agens autem fabulam suscipiat personam, hæretici,hæresésque proferat, illas quidem sentiens animo hæretico, hic non est hæreticus externus in hoc sensu, quamvis committat peccatum externum contra fidei confessionem; licèt enim ab ipsis Quæsitoribus & Papa audiatur, nullam parit hæresis suspicionem,quia ex circumstantiis comœdiæ, debent illa verba adscribi, non hæresi, sed tragico muneri,est ergo illa hæresis purè mentalis, quod attinet ad ejus conjecturam faciendam ex eo signo, ex quo non potest fieri magis,quàm si non esset,quo differt ab hæretico externo, qui est occultus per accidens, qui si non cognoscitur ab aliis, est ex defectu audientium, non ex defectu sui. At comœdus si non cognoscitur esse hæreticus, non ex defectu audientium, auditur enim ab ipso Papa, sed ex defectu sui, quia loquitur in circumstantiis, in quibus non manifestatur hæresis ejus, sed illius, cujus suscepit personam. Ratio est,quia ut signa imperfecta solent ex circumstantiis perfectè significare hæresim, & animum occultum,sic perfecta signa possunt ob circumstantias illam occulere. A posteriori autem est argumentum quòd nullus,quamvis ardenti studio fidei flagret, hæresim suspicatur in loquente, quem dormire credit, sed verba accipit cum risu, ut in amente, atque comœdo in theatro. Est ergo opus ut ex signo possimus prudenter credere rem significatam: si autem non per accidens, sed per se non possimus mentem loquentis hæreticam interpretari, hæresis est per se occulta & interna. Si verò humanitus posset quis prudenter credere illos homines nec dormire, nec esse in amentia, sed eam simulari,tunc absque controversia essent hæretici externi, quia tunc hæresis esset occulta per accidens, & non per se; in foro autem conscientiæ illæ actiones sunt peccata externa, & explicanda in confessione. Ita Hurtad. qui tamen, his non obstantibus, non audet absolutè asserere hos non esse hæreticos externos, quia hæretici sunt, qui exprimunt verbis suam hæresim, quam occultant per accidens, & non per se. Vnde Villalobos *in summa tom.21. tract.1. diffic.11. num.4.* sic ait: [Basta que la heregia se manifieste exteriormente por palabra, obra, y señal,aunque sea occulta,porque en tal caso la heregia verdaderamente es exterior, aunque accidentalmente es occulta.]Et ut verum fatear hos esse hæreticos,videtur apparere, quia eorum locutio licèt in somno simulato conjungitur hæresi, & manifestatur, quod non accidit in vero dormiente.

RESOL. VIII.

An in hæresi detur paruitas materiæ? Ex p. 5. tract.5. Resol.28.

§.1. AFfirmativam sententiam videtur docere Sayrus *in Clavi Regia,lib.12.cap.2. num.19.* ubi sic

Addunt, & in to.4 tr.6. ex doctrina Ref.21 §.Dicendum, per totum.

sic ait: In materia fidei potest esse peccatum veniale, potest enim esse tam levissimum verbum, ut esset hæresis tantùm venialis. Ita ille.

2. Sed contrariam sententiam sustinendam esse puto, quam tuetur Castrus Palaus *tom.1. tract.2. disp.2. punct.7.n.2.* Mercolla *tom.1.disp.2. cap.4. dub.7. n.112.* Alphonsus de Leone *ubi infrà.* Baldellus *tom. lib.3. disp.14. n.12.* Sanchez *in summa tom.1.lib.1.cap.4.n.1.* Molfesius *in summa, tom.1. tract.8. cap.8. n.66.* & alij asserentes, quòd in aliquibus peccatis in quacumque materia minima reperitur integra ratio malitiæ sufficiens ad mortale, ut est peccatum infidelitatis, odium Dei, contemptus ipsius, &c. & ideo Baldellus *in disp. Theol. tom.1. lib.3. disp.14. num.13.* sic ait: Quin ratio objecti per se prima in actu infidelitatis est ut fides negetur ipsi Deo aliquid revelanti, & ex hac sola præcisè considerata fundatur opositio gravis ad virtutem fidei, & malitia gravis non dicitur, quod in actu infidelitatis possit dari materiæ paruitas, & culpæ levitas, sed omnis materia in ordine ad illam sit notabilis, & omnis culpa sit gravis, etiamsi alioquì in se ipsa sit res minima.

3. Nota tamen quòd Alphonsus de Leone *de officio Confessor. par.1. recoll.7. num.45.* non negat esse verum exemplum positum à Sayro de levissimo verbo sapiente hæresim, nam ipse concedit esse posse peccatum veniale.

RESOL. IX.

An in Sortilegiis, & Magia detur paruitas materiæ?

Et an possit fieri, ut aliqui actus magici excusentur à peccato mortali ratione ignorantiæ? Ex p.5. tract.5. Res.29.

§.1. Respondeo negativè cum Lessio *lib.2. cap.44. dub.4.n.26.* ubi sic ait: Peccatum magiæ ex genere suo est mortale, quia continet tacitam, vel expressam dæmonis invocationem, ac proinde societatem & benevolentiam erga illum; fieri tamen potest ut aliqui actus magici excusentur à peccato mortali, ratione ignorantiæ, ut si quis ignoret, vel non advertat tacitam illam invocationem, cùm hæc sit sæpè valdè occulta. Plerumque tamen ingeritur homini aliqua suspicio latentis mali, ratione cujus tenetur abstinere, donec plenius de re cognoverit, quod si non faciat, peccat saltem venialiter. Ratione levitatis materiæ præcisè non videtur unquam esse veniale, quia quòd in re parua, vel ludicra dæmon invocetur, per se non minus crimen est, quàm si id fieret in magna. Similiter tacita, vel remota invocatio, si plena consideratio adsit, est ejusdem rationis, ac expressa: sæpè tamen contingit, ut quando res est modica, non apprehendatur mali magnitudo, & sic potest esse veniale defectu animadversionis. Ita ille, cui adde Castrum Palaum *tom.1.tract.2.disp.2.punct.7.num.2.* Alphonsum de Leone *de offic. Confess. par.1. recol.7. n.42.* Valentiam *tom.3. disp.6. quæst.12. punct.4.* Delrium *in disqu. mag.lib.4.cap.2.q.4.* Sanchez *in sum.tom.1.lib.2.cap.38. n.18.* & alios.

RESOL. X.

An laicus doctus possit disputare cum hæretico?

Et explanatur, quid in cap. Inhibemus, *significent illa verba*, Inhibemus, ne cuique laicæ personæ, &c?

Et an Religiosi Laici, seu Conversi, Donati, & Sanctimoniales comprehendantur sub dictis verbis? Ex p.5. tr.13. & Misc.1.Res.22.

§.1. Negativè respondet Villalobos *in sum. tract.1. disput.7. §.4.* Suar. *de fide, disp.20. sect.1. n.11.* Azorius *tom.1. lib.8. c.26. q.1.* Sanchez *in sum. tom.1. lib.2.c.6.n.5.* & alij, & ex *c. inhibemus, de hæret. in 6.* ubi prohibetur expresse laicus sub excommunicatione disputare de fide Catholica, licèt laicus sit doctus, tamen adhuc obligatur, & includitur sub dicta prohibitione, quia cessante privativè in singulari fine legis, non cessat in singulari ejus vis.

2. His tamen non obstantibus ego puto contrariam sententiam esse probabilem, quam tuentur Caietanus & Bañez *in 2.2. q.10.art.7.* Ledesma *in summa, tom.1. tract.1.cap.5.concl.13.* & Hurtadus de Mendoza *in 2.2. disp.74.sect.3. §.24.* quia talis prohibitio facta est à lege, ne periculum creetur disputanti, aut audienti, & nullum alium finem, nec proximum, nec remotum, proposuit sibi ea lex. Sed cessante fine legis in particulari, cessat ejus obligatio, ut alibi satis probatum est: ergo, &c. Et ita hanc sententiam probabilem esse docent ipsi adversarij, ut Sanchez, & Villalobos *ubi suprà.*

3. Sed obiter hic explicandum est, quid in dicto cap. *inhibemus*, significent illa verba, *Inhibemus, ne cuique laicæ personæ*, &c. Sanchez *ubi supra, numero 6.* & Lorca *in 2.2. quæst.10. art.7.* putant sub illis verbis comprehendi omnes, qui nec Clerici sunt, nec Religiosi. Hurtadus autem docet significari omnes, qui carent tonsura & habitu clericali, etiam Religiosos, & præsertim qui in Religione vocantur Laici, seu Conversi, Donati, &c. Sed quid dicendum de Sanctimonialibus, comprehendantúrne sub dictis verbis? Negat Lorca illas hoc canone præstringi, sed mordicus affirmat Hurtadus.

RESOL. XI.

An si quis dicat Polta Di Di, Renego Di Di, Al dispetto Di Di, *omissa littera O, sit censendus blasphemus hæreticalis?*

Et an jurans per membra honesta Christi non sit blasphemus, & secus si per inhonesta?

Et an qui eodem impetu & actu plures blasphemias contra unum Sanctum profert committat tot peccata, quot sunt blasphemia?

Et quid, si blasphemiæ diversi generis sint, & non sint unæ, & eadem sæpius repetita? Ex p.6. tr.8. & Misc.3. Res.38.

§.1. Affirmativam sententiam docet Auctor Casuum Conscientiæ Bononiæ discussorum anno 1634. mense Martio *decis.3.* ubi sic habetur. Sempronius, ex ira solet impiè dicere *Putana de Dio*, sed paulò post subdit *Bacco*, vel *Al dispetto de Di*, omissa littera *O*, quæritur an sit blasphemus hæreticalis? Respondetur Sempronium si cum advertentia sufficienti verba protulit, fuisse blasphemum hæreticalem, in primo enim dicto tribuit Deo per contumeliam aliquid ei omnino repugnans, & in secundo abstulit quod Deus habet. Quamvis enim in primo dicto addiderit paulò post verbum *Bacco* (si tamen ad fugiendam blasphemiam non erat solitus illud addere) & in secundo omiserit litteram *O*. In utroque tamen casus est completa blasphemia hæreticalis, cum sit completus verborum sensus blasphemiam continentium. Ita ille, qui citat Lazarium, & Bonacinam.

2. Sed contrariam sententiam docet novissimè Riciullus *tract. de Personis quæ in statu reprobo versantur, lib.1.*

lib.1. cap.4. num.18. quia talia verba non sunt perfecta. Nec valet dicere quod affectus cum principio facti æquiparatur facto, ex *l. Si quis servo alieno, ff. de furt.* At proferens dicta verba satis ostendit affectum, & principium facti blasphemandi. Ergo. Nam respondeo in hoc argumento assumi illud de quo est quæstio; non enim est verum quod constet de affectu, cum ille colligi nequeat, nisi ex sermone, qui cum in verbis prædictis non sit perfectus, incivile est illa judicare, ex *l. incivile, ff. de legibus.* Et huic sententiæ Ricciulli ego adhæreo.

3. Non assentior tamen eidem Ricciullo asserenti *in cap.11. num.7.* qui eodem impetu, & actu plures blasphemias contra unum Sanctum profert, committere tot peccata quot sunt blasphemiæ, non inquam assentior huic opinioni: sed contrariæ, quia moraliter censetur unus numero actus, & omnes blasphemiæ sunt partes unius continuati sermonis, & ita si quis alterum semel & iterum pugno percuteret absque temporis intervallo unum numero tantùm peccatum patraret. Et hoc intelligendum est etiamsi blasphemiæ diversi generis sint, & non sint una & eadem sæpiùs repetita; nam etiamsi diversi generis sint, tamen ratione temporis & unius impetus quo dicuntur, uniuntur & una censentur. Et ita docet Fagundez *in Decalogum, tom.1. lib.2. cap.3. n.24.* & alij penes ipsum, quibus adde me citato Trullench. etiam *in Decalog. tom.1. lib.1. cap.11. dub.2. n.5.*

4. Item non assentior eidem Ricciullo qui *in cap.6. num.11.* docet jurantem per membra honesta Christi esse blasphemum, nam hoc esset verum si juraret per membra inhonesta, secus per alia membra; quia sic ex his nil attribuitur Christo quod verè non habeat, & ei conveniat, & si talia juramenta ita reverenter fiant, non esse culpam venialem docet Fagundez *loco citato, numer.14.* unde nec frequens consuetudo facit ut talia juramenta blasphemiæ censeantur, aut peccatum mortale.

RESOL. XII.

An in blasphemiis contra Deum, & Sanctos, detur paruitas materiæ?

Et notatur, quod convitium in Sanctos, non ut Sancti sunt, sed ex alio capite potest esse peccatum veniale ex paruitate materiæ, ut si quis per jocum diceret Sanctum Crispinum & Crispinianum fuisse sutores, & Sanctum Ioannem, & Paulum fuisse Eunuchos.

Et quid, si per hyperbolem fœminam vocat Deam? Ex p.5.tr.5.Res.3.

§.1. REspondeo negativè, quia omnis blasphemia notabiliter adversatur virtuti Religionis, & charitatis erga Deum. ergo omnis blasphemia erit peccatum mortale. Secundò blasphemia gravem infert Deo injuriam, ejúsque honorem & cultum valde diminuit, nam si gravis & atrox injuria dicitur esse illa, quæ infertur à vili persona Magistratui, vel Senatori in illos maledicta proferendo, §. *atrox. Instit. de injur & l. prator, §. atrocem, ff. eodem.* quanto magis erit gravis illa injuria, quæ infertur Deo per blasphemiam? ergo ratione materiæ non potest esse nisi peccatum mortale. Deinde blasphemia est peccatum, quia profertur verbum contumeliosum in Deum cum animo dehonorandi Deum, vel directè, vel indirectè, seu interpretativè, seu virtute, at Deus dehonoratur non solùm cùm blasphemus Deo falsò tribuit res magnas, sed etiam minimas: ergo blasphemia non poterit ratione materiæ unquam esse peccatum veniale. Et ita docet Silvius *in 2.2. quæst.13. art.2.* & *ibidem* Aragon. & Bañez. Hurtado de Mendoza *de fide vol.1. disp.91. sect.11. §.48.* Valentia *tom.3. disp.1. quæst.13. punct.1.* Cajetanus *in sum. ver. blasphemia.* Suarez *de Relig. to.1. tract.3. lib.1. cap.6. num.2.* Sayrus *ubi infrà*, cum Iacobo Gordono *in summ. tom.2. lib.6. quæst.8. cap.2. num.4.* & aliis.

2. Verùm his non obstantibus affirmativam sententiam docet Villalobos *in summa tom.2. tract.1. diffic.15. num.5.* ubi sic ait. [Digo que la blasfemio es pecado mortal de su naturaleza, porque es contra la honra de Dios, verdad es, que por no aver llena deliberacion o por inadvertencia podria ser pecado venial, como dize S. Thomas, Caietano, y Sylvestro; mas la duda es, si ay aqui pecado venial por paruidad de materia? Bañez y otros dizen, que no por ser cosa gravissima la honra; mas à mi pareceme lo contrario, que assi como todos los pecados son offensa de Dios, y no obstante esso ay pecados veniales, porque son leves offensas, assi aqui, y tal me parece, quando algunas vezes se traen palabras de la sacrada Escritura à proposito de burlas con poca reverencia; y lo mismo quando un organista que sabe muy poco en una aldea tañe en lugar de Kyrie, una vacas, ò un sonezito (porque no se le alcança mas) al, Ite Missa est de la Pascua.] Ita ille.

3. Et nota quòd stando etiam in prima sententia convitium in Sanctos, non ut Sancti sunt, sed ex alio respectu, potest esse peccatum veniale ex paruitate materiæ, ut si quis per jocum diceret, Sanctos Crispinum & Crispinianum fuisse sutores, & Sanctos Ioannem & Paulum fuisse Eunuchos. Et ita docet Duuallius *in 2.2. D. Th. tract. de fide q.9. art.2.* Sanctarellus *tract. de blasphemia cap.4. dub.2. n.8.* Sayrus *in Clavi Regia lib.6. cap.13. n.5.* Sylvius *in 2.2. quæst.13. art.2.* & *ibi* Bañez, Aragon. Sanchez *in summa tom.1. lib.2. cap.32. num.42.* & alij. Sed hanc opinionem non admittit Lorca *in 2.2. q.13. art.2. n.9.* ubi sic ait: Est blasphemia ita gtave peccatum, ut non possit fieri veniale, nisi solùm ex defectu deliberationis. Nam quod aliqui dicunt posse fieri veniale, si non seriò, sed joco proferatur, non approbo, quoniam illicitus est jocus, in quo injuria Dei involuitur, nec propter jocum deficit ratio injuriæ, imò jocari in rebus tanti momenti, specialis blasphemia est, nisi quis velit jocum, quod non ex animo significandi, quod verba sonant, profertur, scilicet si per hyperbolem, ut qui fœminam vocat Deum, id enim veniale erit. Vnde puto saltem quoad hoc ultimum utramque sententiam probabilem esse.

Quoad hoc inf. in tr. 12. ex Res. 8. lege doctr. §. ult.

Sup. hoc in Res. seq.

RESOL. XIII.

An qui vocat Amasiam Deam, vel Idolum suum, sit blasphemus? Ex part. 5. tractatu 13. & Miscell. 1. Res.20.

§.1. QVidam Confessarius scrupulosus, & parum sciens, affirmativam sententiam olim docuit. Sed talem non esse blasphemiam dicendum est. Et ratio erit, quia verba hæc nec proferuntur, nec accipiuntur in significatione propria, sed in hyperbolica. Et ita docet Lorca *in 2.2. q.13. art.3. n.9.* & Hurtadus de Mendoza *in 2.2. disp.91. sect.4 §.16.*

Sup. hoc cum eodem Lorca, cuttim in fin. Res. præteritæ.

DE ABSOLVTIONE AB HÆresi, & aliis delictis pertinentibus ad S. Inquisitionem.

RESOL. XIV.

An Episcopus possit committere absolutionem ab hæresi, saltem

saltem in casu particulari, & speciali? Ex p.3.tr.6. & Misc.2. Res.92.

§.1. SVpposito quòd sit opinio probabilis, licèt contrariam sententiam ego teneam in Bulla Cœnæ non revocari Episcopis facultatem absoluendi ab hæresi concessam in Concilio Tridentino; quæritur an hæc facultas sit ab Episcopis delegabilis, ita ut per alium ab ipsis deputatum possint hæreticum occultum absoluere? Negativè respondet Lorca *in* 2. 2. *disp.* 45. *num.* 11. Gutierrez *in qq. canon. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 29. Garsias *de beneficiis, part.* 11. *cap.* 10. *num.* 113 Molina *de just. tract.* 5. *disp.* 18. *num.* 2. Suarez *de fide, disp.* 30. *sect.* 2. *n.* 9. & 15. & alij.

Sup. hoc in Res. seq. §. pen. & in Res. 1. post seq. §. Nota tertio. & magis latè in to. 3. tr. 3. Res. 15. à lin. 1 & lege ib. doctr. Res. 16.

2. Verùm alij probabiliter affirmativam sententiam, tenent, ut Azorius *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 10 *quæst.* 11. Henriquez *lib.* 6 *cap.* 14. *num.* 7. Emanuel Sà *ver. Episcopus, num.* 37. Sanchez *in summa, tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 23. & alij penes ipsos, quia Concilium solum excluſit Vicarium ad id specialiter deputatum, quod intelligendum est de vicario specialiter deputato ad casus omnes hæresis contingentes, non autem de Vicario specialiter deputato ad unicum casum hîc, & nunc oblatum. Igitur dicendum est, quò per verba Concilij, Vicarius generalis excluditur, non autem specialis, ut est in casu de quo loquimur. Et hæc doctrina est multum notanda, quia si Episcopus hanc facultatem in casu particulari specialiter delegare non posset, difficulter in praxi talis potestas deseruiret; nam non ita facilè, & sine scandalo pœnitentes, & præsertim fœminæ, pro absolutione hæresis occulta ad Episcopos irent.

RESOL. XV.

An Episcopi possint absoluere ab hæresi occulta vigore Concilij Trid.

Et an si hæresis nota sit quinque, vel sex; vel si Hæreticus quinque, vel sex complices habeat, adhuc dicatur occulta; & in magna Civitate non sit publica, si nota fuerit septem, vel octo personis?

Et an dictam absolutionem possit Episcopus impertiri extra Sacramentum Confessionis, & in absentia; & hoc etiam si aliis subditus, & Episcopus sint extra Diœcesim?

Et an Episcopus possit committere hanc absolutionem alicui Confessario, specialiter ad eum hæresis casum deputato? Ex p 1.tr.5 Res.2.

Sup. hoc inf. in Res. 16. & 18. in fin. & in Res. 30 §. ult. ante med. & in Res. 31. §. 1. ante med. & in to. 9. tr. 7. Res. 117. §. Nec obstat dicere, quod Bulla Cœnæ. ante med. vers. Vide me ipsum.

§.1. REspondeo, aliquos asseruere, Episcopos vigore Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. posse absoluere Hæreticos occultos, nec per subsequentes Bullas Cœnæ fuisse illis hanc potestatem sublatam. Ita docet novissimè Puteanus *in* 2. 2. *q.* 11. *art.* 4. *dub.* 2. Fagundez *de Præcept. Eccles. tract.* 2. *lib.* 8. *cap.* 8. *num.* 32. & 33. Portell. *in addit. ad dubia regul. verb. Episcopus, num.* 1. Sousa *in Bulla Cœnæ, cap.* 23. *disp* 100. *concl.* 3. *num.* 7. & anteà docuerat Lorca *in* 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 4. *disp.* 45. *num.* 10. Nugnus *tom.* 2. *in addit. ad* 3. *part. quæst.* 8. *art.* 5. *dub.* 10. *in fine* Ledesma *in summa, tom.* 2. *tract.* 1. *cap.* 6. *concl.* 20. *diff.* 7. Emmanuel Sà *verb. Episc. n.* 37. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 14 *num.* 4. & *in Glossa litt. M, & lib.* 13. *cap.* 27. *num.* 5. *litt. Q.* cum multis aliis citatis à Sanchez *in summ. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 27. Ricciullo *tract. de jure person. lib.* 5. *cap.* 14. *num.* 9. & Barbosa *de potest. Episc. p.* 2. *alleg.* 40. *num.* 21. & hanc sententiam probabilè vocat novissimè Sanc. *in select. disp.* 50. *n.* 32.

2. Sed, his non obstantibus, Sanchez, Ricciulus, & Barbosa, cum multis aliis penes ipsos, contrariam sententiam docent, quibus ego addo Riccium *par.* 3. *decis.* 280. *num.* 1. Villalobos *in summa, p.* 1. *tr.* 9. *dub.* 61. *num.* 2. & 5. Gratianum *in discept. tom.* 3. *cap.* 414. *n.* 20. Bellochium *de cas. reservat. p.* 2. *q.* 1. *n.* 275. Sanctarellum, qui post hæc scripta prodiit in lucem, *tract. de hæresi, c.* 5. *dub.* 5. *n.* 21. Ragucium *in Incerna Parochorum, q.* 125. *n.* 5. Scortiam *in Constit. Pont. epit.* 166. *theor.* 430. Novarium *in singul. concl.* 3. *num.* 5. Sylvium *in* 2. 2. *q.* 11. *art.* 3. *quæritur* 2. *in fin.* Fabrum *de Sacram. Ordin. dist.* 25. *quæst.* 1. *disp.* 3. *cap.* 4. *num.* 126. Homobonum *de exam. Eccles. part.* 2. *tract.* 12. *cap.* 4. *q.* 16. & *de stat. part.* 1. *cap.* 8. Antonucium *in Catech. Diœces. Neapol. lib.* 1. *cap.* 25. *n.* 9. Megalam *in part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 10. & 15. Floronum *de cas. reserv. part.* 1. *c.* 4. §. 22. *num.* 2. & 4. Torreblancam *de magia, lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 17. Valerum *in differ. utriusque fori, verb. hæresis, diff.* 5. *num.* 1. Hi omnes putant, Bullam Cœnæ derogare, & adimere supradictam potestatem Episcopis; & adducunt multos alios DD.

Sup. hic in Res. 1. vers. ego tamen. & Res. 2. §. Quæres. & Res. 3. §. Nec obstat dicere quod Bulla Cœnæ.

3. Verùm, qui sustinent primam sententiam, in favorem Episcoporum, sic illam firmant: quia in Bulla Cœnæ non fit expressa mentio Concil. Trident. quod quidem est necessarium, ut censeatur illi derogatum; quia Constitutioni, seu decreto Concilij propter ejus gravitatem non intelligitur derogatum, nisi de eo fiat mentio specialis. *cap. ex part. de Capell. Monach.* ibique Glossa *in verb. nulla mentio, cap. nonnulli, de rescript.* ubi etiam Glossa *in verb. fecerunt mentionem.* & ibi Felinus *n.* 7. cum multis aliis.

4. Nec valet dicere, Pium V. & Gregor. XIII. cum Clemente VIII. contrarium declarasse: nam, ut benè respondent Fagundez, *ubi suprà*, & Sousa, de illis pontificiis declarationibus non constat authenticè: & cùm res sit adeò gravis, & jam scientibus Pontificibus controversa, id profectò deberent expressiùs, aliquo speciali decreto, declarare. Vnde subdit Fagundez, standō in hac opinione, quòd si hæresis sit nota quinque, vel sex, etsi Hæriticus quinque vel sex complices habeat; adhuc diceretur occulta, & ab illa Episcopi poterunt absoluere. Putat etiam, in magna civitate non esse publicam, si nota fuerit septem, vel octo personis. Vide Portel. *in addit. ad dubia regular. verb. dispensare, num.* 5.

Sup. hic in Res. seq. §. in fin. & in Res. præced. §. Nota. & in Res. seq. §. Nota tertio. &c.

5. Notandum est etiam, secundùm supradictos DD. in tali casu Episcopum posse committere absolutionem alicui Confessario specialiter ad eum hæresis casum deputato, ut adversùs Suarez *tom.* 4. *disp.* 30. *sect.* 2. *num.* 9. & 15. & alios, probat Henriquez *lib.* 6. *cap.* 14. *n.* 7. & *in Glossa, littera O.* cum multis aliis apud Sanch. *tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 11. *n.* 23. & probabile vocat Lorca 2. 2. *q.* 11. *artic.* 4. *disp.* 35. *num.* 11.

Sup. contra in hoc §. in tom. 1. tr. 3. Res. 15. §. alias per tot. & in alijs multis. figuratur in tom. 2. to. 1. tr. 2. Res. 16. §. Sexto. & in tom. 1. to. 1. tr. 1. c. 5. n. 31. Claudius Soleri *de potestate Confess. cap.* 30. §. 1. *ex verbis, n.* 6 præter illos, quos citat, & sequitur Sanchez *cap.* 11. *n.* 13. qui etiam *n.* 17. & rectè, ait, posse Episcopum in tali casu absoluere subditum ab hæresi in absentia: & hoc, etiamsi talis subditus sit extra Diœcesim, quidquid in contrarium asserat Suarez *in* 3. *part. tom.* 5. *disp.* 41. *sect.* 2. *num.* 10. & 11. & etiamsi ipse Episcopus cum subdito extra Diœcesim inveniretur; posset tunc vtique illum ab hæresis excommunicatione absoluere. Et hæc omnia asserunt Doctores pro firmanda opinione in favorem Episcoporum: sed ego contrariam existimo probabiliorem, & ideò illam sequor.

Sup. hæc de fenus illa Res. 18. & alias qui primatus

RESOL. XVI.

An Episcopi hodie possint absoluere ab hæresi occulta?

Et an quando scitur à decem personis dicatur delictum occultum? Et

Et an Episcopi nullo modo possint in tali casu hanc absolutionem ab hæresi committere alteri personæ?

Et notatur potestatem dispensandi in irregularitate ab hæresi occulta proveniente ademptam esse ab Episcopis per Bullam Cœnæ. Ex part. 4. tractat. 4. & Misc. Resol. 239.

§. 1. AFfirmativam sententiam docet novissimè Iacobus Granado *in* 2. 2. *D. Thomæ, contr.* 1. *tract.* 15. *disp.* 14. *sect.* 2. *num.* 8. *& seq.* ubi sic asserit: Superest potissima difficultas, an scilicet ista facultas Episcopo concessa à Tridentino, revocata sit à Summo Pontifice? Partem affirmantem sequuntur Navarrus *in illa sect.* 4. *num.* 12. *&* 13. ubi refert, se ipsum *in* 4. *tom.* 3. *part...* idem asserentem, Garsia *de benef. part.* 11. *cap.* 10. *num.* 115. dicens, id esse indubitatum. Sanchez *in illo cap.* 1. *num. ult.* concludens, hoc omnino esse tenendum, & multi alij, quos isti Doctores referunt. Probatur primò, quia in Bulla Cœnæ etiam novissimè edita à Gregorio XV. perspicuis disertisque verbis negatur facultas absoluendi à casibus illius, ac proinde ab hæresi etiam virtute clausulæ Concilij Generalis, licèt in illa in genere, vel in specie oppositum concessum fuerit; ergo licèt Tridentinum concesserit Episcopis hanc facultatem, fuit & est modò revocata. Secundò probatur, quia grauissimi Doctores testantur à Summis Pontificibus esse revocatum; Navarrus enim ait, sic declarasse Pium V. Gregorium XIII. Azorius *lib.* 8. *instit. moral. cap.* 10. *quæs.* 10. testatur, se audiuisse à viro Religioso, docto, & fide digno sic declarasse Clementem VIII. Tertiò probatur, quia in Generalis Inquisitionis Prætorio Romano sæpè pronuntiatum est, non posse Episcopos jam absoluere ab hæresi occulta. Quartò tandem, quia duo sunt responsa Congregationis Cardinalium, quarum meminit Suarez *supra*, in quibus declaratur, facultatem Tridentini Episcopis ablatam fuisse. Nihilominus valdè probabile est, adhuc perseverare potestatem à Tridentino concessam Episcopis. Sic sentiunt Navarrus *lib.* 1. *consil. tit. de constit. consil.* 1. *quæst. ult.* Simancas *de Cathol. instit. tit.* 3. *num.* 6. Hentiquez *lib.* 6. *de pœnit. c.* 14. *num.* 7. Bañez *ad art.* 4. *quæst.* 11. *dub.* 2. *post.* 2. *concluss.* Sà *verbo Episcopus, num.* 37. Lorca *disp.* 45. Guttierrez *lib.* 1. *quæst. can. cap.* 13. *ad fin. in posteriori editione*, & multi alij; Sanchézque tandem fatetur, rationes pro hac sententia vrgere, & authoritate Doctorum reddi videri probabilissimam. Probatur hæc sententia, quia, ut *supra* argumentabamur, vitanda est correctio juris, quoad sine incommodo fieri poterit, & id præsertim locum habet comparatione Concilij Tridentini, cujus decreta tanti æstimarunt Summi Pontifices, qui post illud Ecclesiam gubernarunt, & quod in viridi observantia semper esse tantopere cupiunt. Cùm ergo tam disertè Concil. Trident. faciat Episcopis potestatem absoluendi ab hæresi occulta, & cæteris casibus Bullæ Cœnæ, non est credendum, eam facultatem fuisse revocatam virtute Bullæ Cœnæ postea promulgatæ, si cum ista conciliari possit; quòd autem rectè conciliari possit, facilè ostenditur. Primò, quia sic sentiunt tot graves Doctores, quorum in explicando jure magna authoritas est. Secundò, quia rectè dici potest, Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & ideò non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est. Ex quo patet responsio ad primum contrariæ sententiæ. Ad secundù respondetur, nullibi asserri à prædictis Authoribus testimonium authenticum talis revocationis, aut declarationis, & cùm aliunde tam perspicuè constet de facultate Tridentini, non cogimur credere, eam esse revocatam. Ad tertium respondetur, id pronuntiatum esse in hoc grauissimo, & sanctissimo Tribunali secundùm oppositam sententiam, quæ probabilissima est; sed quoniam nondum nobis præcepit eam amplecti licitum est contrariam reputare etiam valde probabilem, sicut & multi alij reputarunt. Ad quartum similiter dicendum est, responsa Cardinalsum esse magnæ authoritatis, sed non sufficere ad tollendam cõtrariæ sententiæ probabilitatem; & hæc omnia ad verbum docet Granado *ubi suprà*. vide etiam Fernandez *in exam. Rect. mor. part.* 4. *cap.* 7. §. 1. *n.* 5. Guttierrez *can. qq. lib.* 1. *cap.* 13. *ad fin.* Gomez *in Bulla Cruciat. claus.* 10. *num.* 44. *in fine.* Bañez *in* 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 4. *dub.* 2. *post* 2. *concl. argum.* 3. *vers. Et si quis objiciat.* Rodriquez *in qq. Regul. tom.* 1. *q.* 20. *art.* 10. Vegam *in summa tom.* 2. *cap.* 125. *cas.* 11. Aragon. *in* 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 3. Llamas *in summa part.* 3. *cap.* 1. §. *ult. in fine.* Zerolam *in praxi Episc. par.* 2. *verbo Absolutio* §. 8. *&* 18. *& vers. hæreticum*, §. 4. & alios, quos ego ipse citavi *in part.* 1. *tract.* 5. *resol.* 2. Sed ego *ibi* contrariæ sententiæ adhæsi, asserenti dictam facultatem Episcopis esse per Bullam Cœnæ sublatam, & ita sentiunt plures Doctores, quos *ibi* citavi; quibus nunc addo Hurtadum *de excomm. disput.* 15. *difficul.* 3 *num.* 11. Fabrum *de sacram. Ordin. dist.* 25. *quæst.* 1. *disp.* 3. *cap.* 4. *num.* 126. Duardum *in Bulla Cœnæ lib.* 3. §. 2. *quæst.* 11. *num.* 47. Coriolanum *de cas. reser. part.* 1. *sect.* 3. *art.* 23. *num.* 6. Bonacinam *in Bulla Cœnæ disput.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 2. *num.* 7. *in fine.* Acostam *in exposit. Bull. Cruc. quæst.* 58. Gratianum *in discept. foren. tom.* 3. *cap.* 414. *num.* 12. Armandariz *in addit. ad recopil. legum Navarræ lib.* 2. *tit.* 21. *lege unica, de familiaribus Inquisitorum num.* 3. *&* 4. Alzedum *in praxi Episc. part.* 2. *cap.* 6. *num.* 15. Campanili *in divers. jur. can. rub.* 11. *cap.* 26. *num.* 55. Farinacium *de hæresi quæst.* 192. §. 4. *num.* 53. Bledam *in defensione fidei in causa Moriscorum, part.* 1. *cap.* 13. & alios penes ipsos, restantes de supradicta declaratione Gregorij, de qua etiam testatus est mihi Dominus meus Clemens Merlinus sacræ Rotæ Auditor, vir non solùm legalis, sed etiam politioris litteraturæ consultissimus, & morum suavitate ornatissimus. Notandum est tamen hîc obiter, quòd etiamsi standum esset in prima sententia, Emanuelem Rodriquez *in addit. ad Bullam Cruc.* §. 9. *num.* 69. docere, facultatem datam Episcopis absoluendi ab hæresi, intelligendam tantùm, quando ipse hæreticus solus absque eo, quod ab alio audierit, committit occultè crimen hæresis, manifestando illam aliquo actu exteriori, quamvis nemo eam audiat; deinde subdit illam facultatem non extendi ad hæresim occultam, quando adest complex, nam aliàs, inquit, esset destruere machinam sancti Officij, & denique resoluit, Concilium *in præsenti* dictam dare facultatem absoluendi ab obligatione denunciandi complicem, quam habet, aliàs est excommunicatus edicto sancti Officij; sed Granado *ubi suprà num.* 6. putat, Episcopum vigore dicti Concilij Tridentini posse absoluere hæreticum, etiamsi coram aliquo hæresim protulerit, dummodo delictum sit occultum, quod est, quando non scietur à majori parte, communitatis, quæ saltem constet decem personis, & ad id, quod docet Rodriquez *de denunciandis complicibus.* vide me ipsum *in part.* 1. *tract.* 4. * *resol.* 9.

2. Nota secundò, ex sententia Granadi *num.* 5. Episcopum absolutionem ab hæresi impendente posse iis, qui quomodolibet pertinent ad suam diœcesim, sive quia ibi inveniuntur, tanquam Peregrini, sive quia ipse existens extra diœcesim, vult alicui sibi subdito, & in hæresim lapso, absolutionis beneficium impendere.

3. Nota tertiò, cùm prædictam absolutionem ab hæresi non permittat Concilium Vicariis Episcoporum, Molina *de just. tract.* 5. *disp.* 18. *num.* 1. Garsias *de*

Hoc in §. 1. præterea in & inf. in 18. in fin. & in 39. §. ult. & in 31. §. 1. *summa* med. & in Tertio, qua. & in 7. tr. 7. obstat hæc quod Cœnæ.

Quæ hic est Resol. antecedens. Ibi in § Sed his. & in seq. & inf. in Resol. 36. §. Tertium, & in to 3. tr. 5. resol. 21 §. ult. ad lin. 3. & in tom. 9. tr. 7. resol. 117. §. Nec obstat dicere, quod Bulla Cœnæ. & si perlegis eam per tot. & ibi à lin. 5. resol. 118. doctrina repleberis, & facilius hanc difficultatē terminare poteris.

Sup. hoc cõplice in Resol. præterita, §. Nec valet. in fine.

Sup. hoc in resol. citata in fin. ult. hujus §.

Sup. hoc in resol. præterita in fin. §. Nec valet. & in to. 3. tr. 3. resol. 19. &c.

*Quæ hic est inf. in tr. 9. resol. 16. & in aliis ejus primæ, & etiam secundæ annot.

Sup. hoc sup. in resol. 14. & in resol. 15. §. penult. &

de

in to.3. tr.3. Resol.15.à lin 2. & lege Doctr. Resol. 16.

de beneficiis tom. 2. part. 11. cap.10. num.113. & alij existimant, nullo modo posse ab Episcopo hanc absolutionem ab hæresi committi alteri personæ; sed Iacobus Granado *loco citato num.7.* cum Sanchez *in summa tom.1. lib.2. cap.15. num.23.* & aliis tenent, quòd licèt Episcopus non possit hanc absolutionem committere alteri, qui generaliter habeat facultatem absolvendi ab hæresi, potest tamen committere casum particularem, cùm occurrerit, ita ut tunc specialiter, & non generaliter tribuat vices suas. Verùm omnia supradicta non procedunt in nostra sententia asserente, hanc potestatem absoluendi ab hæresi esse per Bullam Cœnæ Episcopis sublatam.

Sup. hoc in tom.3. tr.3. Resol. 32. & in aliis ejus annot. secundò.

4. Nota quartò, etiam potestatem dispensandi in irregularitate, & occulta hæresi proveniente ademptam esse Episcopis per Bullam Cœnæ Domini docere Ricciullum *lib.5. cap.16. num.5.* & alios, licèt contrarium doceat Vgolinus *tract. de irregular. cap.36. num.5.* Sanchez *in summa tom.1. lib.2. cap.25. num.17.* quos alibi citavi; imò Petrus Cornejo *in 3. part. D. Thomæ tr.5. de irregular. disp.9. dub. unico, quæst.4.* & probabiliter docet, ob peccatum hæresis secundùm se secluſa infamia non incurri irregularitatem, sed vide *suprà, in tract. de irregul.*

Sup. hoc quod hic dicetur, in Resol. not. præteritæ. cum eodē Cornejo hic citato, & in aliis ejus not.

RESOL. XVII.

An saltem per Bullam Cœnæ sit Episcopis revocata facultas absoluendi ab hæresi, & aliis casibus in ea contentis?

Et si Episcopus sequens affirmativam sententiam, & opinionem nolit absoluere Hæreticum occultum, quid est faciendum? Ex p.7. tract.2. Resol.23.

Sup hoc sup. in Resol.15. §. Sed his. in fin. & in Resol. 16. §.1. inter med. & fin. à vers. Sed ego ibi. & inf. in Resol. 36 §. Tertiū. & in tom.3. tr.5. Resol.21. §.ult. ad lin. 3. & in to.9. tr.7. Resol.117. Nec obstat dicere, quod Bulla Cœnæ. & si legis eā per tot. & ibi à lin.5. Resol. 118. facilius hanc quæst. dissolues.

§.1. NEgativè respondent Doctores, quos citāt, & sequitur Bossius *de Iubileo sect. 1. cas.10. §.2.n.10. & seq.* Probatur hæc opinio, quia correctio juris vitanda est, quoad fieri possit, sed absque correctione juris Trident. stare potest clausula Bullæ revocans facultates, quibus absolutio impendi poterat. Ergo affirmandum est clausulam Bullæ supradictam Trident. facultatē non revocare. Minorem probo. Primò, quia Bulla solùm dicit, ut nullus possit absolui prætextu quorumcunque privilegiorum, quæ Episcopis, Conventibus, & aliis concessa sint per sedem Apostolicam: at qui ab Episcopis absolui intendit, non intendit absolui prætextu alicujus privilegij à Sede Apostolica concessi, ut dicit Bañez, sed prætextu authoritatis à Christo Domino datæ. Ergo. Secundò, quia Bulla optimè potest intelligi de peccatis publicis, & de absolutione, quæ non solùm pro foro conscientiæ, sed etiam extetno prosit; siquidem nihil in Bulla habetur, quod cogat nos de peccatis occultis, & de foro conscientiæ revocationem intelligere. Sensus ergo Bullæ est, ut nullus possit absolui; absolutione proficiente in foro externo, vel à peccatis publicis prætextu privilegiorum, &c. Quòd si hoc modo intelligatur, manet integrum Trident. Decretum. Nam Trid. concedit solùm absolutionem casus occulti, & pro foro conscientiæ. Ergo si Bulla revocat casus publicos, & absolutionem proficientem in foro externo; non immutat, nec corrigit Decretū Trid. Ergo hæc explicatio sustinenda est, ut Iuris correctio vitetur. Tertio, lex generalis præcipuè correctoria, etiamsi posterior sit, limitanda est ex speciali antecedenti. Ergo hæc lex correctoria Bullæ, quæ generalis est, limitari, & coarctari debet per specialem Trident. Quartò, non obstante clausula revocatoria Bullæ Cœnæ manet integrum privilegium in Cruciata concessum pœnitentibus, ut semel in vita possint absolui à quolibet Confessario approbato, à quibusvis peccatis, & censuris, &c. Ergo etiam poterit integrum manere privilegium Episcopis concessum Trid. non obstante revocatoria clausula. Quintum fundamentum est, quia non est evidens Bullam Cœnæ supradictam facultatem revocare, ut ex supradictis constat; sed absque revocationis evidentia nemo tenetur se jure proprio spoliare. Ergo non debent Episcopi se reputare spoliatos hac facultate absoluendi absque clariori notitia. Quod si dicas constare evidenter esse revocatam hanc facultatem Episcopis, non ex verbis Bullæ præcisè, sed ex illis juncta Pontificum declaratione. Respondere possumus de declaratione nobis authenticè non constare. Nam si plures Doctores eam firment, ex fama, & opinione loquuntur. Item indigebat talis declaratio speciali promulgatione, ut vim legis revocantis haberet, aliàs nos arctare non potest.

2. Et ideo Bossius *ubi suprà, num.19.* sic ait: Ex quibus manifestè apparet non esse audaces, neque temerarios modernos hanc sententiam tenentes, cùm sit æquè probabilis, ac prior, sive attendas authoritatem, & numerum Doctorum; sive inspicias multiplicitatem & firmitatem rationum. Ita Bossius.

3. Sed ego mordicus contrariam sententiam sæpiùs docui, & nunc iterum doceo quam me citato tenent Trullench *in Decalogum tom.1. lib.1. cap.3. dub.4.n.11.* Marchinus *de Sacram. Ordin. tract.1. part.9. difficult.9. per totam.* Idem docet Caspensis *in Cursu Theolog. to.2. tract.15. disp.5 sect.6. num.38* & alij à me alibi adductis; Et ratio est clara, quia in Bulla Cœnæ adest clausula derogatoria. Non obstantibus &c. quæ licèt sit generalis, sufficit tamen ad derogandum Concilium, quæ doctrina indubitata est, ubi derogatio nova Pontificia nequit verificari, nisi tali Concilio derogato: tunc enim derogatio illa generalis censetur specifica, & individua, *l.2. ff. de liberis, & posthumis.* Secùs illa derogatio esset futilis, & superflua. Quemadmodum videre est in casu nostro, in quo si Pontifex illis verbis: Ac per cujusvis Concilij decreta, non derogavit Tridentino, rogo, cui alteri Concilio fuit per ista verba derogatum? Certè non provincialibus, ut aliqui neoterici minùs rectè interpretantur: tum, quia nomine cujusvis Concilij non veniunt sola provincialia, cùm præter ista sunt generalia: tum, quia nullum est assignabile provinciale Concilium, quod Episcopis tribueret facultatem absoluendi ab hæresi occulta, vel ab aliis Bullæ Cœnæ casibus: tum, quia Pontifex Decreta Trident. Concil. gerit in pectore; nec est verisimile, ipsum ignorare hoc decretum, quod singulis Prælatis est notissimum: tum quia derogatio pender à voluntate Pontificis, qualitercunque de ea constet: ergo derogando Decretis cujusvis Concilij, necessariò fatendum est, satis constare de mente Pontificis revocantis hanc facultatem absoluendi ab Hæresi occulta, & præsertim accedentibus tot vivæ vocis oraculis, & Sacræ Congregationis responsis, à me, & ab omnibus Doctoribus relatis.

4. Neque his obstant allegati text. *in cap. Ex parte, cap. Nonnulli. & cap. eam te, de Capellis Monach.* Nam respondemus, allegatos textus procedere, ubi nulla mentio Conciliorum neque in genere, neque in specie, neque per verba æquipollentia facta fuit. At in casu nostro fieri expressam mentionem derogationis cujusvis Concilij, quæ nequit verificari, nisi ipso Tridentino derogato.

Sup. hoc annot.

5. Notandum est hìc obiter, si Episcopus sequens nostram sententiam, nolit absoluere hæreticum occultum, quid faciendum? respondent aliqui, quòd si periculum sit infamiæ, vel scandali, si Sacerdos sit nisi celebret; vel Laicus, nisi communicet; potest indirectè absolui ab hæresi, & directè ab aliis peccatis à quocumque confessario: & idem dicendum, si ob pau-

Alibi à me solutionis

pertatem, vel aliud impedimentum, non possit Romam de

Sup. hoc

adire,

adire, vel litteras mittere ad Summos Pœnitentiarios, si est contritus, potest sumere Eucharistiam, vel celebrare, si sit Sacerdos, etiamsi non adsit periculum infamiæ, vel scandali: nam iste apud Deum excusatur; quia fecit, quantum potuit. Et ita me citato docet Marchinus *de Sacram. Ordinis tract. 1. part. 9. capite 1. diffic. 10. num. 6.* & etiam me citato Trullench. *in Decalogum tom. 1. lib. 1. cap. 3. dub. 4. n. 13.* Sed recognosce me ipsum *in par. 1. tract. 5. resol. 4.* & *in par. 4. tract. 4. resol. 242.*

Que hic sit Ref. 21. 22.

RESOL. XVIII.

An Hæreticus occultus possit absolvi in absentia ab Episcopo, si ipsum adire non possit? Ex p. 5. tr. 13. & Misc. 1. Ref. 43.

Ad hoc sup. tract. 14. §. 1. num. 4. & tract. 23. Ref. 10. recit. num. 6. & in §. fin. Sedan. controvers. citat.

§. 1. CAsus est practicabilis, & ad illum affirmativè respondet Ioan. Henriq. *in comp. cas. mor. c. 20. num. 64.* ubi sic ait: [De aqui nace una duda, y es, si un hombre imposibilitado de poder yr al Obispo, incurriesse en el crimen de la heregia oculta, para lo qual no puede el Obispo dar sus vezes à otra persona, como està declarado en el mismo Concilio, en el cap. 6. alegado, que es lo que se deve hazer en este caso? A lo qual respondo, que el Obispo puede absolverlo de la descomunion en ausencia; y quitada la descomunion, queda el pecado sin reservacion alguna, y qualquier Confessor lo puede absolver del pecado. Porque es cosa muy cierta, que todos los descomulgados pueden ser absueltos de la descommunion en ausencia, y contra su voluntad, pues la absolucion de la descomunion no es sacramental.] Sic ille. Sed hæc sententia procedit in opinione illorum asserentium facultatem Episcopis concessam in Concil. Trident. absolvendi hæreticos occultos non esse sublatam; quod novissimè docet Hurtad. de Mendoza *volum. 1. in 2. 2. disputat. 84. sect. 2.* & Lopez de Texeda *in controvers. Theolog. moral. lib. 2. tract. 1. controv. 18. num. 14.* Duvallius *in 22. D. Thom. tract. de fide, q. 7. art. ultim. conclus. 1.* & alij, quos ego ipse citavi *in 4. part. tract. 4. ref. 239.* Verùm ego ibi, & meritò, contrariam sententiam docui.

Que hic est Ref. 16. & aliis simul.

RESOL. XIX.

An Inquisitores habeant facultatem absolvendi ab hæresi, non solum in foro externo, sed in foro conscientiæ?

Et an hæc facultas absolvendi ab hæresi competat cuilibet Inquisitori, & non toti consistorio?

Et an quilibet Inquisitor possit eandem facultatem cuilibet Confessario delegare?

Et an in Inquisitore ad hanc in foro conscientiæ absolutionem, & delegationem impertiendam non requiratur Ordo Sacerdotalis?

Et quid est faciendum, si Inquisitores in casu facultatem, ut ab ipso Confessario quis absolvatur, nollent impertiri, neque Episcopus? Ex part. 1. tract. 5. Resol. 3.

Ad hoc in Resp. & Ref. in ref. 37. §. ult.

§. 1. REspondeo, Dominos Inquisitores habere facultatem absolvendi ab hæresi, non solùm in foro externo; sed in foro conscientiæ; & præcipuè Inquisitores Hispaniæ. Ita docent Campegius, Rodriquez, Toletus, Gutierrez, Paramus, Bañez, Henriquez, & Graffius apud Riccium, & Sanchez, *ubi infrà*, quibus ego addo Homobonum *de exam. Eccles. part. 2. tract. 11. cap. 6. quæst. 11.* Puteanum *2. 2. D. Thomæ, q. 11. art. 4. dub. 2.* Lorichium *in thes. verb. Hæreticus*, §. 12. Villalobos *in summa, tom. 2. tract. 1. diffic. 12. num. 6.* Freitam *in additione ad tract. de Confes. sollicit. Episcopi Roderici Acugna, quæst. 31. num. 18.* & Garsiam *de benef. tom. 2. part. 11. cap. 10. num. 122.* qui tres ultimi loquuntur de Inquisitoribus Hispaniæ, & per consequens nostræ Siciliæ, quidquid in contrarium sentiat Sanctarellus *tract. de hæresi, cap. 5. dub. 7. n. 31.* Farinacius *de hæresi, quæst. 192. n. 52.* & *54.* Zecchius *in summa, part. 1. tit. de fide, rubr. de hæresi, cap. 11. n. 18.* Novarius *in singul. concl. 4. n. 2.* Ricciullus *tract. de iure person. lib. 5. cap. 15. num. 3.* Ioan. Valerus *in differ. utriusque fori, verb. Hæresis, different. 3. num. 3.* Riccius *part. 2. decis. 579. n. 5.* Sanchez *in summa, tom. 1. libro 2. cap. 12. n. 3.* & *seq.* & Suarez *tract. de fide, disp. 21. sect. 4. n. 15.* & inclinat Barbosa *de potestate Episcopi, part. 2. alleg. 40. n. 28. in fin.*

2. Notandum est verò, quòd, stando in nostra opinione, hæc facultas absolvendi ab hæresi competit cuilibet Inquisitori, & non toti Consistorio, ut adversùs Henriquez, & alios notant, Villalobos *in summa, tom. 2. tract. 1. diffic. 12. num. 7.* Freitas, *ubi suprà, num. 15.* & alij: & ideò quilibet Inquisitor potest eandem facultatem cuilibet Confessario delegare, ut adversùs Campegium *in addit. ad Zanchin. cap. 34.* & alios, rectè notavit Sanchez *ubi sup. n. 5.* & Freitas *num. 16.* & Villalobos, & Homobonus, *ubi suprà, tractat. 12. cap. 2. q. 4.* qui etiam docuit, in Inquisitore, ad hanc in foro conscientiæ absolutionem, & delegationem impertiendam, non requiri ordinem sacerdotalem: quia talis facultas non conceditur Inquisitori, in ordine ad Confessionem sacramentalem, nec tanquam quid annexum Ordini; sed officio, ut *suprà* diximus de Episcopo. Sed cùm Confessarius non possit cogere, ut hæreticus occultus prodat se Inquisitoribus, ut alibi fusè probabitur, si Inquisitores in tali casu facultatem, ut ab ipso Confessario absolvatur, nollent impertiri, neque Episcopus, putantes se non habere talem facultatem, vel propter aliam rationem, quæritur, quid faciendum? Hanc quæstionem nemò tractat nisi Freitas, *in addit. ad tract. de Confess. sollicit. Episcopi Acugna.*

Supr. in Ref. quæ hic est 15. signanter in §. pen.

Sup. hoc ipso in Ref. 21. & melius in aliis ejus not.

RESOL. XX.

An Inquisitores possint absolvere Hæreticum occultum in foro conscientiæ? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 35.

§. 1. NOvissimè Ferdinandus de Castro *in op. mor. tom. 1. tract. 4. disp. 4. punct. 3. §. 3. n. 3.* & Alphonsus de Leone *de offic. & potest. Confess. tom. 2. recollect. 6. num. 127.* docent, nulli Inquisitori neque Tribunali, datam esse facultatem absolvendi ab hæresi, & excommunicationibus reservatis in foro conscientiæ, quam sententiam tuentur etiam DD. quos ego ipse citavi *in 1. p. tract. de absol. ab hæresi,* * *ref. 3.*

2. Sed ego *ibi* contrarium docui, & nunc iterum docceo cum DD. quos *ibi* adduxi, quibus nunc addo Philippum de la Cruz *in Thesauro Ecclesiæ tract. 1. §. 6. n. 1. in fine,* & Martinum Bonacinam *in Bull. Cœnæ. tomo 3. disp. 1. q. 22. punct. 2. n. 5.* Dico igitur Inquisitores Hispanos potestatem habere etiam in foro conscientiæ ad absolvendum hæreticum occultum, & hanc sententiam in Hispania esse usu receptam, testatur ex Rodriquez dictus Bonacina, & ipsemet Castrus, & Doctores contrarij fatentur hanc sententiam esse probabilem, unde illam, ut mihi constat, in praxi deducere non dubitant Illustrissimi Inquisitores. Vide novissimè Farinacium *in addit. ad ejus opera post lib. 3. consil. 9. 4. n. 5. fol. mihi 4. col. 1.*

*Que hic est Ref. antecedens, & inf. in Ref. 37. §. ult.

RESOL. XXI.

Quid facere debeat hæreticus occultus, qui absolutionem ab Episcopo, vel ab Inquisitore obtinere non potuit? Ex p.1. tr.5. Resol.4.

Sup.hoc sup. in Resol.17. §. ult.& in Resol. 19.cursim in fin.& melius in to.9. tr.7. Resol.23. ante medium, à vers.& à fortiori, & in tom.4 tr.8. Resol.43. paulò post initium, à vers. Quod patet.

§.1. REspondeo: Hæreticus occultus, qui non potuit per Confessarium obtinere facultatem ab Episcopo, seu Inquisitore, ut ab hæresi absolvatur, mittat Romam, ad majorem Pœnitentiarium: & interim: dum talis expectatur facultas, observet ea, quæ de occulto excommunicato, non data de præsenti Confessoris copia tradunt, Navarr. *in Manuali, c.27. n.239.* & Henriquez *lib.6. cap.15. n.7.* Et ita docet Freitas *in addit. ad tract. de Confessor. sollicit. Episcop. Acugna, quæst.21. n.18.* ubi asserit, nullum Authorem hunc casum tetigisse.

2 Potest igitur, in tali casu, hæreticus occultus, ratione infamiæ, vel scandali, si timeantur, dum Sacerdos est celebrare; si autem laïcus, Eucharistiam sumere, eliciendo priùs actum contritionis: & si non existimat se contritionem perfectam habere, confiteatur, & à Confessario absolvatur, ex doctrina probabili, quam docet Reginald. *in praxi tom.1. lib.8. cap.7. n.87.* & alij, quos citat Sancius *in Sel ctis, disp.32. n.11.* quidquid alij contradicant, cum Sancio *loco cit.*

3 Sed aliqui plus addunt, (attendat Lector) etiam secluso scandalo, & periculo gravis infamiæ, supradictum hæreticum occultum, procurantem pro viribus absolutionem; sed propter paupertatem, aliudve legitimum impedimentum non valentem Romam adire, vel mittere, neque ab Episcopo, vel Inquisitore absolutionem obtinere, si verè pœniteat, & contritus sit, posse interim Missam celebrare, & Eucharistiam sumere, si laïcus est; si, ut diximus, scandali, & infamiæ timor adesset; & ita docet novissimè Fagundez *de Præcept. Eccl. tract.1. lib.3. cap.12. n.12.* cum sapientissimo sene Martino Navarro, adversùs Franciscum Suarez *in 3.p. tom.5. disp.9. sect.3. num.7.* quod est valdè notandum: & rationes adducit Fagundez. An verò hæc opinio sit probabilis, judicent viri docti: mihi enim non placet.

Sup his in §. 1. not præter. ante medium.

RESOL. XXII.

An legitimè impeditus adire Pontificem possit ab hæresi occulta absolvi ab inferiori Sacerdote? Ex p.4.tr.4. & Misc. Resol.242.

Sup.hoc lege doctrinam Resol.seq.& aliarum Resol. & §§. ejus annot.

§.1. AD hoc dubium respondet Iacobus Granado *in 2.2. D.Thomæ contra 1. tract.15. disp.16. sect.4.* ubi *n.m.18.* sic asserit: Vix, aut ne vix quidem casus iste in praxi occurrere potest; nam si impedimentum sit articulus, vel periculum mortis, diximus, quemlibet Sacerdotem posse absolvere ab hæresi; extra hunc verò articulum, aut periculum, cùm Episcopus juxta valdè probabilem sententiam possit absolvere, & idem probabiliter dici possit de Inquisitoribus, non deerit (moraliter loquendo) quin remedium habeat esto non possit adire Papam; sed si daremus, facultatem Episcoporum esse revocatam, & Quæsitores fidei non posse in foro conscientiæ hanc absolutionem impendere, vera nihilominus sententia est, etiam quando adest legitimum impedimentum adeundi Papam, non posse hæreticum occultum ab ullo alio absolvi. Ita Granado, qui citat Sanchez, & Suarez: sed circa præsentem quæstionem vide me ipsum *in part.1. tract.5. resol.4.*

Quæ hic est Resol. antecedens & lege etiam §§. ejus not.

RESOL. XXIII.

An qui laborat impedimento perpetuo, ita ut non possit adire Pontificem, possit absolvi ab hæresi, vel in dicto casu extra articulum mortis, an ad Inquisitores, vel ad Pontificem per Procuratorem, tacite nomine recurrendum sit? Ex part. 8. tract. 7. & Misc. Resol.15.

§.1. SVppono sub articulo, vel periculo mortis comprehendi quodlibet aliud impedimentum perpetuum ægritudinis, paupertatis, servitutis, &c. ita ut Confessarius possit absolvere pœnitentem, cùm ex dictis impedimentis non potest adire Summum Pontificem. Sed difficultas est, an hæc doctrina procedat etiam in casu hæresis, & negativè respondet Sanchez *in summa tom.1. lib.2. cap.13. n.37.* & Suarez *de fide, disp.21. sect.4. n.26. in fine.*

2. Non desinam tamen adnotare, affirmativæ sententiæ adhærere Castrum Palaum *tom.1. tract.4. disp.4. punct.3. §.5. num.5. & 6.* ubi sic asserit, solùm in crimine hæresis non audent plures Doctores hanc extensionem concedere ob ejus singularem gravitatem, & rigorosam reservationem. Addúntque sic impedito nullam suppetere viam se ab excommunicatione hæreticali liberandi, nisi accessum ad Inquisitores, vel Pontificem per litteras, vel procuratorem tacito nomine, siquidem Episcopo per Bullam revocata est facultas in Trid. concessa.

3. Fateor sola authoritate horum Doctorum hanc sententiam probabilem reputari. Nam si licet proferre, quod sentio, existimarem sanè æquè de hæresi, ac de aliis criminibus posse sic impeditum absolvi à quolibet Confessario; quia potestas utendi hoc privilegio fundatur in necessitate pœnitentis: at licèt sit delictum grave, graviorem tamen necessitatem pœnitens habet. Ergo non ob gravitatem hæresis limitandum est. Adde, quia, ut ipsemet Sanchez *num.14.* affirmat, & statim, dicemus, nullus tenetur in periculo mortis constitutus medio procuratore, aut litteris missis, absolutionis beneficium impetrare, quia nemo tenetur medium assumere, quo ejus delictum manifestari possit. Ergo neque etiam tenetur adstrictus illo perpetuo impedimento, quod mortis periculo æquivalet, assumere procuratorem, vel litteris facultatem procurare. Aliàs si propter gravitatem hæresis, & illius specialem reservationem deberet pœnitens impeditus confugere ad Inquisitores, vel ad Pontificem per procuratorem, etiam in articulo mortis constitutus, deberet eam diligentiam adhibere. Neque videtur esse specialior ratio in uno, quàm in alio. Hucusque Palaus.

4. At sententiam negativam cum Sanchez, & Suarez, docet amicissimus, & doctus P. M. Candidus *tom.1. disp.3. artic.8. dub.5. num.5.* ubi sic ait: Potestas absolvendi ab hæresi in articulo mortis, non est extendenda, ut possit quis absolvi alia ratione impeditus, puta paupertate, inimicitiis, senectute, aut similibus impedimentis. Vnde in tali casu extra articulum mortis ad Inquisitores, vel ad Pontificem per procuratorem, aut litteras tacito nomine recurrendum est. Quia cùm non exprimatur *in capit. ea noscitur, de sententia excommun.* & in aliis, casus hæresis non censetur in illo comprehendi, propter strictissimam ejus reservationem. Ita Candidus.

RESO

RESOL. XXIV.

An qui non possit adire Papam ex perpetuo impedimento, possit ab hæresi absolui, etiam si nondum sit in articulo mortis? Ex part. 11. tractatu 8. & Miscell. 8. Res. 2.

§. 1. AD hunc casum sic respondet Dicastil. *de Sacram. tom. 2. tract. 8. disp. 11. dub. 16. num. 267.* Quæri potest, an qui laborat perpetuo impedimento adeundi Papam, etiamsi nondum sit in articulo mortis, possit prædicto modo absolui, non solum ab aliis reservatis, sed etiam ab hæresi itaut sub nomine articuli mortis comprehendatur perpetuum impedimentum, & impotentia adeundi illum, & sicut quando est in articulo mortis potest absolui ab hæresi, possit etiam in tali impedimento?

2. Negant multi, inter alios Sanchez *in summa lib. 2. cap. 13. n. 37.* Suarius *de fide disp. 21. sect. 4. n. 26. in fine*, qui alios referunt. Refert etiam Diana 8. *p. tract. 7. resol. 15.* Candidum, ipse tamen Diana nihil decidit. Moventur ad id negandum ob ejus delicti singularem gravitatem ob quam censeri debet magis rigorosa reservatio. Oppositum tamen existimat (si ratione agatur) probabilius Castro Palao *loc. citato numero 5.* cujus rationes mihi valdè placent. Probatur ergo eandem esse rationem de hæresi. Quia ea facultas conceditur ob necessitatem pœnitentis, hæc autem non minor, sed eo major est, quo gravius est delictum, & magis cavendum periculum, ne quis sub tanto malo moriatur, ergo gravitas non obstat, sed potius juvare debet, ut præcaveat periculum, nec superior censetur velle, ut tandiù maneat expositus tali periculo. Accedit, quod juxta receptam sententiam (de quo alibi diximus, & Sanchez admittit *numero 14.*) nemo in periculo mortis constitutus tenetur mittere procuratorem, aut litteras pro obtinenda absolutionis facultate, & beneficio, neque enim tenetur medium adhibere, in quo se exponat periculo manifestandi suum delictum aliis. Atqui ille qui in tali impedimento est constitutus eodem modo se exponeret eidem periculo, ergo eodem modo non tenetur illi se exponere. Alioquin si ob gravitatem hæresis deberet tunc mittere per procuratorem, aut litteras ad Inquisitores, vel Papam, id ipsum teneretur in ipso mortis articulo, si posset, quod adversarij non concedunt. Hucusque Dicastillus, sed sicut ego, ut ipse supra notavit, olim nolui in hac quæstione judicium ferre; idem iterum, & nunc facio.

3. Notandum est hic propter superius dicta quod quoties quis non potest per semetipsum adire superiorem, etiamsi possit illum vocare, censetur constitutus in articulo necessitatis, idque colligitur *cap. Quamvis, de sentent. excommunic.* ubi ad obtinendam absolutionem solùm requiritur, ut quolibet canonico impedimento, retrahatur quo minus Romanum Pontificem possit adire; ita Corduba *in summa quæst. 18. par. 2.* Valentia *tom. 4. disputat. 8. quæstion. 10. punct. 2.* Azor. *tom. 1. lib. 8. capit. 19. quæst. 5.* Henriquez *de pœnit. lib. 6. cap. 9.* Sanchez *lib. 2. summa cap. 13. numero 14.* qui omnes teste eodem Sanchez, & alij plures, quos refert, docent censeri legitimè impeditum eum, qui personaliter superiorem adire nequit, etiamsi procuratorem mittere valeat. Atque ut idem Sanchez advertit, jus non obligat pœnitentem ut se per tertiam personam præsentet, sed per seipsum. Vlterius in hac materia onus adeundi superiorem, ut obtineat absolutionem, non est onus confessarij; sed gravamen pœnitentis, quasi in pœnam sui delicti. Quando ergo non potest ipse adire superiorem, vel eum accersere, censetur verè impeditus, & carere copiâ superioris? Multò minus per litteras tenetur, quia exponeret se periculo delegendi peccatum, si vel litteræ amitterentur, vel ab alio reperirentur, aut postquam in manum superioris venerunt ab aliquo alio legantur, ut sæpè potest fieri; est etiam difficile tale medium exequi sine nota. Quid si superior non annuat? Denique multa sunt quæ ab his mediis deterere possunt. Hanc ipsam sententiam relatis auctoribus prædictis sequitur Castro Palao, & rectè probat discurrendo per singula alia media recurrendo ad superiorem, & ostendendo pericula, quæ in his possunt timeri. Legatur illa, citata *disput. 4. punct. 5. numero 7.* ubi cum eodem Sanchez rectè docet non teneri pœnitentem accipere Bullam Cruciatæ, aut aliud simile privilegium, sed posse uti ordinario beneficio juris.

sit absolvere prætextu cujuscumque facultatis, etiam per cujusvis Concilij decreta in genere, vel in specie concessa, eo quòd clausulam hanc intelligant derogare tantùm facultatibus,quæ concedunt absolutionem casuum Bullæ quando publici sunt;cum ergo hæresis occulta sit unum ex peccatis à quibus Episcopus potest absolvere, porrò optimè intelligere possumus, quando Summus Pontifex in Iubilæo concedit facultatem absoluendi ab omnibus casibus Papæ reservatis, etiam in Bulla Cœnæ contentis(hæresi excepta)exceptionem hanc esse tantùm de eo peccato hæresis, à quo solus Papa potest absoluere quale est peccatum hæresis publicæ,cùm enim restrictio hæc sit odiosa,ea est limitanda, si verba talem limitationem patiantur. Atqui restrictio hæc optimè potest alligari soli absolutioni hæresis publicæ. Ergo solùm respectu hujus negabitur in Iubilæo facultas absoluendi.

Sup. hoc latè in tr.3. tr.3. Ref.38. 39 & 40. & in aliis earum notationũ.& in to.9. tr.7. ex lata doctr. Ref. 121. §. Arguitur tertio, &c.

2.Et ad hoc videtur facere quod habet Sanchez *in summ.tom.1. lib.4. cap.54. num.27.* quo loco intendit probare, Confessorem posse vi Bullæ Cruciatæ plures absoluere pœnitentem à casibus Papæ reservatis, sed occultis, quia videlicet Bulla excipit quidem casus Pontifici reservatos, ita ut non liceat ab illis absoluere toties, quoties, sed tantùm semel in vita, & semel in mortis articulo:sed quando hi casus sunt occulti, jam non sunt casus, reservati Summo Pontifici, sed jure ordinario, non verò speciali competunt Episcopis, & annexi sunt dignitati Episcopali; cùm autem Bulla Cruciatæ concedat absolutionem à reservatis Episcopo toties, quoties, dicendum etiam est eam concedere absolutionem à casibus Papalibus occultis toties, quoties, ex eo quòd per Concil. Trident. casus Papales occulti non sint Papales, sed Episcopales:quia licèt casus Papales non desinant esse tales, eò quòd Pontifex illos concedat aliquoties Episcopo: imò licet illos semper concedat Episcopo speciali, at desinunt esse Papales per generalem constitutionem concedentem eos in perpetuum cuilibet Episcopo.

3.Idémque habet Ægidius Trullench *in Bulla Cruciatæ,lib.1. §.7. cap.2. dub.6. num.3.* ubi sic ait: Bulla enim solos casus Pontifici reservatos excipit, ne liceat ab illis absoluere toties, quoties.At casus occulti non sunt casus Papæ reservati, sed competunt Episcopis, non ex aliqua delegatione speciali, ut existimat Henriquez,sed jure ordinario sunt perpetuò adnexi dignitati Episcopali, neque exigitur industria personæ Episcopi,aliter enim ita essent personales, ut eos delegare non posset, quod est falsum. Ergo eis talis facultas competit jure ordinario, & eo jure casus Papales, si occulti sint, censentur casus Episcopis reservati. Quam sententiam ita confirmat ex Sanchez, superiùs citat:quia licèt casus Episcopales non desinant esse tales per concessionem peculiarem factam ab Episcopo: at desinerent esse si constitutione synodali Parochis omnibus concederent, & solis illis reservati essent; ergo similiter licèt,casus Papales non desinant esse tales, eò quòd illos semel, aut iterum Pontifex concedat Episcopo, imò licèt semper illos concedat Episcopo speciali:at desinunt esse tales per generalem constitutionem concedentem eos in perpetuum cuicumque Episcopo,ut factum fuit in Tridentino respectu casuum Papalium occultorum.

4. Ex quibus videtur posse inferri, cùm hæresis occulta sit casus Episcopalis, ex eo quòd illius absolutio jure ordinario competat Episcopis:quoties Papa in Iubilæo concedit absolutam facultatem absoluendi ab omnibus casibus Episcopalibus, & à casibus Papalibus excipit hæresim,exceptionem intelligendam esse de hæresi, quæ est casus Papalis, id est, de hæresi publica. Et hæc omnia docet Mazuchellus *ubi suprà*, licèt postea asserat in praxi contrariam sententiam consulendam esse; sed ego prorsus puto affirmativam sententiam improbabilem esse,& Confessarium,illam in praxi deducendo, esse in nostro S. Tribunali Inquisitionis puniendum. *Primò*, quia Episcopi vigore Tridentini non possunt amplius ab hæresi occulta absoluere. *Secundò*, quia cùm Pontifices in Iubilæis absolutè excipiant hæresim, tollunt Confessariis omnem facultatem circa hæreticos, sive publici sint, sive occulti, & contrarium asserere,est in luce meridiana velle cæcutire.

RESOL. XXXII.

An Confessarius virtute Bullæ Cruciatæ possit absolvere à casibus contentis in Edicto Dominorum Inquisitorum, hæresi tamen excepta?

Et an Confessarius possit per Cruciatam absoluere tantum semel in vita,& semel in morte ab omnibus casibus contentis in primo Canone Bullæ Cœnæ?

Et an vero malefici, sortilegi, sollicitantes in confessione, blasphemantes hæreticaliter, & similes alij possint absolui toties, quoties?

Et quid de Episcopis in supradictis casibus?

Et an virtute Bullæ Cruciatæ possit Confessarius absolvere fœminam sollicitatam, quæ non denunciavit, si postea denunciet? Ex p.1.tr.5.Ref.7.

§.1. REspondent aliqui, omnia supradicta intelligenda esse de crimine hæresis formaliter,non autem de aliis criminibus spectantibus ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis ut sunt sortilegium,maleficium, superstitio, magia,adoratio Dæmonum, solicitatio in Confessione,blasphemia hæreticalis, lectio librorum hæreticorum, defensio eorum, & similia: nam in hujusmodi delictis, & similibus,si aliquis non habeat errorem in intellectu, & credat omnia ab Ecclesia determinata; sed crimina illa committat tantùm exteriùs ob iracundiam, vel ob sensualitatem, vel ex aliquo alio motivo, is utique (asserunt) poterit à quocumque Confessario,virtute Bullæ Cruciatæ absolui. Et probatur:nam supradicta Bulla concedit omnes casus excepta hæresi: sed dicta crimina non sunt formaliter hæresis: ergo poterunt à tali Confessario absolui.

Sup. hoc casu & in hoc & in tract.4. per tot. Ref.41.§.ult. & ex Ref. 42.§.ult.

2.Et ita secundùm Henriquez *lib.6. cap.16. num.2.* Portell. *in addit.ad dubia regul. verb. libri prohibiti,numero 14.* Sanchez *in summa, tom.1. lib.2. cap.12.n.12.* Duardum *in Bulla Cœnæ,lib.3.§.2.quæst.8. & quæst.11. num.47.* Farinacium *de hæresi, quæst.180.num.8.* Acosta *in Bulla Cruciatæ, quæst.63. conclus.4.* Suarez *tractat.de fide, disput.24. sect.1. num.11.* & alios, Confessarius virtute Cruciatæ potest absoluere ab omnibus casibus contentis in primo Canone Bullæ Cœnæ, excepta hæresi.

3. Notant etiam, quòd à supradictis casibus, contentis in primo Canone Bullæ Cœnæ, Confessor potest tantùm per Cruciatam absoluere semel in vita,& semel in morte, ut notavit Sanchez *ubi suprà,& to.30. num.17.*cum aliis. At malefici, sortilegi, sollicitantes in Confessione, blasphemantes hæreticaliter, & similes alij possunt absolui virtute Cruciatæ toties, quoties: quia talia, & similia delicta non includuntur in primo Can.Bullæ Cœnæ,dummodo, ut diximus,non habeant supradicti errorem in intellectu, quia sic,essent Hæretici formaliter: & ita notavit Filliucius *to.1. tract.16.cap.3. num.49.* Altherius *de censibus suprà*, & Suarez *in 3. part.tom.5. disp.21.sect.2.num.14.* ubi sic asserit:[Nec propter pactum cum Dæmone, nec propter alia peccata ad Tribunal Inquisitionis spectantia, propter suspicionem hæresis, vel superstitionem Religionis, hæc censura Bullæ Cœnæ incurritur: quia

Sup. hoc §. n.7. & 8. & ver. qui ex hoc docent. Ref.1. num. 4. & annot. vid. Sed de

ha

hæresis non sunt. Regulariter enim in his, ut notavit etiam Filliucius, *ubi suprà*, non intervenit error in fide, sed potiùs ex aliqua passione efficiuntur. Vide etiam Freitas *in addit. ad tract. de Confes. sollic. quæst. 21. n. 31.* Ortiz *in summa, cap. 24. n. 11.* quia asserunt, posse Confessarium absoluere fœminam sollicitatam, quæ non denunciavit, si postea denunciet; & hoc virtute Bullæ Cruciatæ. Delrius etiam *in disq. mag. p. 3. lib. 5. sect. 17.* asserit, virtute ejusdem Bullæ, quæ concedit casus Bullæ Cœnæ, posse Confessarium absoluere legentes libros magicos: quod etiam docet Raphaël de la Torre *in 2. 2. tom. 2. q. 96. art. 4. disp. 5. in fin.* Giptius de veneficiis, & sortilegiis, & similibus, absolutè loquendo *in tract. de cas. reserv. c. 6. n. 84.* ita ait: Prudens Confessor, habens facultatem absoluendi ab his casibus, considerabit, sit nécne pœnitens verè hæreticus: nam etsi quodcumque prædictorum, quantumcumque manifestam hæresim sapientium, fecerit, si revera non sit hæreticus, absoluat illum; quidquid sit futurum coram Inquisitore, si res aliquo futuro tempore detegeretur. nam talis absolutio non patrocinatur in foro exteriori.] ita ille.

4. Vnde ex opinione dictorum DD. apparet, quòd stando etiam in opinione illorum, asserentium, fuisse Episcopis ablatam potestatem absoluendi ab hæresi; dicendum est tamen, posse Episcopos, hoc non obstante, absoluere à sortilegiis, maleficiis, blasphemiis hæreticalibus, & aliis delictis sapientibus hæresim; dummodo non adsit error in intellectu talia perpetrantium: nam, licet hæc omnia sapiant hæresim, non sunt tamen hæresis formaliter. Et ita in terminis observat Homobonus *de exam. Eccles. p. 1. tract. 5. cap. 6. q. 31. in fine*, & ante illum Franciscus Leo *in thes. fori Eccl. p. 3. cap. 37. n. 47.*

5. His tamen non obstantibus, non desunt DD. contrarium asserentes; nempe, sub nomine hæresis includi alia delicta contenta in Edictis Inquisitorum. Et ita docet Fernandez *in exam. Theol. mor. part. 3. cap. 9. §. 16. sect. 1. num. 1.* Turrian. *tom 1. in 2. 2. disp. 56. dub. 2.* Altherius *de cens. tom. 1. lib. 5. disputat. 2. cap. 9. in fine.* Azorius *tom. 2. lib. 8. cap. 19. quæst. 9.* Ledesma *in summa, tom 2. tract. 1. cap. 6. in fin.* & alij. Sed restat videre, an in supradictis delictis Regulares vigore suorum privilegiorum, habeant potestatem absolvendi.

RESOL. XXXIII.

An Regulares virtute suorum privilegiorum possint absolvere sæculares à casibus contentis in Edicto Dominorum Inquisitorum, dummodo excommunicationes non proveniant ex hæresi formali, vel ex aliis criminibus contentis in Bulla Cœnæ?

Et an sit absoluendus Hæreticus, qui ducitur ad comburendum, & moritur negativus, si antea publicè non fatetur? Ex p. 1. tr. 5. Res. 8.

§. 1. REspondent aliqui, quòd Regulares, virtute suorum privilegiorum, possunt absoluere sæculares ab omnibus excommunicationibus contentis in Edicto Dominorum Inquisitorum, dummodo tales excommunicationes non proveniant ex hæresi formali, vel ex aliis criminibus contentis in Bulla Cœnæ.

2. Probatur hæc sententia, primò ex privilegiis: & ideò *in nostro Comp. tit. Absolutio, quoad sæculares.* §. 1. sic habetur. [Omnes Confessarij nostræ Congregationis, approbati juxta formam Concilij Tridentini, habent facultatem absoluendi quoscumque Christi fideles, undecumque venientes à quibuslibet peccatis, etiam Apostolicæ Sedi reservatis, & à quibuscumque censuris, sententiis, & pœnis Ecclesiasticis ex illis resultantibus; præterquam ab his, quæ continentur in Bulla Cœnæ Domini.] Hæc sunt verba privilegij, ubi pondera illam conjunctivam dictionem, *etiam*, quæ demonstrat, non solùm Regulares posse absoluere à reservatis Sedi Apostolicæ; sed etiam à reservatis cuicumque inferiori Papæ.

3. Secundò, probatur ex illo communi axiomate, quod habetur *in regula juris, in 6.* Cui licet, quod est plus; licet utique quod est minus: sed plus est absoluere à reservatis Papæ, quàm à reservatis Inquisitoribus: ergo, &c.

4. Tertiò, probatur ex illa communi doctrina, in materia de censuris, nempe, excommunicationem, ab homine absolvendam esse ab illo, qui eam tulit, vel ab illius Superiore, vel ab illo, qui fuit ad id legitimè delegatus: sed Regulares, ut *supra* probatum est, habent potestatem absoluendi ab omnibus censuris, à quibus Pontifex potest absoluere; & Pontifex potest absoluere à censuris latis per Dominos Inquisitores: ergo ab illis poterunt etiam absoluere Regulares, qui habent jurisdictionem delegatam à Summo Pontifice illis generaliter concessam, exceptis censuris in Bulla Cœnæ contentis. Et ita in terminis hanc sententiam docet doctissimus Portel. *in addit. ad dub. regul. ver. sollicitare fœminas, n. 24.* & Freitas *in addit. ad tract. de Confes. sollic.* Episc. Roder. Acugna, *q. 21. n. 31.* Sed ego in hac quæstione de meo nihil dico, & nihil pono: solùm refero, quid alij dixerunt.

5. Pro coronide verò hujus disputationis ponam hic pulchrum dubium, & est; An sit absoluendus hæreticus, qui ducitur ad comburendum, & moritur negativus, si antea non fateatur veritatem publicè? Sanchez *in summa, tom. 1. lib. 3. cap. 7. num. 10.* putat, non esse absoluendum; ut ex hoc scandalum cesset. Non reticebo tamen Portel. *ubi suprà, in addit. ad dub. regul. ver. Reus, numero 3.* adversus Sanchez contrarium docere: & quia Codex rarus est, ponam ejus verba, quibus asserit: [Ista doctrina dura mihi videtur; neque illam reperi apud aliquem Doctorem: neque Sanchez ullum citat; neque video, quare non militent pro isto reo hæretico, ad illum sic non obligandum, rationes pro excusandis aliis reis non hæreticis, maximè cùm in reo hæretico violentius sit, & magis infame veritatem publicè fateri. Quod verò attinet ad scandalum quod putat Sanchez dari ab hæretico negativo, dici potest non inde suscipi scandalum, cum omnes sciant solere eos negare, & simul sciant illum posse verè confiteri sacramentaliter in articulo mortis. Et idem scandalum suo modo suscipi potest de aliis reis negativis ductis ad patibulum. Adde, quòd hoc non videmus fieri à Confessoribus doctis comitantibus reos hæreticos ad combustionem.] Ita Portel. Et hæc dicta sufficiant pro præsenti quæstione, quæ omnia ex probatissimis Authoribus desumpta sunt maximè ex Theologis Hispanis, quorum libri approbati fuerunt communi calculo Sancti Officij, & ab Illustrissimis Inquisitoribus, quibus hæc scripta, & alia in posterum à me scribenda, humiliter & ex corde submitto.

RESOL. XXXIV.

An Prælati Regulares possint absoluere suos subditos ab hæresi occulta?

Et an Provinciales subdelegare hanc facultatem in casibus particularibus possint?

Et quid, circa supra dictam primam difficultatem Sacra Cardi

Cardinalium Congregatio sub die 17. Novembris 1628. declaraverit? Ex p. 1. tr. 5. Res. 6.

Sup. hoc in tribus Res. seq. & in quarta, in fin.

§. 1. REspondeo aliqui, posse Prælatos regulares absolvere subditos suos ab hæresi occulta. Probatur ex privilegio Pij V. apud Bullarium Rodriquez *fel.* 220. de quo facit mentionem Portel. *in dub. regul. verb. Abbas, num.* 6. Sanchez *de matrimon. tom.* 2. *lib.* 8. *disp.* 2. *n.* 3. Suarez *in* 3. *p. tom.* 4. *disp.* 36. *sect.* 2. *n.* 7. ubi tribuit et Prioribus Dominicanis, ac proinde aliis regularium Communitatum Superioribus erga suos subditos, in foro conscientiæ tantùm, & per se ipsos tamen, omnis facultas absolvendi, & dispensandi, quam habent Episcopi vigore Concilij Trid. *sess.* 23. *cap.* 6. erga suos subditos: sed Episcopi, ut *suprà* visum est, secundùm mentem aliquorum Doctorum, possunt etiam modò absolvere ab hæresi occulta: ergo poterunt etiam Superiores regulares.

Supra in Res. quæ hic est, 15. & in aliis ejus not. & signanter secundæ.

2. Et ideò Suarez *de Relig. tom* 4. *tract.* 9. *lib.* 2. *capite* 20. *num.* 11. & Cotiolanus *de cas. reserv. p.* 1. *sect.* 1. *art.* 23. *num.* 6. asserit, quòd si authoritas Episcoporum revocata non est per Bullam Cœnæ, possunt sine dubio Superiores Regulares ex dicto privilegio Pij V. hæresim occultam absolvere: quia extensio Pij V. generalis est quoad omnes facultates: sed *suprà* probabiliter ab aliquibus Doctoribus satis ex multis rationibus fundatum est, authoritatem Episcoporum per Bullam Cœnæ non fuisse sublatam: ergo in vigore remanet privilegium Pij V. & per consequens virtute illius potest quilibet Superior regularis, sicut Episcopi, absolutionem ab excommunicatione hæresis occultæ subditis suis impertiri. Non tamen approbo opinionem Megalæ *in* 1. *p. lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 10. ubi videtur docere, posse Regulares uti dicto privilegio Pij V. non obstante, quod facultas tributa Episcopis fuerit ex vi dictæ Bullæ Cœnæ sublata: non inquam, approbo hanc sententiam: quia Pius V. in illo privilegio non vult, ut Regulares in hac parte habeant majorem jurisdictionem, quàm Episcopi; sed tantùm ut non sint pejoris conditionis: ergo, si esset sublata authoritas Episcoporum, esset per consequens Regularium facultas suspensa. Et ita docet Suarez *ubi suprà de Relig. tom.* 4. *lib.* 2. *cap.* 21. *n.* 10.

3. Sed dices primò, dato, & non concesso, quòd Episcopi nunc possint absolvere ab hæresi occulta, negatur, posse Regulares ex dicto motu Pij V. nam per Bullam Cœnæ omnia privilegia derogantur: & ita, hoc privilegium fuisse in Bulla Cœnæ derogatum, censet Suarez *ubi suprà*, cum Portel. *in dubiis regul. verb. Abbas, num.* 11.

4. Sed ego contrariam sententiam probabilem esse existimo, quæ asserit, Bullam Cœnæ non derogare Regularium privilegiis. Primò, quia frustra innovarentur, ut ab unoquoque Pontifice fieri solet, si in die Cœnæ ab ipsismet Pontificibus forent revocanda. Secundò, quia in clausula Bullæ Cœnæ non prohibetur absolvere ratione privilegiorum, sed eorum prætextu: prætextus autem non excludit illud, quod sit legitima facultate interveniente: sed illud, quod sub aliquo velamine exercetur. Et secundùm hanc expositionem intelligenda sunt illa verba ejusdem Bullæ Pij V. *concedendorum, & innovandorum.* Et ita docet in terminis Sousa *in Bulla Cœnæ, c.* 23. *disp.* 100. *concl.* 7. *n.* 3. & Peirinus *de privil. Minimorum, tom.* 1. *Constit.* 4. *Sixti IV.* §. 5. *n.* 6. *& seq.* & Villalobos *in summa, p.* 1. *tract.* 9. *disp.* 41. *n.* 5. cum aliis, quidquid in contrarium asserant aliqui.

Sup. hoc inf. in Res. 36. §. At revocantur, in princ.

Sup hoc præextu ibid. & in eodem §. post med. à vers. Quatro & in aliis ejus not.

* Sup. hoc in Res. 36. §. At revocantur ad med. & in Res. 37. §. quidsed leg. contrariũ

5. * Adde etiam, quòd Greg. XIII. anno 1584. die 18. Martij, indulsit Patribus Societatis Iesv, ut concessiones illis factæ non censeantur per Bullam Cœnæ revocatæ, ut habetur *in Compend. ejusdem Societatis, verb. Bulla Cœnæ,* §. 2. Et notavit Suares *de Relig. tom.* 4. *tract.* 10. *lib.* 9. *cap.* 20. *n.* 18. & Portell. *in dub. regul. ver.* Bullæ Cœnæ, *n.* 2. Sed cùm nostra Religio, & communiter omnes aliæ, per communicationem gaudeant supradicto privilegio: ergo, non obstante derogatione Bullæ Cœnæ, possunt uti eorum privilegiis, quasi semper à Summis Pontificibus innovatis; & denuò concessis, quia ex privilegio Greg. XIII. per Bullam Cœnæ non revocantur.

6. Instabis rursus, non posse Regulares per dictum privilegium Pij V. absolvere ab hæresi; quia in dicta concessione non fit specialis mentio de hæresi; & in nulla generali concessione censetur hæresis absolutio comprehendi, nisi specialiter exprimatur, sicut virtute Iubilæi non absolvitur hæresis: & ita Sanchez *in summa, tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 7. Sanctarellus *tract. de hæresi, cap.* 5. *dub.* 1. *num.* 9. docent in dicto privilegio Pij V. hæresim non esse comprehensam, & Regulares, virtute talis privilegij, illam absolvere minimè posse.

7. Sed respondeo cum Suarez, *ubi supra, tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 10. & 11. Portell. *in dubiis regul. verb. Abbas, n.* 6. & aliis, hæresim in illo privilegio comprehendi. Et ratio est: quia quando Pontifices volunt à generali aliqua concessione hæresim excipere, illam nominatim excipiunt, ut patet in concessione facta à Greg. XIII. Fratribus Sancti Bernardi, in Hispania apud Portell. *ubi supra,* & in aliis Bullis. Ergo, dum non excipiunt, videntur illam concedere. Deinde in Bulla Pij V. expressè conceduntur casus concessi Episcopis *in cap.* 6. *Trid.* ubi specialis mentio fit de hæresi: adde quòd, ut etiam probabiliter diximus, in Iubilæo non exprimitur hæresis, & tamen per generalem concessionem casus Bullæ Cœnæ Doctores probatissimi asserunt, posse Confessarium virtute illius, hæreticos occultos absolvere.

Sup. cum in hoc §. si in Relig. Nomina ante med. in ref. 32. Quæ

8. Plus addam. Etiam secluso privilegio Pij V. Patres Societatis Iesv asserunt, ex privilegio Greg. XIII. posse eorum Generales, & Provinciales absolvere suos ab hæresi occulta. Ita habetur *in Compend. Societ.* §. 7. & 8. & hoc etiam docent Ortiz *in summa c.* 5. *num.* 29. & Peirinus *de privileg. Minimorum, tom.* 1. *Constit.* 4. *Sixti IV.* §. 5. *numero* 20. Suarez, *de Relig. tom.* 4. *tract.* 10. *lib.* 9. *cap.* 2. *num.* 17. docet posse Provinciales subdelegare hanc facultatem in casibus particularibus, non autem generaliter concedere alicui, nisi habuerint à Generali ampliorem facultatem, quam ipse poterit concedere extra Hispaniam, ubi judicaverit expedire. Et hanc etiam potestatem habere Generalem nostræ Religionis, notavit vir doctissimus & amicissimus, P. Peregrinus *in Compend. privileg. p.* 2. *tit. absolutio,* §. 2.

Sup. hoc in §§. neque tenetur, & §§. neque sequentes in ea Hispaniam lege §. 1. & parentes Ref. 20. de in ref. 32. §. 1. & 2. etc.

9. Notandum est etiam, quòd *in Societatis Compendio, ver. Bulla Cœnæ,* §. 8. & apud Portel. *in dub. regul. ver. hæresis, numero* 2. concessit Minoritis Alexander VI. facultatem absolvendi suos subditos ab hæresi occulta: & verba dicti privilegij invenies penes Villalobos *summa tom.* 1. *tract.* 9. *dub.* 61. *num.* 9. *in fin.* quibus quidem omnibus privilegiis nostra Religio, & ferè omnes, per communicationem gaudebunt.

10. Sed, his minimè suffragantibus, contrariam sententiam sequendam esse existimo. Dico igitur cum Megala *consil.* 21. *num.* 6. & Novario *in singul. conc.* 3. *num.* 10 Prælatos regulares, non posse absolvere subditos suos ab hæresi occulta. Et de hac opinione ampliùs non est dubitandum, cum novissimè ita declaratum sit per Sacram Cardinalium Congregationem, sub die 17. Novembris, 1628. Sed, quid faciendum, si casus accideret? Respondeo, posse talem Regularem hæreticum occultum, non solùm ab Inquisitore absolutionem obtinere; sed ex licentia Superioris se subjicere Episcopo, & ab illo, secundum opinionē

Sup. hoc fin. Ref. 6 in ref. 32. §. ult. Ref. 37. §. Ideo quæres. Tertio

DD. *ubi suprà in resol.* 2. absolutionem ab excommunicatione occultæ hæresis impetrare, ut docet Sanchez *in summa tom.* 1. *lib.* 2 *cap.* 11. *num.* 10. *& lib.* 4. *cap.* 39. *num.* 32. *&* 33. cum Finellio *tract. de cas. reserv. cap.* 7. *num.* 6. Et hoc procederet etiam, quando talis Prælatus injustè denegaret licentiam petitam: nam per epiicheiam debemus credere voluntatem Papæ, & Religionis esse, ut Episcopus in eo eventu talem Religiosum exemptum absolvat. Ita Pontius *de matrim. lib* 8. *cap.* 5. *numero* 14. Molina *de just. tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 61. *num.* 5. & alij. Vide etiam Sanchez *in summa, tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 39. *num.* 36. & Suarez *in* 3. *part. tom.* 4. *disput.* 30. *sect.* 2. *num.* 3. quidquid in contrarium adversus illum asserat noster Megala *in* 1. *part. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 10.

RESOL. XXXV.

An Prælati Regulares possint absoluere subditos ab hæresi occulta? Ex p. 3. tr. 2. Res. 122.

§. 1. PEregrinus *in compendio nostrorum privilegiorum part.* 2. *tit. Absolutio quoad fratres*, §. 2. affirmativè respondet ex ptivilegio, Gregorij concesso Societati Iesu die 18. Martij 1584. & hoc procedere etiam in Hispania testatur.

2. Verùm de hac facultate, præsertim in Hispania, per consequens in Regno Siciliæ valdè dubitat Hieronymus Rodriquez *in compend. qq. Regul. resol.* 3. *n.* 5. & absolutè non posse Superiores regulares absoluere suos subditos ab hæresi occulta docet Tamburinus *de jure Abbatum, tom.* 2. *disp.* 14. *quæst.* 17. *num.* 3. Megala *cons.* 21. *num.* 6. Novar. *in sing. jur. Pont. concl.* 3. *n.* 10. Avila *de censur. part.* 7. *disp.* 10. *dub.* 6. *not.* 3. Vega *in summa tom.* 2. *cap.* 125. *cas.* 12. Sanchez *in summa tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 7. & hoc hodie non est dubitandum, ut ego observavi *in tract. de absolutione ab hæresi ref.* 6. per decretum Vrbani VIII. datum Romæ die 17. Novembris 1628. in quo revocantur in ampla forma omnia privilegia Regularium absoluendi à casibus contentis in Bulla Cœnæ, ut est hæresis, &c. Vnde corruunt omnia argumenta, quæ ego in dicta resolutione pro opinione affirmativa adducebam. Adde quod privilegium Gregorij XIII. habet etiam difficultatem, per aliud privilegium ejusdem Gregorij, ut adversus Peregrinum observat Alphonsus de Leone *de offic. & potest. Confes. tom.* 2. *recoll.* 11. *n.* 209.

Sup. hoc in §. 1. præt. & in duabus sequentibus.

Quæ nunc dicenda, & in alijs not. 1. hujus Ref.

RESOL. XXXVI.

An Superiores Regularium possint illos absoluere ab hæresi occulta?

Et an Episcopi possint etiam ab hæresi occulta absoluere? Ex p. 6. tr. 7. & Misc. 2. Res. 63.

§. 1. AFfirmativam sententiam novissimè nominatim contra me docet Stephanus Bauny *in Theol. mor. p.* 1. *tract.* 4. *q.* 32. ex tribus fundamentis. Primum. Quod æquitati naturali alienum videtur, ut Regulares remedio ad salutem necessario careant, carerent autem si lapsi resurgere, ligati solui, excluſi per hæresim ab Ecclesia ad eam revocari, ac admitti per Superiores suos non possent: oportuit ergo ad eos authoritate præstare, ne quid eis ad commissæ sibi plebis regimen deesset, quo eos privatos esse jure queratur.

Sup. hoc in §. 1. & seq. & in duabus præcedentibus.

Sup. hoc sup. in Ref. 34.

2. Secundum. Quod à Pio V. concessum sit Provincialibus, Præpositis, & Prioribus Ordinis S. Dominici, ut quod Episcopi, concessione Concilij, in causa subditorum faciunt, hoc illis cum fructu & laude ad suorum utilitatem ac commodum, aggredi fas esset in foro conscientiæ, Rodriquez & Candidus *suprà*: ergo ut Episcopi à suspensione, excommunicatione, & irregularitatibus occultis, ac non deductis ad forum contentiosum, absoluere suos subditos possunt vigore Concilij: ita & hi Regulares suos, vi concessi sibi privilegij, quod est generale quoad omnes facultates secundum Suarez *de Relig. tom.* 4. *tract.* 9. *lib.* 2. *cap.* 20. & commune cum Religionibus mendicantium, & aliis quibus Papæ indulgentia, ac beneficio fas est in communionem gratiarum admitti quæ ab eo uni cuipiam earum, singulari amoris erga illam argumento conceduntur.

3. Nominatim autem est indultum Abbatibus, Prioribus, Præsidentibus, & aliis Prælatis Congregationis S. Benedicti Vallisoletani, ut annis singulis prima die Lunæ Quadragesimæ omnes & singulas personas Religiosas, ac Donatos, & Eremitas præfatæ Congregationis sub eorum cura existentes possint absolvere ab omnibus peccatis & censuris, & pœnis pro tempore incursis, etiam in casibus, &c. Rodriquez *in Bullar. fol.* 816. Hujuscemodi autem privilegij concedendi Regularibus hæc causa fuit, quòd alioquin malè illis provisum foret, ut potè quibus evagandi daretur occasio, quod non oportuit. Sanè novissimis hisce temporibus hoc suæ charitatis monumentum erga societatem nostram extare Gregorius XIII. voluit, ut ejus Superiores, hoc est Generalis & Provincialis absoluere ab hæresi occulta, ac ejus relapsu subditos suos valeant. Compend. Societ. *verb. Absolutio*, §. 3. 7. & 8. Ortiz *in summ. cap.* 5. *num.* 29. Peirinis *de privileg. Minim. tom.* 1. *Constit.* 4. *Sixti IV.* §. 5. *num.* 10. docetque Suarez *de Relig. tom.* 4. *tract.* 10. *lib.* 9. *cap.* 2. *num.* 17. posse Provinciales ex causa vices suas alteri committere, in casibus particularibus, non omnibus, nisi ad id facultatem à generali habeant. Sed pace ejus sit dictum, non videtur hæc necessaria: nam qui nescit, Ordinarij communi jure fas esse subrogare, sibi idoneos homines, per quos quæ sunt officij sui, provinciæque obeant: at ab Ordinariorum numero Provinciales Præpositi removeri nec possunt, nec debent: ergo in eorum est jure (nisi fortè cohibitum sit, ac restrictum à Generali) ejus voluntate, ac licentia non quæsita designare hominem, qui ejus vice fungatur per totam Provinciam in absoluendis subditis ab occulta hæresi.

Sup. hoc remoto in to. 7. tr. 1. ex Ref. 292. §. Notandum, & in aliis ejus not.

Sup. hoc sup. in Ref. 34. §. Plus addam. vers. Docet posse.

4. Tertium fundamentum. Quæ per Concilium Episcopis facultas datur remittendi subditorum occultam hæresim, huic per Bullam Cœnæ Domini non est derogatum; cujus sententiæ approbatores sunt, ac Authores Nugnus *tom.* 2. *addit. ad* 3. *part. q.* 8. *art.* 5. *dub.* 10. Ricciullus *tract. de jur. person. lib.* 5. *cap.* 14. *n.* 9. Barbosa *de potest. Episcop. par.* 2. *alleg.* 40. *num.* 21. Sed Regularibus à Pio V. in persona Provincialium, ac Priorum Ordinis S. Dominici est concessum, benignè ac perhumaniter ut agant cum suis subditis, impertiendo eis absolutionem ab hæresi, quæ non est nota, eaque demum facere legitimè ut valeant quæ Episcopis esse permissa in dispensationum materia Concilium voluit *sess.* 24. *cap.* 6. ergo ut his ab excommunicationis & hæresis vinculo, Diœcesanos absoluere est licitum; ita & illis liberare subditos suos ab eadem censura, & culpa hæresis, est per privilegia sua permissum.

Sup. hac remissione suprà in Ref. 17 & in aliis ejus primæ not.

5. At revocantur, inquies, quotannis à Pontifice hæc privilegia in promulgatione Bullæ Cœnæ. Non probatur hæc oratio Portellio *in dub. regul. ver. Abbas, num.* 10. Primò quia beneficium Principis, quale est privilegium, decet esse mansurum & perpetuum: *de regul. in* 6. *reg.* 16. Secundò, quia non est credibile Pontificem Regularibus illudere velle: quod tamen faceret, si quæ privilegia, cùm ad Ecclesiæ gubernacula vocatur, vult ad postulata Regularium rata, his

Sup. hoc sup. in Ref. 34. §. ergo & etiam ibi à § Adde & §§. ejus. annot. & inf. in Ref. 37. §. Quid.

his vim omnè ac authoritatem ablatam esse illicò, cuperet per promulgationem Bullæ Cœnę Domini. Tertiò, quia ut notavit Portellus *in dub. regul. verb. Bulla Cœnæ, n* 2. Patribus Societatis Iesu concessum à Gregor. XIII anno 1584. ut per Bullam Cœnæ concessiones illis factæ minimè revocatæ esse censeantur. Compend. Societ. *in verb. Bulla Cœn.* §. 2. Suarez *de Religion. tom. 4. tract. 10. lib. 9. cap. 20. num. 18.* Quartò, quia in Bulla prohibetur absolutio casuum, quos continet, non absolutè ratione privilegiorum sed eorum prætextu dumtaxat: at prætextus color est quæsitus, Budæo interprete *in l. illicitas, ff. de offic. Præsid. & l. ea sub prætextu. Cod. de transact.* & nemo dicitur rebus illis colorem dare, quas legitimè efficit, & cum auctoritate eorum, quibus incumbit eas abrogare aut probare. Ergo cùm Regulares approbante Pontifice absoluant inferiores suos ab hæresi, quæ non est cognita, non id agunt prætextu privilegij, sed cum potestate, & ut res est legitimè.

Sup. hoc sup. in Resol. 34. §. Adde. & in aliis ejus annot.

Sup. hoc prætextu in Resol. seq. §. Secundo. & in alio vers. ejus not. & melius in to. 7. tr. 1. Resol. 251. §. 2. & in aliis ejus not.

6. Sed hæc sententia prorsus est refellenda stante Decreto Sacræ Congregationis facto cum Sanctissimo die 17. Novembris 1628. Et Superiores Regulares hanc opinionem sequentes essent severe puniendi ab Inquisitoribus in nostro Sacro Tribunali. Recognosce me ipsum non solùm in loco citato à Bauny, sed *in 3. part. tract. 2. resol. 122.* Vnde caveant Regulares à sententia Stephani Bauny, licèt alioquin viri doctissimi.

Quæ hic est Resol. antecedés, & in aliis positis in annot. ult. dictæ Resol.

RESOL. XXXVII.

An Prælati Regulares possint subditos suos ab hæresi occulta absoluere?

Et notatur Episcopos & Inquisitores non posse ab hæresi occulta absoluere? Ex part. 8. tract. 7. & Misc. Resol. 50.

Sup. hoc in §. 1. tribus præcedentibus Resol. & in fin. Resol. seq. &c.

SÆpiùs hanc quæstionem tractavi, sed quia illam sæpiùs P. Baunius pertractat, ad illam ego iterum redeo, & faxit Deus quòd ad hunc scopulum aliqui superiores Regulares non naufragentur, quos puto ut alibi observavi in nostro sacro Tribunali esse severè puniendos: itaque Baunius novissimè *in part. 2. suæ Theologiæ Moralis de Censuris, disputat. 3. tract. 2. quæst. 26.* me citato contra sententiam negativam, quam ego mordicus sæpiùs docui, ipse insurgit, eamque improbat, *Primò* quòd authoritati Prælatorum Regularium noceat. *Secundò* quòd eorum subditos privet necessario ad salutem remedio, absolutione scilicet criminis, in quo ex iis labi possunt plurimi. Nam quod de Episcopis, aut Inquisitoribus sanctæ fidei dicitur, ad quos ire, & ab iis impetrare solutionem nexus sui, Regulares possunt, etsi asseratur verissimè, quantis est id tamen pervium molestiis, quantis & quàm certis expositum animæ, salutisque periculis? quæ subire, consultò ac scienter, cùm Dei nobis gratiam eripiunt culpa est, eaque contra jus naturæ, lethifera. Sed hoc discrimen sponte ij eligunt, qui egressi claustro, Episcopum de absolutione suorum criminum sollicitatum adeunt, vel enim id sciente faciunt Prælato, approbante, vel invito, ac ignorante: si secundum, peccant, cum eo renitente domo egredi, aut ignorante committere se itineri, inobedientiæ sit scelus. Si primum, etsi contra regulam, aut obedientiam non delinquant, culpa tamen non sunt omnino vacui, quòd religioni tali facto scandalum ingenerent, bonum ejus nomen, famámque violent. Nam quid facilius, quàm plebi natura sua suspicaci, eam tum opinionem imprimi, esse ab eo grave quidpiam admissum, de quo eum ab Episcopo absolui sit necesse?

2. Quæ famæ nominisque dedecora, ut vitentur, Regulares præpositos oportuit ea potestate præditos esse, quæ subditis sibi gentibus reconciliandis cum Deo & Ecclesia, est necessaria? Societatis sanè nostræ Provinciales ac Generalem, suos de hæresi absolvere posse, scribit Ortizius *in summa cap. 5. numer. 29.* Petrinus *de privileg. Minimor. tom. 1. ad constitut. 4. Sixti IV. §. 5. numer. 20.* quod eis speciali privilegio concessum voluit Gregor. ejus nominis XIII. ut est in ejusdem Societat. Compendio §. 7. & 8. facultate iisdem Generali & Provincialibus relicta, subrogandi sibi in casibus particularibus, non universim, tamen ac generaliter, nisi res secus exigeret (de quo sunt ipsi judices, ac arbitri) qui suo nomine de eo crimine absoluant.

Sup. hoc sup. in Resol. 34. §. Adde. & in aliis ejus annot. ad num. 2.

3. Privilegia verò supradicta non esse revocata, patet.

Primò, quia ea quotannis renovantur ac voce tenus confirmantur à Pontifice, ad instantiam Procuratorum cujusque ordinis, testimonio Portelij *in dubiis Regularibus verb. Abbas, num. ult.*

4. *Secundò* per Bullam Cœnæ, quælibet non prohibetur absolutio casuum quos continet, sed ea dumtaxat, quæ privilegiorum prætextu datur; ergo cùm prætextus sit color quæsitus, ut expositum Budæus *in leg. illicitas, Dig. de officio præsid. l. sub prætextu, Cod. Quæ de transact.* vel, ut loquuntur alij, id quod sub specie veri exercetur, non peccabunt Regulares in Bullam, si, cùm absoluunt de hæresi, aut casibus aliis Bullæ occultis, id legitima auctoritate faciunt, & non colore quæsito, aut sub aliquo velamine: at verum est consequens, nam per privilegia sibi concessa à Pontifice, ejusdem benignitate tantundem hi possunt, quantum ipse, cùm sunt ejus subdelegati.

Sup. hoc in Resol. 34. §. 1. Addit. & in Resol. seq. num. 2. &c.

5. Quid? quòd Societatis Iesu Patribus indulsisse dicatur Gregor. ejus nominis XIII. anno reparatæ salutis 1584. ut per Bullam non censeantur eorum abrogata privilegia? ut est in Compendio ejusdem Societat. *in verb. Bulla Cœnæ*, §. 2. quod notavit Suar. *de Religione, tom. 4. tract. 1. 8. lib. 9. cap. 20. num. 18.* Portel *in dubiis, verb. Bulla Cœnæ* data ergo à Gregorio XIII. Religiosis hujus Ordinis, à Pio autem V. Patrum Dominicanorum superioribus, potestas absoluendi ab occulta hæresi, in iisdem perseverat hoc tempore, Hucusque Baunius.

Sup. hoc in Resol. 34. §. 1. Addit. & in Resol. seq. num. 2. &c. ad num. 3. Sup. hoc in §. 1. hujus Resol. & in alio vers. ejus not.

6. Sed hanc doctrinam prorsus refellendam esse puto, nec in praxi admittendam, ut pote de directo pugnantem contra declarationem & mentem Pontificis, ut patet ex infrascripto Decreto, quod per extensum apponere decrevi: Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita censuit per confirmationes privilegiorum, quas regulares à Sede Apostolica post sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia priùs ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipsius Congregationis decretis sublata atque extincta, si quæ habeant, absoluendi à casibus Ordinario loci reservatis. Quemadmodum neque indulta absoluendi à casibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi consuevit, ut pote sublata per annuam ipsius Bullæ publicationem, vires, aut robur acquisivisse, ex subsequentibus privilegiorum confirmationibus, ac proinde Regulares cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & instituti etiam necessariò exprimendi, nec intra, nec extra Italiam in vim privilegiorum, aut confirmationem ejusmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt, posse quemquam absoluere ab eisdem casibus in Bulla Cœnæ Domini, aut Ordinario loci reservatis. At si secus egerint, absolutiones nullas atque irritas fuisse, ac fore; ab aliis verò casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reservatis, siquidem Regulares habeant

habeant à Sede Apostolica absolvendi facultatem, illam extra Italiam minimè sublatam fuisse iisdem S. Congregationis decretis hac de re editis jussu sanctæ memoriæ Clementis VIII. quam sacræ Congregationis sententiam sanctitas sua ad se relatam approbavit, mandavitque ab omnibus ad quos pertinet, inviolabiliter observari. Romæ 17. Novembris 1628. & licèt novissimè Pater Santorius asserat privilegia Regularium adhuc durare in ordine ad absolutionem Bullæ Cœnæ; tamen fatetur superiores Regulares nullo pacto posse absolvere ab hæresi occulta; ita ille *in comment. ad constitut. Minor. cap. 2. stat. 14 §. 1. & §. 5. quæst. 5.* cui adde Novarium *in Lucerna Regularium, ver. Hæresis, n. 6.*

Quæ hic est sup. res. 19. & in alia ad ejus primam not.

7. Ad id verò, quod asserit Baunius, Episcopos & Inquisitores posse absolvere ab hæresi occulta, omninò negandum est, & licèt ego *in part. 1. tract. 5. res. 3.* dixerim posse Inquisitores ab hæresi absolvere, intellexi, secundùm Freitam à me adductum, de Inquisitoribus Hispaniæ, secus autem de aliis, & ita me intelligit novissimè Carena *in praxi S. Officij, part. 2. tit. 2. numero 61.*

RESOL. XXXVIII.

An Regulares possint absolvere seculares ab hæresi occulta?

Et inferitur Prælatos Regulares non posse ab hæresi suos subditos absolvere? Ex p. 6. tr. 6. & Misc. 1. Resol. 54.

Sup. contexto §. 1. hoc, & in nobis §§. sequ. inf. in resp. Sed te deferas videre alibi vers. & §§. primæ.

AFfirmativam sententiam docet Crousers *in Regulam S. Francisci, c. 7. lect. 28. fol. 771.* ubi ita asserit: Dico secundò eosdem Confessarios posse etiam absolvere seculares à casibus Bullæ Cœnæ, & etiam ab hæresi: probatur ex concessione Vrbani IV. suprà posita in qua concedit dictos Regulares posse absolvere seculares ab omnibus, nisi talia essent, propter quæ Sedes Apostolica esset meritò consulenda: sed pro hæresi, nisi illius sit, qui in hæresim coram judice competenti abjuratam relapsus est, non est meritò consulenda Sedes Apostolica, ut superiùs ostensum est: ergo ab hæresi possunt præfati absolvere. Probatur secundò ex concessione Sixti IV. superiùs allegata, per quam dicti Confessarij possunt absolvere ab omnibus casibus excommunicationis, Ordinario tam à jure, quàm ab homine reservatis, toties quoties opus fuerit, sicut potest Diœcesanus. Sed hæresis saltem occulta, seu in judicium nondùm deducta, tam jure antiquo quàm novo Tridentini reservatur Ordinariis; ergo sicut hi possunt ab illa absolvere, ita & Confessarij supradicti, & consequenter à reliquis Bullæ Cœnæ casibus.

2. Rodericus nullius momenti existimat esse hanc rationem, dicendo, hos casus occultos non esse propriè reservatos Episcopis, sed eisdem potius concessos jure communi speciali: & propter hanc rationem negat mendicantes id posse, confirmátque sententiam suam, quòd in dicta concessione per Tridentinũ Episcopis facta, existimet industriam personæ Episcopi ad absolvendum ab hujusmodi casibus electam: ex quo infert, non oportere mendicantibus tribuere similem facultatem, eo titulo, quòd à reservatis Episcopo possint absolvere. Sed fallitur: nam verum non est Episcopis concessos casus occultos, de quibus in Trident. *sess. 24. c. 6.* Sed potiùs relictos juri suo antiquo, vel eidem restitutos, secundùm quòd cùm dicti casus fuerint propriè reservati Episcopis, meritò asserimus, mendicantes ejusmodi facultatem habere: neque in concessione per Tridentinum facta potest dici personæ industria electa. Cum enim Patribus Concilij Tridentini incogniti fuerint Episcopi, & per illud hæc facultas annexa sit officio, industria personæ non potest censeri electa. Si dicas, ratione dignitatis concessam esse Episcopis dictam facultatem, fateor: non tamen, quia mendicantibus deest talis dignitas, necesse est deesse etiam facultatem, cum ex privilegio Apostolico illam possint habere, & de facto habeant, ut clarum est ex privilegiis suprà positis.

3. Quæ certè non possunt censeri derogata, neque per Bullam Cœnæ, quoad casus in ea contentos: quia si per dictam Bullam casus non efficiuntur tales, quòd pro eis meritò consulenda sit Sedes Apostolica, & quòd ab eis non possit absolvere Diœcesanus semper manent absolubiles virtute privilegij Vrbani IV. & Sixti IV. & hæc quidem secundùm antiquiora Regularium privilegia: nam secundùm recentiora, luce clarius est, quòd possunt dicti Confessarij absolvere seculares ab hæresi, & reliquis Papæ reservatis, & consequenter ab Episcopalibus. Hucusque Crousers.

4. Sed si aliquis hanc sententiam in praxi deduceret, puto in nostro Sacro Tribunali severè puniendum esse; nam non solùm virtute privilegiorum Religiosi non possunt absolvere ab hæresi occulta seculares, sed nec ipsos Regulares. Et ratio est, quia in nullo privilegio, seu concessione censetur data potestas absolvendi ab hæresi, nisi de illa specialis efficiatur mentio, ut observat Sanch *in sum. tom. 1. lib. 2. c. 11. n. 7.* Sanctarell. *tract. de hæresi, cap. 5. dub. 1. n. 8.* Avila *de cens. part. 7. disp. 10. dub. 6.* Rodriq. *in Quæstionib. Regular. tom. 1. q. 40. art. 10.* & alijs unde patet responsio ad privilegium adductum Sixti IV.

Sup. hoc inf. in tr. 10. Res. 81. signanter ad lin. 4 & hic sup. in Res. 29. §. Respondent. &c.

5. Et licèt Hurtadus de Mendoza *de fide, volum. 1. disp. 84. sect. 2. §. 45.* putet extra Hispanienses Inquisitionis ditionem posse Præpositum Generalem Societatis Iesu per se, vel per alium absolvere quoscumque ab hæresi in foro conscientiæ vigore cujusdam privilegij à Sede Romana obtenti: sed hoc non procedit in Hispania, in qua, ut testatur ipsemet Hurtadus, nulla religio eo privilegio gaudet. Verùm hodie omnia supradicta corruunt ex decreto Sacræ Congreg. rebus Episcoporum & Regularium præpositæ de mandato Sanctissimi Vrbani VIII. ubi habetur absolvere quempiam à casibus in Bulla Cœnæ, aut ordinario loci reservatis non posse Regulares cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & instituti, etiam necessariò exprimendi tam citra, quàm extra Italiam in vim privilegiorum, aut confirmationem hujusmodi, quæ vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt. Et si secus egerint, absolutiones nullæ ac irritæ erunt. Ita in supradicto Decreto. Unde non est admittendum id, quod conatur probare Crousers *c. 7. lect. 12. fol. 598.* videlicet Prælatos Regulares posse absolvere ab hæresi suos subditos; quod novissimè docet Stephanus Bauny *in Theolog. Moral. tract. 4. q. 33.* adversùs quos vide Doctores penes me ipsum *in 3. part. tract. 2. resol. 122.* nec aliter sentiendum.

Sup. hoc sup. lege ex Res. 34. §. Jus. in fin. & ex Res. 35 §. 1. & partim 2.

Sup. hoc Decreto in Res. not. seq. & in aliis ejus secundæ not.

Quæ hic est sup. Res. 35. & in aliis ejus primæ not.

RESOL. XXXIX.

An Regulares possint absolvere à casibus Bullæ Cœnæ, si sint occulti, etiam quoad hæresim?

Et quid, si prædictæ censuræ deductæ sint ad ad formam contentiosam, & licet publicæ sint?

Et in textu hujus Res. assignantur alij sex casus, in quibus Regulares virtute suorum privilegiorum minimè possunt seculares absolvere, nisi in articulo mortis. Ex p. 11. tr. 2. Res. 18.

§. 1. AFfirmativè respondet Brunus Cassaing *de Privileg. Regular. part. 1. tract. 5. c. 3. propos. 3.* ubi sic ait: Sacerdos Regularis potest absolvere in foro conscientiæ, à censuris, & casibus à quibus jure communi, & ex concessione Tridentini absolvere

Sup. hoc in Res. præterita. & sup. ex doctr. Res. 33. §. 1. cursim in fin. ult. & pro-

fin. § Tertio probatur à vers. exceptis censuris, & superius tr. 2. res. 74. §. ult. & in to. 9. tr. 7. ex res. 121 lege doctr. §. Arguitur tertio. & seq.

possunt Ordinarij: ac etiam probabiliter in foro externo: imò ubi non est recepta Bulla Cœnæ, ab omnibus censuris, etiam hæresis, in eadem contentis in utroque foro absolvere potest, & denique ab illis in foro interioti ubi recepta est Bulla, dummodo sint occulta.

2. Probat hoc ultimum ex communicatione *cap. Licet at sessione 24. Trident. reform.* quoniam facultas ibi concessa ab illis absoluendi, est in perpetuum annexa dignitati Episcopali, ac consequenter jure ordinario competit Episcopis, ac proinde Regulari Confessario, cùm per sua privilegia communicet in privilegiis Episcoporum quoad facultatem absolvendi. Accedit quod per talem concessionem hi casus desinunt esse Papales, fiuntque Episcopales, ad quos absolvendos Episcopi committere possunt. Vnde cùm in casibus Episcopalibus absolvendis possit idem quod possunt Episcopi; potest ab illis absolvere, & consequenter ab hæresi: cum sit primus ex illis.

3. Hic tamen notabis, teneri Regularem absolventem hæreticum, hæc quæ sequuntur observare. Primùm extorquere ab Hæretico anathema adversus hæresim, quam professus fuerat. Secundùm jurare, quod in posterum manebit in fide Catholica, ille autem qui absolvit hæreticum non præmissa abjuratione, peccat, valet tamen absolutio. Ita Brunus; qui posteà addit, quod potest Sacerdos Regularis virtute suorum privilegiorum absolvere in foro conscientiæ quemcumque ab omnibus antedictis censuris irretitum, licet censuræ illæ deductæ sint ad forum contentiosum; & licet publicæ sint: imò etiam ab illis, à quibus aliquis est nominatim denunciatus.

4. Sed quidquid sit de his, certum est quòd Confessarij Regulares virtute suorum Privilegiorum non possunt absolvere à casibus Bullæ Cœnæ, præsertim quoad Hæresim, & in nostro Sacro Tribunali puniretur Confessarius Regularis, qui hanc doctrinam ad praxim deduceret. Et idem dicendum est, quoad casus Episcopales, nam corruunt quæ dicit Pater Bruno; etenim post privilegia in favorem Regularium ab ipso adducta, tria decreta fuerunt emanata prohibentia absolutionem casuum reservatorum.

5. Primum fuit Clementis VIII. editum die 9. Ianuarij anni 1601. cum ejusdem Pontificis moderatione facta die 26. Novembris 1602. quo fuit limitata supradicta facultas in sex aliis casibus (sed per totam Italiam, extra Vrbem nisi in articulo mortis) nempè Primò, Violationis Immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Constitutionis Gregorij XIV. quæ incipit, *Cùm alias nonnulli*. Secundò Violationis Clausuræ Monialium ad malum finem. Tertiò, Provocantium, & pugnantium in Duello juxta Decretum Sacri Concilij Tridentini, & Constitutionem Gregorij XIII. incipientem, *Ad tollendam, &c.* Quartò, Injicentem violentas manus in Clericos, juxta Canonem, *Si quis suadente 17. quæstione 4.* ac iuris dispositionem. Quintò, Simoniæ realis scienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis. Sextò & ultimò, in omnibus casibus, quos Ordinarii locorum sibi reservarunt, & in posterum reservabunt.

6. Secundum fuit, Pauli V. editum die 7. Ianuarij 1617. quo confirmatur, & innovatur Decretum supradictum Clementis VIII. cum sua moderatione, non obstantibus privilegiis, &c. Non autem tolluntur per dictum decretum omnia privilegia Regularibus concessa absolvendi à casibus, & censuris reservatis, ut aliqui putaverunt, ut manifestè demonstrat noster Duardus *in Bulla Cœnæ lib. 3. §. 2 q. 1. an. 29. usque ad 33 inclusivè.*

7. Tertium fuit Vrbani VIII. editum die 17. Novembris 1628. quo prohibetur Regularibus facultas absolvendi à casibus reservatis in Bulla Cœnæ, & casibus reservatis Ordinariis locorum, ita ut nec intra, nec extra Italiam, nec virtute privilegiorum, aut confirmationum, quas hactenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt, possint ab illis absolvere.

8. Ex quibus evanescunt à Patre Bruno pronunciata, ut rectè observat Marcellinus de Sancto Benedicto *in Compend. Privileg. Fulienſium verb. Absolutio quoad seculares, §. 1. in Scholio.* P. Peregrin, *in Compend. Privileg. Clericorum Regularium eodem verb. & §. cum aliis communiter.*

In Indice primo hujus tom. 5. lege Appendicem ad hunc tract. 8. ubi reperies alias plures quæstiones mistas, & dispersas per alios tom. tract. & Res. quæ simul pertinent ad hunc tract. 8. de Hæresi, & Hæreticis, &c.

TRACTATVS NONVS, DE DENVNCIATIONIBVS FACIENDIS EX EDICTO DD. Inquisitorum, & in particulari ex sollicitatione facta in Confessione.

RESOLVTIO PRIMA.

An si quis sciat aliquem commisisse delictum in Edicto contentum, sed hoc non posset probare, teneatur in tali casu denunciare?

Et quid, si casus esset de hæresi formali? Exp. 1. tract. 4. Res. 1.

§. 1. NEgativè respondet novissimè ex Societ. Iesu Fagund. *de prac. Eccl. tr. 2. lib. 4. c. 3. n. 31.* excepto casu hæresis formalis. Et hanc sententiam absolutè ex doctr. docuerat

docuerat ante ex eadem Soc. Regin. *in prax. to. 2. lib. 24. c. 3. sect. 6 n. 50. & 57. vers. Adverte 3 & vers. Adverte 5.* ex nostra Religione Megala *in 1. p. lib. 1. c. 5. n. 21.* Idem docet Ioan. Andreas *in cap. noviter extra, de judiciis,* Gundisalvus *in tom. 11. p. 2. tr. de hæreticis, q. 10. n. 7.* Repertorium Inquisitorum *ver. Denunciatio, §. generale tamen.* Decian. *tract. crim. tom. 1. lib. 5. c. 30. n. 4.* qui citat Speculatorem, & Glossam. Palatius *in repet. c. not. 3. §. 26. n. 9.* Angelus vero, Felinus, & Navarrus citatur à Trivisano & Farinacio, *ubi infra.*

2. Et potest hæc opinio probari: quia, ut observat Lessius *lib. 2. cap. 29. dub. 13. n. 111.* & alij, quando crimen non potest probari, apertè contra justitiam peccatur, si reveletur: exponitur enim reus manifesto periculo infamiæ. Deinde, si authoritas unius Doctoris classici reddit opinionem probabilem, ut ex multis probat Valentia *tom. 2. disp. 2. q. 12. punct. 4.* & Sanchez *in summa, tom. 1. lib. 1. c. 9. n. 7.* hæc opinio, non alterum, sed multos, tam recentiores, quàm veteres habet patronos. Ergo, ut probabilis amplectenda videtur. Et ita hanc sententiam probabilitate non carere docet etiam Thomas à Iesu *lib. de visit. Regul. tract. 1. c. 16. n. 3. in fin.* Neque obstat praxis Sanctiss. Inquisitionis, quam aliqui adducunt: nam, ut in simili casu docuit Fagund. *tr. 2. lib. 8. c. 8. n. 18.* & Granado *in pract. 2. contr. 7. tr. 3. p. 1. disp. 11. sect. 2. n. 15.* supradicta praxis fundatur in probabilitate contrariæ opinionis: non tamen tollit probabilitatem alterius. Ergo, &c.

3. At his minimè obstantibus, contrarium teneo: quia in casibus pertinentibus ad Tribunal S. Officij, denunciatio est facienda, etiamsi delator delictum probare non possit. Et ita tenet Barbosa *de potest. Epis. p. 3. alleg. 96. n. 51.* Peirinus *in privil. Minim. to. 2. Constit. 9. Pauli V. §. 2. n. 25.* Homobonus *de exam. Eccles. p. 1. tr. 7. c. 2. q. 14. & p. 2. tract. 11. c. 4. q. 4. resol. 4.* Zanardus *in direct. Confes. p. 3. c. 31.* Naldus *in sum. verb. Hæresis, n. 6.* Zecchius *de cas. reserv. cas. 2. vers. Ampliatur,* Sanctarellus *de hæresi, c. 9. dub. unic. n. 3. & 4.* Genuensis *in praxi, c. 23. n. 5.* Lazarus *de monit. sect. 2. q. 11. n. 22.* Bonacina *de cens. disp. 2. q. 6. punct. 1. n. 9.* Suarez *tr. de fide, disp. 20 sect. 4. n. 7.* Galletti *in margar. cas. conscient. verb. Hæreticus, §. 5.* Thomas à Iesu *ubi sup. lib. de visit. Regul. tr. 11. c. 16. n. 4. & 10.* Portel. *in addit. ad dubia regul. verb. sollicitare fœminas, n. 19.* Cenedo *p. 2. collect. 101. n. 4.* Scaccia *de judic. causarum civil. crim. lib. 1. c. 56. n. 4.* Farinacius *tract. de hæresi, q. 97. §. 2. n. 36.* Bertazolus *in addit. ad Bertazolum patrem, cons. 107. n. 12. vol. 1.* Trivisanus *lib. 2. decis. 51. n. 5.* & novissime Ioseph. de sancta Maria *in Tribunali Religios. tract. 12. cap. 3. §. 5.* & alij penes ipsos.

4. Et ratio est: quia, licèt denunciator de jure probare suam denunciationem teneatur *ex l. Divus, & ex l. ab accusatore, ff. de Senatusconsult. Turpil.* hodie tamen de consuetudine contrarium servatur, ut ex Salyceto, & Mariano Socino probat Eymericus *in direct. Inquisit. p. 3. rubr. de secundo modo procedendi in causa fidei per denunciationem, n. 68.* quam sequitur novissimè Farinacius *ubi suprà, tr. de hæresi, q. 185. §. 5. n. 71.* & Scacc. *loco citato, c. 72. n. 4.* & ita decisum pluries fuisse, testatur Trivisan. *ubi sup.* & ita servari in Supremo totius Christianæ Inquisitionis Tribunali asserit Farinacius. Et cùm simplex denunciatio sufficiat ad inquirendum, ut notat Vmbertus *de judic. Inquis. ver. denunciatio, n. 3.* & Farinac. *q. 185. §. 5. n. 64.* licèt denunciator probare non possit delictum; per illam tamen denunciationem, diligentia, & inquisitione Dominorum Inquisitorum, & forsan ex aliis revelis, & denunciationibus probabitur. Vnde patet responsio ad argumentum contrariæ sententiæ.

RESOL. II.

An peccata pertinentia ad Tribunal S. Officij sint denunciandæ, etiam si probari non possint?

Et quid si peccatum sit de hæresi? Ex p. 7. tr. 2. & Misc. 3. Ref. 21. aliàs 19.

§. 1. NEgativè novissimè respondit Stephan. Baunius *in Theol. Mor. p. 2. disp. 4. tr. 3. q. 18.* ubi sic ait: Solent judices Ecclesiastici, ac Inquisitores fidei proposita Excommunicationis pœna edicere iis, qui hæreticum aliquem norunt, ut apud se, nomen ejus edant ac proferant, hic quæritur an is denunciari debeat, si non est crimen ejus cognitum, nec defectu testium probandum?

Sup. hoc in Ref. præterita, & in to. 7. tr. 4. ex do. ctr. Ref. 65. cursim in fine.

2. Denunciandum dixere hi authores Barbosa *de potest. Epis. p. 3. alleg. 96.* D. Thom. *2. 2. quæst. 33. art. 7.* Sotus *5. de just. q. 5. art. 1. & de tegendo secreto membr. 2. quæst. 5.* Sanctarellus *de hæresi cap. 9. dub. unico, num. 3. & 4.* opinionis hujus præcipua sunt hæc firmamenta.

3. Primum, quod proximi salus, bono communi addita, anteferenda sit privato unius cujuspiam commodo, sed est hæresis publicæ rei, privatæque ejus quem iuficit, inimica in primis, serpit enim, & ut in mala contage, ad incautos incogitantis vulgi animos penetrat, ut qui communicat superbo, induit superbiam, *Eccl. 13.* ita & qui hæretico assuescit diu securus non erit, nihil contagiosius corruptis ejus moribus, hi addiscuntur, & adhæresunt facilè, nec enim sibi tantùm erat hæreticus, sed & aliis erroris causa est, qui ab eo in hos transfunditur. In summa, ut quædam in contractos vitia corporis transiliunt, ita & hæreticus mala sua proximis tradit, publicæ ergo saluti nocet, nocet & sibi, ejus autem crimen, verum quidem, sed occultum Episcopo, aut Inquisitori, qui defert, soli sibi infamiam creat, cùm sit periculum ne probationum inopia, calumniator audiat, quod incommodum quanquam magnum, ac prudenti cuique, jure metuendum, non est tamen ejùsmodi, quod communi multorum exitio conferri debeat, suas ergo rationes in ejus delatione criminis, posteriores habere quisque debet communibus, ac publicis.

4. Secundum, etsi probari hæresis nequeat, non est tamen ejus delatio inutilis, utpotè quæ judici causam est datura inquirendi studiosius, ecquid in delato adhæresat hæc labes, emaculanda sua cura.

5. Mihi tamen secus sentienti hæc in contrariam partem suppeditabant argumenta.

6. Primum, quod Christi imperio, quæ sunt secreta secreto argui oporteat, non publicè, coram judice, aut in multorum oculis, Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus* (hoc est coram te ut ibi explicat August.) *corripe eum inter te, & ipsum solum.*

7. Secundum argumentum, denunciandi hæreticum casu posito, nulla est obligatio, si est hæc criminis quo notatur, denunciatio facta judici, futura huic ad remedium inutilis, accusato autem noxia, at est utrumque non sine causa, eaque probabili, deferenti metuendum; cum enim nemo unius dumtaxat testimonio poterat, de hæresi accusatus ab uno quopiam (hoc tantùm) & non convictus, pœnam soli mutatione, aut capite non luet, ejus ergo ad judicem delatio, ad vindictam, aut medicinam prodesse nihil potest, & delata obest, quia famæ ejus infertur injuria, cum sit authore Less. *lib. 2. de just. cap.... dub....* contra justitiam admissum crimen ignotum tamen detegere cuipiam. Ob hoc argumentum Inquisitori, ac judici de hæresi, occulta, quæque in judicio probari nequit ab ejus conscio, doceri se tamen, ac moneri jubentibus,

parendam esse negant hi Authores, Reginald. *lib.* 24. *c.* 3. *sect.* 6. *n.* 50. Megala *in* 5. *p. lib.* 1. *cap.* 5. Decian. *tract. crimin. tom.* 1. *lib.* 5. *c.* 50. *n.* 4. Palatius *in rep. cap. not.* 3. §. 2. Fagund. *lib.* 1. *c.* 26.

8. Argumentis autem partis oppositæ respondere est facilè.

Primò quidem, negando in jure esse Reip. exigere, ut famæ meæ certo detrimento, mala quæ metuit, avertam, maximè cum est incertum, utrum iá sim jactura rei tantæ facturus, an non.

9. Ad secundum dicendum contra denunciatum vi denunciationis sibi factæ, nihil posse fieri à judice, nec de hæretico eum quæstionem instituere, aut de crimine cujus est suspectus, inquirere vi ejus posse. Hucusquæ Baunius.

10. Sed hæc opinio destruit Tribunal S. Officij, & est contra ejus generalissimam, & communissimam praxim, & ideò in hoc cautè legendus est Baunius alias vir quidem doctus, & mihi carissimus per ea quæ ego adduxi *in par.* 1. *tract.* 4. *resol.* 1. Et ideò me citato novissime Trullench. *in Decal. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 2. *dub.* 6. *n.* 14. *& cap.* 3. *dub.* 18. *n.* 20. Sic ait: Existimo in casibus pertinentibus ad Tribunal S. Officij, denunciationem esse faciendam, etiamsi delator, delictum probare non possit, ita multi quos citat, & sequitur Diana. Ratio est, quia licèt denunciator de jure probare suam denunciationem tenebatur, ex *l. divus*, & ex *l. ab accusatore ff. ad Senatus Consul. Turpil.* Hodie tamen de consuetudine contrarium servatur, ut probat Eymericus, *in director. Inquisit. p.* 3. *Rub. de secundo modo procedendi in causa fidei per denunciationem, n.* 68. quem inter alios, sequitur Farinac. *tr. de hæresi, quæst.* 185. §. 5. *num.* 71. ubi asserit ita servari in supremo totius Christianæ Inquisitionis Tribunali: nam cùm simplex denunciatio sufficiat ad inquirendum, licet denunciator probare non possit delictum, per illam tamen denunciationem, diligentia, & Inquisitione Dominorum Inquisitorum, & forsan ex aliis revelationibus, & denunciationibus probabitur, & de remedio providebitur. Ex quo patet solutio oppositæ sententiæ. Ita Trullench, cui adde me etiam citato, Sapientiss. Cardinalem de Lugo *de Iust. tomo* 2. *disp.* 38. *n.* 24.

Quæ hic est Resolutio antecedens, & cur sim in alia sua primæ not.

11. Cùm igitur, ut observat Carena *in Praxi S. Officij, par.* 3. *tit.* 1. §. 3. *n.* 20. ex generalissima consuetudine S. Inquisitionis, denunciator in nostro sacro Tribunali habetur pro teste, sequitur ex hoc necessariò, quod teneatur denunciare etiamsi alios non posset adducere testes ad probandum delictum, nam ideo ipse pro teste deservit.

12. Quod etiam manifestè probatur, & sine nota temeritatis negari non potest, stantibus Bullis Pontificiis Pij IV. & Greg. XV. in quibus præcipitur Confessarios sollicitantes esse denunciandos, & tamen pœnitentes non possunt tale delictum probare. Ergo in criminibus pertinentibus ad Tribunal S. Officij manifestè apparet, quod præceptum manifestandi non fertur solùm in eos qui probare possunt.

13. Vnde ad majorem supradictorum intelligentiam, sciendum est discrimen inter denunciatorem, & testē; denunciator enim regulariter, tantùm denunciare tenetur, quæ probare valet, ut docet Valentia *to.* 3. *disp.* 5. *q.* 14. *pun.* 1. Filliuc. *to.* 2. *tr.* 40. *c.* 6. *n.* 185. Sayrus *in Clavi Reg. lib.* 12. *c.* 20. *n.* 9. & alij. Testis verò non tenetur probare, si ut testis testimonium ferat. Ratio discriminis est, quia cùm proprium denunciatoris munus sit crimen à se revelatū instar actoris, seu accusatoris probare, *l. Divus* 2. *juncta glos. verb. exequi ff. de custodia reorum, l. ab accusatione*, §. *nunciatores, qui per notoria indicia produnt, notoriis suis assistere jubentur, ff. ad Turpil.* ubi glossa *verb. nunciatores*, ibi, *debent tamen probare.* propterea denuncians tale crimen occultum à detractionis vitio excusari nequit, quod peccatum mortale genere suo constat esse, *cap. in sum.* 6. *q.* 1. ibi, *Summa iniquitas est fratres detrahere, & accusare* cum aliis deductis per Navarr. *cap. inter verba, concl.* 6. *n.* 777. *alias n.* 379. & uti talis pœna arbitraria puniri debet, *d. l. Divus* ubi Bart. *n.* 9. *d.* §. *nunciatores*, ubi Bart. *cap.* 2. *de calum.* Clar. *in praxi*, §. *ult. q.* 7. *n.* 12. nam si deficiat in probatione, calumniari præsumitur glos. 2. *in d. cap.* 2. communiter recepta per Felinum, *ibi n.* 6. pluribus citatis à Iulio Clar. *d.* §. *ult. q.* 62. *num.* 6. & propterea in expensis condemnari solet, ut ex multis, & recepta consuetudine tradit Clar. *d. num.* 12.

14. Per contrarium verò subditus tenetur, si tanquam testis advocetur occulta etiam improbabilia revelare. Filliuc. *ubi supra n.* 187. Sotus *de Iust. lib.* 5. *q.* 7. *art.* 1. *in fine.* Henriquez *lib.* 13. *cap.* 18. *n.* 5. & alij. Ratio est, quia cùm testes non ad promovendum judicium instar accusatorum, sed potius ad detegendam veritatem, atque adeò ad faciendam judici fidem advocentur, *l.* 3. §. 1. *ff. de test. lib. l. eos, juncta glos. ult. C. eod. cap. testes*, 3. 9. 9. & propterea eorum officium non in inquirendis aliis testibus, quibus sua testimonia confirment, sed potius in iisdem testimoniis purè, & sincerè secundum veritatem proferendis consistit, *cap. nihilominus, cap. pura* 3. *q.* 9. rectè fit nequaquam illos ab eo munere excusari quantumcumque occulta, super quibus interrogantur, sint improbabilia.

15. Sed in nostro Tribunali S. Inquisitionis, ut ex praxi patet, subditi habentur loco testium, & ut testes ad judicium vocantur, & revera testes sunt; Ergo tenentur denunciare licèt non possint probare. Adde, quod in casibus pertinentibus ad Tribunal S. Officij, licèt ex denunciatione sequi possit, vel sequatur infamia, aut læsio aliqua denunciati, præponderat tamen publica utilitas principaliter prætensa, & præfertur privatæ: & recta ratio suadet hanc illi cedere; ne aliter, dum unius fama conservatur, omnes, vel plerique detrimentum sentiant, vel in discrimen adducantur, contra *cap. sed illud, vers. quæ est ista*, 45. *dist.* ibi, *Quæ est ista bonitas: quæ ista misericordia, qui parcere, & omnes in discrimen adducere?* Vide Doctores quos ego citavi *in p.* 1. *tract.* 4. *res.* 1. & quos, me tamen non citato adducit novissimè Dominus meus Transmuera *de Denunciat. q.* 4. *c.* 3. ubi, *in fine*, rectè observat contrariam opinionem omni probabilitate carere. Quæ licèt ref. antecedens.

16. Vnde optarem ut in posterum Auctores non possint docere doctrinam hanc, quod videlicet quis non teneatur denunciare delicta pertinentia ad S. Officium, si non potest probare, nam talem doctrinam esse puto destructivam Reipublicæ, & Tribunalis S. Inquisitionis. Ideo Sacra Congregatio Sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis, & in Regnis Hispaniarum noster summus fidei Quæsitor cogitent quid faciendum & opportunum adhibeant remedium.

RESOL. III.

An dicta denunciatio facienda sit sine prævia correctione fraterna?

Et quid, si peccatum sit de crimine hæresi, vel de muliere sollicitata in confessione, vel contra communitatem?

Et an si dubium sit, utrum in tali casu correctio profutura sit, necne, sit etiam præmittenda correctio, vel potius facienda sit denunciatio? Ex p. 1. tract. 4. Resol. 2.

§. 1. PRima opinio, quam ego sequor, affirmat. Ita Sanctarellus *in tract. de hæresi, cap.* 9. *n.* 5. Sanctus *in selectis disp.* 11. *n.* 56. Bonacina *in tr. var. disp.* 6. *punct.* 3. *n.* 9. Sylvius *in* 2. 2. *q.* 33 *art.* 7. *concl.* 2. Villalobos *in summ. p.* 2. *tract.* 4. *difficil.* 11. *n.* 3. Suarez *tract. de fide, disp.* 20. *sect.* 4. *n.* 11. & 12. Azorius *par.* 1. *lib.* 8. *c.* 19. *q.* 9. *ex dub.* 2. Turrianus *in* 2. 2. *tom.* 1. *disp.* 58. *dub.* 3. Henriq. *lib.* 2. §. *Ad id.* cap. 24. *n.* 10. *in glossa, litt. C.* Simanchas *in Catholi. instit. tom.* 6. *tit.* Sup. hoc in ref. 5. Nota quæ dicit. sed hæc ref. ea à prima not. ref. ad 1. Sup. hoc in hoc 5. primo inst. in fine & pro

ex resol. 99. §. 1. ante med. Y los complices.

*tit.19.n.11.*cum aliis.Quia duplex est denunciatio,alia judicialis,alia Evangelica.Ante Evangelicam,quæ intendit emendationem fratris conceditur, præmittendam esse correctionem : non autem ante judicialem, quæ punitionem intendit. Sed talis est denunciatio, quæ in Tribunali Inquisitionis efficitur. Ergo ante ipsam non est necesse,ut correctio præmittatur. Vide etiam Lorcam *in 2.2.sect.3.disp.47.n.23.* Coninch.*de fide,spe,& charitate,disp.28.dub.8.n.151.* Bañez *in 2.2. q.13.art.28.ad 7.arg.*& alios.

2.Secunda opinio negat:& ita docet D.Thom.2.2. *q.35. art.7.* quem postea sequuti sunt omnes discipuli hujus Scholæ;Sotus *de just.lib.5.q.5.art.1.*Canus *de locis Theol.lib.12.cap.9.*Sylvester *verb.correctio,q.5.* Lopez *in instruct. p. 4. cap.54.* Ledesma *in summa tom.2. tract.4.cap.4. concl.24.diff.2. fol.mihi 138.* Ioan. de la Cruz *ubi infra* Zanard.*in direct.Confess.p.2.præcept.1. c.13.q.13.*& alij.Idem docuerunt Castrus *de hæret. punit.lib.2.cap.25.*Toletus *lib.5.c.5.7.n.2.*Lazarius *tract. de blasphemia,q.12.n.31* Homobon.*tract.de cas. reserv. p.2.cap.1.& de exam. Eccles.p.2. tract.9. cap.13.q.39.* Angelus *verb. denunciatio,q.3.*Rosella *verb. inquisitio, num.1*

3.Sed audiamus aliquos in generali loquentes.Portel. *in dubiis regul. verb. correctio fraterna, n.1.* sic asserit: [Constat ex Evangelio , ante denunciationem in Inquisitione,præmittendam esse correctionem fraternam, quæ adeò necessaria est, ut si sit spes, quòd illa proficiet , & sufficiet, non est crimen denunciandum Prælato,etiamsi crimen ipsum sit contra communitatem, etiamsi sit hæresis.]Ita Portel.Reginald.*in praxi, tom.2.lib.24.c.3.sect.6. n.52.*Superior non potest præcipere,ut prætermissa correctione fraterna reus occultus denuncietur ; neque ei tale quid præcipienti obediendum est. Non ideò tamen damnandum est , quòd ab Inquisitoribus fidei datur præceptum, statim nulla præmissa correctione denunciandi eum,quem constat Hæreticum esse:nam in crimine hæresis ordinariè nulla est spes emendationis. Non est verò negandum, quòd si firmiter existimetur quis hæreticus per secretam admonitionem convertendus,ac impediturus omnia mala , quæ ab eo timeri possunt , ipse debeat uti prænomitione.]Ita Reginaldus,cui addatur Repertorium Inquis.*verb. denunciator.* Gundisalvus *de Hæret. q.10.n.6.*Decianus *tom.1.lib.5.cap.30.n.1.& seq.* Ioan. de la Cruz Dominicanus *in direct.conscient.p.1.prac.5. q.2. dub.5. concl.2.* ita asserens : [Mulier sollicitata in Confessione, non absolvatur,dum non denunciat Inquisitoribus sollicitantem : nisi esset spes,quòd iste secretè correctus emendabitur : quæ spes potest colligi ex qualitate corrigentis, & ex conditione corrigendi. Vnde,si mulier sollicitata scit alicujus idoneitatem ad illam correctionem,posset cum eo hoc intendere.]Ita Ioan.de la Cruz.

Sup.hoc in dubius Resp.& infra in resol.68. §. ult.& in aliis §§. earum notationum.

Sup.hoc in resol.1.not. præcritæ;§. Sed ego. à fin.& seqq. & in resol. 2. §. ult.

Sup.hoc ibidem.

Sup.hoc ibidem.

4. Idem docuit Fagundez *de præcept. Eccl. tract.2. lib.4.cap.3. n.31.* ubi sic ait : [Antequam fiat denunciatio à muliere sollicitata in Confessione,præmittenda est fraterna correctio , si detur spes emendæ : quia præceptum correctionis est de jure naturali,& divino: Præceptum verò hujus denunciationis est humanum: unde non potest prævalere adversùs præceptum juris naturalis. Vt autem correctio fraterna judicetur non profutura , non satis est semel fieri, & non prodesse : sed oportet iterum atque iterum adhiberi quandiu judicio prudentis speretur emenda.]Ita Fagundez,& novissimè Peirinus *in privileg. Minim.tom.2.Constitut.4. Greg.XV.§.9. num.26. & Constit.9. Paul.V.§.2.n.26. & 27.*

Sup.contrà in hoc §.pro primo casu infr.in resol. 5. & pro secu.

5. Tertia opinio distinguit, & ponit differentiam inter hæresim formalem,& alia crimina sapientia tantùm hæresim.In primo casu negat esse præmittendam correctionem fraternam : in secundo illam admittit. Ita Fagundez docet,loquens de hæretico formali *tr.2. lib.6. cap.4. num.11.* qui tamen , ut paulò *supra* vidimus, putavit, Confessarium sollicitantem in Confessione esse corrigendum.Idem docet Molfesius *in summa, tom.1.tract.7.cap.24.num.25.* Ortiz *in sum.cap.21. n.17.* Homobonus *de exam. Eccles.par.1.tract.7. c.6. q.29.* & multi ex DD.citatis in secunda opinione. Sed circa præsentem quæstionem , præter citatos Doctores , vide etiam Aldrete *de Relig. discipl.tuenda,lib.1. cap.5. §.4.num.28.*Navarra *lib.2. cap.4. n.193.*Valentiam *tom.4. disp.3. q.20. punct.5.§.1.* Filliucium *tom.2. tract.28.cap.8. n.151.* & Onuphrium *Opusc. de sigillo sect.2.q.2.dub.4.*

6. Notandum est etiam , quòd in opinione supradictorum DD. asserentium esse præmittendam correctionem , posset quis petere, an si dubium sit , utrùm correctio profutura sit , nécne , in tali casu sit etiam præmittenda,vel potiùs facienda sit denunciatio. Aliqui apud Deltrium *in disq.mag.tom.3.lib.5.sect.4. n.6.* putant esse præmittendam correctionem;& hanc sententiam valdè æquam existimat Deltrius, licèt ipse, & meritò,contrarium sentiat.

do in Resolutionibus & §§ not. huius resol.& pro Confessario sollicitante,in resol. 1.huius not. à §. ejus 5. & lege etiam doctr. resol. seq. & Resolutiones & §.ejus not.1. 2.& 3.& pro criminibus sapientibus hæresim in tom.7.tr.4. Vid. resol.74.

RESOL. IV.

An si speretur correctio,pœnitens debeat denunciare Confessarium sollicitantem in confessione ?

Et quid de hæretico formali ? Ex part. 4. tract. 5. Resol.24.

§.1. NEgativè respondet Fagundez *in præcep. Eccl. pr.2.lib.4.cap.3.num.31.* Sousa *de Confes. sollic. tract.2.cap.6. n.9.* Lezana *in summa qq.Regul.c.10. n.34.* Portel. *in addit. ad dub. regul. ver. sollicitare fœminas,n.18.*Castrus Palaus *tract.4.disp.9.punct.10.n.2.* Hieronymus Rodriquez *in compend.qq. reg. resol.131. num.14.* Peirinus *in privil. Minim. const.3. Greg. XV. §.9. n.26.*Ioan.de la Cruz *in direct. conscien. p.1. pr.5. q.2. dub.5. concl.2.* Ledesma *in summ. tom.2. tr.4. c.4. concl.24.dub.2.* Acugna *de Confes.sollic.q.18. n.14.* & iterum Sousa *in Aphor. lib.1.cap.34. num.57.* & à fortiori DD. quos ego ipse citavi *in 1.part.tract.4. res.2.* asserentes etiam hæreticos, quando adest spes certa emendationis, esse corrigendos.Ratio est , quia præceptum de correctione fraterna obligat ex jure naturali, quando speratur emendatio , quæ in casu nostro potest colligi ex qualitate corrigentis,& ex conditione corrigendi , unde si mulier sollicitata scit alicujus idoneitatem ad illam correctionem,posset cum eo hoc intendere.

Sup. hoc in resol. præterita §.Sed & seq. & inf.in resol. 68. §. ult. & in to.7. tr.1. resol. 240. §. ult.ad lin.4. & in to.9 tr. 7. Resol.8 1§. ult. propè fin. &c.

Quæ hic est resol. antecedens.

2. Sed ego *loco citato* contrarium docui, & idem in specie docet de Confessariis sollicitatibus.Ioan.Sanc. *in selectis disp.11. num.56.* ubi sic ait:Etiamsi firmiter credatur emendatio in Confessario sollicitante per fraternam correctione , non excusabitur fœmina à denunciatione , nam licèt in crimine hæresis , vel illam olentibus (quale est de quo agimus) stando in solo jure naturæ à denunciatione poterit quis cessare,si firmiter credat per secretâ monitionem fore hæreticum emendationem nacturum , quia tamen Inquisitorum edictum publicatur de hæretico,sive sollicitante Confessario deferendo,nulla præmissa monitione,quâtumvis firmiter credatur emendationem consequuturus, parendum erit præcepto,ut benè docet Arevalo *de correct.fraterna,fol.118.* cùm bonum publicum magis sit procurandum , quàm particulare, & judicium de spe emendationis hæretici , aut Confessarij sollicitantis nolunt Inquisitores committere fœminis denunciaturis , sed semetipsis , qui tanquam litterati , & in istis rebus experti saniùs rem meditabuntur. Hæc omnia Sancius,cujus sententiam tenet Suar.*tr.de fide,disp.20.*

Sup. hoc & seqq. in resol. not. præteritæ.§. Sed ad med.vers. Nõ est vero. & in resol.seq. §. Dicendũ. & §.ult. & in tom. 9. tr.7. Resol. 81. §. ult. propè fin.

sect.4. num.11. ubi loquens de hæretico qui cùm retulisset opinionem eorum, qui dicebant præmittendam esse correctionem, si adsit firma spes, quòd hæreticus statim esset emendandus, & consequenter quòd in tali eventu denuntiandi præceptum cessaret. Respondet hujusmodi opinionem veram esse stando in solo jure naturæ: at ex suppositione alicujus juris Ecclesiastici præcipientis immediatè procedendum esse ad denuntiationem, sustineri non debere talem opinionem. Addit tamen præceptum positivum denuntiandi hæreticum prætermissa correctione nec in jure Canonico, nec in Bullis Pontificiis inveniri, sed immediatè oriri ex præcepto impositio per edictũ Inquisitorum, quod non minorem habet vim, quàm lex Canonica, cùm illius Tribunalis potestas Apostolica authoritate feratur, & quamvis videatur præceptum ab homine, tamen quia Tribunal à quo procedit, perpetuum est, ideo per modum legis perpetuò durat. Et ita hanc sententiam præter Sancium, & Suarez, tenet etiam novissimè Iacobus Gordonus *in Theol. mor. tom. 2. lib. 6. q.12. cap.25.§ 2. num.68.*

3. Advertit tamen idem Sancius quòd quando dicitur edictum Inquisitorum obligare ut denuntiato fiat nulla præmissa correctione fraterna, non in eo sensu est intelligendum, quòd edictum prohibere intendat correctionem absolutè, sed solùm obligat ut denuntiatio non omittatur titulo correctionis factæ, vel faciendæ. Hoc si perpendatur, difficultatem omnem aufert, qua quidam sunt superati non capientes quomodo edictum Sanctissimi Tribunalis inquisitionis præcipere possit, quod correctio nulla fiat ante denunciationem, cùm id juri naturæ conforme sit, & Christi Evangelio *Matth.* 18. Vt enim jam diximus, non præcipitur per edictum correctionem non fieri, sed quod quamvis sit facta, non ob id denũciatio omittatur, quia sic expedit bono Religionis, & communi. Hæc Sancius, quæ hîc transcribere volui, quia codex ratus est. Verùm quia, ut advertit Freitas *in tract. de Confess. solicit. quæst.* 18. *num.*31. Doctores communiter tenent Inquisitorum edicta rejicere correctionem; ideo assero cum Suarez *loco citato de fide, disp.* 20. *sect.* 3. *num.*12. rationabiliter id præcipere. Primo, quia ob periculum omnis detrimenti, quod est in peccato hæresis, rarissimè potest conveniens remedium adhiberi per solam monitionem privatam, & magna prudentia necessaria est ad cognoscendum, an hæreticus verè corrigatur, ut an vero fingat decipiat; ergo meritò potuit Ecclesia quasi reservare sibi, vel suis Prælatis, & judicibus suis hoc negotiũ, & illud non relinquere arbitrio & discretioni alicujus hominis privati. Secundò, quia finis adæquatus & præcipuus hujus denunciationis judicialis non est sola emenda fratris, sed etiam publica correctio, & securitas aliorum fidelium, ad hunc autem finem secreta monitio numquam est sufficiens medium, & ideo *in cap. qualiter & quando, de accus.* dicitur quamvis ante denũciationem utique Evangelicam præcédere debet secreta monitio, non esse tamen necessariam quando via accusationis proceditur; sed eadem ratio est de denunciatione judiciali, nã quoad finem & effectum in tantum ejusdem rationis est. Ergo, &c. Et ideo glossa, quod valde notandum, *in cap.2. de accusat. ver. charitativè*, notat, quòd in denunciationis modo, cùm agitur ad pœnitentiam, tunc necessaria est admonitio secundùm veritatem Evangelicam.

Sup. contẽto in hoc §. latè in Resol. seq. §. Ludovicus. & in Resol. præterita §. Tertia. ad me.

3. Notandum est tamen quòd etiam stando in prima opinione ipsimet auctores illam tenentes existimant rarò emendationem in Confessario sollicitante correctione secreta sperari posse, ac perinde rarò cessare obligationem illum denunciandi, & ita observat Castrus Palaus *tract.4. disp.9 punct.10. n.2.* Vnde Sousa *in aphor. Inquis. lib. 1. cap.34. n.56.* sic asserit: Regulariter loquendo crimen solicitationis quantumcumque occultum statim denuntiandum est; prætermissa secreta admonitione. Sic ille. Et Henriquez *lib.6. cap. 17. n.4. in gloss. litt. L.* ita ait. Casus solicitantis reservatur censoribus fidei, quia serpit contra bonum commune, & honorem Christi, & vix (nota Lector hæc verba) vafer confessarius emendari soler correctione. Sic Henriquez. Et tandem non desinam hîc apponere verba Iacobi de Granado *in 2.2. D. Thome, controv.3. tract.12. disp.5. sect.4. num.33.* ubi loquens de correctione facienda in criminibus vergentibus in damnum communitatis, ut sollicitatio in confessione, sic asserit: Itaque non sufficit probabilitas, quòd delinquens iste emendabitur correctione privata, quia cum hac verisimilitudine stare potest prudens timor; quod delictum perseverabit, & communitas graviter lædetur; necessaria ergo est certitudo quam in re tanti momenti non facile sibi quisque persuadeat, nisi si non sit vir magnæ authoritatis, & efficacitatis, non poterit, practicè loquendo, certus omnino esse, quòd sua privata monitio omnino impediat malum imminens communitati. Ita doctus Granado, unde advertant Confessarij in casibus contingentibus quid faciant, ne cœcus cœcum ducat, & ambo in foveam cadant.

RESOL. V.

An Hæretici sint denunciandi Inquisitoribus ante previam correctionem?

Et solicitantes in confessione, vel pretextu confessionis, an sint denunciandi?

Et quid de aliis criminibus contentis in Edicto DD. Inquisitorum? Ex p.7. tract.3. Resol.63.

§.1. DE hac quæst. ego egi *par.1. tract.4. resol.2.* & præter Doctores ibi citatos ad eam novissimè respondet Duual *in 2.2. tract. de Corect. q.9. art.5.* ubi sic ait. Etiam si scirem aliquem esse hæreticum, non tamen tenerer illum Inquisitori, in locis, in quibus Officium Inquisitionis viget, vel Episcopo in aliis, denunciare; si mihi penè moraliter certum esset ipsum privata admonitione iri emendatum, & interim nihil mali acturum.

Quæ hîc et Resol. 5 Tertia. & pro doctr. concern. in hoc & sequ. §. Sed inferunt & Tertia. & in Resol. præterita & ut. §. Ad id. & pro parte Ibid. & in sequ. §. ubi propter. & in Resol. præterita §. Tertia. ad me. & in Resol. 5 §. Ludovicus. & in Resol. præterita §. Tertia. ad me.

2. Dices, legem statutam esse, qua quilibet sciens lapsum aliquem in hæresim, tenetur eum superiori denunciare, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, quod in Ital. & Hispan. cum rigore observatur: ergo saltem in peccato occulto hæreseos omittenda est correctio privata, & ad superiorem immediatè illud est deferendum. Respondeo, legem illam in tali casu non obligare, siquidem causa, ob quam lata est; nempe aliorum periculum, omnino cessat; præterea cùm spes sit penè moraliter certa, eum mea privata monitione iri emendatum, lex charitatis, contra quam nulla alia lex pugnare potest, postulat ut publicè, seu superiori non denuncietur: nullus enim est qui in tali casu vellet se ad superiorem denunciari: ideoque cùm alteri non sit faciendum quod nobis fieri nolimus, non est etiam in locis, in quibus lex illa usu recepta est, publicè denunciandus.

3. Instabis, cur ergo lex universaliter lata est, non facta illa exceptione, quam facit D. Th. Respondeo leges omnes respicere ad ea, quæ communiter, & ordinariè contingunt, non autem ad ea, quæ rarò: & quia ordinariè loquendo, vix unquam haberur moralis certitudo, hæreticum alios non depravaturum: ideo lex de hæreticis statim denunciandis, sub pœna anathematis generaliter lata est: hoc tamen non obstat, quin quando adest moralis certitudo, hæreticum nullos alios esse depravaturum, regula illa generalis fallat.

4. Instabis

4. Instabis rursus, puniri illos, qui deprehenduntur, hæreticum non denunciasse. Resp. leges ex præsumptione procedere, sicut magistratus: civiles cùm ergo præsumat lex non adfuisse certitudinem moralem, quòd hæreticus non esset aliquos perversurus; cùm hæc certitudo sit de rarissimè contingentibus, jure in eos, qui non denunciarunt, animadvertit. Ita Duval. & alij quos ego *sup.* citavi; quibus addo Mald. *in* 2.2. *quæst.* 33. *art.* 7. & Ioseph de August. *in sua brevi Notitia &c. ad* 4. *Trac. Decal. num.* 12. Sed ego puto semper hæreticos, vel alios reos in dictis edictis contentos, esse sine prævia correctione sacro tribunali denunciandos. Ita tenent Doctores quos suprà citavi cum Suar. Sancio, & aliis *in par.* 4. *tr.* 5. *resol.* 24. quibus alios nunc addam, eorum ipsissima verba per extensum apponendo.

5. Ludov. Casp ens. *in Cursu Theol. to.* 2. *tract.* 17. *di.* 6. *sect.* 4. *n.* 36. Difficultas est, an in delictis omnino secretis, qualia sunt, quæ ab uno præter committentem sciuntur, sint judicialiter denuncianda, si in damnum tertij, vel communitatis vergant? Dicendum est in his peccatis, præcipuè quando sunt contra bonum commune, ut proditio, & hæresis, quæ est contra bonum fidei, & sollicitatio ad Venerem in confessione, quæ est contra bonum sacramenti, & idem de aliis, quæ in edictis Inquisitorum apponuntur ut suspecta de hæresi, posse & debere delinquentem Prælato, ut Iudici denunciari sine ulla admonitione fraterna, nisi certò quis credat, quòd per talem correctionem delinquens emendabitur. Regulariter verò loquendo, nunquam quempiam tam certum esse posse de emendatione, ut non sit dubius contrarij eventus; ac proinde tutiorem partem eligendam, quæ præcipit denunciari, & statim denunciandum esse, ut bono communi provideatur, stante præcepto denunciandi lato à jure, & Inquisitoribus, qui nolunt cuilibet particulari committere judicium ferre, an per secretam correctionem delinquens possit emendari, vel sit emendatus; sed ipsi judices esse volunt, quorum præcepto omnino parendum est, tam in peccato hæresis, quam in aliis suspicionem hæresis habentibus.

Sed hæc solutione in pri. præterea lege § ult. versi. ejus

6. Castr. Palaus *to.* 2. *tr.* 6. *disp.* 3. *pun.* 13. *num.* 5. In peccatis autem, quæ sunt contra bonum commune, ut hæresis, & proditio rarò, vel nunquam præsumi potest correctio delinquentis ex secreta monitione: ideoque denunciandus statim est delinquens, ut bono communi provideatur, & maximè stante præcepto denunciandi lato à jure, & Inquisitoribus. Inquisitores enim nolunt cuilibet particulari committere judicium ferre, an per secretam correctionem delinquens hæreticus possit emendari, sed ipsi Iudices esse volunt, ac proinde etsi in aliquo casu crederes emendandum per tuam secretam correctionem, adhuc non teneris corrigere, sed debes statim denunciare. Hanc doctrinam extendit Sancius ad peccata suspicionem hæresis habentia, qualia sunt, quæ in edictis Inquisitorum apponuntur.

7. Steph. Fagundez *in Decal. to.* 1. *lib.* 1. *cap.* 26. *n.* 14. & 15. Quamvis hæc distinctio possit habere locum spectata sola lege, & præcepto charitatis, tamen adjuncto Ecclesiastico præcepto determinante medium denunciationis omissa fraterna correctione, jam non est locus tali electioni, etsi in aliquo casu particulari aliud medium utilius appareat, quia cessante fine legis in particulari non cessat ejus obligatio, & communi bono expedit, ut illud privatum arbitrium omnino prohibeatur, quia in illo potest dari periculum perversionis multorum, in denunciatione autem judiciali non potest, ut patet. Quare prima opinio omnino tenenda est.

8. Franc. del Castil. *in* 3. *sent. to.* 2. *disp.* 6. *de Correct. frat. q.* 8. *num.* 5. Apparet rectè tribunal S. Inquisitionis in suis edictis præcepisse, quòd ad ipsum deferantur absque prævia correctione fraterna, non solùm crimina hæresis, sed etiam sollicitationis in confessione, vel prætextu confessionis; quia hæc crimina maximè cedunt in detrimentum Ecclesiæ, sive ex natura rei, sive ex communi acceptione. Vnde non acquiesco Ledesmæ *tr.* 4. *de miseric. concl.* 24. *diffic.* 2. asserenti in hoc crimine sollicitationis habere locum correctionem fraternam, quia poterit esse spes emendæ; sed contra, quia hoc præceptum cedit in detrimentum maximum Ecclesiæ, quod anteponi debet privato, & aliàs spes emendæ nequit esse moraliter certa ex sola admonitione privata, qualiter erit ex monitione paterna, vel judiciali.

9. Gasp. Hurtad. me citato, *tr. de iudic. forens. disp.* 2. *diff.* 7. A peccatis occultis excipimus peccata hæresis, & sollicitationis in confessione factæ à Sacerdote, & alia peccata ad tribunal S. Inquisitionis pertinentia, quæ quando edicto Inquisitorum præcipiuntur deferri, deferenda sunt, quamvis occulta, quia quoad ea concessa est Inquisitoribus jurisdictio absque limitatione, Iudex autem ex vi sui officij habet jurisdictionem in crimina etiam occulta, & quamvis nulli nociva. Quod verum existimamus contra Sotum, & alios, etsi dicta peccata sint emendata, ut advertunt Azor. Suar. Bonacin. Diana, & Ioan. Sancius, quia delatio non tantùm intenditur ab Inquisitoribus ob emendationem eorum, sed etiam ob punitionem in terrorem.

10. Pet. Hurtad. de Mendoza *de fide, spe, & charit. vol.* 2. *disp.* 163. *sect.* 3. §. 26. Omnis hæreticus quacumque ratione sit talis, sive ex pravitate, sive ex passiva deceptione, est deferendus cum primùm à quocumque criminis ejus conscio, quacumq; via id noverit extra sacramentalem confessionem in his provinciis, quæ administrantur jure Quæsitorio Hispanienſi, aut aliquo æquè severo. Dixi de hæretico: quia potest quis esse in hæresi materialiter, ignorans se ab Ecclesiæ Rom. sensu deficere: hunc jam dixi non esse hæreticum: quem monere tenemur erroris, ut dixit P. Salmero adductus §. 25. quòd si eum viderimus assentientem omnibus, quæ cognoverit ab Ecclesia Rom. teneri, est instruendus, non deferendus. Quòd si satis jam doctus perseveret in errore, est deferendus ad Quæsitores, quorum opera curetur, ne fortè negans propositionem esse ab Ecclesia definitam, sit animo hæreticus, ore tamen dumtaxat Catholicus. Consule Tolet. *lib.* 4. *cap.* 5. Hanc secundam conclusionem, docent omnes Catholici Doctor. agentes universim de hæretic. excipe tamen nonnullos opinatos posse non denunciari hæreticum, de cujus conversione per occulta monita est spes certa: de quibus à §. 35. item §. 38. ab hac regula aliquem excipiam extra Provincias Hispanienses.

11. Probatur hæc conclusio, quia correctionis fraternæ modus ideò est tenendus, quia incolumis est servanda hominis bona fama; quandiu speramus eum ad Deum iri conversum sine famæ jactura, ut dixi *sectione* 2. at verò si non adsit spes de meliori hominis fruge, vel prudenter timeatur grave aliorum damnum, ille modus non est tenendus: sed in hac occasione nulla est prudens spes de hominis conversione, & est prudens opinio de gravi aliorum malo: ergo hac in occasione modus ille non est tenendus. Minor probatur, quia quem non terrent universæ Ecclesiæ fulmina excommunicationis, aliarúmq; pœnarum, quibus justissimè Ecclesia sævire videtur in hæreticos eos interdicens aqua, & igne, aliisque suppliciis, quæ horrorem injicient feris ipsis, & quos non coërcet tam mira, & vix credibilis Ecclesiæ sollicitudo in hæreticis scrutã-

dis, perquirendis, & ex ipsis subterraneis cuniculis eruendis. Quid existimanda est profutura privati hominis occulta admonitio? illam irridebit, qui totam contemnit Ecclesiam, & ne vivus comburatur, se facile finget conversum ad fidem.

12. Accedit Quæsitoria toties repetita lex nullum hæreticum exceptum esse patiens; sed omnes è vestigio deferendos; cui parendum dubio procul: quippe cui honestissimæ, & statui Reipubl. Christianæ saluberrimæ: cùm enim Quæsitores longo deprehenderint experimento, quàm sit moraliter impossibile, ut hæretici à privatis cõvertantur ad fidem, & esse moraliter impossibile illos non moliri aliorum subversionem, & Reipubl. ruinam, jure optimo tam severis legibus in eos agendum curarunt. Philip. 2. inter Reges post Salomonem prudentissimus prudenter jactabat se 30. Clericorum opera Regno potiri Catholico, & pacato.

13. Postea idem Petr. Hurtad. §. 36. licèt existimet data hac hypothesi hic hæreticus occultus convertetur privata mea correptione, de quo sum firmiter certus, nec timeo ejus corrigibilitatem; data hac hypothesi, licèt inquam, existimet abstinendum à denunciatione, tamen postea sic addit. Existimo in Hispania, & ubi more Hispanensi viget Quæsitorium jus, vel Ecclesiastici Prælati simili sollicitudine vigilias agunt in hæreticos, illam hypothesim esse moraliter impossibilem. Quia hæretici revocantur ad fidem ægerrimè disputatione privata, quia contumaces in universam Eccles. obdurescunt, quoties disputant cum privatis. Præter hunc inveteratum hæreticorum morem est in Hispania alia ratio: quia nullus prudenter potest esse certus de hæretici conversione: quia ubi ipse comperierit se ab alio hæresi notari; simul competit alium Hispanensi jure teneri ad ipsum denunciandum: alioquì illi imminet excommunicatio, & aliæ pœnæ gravissimæ, quas nullus pro alio sustinendas volet, ob quod prudenter existimat se esse denunciandum, nisi dederit hæresis depositæ signa; quæ dabit callida simulatione. Ecquis jure asserat certum esse, hæreticum conversum ad fidem ex animo, & ob recognitam veritatem potiùs, quam simulatè ad declinandum denunciationis periculum? Ob quod puto nullum hæreticum esse in ejusmodi provinciis privatè corripiendum, sed statim denunciandum ad hæreticorum Iudices. Quare meritò dicit Bañez ab iis iri punitum eum, qui hæreticum corripuerit denunciatione ad ipsos prætermissa: quia legem ipsorum violare videretur, & imprudentem esse in speranda emendatione, & erit suspectus de hæreticis occultis. Idem dico de hæretico emendato; si enim ipse resipuit nesciens se ab alio cognitum: potest credi verè conversus: si verò est conversus sciens se ab aliis tunc viventibus cognitum, ejus conversio debet esse suspecta ad declinanda supplicia potiùs quam syncerè; ob quod est denunciandus.

Sup. hoc in Res. seq. §. Limitat. & inf. in Res 7. §. Sed ego, & in Res. 8. à lin. & inf. in Res 68. §. Ad id paulò post init. & in to. 6. tr. 1. Res. 99. §. 2. à lin 6. & vers. Vide.

14. Petr. Lorca *in* 2.2. *D. Thom. q.* 33. *art.* 8. *sect.* 3. *disp.* 47. *n.* 24. Duæ sunt rationes propter quas in crimine hæresis procedendum sit ad denunciationem omissa correptione, potius quàm in aliis criminibus. Prima, quia periculum detrimenti communis est majus: tum quia nocet in re valde necessaria, scilicet in fide, quæ est primum fundamentum vitæ spiritualis: tum quia peccatum hoc facilè propagatur, quia ut dicitur ad Tim. 2. *Serpit ut cancer*. Secunda, quia in eo peccato minor adest spes emendationis per admonitionem, habet enim intrinsecam contumaciam; & qui deliberatè & ex animo Ecclesiam contemnit (quod ad hæresim requiritur) minùs audiet privatam personam. Et ob has causas scriptura præcipit, ut hoc crimen si occultum sit, reveletur: nam Deut. 15. dicitur de eo, qui persuadet recessum à fide, & à cultu Dei *Non parcat ei oculus tuus, nec misereatis, ut occultes eum*. Et B. Leo serm. 4. de collectis, & sermone 5. de jejunio mensis septimi, præcipit, & hortatur, *ut nullus occultet hæreticum*.

15. Ex quo infero, justa esse edicta, quæ præciunt denunciationem sine monitione, & universim eis parendum esse; quia ut lex sit justa, satis est, ut præcipiat; quod regulariter expedit fieri. Et licèt in aliquo casu non urgeat ratio legis, nihilominus obediendum est semper, ut ostendi 1.2. *sectione* 5. *disputatione* 26.

16. Ægidius Trullench. me citato, *in Decal. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 2. *dub.* 5. *num.* 6. Dico tertiò, hæreticum scienter, & prudenter in fide errantem, etiamsi hæresiarcha non sit, & ab uno tantùm sciatur, tenetur sciens illum denunciare, ante omnem correctionem, ut continetur *in edicto S. Inquisitionis*. Probatur primò, quia ita habetur in edicto, quod fidei Inquisitores singulis annis promulgant, quod maximum est in hac re argumentum. Proceditur enim in hoc sanctissimo Tribunali, cum maxima prudentia, scientia, & consultatione. Quod quidem edictum, & præceptum Inquisitorum, habet vim legis Canonicæ.

17. Cæsar Carena me citato, *in tract. de Offic. S. Inquis. p.* 2. *tit.* 9. §. 4. *n.* 18. stantibus edictis Inquisitorum etiam suspecti de hæresi denunciandi sunt omissa correct. frat. Probatur quia edicta Inquisitorum fundantur, quòd correctio fraterna in delictis tendentib. particulariter contra bonum commune debet omitti, Molfes. *in Sum. tract.* 1. *cap.* 17. *num.* 14. Roder. *d. q.* 18. *num.* 12. qui alios allegant. Ad delicta ex quibus oritur hæresis suspicio particulariter contra bonum commune tendunt.

18. Secundò, quia non debet audiens aliquem blasph. judicare ipse, quod cum illa blasphemia non sit conjuncta hæresis, quia potest esse quòd talis blasphemans sit de aliis blasph. denunciatus, ac de aliis etiam criminibus ex quibus vehemens, vel violenta hæresis oriatur præsumptio, unde judicium hoc relinquendum Inquisitoribus, & taliter audiens debet denunciare.

19. Tertiò, quia duplex est denunciatio, alia Evangelica alia Iudicialis; ante Evangelicam, quæ fit ad fratris emendationem, præmittenda est correctio, non autem ante judicialem, quæ tendit ad punitionem, & exemplum aliorum: denunciatio autem in edictis præcepta est judicialis: ita arguit & bene P. Diana, *Resol. moral. par.* 1. *tract.* 4. *Resol.* 2.

20. Ex quibus patet non esse curandum de opinione Fagundez Io. de la Cruz, Reginaldi, & Peyrini, quos refert Diana, *d. Resol.* 2. qui voluerunt ante denunciationem Confessarij sollicitantis posse præmitti correctionem fraternam: Nam verè horum DD. opinio penitus omnia edicta Inquisitorum destrueret. Huculque Carena, & alij Doctores citati.

Quæ licet fayo. Rei. Bibliam

21. Dicendum est igitur quòd sententia Doctorum asserentium esse præmittendam correctionem fraternam cum certa, & firma spe emendationis in delicto hæresis, vel hæresim sapiente si est probabilis, erit probabilis stando in jure naturæ & communi; secus autem stantibus edictis & præcepto DD. Inquisitorum, nam ampliùs non videtur admittenda, sed statim omnia delicta in dictis edictis contenta, sunt sine prævia correctione ad Iudices fidei deferenda, & maximè delictum hæresis, Confessariorum sollicitantium, & sagarum. Recognosce meipsum *in part.* 4. *tract.* 5. *resol.* 24. ubi ex P. Suarez, & aliis probavi rectè potuisse Dominos Inquisitores hoc præceptum statuere.

Quæ lic. Rei. ad dens. §. ult. & Ref. 81. ejus aut.

22. Nota, quòd etiam stando in jure naturæ, & seclusis edictis DD. Inquisitor. aliqui putant, & rectè

reos

reos nostri sacri Tribunalis esse ante præviam correctionem denunciandos; Et hos DD. ego plena manu adduxi *in p.1.tr.4.resol.2.* quia denunciatio nostri sacri Tribunalis non intendit tantùm emendationem fratris, quantum punitionem delicti. Et ideò hanc sententiam tenet post hæc scripta visus amicissimus, & doctissimus, dominus meus Transmuera *in tr. de Correct. frat. post suum stimul. fidei, seu de oblig. revelandi Hæreticos*, in quo Tractatu, me citato, fusè, & solidè probat delicta in Edictis Dominorum Inquisitorum contenta esse sine prævia correctione fraterna Inquisitoribus revelanda, adi illum, & non pigebit.

Quæ hic est sup. Res 3 §. 8. & in aliis, §§. ejus ant. nec.1.

23. Hinc in omnium sententia refellenda venit opinio amicissimi, & docti viri Pattis Lezana *in summa qq. Reg. cap.10. num.34.* asserentis, Confessarium sollicitantem de quo probabiliter speratur emendatio, non denunciandum esse ante præviam correctionem; refellenda inquam, venit hæc opinio: nam in his casibus, ut observat Granadus *in 2. 2. D. Thom. contr.3. tract.12. disp.5. sect.4. num.33.* non sufficit probabilitas, quia cum hac stare potest prudens timor, quòd delictum perseverabit, & communitas graviter lædetur: Opus est igitur certissima, & firma existimatio ut loquitur D. Thom. *in 2.2. q.33. art.7.* ita ut certò moraliter correctio speretur: sed ego quæro, ista firma, & certa existimatio, quando in his casibus sperari potest: ita ut quis non sit dubius futuri eventus? certè ferè nunquam; igitur omnia crimina in Edictis Dominorum Inquisitorum contenta ad illos referenda erunt, sine ulla prævia correctione fraterna: capiendæ sunt enim istæ vulpeculæ, ne demoliantur vineam; unde non approbo doctrinam novissimè editam apud Portel. *in Respons. Mor. par.2. casu 43. num.7.*

sup. hoc sup. n. Res. 3. §. ad ad med. ver. non est ens. & in Res. 4. ad lin. 5 fa. & lege 5. Dicendum hujus Res. & supe- ius in tr.7. n. Res. 60. §. ult. & in aliis ipsa not.

RESOL. VI.

An criminosi jam emendati sint vigore Edicti denunciandi?

Sed difficultas est de Hæretico formali, quia semper dubitari potest, an re vera sit emendatus?

Et quid de Confessario sollicitante in confessione in prædicto casu? Ex p.1.tr.4.Res.3.

Hoc contento in hac Res. in Res. præterita per tot. & in to. 6. tr. 1. Res. 99. §. ult. à lin. 6. & vers. Vide.

§.1. Affirmativè respondeo cum Sanctarello *in tr. de hæresi, cap.9. num.11.* Sancio *in selectis disput.11. num.52.* Bonacina *in tract. var. disp.6. punct.3. num.9. & punct.2. num.3.* Azorio *part.1. lib.8. cap.19. quæst.9.* Suarez *tract. de fide, disp.40. sect.4. num.13.* Salonio *2.2. q.68. art.1. de Edictis Superiorum, regul.3.* Rojas *singul.3. num.33* Paramo *de orig. Inquis. lib.3. q.8. n.90.* & aliis ex ratione *suprà* allata: quia videlicet, denunciatio istorum tendit ad punitionem, & non ad correctionem.

Sup. in Res. quæ hic est 5.

2. Sed contrariam sententiam docet Sotus *l.3. q.5. art.5.* Molfesius *in summa, tom.1. tract.7. cap.24. n.21.* Genuensis *in praxi cap.18. n.6.* Naldus *in summa, verb. Accusare, n.1.* Victorellus *in Notis ad Manuele Navar. cap.25. n.33.* Finellius *tract. de cas. reserv. casu 2. n.8. in fine* Zanardus *in director. Confessor. part.3. c.31.* Rodericus Acugna, *in tract. de Confess. sollic. quæst.3. num.15.* & ibi Freitas *n.34.* Megala *in 1. part. lib.1. cap.5. nn.26.* Portel. *in addit. ad dubia regular. verb. sollicitare fœminas, n.18.* ubi sic ait: [Si fœmina sollicitata certò sciat, Confessorem esse pœnitentem, & moraliter intelligat, pœnitentiam illius de præterito esse veram; non tenebitur denunciare: quia finis denunciationis est emendatio proximi; cùm verò fœmina intelligat, moraliter Confessorem esse emendatum, cessabit obligatio denunciationis; quia cessavit finis illius, qui erat emendatio proximi.] Ita Portel. Idem docet Peirinus *in privil. ordin. Minimor. tom.2. Constit.4. Gregor. XV. §.6. num.31.* ita asserens: [Si mulieri sollicitatæ constet de emendatione sollicitantis, non tenetur denunciare, quia, cùm probaverimus; hoc peccatum fraternam correctionem admittere, si hæc profuit, vel sine hac peccatum est emendatum, non est, cur ad denunciandum procedatur.] Ita ille.

Sup. hoc ibi dem.

3. Sed in hac sententia difficultas est cognoscere, quando quis censeatur emendatus, ut quis non teneatur secundùm opinionem supradictorum DD. ex præcepto Edicti denunciare. Felinus *in cap. testimonium de testib.* Confessionem sacramentalem asserit, probare aliquem esse emendatum. Genuensis *in prax. cap.18. num.6.* putat, quòd possit præsumi emendatio, si talis consequutus fuisset Iubilæum. Homobonus *de exam. Eccles. part.1. tract.7. cap.7. quæst.33.* Freitas *in addit. ad tract. de Confess. sollic. quæst.8. num.32.* Ricc. *p.2. decis.259. num.14.* & alij asserunt, quòd qui per triennium benè vixerit, emendatus præsumitur. Aliqui verò putent, id arbitrio boni viri remittendum esse, qui, considerata qualitate personarum, totum judicabit cum prudentia, & maturitate: quia difficile est cognoscere correctionem hujusmodi personarum. Et ita loquens etiam de Hæreticis notavit Freitas *ubi suprà q.18. n.39. in fine.*

4. Limitat tamen hanc sententiam Fagundez *tr.2. lib.6. cap.4. num.17.* & alij quoad Hæreticum formalem: quia semper dubitare possumus, an revera sit emendatus: sunt enim Hæretici valdè subdoli, & conceptam hæresim retinere non valent, quin alios doceant. Et hoc notavit specialiter locum habere in casu hæresis formalis: nam in aliis casibus criminosi emendati non sunt denunciandi, sicut *suprà* corrigendos esse affirmavit.

Sup. hoc ibi dem §. Sed ego. Res. seq. & in Res. præterita. §. Postea in fin. & inf. in Res. 8. cursim à lin. 2 & in Res. 68 §. Ad id paulò post init. & in to. 6. tr. 1 Res. 99. § 2. à lin. 6. & vers. Vide.

5. Sed Genuensis *in praxi, cap.18. num.6.* qui citat Locatum, & Megalam *in 1. p. lib. 1. cap.5. num.26.* admittit supradictam limitationem, quoad Hæreticum, qui dogmatizando nocuisset Reipublicæ: nam in tali casu putant esse denunciandum, ut illi satisfaciat: & sic etiam sentit Molfesius *in summa, tom.1. tract.7. cap.24. num.21.*

RESOL. VII.

An Confessarius emendatus sit à pœnitente denunciandus?

Et an Hæreticus emendatus sit denunciandus? Ex p.4. tr.5. Res.23.

§.1. Negativè respondet Sousa *de Confess. sollicit. tract.2. cap.6. concl.4. num.16.* Lezana *in sum. qq. Regular. cap.19. num.34.* Acugna *quæst.3. num.15.* Peyrinus *tract. de privileg. Minim. tom.2. const.4. Gregor. XV. §.9. num.31.* Castrus Palaus *tract.4. disput.9. punct.10. num.1.* & ideo Io. Sancius *in selectis disp.11. num.15.* asserit: Si multi sint anni elapsi post factam sollicitationem, & credatur verisimiliter emendatum jam esse Confessarium non erit denuntiandus, hoc enim pia conditio humana pari videtur, ut post longum tempus admissi criminis non deferatur ad punitionis Tribunal delinquens, sed præsumatur emendationem jam consequutam esse; tres verò annos exigit communis DD. ad emendationem præsumendam in criminoso. Hæc Sancius; & hanc sententiam à fortiori docebunt DD. asserentes hæreticum emendatum non esse denunciandum, quorum nomina invenies *in p.1. tract.4. resol.3.* ratio est, quia obligatio edictorum videtur cessare, posita emendatione Confessarij, sicut cessante causa cessat effectus, causa enim obligationis denunciandi hæc videtur esse, ut Confessarius emendetur,

Sup. contento in hac Res. in Res. præterita per tot. & in to. 6. tr. 1. Res. 99. §. ult. à lin. 6. & vers. Vide.

Quæ hic est Res. antece. dens.

detur, & non ampliùs Confessionis sacramento abutatur, ergo, &c.

Ibi in §. Limitat. sup. in Res. 5 §. Postea, in fin. & inf. in Res. seq. cursim à fin. 2. & in Res. 68. §. Ad id paulò post init. & in to 6. tr. 1 Res. 99. §. 2. à lin. 6. & vers. Vide.

2. Sed ego ni quoad hæreticum contrariam sententiam tenui, & illam etiam quoad Confessarios sollicitantes tenet Martinus Bonacina *in tract. var. disp. 6. punct. 3. num. 9.* tum quia summi Pontifices absolutè in suis Bullis præceperunt denuntiari Confessarios tentantes sollicitare pœnitentes ad turpes actus, tum quia denunciatio & Inquisitio contra hujusmodi delinquentes judicialiter fieri debet, nec solùm instituitur ad emendationem delinquentis, sed etiam ad pœnam, ut tam ipse, quàm cæteri metu pœnæ in tali crimine in futurum retrahantur, ex quibus patet responsio ad argumentum contrariæ sententiæ. Ita Bonacina.

3. Nota, verò quòd si aliquis staret in prima sententia, tunc dicendum est Confessarium esse emendatum, si eadem sollicitata mulier ter, vel quater ad ipsum accedens non iterum in eo libidinosum animum & libidinis signa reperiat. Ita Souza *ubi supra*.

RESOL. VIII.

An dubius de emendatione alicujus rei in Edicto Inquisitorum positi, & præsertim Hæretici, teneatur illum denunciare?

Et quid, si moraliter constet esse emendatum? Ex p. 4. tr. 3. Resol. 61.

Sup. hoc sup. in Res. 5. §. Postea in fin. & in Res. 6. §. Limitat. & in res. 7 §. Sed ego, & inf. in Res. 68. §. Ad id & in to 6. tr. 1. res. 99 §. 2. à lin 6. & vers. Vide.

§. 1. NOn solùm in tali casu, sed etiam si moraliter constet esse emendatum, puto denuntiandum esse, & præter Doctores quos alibi citavi, noviss. tenet hanc opinionem Emanuel Moura *opusc. 1. de incant. & ensalm. sect. 2. cap. 16. n. 13.* ubi sic asserit: Quamvis mihi privato moraliter constet hæreticum occultum esse emendatum, urgeatque alioqui præceptum divinum de non infamando proximum absque necessitate, etiam coram Ecclesiæ ministris, teneor, eum deferre ad sacrum Tribunal, & juxta omnes in dubio de ejus emendatione, quia decernere an sit, vel non sit emendatus, judicium exigit altius, quàm privati. Ita ille.

RESOL. IX.

An filius teneatur denunciare patrem hæreticum, Idem est dicendum de uxore, marito, fratre. Ex p. 1. tr. 4. Resol. 4.

Sup. hoc in tom. 8. tr. 5. Res. 41. §. Sed cursim propè fin. & in Res. 2. not. seq.

Sup. his in Res. seq. & fupetius in tr. 1. Res. 162. §. 1. ante med. vers. Nisi in casu hæresis.

§. 1. PRima opinio negat. Ita Alexander de Ales *p. 3. quæst. 23. memb. 4. dif. 2. dub. ult.* Rojas *sing. 12. num. 2.* & ita intellige eundem *sing. 5. n. 29.* Idem docuit noviss. Ricc. *part. 3. dec. 278. num. 8.* & vir doctus Ioan. Valer. *in differ. utriusque fori, verb. hæresis, differ. 1. num. 4.* ubi sic asserit: [Septimò, fallit in filio contra patrem, maximè si pater non inducebat filium ad hæresim. Idem videtur dicendum de uxore, marito, & fratre: sed contrarium in his tenet Rojas, quod verius credo, quoad fratrem.] Ita ille.

2. Secunda opinio, quam ego sequor, affirmat, & docet, filium teneri ad denunciandum patrem hæreticum: & ita præter Doctores, quos citat, & sequitur Farinac. *de hæres, q. 197. §. 2. n. 40.* tenet hanc sententiam Suarez *tr. de fide, disp. 20. sect. 4. n. 21.* Azor. *p. 2. lib. 2. cap. 1. q. 13.* Comitol. *in resp. moral. lib. 4. q. 8 num. 3.* Sanctarell. *in tract. de hæres, c. 9. n. 15.* Bonac. *in tract. var. disp. 6 punct. 2. n. 3.* Portel. *in dubiis regular. tom. 1. verb. correctio fratrum, n. 11.* Bonac. *de cens. disp. 2. q. 6. punct. 5. num. 1.* Lopez *in instruct. p. 1. c. 54.*

3. Tertia opinio est media inter supradictas, ut docet Simanchas *lib. de Cathol. instit. titul. 29. num. 4.* & Genuensis *in praxi, cap. 18. num. 9.* & ideò putat, tunc filium debere denunciare patrem Hæreticum, quando hæresis patris tendit in perniciem publicam, ut si pater dogmatizaret, & filium, aliosque doceret; vel, quando filius interrogaretur à Iudice, tanquam testis. At in hoc secundo casu putat Genuensis, non esse filios cogendos, si alij testes haberi possunt: cùm enim sint personæ privilegiatæ, in subsidium tantùm cogendos esse constat. Et ita in Curia Archiepisc. Neapolitana practicatum esse testatur: non enim coëgerunt quendam filium adversùs patrem Hæreticum: & ita docet Filliuc. *tom. 2. tract. 40. cap. 8. num. 233.*

RESOL. X.

An uxor, & frater teneatur denunciare maritum, & fratrem hæreticum? Ex part. 1. tr. 4. Res. 5.

Sup. hoc sup. in tr. 1. Res. 5. n. 1. ante med. vers. Nisi in casu hæresis.

RESOL. XII.

An quis teneatur denunciare, si ex denunciatione timeat damnum notabile cum probabili periculo mortis, infamiæ, aut gravis alicujus damni proprij, vel patris, aut mariti, matris, uxoris, fratrum, aut aliorum conjunctissimorum?

Et an si aliqua mulier sollicitata à Confessario, vel Monialis, aut alia non potens adire Inquisitores absque infamia, satisfaciat per epistolam missam ad Inquisitorem denunciare, &c.

Et an excusetur uxor non denuncians maritum hæreticum, timens ab eo malè tractari, aut interire?

Et quid faciendum est, si hæreticus abjurans apud Inquisitores, si iterum delatus, quod nonnullos complices in suo examine subjacuisset, si respondeat hoc feciſſe, quia valdè timuit ab ipsis complicibus, quia ditiores, & potentiores erant, &c? Ex part. 1. tract. 4. Resol. 7.

§. 1. NEgativè respondet Sanctarellus *in tractat. de hæresi, cap. 9. num. 16.* qui citat Pegnam, & Scacc. quibus ego addo Homobonum *tr. de cas. reserv. p. 2. cap. 1.* Peyrinum *super privilegia Minimorum, tomo 2. Constit. 4. Gregor. XV. §. 9. n. 28.* & Fagundez *de Præcept. Eccel. tract. 2. lib. 4. cap. 3. num. 31.* ubi asserit, denunciatorem non teneri hujusmodi denunciationes facere Inquisitoribus, cum probabili periculo mortis, infamiæ, aut gravis alicujus damni proprij, vel patris, aut matris, mariti, uxoris, fratrum, aut aliorum conjunctissimorum. Sed limitat hanc sententiam Genuensis *in praxi cap. 18. num. 8.* nisi hæreticus dogmatizaret in magnum Reipublicæ damnum, animas seducendo, & corpora offendendo; ut si occidat pueros; & similia faceret: tunc enim, asserit ille, succedit id quòd quilibet pro patria tenetur ponere vitam.

Ideò ex hac opinione infert Portel. *in addit. ad dubia regul. verb. sollicitare fœminas, num. 21.* quòd si aliqua mulier fuit sollicitata à Confessario, vel Monialis, vel alia non potens adire Inquisitores, absque infamia satisfaciet denunciando per epistolam missam ad Inquisitorem, tradendo epistolam familiari alicui S. officij; vel stet consilio Confessarij: nam ita faciens facit: quantum in se est, Lazarius verò, cùm *in tract. de blasph. q. 12. num. 64.* hanc sententiam rationibus, & authoritatibus comprobaret, post multa sic asserit: [Dicebam olim, virginem quandam ex honestis parentibus, cujusdam domicillæ ancillam, quæ servum ejusdem domus frequenter blasphemias, etiam hæreticales, proferentem audierat, non debere accedere ad Sanctæ Inquisitionis Officium, ad illum denunciandum: grave enim damnum posset sibi probabiliter timere in fama, & honore eventurum; quandoquidem eam videntes, ad dictum Tribunal accedere, facilè suspicari possent, eam de aliquo delicto inquisitam fore. Igitur in tali casu potest, imò, tenetur, (quod facere possunt Moniales) aut suo chirographo, si scribendi esset perita, denunciare, & attestari de tali blasphemature per certum hominem ad Inquisitorem missum, vel Confessario blasphematorem indicare.] Ita Lazarius. Et hanc sententiam probat Episcopus Acugna, qui fuit priùs Inquisitor *tract. de Confess. sollicit. q. 19. per tot.* & Molfesius *in summa, tom. 1. tr. 7. c. 24. n. 24.* cum Homobono *de exam. Eccles. p. 1. tr. 7. c. 7. q. 32.*

3. Hinc Pegna *in direct. Inquis. p. 2. q. 53. comment. 78.* cum Sigismundo Scaccia *de judic. caus. civ. crim. & hær. cap. 56. num. 24. in fine,* & Farinacio *de hæresi, q. 197. n. 53.* excusant uxorem non denunciantem maritum hæreticum, timentem ab eo malè tractari, aut interire. Et sic hæreticus abjurans apud Inquisitores, si iterum delatus, quòd nonnullos complices in suo examine subticuerit, respondeat, se hoc feciſſe, quia ob ipsis complicibus, qui ditiores, & potentiores erant, sibi valdè timuit, non est indistinctè puniendus, & & Curiæ sæculari tradendus, tanquam diminutus; sed mitiùs damnandus, ut observavit Frcit. *in addit. ad tract. de Confess. sollic. q. 19. num. 15.*

4. Sed his non obstantibus, docet Bonacina *disp. 6. punct. 2. num. 6.* quòd hæc doctrina non probatur ab omnibus: ait Freitas *in addit. ad tract. de Confess. sollic. q. 10. n. 15. fin.* quòd attenta practica, contraria sententia amplectenda esse videtur, maximè in casu hæresis formalis. Vide etiam Rojas *sing. 3. num. 22. seu 30. vers. 7. ampliatur.*

RESOL. XIII.

An pœnitens sollicitata teneatur denunciare Confessarium si ex illa denunciatione timeat damnum notabile, v. g. si ei sequatur mors, membri abscissio, vulnera, notabilis famæ & honoris jactura, amissio majoris, vel magnæ partis bonorum, vel alia similia; aut hæc consanguineis, vel affinibus usque ad quartum gradum probabiliter eventura timeantur? Ex part. 4. tractat. 5. Resol. 19.

Sup. hoc in resol. præterita.

§. 1. PArtem affirmativam regulariter sequendam esse docet Bonacina *in tract. var. disp. 6. punct. 1. §. 3. num. 6. in fine, & punct. 3. n. 11.* quia ferè nunquam hujusmodi periculum damni imminet, tum quia incommoda, quæ sequuntur ex abusu Sacramenti Pœnitentiæ, in hac materia prævalent incommodis privatarum personarum.

2. Sed his non obstantibus negativam sententiam tenet Lezana *in summa quæst. Regul. cap. 19. n. 34.* Acugna *de Confess. sollic. quæst. 19. n. 6.* Peirinus *de privil. Minim. tom. 2. constit. 4. Gregor. XV. §. 9. n. 28.* Fagundez *pr. 2. lib. 4. cap. 3. num. 31.* Sancius *in selectis disp. 11. num. 55.* & Sousa *in aphorism. Inquis. lib. 1. cap. 34. n. 58.* ubi sic ait: Regulariter excusatur fœmina sollicitata à denunciatione, si ex denunciatione ei sequatur mors, membri abscissio, vulnera, notabilis famæ, vel honoris jactura, amissio majoris, vel magnæ partis bonorum, aut hæc consanguineis & affinibus usque ad quartum gradum probabiliter eventura timeantur; & ut quis dicatur sufficienter timere prædicta mala taliter quòd à denunciando deobligetur, sufficit quod probabiliter proximè eventura credantur, faciléque eis occurri non possit, & qui illa minatur, possit, ac solitus sitilla, aut similia exequi. Verùm si ex omissione denunciationis bonum fidei periclitetur, non potest omitti denunciatio, licèt inde denuncianti aliquod ex prædictis malis, vel periculis eveniat. Ita Acugna & in hoc ultimo casu admittenda est opinio Bonacinæ.

3. Sed licèt supradicta sint vera, advertant tamen Confessarij, quod in hoc cavendum est, ne trepidetur timore, ubi timor non est, & ideo, ut vult Peirinus *loco citato*, suadeant mulieri non esse inhonestum comparere coram Inquisitoribus pro Catholicæ fidei defensione ad denunciandum taliter delinquentes. Vide Sancius *in selectis disp. 11. n. 45.* Acugna *q. 22. n. 14.* & *ibi* Freitas *n. 14.* & alij asserunt fœminas egregias & nobiles teneri testificationis causa in sollicitatione adire Inquisitores, id enim nimis durum non est ob bonum Religionis, nisi clausura, infirmitas, aut alia justa ratio excuset; vide etiam *infrà resol. 36.* movendæ tamen sunt mulieres sollicitatæ cessantibus periculis ad denunciandum.

Quæ nunc hanc sequetur.

RESOL.

RESOL. XIV.

An fœmina excusetur à denunciatione, si timeat grave damnum in bonis temporalibus amici maximi?

Et quid, si in se ipsa metuat grave damnum in fama, vita, aut bonis temporalibus propriis, vel mariti, filiorum, aut fratris? Ex p. 4 tr. 5. Res. 36.

§. 1. AFfirmativè respondet Sanc. *in select. disp. 11. n. 55.* asserens deobligari fœminam à denunciatione, si grave damnum metuat in fama, vita, aut bonis temporalibus propriis, vel mariti, filiorum, fratris, aut amici maximi. Ita ille.

2. Sed in editione novissima contrarium asserit Freitas *de Confess. solic. q. 12. n. 19.* dubitat enim, & meritò, de exemplo amici posito à Sancio, si in bonis temporalibus damnum timeatur; licèt namque in alia materia id locum habere possit, ex traditis per Sanch. *lib. 4. disp. 4. n. 9.* attamen in hæreseos crimine major amicus est Deus, & dici solet amicus usque ad aras, nam sententia Sancij admissâ rarò quis teneretur hæreticum deferre, si esset consanguineus, aut amicus, cum propter hæresim omnia bona amittat, ex *cap. cum secundum de hæret. in 6.* Ita Freitas. Non desinam hîc adnotare celebrem doctrinam ejusdem Freitas *ibidem num. 21.* Tunc ex amissione bonorum temporalium quis excusatur à denunciatione, quando statum mutare ex illa cogatur: unde ait ipse *num. 24.* cùm in casus contingentia consultus, utrùm creditor magnæ quantitatis debitorem, sed hæreticum, ad Inquisitores deferre teneretur, à delatione excusari putabat, propter difficultatem & dilationes petendi debitum à fisco. Respondi non obstante ea difficultate ad denunciandum teneri, tum quia per eam dilationem nec statum delator mutabat cùm esset dives, nec timor ille justus erat ad excusationem, nam metus, qui excusat, debet esse injustè illatus & instans. Hæc ille, quæ quidem sunt multum notanda, & juxta hæc intelligenda sunt ea quæ superiùs dixi *in resol. 19.*

Quæ hic est Res. antecedens.

RESOL. XV.

Verum quis teneatur denunciare seipsum?

Et an criminosi, & complices delicti teneantur prodere seipsos propter hæreticum dogmatizantem, & eos docentem hæresim?

Et an in cæteris casibus criminosi ex Edicto Inquisitorum, teneantur prodere se ipsos, vel possint absolvi per Cruciatam, vel per privilegium Regularium? Ex p. 1. tr. 4. Res. 8.

Sup. hoc inf. §. 1. Res. 24. in §. pen. in princ.

NEgativè respondent Doctores *infrà* citandi: quia nemo tenetur prodere se, ut habetur *in cap. aliquando de pœn. dist. 1.* & ita docet Sanctarel. *tr. de hæresi, c. 11. dub. unic. n. 19.* qui citat Pegnam, Simancham, & Suarez, quibus ego addo Fernandez *in exam. Theol. mor. p. 1. c. 19. §. 5. n. 5. & p. 4. c. 6. n. 5. §. 1* Ricc. *part. 5. decis. 278. n. 1.* Homobonum *in exam. Eccles. p. 2. tr. 11. cap. 4. q. 4.* Ioan. Valerum *in different. utriusque fori, verb. hæresis, diff. 1. n. 4.* Rodericum Acugna *in tr. de Confess. solic. q. 10 n. 4. & q. 21. n. 2.* & ibi Freitas *in addit. n. 13. & 21.* Lorich. *in thes. Theol. tom. 1. verb. denunciatio, n. 3.* Portell. *in addit. ad dubia regul. verb. solicitare fœminas, n. 15.* Zanardum *in direct. Confess. par. 3. in fin.* Molfesium *in summa tom. 1. tr. 7. cap. 24. n. 24.* Megalam *in 1. part. lib. 1. cap. 5. n. 30.* & Zerolam *in praxi Episc. part. 1. verb. hæresis, q. 35.*

2. Aliqui tamen ex supradictis DD. limitant hanc sententiam in casu, quo pro bono communi quis teneretur vitam propriam ponere: & ideò annis elapsis in quadam nostræ Italiæ nobilissima civitate, doctissimi Theologi obligaverunt denunciare quendam hæreticum dogmatizantem, & docentem alios hæresim, quamvis ipsi denunciantes fuerint discipuli ejusdem hæretici, & sic complices delicti. In cæteris casibus criminosi ex Edicto Inquisitorum secundùm mentem horum Doctorum, non tenentur prodere seipsos: sed asserunt aliqui, quod debent absolvi à Confessario per Cruciatam, vel per Regularium privilegia. Sed nos de hoc alibi. Ex ista quæstione sequitur alia, scilicet.

RESOL. XVI.

An saltem dicti criminosi teneantur denunciare complices?

Et quid in causa hæresis?

Et an fœmina consentiens in solicitatione facta in confessione teneatur Confessarium solicitantem denunciare? Ex p. 1. tr. 4. Res. 9.

§. 1. REspondent aliqui negativè: quia, sicut aliquis non tenetur denunciare seipsum; ita neque complices: nam, moraliter loquendo, non potest quis manifestare socios, quin manifester seipsum: nam si v. g. Petrus denunciet Paulum complicem; postea Paulus interrogatus, ut reus tenebitur denunciare Petrum. Ergo Petrus denuncians Paulum virtualiter denunciat seipsum. Et ita docet Suarez *tract. de fide, disput. 10. sect. 4. n. 18.* qui citat Pegnam, & Simancham. Idem docet Megala *in 1. p. lib. 1. c. 5. n. 30.* & novissimè doctus Portel. *in addit. ad dub. regul. verb. denunciatio, n. 10.* [Complicem delicti nunquam tenetur quis denunciare, ex vi Edicti, in quacunq; materia fuerit complex: Vnde potest colligi, quòd si fœmina fuit solicitata ab aliquo Confessore in Sacramento Confessionis, & ipsa ibi consentit cum illo in actibus turpibus, talis fœmina non tenetur denunciare de illo Confessore.] Ita ille. Et *verb. solicitare fœminas, n. 25.* sic etiam asserit: [Si fœmina intra Confessionem solicitata consensit, non tenetur denunciare de Confessore. Probatur ex dicto communi Doctorum, quòd socius criminis, vel complex, non tenetur denunciare de socio delinquente cum periculo suæ infamiæ: non enim tenetur prodere se, At ista fœmina, denuncians de tali Confessore, exponit periculo suam famam: poterit enim Confessarius in Tribunali fateri, se actus inhonestos cum illa habuisse, illa non repugnante: quod foret fœminam prodere se. Ergo, &c. Limitant verò hanc sententiam in casu hæresis; eo modo tamen, ut * *superiori quæstione* dictum est.

2. Notandum est tamen, his non obstantibus, aliquos Doctores asserere, fœminam consentientem solicitationi factæ in Confessione, teneri Confessarium solicitantem denunciare, etiam si illa sit delicti complex. Ita Acugna *in tract. de Confess. solic. q. 10. n. 19.* Bonacina *in tract. var. disp. 6. punct. 3. n. 10.* Peirinus *in privil. Minim. tom. 2. Constit. 4. Gregor. XV. §. 3. n. 11.* Sanctarell. *tract. de hæres, cap. 44. dub. unic. n. 12.* & alij. Non tamen tenetur proprium consensum manifestare: nec potest super hoc ab Episcopo, vel Inquisitore interrogari. Et in casu, quo pœnitens, qui consentit, vellet consensum manifestare, non debet scribi in Actis, tanquam res non spectans ad Tribunal Inquisitionis. Ita Peirinus, & alij, *ubi supra.*

RESOL. XVII.

An quando edictum fundatur in præsumptione, & ego scio pro

præsumptionem in tali casu deficere, teneat ad denunciandum? Ex p.1. tr.4. Ref.10.

§.1. NEgativè respondet Riccius *p.3. dec.278. n.6.* & ante illum Ioan. Valerus *in differ. utriusque fori, verb. hæresis, differ.1. n.4.* ubi agens de denunciationibus faciendis, vel non faciendis ex Edicto Dominorum Inquisitorum sic asserit: [Quintò fallit in his in quibus Edictum se fundat in præsumptione, ut in Chiromanticis, Necromanticis, & aliis, qui ex inspectione rimularum, vel linearum manuum, aliqua prædicunt: si enim aliàs ego certò scio, non habere tales pactum ullum cum Dæmone, non teneor denunciare: nam motus Sixti V. circa hoc editus fundat se in præsumptione: in dubio autem tenetur quis denunciare.] Ita Valerus. Quòd autem lex fundata in præsumptione non obliget, si præsumptio cessat, probant ex multis Homobon. *in exam. Eccl. p.1. tr.5. c.8. q.53.* & probabilem hanc sententiam vocat Becanus *in summa Theol. p.2. tr.3. c.6. concl.4. n.5.* & alij.

Sup. hoc cum citat. & aliis 20. in ro. 6. tr.1. Ref. 69. & in aliis ejus primæ to.

2. At his minimè suffragantibus, contrariam sententiam docet Freit. *in addit. ad tr. Episc. Acugna, de Confess. solic. q.21. n.26.* ubi asserit, judicium illud discernendi circa suspicionē de fide, quæ resultat supposita Pontificis, vel alicujus Edicti præsumptione, non competere Confessarij, vel alicujus; sed Inquisitoribus. Vnde licèt Bulla Greg. XV. fundetur in præsumptione, ut patet in illis verbis: *Nos in animum inducere nequeuntes*, sequitur, judicium discernendi circa suspicionem de fide Confessarij solicitantis, non competere, nisi Inquisitoribus. Et hæc (Deus scit, cum quanto labore collecta) satis sufficiant, circa obligationem denunciandi ex vi Edicti Dominorum Inquisitorum, ex quibus Confessarij infinitos casus in praxi quotidie extricare poterunt. Nunc verò deveniendum est ad aliquas dubitationes elucidandas circa denunciationes faciendas, ex solicitatione facta in confessione, ex vigore Bullarum Clem. VIII. Pauli V. & novissimè Greg. XV. ideò quæritur:

RESOL. XVIII.

An fœmina Edicti ignara teneatur denunciare solicitantem statim, vel intra eosdem dies, quos Edictum signaverat?

Et an fœmina conscia Edicti, & non denuncians intra terminum excommunicationem incurrat à qua absolvi non possit per Bullam Cruciatæ, nisi facta sit denunciatio? Ex p.4. tr.5. Ref. 26.

Sup. hoc in §.1. seq. §. Negativè vero, & sic in Ref. 24. Secundò denunciandi, & quemvis Edicto semper obedire, cùm dictum illud spatium non detur, ut extinguatur, sed ne differatur obligatio. Propterea si Edicti quis ignarus, aut justa aliqua armatus excusatione, non intra præfixum terminum compareat, mandati tandem jam gnarus, & impedimentis illis justis jam expeditus comparere tenetur, atque non teneri statim ac sciat, probabile est, sufficiens erit judici se sistere testimonium dicturum intra æqualem terminum, qui per Edictum conceditur, quia non debet pejoris esse conditionis. Ita Acugna.

§.1. AFfirmativam sententiam docet Acugna *tract. Confes. solic. q.21. n.4.* ubi sic ait: Præmitto, excommunicationis consumpto termino non consumptam denunciandi obligationem, imò teneri quemvis Edicto semper obedire, cùm dictum illud spatium non detur, ut extinguatur, sed ne differatur obligatio. Propterea si Edicti quis ignarus, aut justa aliqua armatus excusatione, non intra præfixum terminum compareat, mandati tandem jam gnarus, & impedimentis illis justis jam expeditus comparere tenetur, atque non teneri statim ac sciat, probabile est, sufficiens erit judici se sistere testimonium dicturum intra æqualem terminum, qui per Edictum conceditur, quia non debet pejoris esse conditionis. Ita Acugna.

2. Sed Ioanni Sancio *in selectis disp.11. n.59.* verius videtur obligare Edictum ante alios dies ab illis, quos antea signaverat, & teneri fœminam denunciare cum primum commodè possit; sicuti teneretur denunciare ex præcepto naturali opportunitate adveniente, nec ob id est pejoris conditionis fœmina quæ ignoravit Edicti publicationem, cùm tam ipsi quàm aliis terminus ad denunciandum æqualis sit designatus, imò est melioris conditionis per accidens, cùm ob ignorantiā Edicti excusetur ab obligatione denunciandi per amplius tempus, quàm fœminæ Edicti gnaræ. Hæc Sancius qui tamen concedit opinionem affirmativam esse satis probabilem, quam tuentur etiam Filliuc. *tom.1. tract.14. c.2. n.42.* & Suarez *de cens. disp.20. sec.1. n.14.* loquentes in communi de illo, qui tenetur revelare aliquid sub pœna excommunicationis.

3. Notandum est tamen, quòd si excusata, fuisset fœmina denunciare ob aliquod impedimentum intra terminum Edicti, dum esset illius conscia, non oportebit illi novum terminum concedere, quia habuit scientiam ut posset toto illo tempore deliberare quid & quomodo agere oporteat, & consulere. Ita Suarez, & Sancius *ubi supra*, licèt in hoc dissentiat Freitas *in noviss. addit. de Confes. solic. q.21. n.41.* ut *infrà* patebit. Nota etiam hic, quòd fœmina conscia Edicti, & non denuncians intra terminum, excommunicationem incurrit, à qua absolvi non potest per Bullam Cruciatæ, nisi facta sit denunciatio, aut per fœminā nō stet, quin fiat, cū læsa pars non sit adepta satisfactionē, videlicet Inquisitores, quorū justū mandatum non est impletū.

Sup. hoc sup. in tr 8. Ref. 32. §. Notant ad med. vers. quia asserūt, & inf. in Ref. 23.

RESOL. XIX.

An qui per impotentiam, vel ignorantiam Edicti non denunciavit intra terminum, teneatur postea denunciare?

Et an in tali casu non sit obligatio denunciandi statim, sed intra eosdem dies, quos Edictum signaverit?

Et an qui non denunciat intra terminum præfixum in Edicto incurrat novam excommunicationem, vel tantum maneat in eadem?

Et an si in talibus Edictis jubeatur denunciare intra sex primos dies, ex praxi constet inter eos non numerari diem primum? Ex p.3. tr.5. & Misc.1. Ref.96. aliàs 95.

§.1. AFfirmativè respondet Filliuc. *tom.1. tract.14. c.2. n.42.* qui citat Suarez, idem etiam docet Sancius *in selectis disp.11. n.59.* qui citat Acugnam, & Freitam, vide etiam Antonium Ragucium *in var. discipl. Eccl. tit. de monit. q.97. n.2.* Et ratio est, quia terminus non est in Edicto positus ad finiendam, sed ad differendam obligationem. Ex his infertur, quòd excusatus ob ignorantiam, ad non revelandum intra præfixum terminum, si postea illi constet de Edicto, tenetur ad revelandum; quia obligatio adhuc durat.

Sup. hoc in Ref. seq. §. pro contrario in hoc §. in Ref. præterita, ex doctr. §.1. & inf. in Ref. 24. §. Secundo nō ādum est etiā Sancium.

2. Non reticeam tamen contrariam sententiam, docere Vgol. *de potest Episc. cap.45. §.5. n.1.* Philiarc. *de off. Sacer. tom.1. p.1. lib.3. cap.34.* Armillam *ver. excomm. n.34.* & Tabienam *ver. excomm. 4. n.5.* ubi sic asserit. Ex his sequitur quæstio ista, scilicet est facta monitio per Episcopum, ut qui habet instrumenta Titij, revelet infra sex dies, Petrus habet unum, & est absens, & ignorans, post sex dies fit excōmunicatio, deindo venit Petrus, nunquid incurrit? Dicitur quòd nō, quia ultra terminū statuentis, nullum habet vigorem. Ita ille, & hanc sententiam novissimè docet noster Nald. *in sum. ver. revelare, c.2.* ubi ita ait: Revelare jubens Edictū superioris delictum aliquod occultum sub pœna excommunicationis intra certum tēporis spatium non comprehendit subditos, qui tempore Edicti degunt extra territorium excommunicantis, & similiter qui promulgationis Edicti tempore erat impotens, vel ignarus Edicti, vel aliàs legitimè excusatus, cessante ejusmodi excusatione post elapsum terminum, non incidunt in illam excommunicationem, quæ vires suscipit tempore suæ publicationis, & ideo nova sententia opus esset ad eos excusatos ejusmodi censura afficiendos. Sic Naldus, sed tu à communi sententia ne recedas.

Sup. hoc in fin. Ref. seq. supr. in tr.1. Ref. 104. §. Sed insurgit. Quamvis nō plenè dicant super hac diffic.

Sup. hoc in Ref. præterita, & inf. in Ref. 24. §. Secundo notandum.

3. Nota verò contra Sancium *ubi suprà*, quòd in tali casu non est obligatio denunciandi statim, sed intra eosdem dies, quos Edictum signaverat; non enim debet esse pejoris conditionis, qui ignoravit Edictum, quàm cæteri qui notitiam habuerunt, & ita docent Filliucius *loco citato*, & Villalobos *in summa tom. 1. tract. 17. diffic. 18. n. 4.*

4. Notandum est etiam hîc obiter, cum Lazario de *monitoriis, sect. 2. q. 4. n. 8.* qui citat Conradum, Graffium, & Navarrum, quòd qui non denunciat intra terminum præfixum in Edicto, non incurrit in novam excommunicationem, sed tantùm manet in eadem. Contrariam sententiam docet Bonacina *in tract. var. disp. 6. punct. 1. §. 9. n. 2.* putans toties incurrere excommunicationem non denunciando, quoties potest commodè denunciare: sed opinio Lazarij, & aliorum, est satis probabilis.

Sup. hoc inf. in Ref. 24. §. Non desinâ.

5. Notandum est etiam, quòd in talibus Edictis jubentur scientes denunciare intra sex primos dies, & ex praxi constat inter eos non numerari diem primũ publicationis, ac subinde dum Edictum publicatur in Dominica, cum sex diebus datis pro tribus terminis, finitur publicatio sequenti Dominica in eadem hora, & qui nesciunt statim primo die fuisse latam excommunicationem in Edicto contra scientes, possunt à die notitiæ numerare prædictos sex dies. Et hæc omnia docet Henriquez *lib. 13. cap. 18. n. 6. & in glossa lit. O.*

RESOL. XX.

An fœmina in decimo mense v. g. anni post Edictum publicatum teneatur denunciare Confessarium solicitantem?

Et an Edicta Episcoporum non durent per totum annum, sed per duos, vel tres menses, unde si post hoc tempus transactum novit quis aliquem esse concubinarium, non teneatur illum denunciare? Ex part. 4. tract. 5. Res. 27.

Sup. hoc in Ref. præterita & lege etiam §§. ejus primæ annot.

§. 1. NEgativè videtur respondendum per ea, quæ docet Henriquez *lib. 3. cap. 18. num. 4. glos. lit. L.* ubi ita asserit: Dum Inquisitor visitat pro causa favorabili fidei, ut habet majus territorium, ita obligatio denunciandi longiori tempore durat, sed novo præcepto Edicti non intendit obligare pro toto anno, & prudens perpendet quanto tempore duret nova obligatio, dum promulgatur Edictum per præcipuas Parochias. Pegna & recentiores negant obligare pro toto anno. Ita Henriquez, ex quibus sequeretur, quòd quis v. gr. post decimum mensem à die publicationis Edicti non teneretur denunciare.

2. Sed hæc opinio est prorsùs rejicienda. Nam, ut optimè observat Suarez *de fide, disp. 20. sect. 4. n. 11.* obligatio hæc denunciandi oritur immediatè ex præcepto impositio per Edicta DD. Inquisitorum, quæ non minorem vim habent, quàm leges Canonicæ, nam Apostolica authoritate feruntur, & quamvis videantur præcepta ab homine, tamen quia Tribunal, à quo procedunt, perpetuum est, ideo per modum legis perpetuò durant, sicut de Bulla Cœnæ DD. communiter asserunt. Vnde in terminis nostram sententiam docet Fagundez *de præcept. Eccles. pr. 2. lib. 4. cap. 3. numero 31.* Avila *de cens. part. 2. cap. 5. disput. 5. dub. 5. conclus. 3.* ubi sic ait, Edicta Inquisitorum durant per totum annum, donec iterum publicentur; itaque in quocumque tempore anni sciam aliquem esse hæreticum, teneor denunciare. Probatur, nam hæc videtur intentio Inquisitorum, cum hæc delicta sint contra bonum commune, & ita practicatur, quòd fideles in quocumque tempore anni denunciant hujusmodi delicta. Ita Avila, qui tamen notat, quod Edicta Episcoporum non durant per totum annum, sed per duos, vel tres menses, unde si post hoc tempus transactum Ref. novit aliquem esse concubinarium, non tenetur denunciare, nam cùm hæc delicta non vergant in damnum publicum, non videtur ita strictè interpretanda, neque accipiuntur à fidelibus cum tanto rigore, sicuti quamvis aliquo ab alio accipiuntur Edicta Inquisitorum.

Sup. hoc in Ref. præterita, & in aliis §§. ejus primæ not.

RESOL. XXI.

An fœmina in aliquo casu teneatur denunciare ante completum terminum publicationis, Edicti Inquisitorum?

Et ex doctrina hujus quæstionis infertur, an quis teneatur prævenire tempus confessionis, Eucharistiæ, & auditionis Missæ, si timeat, quod quando obliget confessio, communio, vel Sacrum, non esset copia Confessarij, &c.

Et an supradicta fœmina, quæ jam censuram incurrit, si denunciationis præceptum adimpleat, possit virtute Bullæ Cruciatæ à quocumque Confessario absolvi à censura, vel à Regularibus virtute privilegiorum? Ex p. 4. tract. 5. Res. 29.

§. 1. AD hoc dubium curiosum quidem ita respondet Io. Sancius *in select. disp. 11. n. 60.* Si fœmina conscia Edicti iter ageret ante terminum publicationis impletum ad oppidum, ubi non esset opportunitas denunciandi, aut quia Inquisitionis Tribunal ibi nunquam est situm, aut alia causa, probabile erit non constringi fœminam prævenire denunciationem ante impletionem termini designati per Edictum Inquisitorum, si tantùm loquamur ex juris positivi obligatione, quia lex non obligat denunciare, nisi intra illum terminum, nec constringit prævenire denunciationem ante in aliquo casu eo modo, quo nec teneri quê prævenire tempus annuæ confessionis, & communionis, aut recitandum Officium divinum ante terminum designatum per leges, quamvis sciat ille, qui non prævenit reddendum impotentem ad non implendas leges, probabile judicant aliqui, qua admissa probabilitate, præsens casus probabilis erit, nec tenebitur, fœmina ab iter agendo cessare sibi non necessarium, nec expectare dies Edicti, si nolit ante illos denunciare; sicut non teneretur nõ iter agere, quod est sibi non necessarium, qui sciret se reddi impotentem ex eo ad jejunandum. Diximus non teneri prævenire denunciationem ex vi præcepti positivi, nam ex vi naturalis si maximè timeretur damnum Reipublicæ, aut meteretur fuga Confessarij, qui alibi quoque nocturus esset, prævenire teneretur. Hæc omnia Sancius.

Sup. hoc in tom. 1. n. 3. pel. fin. & in alia quæstione num. 9. & in Ref. 8. num. 3.

2. Sed ego contrariam sententiam teneo, quia quis tenetur prævenire tempus confessionis si timeat, quòd quando obligabit confessio, non erit copia Confessarij, & ita docet Suarez *tom. 4 disp. 36. sect. 5. n. 5.* Fagundez *ubi infrà*, Layman *in Theolog. mor lib. 5. tract. 6. c. 3. num. 9.* & alij. Ei idem asserunt de præcepto communionis, nam qui prævidet impedimentum futurum, ut in tempore Paschatis Eucharistiam recipere non possit, tenetur prævenire tempus, & illam facere, ut docet Sylvius *in 3. part. quæst. 80. art. 11. diffic. 2.* Fagundez *pr. 3. lib. 1. cap. 6. num. 3.* & alij, & sic etiam si quis in die festo prævidet se non posse audire Sacrum hora nona, tenetur anticipare tempus, & audire hora tertia, si in nona non potest. Vnde meritò idem Sancius *ubi supra*, asserit probabilius esse in casu nostro etiam ex vi juris positivi teneri fœminam illam prævenire denunciationem ante terminum designatum per Edictum Inquisitorum, & denunciare Confessarium solicitantem.

Sup. hoc in fin. ac. num. præcedenti in co. n. 2. Ref. 8. n. 2.

Sup. hoc in tom. 1. n. 3. Ref. 69. §. ad medium alia ratio. Ref. 8. n. 3. vers. quamvis annot.

3. No

3. Notandum est tamen hîc cum eodem Sancio *ubi supra*, *num.*64. quòd si fœmina, quæ jam censuram incurrit, denunciationis præceptum adimpleat, potest virtute Bullæ cruciatæ à quocumque Confessario absolvi à censura, nam satisfacta parte absolvendi privilegium ab omnibus censuris traditur in Bulla, vel à Regularibus virtute privilegiorum, nec indigebit fœmina fateri Inquisitoribus in Sacramento Pœnitentiæ, nec extra se negligentem fuisse in denunciatione, quod est valde observandum, quia quotidianum, & hoc procedit in omnibus aliis casibus contentis in edicto.

Sup. contcto in hoc §. sup. in tr. 8. lege doctr. Res. 12. & 13. & horum casu primarii accommodationem.

RESOL. XXII.

An supradicta denunciationes faciendæ sint ante confessionem, ita ut non possit Confessarius aliquem absolvere, nisi prius denunciet, vel sufficiat, ut promittat denunciare? Ex p.1. tr.4. Res.27.

Quoad hoc §.1. doctr. Res. seq. & dictum ejus ac quamvis in vigore Bullæ Cruc.

AFfirmativam sententiam docuit Avila *de cens. par.2. cap.7. dub.7. in fin.* ubi sic asserit: [In rebus gravibus, præcipuè si pœnitens sit homo ordinarius, curandum est, ut priùs denunciet. Et hoc, licèt nondum incurrisset excommunicationem: quia, si priùs obtinuerit absolutionem, facilè solet id omittere: in casibus autem Inquisitionis remittendus est pœnitens, ut priùs denunciet, ut præcipitur Edicto Inquisitorum.] Ita Avila.

2. Sed hoc limitat Zanardus *in direct. Theol. part.2. præcep.2. cap.11. in fin. fol. mihi* 148. nisi necessitas communionis urgeret, & persona sit timoratæ conscientiæ & promittat; quàm citiùs denunciare. Idem etiam docet Emmanuel Rodriq. *in summa, tom.2. cap.34. n.6.* ubi sic ait: [Deven notar los Confessores, que quando algun penitente les dixere, que sabe Fulano, haver dicho una heregia, le han de obligar à yr luego à los Señores Inquisidores à denunciar del, y no le pueden absolver, sin que primero se haga la dicha denunciacion, pudiendose luego comodamente hazer, porque no se pudiendo poner en execucion, basta que lo prometa:] Et Peirinus, qui novissimè scripsit *in priv. Minim. to.1. Constit.5. Greg. XV.* §.9. *n.*24. asserit, esse absolvendam illam pœnitentem, quæ firmiter promittit denunciaturum Confessarium: si adsit causa, propter quam prudenti Confessario videatur, denuciationem esse differendam. Et Sanctarel. *tract. de hæres, cap.9. dub.un. n.16. in fin.* ex Navarro, testante de praxi Sacræ Pœnitentiariæ, asserit, sufficere saltem propositum firmum denunciandi: & loquitur de denunciando hæretico. Vide etiam Sancium *in Selectis disp.11. n.62.* & Portel. *in addit. dub. regul. verb. solicitare fœminas*, *n.*24. ubi aliqua verba, ex incuria Typographi, desiderantur: & Ortiz *in summa*, *cap.24. n.11.* cum aliis.

RESOL. XXIII.

An fœmina post incursam excommunicationem, quia non denunciavit confessarium solicitantem sit absolvenda virtute Cruciatæ, si promittat illico denunciare?

Et notatur non esse absolvendum, qui excommunicatur, donec ejiciat concubinam, nisi prius sit expulsa, nec sufficit, quod promittat expellere. Ex part.4. tract.5. Res.35.

Quæ hoc sup. §.1. restrictive in Edict. Res.15. & maximo fin. Res.18. & superius in tr. 8. Res.12. § Notant. med. à vers. quia asserit, & quamvis nō pro Cruciata lege tamen hic supr. doctr. præcedentis Res.

VIdetur affirmativè respondendum ex Lucio *in summa cap.24. n.11.* qui, ut refert Freitas *in tract. de Confess. solic. q.21. n.25.* asserit fœminam solicitatam absolvi posse virtute Bullæ ab excommunicatione quam contraxit ob omissam denunciationē, dum tamen cogatur à Confessario denunciare Inquisitoribus, & in hanc sententiam videtur inclinare Freitas *ubi supra, n.31.* cum Rodriquez, sicut retinens rem alienam potest absolvi bis, & ter cum proposito restituendi, & confirmari potest, quia contumax eo, quòd non vult ad judicium venire, potest absolvi si cautionem de stando judicio præstiterit; ergo similiter qui promisit denunciare.

2. At his non obstantibus contrariam sententiam tenendam esse puto, quam docet Sancius *in selectis disp.11. n.62.* Avila *de cens. par.2. cap.7. dub.7. in fine*; & novissimè Ægidius Trullench. *in Bull. Cruc. lib.1. §.7. cap.2. dub.9. n.11.* quia ait ille, in re tam gravi non est facilè adhibenda fides promittenti denunciare, & contraria sententia licèt stando in jure communi sustineri posset, & attenta solùm natura præcepti: at supposita excommunicatione tenenda non est, nam cùm à peccatis nemo absolvi valeat, nisi à censura antea immunis sit, & à censura illa absolvi nequeat per Bullam, nisi priùs satisfacta parte, videlicet Inquisitoribus, sit ne semel quidem fœminam fore absolvendam, & ideo si fœmina confiteatur post habitam notitiam delicti, & post terminum lapsum negligentem se fuisse in delatione criminis, ne quidem semel absolvi poterit (justa tamen causa non intercedente, de qua diximus *in loco citato*) quamvis fidem det se illico denunciaturam: sicut non est absolvendus, qui excommunicatur, donec ejiciat concubinam, nisi priùs expulsa, nec sufficit quod proponat expellere, ut docet Suarez *de cens. disp.7. sect.5. num.*45. Guttierrez *in qq. Canon. lib.1. cap.5. n.30. & 31.* Sotus *in 4. dist.22. q.2. art.3.* & alij. Vide Sancium & Trullench. *locis citatis.*

RESOL. XXIV.

An si Edictum non publicetur, teneatur adhuc fœmina Confessarium solicitantem denunciare sub pœna excommunicationis?

Et an præceptum Inquisitorum circa denunciationem in Confessarios solicitantes sit perpetuum, & per consequens etiam excommunicatio perpetua, & aly quatuor casus adnotantur circa supradictum Edictum contingentes. Ex p.4. tr.5. Res.41.

Sup. hoc in §.1. Res. seq. ad med. vers. Vnde.

SVppono Edictum Inquisitorum annuale esse, nec finire per terminum injillo appositum, sed durare per integrum annum, cùm singulis annis publicetur. Sed difficultas est, quid dicendum si Inquisitores particulares ex negligentia, seu alio capite Edictum non publicarent, an fœmina teneretur denunciare? Respondeo affirmativè non sub pœna censurarum, quia obligatio denunciandi hæreticum, vel de hæresi suspectum, est perpetua, licet Edicta non publicentur infligentia censuras, & alias pœnas, & ita docet Freitas *in novis. editione ad tract. de Confess. solic. q.21. n.44. & 58.* asserens hoc esse verum quoad obligationem denunciandi, non autem quoad incursionem censurarum, cùm in Edicto non sint contravenientibus inflicta, & in Bullis Pontificiis non imponitur pœna excommunicationis in fœminam non denunciantem Confessarios solicitantes.]

2. Sed ego puto in tali casu non denunciantes non solùm peccare mortaliter ex natura rei, sed in censuras incurrere, quia Confessarij solicitantes sunt de hæresi vehementer, vel saltem leviter suspecti, ut docet Aloysius Bariola *in tract. de Confess. solic.* post Flores Inquis. Genuensis *in praxi Archiep. cap.66. numero* 2. Modius *de sacris Ordin. cap.27. numero* 6. Sesse *tom.4. decis.449. num.3.* Acugna, *de Confes. solic. quæstione* 1. *numero* 29. Castrus Palaus *tract.4. disputat.9.*

punct. 6. num. 1. & alij. Sed adest præceptum sub die 3. *Ianuarij* 1623. sacræ universl. Inquis. Romanæ de hæret. seu hæresi suspectis judicialiter propalandis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ : ergo, &c. Tenor autem supradicti præcepti hic est. Vniversis & singulis Christi fidelibus, tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus utriusque sexus cujusvis status, Ordinis, gradus, conditionis, & præeminentiæ existentibus, & quacumque dignitate & auctoritate, etiam maxima fulgentibus, harum serie ac tenore auctoritate nostra, & hujusmodi nostri officij qua fungimur in hac parte, præcipimus, & mandamus quatenus infrà duodecim dies proximè computandos, quorum primos quatuor pro primo, & reliquos quatuor primis quatuor immediatos pro secundo, & ultimos quatuor pro tertio termino, & peremptorio ac trina monitione canonica assignamus omnes & singulos hæret. seu de hæresi quomodolibet suspectos, de quibus notitiam habuerint, debeant nobis, vel Reverendo Commissario nostro quoad habitantes in Vrbe, quo verò ad alios extra Vrbem & ubivis locorum degentes, Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis, vel eorum Vicariis generalibus, sub excommunicationis majoris latæ sententiæ, pœna, quam in contrarium facientes ipso facto incurrant, judicialiter propalare, cujus excommunicationis majoris absolutionem S. D. N. Papæ, & nobis reservamus. Certificantes hujusmodi conscientiæ suæ immemores, ac dictam excommunicationis pœnam contemnentes, quòd contra ipsos, tanquam contra hæreticorum fautores aliàs prout melius visum & juris fuerit procedetur, ideo, &c. Datum in nostra & Officij S. Roman. univers. Inquisit. Congregat. die 3. Ianuar. 1623. Octav. Episcop. Prænestin. Cardin. Bandinus. C. Card. Madrutius. Ioan. Garsia Card. Mellinus. Fr. Card. Verallus. G Card. Borgia. Fr. Cœlix Card. Asculanus. S. Cardin. S. Susanæ. Fr. D. Card. de Cremona. L. Card. Ludovisius. L. Cardin. de Lavalette, Andreas de Peitinis S. Rom. & univers. Inquis. Notar.

3. Et licèt aliqui opinati sint supradictum præceptum sacræ Congregationis non fuisse perpetuum, quia proponitur sub nomine præcepti, & non decreti, attamen falluntur, quia si diceret decretum, nullus dubitaret quin esset perpetuum : at præceptum & decretum sæpiùs confunduntur in jure, ut notat Tusch. *verb. Præceptum, concl.* 480. *num.* 4. & 11. & clarius apparet ex Constit. Sixti Vicirca agitationes taurorum, quam refert Guttierrez *lib.* 1. *canon. qq. cap.* 7. *num.* 36. ubi postquam retulisset Pontifex constitutionem quamdam Pij V. & Greg. XIII. ait, *Nos ut Romanorum Pontificum præcepta prout decet inviolabiliter observentur*. Vbi constitutionem Pontificum vocat *præcepta*. Deinde ex dicto præcepto nullum apparet signum, quare non debeat esse perpetuum. Illud enim, *Præcipimus ut infra duodecim dies proximè computandos*, &c. intelligo à die notitiæ delicti, non à die datæ dicti præcepti, & colligitur ex eo, quia obligat ubique locorum, & pœna indefinitè posita perpetua est : proponitur autem sub nomine præcepti fortè, quia id est familiarius illi sancto Tribunali. Et hæc omnia observat, & docet Laurentius de Peyrinis *de privil. minim. tom.* 2. *constit.* 9. *Pauli V.* §. 2. *num.* 27. Igitur non denunciantes hæreticos, vel de hæresi suspectos, ut est in casu nostro, ex decreto perpetuo Sacræ Congregat. incurrunt in excommunicationem latæ sententiæ.

Sup. hoc in res. nor. seq. & in alia Res. & §§. ejus primæ not.

4. Notandum est etiam Sancium *in selectis, disp.* 11. *num.* 62. docere, Præceptum Inquisitorum circa denunciationem in Confessarios solicitantes esse perpetuum : & per consequens excommunicationem quoque perpetuam : sed hoc impugnat Freitas *loc. cit. num.* 58.

5. Non desinam tamen hîc adnotare circa materiam Edictorum pro praxi id, quod docet idem Freitas *ubi supra n.* 41. *& seq.* quòd quando per Edictum jubentur scientes denunciare intra sex primos dies, inter eos non numeratur dies primus publicationis. Vnde cùm dies naturalis 24. horarum spatio circumscribatur, incipit terminus à sequenti die & hora, qua Edictum in præcedenti promulgatum fuit : ac subinde dum Edictum publicatur in Dominica, finitur publicatio sequenti Dominica in eadem hora.

Sup. hoc in Res. 6. §. 5. ubi etiam de

6. Secundò notandum tempus Edicti computandum de momento ad momentum, ita ut nec ignoranti, nec impedito currat ; putat enim Freitas *ubi supra*, nullam constituendam esse differentiam in hoc casu inter ignorantem & impeditum, nam jura ignorantibus, & impeditis æqualiter favent, licet Suarez, ut *supra* observatum est, *de cens. disputat.* 20. *sect.* 3. *numero* 14. & alij teneant, quòd obligatio denunciandi intra certum terminum data ignorantia publicationis, incipit eo transacto cum æquali termino ; si verò non ignorantia, sed impedimentum aliquod occurrat, eo cessante, statim ligabit, & de hoc *supra* dictum est.

Sup. in Res. quæ num. est 18.

7. Notandum est etiam cum eodem Freitas *n.* 70. & 71. Edictum Inquisitorum non comprehendere hæreticos ; & eorum complices, quia hæreticus non tenetur se prodere, neque complices, quia illos denunciando se ipsos proderent, nec per id impeditur Officium S. Inquisitionis, quod procedit in foro exteriori ; fallit hoc tamen in fœmina solicitata consentiente, ut *supra* ex epist. Card. Millini probatum est ; & docet novissimè Hieron. Rodriq. *in compen. qq. regul. resol.* 131. *n.* 11. & 12. nam tenetur denunciare Confessarium eo modo, quo *supra* declaratum est, cùm ex tali denunciatione nulla sui nominis, seu honoris jactura obvenire potest.

Sup. hoc loco in pen.

Super in add. quæ hic et infr. 54. n. 2 alios ejus ac

8. Notandum est etiam hîc obiter, quòd licet supradictum sit verum, quòd non incurrit in censuras positas in Edicto, si quis non denunciat alios ex metu gravis damni, videlicet vitæ, bonorum, &c. tamen adverte eos, qui ad Edicti observantiam non tenentur, propter metum amissionis vitæ, vel bonorum eorum, qui denunciantur excusari propter metum injustum ex aliorum malitia illatum, non propter justum per leges impositum, qui non excusat. Vnde non sunt intelligendi Doctores de pœnis contra hæreticos impositis, quæ justissimæ sunt, & ita docet Freitas *ubi supra*, *q.* 19. *n.* 20.

RESOL. XXV.

An fœmina solicitata teneatur sub mortali denunciare Confessarium ?

Et an quamvis per Inquisitores Edictum denunciandi non publicetur, teneatur pœnitens solicitata denunciare post habitam sufficientem notitiam Decreti Greg. XV. Ex p. 4. tr. 5. Res. 3.

§. 1. REspondent affirmativè Acugna *de Confess. Solicit. q.* 21. *num.* 6. *& seq.* Henriquez *lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 6. *in fine*. Sanctarellus *de hæres. s.* 46. *dub.* 1. *n.* 10. Rodriquez *in quæst. Regul. tom.* 1. *q.* 27. *art.* 1. & alij communiter, & hoc magis clarum est post Bullam Gregor. XV. & in illis verbis mandantes omnibus Confessariis ut suos pœnitentes, quos noverint fuisse, ut *supra*, ab aliis solicitatos, moneant de obligatione denunciandi solicitantes. Vnde quamvis per Inquisitores Edictum denunciandi non publicetur, tenebitur pœnitens solicitata denunciare post habitam sufficientem notitiam dicti Decreti Gregor. X V. ut optimè notat Sancius

Sup. hoc in Res. 3. n. 5. primo, melius ait.

Sup. hoc in Res. 6. §. 5. ubi etiam de

Sancius *in selectis disp. 11. num. 20.* Adde quòd licèt in tenore aliarum Bullarum nullum intimabatur præceptum fœminis solicitatis denunciandi Confessarios solicitantes, sed tantùm tribuebatur jurisdictio Inquisitoribus hujusmodi delicta puniendi, tamen supradictæ Bullæ aliorum Pontificum ante Gregor. XV. fuerunt usu receptæ cum obligatione denunciandi dictos Confessarios sub onere peccati mortalis; sed consuetudo est optima legis interpres, *cap. cùm dilectus, de consuetud.* ergo, &c.

RESOL. XXVI.

An fœmina teneatur denunciare solicitationem commissam ante promulgationem Bullæ Gregor. XV. & aliorum Pontificum? Ex p. 4. tr. 5. Res. 40.

Quæ hic est Res. 80.

§. 1. PRo affirmativa sententia *in part. 1. tr. 4. res. 25.* adduxi aliquos DD. quibus nunc addo Freitam *in editione novissima de Confess. solicit. quæst. 3. num. 15.* & Hieronymum Rodriquez *in compen. qq. regular. resol. 131. num. 1.* Sed ego *ibi* negativam sententiam docui cum Portel. & Fagundez, quibus nunc addo Antonium Sousam *de Confessar. solicit. tract. 1. cap. 20. n. 6. & seq.* loquentem de constitutione Pauli V. Vnde existimo utramque opinionem probabilem esse. Et post hæc scripta inveni recenter opinionem negativam docere etiam in terminis Bullæ Gregor. XV. Fagundez *ubi supra, de præcept. Eccl. in editione novissima, præc. 2. lib. 4. cap. 3. n. 47.* & Sousa *in annotat. ad Bullam Gregorii XV. num. 3.* ubi sic ait. Advertendum est hanc constitutionem, sive in iis, quæ ex certa scientia confirmat, sive in aliis, quæ de novo statuit & observari vult, non extendi ad præteritos lapsus, ad eos scilicet, qui ejus sufficientem promulgationem præcesserunt, nullum enim verbum in eo invenio quod oppositum suadeat; unde omnes lapsus ante sufficientem promulgationem puniendi sunt, juxta tenorem constitutionis antiquæ Pauli V. Ita ille, & tandem hanc sententiam negativam, me citato, docet etiam Antonius Novarius *in summa Bullarum tit. de solicit. in confess. num. 16.*

RESOL. XXVII.

Vtrum Confessarius contraveniens huic Constit. Greg. XV. & aliorum Pontificum ex parvitate materiæ, sit excusandus, vel denunciandus?

Et docetur Confessarium faciem pœnitentis laudando de pulchritudine ad illiciendum eam, omissis verbis expressioribus incidere in pœnas Bullæ, & denunciandum esse? Ex p. 1. tr. 4. Res. 21.

Sup. hoc in tribus res. qq. & in to. 4. tr. 3. res. 12. §. Dico primo. & melius in §. ult.

§. 1. NOn esse denunciandum putavit Portell. *in addit. ad dubia regul. verb. solicitare fœminas num. 4.* ubi sic asserit: [Habebit hîc locum ad excusandum parvitas materiæ. Vnde, si confessor dicat fœminæ verba levia, vel aliud signum, vel opus leve faciat, indicativum amoris lascivi; quæ verba ad judicium prudentis viri, nec sint peccatum mortale, nec sufficientia ad persuadendum; credo, quòd talis Confessor non sit accusandus. Est enim communis opinio, materiam levem, & parvam excusare in omnibus delictis, saltem à pœna Ecclesiastica, ut *supra* diximus in simili circa percussionem Clerici interiùs malam mortaliter, & exteriùs tantùm venialem, ob parvitatem operis.] Ita ille.

Sup. hoc inf. in res. 52. & in alio §. ejus not.

2. Sed contrarium docet Acugna *tract. de Confessor. solic. q. 7. per tot.* ubi asserit Confessarium faciem pœnitentis laudando à pulchritudine, ad illiciendum eam omissis verbis expressioribus, incidere in pœnas Bullæ, & denunciandum esse. Et hæc opinio videtur mihi probabilior, & sequenda.

RESOL. XXVIII.

An Confessarius in solicitando propter parvitatem materiæ non sit denunciandus?

Et infertur in peccato luxuriæ non dari parvitatem materiæ. Ex p. 4. tr. 5. Res. 5.

Quæ hic est Res. 2. decedens, & in duabus seqq. & in to. 8 tr. 3. Res. 21. §. Dico primo, & melius in §. ult.

§. 1. PRo sententia negativa *in part. 1. tract. 4. res. 21.* adduxi Portel, cui nunc addo Castrum Palaum *tom. 1. tract. 4. disp. 9. punct. 3. num. 2. & 3.* & Sousam *in aphorism. Inquisit. lib. 1. cap. 33. num. 4.* sic asserentem, ut solicitans puniatur juxta hæc decreta, necesse est ut actus solicitationis sit peccatum mortale, quod si detur, sufficit quicumque actus inhonestus. Sic ille, *& de Confessar. solic. tract. 1. cap. 1. num. 7.* ubi probat in tali casu non adesse obligationem denunciandi, quia excommunicatio major posita in edicto, non potest ferri nisi pro mortali culpa; nec lata pro veniali obligat. ergo, &c. Ita Sousa ex inclito Ordine Prædicatorum, vir quidem doctissimus.

2. Sed hæc opinio displicet, & ideò contrariam docet Ioannes Sancius *in selectis disput. 11. num. 22.* ubi sic ait. Quamvis manum, brachium, vel pedem fœminæ premere, vellicare, digitos intorquere, mammillas tangere, & similia peccata, venialia sint intra genus luxuriæ, dummodo absit finis mortalis, vel pollutionis periculum, ut docent Navarrus *cap. 14. num. 31.* Sanchez *de matrim. lib. 9. disp. 46. n. 16.* Salas *in 1. 2. quæst. 74. tract. 13. disp. 6. sect. 20. num. 146. & sect. 21. num. 149.* & Freitas *in addit. ad tract. de Confessar. solicit. q. 7. n. 28.* hæc tamen si fiant tempore Sacramenti ministrandi, vel immediatè ante vel post, erunt mortalia & damnata ob gravem injuriam illatam Sacramento, ut tenet Freitas *q. 7. num. 33.* quamvis enim intra genus castitatis levia illa sint, intra Religionis tamen genus gravia reputantur, sicut licet intra genus temperantiæ jejunij die modicum cibi sumere leve peccatum sit, nihilominus intra Religionis genus grave crimen est illo sumpto cibo Eucharistiam sumere. Ita Sancius ad cujus argumenta licèt Castrus Palaus conetur respondere, tamen ejus opinio non est admittenda, nam daretur occasio labendi malis Confessariis, & prophanandi Sacramentum, nam si ad tales tactus mulieres consentirent, Confessarius haberet intentum, si fœminæ nihil agerent, & non consentirent, Confessarius impunè sine periculo denunciationis solicitationem adhibuisset, asserendo illos tactus esse tantùm venialiter culpabiles, & non inducere obligationem denunciandi. Adde quòd ego puto, Confessarium, qui supradictos tactus, licèt leves, in confessione cum pœnitentibus adhiberet, moraliter posse præsumi animum habere ultetiùs progrediendi, unde pœnitens in tali casu debet moraliter præsumere illos tactus cum malitia mortali à Confessario adhibitos fuisse, & ideo denunciationis nexu ligari, quod etiam probo ex doctrina Sousæ *loco citato, n. 54.* ubi docet, quòd mulier cui Confessarius verba dubia profert, aut factum, vel signum dubium ostendit, tenetur de illo Inquisitoribus deferre; sed hoc accidit in casu nostro. ergo, &c. & ideo omnes confessarij in casu de quo loquimur, obligent pœnitentes ad denunciandum, unde opinio Castri Palai, Sousæ & aliorum in praxi minimè consulendam esse puto; & post hæc scripta invenio illam meritò reprobare Fagundez *de præcept. Eccles. in editione novissima, pr. 2. lib. 4. cap. 3. num. 52.* ubi

Sup. hoc ma-gis latè inf. in Res. 34.

etiam rectè contra Freitam & alios Doctores citatos negat in peccato luxuriæ dari parvitatem materiæ, ut ego etiam alibi docui, & novissimè docet Homobonus *in consult. casuum conscient: vol. 2. part. 5. respons. 139.* Et ita tales Confessarios, ut dictum est, esse denunciandos, docet etiam me citato Antonius Novarius *in summa Bullarum, tit. de solicitat. in confess. n. 4.*

Alibi in to. 8. tr. 3. Resol. 17. 18. 19. & 20. & in aliis earum annotationum, & signanter ibi in Resol. 21.

RESOL. XXIX.

An in solicitatione facta in confessione, & prohibita in Bullis Pontificis detur parvitas materiæ? Ex p. 5. tr. 5. Resol. 9.

§. 1. NEgativam sententiam contra Castrum Palaum, Portel. & Sousam docui cum multis Doctoribus *in 4 part. tract. 5. resol. 5* quibus nunc addo Bossium *de Iubilæo in appen. de Confess. solic. dub. 18. num. 5.* & amicissimum Trimarki *in eodem tract. disput. 2. sect. 7. num. 44.* Primò, quia nulla danda est parvitas materiæ in peccato luxuriæ. Secundò, quia dato, & non concesso, quòd aliqua solicitatio in genere luxuriæ esset levis, tamen gravitatem, & atrocitatem recipit ex loco, tempore, causa, persona & qualitate, & ideo culpa, quæ in pagano, seu rustico erit nulla, aut levis, in milite erit gravis, & ex Theologis asserentibus verba injuriosa continentia parvam injuriam, vel levem contemptum, quæ prolata in alium essent tantùm culpa venialis, prolata in patrem carnalem, vel spiritualem, seu Superiorem Prælatum, esse mortale peccatum ratione personæ. Sic ergo Confessarius, qui tali loco, scilicet Confessionario, & tali tempore, nempe dum administrat Pœnitentiæ sacramentum, miscet tactus, gestus, sermones illos impudicos, aliàs leves, peccat mortaliter ratione sanctitatis Sacramenti, cui detrahitur per prædictos actus impudicos. Sacramenta enim sancta sanctè administranda sunt, ex Tridentino *sess. 24. cap. 1 de reform.* non verò injuriosè & scurriliter, & cum scandalo, vel aversione fidelium, ab ejusdem Sacramenti usu, & consequenter comprehenditur in dictis constitutionibus, præsertim, quia in foro externo ad incurrendam pœnam, damnandámque personam tanquam lascivam prædicti actus, gestus & sermones impudici præsumuntur peccata mortalia, ergo, &c.

Quæ hic est Resolutio antecedens, & in aliis ejus primæ not.

RESOL. XXX.

An Confessarius sit denunciandus, si solicitavit ad actum tantum venialiter peccaminosum? Ex p. 10. tr. 14. & Misc. 4. Resol. 46. aliàs 44.

Alibi in tribus præcedentibus Resol. & in to. 8. tr. 3. Resol. 21. §. Pico primo, & melius in §. ult.

§. 1. PRima opinio negat; & ita præter Portel. alibi à me adductum, tenet novissimè Ignatius Lupus *de Edicto S. Inquis. part. 1. libr. 5. dist. 2. artic. 1. difficul. 3.* Gaspar Hurtadus *de Iustit. tract. de Iudicio Forensi, disput. 2. difficult. 7.* Antonius Sousa, *in Aphoris. lib. 1. cap. 33. num. 4. & Opusc. de solicit. tractat. 1. cap. 1. n. 7.* Tum quia pœna solicitantibus imposita gravis est, nec pro levi delicto imponenda, *c. non cogantur 41. distinct. glossa 4. in l. 25. tit. 4. part. 1.* Valenzuela, *consil. 91. num. 55.* Tum, quia suspicio hæresis ex peccato veniali præsumi non potest, sicut nec grave quid ex levi deduci: Tum etiam, quia nec Sacrilegium oritur ex veniali actu, ut cum communi probat Thomas Sanchez, *de matrim. lib. 9. disput. 15. num. 21.* Suarez *tom. 1. de Religione, lib. 3. cap. 7. num. 11.* Bonacina *de matrim. quæst. 4. punct. ultim. num. 8.* Tum denique, quia etsi excommunicationis pœna imponatur à jure incerto actu, intelligi debet de eo, qui lethale constituit peccatum; nec aliter ad denunciandum obligat. Et novissimè hanc sententiam docet Ioseph de Ianuario, *de cas. reser. resol. 56.* per totam.

2. Secunda opinio distinguit, quam novissimè docet me citato Inquisitor Escobar à Corro, *de Confess. Solicit. part. 1. quæst. 3. §. 2. num. 10.* ubi sic ait: Ego constituo discrimen per accidens inter jus externum, & internum; quia cùm in Foro animæ nihil plus inquiratur, ni veritas actualis, nec præsumptione nitatur, ubi verum agnoscitur ex mente ipsius peccatoris, quod deficit in externo Foro, quo delicta impunita manerent, si assertio delinquentis fidem efficeret. Covarruvias *de Sponsalibus 1. part. cap. 4. §. 1. num. 4.* Pater Thomas Sanchez *in Decal. lib. 4. cap. 15. numer. 37.* Parladorus *in Sesquicenturia, differ. 12. num. 1.* Martinus Bonacina 1. *tom. de legibus, disp. 1. quæst. 1. punct. 7. §. 3. num. 10. & de restitut. disp. 3. quæst. fin. punct. ultim. num. 3.* Si certò mens Confessarij aliena fuerit à fine mortali, dum miscuit tactus, aut verba venerea; non aderit quoad forum animæ lethale peccatum, sed veniale tantùm, & tunc fateor non esse denunciandum similem Confessarium (loquor in fortioribus terminis laxioris opinionis, quæ tenet tactus, & oscula veniale tantùm efficere peccatum, quam inferius rejicimus,) in exteriori quidem Foro, quia præsumptione nititur, & ex tactibus, & verbis venereis finem præsumit mortalem, copulam nempe, aliud dicendum est, & si tactuum, & obscœnorum verborum sufficiens sit probatio, puniendum esse assero tanquam verum solicitatorem; ut ex relatis supra apertè constat, & considerat Salas, 1. 2. *quæst. 74. tractatu 13. disputatione 6. sect. 20. num. 144.* ad hoc adductus à Freitas ad Acugnam, *in dict. quæst. 7. num. 31.* atque ita evenire potest, quod solicitatio locum habeat in peccato veniali, quia jure externo adest prædicta præsumptio peccati mortalis, quæ in interiori deficit, & bene procedit distinctio Castri Palai *Opusc. Moral. tract. 4. disp. 9. punct. 3. num. 3.* aientis, quod si constet Confessarium noluisse ad ulteriora procedere, nempè ad perficiendam copulam, non esse denunciandum; aliud enim esse, si diversum constet, aut res mere dubia maneat, quia tunc sequenda est juris præsumptio, tam ad denunciandum, quàm ad puniendum similem Confessarium. Hucusque Escobar.

3. Sed ego puto prorsus non esse recedendum à sententia affirmativa, quam olim docui, & quam postea me citato docuerunt Novarius *in Summa Bull. tom. 1. tit. de Solicit. in Confess. num. 4.* & me citato Trullench. *in Decal. tom. 1. lib. 1. cap. 3. dub. 18. num. 41. & 42.* & me citato Leandrus *de Sacrament. tom. 1. tract. 5. disp. 13. quæst. 12.* & me citato Alphonsus de Leone *de censur. recoll. cl. 4. verb. Solicitantes, folio 394.* & ratio est, quia longe multo probabilius, præfatos actus licèt in se leves, exercitos tamen tempore ministrandi Sacramenti esse mortales, & damnandos ob gravem injuriam illatam Sacramento. Hinc quamvis juxta opinionem Navarri *in Summa, cap. 14. num. 31.* & Sancij *lib. 9. de Matrimonio, disputat. 46. num. 16.* & Salas 1. 2. *quæstione 74. tractatu 13. disputatione 6. sect. 20. num. 146. & sect. 21. numero 189.* & Freitas *in Additionibus ad Acugnam, quæst. 7. num. 28.* peccatum veniale sit mamillas fœminæ tangere, brachium, vel pedem premere, aut digitos intorquere ob parvitatem materiæ, dummodo absit finis mortalis, & periculum pollutionis; (quamvis hæc doctrina horum Doctorum omninò improbabilis sit, & rejicienda,) tamen, si hæc fiant tempore confessionis, vel immediate ante, vel post, mortalia erunt ob gravem injuriam illatam Sacramento, ut optimè animadvertunt Freitas *quæstione 8. numero 33.* & Ioannes Sanchez *disputatione*

sputatione 11. *numero* 22. quia quamvis intra genus castitatis, juxta illorum opinionem levia illa sint; tamen intra Religionis genus, grave peccatum lethale est: sic in die Jejunij patum cibi sumere, leve peccatum, ac veniale tantùm est: nihilominus intra Religionis genus illo sumpto ad Sacramentum Eucharistiæ accedere grave peccatum est. Et hæc omnia docet etiam Fagundez *præcep.* 1. *Eccl. lib* 4. *cap.* 3. *n.* 52.

RESOL. XXXI.

An famina solicitata, si non denunciavit, & tamen Confessarius ex aliarum delatione confessus, vel convictus punitus fuit, teneatur adhuc denunciare? Ex p. 4. tr. 5. Res. 49.

Hæc hic est 1. res. 89. Vide aliam plenius prin. not.

§. 1. PRobabiliter cum multis negativam sententiam docui *in part.* 1. *tr.* 4. *de denunciat. res.* 46. Sed nota quòd hæc sententia defendi potest, quando Confessarius fuit confessus, aut plenè convictus: & in pr mo casu ego illam tenui, ut patet ex titulo dictæ resolut. Secus autem dicendum est, si Confessarius sit absolutus, aut non plenè punitus ex defectu probationis, nam in tali casu adest obligatio denunciandi, quia promotor fiscalis S. Officij habet jam jus acquisitum ad procedendum contra Confessarium, quod non cessat per illam sententiam, sed nova adveniente probatione denuo reperitur causa, cùm sit de re pertinente ad fidem, non enim in rem judicatam transeunt hujusmodi sententiæ: cùm ergo hoc ita sit, non videtur cessare obligatio denunciandi, cùm adhuc exret censura Inquisitorum, quæ in favorem causarum fidei posita est: unde quia non semper constat reum esse sufficienter punitum, regulariter denunciandus est. Et hæc omnia docet Sousa *opuscul. de Confess. solicit. tract.* 2. *capite* 20. *numero* 12.

2. Verùm his non obstantibus Seraphinus Freitas *in addit. novis. ad tract. de Confes. solic. quæst.* 3. *n.* 54. adversùs Sousam negativam sententiam tenet, etiamsi Confessarius fuerit absolutus, aut non plenè convictus; unde in tali casu non obligat pœnitentem ad denunciandum, quia etiam præsumitur emendatus; ergò, ait ille, non erit denunciandus.

3. Non desinam tamen hîc adnotare Bonacinam *in tract. var. disp.* 6. *punct.* 3. *num.* 15. distinguere circa præsentem quæstionem, sic enim ait. Vel Confessarius confessus, seu convictus fuit de solicitatione illius pœnitentis, qui nondum denunciavit; vel confessus, seu convictus fuit tantummodo de solicitatione alterius: si confessus, vel convictus fuit de solicitatione illius pœnitentis, probabile est pœnitentem non teneri ad denunciandum Confessarium, qui jam abjuravit illud delictum, quia judicium bis exerceri non solet in idipsum, & res semel judicata & punita, regulariter loquendo, in judicium revocari non solet, ut iterum puniatur. Si verò Confessarius confessus, vel convictus tantummodo fuit de provocatione alterius pœnitentis, censeo pœnitentem adhuc teneri ad denunciandum, etiamsi Confessarius semel abjuravit. Ratio est, tum quia sic non censetur sufficienter punitus, cùm graviores pœnas pro pluribus delictis, quàm pro uno rependere debeat, tum quia absolutus, vel condemnatus in causa hæresis accedente nova probatione iterum puniri, aut condemnari debet ergo etiam in casu nostro accedente nova denunciatione puniri debet, consequenter pœnitens tenetur præfatum Confessarium denunciare. Ita Bonacina. Sed Freitas stando in suo principio semper dicit, quòd pro qualibet abjuratione, Confessarius censetur emendatus; ergo non erit denunciandus. Et hæc asserunt Doctores circa præsentem quæstionem. Sed sententiam Bonacinæ ego sequor.

RESOL. XXXII.

An sint denunciandi Confessarij solicitantes, qui de tali delicto non sint infamati?

Et an in crimine hæresis possit fieri inquisitio, licet contra reum nulla præcedat infamatio? Ex part. 4. tract. 5. Res. 1.

Quæ omnes res. ad hunc tract. sunt conductæ.

§. 1. CIrca materiam hujus tractatus de Confessariis solicitantibus, multas quæstiones explanavi *in par.* 1. *tract.* 4. *a resol.* 11. sed quia enixè à multis rogatus fui, etiam per litteras, ut alia, si haberem, in lucem emitterem, ut eorum precibus satisfacerem, sequentia simul collegi; & ideo ad dubium præsentis resolutionis videtur negativè respondendum ex verbis appositis in Bullis Pontificiis, ibi, *quomodolibet diffamatos*, quibus apparet non posse Inquisitores se intromittere in hoc crimine, si non adsit infamia, cùm constitutio pœnalis non sit extendenda ultra verborum latitudinem, ex *reg. odia, de reg. juris in* 6. & ex *l. cùm quidam, ff. de liberis & posthumis*, & ideo Stephanus Fagundez *de præcep. Eccl. pr.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *n.* 31 & Marcellus Megala *in* 1. *editione lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 14. docuerunt non esse denunciandos Inquisitoribus Confessarios solicitantes ad Venerem si aliquo modo de tali delicto non fuerint diffamati.

2. Sed hæc opinio destruit constitutiones Pontificias, & tollit praxim, ideo contrariam sententiam prorsus sustinendam esse puto. Vnde meritò Megala *in* 2. *editione, in apostilla marginali* mutavit sententiam, & adversùs Fagundez ex eadem Societate novissimè insurgit Castrus Palaus *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 9. *punct.* 10. *num.* 3. cui ego addo Emanuelem de Moura *opusc.* 1. *de Ensul. & incant. sect.* 3. *cap.* 3. *num.* 11. Acugnam *tract. de confes. solic. q.* 4. *num.* 4. Sousa *de Confes. solicit. tract.* 3. *cap.* 21. *n.* 2. *seq.* Portel. *in addit. ad dub. Regul. ver. solicitare, num.* 11. & 20. Peirinus *in privileg. Minim. tom.* 2. *Constit.* 4. *Greg. XV.* §. 3. *num.* 3. & Sanctarellum *tract. de hæresi cap.* 44. *dub. un. num.* 8. quia sicuti in crimine hæresis potest fieri inquisitio, licèt contra reum nulla præcedat diffamatio, ut docet Simancha *in Cathol. instit. tit.* 43. *num.* 7. & *seq.* Rolandus à Valle *lib.* 3. *cons.* 8. *num.* 6. Pegna *in Direct. Inquis. par.* 3. *comment.* 16. Scaccia *de judiciis, in causa, & c. lib.* 5. *cap.* 59. *num.* 10. Campegius *in addit. ad Zanchinum tract. de hæret. cap.* 9. *num.* 9. Rojas *singul.* 3. *n.* 22. & alij. Ita igitur in hoc crimine solicitationis in confessione potest fieri inquisitio, quamvis non præcedat infamia, quod clarè apparet ex verbis constitutionis Pontificiæ, ibi, *diligenter inquiras & juxta facultatem tibi contra hæreticos, &c. procedas.*

sup. hoc in tr. 10. res. 29. & 30.

3. Ad illa verò verba, *quomodolibet diffamatos*, quæ adversarij adducunt, respondeo non obstare, quia, ut observat Acugna & Moura, illa particula *quomodolibet*, significat non necessariò requiri ut præcedat vera infamia, sed sufficere qualemcumque infamiam, ut constat ex *cap. statutum*, § *in nulla, de rescript. in* 6. & ex *cap. indemnitatibus*, §. *sanè de elect.* etiam *in* 6. Igitur supradicta verba non exigunt infamiam simpliciter, sed eam, quæ quocumque modo talis dici queat, dicit enim *quomodolibet*; dicetur autem diffamatus aliquo modo, qui jam non habet integram & illæsam famam, sed laceratam per notitiam, præsertim fœminarum, in qua est in proximo publicitatis periculo; vide etiam Freitam *in novis. addit. de Confess. solic. q.* 4. *n.* 62. & DD. citatos.

4. Nota verò quòd post hæc scripta inveni Fagundez *in addition novissima, ubi supra n.* 83. suum judicium circa præcedentem quæstionem praxi Sancti Tribunalis subjicere.

RESOL. XXXIII.

An si Confessarius post solicitationem statim pœniteat se solicitasse, sit denunciandus? Ex part. 4. tract. 5. Resol. 22.

§. 1. Affirmativè respondet Antonius Sanctarellus *tr. de hæres. cap.* 44. *dub. unic. num.* 18. ubi sic ait: Incurret has pœnas Confessarius si in actu confessionis solicitet fœminam, licèt statim pœniteat se solicitasse, nam quod factum est, nequit non fieri, *l. in bello, § facta ff. de capt. & postlim. rever.* quod est verum, etiamsi ex magna animi perturbatione & vehementi passione fuerit motus ad hujusmodi sollicitationem. Ita ille, & post illum Martinus Bonacina *in tract. var. disp. 6. punct. 3. num. 4.* ubi ita asserit. Addo extare obligationem denunciandi Confessarium solicitantem etiamsi Confessarius statim pœniteat solicitasse pœnitentem, & ratio hujus opinionis fundatur in alia opinione asserente Confessarium emendatum esse denunciandum. Sed dato, & non concesso, quòd Confessarius emendatus non sit denunciandus, tamen adhuc in casu, de quo loquimur, magna prudentia opus est nam quilibet Confessarius solicitans ad effugiendam denunciationem potest dicere se pœnituisse de solicitatione facta. Vnde regulariter puto esse supradictos Confessarios denunciandos.

RESOL. XXXIV.

An quando Confessarius cum verbis, vel signis dubiis, obscuris, ambiguis, nutibus, vel tactibus solicitavit, teneatur pœnitens illum denunciare? Ex p. 4. tract. 5. Resol. 25.

Sup. hoc sup. in Resol. 28. cū cōfē Sousa in §. ult. inter med. & fin. cursim in vers. Vbi docet. sed lege eā per tot. & signāter pro parte ex cōtentis in hac Resol. inf. in Resol. 49. §. 2. breviter in fin. & in Resol. 92. §. Observant. & infertius in tr. 12. Resol. 7. §. 1. sed vide eam per tot.

§. 1. Affirmativam sententiam docet Sousa *in Aphor. Inquis. lib. 1. cap. 34. num.* 54. ubi sic asserit. Mulier, cui Confessarius verba dubia profert, aut factum, vel signum dubium ostendit, tenetur de illo Inquisitoribus deferre, & stante dicto dubio possunt Inquisitores vocare Confessarium, & illum interrogare de intentione, qua verba illa, vel signa ambigua protulit. Ita ille, quod etiam antea docuerat *in opusc. Confess. solicit. cit. tract. 2. cap. 4. num. 16.* & ratio est, quia Inquisitores possunt circa factum, aut verbum dubium Confessarium interrogare. ergo prædicta verba, vel facta Inquisitoribus denuntianda sunt, ut ipsi cognoscant, & examinent an solicitationes sint. Probatur antecedens, quia cùm Inquisitores possint procedere in hoc crimen, & ut constet, an commissum sit, necessariò sit exploranda mens ipsius Confessarij, quod nisi ipsemet explicet, fieri non potest; sequitur necessariò quòd possint ipsum vocare, & interrogare, aliàs enim frustrà daretur in hoc crimen eis jurisdictio, sed quando hoc fieri expediat, diligenter advertant Inquisitores. Et ita hanc sententiam præter Sousam *locis citatis* docet etiam Peyrinus *in privileg. Minimor. tom. 2. const. 4. Gregor. XV. §. 6. num.* 21. ubi sic ait: Mulieres si non solùm verbis claris, sed etiam tacitis, seu obscuris, & ambiguis, seu etiam nutibus vel tactibus fuerint à Confessariis solicitatæ, debent eos Inquisitoribus denunciare. Ita ille.

RESOL. XXXV.

An Confessarius, qui in Confessionario, vel in alio loco sub prætextu confessionis, non tamen confessionis quintæ, solicitavit fœminam, sit denunciandus?
Et explanatur, quod lex pœnalis non est extendenda de casu ad casum, & in casibus reservatis utpote pœnalibus strictam esse faciendam interpretationem, ideo concubitum in fœmina in vase præpostero non esse peccatum, & casum reservatum peccati nefandi, quia non est propriè sodomia: & Clericum cognoscentem fœminam in vase non debito non incurrere pœnas Extrav. Pij V. Ex p. 1. tr. 4. Resol. 13.

§. 1. Negativè respondet Portell. *in addit. ad dubia regul. verb. solicitare fœminas, num.* 12. quia non solicitavit in Sacramento, sive intra Sacramentum; & lex pœnalis, ut *supra* diximus, non est extendenda ad casum non expressum, ut multi asserunt apud Sanchez *tom. 3. lib. 10. disp. 4. num.* 23. & Rodriquez *qq. regul. tom. 1. q. 47. art. 1.* & ideò in casibus reservatis, utpote pœnalibus, strictam esse faciendam interpretationem, in praxi semper docui, cum Homobono de Bonis *de cas. reserv. par. 1. cap. 2.* Chapeavilla *de cas. reserv. cap. 6. q. 1.* Coriolano *de cas. reserv. p. 1. sect. 1. art. 5. num. 4.* Naldo *in summa, verb. casus, num.* 3. Bonacina *de matrim. disp. 4. punct. 11. num. 5. & de Sacram. disp. 5. quæst. 7. punct. 5. §. 3. num. 1.* Reginaldo *in praxi tom. 1. cap. 11. lib. 1. sect. 1. num.* 127. unde asserit Floronus *de cas. reserv. par. 2. cas. 7. num. 6.* Summa Corona *par. 2. cap. 1. num. 16.* Bonacina *ubi sup. de matrim.* & alij probabiliter, concubitum cum fœmina in vase præpostero non esse casum reservatum nefandi: quia non est propriè sodomia; & cum simus in pœnalibus, lex non est extendenda: & ideò notavit Azorius *p. 3. lib. 3. cap. 19. q. 3.* non incurrere in pœnas Extravag. Pij V. Clericum cognoscentem fœminam in vase non debito.

Sup. hoc sup. in Resol. 28. Docet in actibus confessionis sunt in n. 1. Bonacina *de matrim. disp. 4. punct. 11. num. 5. & de Sacram. disp. 5. quæst. 7. punct. 5. §. 3. num. 1.* Reginaldo *in praxi tom. 1. cap. 11. lib. 1. sect. 1. num.* 127. unde asserit Floronus *de cas. reserv. par. 2. cas. 7. num. 6.* Summa Corona *par. 2. cap. 1. num. 16.* Bonacina *ubi sup. de matrim.* & alij probabiliter, concubitum cum fœmina in vase præpostero non esse casum reservatum nefandi: quia non est propriè sodomia; & cum simus in pœnalibus, lex non est extendenda: & ideò notavit Azorius *p. 3. lib. 3. cap. 19. q. 3.* non incurrere in pœnas Extravag. Pij V. Clericum cognoscentem fœminam in vase non debito.

2. Sed his minimè suffragantibus, hodie hæc opinio non est tenenda: quia, ut notat Scortia *in Bull. Pont. epit. 77. theor. 197.* Venetus *in exam. Episc. lib. 5. c. 17. num. 9.* Bellochius *de cas. reserv. p. 2. quæst. 9. n. 51.* Gregor. XV. in sua Bulla declaravit, dictum Sacerdotem esse denunciandum in illis verbis: *Qui prætextu confessionis fœminam solicitaverint:* & ita habent Edicta Dominorum Inquisitorum. Et hoc etiam ante dictam Bullam docuerat Rodericus Acugna *in tr. de Confes. sollic. q. 15. per tot.*

RESOL. XXXVI.

An sit denunciandus Confessarius, qui sedens in confessionario, & loquens cum pœnitente stante, vel sedente ante Confessionarium illam sollicitat?
Et an hoc procedat, si Confessor in subselliis Ecclesiæ, in quibus etiam sæculares sedere solent, non in confessionario solicitet; tametsi aliquando in eisdem subselliis, & scamnis confessiones suscipiat? Ex p. 4. tract. 5. Resol. 38.

§. 1. Hic casus frequenter potest accidere, & affirmativè videtur respondendum, ex decreto Pauli V. quod affert Coriolanus *de cas. reserv. part. 1. sect. 2. art. 22. num. 4.* & Peyrinus *de privileg. Minimor. tom. 2. constitut. 4. Greg. XV. §. 5. num.* 15 cujus tenor est hic. Feria 5. die 10. Iulii 1614. in Generali Congregatione Sanct. Rom. & univer. Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis, coram SS. D.N.

Sup. hoc sup. in Resol. 28. Docet in actibus confessionis sunt in n. 1.

D.N.D. Paulo divina providentia Papa V. ac Illustrissim & Reverendissimis DD. Petro titulo S. Mariæ in via, Bellarmino, Ferdinando Taberna titulo S. Eustachij, & Ioanne Garzia titulo SS. quatuor Coronatorum Mellino, nuncupatis Presbyteris S.R.E. Cardinalibus adversùs hæreticam pravitatem in tota Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus à sacra sede Apostolica specialiter deputatis facta relatione quòd multi Confessarij tractant cum mulieribus in confessionali extra occasionem confessionis de rebus inhonestis, Sanctissimus decrevit ut contra hujusmodi Confessarios procedatur in S. Officio. Sic ibi. In quibus verbis nulla efficitur mentio de simulatione confessionis: unde intelligendum videtur, licet Confessarius non simulet confessionem, dummodo solicitet fœminam in confessionario, & in hoc casu differentia erit inter solicitationem in confessionario, & inter eam, quæ fit in subselliis, & aliis locis, qui licèt deputentur aliquando ad confessiones excipiendas, non sunt, neque dicuntur Confessionaria; videtur enim Summ. Pontifex respexisse ad locum illum, qui ex instituto ad Sacramentum exercendum deputandus est in Ecclesia, & is casus in hoc differt à Gregoriana Constitutione.

2. His tamen non obstantibus talem Confessarium non esse denunciandum sentit Freitas *in novissima editione de Confessar. solic. quæst. 15. num. 52. & quæst. 13. num. 30.* ubi ait: Sed ego puto Gregorium restrinxisse decretum Pauli V. ad simulationis terminos, seu potiùs declaravit ad quod deducendus est, & ita docet Sousa *de Confess. solicit. tract. 1. cap. 15. & in annotat. num. 13.* & inclinat Freitas *ubi suprà quæst. 15. num. 51.* & ideo Sancius *in selectis disp. 11. num. 66.* docuit Paulum V. in illo decreto, & Gregorium XV. in sua constitutione idem decrevisse. Vnde ex sententia dictorum auctorum dicendum est ad dubium propositum, talem Confessarium non esse denuntiandum, quia in tali solicitatione nulla adfuit simulatio audiendi confessiones, & ideo Castrus Palaus *tom. 1. tract. 4. disp. 9. punct. 8 num. 4.* sic asserit. Advertendum est autem optimè posse Sacerdotem cum fœmina de rebus inhonestis in confessionario tractare, quin simulatio ulla sit confessionis audiendæ, & tunc denuntiandus non est, quia non quælibet solicitatio in confessionario facta cavetur illo decreto Greg. sed solicitatio quæ simulationem confessionis trahat, ut constat ex illis verbis, *simulantes ibidem confessiones audire.* Ita ille, & novissimè Freitas *loc. cit. n. 49.* ubi sic ait: Stando in terminis Bullæ Gregor. XV. si Confessor in confessionario solicitet extra confessionis occasionem, non simulando audire confessionem, sed alloquendo fœminam stantem, vel sedentem, qui compositionis modus à communiter accidentibus confessionis actum, & speciem excludit, non incurrit pœnas, quod à fortiori procedet si Confessor in subselliis Ecclesiæ, in quibus etiam sæculares sedere solent, non in confessionario solicitet, tametsi aliquando in eisdem subselliis & scamnis confessiones excipiat. Hæc Freitas; & hanc sententiam novissimè docet etiam Lezana *in summa qq. Regular. cap. 19. n. 34.* Sed contra Doctores istos cum habeamus apertam declarationem S.E.R. & universalis Inquisitionis, ab ea non est recedendum.

3. Notandum est tamen hîc obiter, Freitam *ubi suprà quæst. 9. num 21. & quæst. 15. num. 24.* docere verba illa constitutionis Gregor. *simulantes confessionem audire*, intelligenda esse de simulatione ad circumstantium illusionem, quæ cessat inter illam correctorum. Sed contrarium docet Sancius *in selectis disp. 11. n. 40.* quem ego sequor.

RESOL. XXXVII.

An Confessarius sedens in confessionario, si solicitat mulierem stantem, vel sedentem ante confessionarium non simulando audire confessionem, sit denunciandus? Ex p. 9. tr. 9. & Misc. 4. Res. 33.

§. 1. NEgativè nominatim contra me respondet amicissimus Pater Bossius *in discept. moral. discep. 5. n. 3.* ubi sic ait: An verò Confessarius, qui sedens in confessionario, & extra occasionem confessionis, loquens cum fœmina stante, vel sedente ante confessionarium, non simulando audire confessionem, illam solicitaret ad actus inhonestos, comprehenderetur dicto Decreto, esset que denunciandus? affirmat Diana *part. 4. tract. 5. res. 38. circa fin.* Verùm Decretum illud videtur intelligendum, quando adest simulatio confessionis prout etiam decernitur in Bulla Gregorij, cujus pœnas iste Confessarius sic solicitans absque simulatione confessionis non incurrit. Ita ille, cui adde etiam nominatim contra me Leandr. *de Sacram. tom. 1. tract. 5. disp. 13. q. 30.*

Quæ hic est Res. antecedens, & ne prætermittas videre Res. hanc seq. & alium §. ejus not.

2. Sed quidquid dicant Leandrus, & Bossius ego non discedo à sententia, quam docui, & quam me citato, tenet novissimè Pater Bordonus *in Sacro Tribun. cap. 23. n. 46.* & ante illum, etiam me citato, Escobar à Corro *tractat. de Confess. solicitant. par. 1. q. 4. §. 1. n. 35.* ubi sic ait: Indubitata mihi est hæc opinio, & contraria improbabilis, attenta proprietate verborum, & mente ipsius Decreti. Et procedit, quamvis fœmina non genuflectat, sed stet, aut sedeat, quia adhuc verius censeo, debere Confessarium denunciari, si solicitet, aut turpia loquatur, ex dicta declaratione Cardinalium à qua non esse recedendum benè ait Diana. Ita ille. Et ideò, me etiam citato Trullench *in Decalogum, tom. 1. lib. 1. cap. 3. dub. 18. num. 73.* ita asserit: Advertit Castr. Palaus, posse quidem Sacerdotem cum fœmina de rebus inhonestis in confessionario tractare, quin simulatio ulla sit confessionis audiendæ, & tunc denunciandus non est; ut si in cõfessionario solicitet extra confessionis occasionem, non simulando audire confessionem, sed alloquendo fœminam stantem, aut sedentem, quia non quælibet solicitatio in confessionario facta, cavetur illo Decreto, sed sollicitatio, quæ simulationem confessionis trahat; constat ex illis verbis: Simulantes ibi confessiones audire. Hanc autem doctrinam non approbat Diana *4. tr. res. 38.* ubi ait: Oppositum esse Decretum à Congregatione Cardinalium pro tota Republica Christiana Generalium Inquisitorum sub SS.D.N.D. Paulo V. die 10. Iulij 1614. quo Decreto stante ab hac sententia non est recedendum. Hæc Trullench, & iterum Ego.

Quæ hic est Res. antecedens.

RESOL. XXXVIII.

An si fœmina sine ullo ordine ad confessionem loquatur cum Confessario de negotiis in confessionario, & interim ab ipso solicitetur, an sit dictus Confessarius denunciandus? Ex p. 1. tr. 4. Res. 18.

§. 1. NEgativè respondet Giptius *de cas. reser. c. 14. n. 7.* & Episcopus Acugna *in tr. de Conf. solicit. q. 14. n. 11.* ubi sic ait: [Quando verò non Confessionis, sed cujusvis rei prætextu venit mulier ad Confessarium, publicè in Ecclesia aliarum fœminarum peccata audientem, licèt tunc venientem solicitet, non idcirco pœnas incurrit: quia, etsi provocet in confessionarij loco; non tamen pœnitentem provocat, sed aliam longè

Sup. hoc in Res. seq. §. ult. & sup. in Res. 35. in princ. & ne desideras videre doctr. Res. 36. & 37.

longè diversam.] Hæc ille, qui loquitur in terminis Bullæ Pauli V.

2. Nunc verò per Constitutionem Gregorij aliter dicendum est, & dictum Confessarium denunciandum, ut apparet in illis verbis Bullæ: *Sive extra occasionem Confessionis*, in quibus clarè Summus Pontifex determinat, Confessarium esse denunciandum, etiamsi extra Confessionem in confessionario fœminam solicitet.

RESOL. XXXIX.

An si Confessarius, & pœnitens conveniant in simulatione confessionis, ut ibi inhonestos sermones habeant, sint denunciandi, & incidant in pœnas Bullarum?

Et quid, si bono animo pœnitens accedat, alia negocia in confessione tractatura, Sacerdos verò, occasione arrepta, ad Venerem inducat? Ex p. 4. tr. 5. Res. 10.

Sup. hoc sup. in res. 16. §. ult. & inf. in Res. 14. & in alio §. eorum annotat.

§. 1. NEgativè respondet Castr. Palaus *tr. 4. disp. 9. punct. 8. num. 2.* ubi sic ait: Si uterque in simulatione confessionis convenerunt ut liberiùs de rebus inhonestis tractarent, nemini incumbit obligatio denunciandi, non Sacerdoti, ut de se constat, neque pœnitenti, aliàs esset obligatus denunciare se ipsum. Neque hæc solicitatio est propria Sacerdotis potius, quàm pœnitentis, sed est mutua solicitatio ac proindè in solicitationem sibi factam uterque consentit. Hæc sententia est probabilis in terminis Bullæ Pij IV. Pauli V. & Clem. VIII.

2. Verùm stante nova Constitutione Greg XV. non est tenenda, & ideo Ioan. Sancius *in selectis disput 15. num. 3.* sic ait. Quamvis aliquibus piis & doctissimis viris visum sit non solùm mortale crimen committendum iri in hujusmodi fictione, verùm contrà illum casum procedere rationem & mentem Brevis contra solicitantes Confessarios editi, utpote peccantis sub confessionis scuto, & in illius opprobrium, ut refert Acugna *de solicit. Confess. quæst. 15. num. 2.* qui tamen non comprehendi sub Brevi casum illum censet. Verùm, quamvis sub dicto Brevi non comprehendatur casus ille, comprehenditur tamen ex vi decreti Gregor. XV. ut constat ex illius tenore. Ita ille.

Sup. hoc in res. præterita & vide res. ejus not.

3. Nota tamen quòd si pœnitens bono animo accedat, alia negotia in confessione tractatura, Sacerdos verò occasione arrepta ad Venerem inducat, tunc etiam secundùm ipsummet Castrum Palaum est obligatio in pœnitente denuntiandi Sacerdotem, ex dicta Constitutione Gregor. & ideo Sousa *in aphor. Inquis. lib. 9. cap. 34. num. 42.* ita asserit. Solicitatio in loco ad audiendas confessiones deputato, non tamen in actu Confessionis, non comprehenditur in dictis Constitutionibus secundùm antiqua jura. Secus in jure novo Bullæ Gregor. XV. quod comprehendit omnem solicitationem tam in confessionario, quàm in loco ad audiendas confessiones deputato, seu ubi confessiones audiuntur, dummodo simuletur confessio. Hæc ille.

RESOL. XL.

An Confessarius, qui ante, vel post confessionem fœminam solicitavit, sit denunciandus?

Et quid, si post longum tempus eam solicitavit?

Et an sit denunciandus Confessarius, qui pœnitentem literis amatoriis, lenonibus, & internuntiis solicitat; vel qui accedit post auditam confessionem ad domum mulieris, & ibi illam solicitaverit? Ex part. 1. tract. 4. Resol. 14.

§. 1. NEgativam sententiam docet, ex Societate Iesu, Fagundez *de præcep. Eccl. tract. 2. lib. 4. cap. 3. num. 31.* & ante illum Portell. *in addit. ad dubia regul. ver. solicitare fœminas, num. 6.* quia in Bullis Pontificiis Clem. VIII. & Pauli V. erant illa verba: *in actu audiendi Confessiones, & dum eorum audiunt Confessiones.* Ergo pœna imposita crimini facto in Sacramento, non est extendenda ad crimen factum propè, vel paulò post Sacramentum: quia lex pœnalis, ut *supr.* diximus, non est extendenda.

Sup. hoc in qua in.

2. Hæc opinio erat probabilis, licèt contrarium doceat Bariola *in Flor. Inquis. fol. 226.* Scort. *in Bull. Pont. epit. 77. theor. 197.* Ortiz *in summa, c. 24. n. 11.* Llamas *in summa, part. 3. cap. 8. §. 15.* Giptius *tract. de cas. reserv. cap. 14. n. 3.* Coriolanus *de cas. reserv. p. 2. cas. 9. in fin.* Megala *in 1. p. lib. 1. cap. 5. n. 32.* Villalobos *in summ. to. 1. tr. 9. dub. 36 n. 20.* Bonacina *de matrim. q. 4. punct. 16. propos. 5. n. 7.* Riccius Cherubinus *in praxi, par. 2. ref. 240. n. 1.* Paramus *de orig. Inquis. lib. 3. qu. 10. n. 44.* Rodriquez *in q. regul. to. 2. q. 27. art. 2. & 3.* Cherubinus *in comp. Bullar. to. 2. Const. 31. Pij IV. schol. 1.* Genuensis *in praxi, cap. 76. n. 2.* Henriq. *in summa lib. 6. cap. 17. n. 4. in Glossa lit. L.* Molfesius *in summa, tom. 1. tr. 7. cap. 24. n. 31.* Homobonus *de exam. Eccles. par. 1. tr. 7. c. 24. num. 29.* & alij: quia patria sunt, aliquid fieri in actu Confessionis, vel paulò antè, seu pòst, ut habetur in Glossa *l. Pomponius, §. varò ff. de officio Proconsi.* & per ea, quæ adducit Tiraquellus *de retract. conven. p. 2 §. 1. gloss. 4 & 5. n. 25.*

3. Sed hodie per Bullam Gregorij XV. cessavit hæc quæstio: nam ibi clarè statuit, esse tales Confessarios denunciandos, in illis verbis Bullæ: *in actu sacramentalis Confessionis, sive ante, vel post immediate.* His tamen non obstantibus, est rejicienda, tanquam falsa, opinio illa Navarri quam adducit Paramus, *ubi supra*, dicentis, posse Inquisitores animadvertere adversùs confessarium, post longum tempus, extra Confessionem fœminam solicitantem. Unde rectè notavit Rodericus Acugna *tract. de Confess. solic. q. 5. n. 15.* Confessarium non esse denunciandum qui pœnitentem literis amatoriis, lenonibus, & internunciis solicitat, neque, ut notat Molfesius *in summa, tom. 1. tract. 7. cap. 24. n. 32.* si accederet post auditam Confessionem, ad domum mulieris, & ibi illam sollicitaret: quod etiam docet Scortia *in Bull. Pont. epit. 77. theor. 197.*

Sup. hoc in loco §. 1. & in act. 46 & 47.

RESOL. XLI.

An sit denunciandus Confessarius prætextu confessionis agendæ vocatus, si postea in domo solicitet? Ex p. 4. tr. 5. Res. 37.

§. 1. AFfirmativè videtur respondendum ex Sancio *in select. disput. 11. num. 68. in fine*, ubi sic ait: Sive in domo fœminæ simulatio illa interveniat, dum videlicet prætextu confessionis agendæ vocaretur Confessarius, utrique tamen intentione venereorum agendorum ad simulandum ducerentur. Ita ille.

2. Sed negativam sententiam, & meritò, docet Freitas *de Confess. solicit. in novissima editione quæst. 15. num. 44.* ubi sic ait: Si Confessor domum vocetur sub prætextu confessionis, veluti ut Prælatum Confessor decipiat, cùm tamen ex præcedente tractatu tam Confessor, quàm fœmina intentionem habeant venereorum agendorum, puto Brevi non esse locum, eo maximè, quia in casu Sancij non proponitur solicitatio ex parte Confessoris in sacramento Pœnitentiæ, vel proximè, sed tractatus remotus ex utriusque placito, qui tractatus præcedens nihil ad rem facit, sive simuletur, sive non, confessio. Opinio ergo Sancij defendi tantùm potest, quando in ipsa domo & loco ad confessionem

fessionem deputato, & sub confessionis figura, ut ita dicam, simulet Confessor ad inspectantes illudendos confessionem audire, etsi ab ipso non incipiat solicitatio, nec præcedat inter eos tractatus, simulatio namque ipsa per se sufficiat. Ita Freytas. Igitur prætextus confessionis, de quo agit Constitutio Gregoriana, debet esse proximus, non autem remotus à loco & statu confessionis, de quo videndus est Sousa *de Confess. solicit. in addit. n.* 10.

RESOL. XLII.

An sit denunciandus Confessarius, qui dicente fœmina se velle in crastinum confiteri, illam solicitat, & confessionem dissuadet? Ex p.4. tr.5. Resol.6.

§.1. NOn esse denunciandum tenet Sancius *in selectis disp.* 11. *num.*49. ubi sic ait: Si fœmina se velle crastino confiteri diceret, & tunc dissuadet et Confessarius, & venerea ageret, propriè non dicitur solicitata proximè ante confessionem, cùm tunc quando sit solicitatio, nolit fœmina confiteri, unde solicitatio tunc non est proxima confessioni faciendæ, sed proxima conventioni de illa agenda. Ita ille. Cujus sententiam novissimè invenio docere etiam Castrum Palaum *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 9. *punct.* 8. *n.* 4.

2. Sed in terminis Bullæ Gregor. XV. contrariam sententiam tenendam esse puto, quia hæc solicitatio efficitur In confessionario, & Confessarius dum pœnitentem solicitat, simulat ejus confessionem audire; ergo includitur in dicta Bulla, & ideo est denuntiandus. Et ita hanc sententiam tenet Fagundez *de præcept. Eccles. in editione novissima, pr.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *num.*49.

RESOL. XLIII.

An Confessarius solicitans fœminam ad confessionem accedentem, quia eam ipse prævenit, faciendo differre confessionem in aliud tempus, sit denunciandus?

Et quid est dicendum, si mulier absque Confessarij suasu, in ipsa jam confessione incepta à confitendi proposito desistat, dicatque Confessario amplius nolle confiteri, sed confabulari, & postea longa confabulatione interjecta, solicitatio sequatur? Ex p.4. tr.5. Resol.46.

§.1. NEgativè respondet Antonius Sousa *opusc. de Confess. solicit. tr.* 1. *cap.*18. *num.*7. ubi sic ait. In hoc decreto Pauli V. existimo non comprehendi casum illum, nimirum si accedens fœmina confessionis causa à Confessario præveniatur, ut confessio in aliud tempus differatur, mutatóque confitendi animo à Confessario solicitetur, nam solicitatio tunc non est immediata ad confessionem, cùm ante omnem solicitationem mutatum sit propositum confitendi; sicut si fœmina ipsa, quæ aliàs ut confiteretur accessit, dicat Confessori se jam confiteri nolle, & Confessarium solicitet, cui solicitationi ille consensum præbeat, imò & in actum venereum illic deveniat, pro eodem enim reputo mulierem propositum confitendi mutasse jam ad pedes Confessoris, ac si domi, aut in itinere antequam ad Confessarium accederet, illud mutasset, dummodo id fuerit ante solicitationem. Idem etiam puto si mulier absque Confessarij suasu in ipsa jam confessione incepta à confitendi proposito desistat, dicátque Confessario amplius nolle confiteri, sed confabulari, & postea longa confabulatione interiecta, solicitatio sequatur. Hæc omnia Sousa.

2. Quæ quidem an sint probabilia in terminis decreti Pauli V. remitto me judicio aliorum: nam Freitas *in addit. ad tract. de Confessar. solicitant. quæst.*14. *num.*16. docet in casu primo, quem ponit Sousa, Confessarium esse Inquisitoribus denuntiandum. Sed quicquid sit de hoc, certum est hodie stante Bulla Gregor. XV. hos Confessarios esse denunciandos, quia hæc solicitatio efficitur in confessionario, & Confessarius dum pœnitentem solicitat, simulat ejus confessionem audire; ergo includitur in dicta Bulla, ut in casu simili ex Fagundez *suprà* dictum est.

Supr. in Resol. quæ hic est antecedens.

RESOL. XLIV.

An sit denunciandus Confessarius, qui fœminam ad confessionem accedentem ante signum Crucis sollicitat illam, dilata in aliud tempus confessione?

Et quid est sentiendum, si Confessarius sciens pœnitentem velle confiteri, illam solicitet, quamvis confessio non sequatur? Ex p.4. tr.5. Resol.39.

§.1. ESse talem Confessarium denuntiandum in terminis Bullæ Greg. XV. non est dubitandum. Difficultas est in terminis aliarum Bullarum Pauli V. Clem. VIII. &c. Negativè respondet Sousa *de Confess. solicit. tract.* 1. *cap.*18. *num.*7. Sed adversùs illum, & meritò, insurgit Freitas *in editione novissima de Confessar. solicit. quæst.*14. *num.*28. quia praxis S. Officij est in contrarium, cùm tales Confessarij in Tribunali Sacræ Inquisitionis plectantur, ut accidisse Pinciæ testatur ipse Freitas. Deinde certum est secundùm communem opinionem Doctorum, & tenet Moura *opusc.* 1. *de incant. sect.* 3. *cap.* 3. *num.*18. in terminis dictarum Bullarum Confessarios solicitantes paulo post, vel ante confessionem, esse denuntiandos; sed hoc accidit in casu nostro: ergo, &c. Deinde non satis percipitur discrimen inter hunc casum, & illum, quem probat ipse Sousa *in num.*6. ubi sic ait: Idem existimo, si Confessarius sciens pœnitentem velle confiteri, ipsam solicitet, quamvis confessio non sequatur, sive quia solicitata confiteri postea noluit, sive quia Confessarius audire recusavit, aut ad alium Confessorem remisit. Ita ille. ergo omnino dicendum in dubio proposito talem Confessarium esse Inquisitoribus denuntiandum.

Sup. contẽto in hac Resol. in Resol. præterita & in Resol. seq. cũ eodẽ Freita in fin. & inf. in Resol. 81. post med. à vers. qui etiam.

RESOL. XLV.

An sit denunciandus Confessarius, qui non absolvit fœminam ex aliqua justa causa, si tamen illam solicitet?

Et quid, si fœmina sub Crucis signo velit peccata detegere, & à Confessario interrumpatur ad turpia solicitante?

Et quid est dicendum, si filiam spiritualem, hoc est ex præcedentibus confessionibus notam, ad genua procumbentem ante signum Crucis illam præoccupat Confessarius solicitans? Ex p.4. tr.5. Resol.30.

§.1. REspondet affirmativè Sancius *in selectis disp.* 11. *num.*41. ubi sic ait: Si Confessarius deprehendens fœminam verum propositum emendationis non adducere, & ob id absolvendam non iri, adhuc solicitet, pœnas Brevis non vitabit, quia licèt Sacramentum non conficiatur, accusatio tamen in foro conscientiæ fit, quæ sufficit ad obligationem figilli; & liquet quoque ex decreto Greg. XV. in illis verbis, *Qui occasione confessionis etiam ipsa confessione non sequuta solicitare*, &c. Ita Sancius, cui addendus est Acugna *tr. de Confess. solicit. quæst.*14. *num.*10. ubi ejus additionator Freitas *num.*16. alios duos casus solicitationis

Sup. hoc inf. in Resol. 87. 6. Verum. propè fin.

Quoad hos casus lege doctr. præcedentis Resol. & sup. resol. 43. & inf. Resol 81. post med à vers. qui etiã

nis popit, etiam in terminis aliarum Bullarum ante constitutionem Gregorianam Primò, si fœmina sub Crucis signo velit peccata detegere, & à Confessario interrumpatur ad turpia solicitante. Secundò, si filiam spiritualem, hoc est, ex præcedentibus confessionibus nótam ad genua procumbentem ante Crucis signum præoccupet Confessarius solicitans.

RESOL. XLVI.

An Confessarius audiens in confessione mulierem incidisse in aliqua peccata sensualia, insequens illam descendentem paulò pòst ab Ecclesia, & in itinere illam solicitat, incidat in pœnas, & sit denunciandus?

Et quid, si ante discessum ab Ecclesia talis Confessor fœminam solicitaverit? Ex p. 4. tr. 5. Resol. 7.

Sup. hoc sup. cursim in fin. Resol 40. sed lege eam per tot.

§. 1. AFfirmativam sententiam docet Laurentius de Peyrinis *in privileg. Minim. tom. 2. constit. 4. Gregor. XV. schol. 2. num. 2.* ubi sic ait: Occasione confessionis diceretur solicitare Confessor, qui audiens mulierem in confessione, eámque levem ibi cognoscens, lenonem paulo pòst addictæ mulieris vestigia insequenda mitteret, eámque domum intrantem solicitaret, seu etiam in itinere. Ita ille, qui pro hac sententia citat Iacobum de Graffis; & ita hanc sententiam novissimè docet etiam Lezana *in summ. quæst. regular. cap. 19. num. 34.* vir quidem doctus, & amicissimus.

2. Sed tu cogita, nam secundùm aliquos si Confessarius divertit ad alios actus, in dicto casu solicitatio neque moraliter, neque physicè incepit in locis prohibitis à Pontificibus. ergo, &c. & licèt Confessarius utatur scientia confessionis, non tamen, ut dictum est solicitat pœnitentem in locis prohibitis solicitare, ergo non incidit in pœnas Bullæ, neque denunciandus erit. Imò putant neque Pontificias Bullas contravenire, si ante discessum ab Ecclesia talis Confessor fœminam solicitaret, dummodo id efficeret extra tempora & loca in Bulla Gregor. XV. contenta. Et ita sentiunt docti recentiores à me consulti, & præsertim aliqui Magistri Illustrissimæ Societatis Iesu, quia præceptus confessionis, de quo agitur in Bulla, debet esse proximus, non autem remotus à loco & statu confessionis. ut docet Sousa *opusc. de Confessar. solicit. in additiou. num. 10* & de occasione idem dicendum putant. Sed ego in hac quæstione de meo nihil asserere volo.

RESOL. XLVII.

An sit denunciandus Confessarius, qui tribuit pœnitenti chartam in confessione; postea tamen legendam, in qua ad venerem solicitabat? Ex p. 4. tr. 5. Resol. 2.

Sup. hoc sup. in Resol 40. cursim propè fin. vers. Confessarium.

§. 1. AFfirmativam sententiam docet Ioan. Sancius *in select. disp. 11. num. 31.* ubi sic ait. Confessarius pœnas Brevis non effugiet si chartam continentem solicitationem tradat fœminæ pœnitenti, quamvis non statim legendam conferat. nam cùm traditur charta, incipit solicitatio, & injuria fit Sacramento, quo monendum erat pœnitenti vitam in melius mutare, instrumentum conferatur, quo saucietur. Ita ille.

2. Sed contrariam sententiam iudicat probabilem novissimè Castr. Palaus *tom. 1. tract. 4 disp. 9. punct. 4. num. 2.* si charta non immediatè post susceptum Sacramentum legatur, sed transacto jam tempore, quia talis chartæ traditio est solùm causa solicitationis, non verò solicitatio, non enim tunc quando traditur charta, movetur pœnitens ad malum, ut supponitur; ergo tunc non solicitatur, solicitatio namque est motio voluntatis alienæ, cùm autem non moveatur pœnitentis voluntas in confessione, sed extra, quando scilicet legit chartam, efficitur in confessione non fuisse factam solicitationem, ac proinde non fore ex obligatione denunciandum. Cæteras rationes videbis apud Castrum Palaum.

3. Et ad argumentum non tactum à Castro Palao quòd ex negativa sententia daretur ansa, & occasio Confessariis solicitandi pœnitentes fraudando legem, & eludendo cum hac inventione pœnas inflictas adversùs eos in Bullis Pontificiis, forte quis posset respondere ex doctrina doctiss. Emanuelis de Moura *in opusc. 1. de ensal. & incant. sect. 3. cap. 3. num. 18.* quòd Confessarius in committendo delicto si sibi caveat à circumstantiis quæ illum submittunt Inquisitoribus, faciúntque delictum enormius, hoc non est facere fraudem legi, sed facere opus prudentiæ humanæ & cautelæ, quo magis fidem profiteatur.

4. Verùm his non obstantibus tu ne recedas à sententia affirmativa Sancij, quia talis solicitatio moraliter incepta fuit in confessionario, quando Confessarius tradidit charram postea legendam fœminæ. Et ideo adversùs sententiam negativam, quam prorsus ego improbo, meritò novissimè insurgit Fagundez *de præcept. Eccles. in editione novissima, pr. 2. lib. 4. cap. 3. num. 62.*

RESOL. XLVIII.

An pœnitens, qua ignoranter accusavit se in confessione habuisse animum peccandi cum ipso Confessario, unde ex hoc illam solicitavit, teneatur dictum Confessarium denunciare? Ex p. 4. tr. 5. Resol. 20.

§. 1. REspondeo affirmativè cum Bonacina *in tract. var. disp. 6. punct. 3. num. 17.* ubi sic ait. Fœmina non obligatur ex vi constitutionum Apostolicarum ad denuntiandum Confessarium, cui expressè, vel tacitè suum libidinosum animum erga ipsum significavit, ut ipsum ad peccatum induceret, & Confessarius occasionem inde arripit turpem aliquem actum cum ea exercendi. Hoc tamen intelligitur, modò fœmina turpem suum amorem Confessario significet animo ipsum provocandi, tunc enim ipsa dicitur solicitare Confessarium, non autem ab ipso solicitari; secus si hoc aperiat Confessario animo confitendi, seu accusandi se de gravi illo affectu, & Confessarius ansam inde assumat exequendæ libidinis, tunc enim Confessarius dicitur solicitare pœnitentem. Ita Bonacina.

RESOL. XLIX.

An Confessarius, si in actu confessionis dicat pœnitenti, Se io fosse secolare, vi prendere per moglie, sit denunciandus tanquam solicitator?

Et an interpres confessionis, si solicitet pœnitentem, sit denunciandus?

Et alia curiosa dubia notantur circa crimen solicitationis, & adducuntur diversi casus in textu hujus Resolutionis, sed jam ferè omnes magis latè in suis specialibus Resolutionibus nunc sunt transcripti, & assignati in hoc ipsomet tractatu. Ex part. 9. tract. 9. & Misc. Resol. 32.

§. 1. NEgativè respondet Bordonus *in sacro Tribun. c. 23. qu. 3. n. 54.* quia dicta verba nullum dicunt

cunt peccatum ad minus mortale, & quia solùm explicant impudicum affectum erga mulierem.

2. Sed tu cogita, quia dicta verba sine aliqua occasione in confessione dicta videntur maximè excitativa ad venerem; & cùm sint impertinentia ad confessionem, sapiunt solicitationem; callidus enim, & perfidus Confessarius paulatim vult illam incipere, & mulierem allicere, sicut si laudaret illam ex pulchritudine, non sunt mala, nec explicant impudicum affectum: verùm si sine aliqua occasione proferuntur à Confessario, esset denunciandus, ut vult ipsemet Bordonus, ubi suprà, *quæst.* 8. *num.* 59. ergo, &c. Ideò, ut dixi tu cogita, & recognosce Escobar *de Solicit. part.* 1. *quæst.* 3. *num.* 38. ubi docet, me citato, quod dum non ita certum solicitationis sensum verba continent, ut trahi aliquo modo possint in bonam partem, posse Inquisitores vocare Confessarium, & eum circa intentionem interrogare.

3. Nota etiam hic, quod dictus Pater Bordonus, loco citato, *quæst.* 16. *numero* 74. docet, Confessarium, qui consentit solicitationi à muliere sibi factæ, non esse denunciandum etiam in terminis Bullæ Gregorij XV. quia verba Bullæ comprehendunt colloquia de rebus turpibus sine ordine ad provocationem, aut de lenocinio peragendo à pœnitente. Preterea illa verba referuntur ad Confessarios authores inhonestorum sermonum, ut colligitur ex verbo, habuerint, quod sine dubio refertur tantùm ad Confessarios. Ita ille contra Trimarchum; cui adde Baldellum *tom.* 2. *l.* 2. *disp.* 63. *n.* 34. & Trullench *in decal. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 18. *num.* 53.

4. Sed ego puto, sententiam nostri Siculi Patris Trimarchi viri docti, & amicissimi esse tenendam, quam ante illum ex Sousa docui, & novissimè, me citato, tenet Illustrissimus Inquisitor Escobar à Corro *in tract. de Confess. solicitan. part.* 1. *quæst.* 3. *num.* 44. & noster concivis doctissimus Pater Ioseph Augustinus *in brevi notitia, &c. Titulo de Confess. solicit. num.* 4. ubi sic ait: Tenentur pœnitentes revelare Confessarios solicitantes, etiam si pœnitentes fuerint primi in miscendis sermonibus inhonestis, aut Confessarios solicitaverint, dummodò Confessarij consenserint, & habuerint inhonestos sermones: nam in Bulla prædicta constat sufficere ad hanc denunciationem, si Confessarius habuerit cum pœnitente illicitos, & inhonestos sermones, aut tractatus, nec excipitur casus, in quo ipsi non fuerint primi, sed satis est si inhonestos sermones habuerint. Ita ille; cui adde à fortiori meipsum *in part.* 4. *tractat.* 5. *resolut.* 4. Et ita ego testor, quòd sententia contra Bordonum, & alios observatur in praxi in nostra inquisitione Hispanica, & quod etiam observetur in hoc Tribunali Sanctæ Inquisitionis testatus mihi est nunquam satis laudatus Dominus meus Illustrissimus Franciscus de Albiciis Sancti Officij Assessor, & Reverendissimus Confessarius Pater Ioan. Baptista à Martinengo, ambo viri docti, & amicissimi. Puto tamen supradictum Confessarium esse mitiùs puniendum.

5. Sed quid dicendum de interprete confessionis, an si solicitet pœnitentem sit denunciandus? Negativè respondet Bordonus *quæst.* 14. *num.* 69. contra Trimarchum. Sed pro Trimarcho stat novissimè Escobar à Corro ubi suprà, *part.* 1. *quæst.* 2. *num.* 31. quia Interpres accedit ad Sacramentum in casu necessitatis, ut Sacer Medicus per intelligentiam verborum perveniat in cognitionem morborum, & antidotum opportunum adhibeat, quod in mortiferum venenum reddit interpres solicitans cum tanti Sacramenti notoria injuria. Tùm quia est medium inter Sacerdotem, & pœnitentem in ipso Sacramento, & debet velut principalis judicari ratione dependentiæ, saltem quoad hunc effectum, *argum. text. in l. tunc inutile* 12. *de peculio legato*, Menochius *de retinend. remedio* 1. *n.* 149. Valenzuela *cons.* 18. *num.* 72. *& seq.* Tum quia negari non potest, nisi quod prætextu confessionis sacramentalis, & veræ, solicitet; quod sufficit ex novo decreto. Tum quia concurrit ad confessionem, & cognoscit peccata per ordinem ad eam; & ita afficitur effectibus confessionis, ut sententia est communis omnium loquentium de sigillo, *cap. Omnis de panit. & remissionib.* & patet ex pluribus, quos allegat Martin. Bonacina, *de Pœnitentia, disp.* 5. *q.* 6. *sect.* 5. *punct.* 3. *n.* 5. *pag.* 172. quibus adde alios perplures apud Dianam, 5. *part. tr.* 11. *de sigillo Confess. fol.* 48. Tum denique quia eo ipso quod permittitur accedere ad Sacramentum habetur pro Confessario interpretativè saltem; quod sufficit præcipuè, quia adest identitas rationis in comprehensione, ita Fretias ad Acugnam, *q.* 13. *n.* 27. & 28. quæ mihi videtur probabilior, maximè attenta nova Gregorij XV. Constitutione, ex qua dubitari de hac opinione meo judicio non potest. Hucusque Escobar.

6. Nota verò quod licèt me citato asserat Leandrus, *de Sacram. tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 13. *q.* 40. non esse denunciandum confessionis Interpretem ex vi constitutionum Pij IV. Clementis VIII. Pauli V. & Greg. XV. tamen aliunde dictum Interpretem verè subjici judicio Dominorum Inquisitorum, eò quod & injuriam faciat Sacramento, & suspectus videatur in fide. Et hoc etiam docet Fagundez *in Decalogum lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 23.

7. Observat etiam Bordonum loco citato, *n.* 66. contra Trimarchum asserere Sacerdotem jurisdictione carentem, si solicitet in confessione non esse denunciandum, quia Constitutiones Pontificiæ loquuntur de Sacerdotibus deputatis, & habentibus curam animarum, ergo in dictis Constitutionibus non includuntur Sacerdotes simplices. Verùm pro Trimarcho à fortiori facit Escob. ubi sup. *n.* 27. asserens, Laïcum simulantem se esse Confessarium, si solicitet fœminam in confessione, esse denunciandum vigore Bullæ Greg. XV. cùm talis solicitatio fiat prætextu, ac simulatione confessionis: ergo comprehensa manet in Bulla Gregoriana. Verùm licèt Leandrus ubi suprà, *q.* 37. 38. & 39. asserat, laïcos, Subdiaconos, & Diaconos, vel Sacerdotes carentes jurisdictione solicitantes in confessione, non esse ex vi prædictarum Constitutionum denunciandos, posse tamen ab Inquisitoribus puniri, tanquam suspectos de fide. Vide Bossium *in Discept. Mor. discep.* 5. *num.* 4. qui citat omnes meas Resolutiones circa præsentem difficultatem.

RESOL. L.

An si Confessarius det aliquod donum mulieri in confessione, dicatur illam solicitasse, ita ut sit denunciandus? Ex p. 9. tract. 9. & Misc. 4. Res. 34.

§. 1. Affirmativè respondet Trimarchus, *tract. de Confes. solic. disp.* 2. *sect.* 4. Primo quia ex Ledesma, & Paramo, solicitatio fit per donorum largitionem. Secunda, quia dona magis quàm verba alliciunt. Tertiò mulier non est pauper, neque annulum perdidit: ergo nihil aliud cogitare potest, nisi Confessarium habere affectum libidinosum erga se: ergo tunc tentatur ad libidinem.

2. His tamen non obstantibus, novissimè doctus Pater Bordonus in Sacro Tribunali; *cap.* 23. *q.* 10. *n.* 61. negativæ sententiæ adhæret: tum quia donum ex sua natura non ordinatur ad venerea; ergo de se non est signum, aut factum sufficiens ad arguendum solicitationem ex quo tollitur primum argumentum Trimarchi; estò enim dono fieri possit solicitatio, ea tamen

Sup. hoc inf. in Res. 52. & alio §. ejus pro.

Sup. hoc sup. in Res. 34. & inf. in res. 51. & Observ. &c.

Sup. hoc inf. num. 56, 57. & alib.

Quæ nunc est in to. 1. tr. 8. Res. 39. & in Res. not præteritæ §. 1. in fin. & ibi in Res. 33. §. ult. cursim in vers. Tertio. & iterum ibi in tr. 3. Res. 78. §. ult. ad med. vers. interpres.

Sup. hoc inf. in Res. 86. & 87. & in alio vers. earum notationum proposita quæst.

Sup. hoc inf. in Res. 84. & cursim in alia ejus primæ annot.

Sup. hic est Res. 57.

Sup. hoc inf. Res. 83. & in alio vers. in primæ annot.

non præsumitur, neque asserenda est nisi dono adjungantur verba præseferentia solicitationem, in quo casu solicitatio consisteret in illis verbis, non in dono. Tum quia, donum movere potest etiam ad benevolentiam honestam, ad gratitudinem, ad aliud donum pinguius, quare cùm sit indifferens, inde colligi non potest assertivè, donum traditum fuisse ex affectu turpitudinis, imò id suspicari temerarium est, cùm donum in bonam partem accipiendum sit, & sic soluitur secundum argumentum & tertium: nam mulier malum cogitans de Confessario, peccat, & imprudens est illius cogitatio, cùm in bonum sensum trahere possit finem, quem habuit Confessarius in donatione annuli, putando donationem sibi factam fuisse, vel in signum gratitudinis, si Pœnitens illi fuit aliàs liberalis largitione eleemosynarum, vel ex affectu paternitatis spiritualis, &c. Tùm quia, non est solicitatio ex eodem Trimarcho *n.* 19. quando pecunia tribuitur Pœnitenti pauperi, quia præsumptio stat pro Confessario ex titulo paupertatis: ergo neque donare diviti, quia præsumptio boni finis, qui inesse potest huic donationi, facere potest favore Confessarij, pro qua in dubio præsumendum est. Demum hujusmodi solicitatio, si qua adest, solùm dubia, & præsumpta est, ac proinde non est conformis Bullæ Gregorianæ, quæ punit certam solicitationem non præsumptam, consequentet nulla est obligatio denunciandi Confessarium donantem.

3. Sed ego in hoc casu distinguendum esse puto: nam si quis v.g. daret Pœnitenti ramusculum, seu florem, vel donum minimi valoris, tunc adhærerem opinioni Patris Bordoni, & ita docet Escobar *tr. de Confes. solic. p.* 1. *q.* 3. §. 2. *n.* 14. Secùs autem si donum esset magni valoris, consideratis circumstantiis personarum, & in hoc casu non mihi displicet opinio Trimarchi, nam extra occasionem, & impertinenter ad confessionem dare donum considerabile mulieri, quæ confitetur, est maxima præsumptio contra Confessarium: tùm quia, ut ait Escobar loco citato *n.* 16. non solùm prohibetur aperta solicitatio, sed etiam palliata tacitè, vel amphibologicè demonstrata, qualis videtur donatio muneris, de qua loquimur: tùm quia muneribus fœminæ facilè allici, & provocari solent: tum quia in hoc veneno so crimine nec subterfugium, nec velamen relinquendum est, quo simile flagitium lascivi Confessarij cooperire valeant.

RESOL. LI.

An mulier teneatur denunciare Confessarium illam solicitantem, si ante solicitationem ei præbuisset multa munera intuitu eleemosynæ absque malo fine?

Et quid, si contingat ante impensa beneficia Confessarium solicitasse, & per tempus solicitationi incumbendo maxima dona, & beneficia impertiri fœminæ solicitatæ, an sit denunciandus talis Confessarius?

Et quid, si ipsi fœminæ nulla fuerit Confessarius solicitans impertitus beneficia, sed fœminæ filiis, marito, parentibus, vel fratribus? Ex p. 10. tract. 13. & Misc. 3. Res. 46.

§. 1. NEgativè respondet Sancius *in select. disp.* 11. *num.* 55. ubi sic ait: Nec denunciandi aderit obligatio, si fœmina solicitetur à suo maximè Benefactore, aut amico. Potest namque contingere Petrum Confessarium beneficia plurima fœminæ impendisse, ipsamque gratitudinis vinculo constringi non tantùm damnum Confessario exoriendum impedire, verùm bonis ipsum afficere. Inhumanum ergo esset fœminam obligare sui Benefactoris authorem damni esse. Imò si contingat ante impensa beneficia, Confessarium solicitasse, & per tempus solicitationi incumbendo, maxima beneficia impertiri fœminæ solicitatæ, non denunciandus erit. Quia licèt dum aggressa est solicitatio, non aderat excusatio ex gratitudine ad denunciationem omittendam; postèà tamen dum munera elargitur etiam ob implendam libidinem, Benefactoris naturam non subterfugit; cui damnum parare inhumanum esset. Præsertim quod se privare fœminam beneficiis in futurum suscipiendis, esset idem ac in propriis bonis jacturam sentire: diximus autem suprà fœminam constringi denunciare, cum bonorum suorum jactura. Deducitur etiam, non constringi fœminam solicitatam denunciare Confessarium, qui est ipsi fœminæ nulla fuerit impertitus beneficia, benè tamen fœminæ, filiis, marito, parentibus, vel fratribus. Quia gratitudinis natura non solùm ad gratias agendas obligat pro beneficiis in propria persona susceptis, verùm in persona matiti, filiorum, parentum, & fratrum. Cùm horum bona vel mala, ut suprà dictum est, propria reputentur. Hucusque Sancius,

2. Sed hæc omnia sunt destructiva nostri Sacri Tribunalis; unde meritò illa refellit, & damnat Carolus de Baucio *in Miscellan. cas. Conscient. tom.* 2. *opusc.* 2. *quæst.* 230. ubi sic ait: Hæc opinio non est mihi probabilis, & judico esse temerariam, & scandalosam contra bonum publicum totius Christianitatis. Et ratio mihi est, licèt obligatio ex gratitudine oriatur ex lege naturali, tamen obligatio revelationis Confessarij, qui solicitavit Pœnitentem in actu Confessionis, non solùm oritur ex lege positiva humana, sed magis etiam oritur ex lege naturali superioris ordinis, quam ex gratitudine; nam revelatio Confessarij solicitantis ad Tribunal Sancti Officij tendit primariò ad abolitionem peccati præteriti, & futuri, & ad conservandum bonum totius Reipublicæ Christianæ, & ut deterreantur alij Confessores, ne incidant in tale peccatum. Confirmatur; magis Creatura tenetur servire Deo ex infinitis titulis, & præcipuè ex gratitudine beneficij creationis, conservationis, Redemptionis, &c. quam Benefactori maximo, aut magno amico: revelatio autem Confessarij, cùm tendat ad destructionem peccati, est in honorem Dei, & non revelare, est in favorem Creaturæ, sed inter Creatorem, & Creaturam nulla datur comparatio: ergo. Ita Baucius. Quæ quidem ab ipso dicta, sunt adeò vera ut meritò Sacra Congregatio Indicis novissimè inter alias opiniones hujus Auctoris, hanc deleuit ex suis Operibus, ut testatus est Mihi Reverendissimus Pater Marinus tunc illius Congregationis Secretarius, nunc verò Ordinis Prædicatorum Generalis dignissimus.

RESOL. LII.

An Confessarius, si laudet pœnitentem ex pulchritudine, venustate, &c. dicatur illam solicitare, & ideo ex hoc sit denunciandus? Ex p. 4. tr. 5. Res. 18.

§. 1. NEgativam sententiam probabilem esse putat Antonius Sousa *in aphor. Inquis. libro* 1. *cap.* 34. *n.* 5. ubi sic ait: Confessarius, qui pulchritudinem pœnitentis, & venustatem laudat, licèt in terminis antiquarum constitutionum contra illas non faciat, probabilius est violare novam constitutionem Gregorij. Ita ille. Vnde in verbo illo *probabilius*, docet negativam sententiam etiam in terminis Bullæ Gregorianæ esse probabilem; sed, ut dixi, seclusa constitutione Gregoriana, Confessarium putat in tali casu non esse denunciandum, quod etiam docuit *opusc. Confes. solic. tract.* 1. *cap.* 1. *n.* 10. ubi sic ait: Ex his colligo primò, pœnæ hujus decreti non manere subjectum

Sanchez in Select. lib. 2. cap. 49. num. 3.

Con

Confessarium, qui in ipso etiam confessionis actu mulieris pulchritudinem, atque venustatem laudat, aliásque ejus dotes commendat, tum quia de se hoc non est peccatum mortale, tum etiam, quia ille actus non est inhonestus, neque de se ad inhonestum actum ordinatus. Sic Sousa.

2. Sed in terminis omnium constitutionum puto, dictam sententiam non esse tenendam, & ideo Peytinus *de privil. Minim. tom. 2. const. 7. Greg. XV.* §. 6. *num.* 21. sic ait: Inquisitores possunt, & debent procedere contra Confessarios qui non verbis expressis, sed solùm tacitis, & occultis alliciunt pœnitentes ad actus inhonestos, ut si illos pulchritudine venustate, &c. laudent. Ita ille, quod ante docuerat Acugna *de Confes. solic. q. 7. num. 13.* Sanctarellus *de hæresi cap. 44. dub. un. num. 9.* & novissimè Barbosa *de officio Parochi c. 19. n. 49.* & Bonacina *in tract. var. disp. 6. punct. 3. num. 3.* qui rectè addunt hoc verum esse, modò non constet, aut rationabiliter non præsumatur Confessarium, qui fœminam laudavit à venustate, protulisse hæc verba alio fine, quàm intentione alliciendi ad actus inhonestos: ut si, v. g. ait Bonacina, fœminæ pœnitenti dicat, suæ pulchritudini & venustati injuriam facere prostituendo se ipsam aliis; sed de his verbis etiam in hoc casu abstineant Confessarij; nam equidem aliam rationem efficaciorem possunt invenire, ut pœnitens minimè turpem copiam sui aliis faciat, quàm laudando venustatem & pulchritudinem ejus. Verùm post hæc scripta inveni Freitam *in editione novissima de Confess. solicit. quæst. 7. n. 44. & 45.* circa præsens dubium etiam in terminis Bullæ Gregorianæ negativam sententiam docere; sed tu ne discedas ab affirmativa, maximè post Bullam Gregorij XV.

RESOL. LIII.

An sit denunciandus Confessarius, qui actus turpes cum pœnitente exercet, si gravi somno, aut morbo inter confitendum oppressa fuerit?

Et quid, si Confessarius aliqua arte, vel medicina induxit fœminam?

Et quid est dicendum si somnus, aut morbus esset levis, & non bene ligaverit sensus fœminæ, nec in totum impedierit illorum operationes, & ideo pœnitens aliqualiter adverteret actus Confessarij, &c? Ex p. 10. tr. 14. & Misc. 4. Res. 45. alias 43.

§. 1. Affirmativè respondet Pater Leandrus *in Sacram. tom. 1. tract. 5. diff. 13. quæst. 33.* ubi sic ait: An sit denunciandus Confessarius, qui proximè ad Confessionem aliqua arte in somnum inducit fœminam, & tunc sopitam cognovit. Affirmant Sancius *disput. 11. num. 31. & 32.* & Trullench *lib. 1. in Decalog. cap. 3. dub. 18. num. 54.* Addunt tamen, contrarium esse dicendum, in casu quo fœmina non arte aut maleficio Confessarij, sed paroxismo, aut morbo aliquo, fuisset somno sopita, & tunc à Confessario cognoscatur; quia in hoc casu, Confessarius, non solicitator, sed fornicator censetur: ergo non venit denunciandus: quia Decreta Pontificum non decernunt pœnas Confessariis fornicantibus proximè ad Confessionem; sed solicitantibus. Sed ex vi Decreti Gregorij, tàm in secundo, quàm in primo casu, esse talem Confessarium denunciandum certò Respondeo. In primo patet; quia ibi Confessarius verè solicitavit fœminam in Confessione, aut proximè ad illam, licet non verbis, opere. In secundo etiam constat; quia in illo Confessarius, etsi propriè non solicitavit fœminam, habuit tamen cum illa tractatus inhonestos saltem opere, quod quidem eodem tenore est prohibitum per Constitutionem Gregorij XV. ergo. Ita Leandrus. Et hanc sententiam docet etiam Escobar à Corro *de Confes. solic. part. 4. quæst. 4* §. 2. *num. 29.* Tùm quia amplectens occasionem adimplendæ libidinis in ipso actu Sacramentali se coinquinat, & Sacramento injuriam affert eodem coinquinamento, quod extat per Constitutionem prohibitum: Tum quia solicitatio ad inhonesta principaliter prohibetur propter turpitudinem ad quam dirigitur, & qua polluitur Sacramentum, nempè propter commixtionem carnalem, ad quam dirigitur. Igitur multo magis prohibita debet censeri ipsa commixto, & carnalis copula, ut docuit Philosophus *lib. 1. Posteriorum, textus in leg. quia parentis 16.* juxta glossam, *Soluto matrim.* Auth. *Multo magis, Cod. de Sacrosanct. Eccles.* Baldus *in leg. Petens numer. 33. Cod. de pactis.* Tum quia si actus inhonesti extra copulam prohibentur in Constitutione, ideò est, non tantùm quia per se turpes sunt, sed quia diriguntur ad turpitudinem copulæ, velut ad finem, ex quo ipsi turpes fiunt. Quam veram opinionem amplia, non tantum dùm Confessarius in Confessione copulam habet cum fœmina somno, morbo, aut paroxismo correpta, sed dùm tantùm habet actus libidinosos, ut erunt tactus in pudendis, & similes, quia sunt ejusdem malitiæ cum copula, & verè hoc est ad inhonesta tentare, & habemus comprehensum in nostra Gregorij Constitutione, & ita velle videtur Martinus Bonacina *tract. var. disp. 6. de onere, & obligat. denunciandi, punct. 3. num. 3.* Hucusque Escobar.

2. Sed contrariam sententiam, præter Sancium, & Trullench. tuetur novissimè Lupus *de Edicto S. Inquisit. part. 2. lib. 5. art. 2. difficult. 1.* & Pater Baldellus *in Theolog. Mor. tom. 2. lib. 1. disput. 63. numer. 26.* ita asserens: Si Sacerdos actu audiens Confessionem alicujus Pœnitentis, interius consentiat in actum aliquem turpem cum illa perpetrandum, & secretò se polluat, nec Pœnitenti aliquid aperiat in ipsa Confessione, vel immediatè post, aut in Confessario, vel in loco alio ad confessionem electo, non est, quod denuncietur, etiamsi posteà extrà Confessionale rem totam aperiat; quia revera non solicitat in Confessione, aut Confessionali: Et idem esset, si Pœnitens inter confitendum gravi somno, aut morbo corriperetur, & esset extra sensus: & hoc videns Confessarius turpiter illum oscularetur, aut attrectaret ad explendam tantummodò suam libidinem; non autem ad illum tentandum, aut provocandum, quem videret pro illo tempore expertem sensus: similiter enim non potest dici illum tentare, aut provocare: siquidem est omnino incapax provocationis, & tentationis, oppositum tenet Bonacina. Sed non video qua probabilitate id possit dici, cùm talis pœnitens, quamdiu est extra sensus, non magis sit, capax provocationis, aut solicitationis, quàm si esset mortuus: aut planè ligneus, vel marmoreus: secùs verò, si somnus, aut morbus esset levis, & non bene ligaret sensus, neque in totum impediret illorum operationes, & ideò Pœnitens aliqualiter adverteret actus Confessarij, iique possunt vel tunc, vel posteà esse illi tentatio, & provocatio, quia tunc verè tentaret, & procuraret solicitare. Et quod dicitur in utraque Bulla etiam illum esse denunciandum qui tentat, & procurat solicitare, procurare, aut allicere, non significat, quod sit denunciandus, si hæc faciat quando alter ex quocunque accidenti non potest solicitari, provocari, & allici; sed solùm si hæc faciat frustrà, & sine effectu, quia alter non admittit solicitationem, neque sinit persuaderi turpia, aut induci ad illa: sed resistit solicitanti, & provocanti. Hucusque Baldellus: cui adde Seraphinum Freitam ad Acugnam, *quæst. 9. num. 11.* Vnde ego

utramque sententiam probabilem esse puto, licet affirmativam probabiliorem esse existimem: sed primam tanquam certam amplector, si Confessarius in confessione; vel actu proximo attrahit fœminam in somnum, vel paroxysmum aliqua arte, vel medicina mediante, ut rem cum ea habeat; nam solicitator dicitur, & puniri debet per Inquisitores. Vide Doctores citatos.

RESOL. LIV.

An fœmina, si consentiat solicitationi, teneatur Confessarium denunciare?

Et notatur, quod ex mandato Vrbani VIII. præcipitur Ordinariis, ut omnibus Sacerdotibus tam Regularibus, quam sæcularibus approbandis ad confessiones audiendas in actu ipso approbationis legatur, & intimetur Constitutio Gregor. XV. &c. Ex part. 4. tract. 5. Resol. 31.

Quæ hic est sup. resol. 16. in fine §. ult. & in Resol. 24. §. pen. ad med. & in resol. 39.

§. 1. IN *part. 1. tr. 4. resol. 9.* adduxi Acugnam, Sanctarellum, Peyrinum & alios, affirmativam sententiam docentes, ex quadam Epistola Cardinalis Mellini directa ad Federicum Cardinalé Borromæum Archiepisc. Mediolan. cujus tenorem hîc per extensum modò apponere visum est. Sic enim habet, [Illustrissimo, & Reverendissimo, Signor mio Osservatissimo. Doppo esser si hauuta longa e matura considerationc sopra il dubio significato da diverse bande, se y penitenti siano obligati à denuntiare i Confessori, da qualli sono stati sollecitati nel luogo, o atto della Confessione quando hanno consentito alla sollecitatione. N. S. e questi miei Signori Illustrissimi in Congregatione tenuta avanti S. Santità à 25. di luglio passato, doppo haver ancho inteso il parere d'una particolare Congregatione deputata per questo effetto hanno risoluto che qualsivoglia penitente è tenuto à denunciare il Confessore, dal qualle sarà stato sollecitato nel luogo o atto della Confessione, ancor che gli habbia consentito & non è tenuto à propalare il proprio consenso, ne sopra ciò s'interroghi dal Vescovo, ò dall' Inquisitori, ò loro Vicarij avanti quali deporrà, ne meno il Confessore denuntiato, procedendo si poi contra di lui, ne i constituti che se gli faranno non s'interroghi sopra dito cõsenso, & in caso ch' egli volesse dirlo da se non si scriva il suo detto come cosa in ordine alla persona sollecitata nõ spettante all'Officio della santa Inquisitione, le parti dunque di V. S. Illustrissima sono di significare a i Cofessori detta risolutione, & incaricargliene strettamente l'osservanza acciò ne i casi che occorrono alla giornata conforme al tenore della cõstitutione publicata de Greg. XV. S. M. contra y confessori, sollecitanti significhino à y penitẽti l'obligo che hanno di denunciare i Confessori, da quali saranno stati sollecitati, & havendogli consentito, & facendo difficultà in scoprire il proprio cõsenso conforme alla risolutioue che si e fatta gli dichino apertamente che non sono tenuti à propalare il detto consenso, è che tanto i penitenti, quanto i Confessori sollecitanti procedendosi contra di loro nõ saranno diciò interrogati e dicendolo da se non si scriverà ne riceverà il loro detto, e quando il penitente tuttavia persistesse nella medesima renitenza N. S. si contenta che dal Vescovo ò dall' Inquisitore si dia autorità al Confessore di ricevere per scrittura è con giuramento la denuntia per portarla subito à chi gli haverà data autorità di pigliarla, e se oltre le cose sedette occorrerà altro caso grave, per il quale non si possa il penitente indure à denunciare vuole S. Santità che si scriva qui, è s'aspetti la risposta & in tanto si sopraseda nell' assolutione, e tanto si contentera V. S. Illustrissima far osservare nella sua Diocese facendo registrare la presente negli atti di cotesta corte per informacion sua e de suoi successori, quali haurannno mira che la presente risolutione riguarda solo quei penitenti che per havere consentito fanno difficoltà in denunciare, ma à quei che non hanno consentito è havendo consentito non sono in cio renitenti, non deve il Confessore porre difficoltà alcuna ma lasciare che indifferentemente e liberamente sodis facciano all' obligo che hanno di denunciare conforme alla constitutione. Si complacere anco V. S. Illustrissima di mandare copie della presente à i Vescovi suoi suffraganei accio da essi ancora sia fatta la presente risolutione & à V. S. Illustrissima per fine humilissimamente bacio le mani. di Roma, li 27. di Settembre 1624. di V. S. Illustrima & Reverendissima humilissimo & obligatissimo servitore, il Cardinal Mellino A tergo. All' Illustrissimo & Reverendissimo Signor mio Osservatissimo il Signor Cardinal Borromeo.]

2. Vnde ex hac epistola apparet, non esse admittendam opinionem Sousa *de Confess. ar. solicitant. tract. 1. capite 7. numero 4.* asserentis fœminam si consentiat solicitationi, & veniat in actum peccati, præsertim in confessione, non teneri denunciare Confessarium. Secundò apparet non esse admitendam opinionem Freitas *in editione novissima de Confess. ar. solicitant. quæst. 10. numero 40.* asserentis fœminam in tali casu non solùm teneri ad denunciandum, quod est verum; sed etiam teneri aperire copulam, & si hoc non faciat, Inquisitores possunt illam interrogare de omnibus circumstantiis solicitationis, tam tactuum, quàm etiam copulæ, quæ omnia, pace viri doctissimi, sunt contra supradictam Epistolam, & expellunt fœminas à denunciatione, ut omnibus patet, unde non sunt admittenda, neque in sacro Tribunali practicantur.

3. Non desinam hîc adnotare id, quod observat Laurentius Peyrinus *in privil. Minim. tom. 2. constit. 4. Gregor. XV. §. 9. num. 34.* nempe datas esse literas omnibus Archiepiscopis & Vicariis Generalibus *die 3. Octobris 1626.* subscriptas, Cardinalis Mellini, quibus præcipitur dictis Ordinariis de mandato SS. D. N. Vrbani VIII. ut omnibus Sacerdotibus tam regularibus, quàm sæcularibus approbandis ad confessiones audiendas in actu ipso approbationis legatur, & intimetur constit. Greg. XV. præsertim §. 9. qui incipit, *Mandantes*, ut eodem tempore sciant Confessarij pœnas propositas solicitantibus, & quòd non hortantes, ut debent, pœnitentes solicitatos ad denunciandum, vel docentes eos non teneri denunciari, puniuntur ab Inquisitoribus.

RESOL. LV.

An mulier solicitans Confessarium sit ab ipso, vel ab aliis qui hoc sciunt, denuncianda?

Et docetur, quod hæ Constitutiones, cum sint pœnales, non sint extendendæ ad alium casum.

Et ex doctrina supradictæ quæstionis etiam infertur, quod excommunicatio lata contra ingredientes Monasteria Monialium sub prætextu licentiarum, non extenditur contra ingredientes sine tali prætextu. Ex p. 1. tract. 4. Resol. 23.

§. 1. VIdetur prima facie affirmativè respondendũ: & ita in terminis Bullæ Greg XV. docet Bellochius *de cas. reserv. p. 2. q. 9. n. 11.* quia talis mulier nõ minùs Sacramentum læditcùm Confessarius, quàm Confessarius, si solicitaret: sed Confessarius solicitans est denunciandus; ergo & solicitatrix debet denunciari. Et ita docet Paramus *de origin. Inquis. lib. 3. q. 10. in fine.*

2. At

2. At contrarium omninò est affirmandum cum Riccio *in praxi,p.3.resol.67.n.1.* Sancio *in select. disp. 11.n.24.* Bonac. *in tract. var. disp.6. punct. 3. n. 20.* & aliis:quia Constitutiones Pontificum in Confessarios, diriguntur ad illorum audaciam,& iniquitatem comprimendam,cúmque hoc scelus fæminis rarò contingere constet,lex de illis nō disponit:quia leges humanæ ea, quæ frequentiùs accidere solent,considerant.

Sæpius in Resl. 1 not. seq. 52. & alib. & in to. 3 tit. 1. Resl. 79.& in omnibus aliis ejus notat.

3. Adde illud, quod sæpiùs repetitum est;cùm hæ Constitutiones sint pœnales, non sunt extendendæ ad alium casum,*ex cap.statutum de elect.& ex leg.cum quidam.ff.de liberis & posthum.*Barb.*de potest.Episc.p.3. alleg.102.n.92.*Castr.Pal. *de leg.pœn.lib.1.c.7.docum.3.* Sanchez *de matr.tom.3. lib.10.disp.4. n.3.* & alij communiter. Vnde edicta pœnalia rejiciunt argumentum à pari, à simili,& à contrario sensu. Et ideò pœna *l. unicæ. C.de raptu. virg.* non habet locum,quando virgo rapit virum, vel vir virum, ut rectè observat Castrensis *in l.raptores.C. de raptu. virg.* Trivisanus *p. 2. decis.21.*Decianus *lib.8.tit.7.n.28.& 29.* cum Emmanuele Barbosa *ad ordin. Portug.lib.5.tit.18.§.3.num.2.* & Sanchez *de matrim.tom.2.lib.7. disp.12.n.25.*Et ego censeo,quòd excommunicatio lata contra ingredientes Monasteria Monialium sub prætextu licentiarum, non extenditur contra ingredientes sine tali prætextu, ut rectè docet Sanchez *in summa, tom.1. lib.6. cap.16. n.78.*qui citat Suarez.Philiarchum,Zerolam,Sayrum, & Rodriquez; quibus ego addo Mirandam *in Man. Præl. tract.de Monialibus,q.2. art.10.concl.1.* Megalam *in 3.par. lib.4. cap.3. q.2.n.11.*Campanili *in diver. jur. can.rub.12.cap.16. n.24.*Barbosam *de potest Episc. p.3. alleg.102. n.37.*cum aliis.Vnde patet responsio ad argumentum contrarium.

Sup. hoc sup. prius in tr. 1 tract.90. & 100.1 tr 5. Resl. 61. §. septimo.

RESOL. LVI.

An Confessarius à fœmina solicitatus,si consentiat solicitationi, & ad actus turpes,& sermones inhonestos, sit ab aliis,qui hoc sciunt, denunciandus? Ex p.1.tract 5. Resl.11.

Sup. hoc in §.1. duabus Resl. præced.& supra in Resl.49. §. Notandum, & seq.

AFfirmativam sententiam docere Graf. *tom 1. lib.5.cons.7.n.8.de pœn.* notavit Freit.*in addit. ad tract. de Confes. solic.q.9.n.8.*Sed Graffius in illo loco nihil de hoc. Ideò negativè respondet Episcopus Roderic.Acugna *in dict.tract.de Confes. solic.q.13. per totam,*& ibi Freitas *n.24.* Hanc etiam sententiam docuit Portel, *in addit. ad dubia regul. verb. solicitare fœminas,n.10.*Et ita respondisse Suarez,testatur Acugna, *ubi suprà.*Et ratio est:quia solicitatio supponit preces, & postulationes prærequisitas:& ideo Pontifices utuntur his verbis,*allicere*, vel *provocare.* Sed Confessor priùs solicitatus non rogat,non allicit,non provocat. Ergo non est denunciandus.

2. Sed hæc opinio erat probabilis, imò vera, ante Constitutionem Greg.XV. nunc autem difficultatem habet; nam in dicta Bulla Summus Pontifex asserit, [esse denunciandos illos Confessarios,qui (hæc sunt verba Bullæ)pœnitentes solicitare,vel provocare tentaverint,aut cum eis illicitos,& inhonestos sermones, sive tractatus habuerint.] Vbi vides, quòd Summus Pontifex, non solùm simpliciter, ut fecerant antea Clem. VIII. & Paulus V. utitur verbo solicitandi, & provocandi,sed addit illa verba: *Aut cum eis,* &c.Sed Confessarius in nostro casu,licèt prius à fœmina fuerit solicitatus; tamen illicitos, & inhonestos sermones cum illa in Confessione habet. Ergo, vigore dictæ Constitutionis, est denunciandus.

3.Non reticebo tamen,Sanctarellum,virum doctum, *in tract. de hæresi, c.46. n.2.* docere, etiam post Bullam Greg.XV. non esse denunciandum Confessarium,qui à muliere solicitatus,ejus libidini consensit.Idem etiā docet Sancius *in selectis,disp.11.n.25.& 26.*Peirin. *ubi infra,§.3.n.10.*Homobonus *de exam. Eccl.tom.2 tr.11. c.12.q.26.*& Bonacina *in tract.var disp.6. par.3. n.17.* Vnde hæc opinio probabilis,& tuta etiam mihi videtur.Et verba Bullæ Greg.XV. *superius* adducta, posset aliquis intelligere, non de Confessario consentiente solicitationi pœnitentis; sed de Confessario de rebus turpibus in confessionario cum aliqua muliere confabulante, absque solicitatione ad aliquid inhonestum perpetrandum.Et ita docet Peirinus *in privil. Minim. tom.2.constit.4 Greg.XV.§.2. n. 2.*

RESOL. LVII.

An Confessarius consentiens solicitationi, sed statim desistens de turpi illa materia loqui, differendo illius complementum ad aliud tempus, & non præbendo pœnitenti absolutionem, incidat in Bullam Greg. XV. & sit denunciandus? Ex p.4.tr.5. Resl.4.

§.1. AD hoc dubium negativè respondet Sousa *in Aphor. Inquis. lib.1. cap.34. n.10.* ubi sic ait: Si Confessarius solicitationem amplectens de materia illius loqui desistat, ac libidinis complementum in aliud tempus & locum differat, neque fœminæ solicitatrici absolutionem impendat, probabilius est decreta hæc minimè violasse.Ita ille, quod etiam antea docuerat *opusc. de Confes.solic.tract.1.cap.6.n.8.* & ratio est, quia Confessarius in hoc casu solummodo videtur infidelis minister, qui mulierem ab impudico proposito noluit dissuadere,cùm hoc ad Confessarij munus propriè attineat: non verò vocandus est solicitator,neque volens injuriam inferre Sacramento, ut colligi potest ex eo quòd noluerit absolutionem tanquam indispositæ impendere. Neque potest dici abutens Sacramento positivè quod ad transgressionem decreti necessario exigitur, ut testantur illa verba,*Allicere & Provocare*,quæ abusum Sacramenti activum denotant; solum igitur dicendum est, non bene utens Sacramentum ministrans.Ita Sousa & alij, quos adduxi *in 1.p.tract.4.resol.11.*

Sup. hoc in Resl. præterit. & seq. & sup. in Resl.49.§. Nota etiam. & seq.

Quæ hic est Resl. antecedens.

2. Verùm contrariam sententiam ego sequor, nam ut Confessarius dicatur verè solicitator,non est opus, ut absolutionem sacramentalem impendat, nec ut de rebus venereis longiùs cum pœnitente loquatur, sed sufficit solicitationi fœminæ acquiescere, nā talis consensus ad illam solicitationem non efficitur mentaliter, sed verbis; ergo eo ipso quod ita solicitationi consentit,dicitur habere inhonestos sermones cum pœnitente,quod prohibet Greg.XV.*in sua Bulla*,nec enim magis,aut minus mutat substantiam,aut differunt specie, ut patet *in l. fin. de fundo instruct. l.si is cui ff. quemadmodum servit. amittat.* & docet Surdus *consil. 305. n.66.& consil.368.n.13.* Marius Antonius *var. resolut. lib.3.resol.39. n.4.*Ferrerus *in constit. Cathalon. glossa 8. n.155.* & alij. Ergo,&c.Sed de hac quæstione inferiùs etiam redibit sermo.

Inferius in Resl. quæ nunc hanc sequetur.

RESOL. LVIII.

An si Confessarius consentiat solicitationi, sit denunciandus vigore Bullæ Greg.XV? Ex p.4. tr.5.Resl.42.

Sup. hoc in duabus præcedentibus Resl.& sup.in Resl.49. §. Nota etiam. & seq.

§.1. AFfirmativè respondet Fagundez *de præcept. Eccl.in 2.edit.præc.2.lib.4.cap.3.n.56.& 57.* quia Summus Pontifex in dicta Bulla omnes illicitos & inhonestos sermones, quos Confessarij cum pœnitentibus habuerint,prohibet,& dictos Confessarios

denunciandos esse statuit, sed Confessarius consentiens sollicitationi, commiscet cum pœnitente illicitos, & inhonestos sermones; ergo denunciandus erit. Ita Fagundez, & ante illum ego ipse *in 1. part. tractat. 4. resolut. 11.* sed *ibi* observavi multos Doctores etiam in terminis Bullæ Gregorianæ circa præsentem quæstionem negativam sententiam docere.

Quæ hic est sup. Res. 56.

RESOL. LIX.

An si Confessarius consentiat in solicitatione metus causa, sit denunciandus, & ab Inquisitoribus puniendus? Ex p. 4. tr. 5. Res. 15.

Pro contẽto §. 1. in hac Res. in res. seq.

AD hoc dubium ita respondet Ioan. Sancius *in selectis disp. 11. num. 30.* Si vocatus Confessarius ad ægrotantis fœminæ confessionem ab ipsa solicitaretur, minas superaddente se exclamaturam vim sibi ab illo inferri, nisi consentiat, sicque ipse ob vitandam infamiam actui impudico consentiat, non erit locus constitutioni Pontificiæ. Ita ille, qui citat Acugnam & Graffium, quibus ego addo Peyrinum *de privileg. Minim. tom. 2. constit. 4. Gregor. XV. §. 3. num. 9.*

2. Verùm si talis Confessarius denunciaretur, Antonius Sousa *in aphorism. Inquis. lib. 1. cap. 34. num. 28. & in opusc. de Confes. solicit. tract. 1. cap. 17. num. 8. & seq.* putat puniendum esse ab Inquisitoribus arbitraria & extraordinaria pœna, sine tamen abjuratione; sed novissimè Freitas *tract. de Confes. solic. quæst. 11. numero 36.* docet dictum Confessarium non esse denunciandum, neque posse illum Inquisitores pœna arbitraria punire.

RESOL. LX.

An metus, & vis excusent Confessarium à pœnis contra solicitantes?

Et an talis Confessarius, qui metu deliquit, debeat abjurare?

Et deducitur, quod qui metu peccat, pœnam extraordinariam non effugit. Ex p. 10. tr. 14. & Misc. 4. Res. 42. aliàs 40.

Pro contẽto §. 1. in hac Res. in res. præterita.

PONit casum Carena *par. 2. tit. 6. §. 19. n. 94.* de Confessario, qui vocatus à fœmina pro ejus Confessionibus audiendis ab ea solicitatur ad turpia, quæ etiam minas superaddit, se exclamaturam vim sibi inferri, nisi consentiat, ob quæ, postulanti fœminæ consentit. Et dictus Carena putat in tali casu Confessarium incurrere pœnas Bullarum, & esse Inquisitoribus denunciandum; quia, ait ipse, inhonesta perficit cum fœmina occasione Confessionis, & in Bulla nostra Gregoriana comprehenditur habens tractatus, & sermones inhonestos cum fœminis in Confessione Sacramentali, vel occasione ejusdem. Nec ex capite metus potest se tueri iste Confessarius, quia iste metus est levis, uti etiam dixit Peyrinus *de privileg. Minimor. tom. 2. ad Constitutionem Gregorij XV. vers. quartum, §. 3. num. 9.* Et iste levi isto timore correptus, & ut in constantem virum cadere metus dicatur, debet probabiliter timeri, ut notant Doctores *in leg. mecum, l. 2. ff. quod metus causa*, unà cum aliis allegatis per Sanchez *de Matrim. lib. 4. disput. 1. numero 15.* Hucusque Carena.

2. Sed audiamus Escobar à Corro *de Confessar. solic. part. 1. tit.... quæst. 2. §. 2. num. 33.* ubi sic ait: Amplia octavo, dum Confessarius vi, aut metu commotus fœminam minantem turpiter violet in Sacramentali actu, aut cum ea habeat inhonestos actus; nam debet puniri; & coram Inquisitoribus denunciari ex novo Gregorij Decreto, quamvis mitiori pœna, quam minuere debet vis, & metus, sicut & culpam per Text. *in cap. Sacris. 5.* ibi. Licèt metus attenuet culpam, quia tamen eam non prorsus excludit. Dixi in Sacramentali actu; quia si ab initio fœmina aperiat animum non confitendi, & ita provocet Confessarium, ut dicat, quod si non consentiat, vociferaturam vim sibi à Confessario illatam, & Confessarius suæ infamiæ vitandæ causa consentiat, puniri non debet per Inquisitores, nec extraordinaria pœna, quia deficit Sacramentum, & ejus injuria nec ex parte Confessarij simulatoris, nec adest ratio, qua pœnis subjiciatur. Ita ille.

3. Verùm novissimè absolutè docet Ioseph de Ianuario, *de Cas. reserv. resol. 58.* per totam, supradictum Confessarium non esse denunciandum, neque incurrere in pœnas constitutionis Gregorianæ. Nec obstat, ait, quod in contrarium adducit Carena, quod hìc Confessarius inhonesta perficit cum fœmina occasione Confessionis; & in Bulla nostra Gregoriana comprehenditur habens tractatus, & sermones inhonestos cum fœminis in Confessione Sacramentali, vel occasione ejusdem. Respondeo, quod occasio Confessionis est arrepta à fœmina ad perficienda inhonesta cum Confessario, & Confessarius in ordine ad hanc arreptionem, se habet merè passivè, cùm ipse accesserit animo audiendi peccata illius fœminæ tantùm. Et sic non Confessarius occasione Confessionis, tractatus, vel sermones inhonestos habuit, sed fœmina: cùm ergo Bulla Gregoriana loquatur de Confessariis habentibus tractatus inhonestos occasione Confessionis, non verò de fœminis, consequenter nec hæ, nec illi sunt denunciandi, &c. Tantò magis, quia ratione metus Constitutio Gregoriana non obligat.

4. Dices Secundò ex eodem Carena *loc. cit. n. 96. & 97.* Quod talis metus est levis, quia non debet in eo casu damnum aliquod probabile timere Confessarius ex acclamatione illius fœminæ, sed Deum præoculis, habere & peccatum non committere: sed posito quod peccet, non est denunciandus, ut dixi. Dices Tertiò, etiamsi Confessarius sit solicitatus à Pœnitente, & consentit, est denunciandus: ergo etiam in casu nostro. Respondeo transeat Antecedens, cùm probabile sit quod non sit denunciandus, ut probant Doctores in responsione hujus resolutionis citati; & negatur Consequentia, quia metus facit cessare obligationem legis positivæ ut dixi. Et cùm in casu nostro metus sit, non verò in simpliciter consentiente, ideò in casu nostro non est denunciandus Confessarius solicitatus: est tamen denunciandus simpliciter consentiens. Dicam tamen unum; nàm durum nimis mihi videtur dicere, quod Pœnitens, quæ simpliciter est auctrix, & inventrix hujus mali, ipsa deinde teneatur accusare Confessarium ab ipsa vi inductum ad tantum scelus; & deindè Confessarius coactus ad malum sit puniendus, & inducens sit impunita, accusatrix, testis præcipua. Qua Iustitia hoc possit procedere ignoro. Et hæc omnia docet Ianuarius, *ubi suprà*; cui adde Patrem Leandrum, *de Sacram. tract. 5. disp. 13. quæst. 23. in fine*, ex pia intentione DD. Inquisitorum.

5. Vndè ego in hac difficultate media via incedo, nempè ut talis Confessarius puniatur ab Inquisitoribus arbitraria & extraordinaria pœna; quia qui metu peccat, pœnam extraordinariam non effugit. Probat Text. *in cap. Sacris, de iis quæ vi* in illis verbis: *Licèt metus attenuet culpam, non tamen eam prorsus excusat. & in leg. Servos. Cod. ad leg. Iuliam, de vi publ.* Baldo, & Salicet. *ibidem post numer. 3.* Tiraquellus *de pœnis temp. cans. 36. num. 3. & seqq.* Covarruvias *in 4. Decret. part. 2. capit. 3. §. 4. num. 7.* Clar. *in pract. §. fi-*

nal.

nal. quæst. 60. vers. Solet dubitari. Iacob. de Graff. *in suis decis. lib. 2. cap. 64. n. 11. vers. Sed an excusetur à pœna homicidij.* Farinacius *de pœnit. temp. q. 97. casu 1. n. 23.* sed Confessarius in hoc casu metu delinquit, ut supponitur: ergo &c. Vnde puto talem Confessarium non debere abjurare. Et hæc omnia mecum docet Antonius Sousa, *Opus. de Confess. solicit. tract. 1. cap. 17. num. 9. & 10.* Quare, nec sequor sententiam Carenæ, nec Ianuarij, sed mediam; quam olim docui in loco citato à Ianuario, & Leandro.

RESOL. LXI.

An si pœnitens solicitet ad fornicandum, & Confessarius renuat, contentus tamen osculis, vel tactibus, sit denunciandus?

Et quid de aliis similibus, v. g. si fœmina provocat Confessarium ad sodomiam, ipse vero ad naturalem congressum incitaret, vel si fœmina solicitaret ad fornicandum, ipse autem ad mollitiem, vel è contra?

Et an si fœmina Confessarium solicitasset, postea verò dolore tacta pœniteat, ut absolutionem petat, Confessarius tamen solicitet illam, an in tali casu Confessarius sit denunciandus? Ex p. 4. tr. 5. Resol. 13.

§. 1. NEgativè respondet doctus Castrus Palaus *tract. 4. disp. 9. punct. 5. num. 4.* quia quando Confessarius renuit congressum volens se tactibus tantum delectari, non censetur solicitare ad malum, sed solicitationi factæ à fœmina consentire, fœmina enim inducens ad congressum, tacitè & in virtute inducit ad oscula, & tactus, utpotè prævia ad illum, eaque de causa manifestato congressu in confessione nulla est obligatio confitendi tactus & oscula: ergo Confessarius suadens solùm tactus, renuens ulteriùs prosequi, non persuadet fœminam ad congressum solicitantem aliquod malum, ad quod ipsa non induxerit, imò si benè perpendatur, solùm persuadet fœminam ut contenta sit solicitatione ad tactus & oscula, neque ultrà velit procedere. Hæc omnia Castrus.

2. Sed contrariam sententiam docuit Ioan. Sancius *in selectis disp. 11. num. 28.* ubi sic asserit: Si fœmina ad actum naturalem Veneris instiget, Confessarius tamen illum renuat, intendens solùm tactibus se oblectare, & ad eos solos provocet, tunc denunciandus erit Confessarius, cùm tam à copula, quàm ab osculis, & tactibus avertere posset fœminam Sic ille, qui multas rationes adducit pro hac firmanda opinione. Certum est etiam in utraque sententia, quòd si fœmina provocaret, v. g. Confessarium ad sodomiam, ipse verò ad naturalem congressum incitaret, vel si fœmina solicitaret ad fornicationem, ipse autem ad mollitiem, vel è contra, certum quidem est Confessarium in tali casu fore denunciandum, quia solicitavit fœminam ad malum, ad quod non fuit ab illa inductum.

3. Notandum est etiam hic obiter quòd si fœmina Confessarium solicitasset, postea verò dolore tacta pœniteat, ut absolutionem petat, Confessarius tamen solicitet, erit utique in tali casu Confessarius denunciandus, quia postquam fœmina cessavit à solicitatione, in illo statu est constituta ac si nunquam solicitasset: ergo tunc solicitatio facta à Confessario non potest dici continuatio fœmineæ solicitationis, sed nova solicitatio ex parte ipsius Confessarij.

RESOL. LXII.

An quando Confessarius, & fœmina ad invicem se solicitant, sit in tali casu Confessarius denunciandus? Ex p. 4. tr. 5. Resol. 14.

§. 1. REspondet Sancius *in selectis disp. 11. num. 26.* Acugna *de Confes. solic. quæst. 11. num. 1.* Castrus Palaus *tract. 4. disp. 9. punct. 5. num. 4.* Peyrinus *in privileg. Minim. tom. 2. constit. 4. Gregor. XV. §. 3. numero 10.* & alij; quòd si ad invicem fiat solicitatio, à fœmina primò, à Confessario deinde, ita ut mutuò se pelliciant, non fore denunciandum Confessarium, quia illa non est provocatio ex parte Confessarij, sed in provocationem factam consentire, & illam continuare.

2. Sed hodie hoc non procedit stante Bulla Gregor. XV. & in terminis aliarum constitutionum, quando Confessarius, & pœnitens simul ad invicem se solicitarent, nam in tali casu dicendum est Confessorem contra Bullas delinquere, & ita docet Sousa *in aphorism. Inquis. lib. 1. cap. 34. num. 11.* & Freitas *in editione novissima de Confess. solicit. quæst. 11. num. 35.* qui citat Sousam in alio loco, nempe *in opusc. de Confess. solicit. tract. 1. cap. 6. num. 9.* ubi sic ait: Si Confessarius, & pœnitens simul & ad invicem, sese provocent, dicendum est Confessorem in decretum delinquere; & ratio est, quia Confessarius in simili eventu fuit verè solicitator, animúmque impudicum actu exteriori patefecit, nec ut faceret provocatus fuit ab incontinente fœmina, cùm non ideo solicitavit, quia solicitatus fuerit, atque adeò solicitatio fœminæ per accidens se habuit ad solicitationem Confessarij, ex quo sequitur nullo modo excusari posse Confessarium, qui postquam fœminam provocavit, novit se ab illa solicitandum fore, quia hoc etiam per accidens est. Ita Sousa, & ego.

RESOL. LXIII.

An Confessarius incidat in Bullas Pontificias, si solicitet fœminam in aliis Sacramentis Baptismi, Matrimonij, &c. Ex p. 4. tr. 5. Resol. 16.

§. 1. REspondeo negativè cum Lezana *in summa quæst. Regular. cap. 19. num. 34.* Sancio *in selectis disp. 11. num. 42.* Acugna *quæst. 16. num. 6. & ibi* Freitas *num. 10.* Castr. Palao *tract. 4. disp. 9. punct. 1. num. 4.* Sanctarello *de hæres. disp. 46. dub. unic. num. 5.* Peregrino *in constitut. Cleric. Regular. part. 1. cap. 5. lit. M.* Martino Bonacina *in pract. var. disp. 6. punct. 3. num. 7.* Laurentio de Peyrinis *in privil. Minim. tom. 2. const. 4. Gregor. XV. §. 5. num. 17.* & aliis, nam in omnibus constitutionibus Pontificum fit mentio tantùm de Sacramento Pœnitentiæ. Deinde fatissimè occurrit, ut in aliis Sacramentis Confessarius solicitet fœminas, quod faciliùs accipit in Sacramento Pœnitentiæ, & ideo Pontifices in suis Bullis intenderunt obviare abusibus, qui in dicto Sacramento Pœnitentiæ frequentiùs, & commodiùs fieri possunt, cùm in illo fœminæ sua peccata carnalia manifestant, & inclinationem ad ea, unde facilè potest Confessarius sumere occasionem solicitandi pœnitentes ad turpia, quod, ut dictum est, non accidit in administratione aliorum Sacramentorum, & ita hanc sententiam docet iterum Freitas *ubi suprà in editione novissima n. 11. & seq.* reprobans Mouram *opusc. 1. de incantat. sect. 3. cap. 3. num. 17.*

RESOL. LXIV.

An hoc crimen sufficienter probetur per testimonia duarum fœminarum?

Et an ex unius fœminæ quantumvis honestæ delatione non sit Confessarius in carcerem detrudendus? Ex p. 1. tr. 4. Resol. 28.

Sup. hoc in §. ult. Resol. seq.

§. 1. AFfirmativè respondet Paramus *de origine Inquisit. lib. 3. q. 10. n. 158. & 165.*

2. Sed contrariam sententiam, & meritò, docet Sanctarellus *tract. de hæresi, c. 44. dub. unico, n. 6.* Peyrinus *de privil. Minimorum, tom. 2. Constit. 4. Greg. XV. §. 8. num. 2.* Bonac. *tract. variar. disp. 6. punct. 3. num. 26.* Ioannes Sancius *in Selectis, disp. 11. num. 46.* & alij. Ortiz verò *in summa, cap. 24. n. 11.* tres fœminas ait sufficere: quatuor tamen expoſcit Acugna *de Confess.* Sup. hoc ibidem § 1. ad med. vers. ex unius fœminæ, & in alio vers. ejus annot. *solicit. quæst. 23. num. 11.* qui etiam *num. 27.* docet, ex unius fœminæ, quantumvis honestæ delatione, non esse Confessarium in carcerem detrudendum. Vide etiam Barbosam *in Confes. solicit. post Flor. Inquisit. fol. 231.*

3. At ego puto, hæc omnia remittenda esse judicio, & prudentiæ Dominorum Inquisitorum, qui considerare debent circunstantias, & qualitates, tam fœminarum denunciantium quàm Sacerdotum, qui accusantur. Sed circa præsentem quæstionem vide Constitut. Gregor. XV. *in* §. 7 & plura apud nostrum Molfesium *in summa, tom. 1. tract. 7. c. 24. n 36. & seq.*

RESOL. LXV.

An testimonium duarum fœminarum sufficiat ad carcerationem Confessarij solicitantis?

Et an sufficiat ad condemnationem hujus criminis duarum fœminarum testimonium? Ex part. 4. tract. 5. Resol. 55.

§. 1. NEgativam sententiam docet Acugna *de Confessar. solicitant. quæst. 23. num. 9.* si complices fuerint; & Sousa *opusc. de Confes. solicitant. tract. 2. cap. 21. conclus. 4. n. 8.* docet, quòd nisi fœminæ sint probatæ vitæ, & famæ, non sufficiunt duæ deponentes de diversis actibus ad incarcerandum Confessarium, sed ad minus tres requiruntur, unde Aloysius Boriola *de Confessar. solicit. quæst. 15.* Sic ait: Vt Inquisitores procedant contra Confessarios, priùs constare debet de delicto per duos testes saltem fide dignos, quod etiam docuit Molfesius *ubi infrà.* Sed ego puto cum Ioanne Sancio *in select. disp. 11. num. 47.* hoc remittendum esse judicio Inquisitorum, qui qualitates & mores denunciati, & denunciantium prudenter debent inspicere; existimo tamen absolutè contra Canteram *in qq. crim. cap. 2. de probat. per testes, quæst. 1.* Sup. hoc in resol. præterita; §. Sed in fine, & infra in tr. 11. Resol. 21. §. Sed hæc à lin. 5. vers. Nam si. *num. 47.* ex unius fœminæ quantumvis honestæ delatione non esse Confessarium in carcerem detrudendum, & ita tenet Freitas *in addit. de Confessar. solicitant. quæst. 4. num. 27.* & Sousa *ubi supra*, dum asserit, quòd talis Confessarius justè possit incarcerari si duæ fœminæ probatæ vitæ adversùs illum denuntiaverint, ergo secundum Sousam una non sufficeret, quod etiam apertè docet *cap. 21. num. 6.* prædicta tamen delatio erit sufficiens ad inquirendum, quòd si per Inquisitionem apparuerit, ut rectè observat Freitas *loco cit. num. 28.* Confessarium levem, seu potiùs malæ vitæ esse poterit & tunc capi; & ideo Molfesius *in summa tom. 1. tract. 7. cap. 25. num. 39.* sic ait. Dum est sola denunciatio, vel depositio mulieris solicitatæ ad turpia, quæ sit bonæ famæ, Domini Inquisitores verbotenus se informent de qualitatibus Confessarij, si aliàs inquisitus sit de similibus, nam in pari qualitate prævalet Confessarius, ut ab iisdem Dominis audivi, & ita servatur in praxi. Sic ille.

2. Ex quibus infertur esse reprobandam opinionem Sup. hoc in fine, ad prim. Parami *lib. 3. de orig. Inquisit. quæst. 10. num. 158. & 165.* asserentis, sufficere ad condemnationem hujus criminis duarum fœminarum testimonium: sed adversùs hanc sententiam, & meritò, insurgit Acugna *de Confess. solicitant. quæst. 23. à num. 4.* Peyrinus *de privileg. Minim. tom. 2. constit. 4. Gregorij XV. §. 8. n. 13.* Sousa *loco citato, num. 12.* qui docet quatuor testes non probare sufficienter & plenè hoc delictum; sed adversùs Sousam tenet Acugna *quæst. 23. num. 11.* imò Ortiz *in summa, cap. 24. n. 11.* ait dictum trium fœminarum sufficere; sed ego puto hoc remittendum esse judicio Inquisitorum, ut alibi docui, & ipsemet doctus Sousa concedit, qui quidem omnia maturè considerabunt, quia cùm in hoc crimine proceditur, ut in crimine hæresis, ubi testes non publicantur, atque ideo plenus defensionis ordo non conceditur, semper timeri potest ne innocens damnetur, quamvis quilibet testis singularis sit probatissimus, ignotum tamen est judici, quid illi à reo objici potest. Ita Sousa *n. 7.* unde diligenter omnia perpendant sacræ fidei Quæsitores in casibus contingentibus.

RESOL. LXVI.

An si aliquis sub sigillo naturali sciat ab aliquo mulierem fuisse solicitatam à tali Confessario, teneatur illum denunciare?

Et quid in casu hæresis formalis? Ex part. 1. tract. 4. Resol. 24.

§. 1. NEgativè respondet, ex Societate Iesu, Fagundes *de præcept. Eccl. tract. 2. lib. 4. cap. 3.* Sup. hoc à dubitur. 1. seq. *num. 31.* ubi sic ait: [Si hujusmodi solicitatio sub secreto naturali sciatur, denunciatio fieri non debet: nam, cùm hujusmodi secretum non vergat in detrimentum proximi, & observatio illius alioqui sit de jure naturali; denunciatio autem tantùm de jure positivo; fortius vinculum juris naturalis prævalere debet minùs forti. [Hæc ille.

2. An ista sententia sit probabilis, videant viti docti: nam, si talis Confessarius non sit emendatus, vel non adsit spes emendationis per secretam correctionem, facilè poterit alias fœminas solicitare; & ita tale secretum vergeret in damnum tertij, & Reipublicæ. Et sic notavit Freitas *in addit. ad tract. de Confes. solic. q. 21. num. 26.* quòd quidam Confessarius per decem annos perditè, & effrænatè solicitationibus, & turpibus actibus in ipso Confessionis loco operam dederat, per quod tempus à nulla solicitata delatus est. Ideò puto in tali casu, si ipsa mulier hoc non fecerit, talem Sacerdotem esse ab altero, qui hoc scit, etiam sub secreto naturali, denunciandum. Et de hoc, in casu hæresis formalis, non est dubitandum, & contrarium asserere esset falsum: idcircò, si aliquis sciat, aliquem esse hæreticum, vel ab ipso, vel ab alio, etiamsi dederit fidem, & juramentum adhibuerit, de non manifestando secreto, tamen tenebitur revelare.

RESOL. LXVII.

An quis excusetur à denunciatione Confessarij si hoc sciat sub sigillo secreti? Ex part. 4. tract. 5. Rel. 32.

§. 1. Affir

§. 1. AFfirmativam sententiam docet Fagundez *de præcept. Eccles. pr. 2. lib. 4. cap. 3. num. 31.* cujus sententia mihi non placuit, *in part. 1. tr. 4. resol. 24.* & noviſſimè ex eadem Societate illam impugnat Caſtrus Palaus *tom. 1. tract. 4. disp. 9. punct. 10. num. 5.* Ratio eſt manifeſta, quia, ut probat Leſſius *lib. 2. cap. 30. dub. 6. num. 48.* & communiter, certum eſt, ſi denuntiatio eſt neceſſaria ad damnum aliquod publicum, vel privatum avertendum, promiſſionem ſecreti etiam juramento confirmatam non obligare, nullum enim juramentum promiſſorium cadens in damnum tertij & Reipublicæ obligat, ac proinde talis tenetur illud aperire, non ſecus ac ſi non promiſiſſet.

Quæ hic eſt Reſ. antece. dens, & in Reſ. ſeq.

2. Sed hæc omnia accidunt in caſu noſtro, ut non cœcutienti patet, nam expedit bono Reipublicæ Chriſtianæ tales Confeſſarios puniri, & ideo Gregorius X V. aſſerunt in ſua Bulla in hoc caſu procedendum eſſe, ſicut proceditur in cauſis fidei ergo, &c.

RESOL. LXVIII.

An quando quis ſub ſecreto naturali ſcit ſolicitationem in confeſſione, teneatur illam denunciare?

Et quid, ſi ſecretum fuiſſet promiſſum ſub juramento?

Et infertur, quod hæreſis & ſolicitatio in confeſſione eſt denunciandа abſque prævia correctione fraterna, & ſi tales emendati fuerint? Ex part. 9. tract. 8. & Miſc. 3. Reſol. 46.

Olim in duabus præcedentibus Reſ.

§. 1. PRoni ſunt aliqui ex Doctoribus Luſitanis ad tuendam ſententiam negativam circa præſentem difficultatem; & ideò ego olim Fagundez impugnavi, & nunc impugno Fragoſum, qui *in Republic. Chriſt. tom. 2. part. 2. lib. 5. diſp. 14. §. 1. num. 11.* ſic ait: Quòd ſi crimen ſolicitandi ſciatur ſub ſecreto commiſſo, non eſt denunciandum; quia ſicut Iudex non poteſt obligare, ut illi denuncietur reus, de quo nulla eſt infamia, nec indicia ſufficientia, quòd commiſerit tale, vel tale delictum; quoniam hoc eſſet infamare illum contra legem divinam cum onere reſtituendi: ſic etiam, cùm delictum ſcitur ſub ſecreto, nec ab alio, quàm ab uno ſcitur, non poteſt manifeſtari Iudici inquirenti generaliter, nec ſpecialiter, cùm ſecreta non ſubſint punitioni Iudicis, ſed divinæ vindictæ. D. Thomas *2. 2. quæſt. 70. artic. 10.* Navar. *in Manuali, cap. 18. in fine*; & alia via illi delicto obviari poteſt, D. Thomas ſupra *quæſt. 69. artic. 2.* Navar. cit. *num. 60. & 61.* niſi criminoſus is eſſet hujuſmodi ſolicitationibus aſſuetus, & ad eadem crimina iteranda præparatus: tunc præmiſſa correctione fraterna, ſi poſt illam non ſperetur emenda, denuncietur. D. Thomas *dict. quæſt. 70 artic. 1.* & Sotus *lib. 5. de Iuſtit. q. 7. artic. 1.* & Navarr. ubi proximè, *num. 60.* ubi quando alia via excuſari non poteſt, id ſolum detegatur, quod remedio eſt neceſſarium: & loquitur de delicto vergente in perniciem tertij, cui alia via obviari non poteſt. Ergo nullo modo ſolicitantes ſunt detegendi, ſi ſub ſecreto commiſſo crimen ſciatur, & poſſit huic malo alia via occurri, maximè per correctionem Evangelicam, aut per alia remedia, quæ charitas, & zelus animarum docere ſolet. Ita Fagundez.

Sup. his in num. 6. tr. 1. Reſ. 495. & tenetur in fide Reſ. 96.

2. Sed ejus ſententiam prorſus rejiciendam eſſe puto, & noviſſimè illam refellit Eſcob. à Corro, *de Confeſſ. ſolicit. part. 2. quæſt. 2. §. 4. num. 45. & 46.* etiam ſi ſecretum fuerit promiſſum cum Iuramento, quia tunc eſſet vinculum iniquitatis. Quod etiam, me citato, tenet Carena *in praxi S. Officij par. 2. tit. 9. §. 5. n. 22. & tit. 6. §. 22. num. 123.* Boſſius *poſt tract. de Iubil. in Appen. dub. 26. num. 87. & ſeqq.* Sanctarellus *tract. de Hær. cap. 9. num. 10.* Suarez *de fide, diſput. 20. ſect. 4. num. 17.* & alij penes ipſos. Et ratio eſt, quia ſolicitatio in Confeſſione eſt delictum, quod vergit contra bonum publicum, & commune, ſcilicet contra Sacramentum Pœnitentiæ, & ad illud Sacramentum accedentes; igitur, nullo obſtante ſecreto, etiam jurato (excepto Sacramentali) talis ſolicitatio eſt denunciandа.

Sup. hoc in reſolutionibus not. 1. hujus Reſ.

3. Ad id verò, quòd aſſerit Fragoſus, ubi ſupra, de correctione fraterna, eſt major difficultas. Ego tamen puto, quod ſtante edicto noſtri Sacri Tribunalis, hæreſim, & ſolicitationem in Confeſſione eſſe denunciandam abſque prævia correctione fraterna; & præter Doctores alibi à me citatos, hanc ſententiam noviſſimè tenet Oviedo *in Republ. Regular. part. 1. tract. 1. cap. unico, q. 2. n. 48. cum ſeq.* Itaque liçet, ſtando in jure naturæ, hæreticus jam emendatus non debeat denuntiari: ſed cùm hodie ſtringamur poſitivo jure, Eccleſiaſtico præcepto, Inquiſitorum edicto, tenemur hæreticum quantumvis occultum, & emendatum, denuntiare judicibus Inquiſitoribus: cùm quia hæc poſitiva lex includit naturalem de præponendo famæ, & bono hominis particularis (quod quidem ex lege naturæ conſervandum aliàs foret, exiſtente hæreſi occulta, & emendata) bonum commune, & Eccleſiæ, quod periclitaretur, ſi tam contagioſum flagitium ſemel commiſſum non extingueretur. Tum quia ſemper debet timeri, quod verè, (ideſt pertinaciter) hæreticus, qui cum plena deliberatione Matri Eccleſiæ contradixit, fictè ſe emendatum oſtendat: ut dicit Simancas *de Iuſt. tit. 9. n. 12.* & alias rationes tradunt alij. Quare nec teneamur fraternè corrigere, nec de emendatis, & correctis omittere denunciationem. Hæc ratio ſpecialis eſt, quia ex emendatione unius delinquentis, (nempè hæretici, qui fortè fieret ex correctione fraterna) non ſatisfit bonum commune: deinde quia fortè ex illa hæreſi aliqui infecti ſunt. Nec alia eſt mens Dominorum Inquiſitorum in illis verbis: [Sin comunicarlo con perſona alguna, por que aſſi conviene vengais a manifeſtarlo.] Quia ſi conſultatio omnis prohibetur, ne hæreticus fugiat; à fortiori intelligitur prohiberi præmitti admonitionem reſpectu perſonæ denunciandæ. Deinde, quia in dictis verbis intelligitur, nolle Dominos Inquiſitores, qui ob ſuam ſpecialem notitiam, & experientiam in delictis hujuſmodi indagandis, & aperiendis, committere aliis judicium de emendatione damni facti, ſpe emendationis hæretici, vel ſolicitantis ad venerea in Confeſſione, ſed hoc ſibi reſervare. Et tandem, quia cùm ex talibus criminibus tam gravè damnum Reipublicæ prudenter debeat credi provenire, quamvis criminoſus fortè poſſideat bonum famæ. (quia eſt ſecretum delictum) hoc bonum privatum poſtponendum eſt incolumitati, & bono communi; quia bonum gentis eſt divinius ex Philoſopho; & præſumptio de incerta emendatione eſt certa contra in hoc crimen hæreſeos lapſos, propter rationem dictam.

Alibi ſup. in Reſ. 3 & 5. & pro Hæretico emendato, &c. hic etiam ſup. in Reſ. 6. 7 §. Sed ego & in Reſ. 8. à lin. 2. & in Reſ. 5. §. Poſtea in fin. & pro parte in tom. 6. tr. 1. reſ. 99. §. 2. à lin. 6. verſ. Vide & pro parte in to. 9. tr. 7 ex doct. Reſ 81. §. ult. propè fin.

4. Alij verò aſſerunt non concurrere in præſenti caſu jus poſitivum cum naturali: ſed jus naturale nudum de conſulendo bono, & famæ proximi, monendo ante denunciationem; cum jure naturali potiori (utique) de conſulendo bono communi, denunciando, & cum ſecuritate vitando fugam, providendo communi bono; quod non eſt dubium eſſe de lege, & jure naturali præcipuo, & non quidem nudo, ſed ſimul cum jure poſitivo, legis, & præcepti Inquiſitorum, de ſtatim denunciando hæretico: unde, qui hæreticum ante monitionem denunciat, præceptum juris communis obſervat propter rationem dictam: & ſimul jus, & præceptum poſitivum, & Inquiſitorum. Nec ex hoc excuſatur ab obligatione correctionis fraternæ, ſi ſit poſſibilis, & judicetur ad bonum ſpirituale profutura.

Nec

Nec id impedire intendunt Domini Inquisitores, imò & illis id placet maximè, cùm non minus, sed ardentius emendationem hæretici cupiant, quàm alij; & quòd ad meliorem mentem reducatur per correctionem, & emendationem imo & ad supplicium fructuosius perferendum. Et ideò hanc sententiam, præter Oviedum ubi supra, docet etiam Ioseph. Rocafull. *in praxi Theol. mor. par. 3. lib. 3. cap. 6. num. 96. & 97.* probans hoc, ut supra visum est, ex edicto Inquisitorum, quod singulis annis promulgatur, quod habet vim legis Canonicæ, cùm Inquisitores Apostolica auctoritate ferant illud, & Tribunal istud procedat cum maxima scientia, prudentia, & consultatione. Probat secundò, quia hoc crimen est gravissimum, contagiosum, & nocivum bono publico, cui ratissimè potest remedium adhiberi per solam admonitionem privatam; & licet hæreticus videatur emendatus potest hoc fingere, ut sæpè finguntur neque res tanta privato judicio committenda est. Probat tertio, quia finis adæquatus hujus denunciationis non est sola correctio, & emenda fratris; sed publica correctio, & securitas aliorum fidelium, ad quem finem secreta admonitio nunquam est sufficiens medium. Et sententia contraria, addit Rocafull, habet locum secluso edicto Inquisitorum, quod non contradicit divino juri positivo *Matth.* 18. non enim prohibet, quin Evangelica correctio adhibeatur; sed jubet, ut ea sive adhibita, sive non adhibita, denuncietur hæreticus. Possumus etiam dicere, semper præcedere monitionem: monetur namque semper Christianus, ne aliquid contra fidem teneat: quæ monitio sufficit ut censeatur quilibet Christianus aliquo modo correctus: sicut ad excommunicationem juris sufficit ipsa juris monitio.

5. Et tandem supra dictis Auctoribus addam Escobar à Corro *tract. de Confess. solicit. par. 2. quæst. 4. §. 1. num. 56* ubi sic asserit. Limita nostram regulam in crimine solicitationis, quod deferendum Inquisitoribus est absque prævia correctione. Amplia Primò dictam limitationem, ut procedat, quamvis verisimilis sit spes emendæ; quia etsi jure naturali attento, de quo loquuntur, plures loci Sacræ Scripturæ, qui huic opponi videntur, obligatio denunciandi tunc cesset, tamen inspecto Inquisitorum denunciandi præcepto, aliud dicendum est. Et verè ferendus non est Sousa *de Confessariis solicit. tract. 2. c. 6. n. 9. & 13. & in Aphor. lib. 1. cap. 34. num. 57.* ubi absolutè ait, quòd si crimen solicitationis sit occultum, habeaturque moralis certitudo, quod servato fraternæ correctionis ordine, Confessarius emendabitur, non licet eum denunciare, & asserentiri videntur Io. de la Cruz. 1. *Directorij conscientiæ, præc. 5. q. 2. dub. 5. conclus. 2.* Fagundez *ad 2. Ecclesiæ præceptum. lib. 4. cap. 2. num. 32.* Peyrinis *in privileg. Minimor. tom. 2. constitut. 4. Gregorij XV. §. 9. num. 26. & in addit. ad eandem Constit. cap. 11. num. 26. & 27.* quæ assertio destruit omnino obligationem denunciandi solicitantes, tum quia omnis actus solicitandi ad turpia sua ex natura semper occultè fit: nunquam enim vidisti, quod publicè fiat non solùm in Sacramento Pœnitentiæ, verùm nec extra. Et si pœnitens solicitata ad corrigendum accederet, Confessarius emendam simularet causa vitandæ denunciationis; & sic raro similia atrocissima delicta debitam haberent coërcitionem cum Sacramenti injuria, & animarum pernicie; quod nec ferendum, non consulendum, est. Tum, quia ex hac opinione non adimpleretur finis magis principalis denunciationis, qui punitionis est quo nititur Inquisitorum Edictum; & intendit solicitatores punire, ut tam ipsi, quàm cæteri, à tam horrendo crimine metu pœnæ saltem arceantur. Tum etiam, quia ex hac opinione plura gignerentur damna, & pericula in populo Christiano, & nihil metus denunciationis proficeret; sed potius tolleretur spe correctionis præbendæ; ut de facto accidisse novi à quodam Confessario satis docto, & probo, & Sanctæ Inquisitionis Qualificatore, qui solicitatus fuit à quadam fœmina, & resistendo, & consulendo ei veluti Pater, & Pastor, dixit impudica fœmina nihil esse timori; nam licet ipse Confessarius eam solicitasset in Confessione, maniri correctione poterat ad non denunciandum. Itaque prædicta opinio ad peccandum ansam præbet, & ad polluendum sacrum fontem, ad coinquinandum animas fidelium, & spernendum Summorum Pontificum Decreta, & Inquisitorum præcepta: quòd quidem ferendum non est. At si sit spes emendæ, & non timor fugæ, poterit correctio fieri, non animo omittendi denunciationem; sed ut emendatio quæ intenditur, citiùs consequatur: & si punitio necessaria fuerit, postea adhibeatur per denunciationem, quæ omitti non debet. Tum quia ita adimpletur præceptum naturale corrigendi, & positivum denunciandi. Tum, quia præceptum Inquisitorum non omninò rejicit correctionem; sed tantùm jubet, quod ejus causa denunciatio non omittatur. Et hæc omnia docet Escobar loco citato. Itaque ex his patet, quòd nostra sententia non adversatur doctrinæ D. Thomæ: unde non est audiendus novissimè Texeda *in Theol. mor. tom. 2. lib. 3. tr. 1. num. 163.*

Sup. hoc sup. in Resol. 3. Sed & in Resol. 4. & 5. & in to. 6. tr. 2. Resol. 99. §. ult. à lin. 6. & signater in lin. pen. & in to. 7. tr. 1. Resol. 240. §. ult. à lin. 4. & in to. 9. tr. 7. ex doct. Resol. 81. §. ult. propè fin.

RESOL. LXIX.

An quis teneatur denunciare Confessarium solicitantem, si hoc sciat, & audivit non solum à fide dignis, sed etiam à levibus personis? Ex p. 4. tr. 5. Resol. 28.

§. 1. ET incipiendo quoad fide dignos certum est adesse obligationem, per ea, quæ adducit Villalobos *in sum. tom. 2. tract. 17. diffic. 1. num. 15.* Navarr. *de haret. cons. 3. num. 1.* Ioan. de la Cruz *in direct. conscient. part. 1. pr. 8. art. 4. dub. 13. concl. 3.* Pitigianus *in pract. crim. regul. cap. 3. fol. mihi 167.* Lessius *lib. 2. cap. 30. dub. 7. num. 49.* Reginaldus *tom. 2. lib. 24. cap. 3. sect. 6. num. 50.* Genuens. *in pract. cap. 2. numero 9.* Navarra *de restit. lib. 2. cap. 4. num. 228.* & alij communiter.

2. Difficultas est, an quis teneatur denunciare si audivit, v. g. Confessarium solicitasse à levibus personis? & negativè videtur respondendum, per ea, quæ docet Rodriquez *in qq. Reg. tom. 2. q. 6. art. 7.* ubi firmat neminem obligatum esse denunciare, quod à gente parvi nominis & æstimationis audivit, ita ut si illis fidem dederit, de facilitate in credendo possit à prudentibus notari, quod adeò est verum, ut procedat etiamsi à Superiore sub pœna excommunicationis & in virtute Spiritus sancti imperetur. Ita ille, & ita in terminis docet hanc sententiam Fagundez *de præcept. Eccles. pr. 2. lib. 4. cap. 3. num. 31.* ubi sic ait. Si fœmina dicat coram multis se fuisse solicitatam à tali Confessario in confessione sacramentali, & ea sit fide digna, jam talis Confessor manet infamatus, & qui audiunt, tenentur sub excommunicatione denunciare; secùs si sit leviuscula, aut non ita fide digna, & ita hanc sententiam docet etiam Portel, *in addit. ad dub. regul. ver. solicitare fœminas, num. 22.*

3. Sed ego contrariam sententiam teneo in nostro casu, & aliis pertinentibus ad sanctum Officium, cùm talia delicta communi bono noceant, & ideo Thom. à Iesu *in lib. de visitat. tract. 1. cap. 15. num. 11.* sic asseruit. Nemo tenetur peccatum, de quo est dubium, an fuerit commissum, vel quod à levibus personis, vel minimè fide dignis referentibus audivit denunciare; secùs verò si communi bono noceret, tunc enim

enim simul cum dubio & levitate referentium referri debet. Ita ille, & Octavian. Spatharius *in praxi de modo corrigendi Regulares, tract. 5. cap. 11. num. 4.* sic ait. Nullus tenetur denunciare quod auditu tantùm percepit, excipio tamen casus in quibus vel ob gravitatem delicti, vel ob alium dignum respectum Prælati præcipiunt denuntiari ab omnibus etiam qui audierint, etsi aliter non sciverint. In quibus casibus contra Rodriquez dico, subditos teneri ad denuntiandum, quæ audierint à quibuscumque, nec ad illos pertinet discernere, an à viris bonæ famæ audierint, necne. Sed Prælati illud esto judicium & onus, qui sic præcipit. Ita Spatharius, quæ omnia à fortiori procedunt in casibus pertinentibus ad sanctum Officium, in cujus edicto absolutè & sine ulla distinctione præcipitur sub excommunicatione, ut si quis sciverit, vel audiverit delicta in illo edicto contenta, Inquisitoribus denuntiet. Igitur si quis audiverit Confessarium aliquem fœminam solicitasse, tenetur illum denuntiare, nec ad illum spectat discernere, si ille, à quo hoc audivit, sit bonæ famæ, vel levis conditionis. Adde, & hoc est maximum argumentum, quod, ut patet ex *c. in fidei favorem, de hæret. in 6.* in S. Officio contra reos admittuntur testes aliàs inhabiles, ut excommunicati, criminosi, infames, perjuri, &c. & hoc quia crimen hæresis, vel illam olens, est ita grave, & perniciosum Reipublicæ, ut meritò in ejus detestationem tales testes admittantur, ut sic faciliùs delictum puniri possit, & extirpari, ex quo argumento necessariò concluditur delicta in edicto contenta esse Inquisitoribus denuntianda, licèt illa fuissent audita ex ore hominum infimæ conditionis & famæ. Vnde ex his apparet esse reprobandum Homobonum de Bonis *in consult. mor. tom. 1. part. 4. respons. 51.* non solum quia asserit, non teneri quem denuntiare Confessarium solicitantem, si audivit à non fide dignis, sed multo magis est reprehendendus, quia asserit, ad denunciationem faciendam non teneri nisi fœminam solicitatam. Sed tu contrarium tene cum Fagundez *loc. cit.* & ita observat praxis S. Officij: tenetur igitur non solùm fœmina solicitata denuntiare Confessarium, sed etiam alij qui hoc audierunt saltem à fide dignis.

RESOL. LXX.

An Confessarius sit denunciandus, qui concubinam in confessione de zelotypia arguit? Ex part. 4. tract. 5. Resol. 43.

§. 1. AFfirmativam sententiam docet Io. Sancius *in selectis disp. 11. num. 32.* ubi sic ait: Sub pœnis Brevis comprehendi arbitror Confessarium lascivè objurgantem suam concubinam, Hispanè *si la pidiesse zelos lasciuos*, nam talis actio maximè provocativa est ad lasciviam, vel ad minus est signum ostendens lascivum amorem, zelosum enim aliquem se ostendere, non est aliud, quàm pœnitentis signa ostendere, quòd alius, & non ipse solus particeps sit lascivi amoris fœminæ, & idem est ac si tunc diceret Confessarius: Pœnitet me quòd causam discontinuandi nostrum affectum & amorem afferas; quod magis verum est jam ex decreto Gregorij XV. prohibentis in confessione illicitos tractatus, sive sermones haberi. Ita ille.

2. Sed adversùs illum novissimè acriter insurgit Seraphinus Freitas *in novis addit. de Confes. solicit. quæst. 9. num. 21.* quia codex rarus est, ponam ejus verba per extensum, sic itaque asserit. Casus à Sancio propositus fictitius mihi est, nam aut concubina ad Sacramenti fontem pro erratorum expiatione pœnitens accedit, aut animo à peccatis non discedendi concurrente Confessoris mala fide: in secundo casu non est Sacramentum, & Confessor in ea specie solicitans non incidit, ut ipse Sancius fatetur *d. disp. 11. num. 39.* & nos cum Illustrissimo *infrà quæst. 14.* quod ego intelligo etiam stante Gregoriana Bulla contra eumdem Sancium *d. disp. 11. num. 40.* quia tunc ex Gregoriano edicto Confessor incurrit, quando intervenit simulatio ad circumstantium illusionem, quæ in nostra specie inter ipsos excogitari non potest, nisi adsint arbitri. In primo vero casu falsa propositio mihi videtur, supponimus enim fœminam peccata luxuriæ cum uxoratis & aliis confessam (alias enim si ea occultat cum Confessoris scientia, locum habet præcedens casus) reprehendit & objurgat vehementer fœminæ lasciviam & peccata audita Confessor, in hac hypothesi, si Confessor zelotypia ducatur, pendet ab animo hæc intentio, quam si penetret concubina, ut supponit Sancius illis verbis, *signum est*, &c. jam directè & principaliter non agitur de solicitatione verbis non expressa, sed mente retenta, & tunc auctore Sancio sistitur fœmina apud Inquisitores denuntians Confessorem tanquam hæreticum, aut de hæresi suspectum, quia eam de peccatis carnis cum aliis reprehendit in confessione. Itaque absurdum & hæreticum mihi videtur firmare, quod idem est solicitare ad peccatum carnis, & reprehendere in genere (& præcisè stando in terminis tantùm reprehensionis peccati in genere) peccatum luxuriæ cum aliis, si Confessor eam de similibus objurget: quia *signum est*, ait Sancius, ac si dicat Confessor, Pœnitet me quòd causam dissensionis nostri amoris offeras, quoniam cum aliis distraheris in similibus lasciviis; hæc igitur cautè legenda, & seriò cavenda puto. Tunc autem forsan opinio Sancij locum habere potest, si objurgatio progrediatur ultra peccati reprehensionem, minetur Confessor concubinæ si deinceps cum rivali nominato confabuletur, illius domum intret, vel interveniat aliud ex iis, quæ subintelligit & exponit Sancius, nam stando in terminis reprehensi tantùm peccati, tametsi Confessarij intentio in zelotypiam dirigatur, non subjacebit Brevis edicto, præcipuè, quia objurgatio lasciva ex zelotypiæ vitio supponit fœminam incorreptam & impœnitentem, qui casus vix considerari potest in hypothesi à Sancio proposita & Sacramenti administratione; quid enim opus est reprehendi lascivè concubinam in confessione qua cum consuetudine perpetua utitur Confessarius, ut supponit Sancius. Et hæc omnia docet Freitas *ubi sup.* at his non obstantibus sententiam Sancij sequitur novissimè Fagund. *in 2. editione de præcep. Eccles. pr. 2. lib. 4. c. 3. n. 63.*

RESOL. LXXI.

An Confessarius solicitans fœminam non ad turpia, sed ad alia peccata sit denunciandus, v. g. sortilegium, &c.

Et quid, si Confessarius tanquam leno urgeret fœminam in confessione, ut cum aliquo peccaret, vel prostitueret sibi filiam, &c. Ex p. 1. tr. 4 Res. 20.

§. 1. VIdetur prima facie respondendum affirmativè: nam Gregor. XV. prohibet Confessariis, ut non habeant cum pœnitentibus in Cõfessione, non solùm sermones inhonestos, sed etiam illicitos: sed Confessarius sollicitans pœnitentem ad aliquod peccatum, licet non carnale, habet cum illa sermones illicitos: ergo erit denunciandus. Et ante hanc Constitutionem, Sup. hoc in Res. seq. & inf. in Res. 77. §. 1. cur. sim in fin.

tionem ; hoc etiam docuerat eruditissimus Pegna *in direct. Inquis. p.2.comm.81.vers. Ille quoque*, ubi sic ait: [Ille quoque graviter peccat, nec levem contrahit malæ credentiæ suspicionem, qui in Sacramento Confessionis, vel ad quæque flagitia, seu peccata, provocat confitentem : & propterea jure optimo, judicio Inquisitorum subjectus est.] Ita ille. Freitas verò *in addit. ad tract. de Confessor. solicit. q.8. n.17.* putat, hanc sententiam sequendam esse, quando Confessor solicitat pœnitentem ad eadem peccata, quæ confitetur: veluti, si sortilegium fateatur, & Confessarius petat ab illo, ut se doceat illud facere : quia in tali casu acciperet Confessarius occasionem à peccato confesso : & ita procedit suspicio de fide.

2. At his non obstantibus, sub censura tamen, censeo, dictum Confessarium non esse vigore Bullæ Gregor. XV. denunciandum : quia verba Pontificis diriguntur ad solicitationem carnalem, quæ communiter accidere solet ; & in delictis non fit extensio, *ex cap. in pœnis, de reg. iur. in 6. & ex l. interpretat. ff. de pœn.* Et ita in terminis Bullæ Clementis VIII. & Pauli V. docuerat antèa Paramus *de orig. Inquis. lib.3.q.10. n.121.* Aloysius Bariola *in flor. Inquis. fol.225.* Scortia *in Bull. Pont. epist.77. theor.197.* Molfes. *in summa, tom.1. tr.7. c.24. num.31.* Roder. Acugna *tract. de Confess. solicit. quæst.8.* & alij.

3. Restat modò respondere ad argumentum *suprà, in principio* positum. Dico igitur, Gregorium voluisse cum illa voce, *illicitos*, amplexari omnes actus illicitos, in eadem tamen materia carnali, quos fortasse per alterum verbum, *inhonestos*, non ita clarè comprehenderat, ut quando, v.g. Confessarius, tanquam leno, urgeret fœminam in Confessione, ut cum aliquo peccaret, vel prostitueret sibi filiam, &c. Et ita in simili casu interpretatus est Episcopus Acugna *sup.* dicta verba *in tract. citato, de Confess. solic. quæst.17. numero* 10. Et ita hanc sententiam post Bullam Gregor. XV. docet Sanctarellus *in tract. de hæresi, cap.44. num.19.* Venerus *de exam. Episc. lib.5. cap.17. num.18.* Sancius *in select. disp.11. n.23.* Peyrinus *super privil. Minimorum*, & alij.

Sup. hoc inf. in Res. 73. & 74.

RESOL. LXXII.

An incidat in prædictas Bullas, qui solicitavit pœnitentem ad actus illicitos extra venerem? Ex p.4.tract.5. Resol.17.

§.1. Affirmativam sententiam præter Pegnam *in direct. Inquis. part.2. comment.81.* docet Lælius Zecchius *in summ. tom.1. tract. de fide, cap.11. n.5. §. Tertia suspicio*, & novissimè hanc sententiam tenet etiam doctus Emanuel Moura *opusc.1. de ensal. & incant. sect.3. cap.3. num.17.* ubi sic asserit: Acugna considerat non frustrà duplicari in Bulla ad actus inhonestos & illicitos, quasi illiciti addant supra inhonestos, quamvis conetur utrosque sumendos tantùm intra materiam Veneris ; ergo rationabiliter puto illicitos ampliare ad illicitos in omni materia. Sic ille. Vnde Castrus Palaus *tom.1. tract.5. disp.9. punct.6. num.2.* putat probabiliter dici posse ob facultatem generalem Inquisitoribus datam cognoscendi de hæresis suspectis, posse cognoscere de aliis solicitationibus extra Venerem si deferantur.

2. Sed hæc sententia mihi non placet, ut patet ex praxi DD. Inquisitorum, & illam reprobavi cum multis DD. *in part.1. tract.4. resol.20.* quibus nunc addo Bonacinam *in tract. var. disp.6. punct.3. num.7.* & Freitam *in novissima editione de Confess. solicit. cap.17. num.21. & quæstione 8. numero 18.* Sousam *de Confes. solicit. tract.1. cap.13. numero 4. & segq.* & novissimè Homobonum *in consult. cas. conscient. volum.2. part.5. respons.130.*

Quæ hic est Res. antecedens, & in alio §. ejus primæ not.

RESOL. LXXIII.

An Confessarius, qui in confessione urgeret pœnitentem de prostituenda sibi, vel aliis filia, consanguinea, amica, &c. sit denunciandus? Ex part.1. tr.4. Res.19.

§.1. Aliqui negativè olim respondebant : quia ista sola solicitatio ex decreto Pauli V. videtur prohibita, quæ efficitur pœnitenti à Confessario ad turpitudinem inter utrumque exercendam. Sed Confessarius in nostro casu non solicitat pœnitentem ; sed lenonem, & turpem interessorem. Ergo talis solicitatio non prohibetur in Bulla. Et hanc opinionem probabilem putavit Acugna *tract. de Confes. solicit. quæst.17. numero 9.* ubi contrariam sententiam, quam ipse meritò amplectitur, vocat tantùm probabilem.

Sup. hoc in Res. 73. ubi ad. inf. seq.

2. Sed hodie, vigore Bullæ Gregorij XV. omninò talis Confessarius est denunciandus, quod patet ex illis verbis : *Ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis perpetranda.* Et ita in terminis Bullæ Gregorij XV. determinavit novissimè Naldus *in addit. ad summ. verb. Confessio, num.31.* Bonacina *in tract. disput.6. punct.3. num.19.* Sancius *in select. disput.11. num.43. & 44.* & Sanctarellus *de hæres, cap.44. dub. unico, num.19.* & hanc sententiam, etiam ante dictam Constitutionem Gregorianam, tenendam esse respondit, de hoc interrogatus, P. Suarez, ut testatur Acugna *ubi sup. num.12.*

Sup. hoc in Res. 73. & 74.

RESOL. LXXIV.

An Confessarius sit denunciandus, si solicitet pœnitentem ad lenocinium? Ex p.4. tr.5. Res.12.

§.1. Etiam in terminis Bullæ Pij IV. Pauli V. & Clem. VIII. supradictum Confessarium esse denunciandum, docuit Acugna *quæst.17. num.8.* & ibi ejus Additionator Freitas *num.14.* Sed alij tenent quòd secluſa nova Constitutione Gregor. XV. dictus Confessarius non erat denunciandus, & ita tenet Io. Sancius *in select. disp.11. num.44.* ubi sic ait: Quando Confessarius fœminam solicitat, non quidem sibi, vel aliis copulandam, sed quòd mediet, & intercedat ut alia fœmina in fornicationem consentiat, pœnas brevis evitabit, cùm talis solicitatio non sit directa ad exequendum carnis flagitium cum pœnitente fœmina. Iam verò reor ex decreto Greg. XV. denunciandum fore hujusmodi Confessarium, ex illis verbis, *aut cum pœnitentibus illicitos & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint* ; inhonesti sanè sermones sunt pœnitentem inducere, quòd mediet ut alia fœmina in fornicationem consentiat. Hæc Sancius, & novissimè hoc etiam docet Antonius Sousa *in aphor. lib.1. cap.34. n.21.* sic asserens : Confessarius fœminam pœnitentem ad lenocinium solicitans, non comprehenditur in terminis antiquarum constitutionum ; secus verò juxta Constit. Gregorij.

Sup. hoc in Res. 73. ubi ad. inf. seq. Quæ hic est Res. antecedens.

2. Sed ego non solùm stante constitutione Gregor. hanc sententiam tenendam esse puto, ut docui *part.1. tract.4. resol.19.* sed etiam in terminis Bullarum aliorum Pontificum, & ita hanc sententiam tenet etiam in editione novissima iterum Freitas *n.19.* & Castrus Palaus *tract.4. disp.9. punct.5. n.2.* nam ex supradictis Bullis, & ex Edicto Inquisitorum, mandan-

tur

tur denunciari Sacerdotes, qui mulieres pœnitentes ad actus inhonestos provocant, seu alliciunt: qui autem provocat pœnitentem, ut mediet, absolutè provocat ad actus inhonestos, illa enim mediatio actus inhonestus est, & ejusdem speciei cum crimine per petrando. Item ratio tota prohibendi solicitationem pœnitenti factam procedit in præsenti, cùm venenum propinet ei Confessarius, cui debebat antidotum salutis propinare, & loco reconciliationis gravem peccati molem imponat, fontique limpidissimo lutum admisceat; ergo cùm illa decreta sint instituta in favorem sacramenti Pœnitentiæ, non limitanda sunt, sed potiùs extendenda. Ita Castrus, & ego satis quidem probabiliter. Vide etiam Bonacinam *in tr. var. disp 6. punct. 3. n. 19.* & post Bullam Greg. de hoc non est dubitandum, ut observat Peyrinus *in privil. Minim. tom. 2. constitut. 4.* Greg. XV. §. 5. *n. 16.* Et ita hanc sententiam, me citato, docet Novarius *in summa Bullarum, tit. de solic. in confessione, num. 10.*

3. Non desinam tamen hic adnotare quod Antonius Sousa *opusc. de Confes. solicit. in annot. ad Bullam Greg. XV. num. 7.* videtur negativam sententiam, nempe Confessarium solicitantem pœnitentem ad lenocinium, non esse denunciandum, tanquam probabilem admittere, etiam in terminis Bullæ Greg. XV. quia affirmativam sententiam vocat tantùm tutiorem, & probabiliorem; sed ego puto omnino negativam sententiam esse damnatam in supradicta Bulla, ubi Pontifex utitur his verbis: Ad inhonesta sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda; ubi illa verba, *cum aliis, & quomodolibet*, omne lenocinium, tam ex parte pœnitentis, quàm ex parte Confessarij manifestè includunt, & ita hanc sententiam novissimè docet etiam Lezana *in summa quæst. Regul. c. 19. n. 34.*

RESOL. LXXV.

An Confessarius, si in confessione petat à pœnitente domum suam, ut ibi adducat concubinam, sit denunciandus?

Et an Constitutio Greg. XV. intelligatur de actu quo Confessarius fœminæ suadet, ut sibi det pecuniam ad largiendum meretrici? Ex p. 4. tr. 5. Res. 45.

§. 1. NEgativam sententiam docet Antonius Sousa *in opusc. de Confes. solicit. tract. 1. cap. 14. n. 8.* ubi sic asserit: Constitutio non intelligitur de actu quo Confessarius fœminæ suadet ut sibi det pecuniam ad largiendum meretrici, quia licèt hujusmodi actus inhonestatem aliquam contineat, illam per se primo objecto non continet; idemque dicendum est si Confessarius suadeat fœminæ ut in domo ipsiusmet ad ipsius Confessarij notam concubinam pateat accessus. Ita ille.

2. Sed in terminis Bullæ Greg. XV. hæc opinio mihi non placet, nam ibi Pontifex hæc verba apponit, *Ad inhonesta sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda*, ubi illa verba, *cum aliis*, & *quomodolibet*, videntur casum de quo loquimur includere.

RESOL. LXXVI.

An mandans Confessario, ut solicitet pro se pœnitentem, sit denunciandus?

Et ex doctrina hujus quæstionis infertur, quod non incurrit excommunicationem latam contra aliquid facientem, si quis mandavit facere; ideo si excommunicatio feratur in eum, qui occidit, vel furatur, non ligat mandantem furari, & occidere. Ex p. 1. tr. 4. Res. 22.

§. 1. AFfirmativè respondet Riccius *in praxi, p. 3. resol. 65. n. 2.* & in terminis Bullæ Greg. XV. Homobonus *de exam. Eccl. p. 2. tract. 11. c. 12. q. 26. resol. 4.* nam, ut habetur *in cap. qui per alium, de regul. iur. in 6.* qui per alium facit, per se ipsum facere videtur, *in leg. manumissiones, ff. de just. & jure, & leg. si amicis, ff. de adult.* licitur facere, qui jubet aliquid facere. Sed contrariam sententiam prorsus amplectendam esse censeo quia, ut *supra* satis probatum est, verba legis pœnalis sunt formaliter, & propriè accipienda, & non sunt extendenda. Et ideò non incurrit in excõmunicationem latam contra aliquid facientem, si quis mandavit facere, ut tradunt communiter DD. in materia censurarum, Tabiena *verb. excomm. 5. casu 49. §. 5.* Navarrus *in man. cap. 27. n. 1.* Suarez *de cens. disp. 4. sect. 3. n. 5.* Angel. *verb. excomm. 8. n. 1.* & alij. Vnde, si excommunicatio feratur in eum, qui occidit, vel furatur, non ligat mandantem furari, & occidere, ut notavit Reginaldus *in praxi, tom. 1. lib. 9. cap. 12. n. 214.* Adde, quòd, quando lex vult punire non solùm facientem, sed mandantem id explicat. Et ita *in cap. mulieres, de sent. excomm.* extenditur ad mandantem excommunicatio, quæ *in c. si quis suadente Diabolo*, erat tantùm lata contra percutientem Clericum.

Sup. hoc in Res. 12.

Sup. hoc in Res. §. & vers. not. seq.

Sup. hoc in Res. seq. § 1. ad med. & superius in tr. 1. Res. 75. & si placet lege §. & Res. ejus primæ not.

2. Restat modo respondere ad argumenta Riccij. Dico igitur cum Avila *de cens. p. 2. cap. 5. disputat. 3. dub. 2. in fin.* quod per alios facimus, per nos facimus, quantùm ad culpam, non quantum ad pœnam; & non realiter, sed fictione juris, ut loquitur Bonacina *de legib. disputat. 3. quæst. 7. punct. 4. num. 12.* & Megala *in 3. part. lib. 4. cap. 2. quæst. 1. num. 12.* Et alia jura, quæ asserunt, quòd videtur facere, qui aliquid jubet facere, loquuntur metaphoricè: nam, ut optimè observat Bartolus *in leg. sed si unius, §. 1. ff. de injuriis*, is, qui per alium facit, non verè, sed fictè facit. Cùm igitur verba Bullæ sint directa contra Confessarios solicitantes, non sunt extendenda ad mandantes Confessariis solicitare.

RESOL. LXXVII.

An sit denunciandus mandans Confessario ut in confessione solicitet pœnitentem?

Et alij quinque casus cursim circa solicitationem adducuntur, sed jam omnes magis latè in suis specialibus Resolutionibus in hoc tractatu appositi sunt.

Etiamque quæritur, an sit denunciandus, qui tactibus, nutibus, vel signis fœminam provocat, dum illa alteri confitetur?

Et quid, si Confessarius solicitet pœnitentem ad alia peccata non inhonesta, ut ad furtum, homicidium, &c.

Et infertur, quod mandans, aut consulens non incurrit excommunicationem latam contra facientes. Ex p. 10. tr. 14. & Misc. 4. Res. 44. aliàs 42.

§. 1. AFfirmativam sententiam nominatim contra me firmiter tenet Carena *de Officio S. Inquisitionis, part. 2. tit. 6. §... per totum*, quem novissimè sequitur Pater Ioseph Ianuarius, *de Cas. reser. cas. 55. n. 15.* Verùm ego non recedo à sententia, quam docui, & quam me citato docet Trullench *in Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 3. dub. 18. n. 48.* & novissimè me citato Pater Leandrus *de Sacram. tom. 1. tract. 5 1. disput. 13. quæst. 36.* & me citato Inquisitor Escobar à Corro, *de Confes. solicit. part. 1. quæst. 2. num. 36.* ubi sic ait: Limita Quarto; in illo, qui mandat Confessario, quod solicitet Pœnitentem in confessione Sacramentali; ut secum carnaliter misceatur: Tum quia, ut pluries dixi, Constitutiones omnes loquentes de solicitatione ad Confessarios tantum diriguntur; non ad alios; nec mandantes quoad pœnas comprehendunt,

Sup. hoc in Res. præterita.

cum de his non loquantur. Tum quia de Confessariis loquuntur non simpliciter, sed per ordinem ad Sacramentum Pœnitentiæ, ità ut nec eosmet comprehendant extra illud venerandum Sacramentum, aut dum sunt extra Confessionarium non simulantes confessionem audire, quia nulla tunc fit Sacramento iniuria; Mandans etiam Confessario quod solicitet Pœnitentem in confessione facienda, confessionem non lædit, nec iniuriâ facit, cùm nulla tunc adsit Confessio. Tùm etiam, quia sicut fœmina solicitans in ipso Pœnitentiæ actu non cõprehenditur in Decretis, quia de ea non loquuntur; ita nec comprehendent mandantem, qui mandando non tantam infert iniuriam Sacramento, sicut fœminam Confessarius solicitando. Tum denique, quia nec mandans incurrit Excommunicationem latam contra facientes, ex Angelo, *verb. Excommunicatio* 8. *num.* 1. Tabiena *verb. eodem* 5. *casu* 49. §. 5. Navarro *in Manuali*, *cap.* 27. *num.* 51. Suarez *de Censuris*, *disput.* 4. *sect.* 3. *num.* 5. *ad fin.* Reginaldo *lib.* 9. *capite* 12, *num.* 214. Martino Bonacina *de Censur. in communi*, *disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 6. *num.* 1. ubi in fine ait, quod quando oritur dubium, an mandans, vel consulens comprehendatur sub censura lata contra facientes, iudicandum est non comprehendi, nisi aliter expresè decidatur, ex Navarro *consil.* 55. *de sentent. excommunicat. lib.* 6. Avila *de Censur.* 2. *part. capite* 2. *disp.* 3. *dub.* 2. & 6. Hucusque Escobar; qui etiam in favorem nostræ sententiæ, quam probabilem etiam ipsimet adversarii fatentur; ut Ianuarius, *ubi supra*, *resol.* 56. *num.* 6. ubi sic ait: Non omnes abutentes Sacramento Pœnitentiæ denunciandos esse; sed Confessarios tantùm solicitantes, vel illicita, & inhonesta verba tractantes, &c. & ideò si quis Pœnitentiæ Sacramento abutatur, & Confessarius non sit, non est denunciandus. Sic mulier solicitans Confessarium dùm confitetur, nõn est denuncianda. Nec interpres confessionis, etiam si sit Sacerdos; tunc enim non ut Sacerdos solicitat, cùm tunc se teneat ex parte pœnitentis. Nec tertius, qui mulierem, vel alium solicitat per Confessarium in confessione; quia leges latæ contra efficientes, non ligant mandantes, etsi Confessarius tanquam leno sit denunciandus. Neque est denunciandus Confessarius Pœnitentem solicitans ad alia peccata mortalia non inhonesta, ut ad furtum, ad homicidium, etsi hoc faciat cum abusu Sacramenti Pœnitentiæ; quia Bullæ loquuntur de Confessariis solicitantibus ad turpia, &c. Ita ille.

2. Vnde ex superiùs dictis idem Escobar *posteà in* 9. 4 §. 1. *num.* 71. asserit non esse denunciandum, qui tactibus, nutibus, vel signis fœminam provocat, dùm illa alteri confitetur, nam sub Decreto non comprehenditur. Tum quia Bulla tantùm loquitur de Confessario, cui fœmina actualiter confitetur; nec habet locum in altero. Tum etiam quia licèt ex simili solicitatione injuria inferatur Sacramento Pœnitentiæ, non tamen infertur à Confessario velut ejus minister, sed velut extraneus, sicut quilibet posset Laicus, qui nec est Sacramenti Minister, nec esse Minister potest; in quo adest diversissima ratio. Ita ille, qui etiam citat Sousam.

Sup. hoc in Ref. præterita § 1. ant. med. à vers. Et ideo. & sup. in r. 1. Ref. 75. & si placet lege §. & Ref. ejus primæ not.

Sup. hoc inf. in Ref. 84. & &c. &c.

Sup. hoc in interprete inf. in Ref. 83. &c.

Sup. hoc sup. in Ref. 71. & 72.

Sup hoc inf. in Ref. 84. & in alio §. ejus primæ not.

RESOL. LXXVIII.

An Confessarius, qui solicitavit adolescentem in confessione, sit denunciandus?

Et docetur, quod lex pœnalis non est extendenda, etiam si militet in alio casu eadem ratio, v. g. excommunicantur omnes, qui cogunt mulieres ad ingrediendum Monasterium; ergo sub nomine mulierum, non includantur viri, qui coguntur Religionem ingredi, &c. Ex p. 1. tract. 4. Ref. 12.

§. 1. OLim negativam sententiam sustinebam cum Aloysio Bariola *in Florib. Inquis. fol.* 227. Portel. *in addit. ad dub. reg. v. solicitare fœminas*, quam etiam novissimè docuit Fagundez, Societatis Iesu, *tract.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *n.* 31. licèt contrarium asserat Giptius *tract. de cas. reser. cap.* 14. *n.* 4. Coriolanus *tract. de cas. reserv.* §. *p.* 1. *sect.* 2. *art.* 22. *n.* 3. Riccius *in praxi*, *p.* 3 *resol.* 66. *n.* 3. Rodericus Acugna *in tract. de Confes. solic. q.* 5. *per tot.* Rodriquez *qq. reg. to.* 2. *q.* 27. *cap.* 3. Cherubin. *in Compen. Bullar. par.* 1. *Constit.* 31. *Pij IV. schol.* 2. Molfesius *in summa*, *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 24. *n.* 34. Megala *in* 1. *par. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 32. Quaranta *in summa Bullar. verb. Confess.* Scortia *in Bulla Pontif. epit.* 77. *theor.* 197. & alij.

2. Verùm de hoc non dubito; sed difficultas est, ut dixi, an stantibus dictis verbis Episcopi, ubi adest Inquisitio Hispanica, possint separatim ab Inquisitoribus contra Confessarios solicitantes inquirere ex virtute dictæ constitutionis? & certè qui favent parti Episcoporum, affirmativè respondent, cùm supradicta verba citatæ constitutionis loquantur, ut patet ex contextu literæ absolutè de Episcopis omnium Regnorum, ut possint simul, vel separatim ac Inquisitoribus de dicto crimine cognoscere: ergo, &c.

3. Probatur secundò, quia Episcopi possunt separatim ab Inquisitoribus procedere in causis fidei contra suspectos, imò & contra hæreticos, ut patet ex *cap. per hoc, de hæret. in 6.* & ideo jurisdictionem Inquisitorum non præjudicare jurisdictioni Episcoporum, cùm Pro conf. in hoc §. inf. n. 10. nec §. 1. n. cen-

censeatur concessa cumulativè, non autem privativè, docet Sylvester *ver. hæreticus. §. 2. num. 10.* Rojas *singul. 28. num. 2.* Gundisalvus *de hæret. quæst. 7. num. 9.* Simanca *de Cathol. instit. tit. 25. num. 4.* Glossa & Panormitanus *in cap. ad abolendam, de hæret.* Sigismundus Scaccia *de judiciis tom. 1. lib. 1. cap. 67. num. 9.* Cartera *de hæret. num. 67.* Decianus *tom. 2. lib. 5. cap. 21. num. 10.* & alij. ergo sequitur necessariò, quòd Episcopi possint separatim ab Inquisitoribus contra Confessarios solicitantes, tanquam suspectos de fide procedere, quia, ut dictum est, Episcopi de jure communi procedunt contra hæreticos, vel suspectos, docétque Simanca *tit. 6. num. 3.* & habetur *in cap. præsidentes, cap. statutum, cap. ut Inquisitionis, de hæret. in 6. cap. ab abolendam, cap. excommunicamus, de hæret. Clem. 1. eodem titulo, & Extrav. 1. eodem tit.* Vnde dati sun Episcopis Inquisitores tanquam adjutores.

4. Sed his non obstantibus, contrariam sententiam tenendam esse puto; pro cujus confirmatione supponо tanquam certum in regnis Hispaniarum, in quibus Hispanica Inquisitio adest ex consuetudine, & privilegio Pontificio, non posse Episcopos separatim ab Inquisitoribus causas de rebus fidei cognoscere, & denunciationes sibi factas teneri ad ipsos Inquisitores remittere, neque reum posse incarcerare, nisi timeatur de fuga, sed certiorare Inquisitores, ut illum capiant & ita de dicta consuetudine, & privilegio testatur Sanctarellus *tract. de hæresi*, Romæ impressus, *cap. 40. dub. 2. num. 15.* Molina *de just. tom. 5. tract. 5. disp. 28. num. 12. & 13.* Acugna *de Confes. solicit. quæst. 2. num. 1.* Ioann. Valerus *in differentiis utriusque fori.* Pegna *in direct. par. 3. quæst. 52. commen. 101.* & novissimè Barbosa *in collectan. tom. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 17. num. 3.* & alij.

5. Hoc igitur supposito sic argumentor in favorem DD. Inquisitorum Constitutio Gregorij XV. ut patet ex contextu literæ, præbet authoritatem Episcopis, ut possint separatim in nostro casu inquirere, prout in causis fidei juxta sacrorum Canonum formam, &c. Sed in omnibus causis fidei ex privilegio & consuetudine Inquisitionis Hispanicæ, ut *supra* probatum est, Episcopi non possunt separatim sine Inquisitoribus inquirere; ergo neque posse separatim in casu solicitationis sine Inquisitoribus inquirere dicendum erit: quia in dicta constitutione, ut patet, non revocantur consuetudines & privilegia Sedis Apostolicæ in contrarium, si alibi adessent, ut adsunt in Inquisitione Hispanica, & ideo sicut Fagundez *in 2. editione de præcept. Eccles. pr. 2. lib. 4. cap. 3. num. 97.* & Antonius Sousa *in annot. ad Bullam Gregorij XV. num. 21.* asserunt, quòd per dictam Bullam non revocatur privilegium concessum Generali Inquisitori Lusitaniæ advocandi ad se omnem causam hæresis, etiam si coram Ordinariis tractentur: unde non obstante Bulla Gregor. XV. docent hodie posse Inquisitores Generales Lusitaniæ ad se advocare omnes processus & integras causas Confessariorum solicitantium inceptas coram Episcopis. Sic etiam dicendum est, per dictam Bullam non revocari privilegium concessum Inquisitioni Hispanicæ, ut Episcopi non possint separatim ab Inquisitoribus causas fidei, ut est ista, de qua loquimur, pertractare.

6. Secus autem dicendum est de aliis Regnis & inquisitionibus ubi talis consuetudo & privilegium Papæ non adest, nam ibi ex hac constitutione Pontificia posse Episcopos contra Confessarios solicitantes separatim ab Inquisitoribus inquirere, concedo.

7. Ex quibus patet responsio ad argumentum primum superiùs adductum; dico enim intelligendum esse de omnibus Regnis, in quibus Inquisitores non habent privilegium, ut Episcopi non possint separatim ab illis procedere. Ad secundum verò respondeo illam doctrinam esse veram, loquendo in terminis juris communis, secus autem ex consuetudine & privilegio Apostolico, ut adest in Inquisitione Hispanica, ex rationibus quas optimè observat Ludovicus Molina *de just. tract. 5. disput. 28. n. 13.* ex quibus apparet, quàm utiliter & rationabiliter suprædicta consuetudo fuerit introducta, & privilegium concessum.

8. Notandum est tamen hìc obiter quòd etiam in Regnis ubi non adest Inquisitio Hispanica, si Confessarius solicitans & fœmina solicitata eodem tempore ab Episcopo & Inquisitore citentur, coram Inquisitore comparere debet, non autem coram Episcopo. Et ita contra Rojas *singul. 44. num. 3. & seq.* docet Sousa *opusc. de Confes. solic. tract. 2. cap. 2. n. 7.* & alij penes ipsum, quia jurisdictio Inquisitorum cùm sit delegata à Summo Pontifice superior est, & major jurisdictione ordinaria; si autem Confessarius esset Regularis exemptus, posset in tali casu coram Episcopo comparere, quia Episcopus contra illum procedit ex jurisdictione delegata. Sed in Regnis nostris Hispaniarum etiam hoc ultimum non procedit, quia, ut dictum est, ex consuetudine, & privilegio causæ fidei ab Inquisitoribus tantùm tractantur, cum quibus assistunt Episcopi per procuratores.

Sup. hoc inf. in tr. 10. Res. 34.

Sup. hoc ibi. dem.

RESOL. XCVII.

An Episcopi, ubi non adest Inquisitio Hispania, possint separatim ab Inquisitoribus proferre sententiam contra Confessarios solicitantes, & è contra, etiam si sola abjuratio eis adjungatur?

Sed quid dicendum est de sententia absalutoria, an possit dari ab Episcopo sine Inquisitoribus? Ex p. 4. tract. 5. Res. 53.

§. 1. ADvertit Sousa post *opusc. de Confes. solic. in annot. ad Bullam Greg. XV. num. 20.* quod licèt ex dicta constitutione Inquisitores & Episcopi possint procedere, non tamen per illam conceditur, ut sententiam separatim proferant, etiamsi sola abjuratio eis injungatur; sed quoad hoc jura, & constitutiones Pontificiæ servandæ sunt. Nec etiam per dictam Bullam tollitur communicatio processuum secundùm jus Canonicum. Ita Sousa. Igitur dicendum est, quòd nec soli Episcopi, nec soli Inquisitores possunt sententiam condemnatoriam proferre adversùs Confessarios solicitantes, ut patet ex *cap. per hoc, de hæret. in 6.* & ita tenet Pegna *in direct. par. 3. commen. 97.* Lucerna Inquisitor. *ver. absolvere, num. 2.* Antonius Sousa *opusc. de Confes. solic. tract. 2. cap. 1. n. 15.* & Fagundez *de præcept. Eccles. in 2. editione pr. 2. lib. 4. cap. 3. n. 96.* Azorius *par. 1. lib. 8. cap. 18. quæst. 16.* Paramus *de origine Inquisitionis lib. 3. quæst. 4. n. 2.* Molina *de just. tract. 5. disp. 28. n. 16.* & alij penes ipsos. Ratio est, quia per abjurationem abjurans pronunciatur hæreticus, vel de hæresi suspectus: ergo per hoc verè & propriè condemnatur; si tamen sententiam abjurationis Episcopi absque Inquisitoribus contra Confessarios solicitantes ferant, asserunt citati Doctores factum tenere, & ideo, ait Pegna, hæc esse de genere eorum, quæ licèt fieri prohibeantur, facta tamen tenent; licèt Castrus Palaus *tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 13. num. 18.* contrarium doceat, ex *Clement. 1. de hæret.* ubi postquam Pontifex dixerat non posse Inquisitorem absque Ordinario, vel è contra, ad sententiam contra reos procedere, concludit, non valebit, & si secus præsumptum fuerit, irritum sit & inane.

Sup. hoc inf. in tr. 10. Res. 100. & hic inf. lege doctr. res. seq.

2. Sed quid dicendum de sententia absolutoria, an possit dari ab Episcopis sine Inquisitoribus? Affirmativè respondet Fagundez *loco citato, num. 93.* & Sousa *num. 12.* Molina *num. 15.* & alij penes ipsos; quia in jure

Sup. hoc inf. in tr. 10. Res. 59.

jure solùm prohibetur supradictis proferre sententiam contra reos, ut patet ex *ex dicta Clem.1.* ergo poterunt proferre pro reis.

3. Verùm negativam sententiam docet Pegna *in director. inquis. part. 3. comment. 97.* Rojas *singul. 27. num. 7.* Simancha *in instit. Cathol. tit. 3. num. 8.* Azorius, Carerius, Zanchinus, & alij, quos citat Barbosa *in dicta Clem. 1. num. 18.* quibus addo ex neotericis Castrum Palaum *ubi supra, num. 20.* & ratio est, quia licèt textus illius Clementinæ de sola sententia condemnatoria expressè loquatur, indirectè tamen loquitur de qualibet sententia ob communicationem processuum prærequisitam. Deinde confirmatur hæc opinio; quia eo ipso quòd *in Clement. 1.* sit restrictum jus antiquum quoad condemnationem, ita ut Inquisitores & Episcopi non possint separatim condemnare, sequitur quòd similiter non possint absolvere. Probatur consequentia, quia condemnare & absolvere eiusdem sunt potestatis, utpote contraria & adversa ex *l. qui condemnare, ff. de re judicata.* ergo, &c.

RESOL. XCVIII.

An Inquisitores possint animadvertere in solicitationem præteritam, si jam præjudicata fuerit ab Episcopo?

Et an Confessarius solicitans, qui non judicatur suspectus, non ideo ad suum Ordinarium sit remittendus, sed ab Inquisitoribus ratione culpæ puniri debeat? Ex p. 4. tr. 5. 54.

Sup. hoc inf. §. 1. in tr. 12. Res. 7. §. pen. & hic lege doctrin. præcedentis Res.

NEgativè respondet Acugna *tr. de Confessar. solicitant. quæst. 3. num. 11.* ubi sic ait. Tunc non extenditur ad præterita nostra conclusio, cùm talia crimina ab ordinario judice præjudicata fuerint; nam manent tunc extincta in foro Ecclesiæ vel enim reus judicialiter absolutus est, ob id sistet accusatio, non ultrà progrediens, ex *cap. de his, accus.* Vel damnatus idem reus per diffinitivam sententiam est, atque similiter in ipsum accusatio progredi non potest. Ita ille.

2. Sed adversùs illum insurgit Emmanuel Moura *opusc. 1. de enf. & incant. sect. 3. cap. 3. num. 16.* ubi ita asserit. Non loquitur Acugna consequenter, quatenus dicit in solicitationem præteritam non posse ire Inquisitores, cùm præjudicata fuerit ab Episcopo, sive absolutus, sive finaliter condemnatus fuerit solicitans, quamvis non fuerit sufficienter punitus. Nam, inducit suspicionem de hæresi, & constitutio Pontificis est solùm excitativa jurisdictionis Inquisitorum, consequens necessarium est, ut ipsi possint illud reassumere, saltem ut reum cogant ad abjurationem. Hæc ille.

3. Verùm sententiam Illustrissimi, & Doctissimi Roderici Acugna, meritò nunc Archiepiscopi Bracharensis, acriter defendit Freytas *in additionibus novissimis ad dictam qu. 3. n. 37. & seq.* ubi respondet ad rationes Emanuel. de Moura, vide illum & non pigebit.

Sup. hoc in Res. 1. not. præteritæ in ejus §. ult.

4. Non desinam etiá hîc obiter adnotare Confessariũ solicitantem, qui non judicatur suspectus non esse ad suum Ordinarium remittendum, sed ab Inquisitoribus ratione culpæ puniri debet; nec valet dicere, quòd cessante suspicione contra fidem, videtur suspendi Inquisitorum jurisdictio; nam respondeo, quòd licèt ratio commissionis sit suspicio, commissio tamen Pontificis est absoluta, & Summ. Pontifex ex illo facto præsumit, & super præsumpto statuit, & ita docet Sousa *opusc. de Confess. solic. tr. 2. c. 1. n. 7.* & ideò Molfes. *in sum. to. 1. tr. 7. c. 24. n. 45.* sic ait: Si Confessarij solicitantes non sint suspecti de hæresi, imponitur eis pœnitentia salutaris sine abjuratione secundùm qualitatem excessus. Ita ille.

RESOL. XCIX.

An qui legeret, & retineret Adonem Marini, esset S. Officio denunciandus?

Et an absque facultate retinens, & legens librum hæreticum possit illum comburere, & minimè Inquisitori tradere? Ex p. 10. tr. 12. & Misc. 2. Res. 49. aliàs 48.

Sup. hoc tr. tom. 3. Res. 84. §. Sed hîc n. 10. & seq.

§. 1. NEgativè videtur respondendum, per ea quæ docet Carena *in Praxi sancti Officij, par. 2. tit. 10. §. 10. n. 60.* ubi sic ait: An retinentes hujusmodi libros prohibitos ob res lascivas, sint denunciandi S. Officio, in quo (salva semper declaratione S. Matris Ecclesiæ & sacræ Congregationis Eminen. Cardinal. sup. Inquisitorum) dicerem quod non, nisi hujusmodi retentores aliàs essent de hæresi suspecti; verba enim Edicti Eminentissimi Domini Cardinalis Episcopi nostri, & Reverendissimi Patris Inquisitoris, nullo modò comprehendunt hujusmodi libros, & aliàs ex dispositione juris communis nulla apparet obligatio hujusce denunciationis. Ita Carena, quæ secundum ejus mentem dicta esse volo.

Sup. hoc tr. in tr. 12. Res. 138. §. ult. & in Res. 139.

2. Sed si aliquis hîc incidenter quærat, num quis absque facultate retinens, & legens librum Hæreticum, possit illum comburere, & minimè Inquisitori tradere. Ad hoc dubium sic respondet Pueronus *in Commen. ad Bullam Cœnæ, cap. 1. n. 108.* Dicendum existimo, excusari eum, non solùm qui bona fide à seipso comburet, sed etiam metu pœnæ; aut quia ipse librum composuerit; aut quia sine facultate legerit, vel retinuerit, à seipso combureret. Nam aliàs, & finis legis habetur, quod scilicet liber supprimitur; & ad simplicem actum obedientiæ, non videtur cum tanto suo discrimine iste obligandus. Et hæ Constitutiones Pontificum non obsunt cùm loquantur de illis, qui ex licentiis quas revocant, libros habebant, aut legebant, ut est animadvertere: Exinde asserendum nullam Censuram revera contrahi ex eo, quod quis quacumque ex causa à seipso incendat; & quidem quoad Censuram Bullæ præsentis expresse tenent Suarez *de fide, disputatione 20. sect. 2. num. 29.* Sanchez *ad præcep. Decal. lib. 2. c. 10. n. 56.* Sousa *Relect. Bull. Cœnæ disp. 15. concl. 3.* Deardus *lib. 2. Comment. in Bulla Cœnæ, cap. 1. quæst. 52. n. 34.* Bonacina *tom. 3. disp. 1. q. 1. punct. 4. n. 18.* Scotus *Theorem. 106. col. 13. in initio*, eo quia, cùm satis sit juxta tenorem illius non retinere, nec aliud requiratur, abiiciens à se combustione, non retinet. Sed nec obstant Julij, aut Pauli Constitutiones; nam pœnæ in contra facientes ex Bulla Julii, non sunt referendæ nisi ad illos, qui post revocationem licentiæ retinuerint; seu in eos, qui recusant deferre Inquisitoribus, ita tamen ut sibi retineant; hi enim censentur contraire intentioni legis, quæ est ne prætextu licentiarum libri legantur; & eorum exterminationi obvietur. Quod verò ad Constitutionem Pauli IV. absolutio vetatur impendi ei, qui habens librum ad Inquisitores non defert; potrò si non habeat quacumque ex causa, non potest deferri, & per consequens dispositio Constitutionis tunc locum non habet. Hucusque Pueronus. Sed ego non video quare legens hæreticum librum absque facultate, possit illum comburere, & non potius Confessario præbere, ut illum deferat Inquisitoribus & sic observabit Constitutiones Pontificum absque periculo, & discrimine.

Sup. hoc §. 1. in Res.

In indice primo hujus tom. §. vide Apendicem ad hunc tract. 9. ubi reperies alias paucas difficultates mistas, & dispersas per alios tom. tract. & Res. quæ simul pertinent ad hunc tract. 9. de Denunciationibus, &c.

TRACTA

TRACTATVS DECIMVS,
DE
OFFICIO ET POTESTATE INQVISITORVM.

RESOLVTIO PRIMA.

An jurisdictio DD. Inquisitorum sit delegata, vel ordinaria?

Et an jurisdictio Inquisitorum etiam si fuerit concessa cum clausula usque ad beneplacitum, *non expiret, nec cesset morte concedentis?* Ex part. 4. tractatu 8. Resol. 1.

§. 1. ESSE delegatam putant Doctores, quos citat Narbona *in 3. part. recopilat. lib. 4. tit. 1. leg. 20. gloss. 22. num. 79.* quibus ego addo Zanardum *in direct. Theol. part. 2. præc. 1. cap. 6.* Moscovium *de majest. milit. Eccles. lib. 1. part. 1. cap. 11.* Butrium *in cap. Legatos, de off. legati, in 6.* & Homobonum *de statibus part. 1. cap. 8.* Alij verò putant esse ordinariam, & sic docet Paramus *de orig. Inquisit. lib. 3. quæst. 2. & in defens. cap. 1. num. 11.* & hanc opinionem novissimè mordicus tenet & solidissimis rationibus probat Ioann. Dionysius Portocarrero *in alleg. sobre la competencia de jurisdicion entre la Inquisicion y ministros reales, num. 48.* & ante illum Didacus Cantera *in qq. crimin. cap. 2. de probat. per testes, quæst. 1. num. 65. fol. mihi 157.* ubi asserit Inquisitores habere jurisdictionem ordinariam, unde non mihi placet opinio Barbosæ *in l. Prætor. §. 1. num. 65. ff. de judic.* qui ponit differentiam inter Inquisitorem generalem, & alios Inquisitores, dicens illum habere jurisdictionem ordinariam, hos autem delegatam, quia cæteri Inquisitores sunt removibiles ad nutum Inquisitoris generalis, non, inquam, mihi placet hæc opinio, quia etiam Inquisitor generalis est ad nutum Summi Pontificis amovibilis; non est ergo verum dicere, quidquid asserant Simanca & alij, cæteros Inquisitores esse delegatos ejusdem Inquisitoris generalis, & ab eo jurisdictionem accipere, nam omnes immediatè à Summo Pontifice jurisdictionem accipiunt, mediante sola nominatione personarum facta ex commissione Pontificis sibi indulta, & hæc omnia rectè contra Barbosam docet alter Barbosa *in collect. tom. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 17. n. 11. & 12.* Torreblanca *de magia lib. 3. cap. 5. num. 2. 11. & 12.* cum Molina *de justit. tom. 5. tract. 5. disp. 29. num. 7.* Sousa post hæc scripta *in aphor. Inquis. lib. 1. cap. 2. num. 4.* & ideo Portocarrero *ubi suprà*, asserit loquens de aliis Inquisitoribus [en ninguna de las dichas calidades se diferençian del Señor Inquisidor general, cuya jurisdicion es sin duda ordinaria.] & hæc opinio est probabilissima; sed ego utramque sequor. Ideo assero jurisdictionem Inquisitorum in se quidem & à principio delegatam esse, & habere omnes excellentias delegatæ jurisdictionis, ad ordinariam tamen valde accedere, & cum illa ferè in omnibus convenire, ita ut careat imperfectionibus delegatæ, & ita eleganter probat & docet Augustinus Barbosa *ubi suprà*, citans Molinam, quem etiam sequitur novissimè Emanuel de Valle de Moura *opusc. 1. de ensal. & incantat. sect. 3. cap. 1. num. 6.* & Sanctarellus *tract. de hæresi cap. 40. dub. 1. num. 5.* ubi asserit esse veriorem, & communiorem sententiam, jurisdictionem Inquisitorum valde accedere ad ordinariam, & ita ego sentio. Vnde rectè Emanuel *ubi suprà*, asserit jurisdictionem Inquisitorûm esse ordinariam quoad utilitates ordinarias, & esse delegatam quoad utilitates delegatæ.

2. Notandum est etiam hîc obiter, quòd jurisdictio Inquisitorum etiamsi fuerit concessa cum clausula, *usque ad beneplacitum*, non expirat, nec cessat morte concedentis, & hoc in favorem fidei. Ita Sousa *in Aphorism. Inquisit. lib. 1. cap. 2. num. 5.* Farinacius *de hæresi, q. 186. §. 2. num. 23.* & Pegna *in director. par. 3. comment. 56. & 57.* & alij *ubi infr.* citandi, peculari resolutione de hac quæstione facienda.

Inf. in Res. quæ nunc hanc sequetur, signanter in fine.

RESOL. II.

An jurisdictio Inquisitorum expiret per mortem delegantis, si etiam unam causam non incepering, ante illius mortem?

Et quid de jurisdictione Vicarij, seu Commissarij, aut alterius delegati per mortem Inquisitoris? Ex p. 4. tr. 8. Res. 19.

§. 1. RESpondeo negativè, ex *cap. ne aliqui, & ibi* Glossa *in ver. non capta, de hæret. in 6.* & ita docet Eymericus *in direct. Inquis. part. 3. quæst. 7. & ibi* Pegna & Iason *in l. majorum, n. 10. ff. de jurisd. omn. jud.* Imò non solùm expirat jurisdictio Inquisitoris, sed nec minus expirat jurisdictio Vicarij, seu Commissarij, aut alterius Delegati per mortem Inquisitoris. Vide Thom. Trevisanum *lib. 1. decis. 66. n. 7. 9. & 10.* Decian. *tr. crim. lib. 5. cap. 20. n. 8. & cap. 22. n. 5. & 29.* Scacciam *de judic. lib. 1. cap. 67. n. 8.* Simancam *in Cathol. instit. tit. 34. n. 14* Rojas *singul. 114. n. 3.* Pegna *in direct. Inquis. par. 1. comm. 56. & 57.* Azorium *to. 1. lib. 8. cap. 18. quæs. 7.* Sanchez *de matrim. lib. 8. disp. 28. n. 34.* & alij penes ipsos; Dicendum est igitur, quòd officium Inquisitoris non expirat morte concedentis, ut v. g. Papæ, Inquisitoris majoris, &c. nec quoad negotia quæ nondum erant orta, vel cœpta, & hoc etiam procedit, ut dictum est *in resol. 1.* etiam si talis jurisdictio fuerit concessa cum clausula, *usque ad beneplacitum*, & hoc in favorem fidei.

Ad roborandā doctrinā hujus Res. in tom. 1. tr. 3. lege res. 8. &c. & leg. hic sup. §. ult. res. præterit.

Quæ hic est Res. antecedens, in ejus §. ult.

RESOL.

RESOL. III.

An jurisdictio Inquisitorum concessa sit cumulativè, aut privativè?

Et notatur ex consuetudine in Hispania de hæresi solos Inquisitores cognoscere, & ut Episcopi per se, vel per Vicarium Inquisitoribus assistant; & ut non possint Episcopi separatim ab Inquisitoribus de causis hæreticalibus cognoscere, & aliqua alia circa hoc explanantur.

Etiamque notatur jurisdictionem Inquisitorum Hispaniæ in ordine ad eorum Ministros esse etiam privativam. Ex p.4. tr.8. Res.2.

Sup. contêto in hoc & seq. §. sup. in tr. 9 Res. 96. §. Probatur, & seq.

§.1. IUrisdictionem Inquisitorum non præjudicare jurisdictioni Episcoporum, cùm censeatur concessa cumulativè, non autem privativè, docet Sylvester *ver. hæreticus*, §.2. *num.*10. Rojas *singul.*28. *num.*2. Gundissalvus *de hæret. quæst.*7. *num.*9. Simanca *de cathol. instit. tit.* 25. *num.*4. & alij penes Farinacium *tr. de hæresi q.*186. *n.*38.

Quoad hoc lege inf. doctr. Res. 23. & §. nor. præteritæ.

2. Sed consuetudine in Inquisitione Hispanica introductum esse notat Sanctarellus *tract. de hæresi c.*40. *dub.*2. *num.*15. ut de hæresi soli Inquisitores cognoscant, & ut Episcopi per se, vel per Vicarios Inquisitoribus assistant, & ut non possint Episcopi separatim ab Inquisitoribus de causis hæreticalibus cognoscere, & ut denunciationes sibi factas teneantur ad ipsos Inquisitores remittere; & est usu receptum ut soli Inquisitores processum forment, atque ipsi soli procedant, & ut rei Inquisitorum jussu comprehendantur, in solòque Inquisitorum carcere custodiantur, & addit literas Apostolicas esse in Hispaniis, quibus præcipitur ut hæc Episcopi, & alij Ordinarij Inquisitoribus relinquant, neque in eis se intromittant. Si verò Ordinarij reperiant, efficere debent illis de rebus summariam informationem, eámque ad Inquisitores debent transmittere. Item expedit delinquentem comprehendere ne fugiat, comprehendere autem possunt illum Ordinarij, & transmittere ad Inquisitores, aut illos certiores facere, ut illum ad suum carcerem adducant. Ita Sanctarellus, & ante illum Molina *de justit. tract.*5. *disp.*28. *num.*12. & 13. Acugna *tract. de Confessar. solicitant. quæst.* 2. *num.*1. Ioann. Valerus *in different. utr. fori ver. hæresis, diff.*3. *num.*1. & novissimè Barbosa *in collect. tom.*3. *lib.*4. *tit.*2. *cap.*17. *numero* 3. Sousa *in Aphorism. Inquisit. libro* 1. *capite* 2. *num.*11. Pegña *in director. part.*3. *quæst.* 52. *comment.* 101. & penes ipsos. Vide etiam Riccium *part.* 3. *decis.*279. *numero* 1. & Bobadillam *in politic. tom.*1. *lib.*2. *cap.*17. *numero* 72.

Sup. hoc inf. in Res. 21. & 22.

3. Notandum est etiam hîc obiter, jurisdictionem nostrorum Inquisitorum Hispaniæ in ordine ad eorum ministros esse etiam privativam, & ita tenet Portocarrero *in allegat. de jurisdict. Inquisit. n.*49. ubi sic ait: [La jurisdiçion que los Inquisidores tienen en sus ministros es privativa, non obstante que sea concedida à cierto officio, porque à esta concession procedio la exempcion Apostolica que esta aprobada y mandada guardar por las cartas de sus Magestades, y osservada inviolablemente, y no puede darse acumulacion donde ay exemcion, loqual no solamente escluye la prevencion de los Ordinarios seglares, si no tambien de los Eccleſiasticos y con mayor razon siendo como es la exempcion generalmente Apostolica, que respeto de los Eccleſiasticos no recibe duda, ni disputa.] Hæc ilſe, quæ sunt valde notanda, quia liber iſte non est passim obvius.

RESOL. IV.

An Inquisitores Hispaniarum possint exercere aliqua non solum quia ipsis competit ex jure, sed etiam propter consuetudinem? Ex p.4. tr.8. Res.3.

§.1. EX decisione hujus quæstionis remanebit satis ampla adversùs adversarios jurisdictio DD. Inquisitorum, & ideo affirmativam sententiam teneo, quam in primis docet Molina *de justit. tom.*3. *tract.*5. *disp.*28. *num.*14. ubi sic ait. Neque jam nunc Ordinarij audirentur si aliud vellent, *consuetudine in his Regnis tribuente jurisdictionem Tribunali Inquisitionis circa hæc & circa alia rationalissima usu, consuetudineque recepta.* Sic ille, & post illum Dionysius Portocarrero *in allegat. pro jurisd. Inquisit. n.*24. *& seq.* qui fusè & solidè hanc sententiam probat & tenet, & rationem adducit, quia sicut jurisdictio privilegio quæri potest, ita & consuetudine, consuetudo enim, dat jurisdictionem, & præter Doctores quos ipse citat, docet hoc etiam Patisius *cons.*25. *n.*36. *lib.*1. Decianus *lib.*4. *cap.*27. *n.*6. Ambrosinus *de immun. cap.*14. *num.*1. Natta *cons.*98. *num.*4. Menochius *cons.*112. *num.*65. *vol.*2. Surdus *cons.*465. *n.*4. Gratianus *discept. for. cap.*174. *num.*25. Sayrus *de cens. lib.*1. *cap.*6. *n.*31. Schrad. *de feud. part.*10. *sect.*5. *n.*5. & alij penes ipsos.

2. Notandum est etiam quòd hanc sententiam confirmant ipsi Reges, & ita Philippus II. in quadam Epistola apud dictum Portocarrero *n.*13. sic asserit. [A D. Felippe Cervellon Virrey de Mallorca. Ya sabeis lo mucho, que Dios es servido y nuestra santa fee Catholica enalçada por el santo Oficio de la Inquisicion, y assi es nuestra voluntad, que à sus Oficiales y Ministros de la santa Inquisicion desse Reyno deis siempre y hagais dar todo el favor que fuere menester paraque libremente y sin impedimento alguno puedan usar, de sus cargos y oficios y de las libertades, gracias, preminencias, exempciones, immunidades a ellos, assi por derecho, como por costumbre pertenecientes, &c. Dada en Valladolid, à 10. dias del mes de Marzo 1542.] & Philippus III. in quadam Epistola directa ad omnes Prôreges *anno* 1603. sic ait. [Os encargo mucho, que assi a los venerables Inquisidores, como à todos los otros oficiales, familiares, y Ministros del dicho santo Oficio los honreis, y favoreçeis dandoles de nuestra parte todo el favor y ayuda que se os pidiere y fuere necessario, guardandoles, y haziendoles guardar todos los Privilegios, exempçiones, y libertades, que les estan concedidos por derecho, concordia, cedulas Reales, como de uso y costumbre, y en otra qualquier manera, &c.] Quæquidem verba ultima, videlicet, *y en otra qualquier manera*, comprehendunt quidquid usu receptum fuerit, licèt vim consuetudinis nondum assumpserit. Ita Portocarrero *ubi suprà, n.*29. & 43. qui *in num.*20. explanat supradicta verba. [Que aunque en terminos de derecho comun no esta especificado, quatenus pateat, ni en que casos, ni cosas esta exempcion de los ministros de la Inquisicion, ni que diferençia haya entre ellos. Però por concordias, cedulas Reales y por costumbre esta determinado, y assi unas palabras añaden à otras,] & *num.*24. observat supradictos Reges per dicta verba approbasse & confirmasse omnes consuetudines S. Officij, quorum approbationem & confirmationem ex multis Doctoribus habere vim legis demonstrat. Igitur possunt DD. Inquisitores exercere omnia, quæ sibi competunt de jure communi, vel ex consuetudine, vel quidquid usu receptum fuerit. Vnde ex his apparet quòd si aliqui huic sententiæ contradicunt, non solùm contra rationem, sed etiam

etiam adverùs voluntatem Regis insurgunt, ut patet ex dictis. Domini enim Inquisitores numquam se extendunt ad aliquid faciendum, nisi id sibi competat de jure, seu de consuetudine, vel saltem exemplis non constet, hoc aliàs factum fuisse, quod comprehenditur, & conceditur à Regibus in illis verbis, [y en otra qualquier manera,] & in illis, [assi por derecho como por costumbre,] quæ omnia si aliqui scirent & considerarent non quidem contra DD. Inquisitores obmurmurarent, dicentes illos multa exercere, quod de jure facere non possunt, nam multa etiam licitè faciunt, stante usu, & consuetudine, & ita hanc sententiam post hæc scripta tenet etiam Sousa *in aphorism. Inquisit. lib.4. cap.3.num.5.* ubi ex quadam Bulla Pauli III. docet *quod conceditur Inquisitoribus ut consuetudinibus & aliis quibus quomodolibet utuntur.*

RESOL. V.

An Inquisitores subsint Legatis Summi Pontificis? Ex p.4. tract.8. Res.27.

§.1. AD hoc dubium ita respondet Antonius Sanctarellus *de hæresi cap.40.dub.5.n.31.* ubi sic asserit: Nota olim Legatum Sum. Pontificis habuisse jurisdictionem in Inquisitores, ut patet ex constit. Vrbani IV. quam refert Locatus *in judiciali Inquisitorum, ver. Legatus, n.2.* hodie verò sine speciali facultate Pontificis, vel supremæ Inquisitionis Rom. in rebus pertinentibus ad Officium S. Inquisitionis non solent Legati Pontificis se ingerere. Ita Sanctarellus.

RESOL. VI.

An Inquisitor Generalis possit ad libitum removere alios Inquisitores ab officio, vel de loco ad locum transferre? Ex p.4. tr.8. Res.34.

Vide hoc sup. §.1. in fin. ante med. cursim in vers. quia contrà Inquisitores.

AFfirmativam sententiam videtur docere Ludou. Molina *de just. tom.5. tract.5. disp.28. n.7.* Verùm ego contrarium sentio, ex rationibus quas adducit Ferdinandus de Castro *in op. mor. tom.1. tract.4. disput.8. punct.12.§.2.n.20.* nisi interveniat aliqua justa causa, quæ in ordine ad illos absolvendum erit ab officio. Prima, si non haberent debitas conditiones. Secunda si superveniente infirmitate inhabiles ad officium exercendum, prout opus est, efficerentur. Tertia, si in exercendo officio dolosè delinquerent. Causa verò justa ad Inquisitores de loco ad locum transferendi erit. Prima quando Inquisitor est multum ad negotia aptus, & locus in quo manet, non requirit personam ita solertem, sicut indiget locus alter. Secunda, quando contra eum suscitatæ sint rixæ, & odia capitalia, quia processerunt contra nobiles, & insignes personas, unde trepidandum est de scandalo. Tertia quando non benè se habet cum Principibus, in quibus tamen duobus casibus posterioribus, si hæc contra Inquisitorem sint suscitata ob injustã causam, erit de meliori inquisitione providendus ne puniatur ubi non meretur. Et hæc omnia docet Michaël Zanardus *in direct. Theol. par.2. c.6.q.9.& 19.* Vide etiam circa præsentem quæstionem Zecchium *in summ. tom.1. tit. de fide cap.11.n.13.* Azor. *tom.1. lib.8. cap.18.q.9.* & Pegnam *in direct. Inquis. p.3. q.10. comm.59.*

RESOL. VII.

An Inquisitores debeant esse magis Theologi, quam jurisperiti! Ex p.4. tr.8. Res.52.

§.1. THeologos esse debere docet Michaël Zanard. *in direct. Theol. par.2. cap.6. quæst.2.* quia, ait, ipse, ad eos spectat de propositionibus ac factis hæreticalibus judicare; processum verò formare, testes examinare, & de causa judicare simul cum perito Notario fiscali & suis Consultoribus possunt explere. Ita ille, & ante illum Pegna *in direct. Inquisit. part.3. comment.50.*

2. Verùm mihi contraria sententia magis placet, quia Inquisitores in causis fidei plura ut Iurisperiti, quàm ut Theologi efficere debent, ut per experientiam patet, ergo, &c. Vnde Iacobus Simanca *in instit. Cathol. tit.41. num.3.* testatur experientia jam olim in Hispania fuisse compertum, longè utilius & commodius esse ut Inquisitores eligantur Iurisperiti, quàm Theologi, quidquid Theologaster ille deliret Ocham. Ita Simanca & post illum Sigismundus Secacia *de judiciis, lib.1. cap.87. num.10.* ubi ex multis rationibus probat, Inquisitores magis Iurisperitos, quàm Theologos eligendos esse.

RESOL. VIII.

An Inquisitores eligendi debeant habere ætatem quadraginta annorum?

Et quid est dicendum de Inquisitoribus Hispaniæ, an sufficiat, ut attingant annum trigesimum?

Et notatur Commissarios Inquisitorum sufficere annum trigesimum attingere? Ex part.4. tract.8. Resol.54.

§.1. AFfirmativè respondendum est stando in jure communi, nam ita decernitur *in Clem. nolentes de hæret.* Vnde si eligerentur in alia minori ætate, electio esset nulla, ut observat glossa *in d. Clem. ver. committi, & ibi* Auchatanus *n.2.* & Zabarella *n.3.* & ita hanc sententiam tenet Moscosus *de majest. milit. Eccl. lib.1. part.1. cap.11.* Homobonus de Bonis *in tract. de statibus, p.1. c.8.* & alij communiter.

2. Verùm his non obstantibus, ut optimè observat Antonius Sanctarellus *tract. de hæres., cap.40. dub.1. n.6.* & Zanardus *in direct. Theol. par.1. cap.6. q.12.* cùm hoc tempore Inquisitores creentur ab Eminentissimis Cardinalibus Sanctæ Inquisitionis Romanæ, non videtur valde curandum, an quadragesimum ætatis annum attigerint, quia eliguntur de scientia Sum. Pontif. à quo si in quacumque ætate eligantur Inquisitores, valet eorum electio, etiam ignorante Pontifice ætatem, ut observat Farin. *de hæresi q.186.n.51.* Sed quid dicendum de Inquisitoribus Hispaniæ. Dico igitur quòd Inquisitores qui creantur à Generali Inquisitore Hispaniarum ex privilegio Summi Pontificis, sufficit ut attingant annum trigesimum, ut observat Zanardus *ubi sup.* & ante illum docuerat Iacob. Simanca *in cathol. instit. tit.34.n.12.* Rojas *singul.106.n.7.* & alij.

3. Notandum est tamen hic obiter commissarios Inquisitorum sufficere annum trigesimum attingere, & ita docet Molina *tom.5. tract.5. disp.28.n.23.* Azorius *tom.1. lib.8. cap.18.q.4.* Pegna *in direct. Inquis. part.3. comm.61.& 65.* quidquid in contrarium asserat glossa, & Io. Andreas *in d. Clem.2. de hæret.*

RESOL. IX.

An Inquisitores possint procedere contra Papam in hæresi deprehensum?

Vel an hæc cognitio spectet ad Generale Concilium? Ex p.4. tract.8. Res.58.

§.1. HOc dubium movet Michaël Zanardus *in direct. Theol. p.2. cap.6. q.20.* & ad illud negativè

sivè respondet, quia Inquisitores sunt Papæ delegati, & inferiores, sed inferior suum Superiorem judicare non potest: ergo, &c. Igitur in tali casu ait Zanardus, hæc cognitio spectabit ad Generale Concilium quod potest illum citare, examinare, & si in hæresi obduratus remaneat, eum à suo gradu ejicere potest, nam in hoc casu ipso facto immediatè à Christo deponitur, ut docent Caietanus *de auctorit. Papæ cap.* 18. & 19. Corduba *lib.* 4. *quæst.* 11. Sotus *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 2. *art.* 2. Canus *de locis lib.* 4. *cap. ult. ad argument.* 12. & alij.

2. Verùm ego puto Papam etiam ut personam privatam non posse esse hæreticum contumacem, licèt possit errare ex ignorantia, & ita tenet Suarez *de fide disp.* 10. *sect.* 6. *num.* 11. Simanca *in cathol. instit. tit.* 12. *num.* 14 Bonacina *in Bulla Cœnæ disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 1. *num.* 12. Bellarminus *lib.* 4. *de Summo Pontifice cap.* 8. & 11. & ante illos Pighius *lib.* 4. *hierarchiæ Ecclesiast. cap.* 8. licèt contrarium sentiat Sotus *ubi supra*, Castrus *de justa hæret. punit. lib.* 1. *cap.* 6. & *lib.* 2. *cap.* 22. Canus *de locis lib.* 6. *cap.* 12. Turrecremata *lib.* 2. *cap.* 10. & Turrianus *tom.* 1. *in* 2. 2. *disp.* 16. *dub.* 1.

RESOL. X.

An Inquisitores possint procedere contra Nuntios, & Officiales Sedis Apostolicæ? Ex part. 4. tract. 8. Resol. 24.

§. 1. REspondeo negativè ex *Extravag. cùm Matthæus, de hæret.* & ita observant Zanardus *in direct. Theol. par.* 2. *cap.* 6. *quæs.* 21. Homobonus *de statibus par.* 1. *cap.* 8. Suarez *de fide disp.* 20. *sect.* 4. *num.* 16. Molina *tract.* 5. *de just. disp.* 28. *n.* 20. Sancius *in select. disp.* 11. *num.* 33. Decianus *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 23. *num.* 10. Rodericus Acugna *de Confes. solic. quæst.* 12. *n.* 8. Pegna *in direct. Inquisit. par.* 3. *comment.* 36. Simanca *in cathol. instit. tit.* 34. *num.* 36. & alij. Sed qui sunt Officiales Sedis Apostolicæ, vide Cenedum *part.* 3. *collect.* 14. *n.* 1. & 2. Molinam *ubi supra*, asserentes esse illos, qui nomine Sedis Apostolicæ ad negotium Sedi Apostolicæ pertinens tractandum mittuntur, non autem illi, qui ad causas particulares inter alios judicandas, ac dirimendas quotidie à Sede Apostolica mittuntur.

RESOL. XI.

An Inquisitores possint procedere contra Episcopos? Et quid, si Episcopus est titularis, vel electus, & confirmatus, licet nondum consecratus? Ex p. 4. tract. 8. Resol. 21.

Sup. hoc sup. in tr. 1. Res. 95. & in to. 9. tr. 2. Res. 332. §. 5. post med.

§. 1. REspondeo negativè, ex *cap. Inquisitores, de hæret. in* 6. nisi Episcopus esset suspectus de fuga, vel aliquid in manifestum fidei, & fidelium detrimentum moliretur, quia tunc potest capi, & custodiri donec Summ. Pontifex certior redderetur. Et ita tenet Michaël Zanardus *in direct. Theol. par.* 2. *c.* 6. *quæs.* 22. cui adde Molinam *de just. tract.* 5. *disp.* 28. *n.* 19. Barbosam *de potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 112. *n.* 14. Acugnam *ubi infrà*, & alios.

2. Notandum est etiam quòd responsio negativa de non procedendo Inquisitores contra Episcopum procedit, etiamsi Episcopus sit titularis. Ita Acugna *de Confes. solic. q.* 12. *n.* 7. & *n.* 11. docet pariter hoc procedere in Episcopis electis, & confirmatis, licèt nondum consecratis. Vide etiam Molinam *ubi suprà*, & Sanchez *lib.* 8. *disp.* 2. *n.* 11.

3. Verùm licèt suprà dicta sint vera, tamen ego puto contra glossam *in d. cap. Inquisitores, ver. Apostolicæ, & ibi Monach. & Archidiac.* posse Inquisitores de hæresi Episcopi cognoscere ad dicta testium adversùs eum recipiendo, ut sic negotium instructum ad Pontificem mittant, cum cautelis de quibus Pegna *infra*, & ita tenet Suarez *de fide disp.* 20. *sect.* 4. *n.* 25. Simanca *in cathol. instit. tit.* 25. *n.* 8. Pegna *in direct. Inquis. part.* 3. *commen.* 76. Zecchius *in summ. tom.* 1. *tit. de hæret. c.* 11. *n.* 13. & alij.

RESOL. XII.

An Inquisitores debeant procedere cum Generalibus, Religionum, in causa hæresis, sicut procedunt cum Episcopis?

Et an hodie interdictum sit Prælatis Regularibus cognoscere de causis hæreticalibus suorum subditorum, eosque punire? Ex p. 4. tr. 8. Res. 23.

§. 1. DIximus *suprà* ex *cap. Inquisitores, de hæret. in* 6. delictum hæresis Episcoporum esse reservatum Summo Pontifici, & contra illos in tali casu non posse procedere Inquisitores; quæritur modo an idem dicendum sit de Generalibus Religionum. Sup. in R. quæ hic annotata.

2. Affirmativè respondet Hieronymus Rodriquez *in compen. qq. Regul. resol.* 73. *num.* 1. Emanuel Rodriq. *in qq. Regul. tom.* 2. *q.* 81. *art.* 1. Pegna *in direct. Inquis. p.* 3. *comm.* 71. & Navarrus *cap.* 1. *de foro competen. n.* 5. Verùm contra prædictam sententiam & meritò, insurgit Freitas *in addit. ad tract. Roderici Acugna de Confes. solic. q.* 12. *n.* 20. & ratio est, quia exceptio *cap. Inquisitores, ubi sup.* excipit Episcopos tantùm, ergo ad Generales Religionum extendi non debet, ex regula *in l. siquidem, §. fin. ff. de penu. legat.* & resoluit in specie Albericus *in cap.* 1. *q.* 7. *de hæret. in* 6.

3. Verùm his non obstantibus contra Generales Religionum non debent Inquisitores procedere, sed certiorem faciant summum Senatum Inquisitionis, ut bene observat Zanardus *in direct. Theol. p.* 2. *cap.* 6. *q.* 23. Peirinus *in privil. Minim. tom.* 2. *const. q. Pauli V. §.* 1. *n.* 2. & alij. non sequitur tamen ex hoc quòd Generales cum privilegio Episcoporum in hoc commune aliquid habeant, quicquid involvat uterque Rodriquez & Pegna *ubi suprà*.

4. Notandum est hic obiter quòd licèt Pius V. sanciverit *in const. Pastoris æterni*, ut Inquisitores possint inquirere in omnes Religiosos hæreticos, vel de hæresi suspectos, dummodo à suis Superioribus præventi non fuerint; hodie tamen extat constitutio Pauli V. in qua interdicitur Prælatis Regularibus cognoscere de causis hæreticalibus suorum subditorum, eosque punire. Et notat Sanctarellus *de hæresi c.* 40. *dub.* 3. *n.* 11. Zanardus *in direct. Theol. p.* 2. *cap.* 6. *q.* 23.

RESOL. XIII.

An Inquisitor possit procedere contra alium Inquisitorem de hæresi suspectum?

Et difficultas est, an Episcopus possit inquirere contra Inquisitorem de hæresi suspectum? Ex part. 4. tract. 8. Resol. 25.

§. 1. REspondeo negativè, quia par in parem jurisdictionem nó habet, & ita notat Zecchius *in sum. tom.* 1. *tit. de hæres. cap.* 11. *n.* 13. Suarez *de fide disp.* 20. *sect.* 4. *n.* 226. Pegna & Eymericus *ubi infra*, & alij communiter. Sed difficultas est, an Episcopus possit inquirere contra Inquisitorem de hæresi suspectum.

2. Affirmativam sententiam tenet Zanchinus *de hæret. cap.* 8. *n.* 9. Gundisalvus *de hæret. quæst.* 7. *n.* 17. Decia

Decianus *in direct. crim. lib.1. cap.21.n.6.* & inclinat Calderinus *tract. de hæret. cap.8.n.9.* Verùm mihi negativa sententia placet, quàm tenet Azorius *tom.1. lib.8.cap.18.q.14.* Eymericus *in direct.Inquisit. part.3. q.30.& ibi* Peña *comm.79.* Mandosius *in addit. ad repert.Inquis.ver.Episcopus lit.B.& ver.Inquisitor. lit.D,* cum aliis, poterit tamen Episcopus secretò recipere testes contra Inquisitorem de hæresi suspectum,& informationes mittere ad Romanum Pontificem. Attamen in duobus casibus potest, his non obstantibus, Episcopus procedere contra Inquisitorem. Primò quando crimen est notorium, sed in his cautè procedant Episcopi,ne potiùs ratione scandali damnum inferant, quàm utilitatem.Secundò quando dimisit Officium Inquisitoris, & ita docet Rojas *singul.109.* & Geminianus *in cap. Inquisitores, de hæret. in 6.* & *ibi* Franchus *num.1.*

RESOL. XIV.

An Inquisitores possint punire illos, qui factis, aut verbis, ipsis injuriam fecerint? Ex part. 4. tract.8. Res.91.

Quoad hoc inf. ex Res. 10. lege doct. §. ult. & late in aliis quos not.

§.1. REspondeo affirmativè cum Bobadilla *in, politic.to.1.lib.2.cap.17.n.114.* ubi sic ait: [Podran los Inquisidores proceder contra los que los injurian, porque no solamente son ellos los offendidos, sino tambien el officio de la Inquisicion y la Yglesia, y la fe.] Sic ille, qui in glossa *lit.D,* citat Zanchinum & Decianum, quibus ego addo Simancam *in Cathol. instit.tit.24. n.28.* ubi ita asserit: Poterunt quoque Inquisitores punire illos, qui factis,aut verbis ausi fuerint ipsismet Inquisitoribus injuriam facere, ac tanto quidem id magis,quanto sanctius & venerabilius esse debet eorum officium, quàm aliorum omnium judicum. Hæc Simanca.

RESOL. XV.

An Inquisitores possint procedere contra Magistratus, eorum mandatis non obedientes? Ex part. 4. tract.8. Res. 65.

§.1. REspondeo affirmativè,quia Magistratus qui non obtemperat Inquisitorum mandatis, & præstare auxilium recusat, est suspectus de hæresi, ideo potest apprehendi, & jurisdictione sua privari, per ea quæ adducit Rebuffus *tom.2.ad leg. Galliæ, tit. de litteris Inquisitoriis, in principio n.20.* Menochius *de præsumpt.lib.1. præsumpt.6.n.31.* & alij. Vnde tenetur literas & mandata DD. Inquisitorum sine mora exequi,& illorum officium nullatenus impedire, ut docent Mendez de Castro *in praxi Lusit.lib.2.cap.17.n.81.* Azeved. *in recopil. lib.4. tit.1. leg.15.n.7.* Simanca *in cathol. instit. tit.23.n.9.* & Lucerna Inquisit. *ver. impedientes, n.1.* vide *cap.ne aliqui §.compescit,de hæret. in 6.*

RESOL. XVI.

An Inquisitores possint cogere Dominos, & Magistratus,qui fecerunt aliqua Statuta, & Decreta impedientia eorum jurisdictionem, ut illa revocent?

Et an Inquisitores possint invocare auxilium brachij secularis pro capiendis hæreticis,& eorum credentibus, tutoribus, &c. ac omnibus aliis de hæresi damnatis, aut suspectis; & ideo si Magistratus negligentes,aut contumaces fuerint in hoc auxilio præstando,possint Inquisitores eos excommunicare, honore privare,ac aliis pœnis pro qualitate delicti coërcere?

Et an incarceratus pro quibuscumque delictis etiam atrocissimis apud judicem secularem statim remittendus sit ad Tribunal S. Officij, quandocumque petatur, ob negotium fidei à Dominis Inquisitoribus? Ex part. 4. tract.8. Res.104.

§.1. REspondeo affirmativè, ex *cap.statutum,de hæret.in 6.*& ex Bullis Alexand.IV. Inoc.IV. & Vrbani IV. & ideo omnia hujusmodi statuta, seu leges directè, vel indirectè,officium Inquisitionis impedientia,sunt ipso jure nulla,neque subditi dictis legibus tenentur obedire,ut contra Ecclesiæ Catholicæ leges promulgatis. Vnde Inquisitores in tali casu possunt sub pœna excommunicationis & aliis pœnis contra fautores hæreticorum decretis adversùs tales statuentes procedere,& ita docet Zanardus *in direct. Theol.par.1.prac....c.6.q.28.* Barbosa *in collect. tom.3. lib.5.tit.2.cap.10.* Zanchinus *de hæret.c.31.n.6.* Eymericus *in direct.p.3.q.34.* & *ibi* Peña *comm.83.* Vmbertus Locatus *in praxi Inquis.ver. Domini temporales,n.5.* & *in ver.ordinario, n.1.* & alij. Item Inquisitores possunt invocare auxilium brachij sæcularis pro capiendis hæreticis,& eorum credentibus, tutoribus,&c. ac omnibus aliis de hæresi damnatis,vel suspectis.Ideo si Magistratus negligentes, aut contumaces fuerint in hoc auxilio præstando, poterunt Inquisitores eos excommunicare,honore privare,ac aliis pœnis pro qualitate delicti coërcere, ex *cap.ut officium,§.denique, de hæret. in 6.& cap. ad abolendam,§.penult.& cap. excommunicamus,§.moneantur,de hæret.* Sup. hoc & sequenti in hoc §. inf. in Res.36. cursim ad lin.7. & 8.

2. Notandum est etiam hic obiter incarceratum pro quibuscunque delictis etiam atrocissimis apud judicem sæcularem statim remittendum esse ad Tribunal S.Officij,quandocunque petatur ob negotium fidei à DD. Inquisitoribus, stante Constit.Pij V. cujus meminere Simanca *in fine tract.de cathol.instit.*& Peña *in addit.ad tr.de strigis.* Vide etiam Ioseph. Sesse *de inhibit. c.30. n.52.& seq.* Verùm si aliquis damnatus ad mortem dicit aliquid hæreticum,ut eo prætextu mors differatur, si talis antea de hæresi non erat suspectus, remittendus non est ad Inquisitores,quia tali dolus,vel fraus patrocinari non debet. Ita Rojas *singul.107.n.5.*& alij.

RESOL. XVII.

An Inquisitores procedere possint contra judices laïcos,si remissius agant cum hæreticis sibi relictis, & pœnam mortis per ignem non imponant?

Et advertitur in tali casu tam Inquisitores,quam quoscumque alios Ministros, & Consultores ab omni irregularitate immunes esse ex motu proprio Pauli IV.& Pij V. Ex p.1.tr.2. Res.135. aliàs 134.

§.1. CHristophorus Anguianus ex neotericis Iurisconsultis Hispanis,vir doctus, & Lector primarius Iuris Pontificij in Academia Complutensi,*tractat. de legib. lib.3. contr.31. a n.37 usque ad 44.* negativam sententiam sustinet,& mordicus docet, in tali casu Dominos Inquisitores non posse contra judices laïcos procedere. Sup. hoc in res. seq. & inf. in res. 68. & lege doctr. res. primæ post seq.

2. Sed etiam contrariam sententiam omnino amplectendam esse existimo: quia judices laïci in isto casu sunt meri executores, & tenentur,juxta leges, statim hæreticum ad mortem dãnare,ut tradunt communiter DD.quos citat Cenedus *ad decret.collect.55.n.2.* quibus ego addo Suarez de Paz *in pract.tom.2.pral.2.n.30.* Io. de Heuia *in Curia Philip.part.3. §.3. num.19.* Mendez

in praxi Lusitana, lib.2. c.1.n.16. & Miranda *in ordine judiciario tom.1.q.1.a.5.conc.6* Et ideò aliter facientes, tanquàm fautores Hæreticorum habentur. Vnde apparet, non benè Anguianum *n.39.* asserere, quòd nullo jure probatur, Inquisitores se posse ingerere ad puniendos supradictos Iudices: nam jura præbent jurisdictionem Inquisitoribus, puniendi fautores Hæreticorum. Sed dicti Iudices, non punientes pœna mortis Hæreticos, tanquàm fautores illorum habentur. Ergo possunt per dicta jura, contra illos, Domini Inquisitores procedere. Et ita mecum sentit Pegna *in Direct. Inquis. part.3. commen.85.* ubi ponit verba Innoc. VIII. quæ hanc sententiam firmant. Vide etiam Farinacium *tract. de hæresi, q.185.n.162.* & Sanctarellum etiam *tract. de hæresi, c.60.dub.4.n.23.*

3. Notandum est, etiam non benè asserere Anguianum *n.42.* quòd si Inquisitores procedere possent adversùs tales Iudices, sequeretur absurdum, nempe, quòd incurrerent in irregularitatem: nam respondeo cum Cenedo *in pract.qq.15.n.5.* Henriquez *lib.14.c.12. n.5. in Glossa, litt.D.* Avila *de cens.part.7.disp.5.sect.2. dub.2.* Medina *in summa, lib.1. c.11.§.10.reg.4.* Sanctarello *de Hæresi, c.26.dub.1. n.8.* & aliis, in tali casu Dominos Inquisitores, instando, ut exequatur sententia, non incurrere irregularitatem, ut *infra* etiam patebit.

4. Manet igitur exposa sententia Anguiani. Sed adversùs Iuristam Complutensem, Theologus Complutensis videatur: is est Petrus Lorca *in 2.2. D.Thom. q.11.art.4.disp.49.n.9.* ubi asserit, Iudicibus sæcularibus omne arbitrium circa exequutionem sententiæ Hæreticorum sublatum esse, non obstante illa obsecratione, quam Inquisitores præmittere solent, quando reum brachio sæculari tradunt, petentes, ut cum eo misericorditer se gerant: nam obsecratio illa inventa est, ut Iudices Ecclesiastici evaderent irregularitatis periculum, per quam tamen nihil committitur arbitrio Iudicis sæcularis, sed solùm protestatur Ecclesia affectum suum, quo, quantum est in se, averset pœnam sanguinis, & nollet, si fieri posset, eam inferre. Sed, quia talis protestatio non tam efficax poterat apparere ad irritandam irregularitatem; ideò Paulus IV. & Pius V. motu proprio decreverunt, tam Inquisitores, quàm quoscunque ministros, & Consultores, ab omni irregularitate immunes esse, quomodocunque ad condemnationem Hæretici concurrant. Ita Lorca, *ubi supra.* Dicendum est igitur contra Anguianum, in supradicto casu Dominos Inquisitores posse contra Iudices laïcos per censuras procedere. Sed ad aliam quæstionem, circa jurisdictionem Inquisitorum, deveniamus.

Sup. hac doctrina lege doctrinam duarum Resol. hanc sequentium, & infra Resol. 68. per totam.

RESOL. XVIII.

An Inquisitores possint compellere judices laicos negligentes exequi sententiam ab eis latam contra Hæreticum? Ex p.4. tr.8. Resol.26.

§.1. DE hac quæstione alibi egimus, ideo nunc dico breviter quòd si judex laïcus non vult exequi sententiam latam ab Inquisitoribus contra aliquem hæreticum, possunt illum compellere per censuras, & ex hoc inquirere contra illum, tanquam fautorem hæreticorum, etiamsi differat sententiæ executionem sub prætextu quòd sit injusta, quia nullo pacto potest se intromittere in cognitione causarum hæreticalium. Et hæc omnia docent Pegna *in director. Inquis.p.3.q.36.comm.85.* Campegius *in addit.ad Zanchin.c.8.* Vmbertus Locatus *in praxi Inquis.ver. Index, n.57.& 66.* Mandos. *in repert. Inquis.ver.executio lit.B.* Iacobus Simanca *in cathol.instit.tit.66.n.3.*

Alibi in Resol. quæ hic est antecedens, & lege doctrinam Resol. seq. & infra ex Resol. 68. §. Huic.

RESOL. XIX.

An Iudex laïcus à suo legitimo Superiore, & non ab Inquisitoribus compellendus sit, ut Hæreticum morti tradat? Ex p.4. tr.1. Resol.59.

§.1. A Suo Superiore, & non ab Inquisitoribus compellendum esse docet Seraphin. Freitas *in novis addit.de Confessar. solicit q.2.n.78.* ubi sic ait. Hinc fit non videri veram sententiam Felini *in cap.ad abolendam, de hæret.* dum resoluit Inquisitores procedere posse contra judices sæculares, si hæreticos sibi relictos non puniant ignis supplicio, hoc enim attento jure falsum esse constat, quia Inquisitores non condemnant ad mortem, nec ad illam ordinant sententiam sed relinquunt hæreticos, & à suo foro dimittunt: unde licèt judex sæcularis non possit immutare pœnam jure, aut consuetudine præscriptam, ad eam tamen imponendam compelli debet non ab Ecclesiastico, sed à suo legitimo Superiore. Ita ille.

2. Sed hanc sententiam ego satis reprobavi *in p.1. tr.2. resol.134.* ubi ex multis DD. docui Inquisitores in tali casu posse per censuras procedere contra judices sæculares, ut hæreticos igni tradant sine metu irregularitatis, & punire dictos judices tanquam fautores hæreticorum, & hæc opinio patet ex Bullis Vrbani IV. Clement. IV & Innoc. IV. quas adducit Camillus Campegius *in addit. ad Zanchinum de hæret. cap.8. lit. A.* ubi latè docet hanc sententiam, & post illum Pegna *in direct. Inquis. part.3. quæst.36. comment.8.* ubi ex rationibus, Doctorum auctoritate, & ex Bullis Pontificiis solidè firmat, posse Inquisitores compellere per censuras judices laïcos ut mandent executioni sententiam à se latam, & hæc est communis sententia Doctorum, fundata in supradictis Bullis Pontificiis. Vnde maximè doleo Freitam alioquin doctum, & de sacro Tribunali bene merentem, contrariam sententiam docuisse.

Quæ sit forma legis ad hoc requisita. Videatur ad hoc tex. per quem estimes contra hoc text.

RESOL. XX.

An Inquisitores possint habere familiam armatam? Et an Domini temporales impedientes supradictos, & familiam armatam Inquisitorum pro delatione armorum possint ab ipsis puniri, tanquam turbatores Officij Sacræ Inquisitionis? Ex part.4. tractatu 8. Resol. 31.

§.1. REspondeo affirmativè cum Zanardo *in direct. Theolog.part.2.cap.6.q.15.* & patet *in Clement. nolentes, §. porrò, de hæret.* & per DD. quos ego adduxi *in tract.2. de immunit. Eccles. resol.ult.* Vide etiam Simancam *in Cathol. instit. tit.34. num.23. & tit.41.* Campegium *in addit.ad Zanchinum tr.de hæret.cap.31. lit. A.* Rojas *singul.21. num.8.* & Pegnam *in director. Inquisit. part.3. quæst.36. comment.103.* ubi docet hanc armorum licentiam non solùm Inquisitores posse dare Officialibus destinatis ad denunciandos hæreticos, ad comitandos Inquisitores, vel ad capiendos hæreticos, sed etiam cæteris ministris, qui quavis alia ratione S. Officio inserviunt, veluti Advocatis, Notariis, Consultoribus, custodibus, &c. Et ita hanc sententiam docet etiam Duardus *in Bull. Can. lib.2. can.1. quæst.33. num.24.*

Quæ non hanc impugnat. Videatur in lege 2. & infra Resol. 33. & lege hic doctrinam Resol. 14. & 15. infra,

2. Vnde ex his sequitur quòd Domini temporales impedientes supradictos & familiam armatam Inquisitorum pro delatione armorum, possunt ab ipsis puniri tanquam turbatores Officij Inquisitionis, ut notat Card. Zabarella *in Clem.2.§.porrò, num.9.* & Pegna *ubi supra,*

suprà,qui citat glossam notabilem *in cap.statutum,ver. indirectè, de hæret.in 6.*

RESOL. XXI.

An Inquisitorum jurisdictio in familiares suos in criminibus aliis diversis ab hæresi sit sæcularis, vel Ecclesiastica?

Et an Domini Inquisitores possint tenere familiam armatam,sub cujus nomine comprehendantur Notarij, Advocati, Consultores, Fiscales, & Birruarij,& familiares omnes? Ex p.1. tr.2. Res.136. aliàs 135.

Sup. hoc in res. seq. & sup. in res. 3. §.ult.

§.1. BAsilius Pontius *de matr.lib.5.c.12. n.15.& seq.* probat,supradictam iurisdictionem esse in sua origine sæcularem & quòd sæcularis etiam conservatur,ut patet ex diversis concordatis pro Regno Valentiæ,Siciliæ,Aragonum & Castellæ,quorum nonnulla refert Simancas *tit.41. num.16.* in quibus Rex limitat, prout sibi æquum videtur, eiusmodi Inquisitorum iurisdictionem:quod quidem fieri à Rege non posset, nisi illa iurisdictio,& sæcularis esset in sua origine, & sæcularis etiam conservaretur:si enim Ecclesiastica fieret,non esset illius dominus, ut eam limitare, aut suspendere posset. Vnde quoties inter Consiliarios Regios, & Inquisitores aliqua controversia oritur de iurisdictione,ad Regem recurritur, &, quod illi placet, exequutioni mandatur.Quæ omnia evidenter demonstrant, hanc iurisdictionem esse sæcularem, ita ut eam extendere,limitare,& suspendere possit Rex, qui eam à principio concessit. Hæc, & alia plura Pontius, *ubi suprà*.

2. Sed contrariam sententiam amplectendam esse existimo, quam novissimè ex multis, & solidis rationibus docet Hispanus Iurisconsultus Alphonsus à Narbona,vir eminentis literaturæ,*tom.2.in 3.p.Recop. lib.4.tit.1.l.20. Glossa 22. per tot.* Et ratio est : quia ex privilegio Summi Pontificis Ioannis XXII. ut notat Barbosa *de potest. Episc.p.3.alleg.107.n.6.* Macaratensis *lib.3.resol.14.n.1.* Grassus *de effect. cleric. effect.1. n. 130.* Zanardus *in direct.Confes.par.2.præcep.1.c.6.q.31.* Farinacius *tract. de hæres.q.128.n.90.*& alii; Domini Inquisitores possunt tenere familiam armatam, sub cuius nomine comprehenduntur, ut docet Zanardus, Notarii,Advocati,Consultores,Fiscales, Birruarii, & familiares omnes : Ergo iurisdictio in supradictos est Ecclesiastica,& non sæcularis:sicut iurisdictio Episcoporum in laïcos suos familiares, qui gaudent privilegio fori. Deinde temporalis iurisdictio spirituali, & Ecclesiasticæ conjuncta Ecclesiastica est censenda:Ergo.Vnitum enim annexam naturam sequitur illius,cui annexio fit.Dicendum est igitur, quòd DD.Inquisitores in examinandis familiarium, & cæterorum Officialium causis,ex vi,& potestate Ecclesiasticæ jurisdictionis cognitionem habent,vel saltem ex regia jurisdictione per incorporationem,vel unionem in Inquisitores translata;& ideò excommunicandi potestatem habent. Cæteras rationes, nam ego brevitati studeo, videbis apud Narbonam, *ubi suprà*, qui ad satietatem solidè,& perdoctè hanc quæstionem examinat adversùs allegationes Iosephi Mur,hodie latentes,jussu supremi Inquisitionis Senatus.

Sup. hoc in res. præterita,& in to.9. n.8. res.5. §.1. inter med. & fin. vers. Probatur tertio.

3.Restat modò respondere ad argumentum de concordatis,quod adducebat Pontius,*ubi suprà*. Dico igitur cum Narbona,*loco cit.num.25.* quòd tantùm abest, quòd Inquisitores regiam jurisdictionem, ad tractandas familiarium causas,ex concordatis istis tantummodo obtineant; ut imò concordata hæc facta fuerint, contradicente supremo Inquisitionis Senatu, ad restringendam potiùs, & limitandam generalem illam jurisdictionem cognoscendi de omnibus, & quibuscunque delictis à familiaribus commissis, quam Inquisitores ex potestate Ecclesiastica noscebantur habere, quàm ad aliquam jurisdictionem illis noviter elargiendam.Quare in concordatis hujus Regni Siciliæ adimitur Inquisitoribus facultas cognoscendi de quinque casibus ibidem expressis:in cæteris verò,jure suo,ac potestate eisdem Inquisitoribus relicta,& reservata procedendi per excommunicationem,& censuras Ecclesiasticas,quod signum evidentissimum est,Inquisitores habere alioquin jurisdictionem Ecclesiasticam in prædictos familiares:nam,si solùm regiam,& sæcularem haberent, Rex ipse non posset permittere, aut tribuere potestatem cognoscendi per censuras in cæteris casibus,præter expressos,ut permittitur in supradicta concordia Siciliæ. Ita Narbona, *ubi suprà* : lege illum,& non pigebit.

RESOL. XXII.

An Inquisitores Hispaniæ habeant jurisdictionem in causis criminalibus,& Civilibus suorum familiarium?

Et an non solum familiares S.Officij gaudeant privilegio fori,sed etiam eorum uxores non solum vivente marito,sed etiam mortuo, donec in viduitate permanserint? Ex p.4. tract.8. Res.55.

Sup. hoc in res. præterita, & sup. in Res.3 §.ult.

§.1. PRimò quoad causas criminales, respondeo affirmativè, exceptis certis criminibus, de quibus Ioannes de Heuia *in Curia Philippica part.3. §.1. num.19.*& Narbona *in recopil.lib.4.tit.1.leg.20. glos.1 & seq.* & alij.

2.Sed difficultas est quoad causas civiles,nam Ferdinandus de Castro *in oper.mor.tom.1.tract.4 disput.8. punct.12. §.2. n.9.* sic asserit:in causis civilibus solùm credo Inquisitores habere iurisdictionem respectu officialium,qui sunt à secretis,ij enim solum conveniri, & convenire debitores possunt coram Inquisitoribus, non autem alii officiales externi. Ita Castrus.

3. Sed hæc sententia ita absolutè prolata mihi non placet saltem quoad Regnum Valentiæ:& ideo Rojas *de hæret.p.2.n.422.* sic ait : Inquisitores habent familiam armatam, vulgò *familiares*, & eorum causæ tam civiles,quàm criminales in hac Inquisitione Valentina ad Inquisitorem cognitionem pertinent,iuxta concordiam novam & antiquam inter Regiam Maiestatem & Inquisitorem initam,quod etiam observatur in hoc Regno,Siciliæ.Vnde Paramus *de orig.Inquis.lib,3.q.6. n.27.* ita asserit : Inquisitio formata per iudices sæculares contra familiares S. Officii, Regni Siciliæ nulla est & invalida, illi enim coram iudice laïco neque civiliter,neque criminaliter conveniri possunt cùm foro S. Officij,id est, Ecclesiastico gaudeant, tum ex iure municipali illius Regni, tum ex iuris Pontificii decisionibus, privilegiis, consuetudine immemoriali, & concordatis initis inter Regem & Inquisitores *ann.* 1580.Hæc Paramus,quæ omnia servari in Catalonia, & in Regno Aragoniæ & Maioricarum testatur Narbona *ubi sup.n.14. & glossa 6. n.2.*

4. Notandum est tamen hic obiter quòd Narbona *loco prius citato num.75.* ex Paramo observat quòd in hoc Regno Siciliæ non solùm familiares gaudent ptivilegio fori, sed etiam eorum uxores non solùm vivente marito, sed eo etiam mortuo,donec in viduitate permanserint.

RESOL. XXIII.

An in Regnis Hispaniarum solum Inquisitores possint publicare Edicta fidei, & non Episcopi? Ex part.4. tract.8. Res.126.

Sup. hoc in resol. not. seq. signater §. 2.

§. 1. QVidquid sit de aliis locis quoad Regna Hispaniarum, respondeo id solùm ad Dominos Inquisitores spectare, & ita docet Molina *de justitia, tract. 5. disput. 28. num. 13.* & quia verba sunt notabilia in favorem jurisdictionis Inquisitorum, illa per extensum hic apponam. Sic itaque ait: Cùm experientia compertum sit, multa ac gravia incommoda ex eo sequi quòd Episcopi processus contra reos circa fidei negotium forment, præsertim ob secretum, quod maximè refert, haberi ac servari, usu est receptum, ut soli Inquisitores processum forment, atque contra delinquentes ipsi soli procedant, & ut rei Inquisitorum jussu comprehendantur, in solóque Inquisitorum carcere detineantur. Quòd si Ordinarij aliud circa hoc efficere aggrediantur, nec desistant, certior fit Inquisitor Generalis, ad eosque scribit ut desistant, & ut deinceps simile quid non efficiant, quoniam fidei negotio id non expedit, quòd si non parerent (quod inauditum hactenus est) Inquisitor Generalis Pontificem certiorem efficiat, quin audio, neque ordinariis permitti, ut edicta proferant, quæ ad fidei negotium pertinent, quoniam expedit ejusmodi denunciationes fieri solis Inquisitoribus, & Commissariis ab ipsis deputatis, propter eamdem rationem. Postquam verò hæc ita scripsi, à fide dignis accepi literas Apostolicas esse in Hispaniis, quibus præcipitur, ut hæc Episcopi, & alij Ordinarij Inquisitoribus relinquant, neque in eis se intromittant. Si quæ verò Ordinarij reperiant, efficere debent illis de rebus summariam informationem, eámque ad Inquisitores debent transmittere. Si item expediat delinquentem circa causas fidei comprehendere ne fugiat, comprehendere illum possunt Ordinarij, & transmittere ad Inquisitores, aut illos certiores facere, ut ad suum carcerem adducant. Hæc omnia Molina, vide *supra in resolut. secunda.*

Quæ hic est sup. Resol. 3.

RESOL. XXIV.

An Inquisitores sub pœna excommunicationis possint præcipere, ut Clerus, & populus eorum concionibus assistant?

Et an præceptum Inquisitorum sub excommunicatione, ut omnes confluant in Templum ad audiendum Edictum fidei, obliget sub mortali? Ex part. 4. tractatu 8. Resol. 89.

§. 1. NEgativè respondet Angelus *in sum. tom. 1. ver. Inquisitor. n. 9.* ubi sic ait: Adverte quòd Inquisitores non possunt præcipere sub obedientia, & minus sub excommunicatione Clero & populo, ut adeant ad eorum prædicationes, quod sæpiùs faciunt dicti Inquisitores, & non valet. Ita ille.

2. Sed malè. Vnde meritò contrariam sententiam tenet Simanca *in cathol. institit. tit. 34. n. 24.* Ioan. Rojas *de hæret. par. 2. n. 425.* ubi asserit: Inquisitores sub pœna excommunicationis possunt præcipere, ut populus & Clerus sint in eorum sermonibus, quod etiam habetur *in cap. vi commissi, de hæret. in 6.* ibi, *convocandi etiam Clerum & populum.* & ita servari de consuetudine Tribunalis testatur Repertor. Inquisitor. *ver. Prædicare n. 2.* & novissimè hanc sententiam tenet Alphonsus Narbona *in recopil. lib. 4. tit. 2. leg. 20 glos. 22. n. 65.* Vnde à fortiori rectè concludit Avila *de cens. p. 2. cap. 5. disp. 2. dub. 3.* quod præceptum Inquisitorum sub excommunicatione, ut omnes confluant in templum ad audiendum Edictum fidei, obligat sub mortali, quia est ad exaltationem fidei, & ut sciant homines quæ sint denuncianda inquisitoribus.

RESOL. XXV.

An Inquisitores circa declarationem propositionum debeant vocare Qualificatores?

Et quid, si Inquisitores sint Theologi? Ex p. 4. tract. 8. Resol. 84.

§. 1. CIrca hoc ita statuitur *in instruct. Toletana anno 1561. num. 1.* [Quando los Inquisidores se juntaren à ver las testificationes que resultan de alguna visita o de otra manera, o que por otra qualquier causa huviere reçebido hallandose algunas personas suficientemente testificadas de alguna cosa, cuyo conoçimiento pertenezca al S. Oficio de la Inquisicion siendo tal, que requiera calification, deveſe consultar con Theologos de letras, y conçiençia en quien concurran las calidades, que para esto se requieren, los quales den su pareçer y lo firmen de su nombre.] Sic ibi.

2. Et ideo Ioan. Rojas *de hæret. part. 1. num. 384.* ita ait: In exponendis verbis dubiis, agnoscendisque factis, vel Catholicis dictis, aut suspectis, vel hæreticis, periti factæ Theologiæ sunt vocandi, qui vulgò *Qualificadores* nuncupantur, quorum assertionibus omnimodam Inquisitores adhibeant fidem, & *n. 104.* sic asserit: Vsu & consuetudine jam diu recepta, indistinctè, & absolutè cujusvis propositionis declaratio ad Theologos spectat & attinet, & ab eorum assertionibus in causis fidei judicandis minimè est recedendum, ut per prudentissimos Consiliarios supremi Consilij generalis Inquisitionis pleniùs decretum est. Hæc Rojas.

3. Sed difficultas est, an si Inquisitores sint Theologi, possint cognoscere utrùm factum, vel dictum sapiat hæresim, vel non? vel hoc tantùm spectet ad Qualificatores, negativè respondet Delrius *in disquis. mag. lib. 5. sect. 15. axiom. 1.* ubi sic ait: Quando autem dubium est sintne hæresim sapientia, non pertinet ad Inquisitorem judicare, aut cognoscere, sintne talia, vel non. Verùm hoc pertinet ad Theologos Qualificatores, sed postquam constat ea sapere hæresim, dubitatur tantùm an sapiant manifestam, possunt Inquisitores de illa qualitate cognoscere, & pronunciare se judices esse. Ita Delrius. Verùm Seraphinus Freitas *in addit. ad tract. de Confes. solic. q. 5. n. 42.* contrarium docet, putat enim quòd ad Tribunal Inquisitionis competit cognitio, utrùm factum, vel dictum sapiat hæresim, vel non, & si iidemmet Inquisitores sint etiam Theologi, de eodem dubio possunt cognoscere, si verò sint Iurisperiti, ad Qualificatores utpotè Theologos, docet eam provinciam demandandam esse ex ipsiusmet Senatus commissione, cùm utrique ejusdem Tribunalis sint ministri. Sic Freitas. Sed semper in praxi vocantur Qualificatores, & observatur Instructio Toletana.

RESOL. XXVI.

An Inquisitores possint punire tanquam hæreticum, qui negat propositionem Theologicam, quæ evidenter infertur ex propositione de fide? Ex part. 4. tractatu 8. Resol. 79.

§. 1. AFfirmativè respondet Valentia *tom. 3. disp. 1. quæst. 11. punct. 1. difficult. 3.* Canus *de locis Theolog. lib. 12. cap. 9.* & si attentè legatur Bonacina *de censur. disput. 2. quæst. 5. punct. 5.* & ratio est, quia supradictus reus saltem mediatè divinæ revelationi opponitur.

2. At

2. At ego puto, dictum reum non esse hæreticum, sed præsumi, & ideo Villalobos *in summa, tom. 1. tr. 1. diffic. 10. num. 6.* sic ait. [La duda es del que niega una proposicion Theologica que se infiera d'una premissa de fe y otra evidente con lumbre natural, la qual no es immediatamente de fe como es esta. Christus est risibilis, que se infiere destas dos premissas. Omnis homo est risibilis. Christus est homo que la una es principio natural y la otra de fe, al qual respondo con el P. Corduba que en el fuero esterior se presumeria por herege porque no se presume que ha de errar en el principio natural. [Ita Villalobos, & ante illum Aragon. *in 2. 2. quæst. 11. art. 2.* Suarez *de fide disp. 19. sect. ult. num. 3. & seq.* cum Sanchez *in summa tom. 1. lib. 2. cap. 7. num. 33.* qui *cap. 8. num. 12.* rectè docet quòd si talis reus in illa negatione perstiterit tanquam hæreticus negans principium revelatum, erit ab Inquisitoribus puniendus.

RESOL. XXVII.

An Inquisitores debeant verba dubia interpretari in sensu Catholico?

Et an hoc non solum procedat in dubio rei, sed etiam in dubio testium? Ex p. 4. tr. 8. Res. 83.

§. 1. REspondeo affirmativè, nisi contrarium confiteatur reus, & ideo ejus intentio & consensus circa hoc diligenter ab Inquisitoribus perquirendus est, & ita docet Albertin. *de agnoscend. quæst. 34. num. 48. & sequent.* Decianus *in tract. crimin. lib. 5. cap. 37. num. 6. & 47.* Io. Rojas *de hæret. part. 1. n. 200. & part. 2. num. 164. & seq.* Menochius *lib. 2. cons. 82. num. 10.* Riminaldus *lib. 4. cons. 686. num. 6.* Pegna *in direct. part. 3. comment. 111.* qui docet hoc etiam procedere in dubia testium depositione.

2. Ex his Rojas *ubi supra part. 1. num. 366.* asserit quòd si quis dixerit, Deus non fecit mala, intelligendus est de malo culpæ, quæ est propositio Catholica, & non de malo pœnæ, quæ est propositio hæretica. Item *num. 376.* non damnavit quemdam de hæresi esse suspectum, qui volens Sacram Missam in quadam Ecclesia audire, cùm ad eam accessisset, & Missam non invenisset, quia serò accessit, dixit hæc verba, Sola fides sufficit, quia non censetur dixisse solam fidem sine operibus sufficere, quòd esset hæreticum.

3. Verùm licèt hæc omnia sint vera, non tamen procedunt quando contra reum, qui dixit aliqua verba dubia & ambigua; militaret aliqua siniſtra suspicio & præsumptio, præsertim ratione qualitatis personæ, vt, v. g. si esset de genere Iudæorum, Maurorum, vel ex aliqua provincia infecta. Ita Rojas *loc. cit. num. 205.* qui etiam *num. 375.* adnotat supradicta procedere quoad plenam probationem delicti; secus autem quoad præsumptionem ut torqueatur, præsertim si est persona suspecta, nam in dubio præsumendum est pro hæresi, atque si nimis urgent indicia, talis reus torquendus erit, cùm de ejus animæ salute agatur, ut in tortura confiteatur & reconcilietur. Ita Rojas, quod est valde notandum. Verùm circa præsentem quæstionem in casu contingenti legatur omnino Navar. *lib. 5. consil. 6. num. 6. & seq. de hæret.* & Simanca *in Cathol. instit. tit. 54. n. 21. & 22.*

RESOL. XXVIII.

An Inquisitores possint cognoscere non solum de causa hæresis, sed etiam de omnibus connexis, & incidentibus?

Et quid de emergentibus, & dependentibus, quæ immediatè hæresim non tangerent? Ex part. 4. tract. 8. Resol. 70.

§. 1. REspondeo affirmativè, per ea quæ adducit Aretinus *cons. 83.* quem sequitur Decian. *in tract. crim. lib. 5. cap. 22. num. 12.* hanc etiam sententiam docet Eymericus *in direct. Inquis. part. 3. & ibi* Pegna *comment. 10.* ubi tradit quæ in hac materia sint emergentia, dependentia & connexa, & ratio hujus sententiæ desumitur ex *l. nulli, C. de judiciis.* Nam ubi conceditur causa principalis, conceduntur consequenter connexa emergentia & incidentia ex illa. Vide Menochium *de arbitrar. lib. 1. quæst. 45. n. 9.* & alios penes ipsum.

2. Advertit tamen Decianus *ubi supr. lib. 5. cap. 23. num. 13.* quòd cùm Inquisitores habeant limitatam jurisdictionem, non possunt cognoscere de emergentibus, & dependentibus, quæ immediatè hæresim non tangerent. Ita ille, qui citat Decium *consil. 167. n. 5 6. & 15.*

RESOL. XXIX

An Inquisitores in causa hæresis ex levi suspicione possint formare Inquisitionem, non præcedente diffamatione? Ex p. 4. tr. 8. Res. 4.

§. 1. AFfirmativè respondeo quoad Inquisitionem Generalem ex *cap. accusatus, de hæret. in 6.* non autem ex *c. excommunicavimus, §. adjicimus, de hær.* ut bene advertit Angelus *tract. de malefic. in ver. hæc est, num. 51.* contra Farinacium *quæst. 9. num. 14.* Vide Rolandum à Valle *consil. 8. num. 6. lib. 1.* Simancam *in cathol. instit. tit. 44. num. 9.* Arelatanum *de hæret. notab. 26.* & alios communiter.

Sup. hoc sup. in tr. 9. Res. 32. §. Sed post med. & signanter in Res. not. seq.

2. Verùm Iulius Clarus *lib. 5. §. finali, quæst. 6. num. 7.* licèt teneat quòd in crimine hæresis potest procedi absque eo quòd præcedat diffamatio, ut dictum est, putat tamen quòd ultra ipsam suspicionem adhuc requiratur querela, vel denunciatio, prout in aliis criminibus aliàs darentur nimis latæ habenæ Inquisitoribus. Ita ille.

3. Sed adversùs hanc sententiam, & meritò, insurgit Sigismundus Scaccia *de judiciis, lib. 1. cap. 59. num. 11.* nam si esset vera, sequeretur, quòd si quis committeret aliquod factum hæreticale, utpote quia combureret crucem, vel aliam imaginem alicujus Sancti, vel quid simile faceret, ob quam redderetur suspectus, & Inquisitor inquirendo generaliter eum inveniret sine denunciatione, & sine accusatione, non posset contra eum procedere, quod dicere est valde absurdum: ergo, &c. Nec obstat quod Inquisitoribus concedantur latæ habenæ, quia non eliguntur nisi viri graves.

4. Notandum est tamen, his non obstantibus, quòd licèt in crimine hæresis possit procedi contra aliquem ex levi suspicione, non solùm per viam accusationis, seu denunciationis, sed etiam per viam Inquisitionis, non præcedente clamore & infamia, ut in aliis delictis, attamen levis suspicio in tali casu dicitur per comparationem ad vehementem, sed in se notabilis esse debet judicis arbitrio, ut habetur *in gloss. 1. cap. excommunicamus 1. §. qui autem, de hæret.* juxta quod explicandi sunt Doctores asserentes in casu hæresis procedi posse contra quoscumque ex levi suspicione, ut Scaccia *ubi supra* Arelatanus *de hæret. notab. 27.* Rojas *de hæret. part. 2. num. 20. & 180.* cum aliis. Et hæc omnia notat & advertit optimè Freitas *in addit. ad tract. de Confess. solicit. quæst. 5. num. 37.* Si autem scire

vis, qui dicantur leviter, vel vehementer de hæresi suspectis, vide Albertin. *de agnoscend. quæst.* §4. *à n* 4. Simancam *in cathol. instit. tit.* 50. *à num.* 24. & alios. Sed de hac quæstione iterum *infrà* redibit sermo.

Inf. in resq. hanc sequetur. in §. ult.

RESOL. XXX.

An suspicio levis de hæresi sufficiat, ut Inquisitores possint specialiter contra aliquem inquirere, & interrogare?

Et docetur ob levem suspicionem non esse aliquem denunciandum, sed ob vehementem.

Et an ut abjuratio, & condemnatio leviter suspectis inferatur, debeat necessario delictum, seu judicium esse plenè probatum?

Et quinam vero dicantur suspecti leviter, vehementer, vel violenter de hæresi? Ex p. 4. tr. 8. Res. 39.

Sup. hoc in Res. præterita, & in alio §. ius not. 1.

§. 1. PRima opinio negat, & ita docet Simanca *in cathol. instit. tit.* 50. *num.* 28. Vnde Homobonus de Bonis *in tr. de cas. reserv. part.* 2. *cas.* 1. *fol. mihi* 229. docet ob levem suspicionem non esse aliquem denunciandum, sed ob vehementem. Et hanc sententiam tenet etiam Lazarius *de blasph. quæst.* 12. *num.* 32. Genuens. *in praxi Archiep. cap.* 18. *num.* 10. Alphonsus de Castro *lib.* 2. *de hæret. punit. cap.* 25. Iul. Clarus *in pract. crim.* §. *fin. quæst.* 6. *num.* 6. & à fortiori Greg. de Valentia *tom.* 2. *disp.* 6. *quæst.* 13. *punct.* 4. §. 1. *vers. Sed ut hæc inquisitio*, ubi loquens in sortilegio, seu maleficio, constituit conclusionem quoad hoc ut quis possit interrogari de se ipso, necesse est ut sit suspectus, vel propter publicam infamiam, vel propter gravia indicia. Vide etiam Lessium *lib.* 2. *de just. c.* 29. *dub.* 3. *n.* 15.

2. Secunda opinio affirmat, & ita docet Sigismundus Scaccia *de judiciis lib.* 1. *cap.* 59. *à num.* 12. Decianus *in tract. crim. lib.* 5. *cap.* 20. *num.* 21. *& cap.* 35. *n* 20. Mascardus *de probat. vol.* 2. *concl.* 861. *num.* 3. Rolandus à Valle *lib.* 3. *consil.* 8. *num.* 6. Parisius *lib.* 4. *cons.* 2. *num.* 100. & Ioan. Rojas *de hæret. part.* 2. *num.* 20. ubi sic asserit. Certum est & indubitatum, Inquisitores posse contra aliquem in crimine hæresis ex levi & modica suspicione procedere, ut suspectus interrogetur quid sentiat de fide. Ita ille.

3. Tertia opinio distinguit, vel suspicio hæresis levis oritur ex opinione DD. vel ex lege, seu consuetudine. Si primum, vera est prima opinio, si secundum, secunda; & ideo retinentes libros prohibitos, illosque legentes, & Sacramenta sine potestate ministrantes, binas nuptias contrahentes, solicitantes in confessione, in excommunicatione per annum exfordescentes sunt ab Inquisitoribus interrogandi & examinandi, quia hæc suspicio oritur ex delicto, cui à jure & consuetudine talis suspicio annexa est: secus autem, ut dictum est, si suspicio oriatur ex aliis delictis quibus solùm in opinione DD. positum est ingerere suspicionem, & hanc sententiam tenet novissimè Ferdinandus de Castro *in oper. mor. tract.* 4. *disputat.* 7. *punct.* 1. *num.* 7. qui citat Suarez *de fide disp.* 24. *sect.* 2. *num.* 4.

4. Quid ego sentiam dicam breviter. Omnes supradictæ opiniones sunt probabiles, mihi verò secunda magis placet, cum hac tamen limitatione, ut procedat in homine vili, improbo, abjecto: secus autem in viro honesto, & nobili, & Religioso, & ita mecum tenet Pegna *in direct. Inquisit. par.* 2. *commen.* 12. *ver. Cæterùm*, & *comment.* 80. *vers. atque ita crederem*, cum Io. Rojas *ubi suprà*, *de hæret. part.* 2. *num.* 21. & aliis, & de hac quæstione *suprà* etiam aliquid dictum est.

Supr. in Res. quæ hic est antecedens, & si placet,

5. Notandum est hîc obiter quòd ut abjuratio & condemnatio leviter suspectis inferatur, debet necessariò delictum, seu judicium esse plenè probatum, quod est valde notandum à DD. Inquisitoribus, aliàs non esset vera suspicio, nec digna pœna, quæ ultra abjurationem de levi solet esse, vel exilium, vel ad triremes condemnatio, vel alia pœna pecuniaria, pensatis qualitatibus personarum & delictorum. Ita Castr. Pal. *ubi suprà*, *n* 8. & 9. cui ego addo Menochium *lib.* 1. *cons.* 81. *num.* 155. & Arelatanum *de hæret.*, *notab.* 27.

6. Quinam verò dicantur suspecti leviter, vehementer, vel violenter de hæresi, explicant DD. citati, quibus adde Antonium Sanctarellum *tr. de hæres.*, *cap.* 41. *dub.* 3. *num.* 5. Lælium Zecchium *in summ. sen.* 1. *tit. de fide*, *cap.* 11. *num.* 5. Genuensem *in praxi Archiepisc. cap.* 18. *n.* 11. & Aloysium Riccium *in praxi tom.* 1. *resol.* 423. *per totam*, & de levi, vehementi, & violenta suspicione hæresis, vide Farinacium *de hæresi q.* 187. *à n.* 23. *usque ad n.* 53.

Sup. lo. vi fin. pro demd.

RESOL. XXXI.

An Inquisitores in causis Fidei possint procedere simpliciter, & de plano sine strepitu, & figura judicij?

Et an in crimine hæresis tollantur solemnitates juris Gentium, vel Divini, &c. Ex p. 4. tr 8 Res. 48.

§. 1. AFfirmativè respondeo ex *cap. statuta*, *de hæret. in* 6. sic docet Sigismund. Scaccia *de judiciis*, *lib.* 1. *cap.* 52. *num.* 2. Simanca *in cathol. instit. tit.* 44. *num.* 30. Eymericus *in direct. Inquis. part.* 3. *quæst.* 54. & *ibi* Pegna *comm.* 103. Zanchinus *de hæret. cap.* 9. *num.* 1. Carterius *de hæret. num.* 93. & 103. & 108. Paramus *de orig. Inquis. lib.* 3. 9. 9. *n.* 45. & alij; quidquid in contrarium asserat Decianus *in tract. crim. lib.* 5. *cap.* 34. *num.* 9. ubi tenet hoc privilegium Inquisitorum intelligendum esse quoad levia, non autem in præjudicialibus. Sed hæc opinio expresè est contra textum, unde prorsus est refellenda.

2. Notandum est tamen, clausulam prædictam, *simpliciter & de plano*, &c. in crimine hæresis non tollere solemnitates juris Gentium, vel Divini, nec per illam sublata esse necessaria ac substantialia causæ, illa scilicet, sine quibus nec justè & rectè, nec commodè negotium tractari potest; & ideo in causis hæreticalibus requiritur etiam legitimatio personarum, aliàs processus redderetur nullus. Ita DD. citati. Sed de hac clausula, *simpliciter*, *& de plano*, &c. Vide Augustin. Barbosam *tract. de clausulis*, *claus.* 176. secundùm Lugdunensem impressionem, Martam *de clausul. part.* 1, *claus.* 180. *num.* 5. in ultima impressione, & alios penes ipsos.

RESOL. XXXII.

An Inquisitores in aliquo casu non incurrant in excommunicationem latam in Clem. I. §. Verum, de hæreticis, *si non procedant contra hæreticos?*

Et an quando Inquisitores incidunt in supra dictam excommunicationem, non possint absolvi, excepto à Romano Pontifice, præterquam in articulo mortis? Ex p 4. tract. 8. Res. 37.

§. 1. REspondeo affirmativè, & ideo si Inquisitores omiserint procedere contra hæreticum, non odij, rancoris, vel lucri causa, sed propter timorem, vel propter evitanda scandala, non incurrent in pœnam prædictam excommunicationis, & ita docet Glossa *in Clem. 1. ver. obtenta*, *de hæreticis*, & *ibi* Ancharanus *in* §. *sanè*, *num.* 11. Imola *num.* 17. Bonifacius de

de Vitalinis *num.*162. Vmbertus Locatus *in praxi Inquisit. ver.Inquisitor.num.*19. & hanc sententiam docet etiam Sanctarellus *tract. de hæresi , cap.*60. *dub.* 3. *num.*21.

2. Notandum est tamen hic obiter quòd quando Inquisitores incidunt in supradictam excommunicationem,non possunt absolvi,excepto à Romano Pontifice , præterquam in articulo mortis. Vide Simanc. *in cathol. institit.tit.*34.*n.*40. & Peñam. *in direct. Inquisit. par.*3. *comment.*73.

RESOL. XXXIII.

An Inquisitores possint subdelegare causas hæresis? Et an delegatus Inquisitoris possit subdelegare ? Ex p.4. tract.8. Resl.18.

§.1. REspondeo affirmativè , quia delegatus Principis potest subdelegare , ut patet *in cap. super quæstionum, de offic.deleg.* & notat Eymericus *in direct. Inquisit. par.* 3. *quæst.* 15. §. *Respondemus* , & ob quas causas possit subdelegare. Vide Peñam *eadem part.*3. *comm.*61. §. *sed jam.* Imò potest etiam sibi Vicarium, seu Commissarium substituere , ut docet Thom. Trevisanus *lib.*1. *decis.*66. *num.*4. *& seq.* Sed an delegatus Inquisitoris possit subdelegare, anceps est quæstio,de qua vide ea quæ adducit dictus Peña *part.*3. *comm.*64. § *Hæc tamen ratio.* Vide etiam Molinam *de just.tract.*5. *disp.* 28. *num.*7. Azorium *tom.*1. *lib.*8. *cap.*8. *quæst.*10. & Scaccia *de judic. tom.*2.*lib.*2. *cap.*9. *quæs.*2. *n.*641.*& seq.* ubi satis firmat jurisdictionem DD.Inquisitorum circa delegandi potestatem, & Commissarios substituendi.

RESOL. XXXIV.

An Inquisitores citando reum simul eodem tempore cum Episcopo , sint Episcopo præferendi Ex p.4. tract.8. Resl.47.

Sup.hoc sup. in tr. 9. Resl. 36. §. ult.

§.1. CItatum ab Inquisitore & ab Episcopo eodem tempore posse adire quem maluerit , docet Molina *de institit. tract.*5.*disput.*20. *num.*7. qui conatur validissimis rationibus hanc sententiam firmare. Imò Io. Rojas *singul.* 44. *num.*7. putat Ordinario parendum esse.

Sup. hac de legatione. Ibidem.

2. Sed in tali casu debere citatum coram Inquisitore comparere si Episcopus procedat adversùs reum jure proprio, non autem ex delegatione, tenet Peña *in direct. Inquisit. par.*3. *quæst.*5. *comment.*54. Simanca *in cathol. institit. tit.*43. *num.*13. Paramus *de orig. Inquisit. lib.*3. *quæst.*4. Azorius *tom.*1. *lib.*8. *cap.*18.*q.*8. *num.*69. & alij , quia jurisdictio Inquisitoris tanquam delegata est major ordinaria Episcopi ; ergo , &c. Vnde Michaël Zanardus *in direct. Theolog. part.*2. *cap.*9. *q.*13. sic ait:Si Episcopus & Inquisitor compatibilia ad invicem præcipiant , v.g.ut reus uno die , vel hora coram se compareat, & Inquisitor altero die , vel hora, reus tenetur utrique obedire. Et si Episcopus primo die citans reum illum in custodiam poneret,nec altero die ad Inquisitorem iret,Inquisitor posset illum repetere & obtinere ab Episcopo, quamvis priùs fuerit ab eo citatus. Si verò præcipiant incompatibilia, ut v.g. quòd reus eadem hora coram utroque compareat, vel quòd familia unum capiat altero jubente ne capiatur, & in similibus,erit Inquisitori ut delegato, & majori in hoc Episcopo parendum. Ita Zanardus. Nihilominus audio in praxi observari ut sit præventioni locus, juxta *Clementinam* 1. *de hæret.*

3. Verùm hæc quæstio in nostra Hispânia non habet locum, nam ibi,ut *suprà* dictum est,soli Inquisitores processus formant adversùs reos in rebus fidei, ac proinde ipsi soli sunt, qui eos citant,non verò Episcopi,quòd si Episcopus edicta contra hæreticos in Hispaniis promulgare non permittitur,multo minus permitteretur illos citare ut coram se compareant , & ita observat Molina *ubi suprà,de justit.tom.*5.*tr.*5.*disp.*29. *n.*17. Et ita novissimè post hæc scripta docet etiam Sousa *in aphorism. Inquisit. lib.*1. *cap.*2.*n.*13. ubi testatur de praxi Regni Lusitaniæ, sic enim ait: Si Episcopus procedat authoritate delegata,& pro tempore incompossibili citet simul cum Inquisitore, potest citatus eligere coram quo comparere velit secundùm jutis communis rigorem. In hoc tamen Lusitaniæ Regno probabilius est debere se Inquisitori præsentare. Ita ille, & ego.

Supr. in Resl. quæ hic est 3.

Sup. hoc in resl. & §.not. 1. hujus resl.

RESOL. XXXV.

An Inquisitores debeant citare absentem trina citatione ? Ex p.4. tr.8. Resl.80.

§.1. AD hanc quæstionem respondet Ferdinandus de Castro *in oper. mor. tom.*1. *tract.* 4. *disp.*8. *punct.*4. *n.*3. ubi sic ait : Hæc citatio,si rigorem spectemus , unica sufficit , quæ tribus æquivalet signato termino competenti & peremptorio ad comparendum quia nullibi habetur expresè in hoc casu trinam expostulari,præcipuè cùm in hoc crimine non arctetur judex solemnitatibus à jure aliàs requisitis,At ex consuetudine adversùs absentem contumacem trina citatio expediri solet, signato in qualibet illarum termino competente,ut sic processus & sententia magis justificetur. Ita ille , qui citat Rojas , Paramum , Farinacium & Simancam.

2. Verùm ego non desinam hic apponere verba Instructionis Hispalens. *anno* 1484.*n.*19. ubi sic statuitur. [Si a los Inquisidores pareçiere que el delicto contra algun ausente se puede cumplidamente provar lo citen por edicto,para que venga à alegar y à monstrar su innocentia dentro de treynta dias que vayan por tres terminos de diez en diez dias o les den otro mas largo tiempo si vieren que cumple segun la distancia de los lugares, adonde se presume o deve presumir que estan los tales citados , y citar los han para todos los attos del dicho processo hasta la sentencia definitiva inclusivè.] Hæc ibi , quæ verba fundantur in jure,nam non solùm ad contestandam litem & firmandum processum citatio est necessaria , sed multo magis ad sententiam pronunciandam , & ideo dicitur in dicta instructione, [Citarlos han para todos los attos, &c.] Vide Peñam *in direct. par.* 3. *comm.* 40. Decian. *in tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 38. Paramum *de orig. Inquis. lib.*3. *q.*4. & alios penes ipsos.

RESOL. XXXVI.

An Inquisitores possint citare , & capere reum in alieno territorio sine literis subsidialibus Dominorum ?
Et an idem dicendum sit quoad Dominos spirituales saltem in Hispanica Inquisitione , quales sunt Episcopi , & Inquisitores ? Ex p.4. tr.8. Resl.7.

§.1. REspondeo affirmativè , & quoad Dominos temporales , res est clara , quia hæresis est crimen meri fori Ecclesiastici , quod privativè quoad laicos spectat ad Inquisitores,quibus sunt subditi,non solùm judices præfatorum dominorum , sed ipsimet domi

domini. Vnde eorum assensus neque de jure, neque de urbanitate requirendus est, sed tolùm in auxilium, ad quod præstandum tenentur sub pœna excommunicationis. Et idem dicendum est quoad dominos spirituales, saltem in Hispanica Inquisitione, quales sunt Episcopi & Inquisitores, quia judex potest citare per proprium Nuncium, quando loca sunt sub eodem Præside: sed omnes Episcopi & Inquisitores sunt judices delegati Pontificis, qua ratione ejusdem, & non alterius imperio subsunt: ergo, &c. Verùm attenta practica Inquisitores Inquisitoribus & Episcopis in casibus occurrentibus litteras requisitorias mittere solent. Et hæc omnia docet Scaccia *de judicib. lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 4. *&* 5. & ante illum Simanca *in cathol. Instit. tit.* 2. *num.* 13. *&* 14. Possunt igitur Inquisitores non tolùm verbaliter, sed etiam realiter citare, & mandare ut ad se transmittantur libri, & alia similia necessaria ad causam.

Sup. hoc auxilio, & excommunicatione sup. in Resol. 16. §. 1. post med. à vers. Item.

RESOL. XXXVII.

An si plures Inquisitores in una Provincia eligantur, possint independenter quilibet ab altero procedere?
Et quid, si uni sit causa à Sede Apostolica delegata & deputata? Ex p. 4. tr. 8. Resol. 66.

§. 1. Affirmativè respondet Michaël Zanardus *in direct. Theolog. part.* 2 *cap.* 6. *quæst.* 12. Sigismundus Scaccia *de judiciis lib.* 1. *cap.* 67. *num.* 9. Io. Rojas *singul.* 27. *à num.* 3. Simanca *de cathol. instit. tit.* 34. *num.* 26. Eymericus *in direct. Inquis. part.* 3. *quæst.* 46. & *ibi* Pegna *comment.* 95. Decian. *in tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 12. *n.* 7. Molina *de justit. tom.* 5. *tract.* 5. *disp.* 28. *n.* 9. & habetur *in cap. ne aliqui, de hæret. in* 6. Dico igitur quòd si in una provincia deputati fuerint plures Inquisitores, possunt ex speciali favore fidei omnes simul, vel singuli separatim prout eis magis expedire videbitur, contra hæreticos, vel de hæresi suspectos procedere, dummodo causa non sit uni à Sede Apostolica deputata: nam tunc per hanc specialem delegationem alij Inquisitores non possunt in illa causa se intromittere, sed debent ad eum transmittere depositiones quas fortè contra delinquentem habent & examina testium, & indicia. Ita Doctores citati, & præsertim Zanardus, qui etiam addit, quòd si unus Inquisitor seorsim procedat, si indiget auxilio alterius ad examinandum aliquem testem, vel ad faciendam aliquam perquisitionem in causa, tunc debet is per literas suas hoc ei committere, & ipse ratione officij tenetur illud facere, & examen ad illum transmittere.

Sup. hoc in Resol. seq.

2. Verùm omnia supradicta non procedunt in Hispania, ubi, ut observat Rojas *singul.* 27. *n.* 6. Inquisitores non possunt quando sunt præsentes, unus sine altero procedere ad capturam delinquentium, neque ad purgationem indicendam, neque ad publicationem testium, & à fortiori ad fulminandam sententiam & hoc stante Instructione Toletana, quam citat Rojas, unde in alia Instruct. *hecha en Sevilla* 17. *Iunij anno* 1500. *num.* 1. sic habetur. [Los Inquisidores de cada una Inquisicion salgan, y vayan à todos los lugares y villas de sus Diocesis donde nunca fueron personalmente, y en cada una de dichas villas, y lugares hagan, y reciban los testigos, y para que esto puedà mejor hazer, y mas brevemente se expida, se aparten los Inquisidores, y vaya cada uno por su parte con un Notario del secreto para reçebir la dicha perquisa general se tornen à juntar en la dicha ciudad, o lugar donde tuvieren su assiento, porque alli vista por ambos la testificacion que cado uno ha tomado puedan mandar prender a los que se halleren culpados, y testificados suficientemente para se poder prender segun se contiene en el Capitulo de las Instruciones hechas en Toledo.] Sic ibi.

3. Sed magis clarè hoc habetur,] En una carta de los Inquisidores Generales hecha en Granada à 4. de Septiembre *anno* 1499. à los Inquisidores de Barcelona,] ubi *numero* 1. ita determinatum est. [En cada Inquisicion aya dos Inquisidores, un Iuruista, y un Theologo, o dos Iuristas los quales juntamente, y no el uno sin el otro procedan à captura y tormento con purgacion canonica, y sentencia definitiva, porque son cosas graves, en todas las otras pueden proceder el uno sin el otro, por mas breve expedicion de las cosas por la necessidad que se occurre de se apartar el uno del otro para yr y andar por los lugares de los obispados a entender en las cosas del S. Oficio,] & ita de hac praxi sanctæ Inquisitionis Hispaniæ testatur etiam novissimè Ferdinandus de Castro *in oper. mor. tom.* 1. *tr.* 4. *disp.* 8. *punct.* 12. §. 2. *n.* 14.

RESOL. XXXVIII.

An alter Inquisitor sine altero possit procedere ad capturam reorum, vel purgationem inducendam; aut ad publicationem testimoniorum, vel ad copiam actorum reo dandam? Ex p. 4. tr. 8. Resol. 90.

§. 1. Respondeo negativè, & in Instruct. Toletana *anno* 1562. *num.* 3. sic statuitur. [Los Inquisidores vista la informacion juntamente y no el otro si estuvieren ambos presentes, acuerden la prision y pareçe seria mas justificada se communicasse con los consultores de aquella Inquisicion si buenamente se pudiera hazer, y pareçiere à los Inquisidores conveniente y necessario.] Sic ibi.

Sup. hoc in Resol. præced. §. 5. Vera, sed lege tamen per totam.

Pro modo Consultoris in Resol. seq. §. 4. propè fin. à vers. Secus & inf. in n. 12. Resol. 88. An vero.

2. Vnde ad ornatum supradictæ Instructionis vide Simancam *in cathol. institut. tit.* 34. *num.* 37. ubi ita asserit: Neque potest alter Inquisitor sine altero procedere ad capturam reorum, neque ad purgationem inducendam, neque ad publicationem testimoniorum, neque ad copiam actorum reo dandam. Alia verò leviora ab altero tantùm Inquisitore peragi possunt. Hoc tamen servandum est cùm ambo Inquisitores præsentes sunt, nam altero absente, alter solus ea omnia facere potest, convocatis peritis, ubi opus fuerit. Hæc Simanca.

RESOL. XXXIX.

Quando, & quomodo Inquisitores debeant procedere ad carcerationem reorum?
Et an unius testimonium omni exceptione majoris sufficiat ad carcerandum reum?
Et quid est faciendum, si accusatus esset Nobilis ac bonæ opinionis, & famæ?
Et an etiam in causa hæresis Sacerdos non sit carcerandus ex unius testis delatione? Ex part. 4. tractatu 8. Resol. 11.

§. 1. Ad hoc quæsitum ita respondet Didac. Cantera *in qq. crimin. cap.* 1. *de probat. per testes, quæst.* 1. *num.* 60. ubi sic ait: In crimine hæresis nunquam proceditur ad capturam, nisi sint sufficientia indicia ad torturam, & sic servatur in Inquisitoribus Hispaniæ. Ita ille, quod etiam servari in Inquisitionibus Italiæ testatur M. Antonius Genuensis *in praxi Archiep. c.* 68. *n.* 1. ubi sic asserit: Cùm carceratio in causis sanctæ fidei irroget sæpè facti infamiam, nunquam Curia procedit ad capturam, nisi saltem adsint indicia ad

ad torturam, & nonnunquam quando persona denunciata est gravis, antequam carceret, solet injungere uni ex Consultoribus, ut secreto modo se informet à Parocho denunciati, vel aliis personis fide dignis, quomodo ipse denunciatus ambulet in vita & moribus; rarò autem procedit ad citationem verbalem, & quãdo citat, non inserit in citatione causam delicti, ut in aliis citationibus fieri debet, sed in genere citat ad subjiciendum se examini super nonnullis moventibus mentem ipsius Curiæ tangentibus sanctam fidem. Ita ille, & ideo Pegna *in direct. Inquis. p.3. comment.17.* asserit, quòd ad eorum capturam plena delicti probatio, vel maxima indicia, aut vehementes suspiciones præcedere debent, nam ex levibus suspicionibus non est ad eam veniendum, ubi rei fuga non timeatur, & licèt soli Inquisitores possint capturam decernere, secus. hoc in ref. præteriti §1. & infr. in tr.12. ref. 38. §. An vero.

curiùs tamen est maturo Consultorum consilio rem tantam aggredi, & ob delictum omnium gravissimum, & ob famam, quæ ob solam capturam non mediocriter læditur, & ideo *in Instruct. Tolet. an.1561. n.3.* sic habetur. [Los Inquisidores vista la informaçion juntamente, y no el uno, sin el otro, si estuvieren ambos presentes acuerden la prision, y pareçe seria mas justificada se comunicasse con los consultores de aquella Inquisicion si buenamente se pudiera hazer, y pareciere a los Inquisidores conveniente y necessario, y assientese por auto lo que se acordare.] Sic ibi.

2. De hac autem re vide Zanardum *in direct. Theol. part.3. cap.83.* Scacciam *de judic. lib.1. cap.44. num.4. & 5.* Boërium *decis.215. n.34.* Simancam *in enchir. tit. 25. num.2.* & Rojas *de hæret. part.2. assert.1. n.22.* ubi docet unius testimonium omni exceptione majoris sufficere ad carcerandum; secus si accusatus esset nobilis ac bonæ opinionis, & famæ, nam in tali casu requirit, ut plures adsint testes, vel indicia. Vnde aliqui docent, etiam in causa hæresis Sacerdotem non esse incarcerandum ex unius testis delatione. Vide Acugnam *tract. de Confess. solicit. q.4. num.27.* & Sigismundum Scacciam *lib.1. cap.44. n.4. & 5.* Sed in casu occurrenti DD. Inquisitores considerabunt circumstantias, & qualitates testis, & rei.

hoc in princ. Verum, ege an vocatus. constitu fulmi cet in ca. Sciat ren. in ea ref. ca.

hoc & sequenti in hoc §. lege infra ex ref. 61. doctrinã [Notandum est per to tum. & alte rius ref. ejus tre.

RESOL. XL.

An Inquisitores in aliquo casu possint delegare examen testium? Ex p.4. tr.8. Resol.29.

§.1. REspondeo quòd licèt Inquisitores debeant ipsimet reos & testes examinare, tamen si testes essent legitimè impediti, possunt eorum examen delegare alteri, secundùm Scacciam *de judiciis lib.1. cap.87. num.15.* & Simancam *in cathol. instit. tit.64. n.11.* ubi *n.13.* sic asserit. Illustres viri & aliæ honestiores fœminæ non sunt facilè ab Inquisitoribus in judicium trahendi, sed vel ad has personas judices ire, vel certè alios mittere debent, quod quidem ex dignitate, authoritate, & honestate aliisque testium qualitatibus constituendum erit. Ita ille. Vide etiam Rojas *singul.204. n.7.* ubi sic ait. Testium examinationem Inquisitores alteri non committant, nisi in duobus casibus, videlicet quando testes legitimè sunt impediti, & quando non decet ut Inquisitor ad eos accedat, & ideo in instructione Hispal. edita ab Alphonso Manriquez Cardinali *n.17.* sic invenio determinatum. [Los Inquisidores por si mismos reçiban y examinen los testigos y que no cometan la examinaçion dellos al notario ni à otra persona, salvo si el testigo estuviere enfermo de tal enfermedad, que no puede pareçer ante el Inquisidor, y al Inquisidor no fuere honesto, yr à recebir su dicho, o fuere impedido que en tal caso puede el Inquisidor comerer la examinacion del testigo al juez ordinariò Ecclesiastico del lugar, y a otra persona provida, y honesta que lo sepa bien examinar con un notario.] Sic ibi.

2. Vnde doctus Didacus Cantera *in quæst. crim. c.2. de vera confessione, n.8. fol.77.* sic ait. In causis hæresis secundum juris dispositionem est provisum per Instructionem Hispalensem, quòd Inquisitores per se ipsos examinent testes, & si ex justa causa contigerit committi alicui, ille qui examinat, faciat relationem Inquisitoribus de forma & modo quo talis testis deposuit. Hæc ille, ex quibus apparet Inquisitores alteri vices committere, si mulierem honestam non deceat domo exire ad testificandum, & ita etiam docet Castrus Palaus *tom.1. tr.4. disp.8. punct.15. §.3. n.1.*

RESOL. XLI.

Quos testes adhibere possunt Inquisitores in causa hæresis & quæ fides ab ipsis habenda sit testibus inhabilibus, vel singularibus?

Et pro praxi supradictæ quæstionis 12. casus explanantur, & apponuntur in textu hujus Resolutionis. Ex p.4. tr.8. Resol.57.

Sup. his testibus inf. in tr. 11. ref. 11. in principio, & in §. Notandum est in principio, & in §. Nota tertio, & §. penult. & ult.

§.1. DIco primò in causis fidei omnes præter inimicos capitales in testes admitti posse, ut excommunicati, criminosi, infames, socij criminum, ut patet *in c. in fidei favorem, de hæret. in 6.* Vnde etiam admittitur perjurus, Iudæus adversùs Christianum apostatantem, item hæreticus, domestici, familiares, consanguinei, mulieres minor 14. annorum: unde excluditur tantùm, ut dictum est, inimicus capitalis. Vide Gundissalvum *de hæret. q.13. n.10. & 12.* Pegnam *in direct. Inquisit. p.3. comment.114. & comment.119. p.2. comment.13.* Zecchium *in sum. tom.1. tit. de fide c.11. n.14.* Simancam *in cathol. instit. tit.64* Rojas *singul.197.* Mascardum *lib.2. concl.762. n.22.* & alios penes ipsos.

Sup hoc in tr. 12. ref. 1. §. 1. in fine, vers. Excipitur.

2. Dico secundò quòd supradicti testes inhabiles admittuntur sine tortura, & licèt aliæ adsint probationes, vide Rojas *singul.188. n.6. & de hæret. p.2. n.153.* & alios relatos à Mascardo *lib.2. concl.857. n.31.* cum Simanca *ubi suprà, n.37.* & Deciano *in tr. crimin. lib.5. c.35. n.1.* Et hoc verum est non solùm si procedatur per viam Inquisitionis, sed etiam per viam accusationis, quidquid in contrarium asserat Barbosa *in collect. tom.3. lib.5. tit.2. c.5. n.8.*

Sup. hoc inf. in tr. 11. ref. 11. à lin. 6.

Sup. hæc in ref. not. præteritæ §. Nota secundo.

3. Dico tertiò hos testes non esse admittendos in hæretici defensionem, si ab ipso inducantur, quidquid asserat Gomez *tom.3. var. c.12. n.13.* & alij. Sed nostram sententiam tenet Rojas *singul.188. n.9. & 10. de hæret. p.2. n.177.* Farinacius *de hæresi q.188. num.81.* & ego ipse *suprà.*

4. Limitatur tamen hæc opinio circa familiares, domesticos, & consanguineos, qui admitti possunt in favorem hæretici, non tanquam integri testes, sed tanquam testes diminuti, maximè si sint probatæ vitæ, & ita tenet Pegna *in director. Inquis. p.3. comment.119.* Zecchius *ubi suprà*, & alij. Verùm negativam sententiam tenent plures, quos refert Mascardus *de probat. lib.2. concl.857. n.24.* Crottus *de testibus, n.105.* Farinac. *de hæresi q.188. n.149.* & alij.

Sup. ibidem §. Notandum est. Et pro familiaribus, domesticis, & cõsanguineis contentis in hoc §. limitatur, ibidem §. verum ad medium à vers. Hinc à fortiori.

5. Dico quartò supradictos testes inhabiles, criminosos, &c. non integrè delictum probare, ex quo fit duplice teste conteste, sociis criminis, aut aliàs inhabilibus non posse reum ad pœnam ordinariam condemnari, etiamsi indicia, & circumstantiæ concurrant, quibus præsumi potest veritatem deponere. Et ideò depositio unius testis inhabilis rarò ad torturam sufficit, nisi aliis adminiculis & præsumptionibus gravibus adjuvetur.

Sup. contentis in hoc §. infra in tr. 11.

Depositio

Ref. 11. §. Nota quarto, signanter ad med. & in aliis ejus annot.

Depositio verò duorum sufficiet ad torturam, vel ad pœnam extraordinariam; trium, vel quatuor depositio ad condemnationem ordinariam sufficiet, quia ex multitudine deponentium fulcitur eorum inhabilitas. Vidè Pegnam *in direct. part.3.q.64. comment.113.* Farinac. *de hæresi, q.188. n.83.* Mascard. *de probat. lib.2. concl.857. n.38.* Delrium *in disquisit. magic. lib.5. in append. 2. q.12.13.14. & 15.*

Sup. hoc inf. in Ref.75 à princ.

6. Dico quintò, non probari delictum plenè & perfectè, esto cum teste aliàs inhabili concurrat testis omninò integer, & valdè dignus, nisi concurrerent aliæ circumstantiæ & indicia. Vide Sanctarellum *de hæresi, cap.38. dub.unic.num.7.* Pegnam *in direct. Inquis. part.3. comment.113.* Farinacium *quæst.188. num.69.* & alios.

7. Verùm libet hîc adnotare breviter aliqua circa testes singulares, unde præmitto triplicem esse singularitatem testium, obstativam, adminiculativam, & diversificativam. Obstativa singularitas est, cujus dictum alterius dicto repugnat. Adminiculativa est, cujus dictum alterius dicto favet & patrocinatur, ut v.g. si unus deponat vidisse delinquentem, alter audivisse. Diversificativa est cùm ex testium depositionibus diversus actus in specie, & in substantia colligitur, ut si quis dicat, Petrum hæresim commisisse tali die & tempore, alius verò deponat alio loco & tempore. Ita Paramus, Rojas *de hæret. part.2. n.122.* Pegna *in direct. Inquis. part.3. comm.121.* & alij communiter. Hoc igitur supposito.

8. Dico sexto, testes singulares singularitate obstativa nihil probare, testes verò singulares singularitate adminiculativa, seu cumulata, vel diversificativa, licèt delictum plenè non probent, quoad pœnam ordinariam, probant tamen quoad torturam, & quoad pœnam extraordinariam, quia delictum per dictos testes plusquam semiplenè probatur. Ita Pegna *ubi suprà.* Parisius *libro 4. consilio 2. num.93.* Mascardus *de probat. lib.2. conclus.856. num.12. & seq.* cum aliis.

Sup. hoc inf. in §. Dico undecimo, hujus Ref. & in aliis ejus annot.

9. Dico septimò, aliquos asserere duos testes omni exceptione majores sufficere ad convincendum aliquem de hæresi, etiamsi unusquisque de suo actu hæreticali divèrso testificet, ut si, v. g. unus testis dicat te ex observantia legis antiquæ Sabbatum custodisse, alius jejunasse, vel te circuncidi permisisse. Ita Simanca *in Cathol. institit. tit.37. num.11.* Menochius *lib.1. consil.82. num.138.* & alij, licèt magis probabiliter contrarium asserant Rojas *de hæret. part.2. num.142. & seq.* Pegna *in direct. part.3. comment.121.* & alij, quos ego *suprà* in hoc tractatu citavi. Dico igitur supradictos testes non esse sufficientes ad condemnandum aliquem pœna ordinaria, sed tantùm ad pœnam extraordinariam.

Sup. hoc inf. in tr.12. Ref. 31. §. inter princip. & med. à vers. Secum hæc omnia.

10. Dico octavò, Testes deponentes de quodam actu hæreticali, variantes tamen in loco & tempore, sunt testes singulares, nec sufficiunt ad convincendum aliquem de hæresi. Ita Pegna *ubi suprà.* Mascardus *de probat. lib.2. concl.856. num.13.* & alij, licèt aliqui probabiliter contrarium asserant, ut Conradus Brunus *lib. 4. de hæret. cap.9.* Albertinus, Simanca, & alij, quos ego *suprà* in hoc tractatu citavi.

11. Dico nonò, quòd si unus testis deponat de hæresi tali loco & tempore prolata, & alius de illa deponat, non designato tempore, nec loco, testes contestes debent reputari, sed non integrè, & ideo ex illis delictum plenè non probatur, unde reus non potest condemnari ad pœnam ordinariam. Vide Farinacium *quæst.64. num.74. & num.107.*

12. Dico decimò, testes deponentes de eadem hæresi commissa eodem loco & tempore, si in verbis discordant, faciunt plenam probationem, ut v. g. si aliquis testis deponat Petrum in tali loco & tempore dixisse, imagines non esse venerandas, alius verò testis deponat illum dixisse inutilem & abolendum esse usum sacratum imaginum. Et ita tenet Pegna *ubi suprà, p.3. comment.121.* Rojas *de hæret. part.2. n.132.* Mascardus *de probat. lib.2. concl.856. n.18.* & alij, quidquid in contrarium sentiat Albertinus *in cap.2. q.16. n.24. de hæret. & q.34. n.47. de agnoscend.*

13. Dico undecimò, ex multitudine testium singularium neminem ut hæreticum in pœnam ordinariam condemnari posse. Itaque si quatuor vel plures testes omni exceptione majores deponant, quilibet de sua propositione, vel actu hæreticali, non sufficiunt ad condemnandum aliquem pro hæretico ad pœnam ordinariam. Ita docet Pegna *ubi suprà.* Beroius *in cap. licèt causam, n.43. de probat.* Crottus *de testibus part.7. n.326.* Rojas *de hæret. part.2. num.146. & seq.* quicquid in contrarium asserat Cæpolla *consil.3.* Marsilius *consil.1. n.71.* & alij, quos *suprà* citavi & citat Farinacius *q.64 n.305.* & quia in hac resolutione secundo incidit de testibus, aliqua præter superiùs dicta etiam hîc adjungam. Igitur.

Sup. hoc inf. in §. Dico tertio, hujus Ref. vel in Ref. 31. ad hoc. in Ref. 75. §. ult.

14. Dico duodecimò testes in crimine hæresis posse interrogari, etiam lite non contestata, & parte non citata, quia Inquisitores procedunt in suis causis simpliciter & de plano, & ita docet Simanca *in cathol. institut. tit.64. num.15. & in enchirid. tiul.35. num.8.* Pegna *in direct. part.2. comment.19.* Rojas *singul.125.* & alij. Sed difficultas est, an sic examinati probent? Quæro igitur.

RESOL. XLII.

An Inquisitores præter Secretarium, quando recipiunt testes teneantur adhibere duas Religiosas personas?

Et an sub nomine Religiosorum intelligantur etiam Clerici?

Et an etiam data copia Regularium, & Clericorum, sufficiant laici graves, & prudentes?

Et an Episcopi in recipiendis testibus contra Hæreticos teneantur adhibere dictas duas personas Religiosas?

Ex p.4. tr.8. Ref.12.

§.1. REspondeo affirmativè, ex *cap.ut officium, §. verum, de hæret. in 6.* sed sub nomine Religiosorum intelligi etiam Clericos, docet Simanca *in instit. cathol. tit.64. num.9.* imò laicos graves & prudentes tenet Pegna *in direct. Inquis. part.3. quæst.63.* Sed hanc Pegnæ opinionem Piasecius *in praxi part.2. cap.4. artic.6. num.4.* & M. Anton. Genuens. *in praxi Archiep. cap.68. num.1.* limitant quando Clerici inveniri non possunt, tunc enim laici graves & prudentes adhibendi sunt.

2. Sed ego absolutè puto etiam data copia Regularium & Clericorum sufficere laicos graves & prudentes, & ideo Zecchius *in summ. tom.1. de hæret. cap.11. num.15.* Scaccia *de judiciis lib.1. cap 87. num.16.* & Sanctarellus *tract. de hæresi c.38. dub.unic. num.5.* asserunt, quòd in Tribunali S. Inquisitionis absque præsentia personarum religiosarum fiunt processus, & tales processus approbat Generalis Inquisitio Romana, & notant esse magis consilium, quàm præceptum quod debeant interesse duæ personæ religiosæ. Verùm in Tribunali S. Inquisitionis Hispaniæ in recipiendis testibus adsunt semper quinque personæ, Iudex, testis, scriba, seu Notarius, & duæ religiosæ personæ, & religiosas personas voco non regulares, ut *suprà* dixi, sed quæ animi candore & Religionis zelo commendentur. Ita noster Paramus *de orig. Inquis. lib.3. q.4. n.50.* Vide etiam Menochium *vol.2. consil.149.*

Sed

Sed an Episcopi in recipiendis testibus contra hæreticos teneantur adhibere dictas duas personas religiosas, negat Repertorium Inquis. *in ver. examinatio testium*, sed affirmat, & optimè, Pegna *in direct. part. 3. q. 63. comment. 112.*

RESOL. XLIII.

An Inquisitores possint recipere testes ad perpetuam rei memoriam ad instantiam fiscalis, ut postea faciant fidem contra reum? Ex p. 4. tr. 8. Resol. 115.

§. 1. VIdetur negativè respondendum, ex *glos. 3. in cap. quoniam frequenter, ut lite non contestata*, ubi declarat textum, scilicet quo *ibi* dicitur, quòd possunt recipi testes ad perpetuam rei memoriam, etiam lite non contestata, ut intelligatur in causis civilibus, non autem in criminalibus. Vnde infertur quòd testes recepti in summario judicio non faciunt fidem in plenario judicio, etiam in criminibus exceptis, cùm sint recepti ante litem contestatam. Ita Bartol. *in l. fin. ff. de quæst.* Felinus *in cap. 2. de testibus*, & alij.

2. Verùm his non obstantibus in favorem fidei affirmativam sententiam tenendam esse puto, unde hic apponam verba doctissimi Didac. Canteræ *in quæst. crim. cap. 2. de probationibus per testes, quæst. 1. num. 46.* ubi sic asserit. Sed an habeat locum in causa hæresis, cùm sit causa criminalis, scilicet quòd testis examinatus ad perpetuam rei memoriam ad instantiam fiscalis faciat fidem postea contra illum, contra quem deponit, v. g. Aliquis testis qui dixit contra alium, condemnatur & relaxater ad judicem sæcularem, vel mittitur ad triremes, vel se absentat, postea capitur reus, an in plenario judicio contra reum si non invenitur, faciat fidem contra talem reum, contra quem fuit examinatus ad perpetuam rei memoriam, ad instantiam & petitionem fiscalis. Et in hoc casu credo quòd faciat fidem saltem in crimine hæresis. Et licèt certè talis testis non diceretur testis omni exceptione major, & sic durum mihi videretur quòd per talem testem poneretur quis ad torturam, tamen in hoc judicio Inquisitionis servatur quòd per talem testem quis poneretur ad torturam, si aliàs testis deponeret verisimilia, & daret rationem sui dicti, præcipuè quando alia, licèt minima, præsumptio esset contra reum. Hoc fuit sic determinatum in Consilio supremo Inquisitionis, & vidi quamdam epistolam, per quam ipsi mandant quòd talis testis faciat plenam fidem, & per talem testem procedatur, si aliàs testis diceret verisimilia, & redderet rationem sui dicti. Et certè hoc videtur provisum in favorem fidei, per text. *in cap. in fidei favorem, de hæret. in 6.* licèt mihi semper visum est durum ut testis examinatus ad perpetuam rei memoriam faciat plenam fidem si non examinatur in plenario. Tamen, ut dico, ego vidi practicari in Inquisitione Regni Galiciæ, ubi quidam Monachus deposuit contra propriam matrem, & ex eo quòd habebat mandatum à Superiore, ut se conferret in Italiam, ex hoc fuit examinatus, & ratificatus ad perpetuam rei memoriam, & valuit ejus dictum, ex quo fuit capta mater, & processum fuit contra eam. Hæc omnia Cantera, quæ sunt valdè notanda à DD. Inquisitoribus.

RESOL. XLIV.

An Inquisitores possint examinare testes nominatos in denunciatione facta sine nomine denunciatoris; quia certum est, quod absentes admittuntur in crimine hæresis, si proprio nomine, & juramento denunciationem firment? Ex p. 4. tr. 8. Resol. 41.

§. 1. CErtum est quòd etiam absentes admittuntur in crimine hæresis si proprio nomine, & juramento denunciationem firment, ut probat Simanca *in cathol. instit. tit. 43. n. 10. & in enchir. tit. 32. num. 8.* Zecchius *in sum. tom. 1. tit. de fide cap. 11. num. 12.* & alij. Sed difficultas est, an Inquisitores possint procedere ad examinandum testes nominatos in denunciatione facta in scriptis sine nomine denunciatoris? Affirmativè respondet Paramus *de orig. Inquisit. lib. 3. quæst. 6. num. 93.* Sed adversùs illum, & meritò, insurgit Ferdinandus à Castro *tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 4. num. 4.* & Farinacius *de hæresi quæst. 85. num. 68.* ubi ait quòd etiamsi in schedula sine nomine transmissa sint testes nominati, non debent procedere Inquisitores ad eorum examen, & ita testatur servari Romæ in Tribunali Generalis & S. Inquisitionis. Ratio est, quia talis nominatio testium debet rejici tanquam suspecta, cùm procedat à persona incognita. Sed adversùs Castrum & Farinacium opinio Parami olim mihi non displicebat, nam quæ major persona suspecta, quàm inimicus capitalis & tamen Castr. & Farinacius admittunt testes quos inimicus capitalis defert: ergo quanto magis admittendi sunt testes quos denunciator occultus præstet. Verùm quia praxis est in contrarium, à contraria opinione non est recedendum.

RESOL. XLV.

An Inquisitores possint admittere inimicos in testes? Et an vero suspecti de inimicitia, ut amici, subditi, aut consanguinei capitalis inimici admittantur in testes? Ex p. 4. tr. 8. Resol. 16.

§. 1. REspondeo negativè cum Simanca *in institut. cathol. tit. 64. num. 80.* Gundissalvo *de hæret. quæst. 13 num. 13.* Zanchinus *cap. 13. num. 3.* Repertorium Inquisitorum *part. 3. quæst. 67.* & *ibi* Pegna *comment. 116.* & Ioan. Rojas *de hæret. part. 2. num. 231.* ubi asserit, quod testi inimico non sit credendum, etiam in articulo mortis, & etiam quòd deponat in tortura, & etiamsi sit reconciliatus, dummodo reconciliatio fuerit recens, secus si antiqua. Vnde ex officio Inquisitores debent diligenter inquirere de inimicitia testium tam ipsos testes, quàm inquisitos.

2. Sed hæc omnia intelligenda sunt de inimico capitali, secus de inimico non capitali, nam inimicitia si non fuerit capitalis, non impedit, ut aliquis non possit esse testis, licèt fidem aliquantulum diminuat. Et ita docet Parisius *lib. 4. consil. 2. n. 46.* Zecch. *in sum. part. 1. tit. de fide, rubr. de hæresi cap. 11. num. 14.* & alij. An verò suspecti de inimicitia, ut amici, subditi, aut consanguinei capitalis inimici, admittantur in testes? Negat Hieronymus Gabr. *consil. 178. numero 8. & 24. lib. 1.* Sed affirmant Calderinus & Zanchinus, quos refert Farinacius *tract. de hæresi quæst. 158. §. 6. numero 107.* Verum hi DD. ut benè observat Sanctarellus *tract. de hæresi cap. 38. dub. unic. numero 14.* sunt intelligendi, quando adsunt probabiles conjecturæ quòd non adducantur ex odio ad testificandum, sed ex zelo fidei, quod prudens Inquisitor observare debet, ideo dictis testibus non creditur, nisi in quantum legitimo adminiculo adjuventur, ut cum DD. citatis docet Sousa *in aphor. Inquisit. lib. 2. cap. 13. num. 8.*

3. Verùm his non obstantibus Castrus Pal. *tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 15. §. 1. num. 10.* tenet amicum

strictum, vel consanguineum inimici capitalis rei repellendum esse à testificando in crimine hæresis, & citat Gabrielem *ubi sup.* Sed ego non recedo ab opinione Sousæ & aliorum; in casu verò occurrenti quænam sint inimicitiæ capitales, DD. Inquisitores & eorum Consultores videant Almontem Ciazzium *in disceptat. crim. discept. 34. cap. 1. num. 1. & seq.* cum aliis DD. *ubi supra.*

RESOL. XLVI.

An Inquisitores possint, & debeant interrogare testes, an sint Iudæi, Sarraceni, &c. Ex p. 4. tr. 8. Resol. 114.

§. 1. VIdetur prima facie respondendum negativè, quia nemo tenetur detegere turpitudinem suam, & ita loquens de testibus notavit Abbas & Bartolus *in l. 1. de offic. Assess.* & hanc dicit communem opinionem Felinus *in cap. cùm causam, de testibus num. 44.*

2. Verùm his non obstantibus affirmativè respondendum est, quia, ut observat Didacus Cantera *in quæst. crim. cap. 2. de vera de confessione, num. 41. fol. mihi 95.* in crimine hæresis solet interrogari testis, an sit ex genere Iudæorum, vel Saracenorum? & sic observatur & practicatur, quod durum videtur, tamen sustinetur ratione fidei, & fundatur in quadam Instructione Inquisitionis in novis, & de jure posset bene sustentari, quia est maxima præsumptio contra descendentem ex Iudæis, vel Saracenis, quando tractatur de fide, & cùm sit ex genere Sarracenorum, vel Iudæorum, præsumitur quòd non dicit veritatem contra eos, qui sunt ejusdem generis, ut experientia docet, ideo bene potest interrogari testis sit ne de genere Sarracenorum, vel Iudæorum, vel non. Nam cùm sit testificatus de hæresi, saltem semiplenè, antequam capiatur, & hac de causa potest interrogari de delicto principali, cùm sit testificatus, nimirum si posset interrogari de genere, cùm sit multum annexum causæ principali, & hoc potest probari ex textu *in cap. quia verisimile*, & quæ *ibi* tradunt DD. *de præsumpt.* Hæc omnia Cantera.

RESOL. XLVII.

An si reus nihil testibus opposuerit, teneantur adhuc Inquisitores inquirere qualitates, & vitam testium? Ex p. 4. tr. 8. Resol. 114.

§. 1. VIdetur, quòd non, quia fiscus qui producit testes, habet præsumptionem juris pro se, cùm omnes testes præsumantur idonei, & omni exceptione majores, ut dicit glossa *in cap. de testibus*, & standum esse dicto testium, si nihil in persona eorum opponatur, aut objectum fuerit, ut patet ex *cap. præsentium, de testibus.* Vnde in sacro Inquisitionis Tribunali, licèt ad condemnandum reos necesse sit ut testes sint omni exceptione majores; attamen fiscus hoc non articulat, neque probat testes ad sui instantiam productos esse tales, quidquid asserant Doctores, quos citat & sequitur Almon Ciazzius *in disceptationibus criminalibus, disceptat. 22. num. 27.* ubi ex Decio, Parisio & aliis docet quòd ubi requiritur testis omni exceptione major, de necessitate fiscus articulare & probare debet ipsum esse talem, aliàs probatio non relevat.

2. Verùm licèt, ut dixi, hoc in Tribunalibus Inquisitionis non servetur, attamen negandum non est debere Inquisitores etiamsi testibus à reo nihil opponatur inquirere vitam eorum, conditiones & qualitates. Vnde doctissimus Inquisitor Albertin. *in cap. 1. de hæret. in 6. q. 16. n. 28 & seq.* postquam probaverat, quòd standum est dicto testium, si nihil in personas eorũ sit objectum à reo nihilominus ait: *in n. 32.* judex debet etiã reo non petente, nec opponente, animum suum informare de conditione testis, præsertim in causis fidei, quoniam nomina testium non revelantur, ut possit ipse judex adhibere vel non adhibere fidem testibus, visa illorum conditione. Sic Albert. & ita olim in una consultatione reus inquisitus de quadam hæresi formali, cùm nihil opposuerat contra testem fiscus instabat torquendum esse: nam testis, ut dictum est *supra*, censetur idoneus, & omni exceptione major, si reus adversùs illum nihil opponat, unde tunc ego petendo nomen supradicti testis, inveni illum hominem criminosum, unde reus pro illa hæresi ad torturam minimè positus fuit. Vnde DD. Inquisitores videant Campegium *in annot. ad Zanchinum, cap. 13. lit. B. ver. de aliis verò inimicitiis*, ubi docte, ut semper solet, de hac obligatione Inquisitorum pertractat.

3. Non desinam tamen hic obiter adnotare cum docto Simanca *in enchirid. tit. 35. n. 23.* quòd contra testes in causa hæresis non excipiuntur exceptiones, nisi tales sint illæ, quæ illos penitus tollant, videlicet inimicitiæ capitales, conjurationes, subornationes, & alia ejusdem generis, nam cæteræ fidem testium elevant, sed eam prorsus non tollunt. Ita ille.

RESOL. XLVIII.

An Inquisitores debeant confrontare testes cum reo? Ex p. 4. tr. 8. Resol. 63.

§. 1. REspondeo quòd in aliis delictis hoc facere expedit, ex *l. si postulaverit, §. quæstioni, ff. ad legem Iuliam de adult.* tamen in causa hæresis à DD. Inquisitoribus hoc minimè efficiendum est. Vnde *in instruct. Tolet. ann. 1562. n. 72.* sic habetur. [Aunque en los otros Iuyzios suelen los Iuezes para verificaçion de los delitos carear los testigos con los delinquentes, en el Iuyzio de las Inquisiçion no se deve, ni se acostumbra hazer, y por esperiencia se ha que si alguna vez se à hecho, no ha resultado buen efeto antes se han seguido dello inconvenientes.] Ita ibi, & ratio est, quia si testes cum reo essent confrontandi, abstinerent à delicto denunciando. Et ita docet Sanctarellus *de hæresi cap. 39. dub 4. n. 22.* Pegna *in direct. Inquisit. p. 3. comment. 23. n. 101. & comm. 48. n. 209.* limitat tamen supradictam sententiam Genuensis *in praxi Archiep. c. 68. n. 6.* ex Pegna *loc. cit.* in duobus casibus. Primò quando testes sunt socij criminis. Secundò, quando recto judicis arbitrio omne testium periculum cessaverit, nempè si reus est persona vilissima, qui parum curat habere bonam, vel malam famam, ut meretrix, & similes infames.

2. Verùm non desinam hîc apponere verba Sigismundi Scaccia *de judic. lib. 1. cap. 87. n. 19.* ubi sic ait: Quamvis Inquisitori videatur cessare periculum confrontandi testes: tamen solus non debet ad apertam recognitionem & confrontationem devenire sine concensu Episcopi, & peritorum, qui si secum non consentiant, consulet majores Inquisitores, quia etiam in supremo Senatu generalis Inquisitionis nunquam fiunt recognitiones, seu confrontationes, nisi re cognita & decreto interposito per Cardinales, Inquisitores generales. Vnde tu sume argumentum quàm cautè in re tam periculosa debeas procedere. Ita Scaccia *ubi sup.* qui etiam apponit formam & practicam, quomodo & quando est necessaria confrontatio, & fieri debeat ipsi reo non videnti testem. Et ideo in casu contingenti videant DD. Inquisitores supradictum Scacciam.

RESO

RESOL. XLIX.

An in ratificatione testium debeant Inquisitores eis præbere, si petant, primam attestationem?
Et an in ratificatione testium Procurator fiscalis non possit esse præsens? Exp. 4. tr. 8. Res. 17.

§. 1. CErtissimum est quòd testes in summario judicio recepti, & examinati in plenario, medio præstito juramento, debent iterum examinari & reproduci, seu, quod vulgò dicitur, ratificari, & quòd aliter nec fidem faciunt in judicio. Hoc supposito ad dubium propositum sic respondet Simanca *in instit. cathol. tit. 64. num. 24. & 25.* Cùm autem objecta crimina negat reus, tunc accusatione à Procuratore fiscali post admonitiones edita, testes iterum ab Inquisitoribus vocandi & rursus interrogandi sunt, quod fieri solet non ostenso illis priori testimonio, ut rectiùs intelligi queat: utrùm vera, vel falsa dicant, mendacem enim memorem esse oportet, quamvis in aliis causis aliud fieri debeat, ne testis anceps perjurium subire cogatur. Præterea cùm in hac posteriori testium examinatione, omne ferè testimoniorum pondus persistat, quamvis reus dicat se habere velle testes, ut vulgò dicunt, pro ratificatis, nihilominus judices eosdem iterum examinare & interrogare debent, ne fortè defensio reorum pereat, cui ne nominatim quidem renunciare queunt. Ita Simanca.

2. Sed hanc sententiam quoad primum dictum, si longum tempus sit elapsum, inhumanam vocat Ioan. Rojas *singul. 206. num. 2.* ubi sic ait: In crimine hæresis testes debent iterum suum dicere testimonium, non ostenso, vel exhibito priori dicto, secundùm aliquos, quod satis inhumanum, meo judicio, esse arbitror, nam si longum tempus esset elapsum, jam primæ attestationis testis esset penitus oblitus, cùm labilis sit hominum memoria, ideo cautus testis dicat, quòd si apparuerit aliter dixisse in alia examinatione quàm hìc, quod ex nunc corrigit dictum suum, & illud reducit ad primum dictum, cùm illo tempore melius hujus rei erat memor. Hæc Rojas.

3. Nota etiam quòd M. Anton. Genuensis *in praxi Archiep. cap. 68. num. 4.* quoad secundum dictum Simancæ sic asserit. Si inquisitus vellet habere testes fisci pro repetitis, Curia procedit ad ulteriora, nisi aliud faciendum videretur, quia ut reus defendatur, solet Curia repetere ex officio testes, licèt reus habeat ipsos pro repetitis. Ita ille, qui sibi videtur contradicere. Vnde his omnibus minimè obstantibus, & praxi Sacræ Inquisitionis Hispaniæ, non recedit ab opinione Simancæ, quam etiam approbat novissimè Bobadilla *in polit. lib. 2. cap. 21. num. 53.* Suarez de Paz *in praxi tom. 1. part. 5. cap. 3. §. 9. num. 6.* Ludovicus Miranda *de ordine judiciario tom. 1. quæst. 18. art. 7. in fin.* & Genuensis *ubi supra num. 3.* ubi ait, non esse legendam testibus primam depositionem; & Suar. de Paz *in praxi tom. 1. part. 5. quæst. 4. §. 9. num. 3.* asserit, quòd non sufficit, quòd rei habeant testes pro repetitis. Vide etiam Simancam *tit. 24. num. 24.* ubi ponit praxim, quando testis in ratificatione sibi contradixit, sic enim ait. Si posteriora testimonia cum prioribus congruentia non fuerint, tunc testibus legi debent priora testimonia & interrogandi sunt, cur illa tam variè dixerint, & modestè monendi sunt, ut in veritate persistant, postremò quidquid responderint, scribendum est, & testes varij ac vacillantes in custodiam mittendi sunt, & si id causa deposcit, torquendi & puniendi sunt. Ita Simanca.

4. Verùm non desinam hic apponere in gratiam lectorum ea, quæ circa præsentem quæstionem determinat Instructio Toler. *an. 1561.* edita Matriti *anno 1574.* ubi *num. 30.* sic ait. [Los testigos se ratificaran en la forma del derecho ante personas honestas, que seran dos Ecclesiasticos, que tengan las qualidades que le requieren, Christianos viejos y que hayan jurado el secreto, y de que se tengan buena relacion de su vida y costumbres, ante los quales se les diga como el fiscal los presenta por testigos. Preguntese les si se acuerdan haverdicho alguna cosa ante algun Juez in cosas tocantes a la fe y si dixere que si diga la sustancia de su dicho, y si no se acordare haganse le las preguntas generales por donde se pueda acordar de lo que dixo, y si pidiere que se lea, hazer se ha assi. Ita ibi.

5. Nota etiam quòd in ratificatione testium Procurator fiscalis non potest esse præsens, & sic habetur in ejus Instruct. *num. 4.* edita Matriti 1576. ubi sic ait. [Los fiscales de las Inquisiciones al tiempo que presentaren sus testigos para los ratificar despues que en su presencia por los Inquisidores les sea recebido juramento no esten presente ni los Inquisidores se le permitan.]

RESOL. L.

An Inquisitores possint admittere ad accusandum inimicum capitalem?
Et an in accusatione hæresis non sint necessariæ solemnitates legis libellorum?
Et an in accusatione porrecta contra hæreticum per Procuratorem fiscalem non debeatur apponi locus loci, & tempus præcisum commissi criminis, sed tantum mensis, & annus, & oppidum, seu Civitas? Ex part. 4. tract. 8. Res. 40.

§. 1. REspondet Negativè Eymericus *in direct. Inquisit. part. 3. quæst. 67.* & *ibi* Pegna *comm. 116.* Carrerius *tract. de hæret. n. 107.* & alij, quia inimicus capitalis, & omnes concedunt, repellitur à testificatione in crimine hæresis: ergo repellendus est ab accusatione. Probo consequentiam, quia, ut patet ex *cap. testes 2. q. 7.* & probat fusius Decianus *in tract. crim. lib. 3. cap. 25.* repulsus à testimonio, repellitur ab accusatione: ergo, &c.

2. At his non obstantibus, ego puto inimicum capitalem in causa hæresis admitti posse ad accusandum, cautè tamen & ut suspectus. Et ita hanc sententiam tenet Ferdinand. de Castr. *in op. mor. tom. 1. tr. 4. disp. 8. punct. 2. num. 7.* & alij penes ipsum, quibus ego addo Nicolaum Arelatanum *notab. 10.* ubi sic ait: Non ignoras inimicum capitalem repelli ab accusatione: sed hoc verum non est in crimine hæresis, in quo inimicus inimicum accusare potest. Ratio est, nam tunc inimicus dicitur accusare ut persequatur suam & suorum injuriam, quo casu apertissimi juris est inimicum admitti ad accusandum; quod autem dicatur suam, vel suorum injuriam persequi, probatur, nam quæ committuntur in Religionem divinam, omnium injuriam respiciunt, ex *l. Manichæos Cod. de hæret.* Ita Arelatanus. Adde quòd in tali casu accusator non probat, sed probationem præbet, & si ad hæresim accusandam inimicus non admitteretur, difficilè alius accusaret.

3. Notandum est hic obiter quòd in accusatione hæresis non sunt necessariæ solemnitates legis libellorum, *ff. de accusat.* ut advertit Scaccia *de judiciis lib. 1. cap. 52. num. 3.* & Decianus *in tract. crim. lib. 5. cap. 28. numero 10.* Vnde Paramus *de orig. Inquisit. lib. 3. quæst. 9. numero 93. & seqq.* dixit in accusatione porrecta contra hæreticum per Procuratorem fiscalem non debere apponi locum loci & tempus præcisum commissi criminis, sed tantùm mensem & annum,

oppidum, seu civitatem. Sed de hac quæstione vide Simancam *in cathol. instit. tit. 4. n. 9. & 10. tit. 43. n. 11.* Carrerium *de hæret. num. 109.* & Gundisalvum *de hæret. q. 12. n. 2.*

RESOL. LI.

Quomodo examinandi sint rei ab Inquisitoribus? Ex p. 4. tract. 8. Ref. 88.

§. 1. IN causis spectantibus ad fidem cautissimè incedendum est in examine hæretici versuti & callidi. Ideò primò reus in causa violatæ Religionis examinandus est de genere suo, de parentibus, de natione & patria, de educatione & disciplina, de bonitate & pravitate, de societate & amicitia, de moribus & verbis, an sciat propter quam causam sit captus, an aliquos habeat suspectos, quos & qua de causa, & insistat Inquisitor in omnibus quæ ad negotium fidei faciunt, superflua & aliena omnino omittendo. Secundò intra primos dies capturæ benignè erunt hi de fide suspecti admonendi ad dicendam veritatem, & dum Inquisitores eos examinabunt, poterit eis humile sedile concedere ad hoc ut magis quietum animum habeant. Tertiò ad habenda indicia eorum status scisciterntur ab eis consueta Catholicæ Religionis, quas devotiones habeant, quando & à quo confessi sint, si communicaverint, si Ecclesias frequentaverint, & quas preces soleat Ecclesia in præcipuis diebus fundere, & similia perquirent ab eis, quæ ut notissima apud omnes Christianos sciuntur, & hæc omnia docet Michaël Zanardus *in direct. Theolog. part. 3. cap. 87.* quæ adnotare volui, nam deserviunt ad ornatum nostræ Instructionis Toletanæ *anno 1561. à num. 13. usque ad num. 16.* ubi omnia supradicta & multa alia optimè pro examinandis reis præcipiuntur.

RESOL. LII.

An Inquisitores teneantur, antequam interrogent reos, manifestare infamiam, indicia, vel semiplenam probationem esse contra ipsos, ut intelligant legitime interrogari?

Et supponitur reum non teneri respondere, & veritatem dicere antequam aliqualiter sibi constet processus, acta, & judicem juste, & legitimè interrogare. Ex p. 4. tr. 8. Ref. 130.

§. 1. SVppono ex probabiliori sententia, reum non teneri respondere & veritatem dicere antequam aliqualiter sibi constet processus, acta, & judicem justè & legitimè interrogare, & ita docet Cajetanus *in 2. 2. quæst. 69. art. 2.* Sotus *de just. lib. 5. q. 9. art. 2.* Navarrus *in manuali cap. 25. num. 33.* Bernardus Diaz *in praxi crim. cap. 126. & ibi* Salzedus Aragon. *in 2. 2. quæst. 69. art. 2.* Avalos *in direct. part. 2. cap. 14. numero 30.* Miranda *in ordine judic. quæst. 18. art. 7. conclus. 1.* & ego alibi cum multis aliis. Vnde sequitur, quòd ut reus teneatur veritatem dicere, debet judex ei statum processus, & quòd ipse procedit juridice notificare. Vide Suarez, de Paz *in praxi tom. 5. part. 5. cap. 3. num. 14.*

Alibi in to. 6. tr. 1. Ref. 98. & ne deseras ibi legere doctr. Ref. 96. & alterius §. ejus primæ not. positæ contra tirutum.

2. Verùm cùm hæc omnia vera sint, tamen non procedit hæc sententia in causa hæresis, & sic Inquisitores non tenentur ad supradicta: unde doctus Ludovic. Peguera *in praxi crim. cap. 12. §. 5. num. 13.* sic asserit. In criminibus exceptis, ut sunt hæresis, crimen læsæ Majestatis, & proditio civitatis, non est necessum, ut reis à judicibus jus suum, quod habent ipsos interrogandi, reveletur. Non enim tanta infamia, aut tanta solemnitas in his criminibus, quanta in privatis ad reos, vel testes interrogandos requiritur. Nam in horum criminum inquisitione procedi potest simpliciter, & de plano, & absque strepitu & figura judicij, ut habetur *in cap. fin. de hæret. in 6.* Hæc Peguera *ubi suprà.*

RESOL. LIII.

An Inquisitores teneantur dare reo non solum Advocatum, sed etiam Procuratorem?

Et an Inquisitores possint censuris compellere Advocatos, ut alicujus rei causæ patrocinium suscipiant? Ex p. 4. tract. 8. Ref. 9.

§. 1. AFfirmativè respondet Instructio Hispal. *ann. 1484. n. 26.* ubi sic habetur. [Si el reo acusado pidiere que le den abogado y procurador que le ayude devendo dar los Inquisidores recibiendo el Iuramento en forma que ayudaran fielmente al tal acusado, alegando sus legitimas defenciones sin procurar, ni poner cavilaçiones, ni dilaciones maliciosas, y que en qualquier parte del pleyto, que supiere y conosciere, que su parte no tiene Iusticia no lo ayudarà mas, y lo dirà à los Inquisidores, y al acusado le deven dar de sus bienes, si los tiene para pagar el salario del letrado y procurador]Ita ibi. Sed hæc Instructio quoad Procuratorem revocata fuit per aliam Instructionem Toletanam *an. 1561.* ubi *num. 35.* sic habetur. [Aunque la Instruçion dispone que se de à los reos procurador no se le deve dar, porque la experiençia ha mostrado muchos inconvenientes que dello suelen resultar, y por la poca utilidad que de darse se conseguia à las partes, no esta en estilo de darse, aunque algunas vezes haviendo mucha necessidad se suele dar poder al abogado que lo defiende.] Et sic hodie non datur hæretico reo Procurator, sed tantùm Advocatus, ut tradunt Simanca *in Cathol. instit. tit. 1. n. 2. & 3.* Paramus *de orig. Inquis. lib. 3. quæst. 4. n. 48.* Rojas *singul. 53.* Pegna *in direct. Inquis. part. 3. comment. 28.* & alij.

2. Non desinam etiam hìc apponere ad aliorum Inquisitorum instructionem, ea quæ dicta instructio Toletana *num. 36.* determinat observanda ab Inquisitoribus Hispaniæ circa præsentem materiam rei & Advocati, sic enim habet. [Si el Reo pidiere papel para escrivir lo que à su defensa tocare devensele, dar los pliegos contados y rubricados del Notario, y assientese en el processo los pliegos, que lleva, y quando los bolviere se cuenten por manera que al preso no le quede papel, y se assiente asi mismo como los buelve, y darsele ha recaudo con que pueda escrivir, y quando pidiere que venga su letrado vendra y comunicara lo que le convenga, y le entregara los papeles, que tuviere escritos tocantes à sus defensas que el letrado huviere ordenado, antes de presentarlas darsele ha lugar, y adviertan los Inquisidores, que el letrado ni otra persona, no trate con los presos cosa ninguna, mas de lo que toca à la defensa y los abogados no se queden con ningun traslado de acusaçion, publicacion, ni de las tachas de los testigos, si no que todo le buelvã ante de los Inquisidores.] Hæc ibi, quæ multum deservient pro Advocatis, qui vocantur *de los presos.* Vide Simancam *ubi suprà*, qui etiam notat *num. 8.* quòd ea quæ Advocati allegant reo presente, perinde habenda sunt, ac si ab eodem reo proferantur, nisi fortè Advocatus erraverit, & reus intra triduum contradixerit. Sed in causa hæresis, etiamsi post

post triduum de errore, aut imprudentia Advocatorum consiterit, reo nocere non debet, quia simpliciter & summa æquitate in hoc judicio agitur, rejecto juris rigore. Ita ille.

3. Notandum est etiam hic obiter, quòd Inquisitores possunt censuris compellere sæculares Advocatos, ut alicujus rei causæ patrocinium suscipiant. Ita Alphonsus Narbona *in recopilat. lib.4. tit. 1. leg. 20. gloss. 22. num. 63.* ubi citat Bobadillam, & Decianum.

RESOL. LIV.

An Inquisitores possint recusari ut suspecti? Ex part.4. tr.8. Res.5.

§.1. DE hac quæstione agit Sigismundus Scaccia *de judiciis lib 1. cap.67. num.7. juncto cap.66. num.13. 16.* ubi respondet cum multis distinctionibus affirmativè. Idem docet Bernardus Gomensis *in lucerna inquisit. verb. excusatio Inquisitoris, num.1.* Tabiena *ver. Inquisitio 4. num.5.* Paramus *de orig. Inquisit. lib.3. q.2. n.54.* quidquid in contrarium asserat Rojas *singul.100. & de hæret. part.2. n.435.* cum Menochio *lib.1. cons.94. n.12.*

2. Sed Instructio Toletana *anno* 1561. sic *in n.52.* circa hoc dubium determinat. [Si alguno de los Inquisidores fuere recusado, por algun preso, si tuviere colega, y estuviere presente, deve se abstener del conocimiento de aquella causa, y avisar al Consejo, y en tanto no proceda en el negocio asta que vistas las causas de sospecha, el Consejo provea lo que convenga, y lo mismo se harà quando todos los Inquisidores fueren recusados.] Vide etiam Pegna *in direct. Inquisit. part.3. comment.30. §. Postremò videndum est,* Vbi asserit in tali casu recusationis non esse arbitros eligendos, sed ad supremum Senatum causa recusationis remittatur, ut ibi summatim recognita postea determinetur, si Inquisitor recusatus sit suspectus.

RESOL. LV.

An si Rei petant Confessarium, debeant Inquisitores eis illum concedere?

Et an Confessarius possit reum hæreticum priusquam ab excommunicatione fuerit absolutus, & reconciliatus, absolvere?

Et an in causa pendente non sit admittendus hæreticus ad audiendam Missam, neque illi debeatur concedi Confessarius nisi in periculo mortis, si fuerit conversus? Ex p.4. tr.8. Res.6.

§.1. AFfirmativè respondet Zanardus *in director. Theol. part.3. cap.86.* ubi sic ait: Si carcerati in S. Officio Confessarium petant, liberè eis dabitur, cùm hoc multum eorum saluti expediat, ut Deo reconcilientur: quæ reconciliatio erit medium ad reconciliationem cum Ecclesia.

2. At Instructio Toletana *anno* 1561. edita Matriti *anno* 1574 sic *in num.71.* asserit: [Si el preso tuviere salud, y pidiere Confessor, mas seguro es no se le dar salvo si huviere confessado judicialmente, y huviere satisfecho à la testificacion, en tal caso pareçe causa, conveniente dar le Confessor para que lo consuele, y le esfuerçe.] Et in casu quo Confessarius erit reo concedendus; dicta instructio ibidem sic ordinat. [Tomen juramento que tendra secreto, y que si el penitente le dixere en confession alguna cosa que de por aviso fuera de las carçeles que no acepte el tal secreto, ni de semejantes avisos. Y se fuera de confession se lo huviere dicho lo revelerà à los Inquisidores, y lo avisaran, y instruyran de la forma como se ha de haver con el penitente, significandole que pues esta preso por herege, si no manifesta su heregia judicialmente siendo culpado no puede ser absuelto.

3. Verùm, non obstante dicta Instructione Toletana, invenio Pegnam *in direct. Inquisit. par.2. comm.25. §. diximus hucusque de agrotantibus,* docere, benignius videri ut reis hæreticis etiam sanis Confessarius concedatur, etiamsi confessi non fuerint in judicio. Nam hinc multa commoda oriri possunt, & in hoc casu partes Confessoris erunt, reum cohortari ad deferendos errores suos, & dicendam integram veritatem tam de se, quàm de aliis: addat tamen ne tædio carceris, vel spe celerioris liberationis, aut metu tormentorum sibi, aut aliis falsum crimen imponat; non tamen Confessarius poterit absolvere dictum reum priusquam ab excommunicatione fuerit absolutus, & Ecclesiæ reconciliatus.

4. Sed ut plurimum praxis demonstrat securius esse, ut notat dicta Instructio Toletana, non dari reis Confessarium, nisi post confessionem judicialem, & ideo post hæc scripta inveni Piasecium *in praxi par.2. cap.4. art.6. num.7.* sic asserentem: Causa pendente non est admittendus hæreticus ad audiendam Missam, neque illi concedi debet Confessarius, nisi in periculo mortis, si fuerit conversus, quod est valde notandum in favorem instructionis Toletanæ.

RESOL. LVI.

Quam celeriter debeant Inquisitores expedire causas reorum. Ex p.4. tr.8. Res.72.

§.1. POnam hîc verba doctissimi Iacobi Simancæ *in instit.cathol.tit.44.num.32. & 33.* ubi sic ait: In causis fidei, quanta fieri potest brevitate procedatur, nec differantur, aut suspendantur spe futurarum probationum, quia forte nunquam supervenient, & interim rei opprimuntur, & eorum bona dissipantur ac dilabuntur. Et virandum quod Inquisitores quidam facere solent, qui ut reos quamplures simul puniant, multorum causas jam dudum concluSas diutiùs differunt, atque suspendunt. Ita ille.

2. Vnde in quadam epistola Inquisitoris Generalis 4. *Septembris* 1499. directa ad Inquisitores Barcinon. *n.3.* sic habetur: [Los Inquisidores tengan tiento en el prender, y no prender ninguno sin tener suficiente provacion, para ello, y despues de assi preso dentro de diez dia se le ponga la acusacion y en este termino se le haga las amonestaciones, que en tel caso se requieren, y proceden en las causas, y processo con toda diligencia, y brevidad sin esperar que subrevenga mas provança, y no den lugar à dilaciones porque dello se siguan inconvenientes assi à las personas, como à las haziendas. [Sic ibi.

3. Et in instruct. Vallisolet. *an.1488. n.30* ita habetur.] Item acordaron que los que fueran presos por este delito que no sean fatigados en las carçeles en la dilacion del tiempo, que luego se haga el processo con ellos, porque no haya lugar de quexarse, y no se detengan a causa de no haver entera provanca pues que es causa, que quando sobreviene provanca se puede de nuevo agitar, no obstante la sentencia que fuera dada.] Sed ad alia procedamus.

RESOL. LVII.

De mediis, quibus possunt Inquisitores terminare processum. Ex p.4. tract.8. Resol.77.

§.1. Quando reus non est plenè convictus, sed tantùm indiciatus, ita quòd jure absolvi non possit, habent Inquisitores tria remedia terminandi processum, unum scilicet per purgationem, aliud per abjurationem, & tertium per torturam, & hoc extremum videtur accommodatius cæteris ad eruendam veritatem, cùm purgatio & abjuratio inventa potiùs sint ad suspicionem & infamiam hæresis excludendam, quàm ad veritatem indagandam, & ita docet & observat Pegna *in direct. Inquis. part.3. comment.39.* Vnde non est audiendus Eymericus *in d. director. ubi supra, num.151.* docens quòd ad torturam deveniendum non sit quando adsunt indicia sufficientia ad abjurationem indicendam: sed nostra sententia clarè determinatur *in instruct. Toletana anno 1561.* ubi *n.* 46. 47. & 48. sic habetur.

2. [Quando esta semiplenamente provado el delicto o ay tales indicios contra el reo que no puede ser absuelto de la instançia en este caso ay diferentes remedios en derecho, que es abjuraçion de vehementi o de levi, el qual parece remedio mas para poner temor al reo para adelante que para castigo de los passados. Y por esto a los que abjuran se les imponen penitençias pecuniarias, a los quales se deve advertir en el peligro que incurren de la ficta relapsia si pareciessen otra vez culpados en el delito de la heregia y por esto deven los que abjuran de vehementi firmar sus nombres en las abjuraciones, aunque hasta a qui no ha sido muy usado, y se haga con la diligencia que esta dicho en los reconciliados.

3. Otro segundo remedio es la conpurgaçion la qual se deve hazer segun la forma de la instrucion con el numero de personas que à los Inquisidores ordinarios, y Consultores pareciere; a cuyo alvedrio se remite. En lo qual solo se deve advertir que por la malicia de los hombres en estos tiempos es peligroso remedio y no esta mucho en uso, y que se deve usar del con mucho tiento.

4. El tercero remedio es el tormento, el qual por la dversidad de las fuerças corporales, y animos de los hombres los derechos lo reputan por fragil y peligroso, y en que no se pueda dar regla cierta mas de que se deve remitir à la consciençia, y arbitrio de los Iuezes regulados segun derecho, razon, y buena consciençia.] Ita ibi.

5. Ad ornatum supradictæ Instructionis circa subscriptionem abjurantium, vide Pegnam *in direct. Inquis. part.3. comm.40.* ubi relatis Doctoribus, quorum aliqui in abjuratione subscriptionem necessariam affirmabant, aliqui verò secùs, concludit subscriptionem requiri, quando reùs pœnitens scit scribere; si verò nesciat, tunc aiſt debere Inquisitores & Notarium se subscribere, idque tutissimum dicit Decianus *in tract. crim. lib.5. cap.47. n.6. & 9.* Vide etiam Ioan. Rojas *singul.1. n.7.* Deltrium *in disquis. magic. lib.5. sect.12.* Simancam *in cathol. instit. tit.1. n.9. & 10.* Campegium *in addit. ad Zanchinum cap. 20. lit. B,* & Gundissalvum *de hæret. q.20. n.7.*

6. Quod autem dicitur in supradicta Instructione quòd remedium purgationis est periculosum, vide Pegnam *in direct. Inquis. par.2. comm.14.* & Farinacium *de hæresi q.194. num.64* ubi sic ait: Purgationis remedium est periculosissimum, fragile, fallax, & incertum, cum ab aliorum opinione & voluntate pendeat, & propterea illo non utendum, nisi rarò & cum magna cautela, utiliúsque & salubrius, est alias pœnas arbitrarias imponere, ad aliaque remedia confugere, & propterea in supremo Vrbis totiusque Christianæ Reipublicæ Sanctæ Inquisitionis Tribunali purgatio ab aula ferè recessit, & non nisi rarò induci solet. Ita Farinacius.

7. Et tandem ad intelligentiam supradictæ Instructionis dum dicit quòd quando sit danda tortura; remittitur arbitrio Inquisitorum. Vide Campegium *in addit. ad Zanchinum tract. de hæret. cap.9. lit. E. ver. nunquid.* Decian. *in tract. crim. lib.5. cap.35. n.20.* Pegnam *in direct. part.3. comment.39. & 110.* & Petrum Binsfeldium *de confes. malef. membr.2. post 5. conclus. §. exempli gratia, vers. licèt quispiam*, ubi declarat quale in isto casu debeat esse Inquisitorum arbitrium. Vide etiam Farinacium *tit. de indiciis & tortura, quæst.37. num.192. & seq.*

RESOL. LVIII.

Quomodo Inquisitores se gerere debeant in sententiis ferendis.

Et an in determinando qualitatem culpæ contra fidem anteponenda sit opinio Theologorum, opinioni Canonistarum, & in processando causam, & imponendo pœnam Canonistarum opinio præferatur?

Et an in ferenda sententia, si ex parte juris sint diverse opiniones, Inquisitores teneantur sequi opinionem probabiliorem, & quando sunt æquè probabiles, illam sequi debent, quæ magis favet reo; & si detur æquale dubium, tunc absolvendus sit reus? Ex p.4. tract.8. Resol.106.

§.1. Debent illas ferre in die, & non in nocte nisi multitudo negotiorum aliter fieri non permittat, & in publico, & in scriptis, aliter non valet, non tamen tenentur hæc efficere pro Tribunali sedendo, & dictas sententias modo quo *supra* possunt per alios proferre, & in sententiis condemnatoriis exprimendus est specialis error, de quo fuit reus notatus, ac criminis investigatio, ut citationes, admonitiones, confessiones, probationes, legitimæ inducitæ ad pœnitendum competentes, obduratus animus rei in erroribus, & reliqua quæ ad justum processum conficiendum requiruntur, & hæc omnia docet Pegna *in direct. Inquis. part.3. comm.40.* & alij.

2. Nota *hic* obiter quòd in determinando qualitatem culpæ contra fidem anteponenda est opinio Theologorum opinioni Canonistarum in processando causam, & imponendo pœnam Canonistarum opinio præferatur. Ita Azor. *tom.1. lib.2. cap.17. quæst.3.* Iudicia verò præparatoria tractari ab Inquisitoribus debent secundùm cujuscumque Inquisitionis stilum & in ferenda sententia, si ex parte juris sunt diversæ opiniones, probabilius est teneri Inquisitores sequi opinionem probabiliorem, quando autem duæ opiniones ex parte juris sunt æquè probabiles, illam sequi debent, quæ magis favet reo, cùm in dubio ipsi favendum sit, & si in parte facti secundùm quod probatur, detur æquale dubium, etiam tunc absolvendus est reus.

Quod in 10 n. 2. 22. dubium. § Sed hæc seq. & sic debitum alterius eorum citationem

RESOL. LIX.

An Inquisitores possint sine Episcopo proferre sententiam absolutoriam rei?

Et an sit usu receptum indicere abjurationem sine Episcopo? Ex p.4. tr.8. Resol.50.

§.1. Prima

Sup. hoc sup. in n. 9. Resol. 57. §. Sed quid.

§. 1. PRima opinio negat. Ita Simanca *in cathol. institit. tit. 3. num. 9. & in enchirid. tit. 51. num. 2.* Rojas *singul. 27. num. 7.* Zecchius *in summ. tract. 1. tit. de fide. cap. 11. num. 14.* Azorius *tom. 1. lib. 8. cap. 18. q. 16.* & alij.

2. Secunda opinio affirmat, & ita docet Molina *de just. tom. 5. tract. disp. 28. num. 15.* Iulius Clarus *in praxi crimin. §. hæresis, num. 5.* qui citat glossam *in Clem. 1. de hæreticis, in ver. Contra eos*, & Cartarium *in praxi.*

3. Tertia opinio distinguit. Vnde Michaël Zanardus *in direct. Theol. part. 2. cap. 6. quæst. 15.* sic ait: Quoad sententiam absolutoriam multi tenent Inquisitorem & Episcopum unum posse sine altero inquisitum de hæresi absolvere, ut Io. Andreas, Paulus Cardin. & Abbas; alij verò, ut Ancharanus, Aretinus, & Socinus oppositum sentiunt. Videtur autem mihi dicendum quòd absolvere inquisitum de hæresi stat dupliciter. Primò, quandò ex processu non resultat eum esse nec convictum, nec confessum, nec judiciis sufficientibus ad torturam indiciatū de hæresi. Secundò, quando est convictus, vel confessus, vel graviter indiciatur, ita ut torquendus veniat. Si primum, uterque potest seorsim reum absolvere, quia non est inventus reus, nec aliud contra eum manet agendum. Si secundum, unus non poterit sine alio eum relinquere & absolvere. Primò, quia torquendus est, & tortura non potest infligi ab uno sine alio. Secundò, quia sumus in negotio gravi, in quo postulanda est congregatio, & ad ulteriora est procedendum. Hæc Zanardus.

4. Mihi verò placeret prima opinio quæ fundatur *in Clement. 1. de hæret.* sed in aliquibus provinciis est consuetudo ut Inquisitores sine Episcopo proferant sententiam absolutoriam, & ideo Antonius Sanctarell. *de hæresi cap. 40. dub. 2. num. 13.* sic asserit. Alij sentiunt non posse Episcopum & Inquisitorem seorsim sententiam absolutionis proferre; quæ sententia est sequenda, nisi alicubi esset consuetudo in contrarium legitimè præscripta. Ira ille, & ego.

5. Sed an dicta consuetudo in sacro Tribunali Inquisitionis Hispaniæ vigeat, Molina *de just. tom. 5. tract. 5. disp. 27. num. 15. in fine*, affirmat. Sed Simanca *in cathol. instit. tit. 3. num. 9.* negat.

* Sup. in Resol. quæ hic est inf. in tr. 12. Resol. 3. §. Quarto secundo. in fin. & hic infra Resol. 100. Signanter in fine.

6. Nota etiam, ut * *suprà* adnotavimus, quod Sousa *in aphoris. Inquis. lib. 1. cap. 3. num. 5.* docet, esse usu receptum Inquisitores indicere abjurationem, & purgationem sine Episcopo, unde ubi adest talis consuetudo legitimè præscripta, ego illam, ut *suprà* dixi non damnarem.

RESOL. LX.

An Inquisitores possint procedere ad decisionem causarum sine Vicario Capituli Sedis vacantis?

Et an Capitulum Sede vacante sit judex in causa hæresis?

Et quid in ordine ad exemptos? Ex part. 4. tract. 8. Resol. 33.

Sup. contento in hac Resol. in to. 3. tr. 5. Resol. 21.

§. 1. REspondeo negativè, nam, ut *suprà* dictum est de Episcopo, dicendum est etiam de Capitulo Sede vacante, quod est judex ordinarius in causa hæresis, non exercendo hanc jurisdictionem per se ipsum, sed per Vicarium ad id specialiter deputatum, ut patet *in cap. ad abolen. de hæret.* ibi, *vel Clerici ipsi Sede vacante*, &c. & colligitur ex *Clem. 1. §. propter, de hæret.* Et ita hanc sententiam tenet Simanca *in cathol. instit. tit. 25. num. 6.* Gundissalvus *de hæret. quæst. 7. n. 8.* Decianus *in tr. crim. lib. 5. cap. 21. num. 13.* Carrera *tr. de hæret. num. 66. & 70.* Bonifacius de Vitalinis *in Clement. 1. num. 48. & 50. de hæreticis*, & alij. & hæc omnia procedunt non solùm quando sedes vacat absolutè, sed etiam quando Episcopus esset captivus, vel si non ministraret propter non expeditas literas, ut notant Decianus, Carrerus & Bonifacius de Vitalinis *locis citatis.*

2. Sed an Capitulum Sede vacante sit judex in causa hæresis modo quo *suprà* etiam in ordine ad exemptos, affirmat Socinus *in cap. ad abolendam, num. 44. &* Card. Zabarella *in Clem. 1. de hæret. §. duro. num. 60. in 8. quæst.* At ego contrariam sententiam tenendam esse existimo, quia Capitulum succedit Episcopo in his quæ Episcopo competunt de jure ordinario, non autem ex delegatione. Sed Episcopus, ut *suprà* notatum est, non est judex ordinarius exemptorum in causa hæresis, sed delegatus, ergo &c. & ideo nostram sententiam tenet Decianus *ubi suprà, num. 14.* & Carrera *n. 66.* cum Io. Andrea *in d. cap. ad abolen. num. 15.* Ancharano *num. 10.* & aliis.

Sup. hoc ibidem, & in ordine ad exemptos ibi in §. ult. & lata in §. ult. & lata in alia Resol. ejus annot.

RESOL. LXI.

An detur appellatio à sententia Inquisitorum lata contra hæreticos, eorum credentes, fautores, defensores, & receptatores?

Et an hæredes hæretici possint appellare à sententia lata contra hæreticum?

Et an detur appellatio a sententia interlocutoria gravaminis illati ante definitionem, & pariter in appellatione à Decreto torturæ? Ex part. 4. tract. 8. Resol. 20.

Sup. in Resol. quæ hic est infra in §. Quando ante medium.

§. 1. REspondeo quòd à sententia contra hæreticos, eorúmque credentes, fautores, defensores, & receptatores lata non datur appellatio, ut patet ex *c. ut Inquisitionis, de hæret. in 6.* & tradunt DD. ut Simanca *de Cathol. instit. tit. 6. num. 2.* Rojas *singul. 19. num. 1. & seq.* Paramus *de Inquisit. orig. lib. 3. quæst. 4 num. 58.* Decianus *in tract. crim. lib. 5. cap. 20 num. 26. & cap. 58. num. 1.* & Farinacius *de hæresi quæst. 185. §. 15. num. 227.* ubi *num. 230.* notat, quòd sicut hæreticus à sententia contra se lata appellare non potest, ita nec etiam appellare possunt illius hæredes.

Sup. contento in hoc §. in Resol. seq. §. 1.

2. Notandum est tamen quòd limitatur supradicta sententia à Farinacio *num. 232. & 235.* Calderino *tr. de hæret. cap. 29. num. 2.* cum aliis in appellatione à sententia interlocutoria gravaminis illati ante definitivam, & pariter in appellatione à decreto torturæ.

Sup. hoc ibidem §. Verum

3. Non gravabor tamen hîc apponere verba Instruct. Tolet. *anno 1561. num. 50.* ubi sic ait. [Deven los Inquisidores mirar mucho que la sentencia del tormento sea justificada, y precediendo legitimos indicios, y en caso que desto tengan escrupulo o duda por ser el prejuizio irreparable pues en las causas de heregia ha lugar apelacion de las interlocutorias otorgan la apelacion a la parte que apelare. Pero en caso que esten satisfechos de los legitimos indicios, que del proceso resultan esta justificada la sentencia del tormento, pues la apelacion en tal caso se reputa frivola, deven los Inquisidores proceder à la execucion del tormento sin dilacion alguna. Y adviertan que en duda han de otorgar la apelacion, y por esto non procedan à sentencia de tormento ny execucion della hasta despues de concluса la causa, y hauiendose recebido las defensas del reo.] Sic ibi. Sed de hac quæstione *infrà* etiam redibit sermo.

Sup. hoc ibidem §. Notandum est. latè in alia Resol. ejus not.

Inf. in Resol. quæ nunc hanc sequetur.

RESOL. LXII.

An Inquisitores possint respuere appellationem, quam affert reus?

Et quid de hæredibus hæreticorum?

Et an hæreticus non per viam appellationis, sed per viam querelæ, & supplicationis possit adire superiorem, ut sententiam, quam injustam esse prætendit, revocet, & annullet?

Et an hæreticus possit appellare à gravamine illato ante diffinitivam sententiam, & sic ab interlocutoria, & Decreto torturæ?

Et an si gravamen sit illatum ab Episcopo, possint laïci appellare ad Metropolitanum, non autem exempti? Ex p.4. tr.8. Resol.32.

Sup. contenta in hoc §. in resol. præcedenti §.1.

§.1. REspondeo affirmativè, si reus appellet à sententia definitiva contra eum lata, nam, ut habetur *in cap. ut Inquisitionis, de hæret. in* 6. prohibetur judicibus admittere appellationes hæreticorum, & ita docent Rojas *singul.19. num.1. & seq.* Simanca *in cathol. instit. tit.6. num.2.* Pegna *in direct. Inquisit. part.3. comm.31.* Paramus *de orig. Inquisit. lib.3. q.4. n.58.* Zanchinus *de hæret. cap.20. num.1.* Decianus *in tract. crim. lib.5. cap. 20. num.26.* Carrera *de hæret. num. 129.* & iterum Rojas *singul.179. n.2.* ubi ex hoc asserit, quòd sententia ab Inquisitoribus contra hæreticum lata potest executioni demandari, etiam pendente termino decem dierum à jure communi ad appellandum dato. Et hæc omnia intelliguntur etiam quoad hæredes hæreticorum, qui non possunt appellare à sententia contra hæreticos lata, & ita docet cum aliquibus limitationibus Simanca *in Cathol. instit. tit.6. n.7. & seq.* & Barbosa *in collect. tom.3. lib.5. tit.2. cap.18. num.6.*

Sup. hoc ibidem §. Notandum est.

2. Verùm licèt hæreticus, ut dictum est, non possit appellare à sententia diffinitiva, potest tamen appellare à gravamine illato ante diffinitivam sententiam, & sic ab interlocutoria. Ita Pegna, Rojas, Barbosa, & Paramus *loc. cit. n.60. & seq.* ubi plura docet de forma hujus appellationis ab interlocutorio gravamine, & de requisitis ad eam.

Alibi in resol. quæ hic est antecedens in §. ult. & lata infra in tr.11. Resol.20.

3. Notandum est etiam hîc obiter quòd licèt, ut alibi diximus, in causa hæresis posset reus appellare à decreto torturæ, ex gloss. *in Clem.1. ver. ipso jure, de hæret.* & Simanca *in cathol. instit. tit.52. n.11. & tit.65. n.2.* attamen si appellatio sit calumniosa, & Inquisitores videant in processu legitima extare indicia ad torquendum, possunt non obstante appellatione ad torturam devenire, quod est valdè notandum. Et ita tenet Pegna *in direct. Inquis. par.3. comm.31.* ubi pro hac firmanda sententia affert instructionem Madrilianam.

4. Quando verò hæreticis licitum est apellare, appellatio defertur ad Papam; secus in sacto Tribunali S. Inquisitionis Hispan. ubi ex privilegio Apostolico ut alibi probatum est, appellatio defertur ad supremum Inquisitorem, & si gravamen sit illatum ab Episcopo, possunt laïci appellare ad Metropolitanum, non autem exempti. Nam in causis exemptorum quoad hæreses Episcopus procedit non tamquam judex ordinarius, sed delegatus, & ideo appellatio deferenda est Summo Pontifici. Vide text. *in cap. ad abolendam, §. si qui verò, de hæret. in* 6. Simancam *in cathol. instit. tit.25. n.6.* Zanchinum *de hæret. cap.8. n.3.* Gundisalvum *de hær. q.7. n.34* Carreram *de hæret. n.65.* Decian. *in tract. crim. lib.5. cap. 21. num. 4.* asserentes Episcopum in causa hæresis exemptorum procedere tanquam delegatum, & non ordinarium, quidquid asserat Hostiensis *in d.c. ad abolendam, n.13.* Anania *n.24.* & alij.

Sup. hoc sup. ex doctrina Resol.60. §. ult. post medium. vers. Sed Episcop.

5. Sed pro coronide hujus resolutionis ponam hîc pulchrum dubium, an hæreticus non per viam appellationis, sed per viam querelæ & supplicationis possit adire Superiorem, ut sententiâ datam, quam injustam esse prætendit, revocet, & annullet: Affirmativam sententiam tenet Rojas *singul.19. n.5.* & Felinus *in cap. ad abolendam, n.3. de hæret. in* 6. At mihi placet opinio negativa, quam tuetur Carrera *tract. de hæret. n.130.* doctus Simanca *in cathol. instit. tit.6. n.2.* quia ratio, per quam textus *in cap. Inquisitionis*, denegavit hæreticis appellationem à sententiis contra eos latis modo quo *suprà* dictum est, militat etiamsi eis licitum esset Superiores adire per viam querelæ. Vnde licèt in aliquibus casibus, in quibus non admittitur appellatio, non impeditur querela, seu recursus, ut docet glossa *in cap. ex litteris, de integr. restit. ver. supplicavit.* Decius *consil.533. n.2.* Parisius *lib.4. cons.264. n.18.* Hippolytus, Marsilius *singul.88.* & alij, hoc tamen in casu hæresis non est admittendum.

RESOL. LXIII.

An Inquisitores in causa appellationis delicti admittere oppositiones testium? Ex part.4. tract.8. Resol.117.

§.1. NEgativè aliquis respondit ex authoritate Andreæ Iserniæ, & Guidonis Papæ *in decis.500.* asserentium quòd de jure in causa appellationis non admittuntur oppositiones.

2. Sed quidquid sit in aliis causis, in causa hæresis, in qua proceditur de plano, & sine strepitu judicij, Didacus Cantera *in qq. crimin. cap. de probat. per testes, §. de plena probatione, n.58.* credit quòd reus admitti debet ad opponendas & probandas oppositiones contra testes primæ instantiæ, etiam in causa appellationis, ubi habuerit locum appellatio, etiam in quacumque parte, quamvis fuerit post appellationem usque ad sententiam, cùm non assignetur terminus ad opponendum contra testes. Est verum quòd si esset post conclusionem in causa ex rigore juris, non admitteretur, sed ex clementia & misericordia judex ex officio posset admittere, quia judices in hoc judicio debent inquirere defensiones reorum, & hoc est quod dicit Instructio in novissimis. Ita Cantera.

3. Instructio verò quam ipse citat, est Instructio Madriliana *an.1561.* ubi *n.38.* sic ait: [Luego los Inquisidores con diligençia se ocuparan en tomar las defensas que el reo tiene pedidas y que le pueden revelar recibiendo y examinado los testigos de sus abonos, y los que presentate para provar las tachas de los testigos, que contra el reo depusieren y haran con muy gran diligençia todas las cosas que convengan a la liquidaçion de su Inocençia con ygual cuydado que huvieren echo lo que toca a la averiguaçion de la culpa, teniendo gran consideracion a que el reo por su prision no puede hazer todo lo que havia menester y haria si estuviesse en su libertad para siguir su causa:] Sic ibi.

RESOL. LXIV.

An Inquisitores debeant facere actum publicum in die festo? Ex p.4. tract.8. Resol.98.

§.1. REspondeo affirmativè. Vnde *in instruct. Toletana anno 1561.* sic habetur: [Estando los processos de los presos votados, y las sentençias ordenadas, los Inquisidores acordaran el dia feriado, que se

se deve hazer el auto de la fe, el qual se notifique alos Cabildos de la Iglesia y Ciudad, y adonde se halla audiencia Presidente y Oydores los quales sean combidados para que acompañen segun la costumbre de cada parte.] Ita ibi.

2. Sed ad ornatum dictorum verborum vide Salzedum *in pract. criminal. Diaz cap.* 114. *lib.* 1. ubi ita ait: Fuit aliquando controversum, an in die festo traditio Curiæ sæculari facienda est? & omni prætermissa disputatione semper mihi earum Inquisitionum ritus placuit, in quibus hujusmodi sententiæ diebus festivis solent pronunciari. Nam, ut scribit Io. Andreas *in cap. ut commissi, de hæret. in* 6. expedit multitudinem populi congregari ad videndum reorum cruciatus & pœnas, & inde discant timere homines, & à malo committendo longè repellantur. Vnde valde conveniens videtur, ut hoc publicè & diebus festivis fiat, & fortè propter hoc in Hispania nostra publico fidei actu diebus festivis solet celebrari, quæ actio tanta authoritate & majestate celebratur, ut videatur horrendum ac tremendum spectaculum, & sit veluti imago futuri judicij, quo nihil esse potest ad terrorem incutiendum aptius, ex quo plures utilitates oriuntur. Ita Salzedus, & revera ita est. Vide Paramum *de origin. Inquisit. lib.* 3. *quæst.* 4. *num.* 36.

RESOL. LXV.

An Inquisitores possint permittere, ut judices laici assistant tantum in causis fidei? Ex part. 4. tractat. 8. Resol. 105.

§. 1. SCias amice Lector quòd Venetiis, ut patet apud Thuanum *lib.* 4. *histor. anno* 1548. & Michaëlem Rousel *in hist. Pontif. juris. lib.* 6. *cap.* 4. *n.* 19. & in toto eorum dominio cum Inquisitore assistit unus ex Senatoribus, & firmiter credo hoc ibi fieri ex privilegio, seu permissione Pontificis, nam aliter factum non approbo, quia Inquisitores non possunt hoc judicibus laïcis permittere, & ideo Michaël Zanardus *in direct. Theol. p.* 1. *prac.* 1. *cap.* 6. *quæst.* 29. sic asserit. Iudices laïci non possunt ullo modo de causis hæreticorum cognoscere, intellige judicando, & assistendo, ex permissione fieri potest, non ut votum decisivum in sententiis contra hæreticos latis habeant, sed tantùm assistentiam, ut sint certi, quod justè contra hæreticos proceditur, quòd nec etiam permittendum est, nisi ubi Pontifex hoc permittit. Ita Zanardus.

RESOL. LXVI.

An per illa verba textus in cap. accusatus, non se intromittant, sed relinquant suis judicibus puniendos, *possint Inquisitores relinquere reum simpliciter, & non remittere judicibus, ut illum puniant?* Ex p. 4. tr. 8. Resol. 111.

§. 1. REspondeo affirmativè, & ita docet Emanuel de Valle de Moura *in opuscul. de incantat. sect.* 3. *cap.* 6. *num.* 10. ubi sic ait: Verba illa textus, *non se intromittant, sed relinquant suis judicibus puniendos*, videntur intelligi ita, ut si prima facie non appareat in sortilegio manifestus sapor, non possunt Inquisitores cognoscere, sed teneantur relinquere rem intactam aliis judicibus. Si verò ea qualitas apparuit, & cognoverunt, prævióque examine invenerunt, non subesse talem saporem, seu suspicionem, tenentur reum dimittere impunitum, quantumvis constet de delicto, sicut cùm ob blasphemiam quæ videbatur hæreticalis, res examinatur, vel reus capitur, & prævio examine reperitur quidem blasphemasse, sed non hæreticaliter, tenentur reum dimittere, non quidem remittendo illum ad alios judices, ut eum puniant pro tali delicto, sed eum simpliciter relinquendo, juxta prædictum verbum, *relinquant*, id est, dimittant, & non impediant. Iudex autem ad quem punitio spectaverit, poterit & tenebitur cognitionem rei assumere, & constito sibi quòd sacrum Tribunal eum propterea tantùm dimisit, quia delictum non qualificabatur hæresis suspicione, poterit procedere. Ita ille. Sed quia vix sortilegus non miscet, vel credit aliquid sapiens hæresim manifestè regulariter ejus punitio pertinet de jure ad Inquisitores. Sed, ut * *supra* dictum est, de jure novo per Constitutionem Sixti V. Inquisitorum jurisdictio magis in hoc ampliatur.

* Sup. in Resolutionibus, quæ hic sunt inf. 105. 106. 102. & lege etiam Res. 103. & 104.

RESOL. LXVII.

An Inquisitores possint relaxare aliquem brachio sæculari inconsulto Supremo Senatu Inquisitionis?

Et an in Hispania sancitum sit, quod Inquisitores particulares nullum Religiosum, nullumve Nobilem, aut aliqua ratione insignem comprehendant, quin prius certiorem faciant Inquisitorem Generalem, & ejus Supremum Senatum? Ex p. 4. tr. 8. Res. 121.

§. 1. REspondeo negativè, per verba Instructionis Toletanæ *anno* 1561. *num.* 66. ubi sic ait: [Offreciendose casos muy graves no se deven executar los votos de los Inquisidores Ordinarios y Consultores aunque sean conformes sin consultarlo con el Consejo como se acostumbre hazer y esta proveydo.] Sic ibi. Ex quibus verbis Molina *justit. tract.* 5. *disput.* 28. *num.* 14. sic ait: Nullus relaxatur brachio sæculari Senatu supremo inconsulto, etiam si vota Inquisitorum, Ordinarij ac consultorum omnino consentiant, quoniam id inter causas gravissimas computatur. Ita ille, qui citat Pegnam *in direct. part.* 3. *comment.* 96.

2. Notandum est etiam quod Castrus Palaus *in opere morali tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 8. *punct.* 13. §. 2. *num.* 5. asserit: In Hispania sancitum esse ut Inquisitores particulares nullum Religiosum, nullumve Nobilem, aut aliqua ratione insignem comprehendant, quin priùs certiorem faciant Inquisitorem generalem, & ejus supremum Senatum, missis ad eos indiciis & probationibus habitis contra talem reum, & ex eorum præscripto procedatur, & non aliter, à qua regula solùm est excipiendus casus periculi, fugæ, vel alterius gravis mali. Sic ille, qui citat Molinam & Pegnam *ubi supra*, cum Simanca *in cathol. instit. tit.* 34. *num.* 33. & usus supradictus in Hispania circa capturam supradictarum personarum procedit ex verbis supradictæ Instructionis Toletanæ *num.* 5. ubi sic habetur. [Si los Inquisidores fueren conformes en la prision manden la hazer como lo tuvieren acordado y en caso que el negocio sea calificado por tocar à personas de calidad o por otros respectos consulten al Consejo.] Ita ibi. Sed nos de hoc etiam alibi *supra* aliqua adnotavimus.

Sup. hoc sup. in Res. 39. §. ult. per tot. & inf. in tr. 11. ex doctrina Res. 21. cursim in fine.

Sup. in Resolutionibus & locis not. præteritæ.

RESOL. LXVIII.

Quomodo se gerere debeant Inquisitores, ne irregularitatem incurrant, tradendo hæreticos Curiæ sæculari?

Et

Et notatur, quod Paulus IV. & Pius V. statuerunt, ut Inquisitores, Consultores, & alij Inquisitionis Ministri essent immunes ab irregularitate quamcumque, & quomodocumque ad hæreticorum condemnationem incurrant.

Et an si aliquis Inquisitor incurrat irregularitatem, possit alter ex privilegio Vrbani III. absque Alia dispensatione eum absolvere? Ex p.4.tr.8.Ref.51.

§.1. FErdinandus de Castro *in oper. mor. tom.1. tr.4. disp.8.pun.14. n.10.* ex Pegna *in direct. Inquis. p.3.comm.85.* putat in tali casu non debere Inquisitorem expresè præcipere judici laïco, ut pœnam mortis in illos exequatur, sed solùm ut sententiam à se latam exequatur, vel meliùs, ut servet constitutiones & leges adversùs hæreticos editas, nam in hoc modo compulsionis, cùm mors directè petita non sit, nulla est occasio irregularitatis contrahendæ. Ita Castrus.

Sup. hoc sup. in ref.17. §. ult. & in ref. 19. cursim etiã in §. ult.

2. Sed ad tollendos omnes scrupulos, notandum est quòd ne ob periculum incurrendæ irregularitatis ministri sacræ Inquisit. ab officio retardentur, S.D. noster Paul. IV. *die 19. April.* 1557. & Pius V. statuerunt, ut Inquisitores, Consultores, & alij Inquisitionis ministri essent immunes ab irregularitate quamcumque & quomodocumque ad hæreticorum condemnationem incurrant. Et ita docet Scortia *in Bullis Pontif. epit.10. theor.34.* Sayrus *de cens. lib.6. cap.18. n.15.* Majolus *de irregul. lib.2. cap.9.* & alij.

Sup. hoc in duabus ref. not. præteritæ, in prima in ejus princ. & in secunda in §. ult. & sup. in Ref.

3. Hinc contra Covarr. *in Clem.1. p.2. §.5. n.6.* & alios dicendum est quòd si judex sæcularis differret exequutionem, possunt Inquisitores instare ut exequatur sententiam, nec propterea ullam contrahunt irregularitatem, ut rectè notavit Barbosa *in collectan. tom.2. lib.5. tit.7. cap.13. n.5.* Henriq. *lib.14. c.12. n.5. in glos. lit. D,* Avila *de cens. p.7. disp.5. sect.2. dub.2.* Medina *in sum. lib.1. cap.11. §.10. regul.4.* Tabiena *ver. Irregularitas, n.15.* &c. & ideo Inquisitores quando tradunt hæreticos Curiæ sæculari, non tenentur præmittere protestationem *cap. novimus, de ver. signif.* ut rectè notat Cened. *in qq. Can. q.15. n.5.* & Simanca *in cathol. instit. tit.34. n.47.* & Avila *ubi supra,* etiam notat fiscalem Secretarium, denunciatores, & alios officiales in Tribunali Inquisitionis non incurrere irregularitatem, licèt omittat dictam protestationem.

Sup. hoc in Ref. seq.

4. Notandum est tamen hic obiter quod si aliquis Inquisitorum incurrat irregularitatem, alter eum poterit absque alia dispensatione absolvere, e. ex privilegio Vrbani III. & ita notat Rojas *de hæret. part.2. numero 423.*

RESOL. LXIX.

An Inquisitores possint se ad invicem super irregularitatibus dispensare?

Et an hoc privilegium Commissariis Inquisitorum competat? Ex p.4.tr.2.Ref.102.

Sup. hoc in ref. præterita §. ult.

§.1. AFfirmativè respondet Rojas *de hæret. part.2. num.423.* ubi sic ait: Si aliquis Inquisitorum incurrat in irregularitatem, alter eum poterit absque alia dispensatione absolvere, ut in Extrav. Vrbani III. quæ incipit, *Dilectis filiis*, quam refert Repertor. Inquisitor. *in ver. Inquisitores, & in ver. irregularis.* Ita Rojas, & post illum Pegna *in direct. Inquis. p.3. comm. 72.* & Campegius *in addit. ad Zanchinum tract. de hæret. cap.31. litt. A,*

2. Sed an hoc privilegium Commissariis Inquisitorum competat, dubitari potest, & verius est secundùm Pegnam *ubi sup.* competere, & hoc favore fidei, quòd est valde notandum.

RESOL. LXX.

An DD. Inquisitores possint remittere familiares judici laico, quando non gaudent privilegio fori absque metu irregularitatis?

Et doctrina hujus Ref. est valdè notanda etiam pro Episcopis, & aliis Ministris Ecclesiasticis?

Et observatur, quod ad incurrendam irregularitatem ob defectum lenitatis opus est, ut causa sit proxima, nempe dictum, vel factum ex natura tendens ad mortem.

Et explanatur, quod quid deteglt malefactorem, ut comprehendatur, incurrit irregularitatem, si mors ejus sequatur? Ex p.4.tr.2.Ref.101.

§.1. PArs affirmativa suaderi potest, quia, ut observat Ioan. de Vanshel *in cap. si judex laicus, de sent. ex comm. in 6. lit. B,* captus à judice laïco in habitu clericali debet remitti ad Ecclesiasticum donec constet an sit Clericus, aut non, & si non constet quòd non sit Clericus, adhuc postea debet remitti ad sæcularem; ergo dicendum est in casu nostro idem faciendum esse à DD. Inquisitoribus: nam, ut observat Narbona *in recop. lib.4. tit.1. leg.20. glosa ult. n.1.* praxis Inquisitionis in tali casu convenit praxi usitatæ, cùm inter Ecclesiasticum & sæcularem judicem, cui eorum alicujus Clerici punitio spectat, controvertitur. Sed, ut dictum est, quando casus occurrit, Episcopus remittit judici laico Clericum foro privilegij non gaudentem; ita & DD. Inquisitores debent in tali casu etiã judicibus sæcularibus suos familiares remittere, unde in concordia quam *ubi sup.* exponit Narbona *fol.358. n.8.* sic habetur: [Y que en tanto que se vee, y haze la dicha remission el familiar delinquente estè preso en la carcelaria que le huviere puesto el que en la captura huviere preveniendo, sin que se proceda hasta la dicha remission, la qual luego que se hiziere y præsentare al Inquisidor, o juez seglar contra cuia jurisdicion se huviera declarado, remita en tal processo, y causa, y lo dexe a aquel en cuio favor se huviere fecho la dicha remission, para que proceda en el conocimiento y determinacion de la causa.] Sic ibi. Nec valet dicere quòd in dictis verbis non præcipitur Inquisitoribus remittere reum, sed causam & processum; nam respondeo quòd si talis remissio esset facienda sine reo, etiam judex laïcus causam & processũ sine reo Inquisitoribus remittere posset; nam concordia iisdem verbis loquitur de remissione facienda ab Inquisitoribus, ac de facienda à judice laïco. Sed hoc dicere est absurdum, ergo, &c.

2. Confirmantur insuper supradicta ex ratione. nam, ut rectè observat ex Societate Iesu Turrianus *de cens. lib.9. disp.66. dub.3.* & ex nostra Religione Megalius *in 3. par. instit.* Peregrinus *lib.7. cap.5. quæst.5. n.39.* Bizozerus *in summa cap.5. de cens. num.1. §.dixit septimo.* Vega *en espejo de curas, tom.2. cap.12. §.26. numero 261.* & alij, ad incurrendam irregularitatem ex defectu lenitatis opus est ut causa sit proxima, nempè dictum, vel factum ex natura sua tendens ad mortem, ut notat Homobonus *in exam. Eccles. par.2. tract.12. cap.1. quæs.2.* Beia *in respons. cas.37. part.1.* & alij. Sed in nostro casu remissio rei per se, & ex natura sua non tendit ad mortem: ergo. Probatur minor à fortiori, quia, ut rectè observat Villalobos *in sum. tom.1. tract.21. difficult.25. num.8.* Inquisitores qui tradunt Sup. hæreticum brachio sæculari, etiam secluſis, Bullis §. hoc Pontificiis, non incurrunt irregularitatem, quia ait ille, in tali remissione & traditione [el Inquisidor ni da sentencia, ni comete la jurisdicion, sino solamente remite la causa al Iuez seglar, que por otro camino

tenia

tenia jurisdicion contra aqueli] Nota quod his verbis utitur Concordia *ubi supra.* quam rationem priùs docuerat Suarez *de cens. disp.* 47. *sect.* 1. *num.* 10. *& seq.* Filliucius *tom.* 1. *tract.* 19. *cap.* 9. *num.* 244. & Layman *lib.* 3 *sect.* 5 *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 7. *num.* 3. Et idem dicendum est de Episcopis qui tradunt judicibus laïcis Clericos degradatos, ut patet ex *cap. novimus, de verbor. significat.* unde ex dictis Gaspar Hurtado *de irregular. disp.* 2. *difficult.* 11. *num.* 42. sic asserit: Iudices Ecclesiastici, & Inquisitores, eorúmque ministri, non fiunt irregulares si aliquem degradatum, aut hæreseos condemnatum tradant brachio sæculari, quia non cooperantur ad mortem. Ita ille, & ante illum Emanuel Sà *ver. irregularitas.* §. *ex deformatione licita, num.* 4. ubi ita ait: Oportet verò dedisse ad id causam propinquam & directam ex natura sua ad deformationem; tale autem est adjudicare morti, accusare, testificari; at tale non videtur esse tradi hæreticum ab Inquisitore brachio sæculari. Hæc ille; & novissimè hanc sententiam docet Mercerus *in* 3. *part. quæst.* 24. *de irregularit. dub.* 6. Bonacina *de censuris disp.* 7. *quæst.* 4. *punct.* 1. *num.* 27. Igitur si Episcopi & Inquisitores tradentes supradictos brachio sæculari, minimè irregularitatem incurrunt, quia non sunt causa proxima, nec cooperantur ad eorum mortem; quanto magis dicendum est in nostro casu neque irregularitatem incurrere, si tradant reum judicibus laïcis.

Sup. hoc sup. in tr. 5. Ref. 89. §. Notandum, ad med. vers. Nec fiunt.

3. Nec supradictis obstat primò quòd Gregorius XIV. in Bulla *de immunitate Eccles.* ut docet Farinacius *in append. cap.* 22. *num.* 343. liberat ab irregularitate judices, qui in casibus exceptuatis in dicta constitutione, tradunt reos judicibus sæcularis Ergo non est verum, quod suprà conati sumus firmare, nempe dictam remissionem & traditionem non esse causam proximam, neque per eam irregularitatem incurri; non, inquam, hæc obstant, quia puto Pontificem in dicta Bulla non dispensare in irregularitate, sed declarare non incurri, ut apparet, si attentè verba Bullæ considerentur. Adde quòd ad tollendos scrupulos, & pacandas conscientias, Pontifices solent dispensare, & concedere multa privilegia, quæ in rigore necessaria non forent.

4. Non obstat secundò quòd in casu *cap. si judex laïcus*, & in casu *cap. novimus, suprà* citatis, Inquisitores & Episcopi sunt immunes ab irregularitate ex vi præcepti Apostolici, quia, ut observat Gambacurta *de immunit. Eccles. lib.* 2 §. 7. *ver. Absque irregularitatis nota*; cùm Pontifices in aliquibus casibus jubeant Ecclesiasticis, ut tradant reos iudici sæculari, eo ipso intelliguntur irregularitatem auferre, ne ex obedientia, & observatione Canonum, videantur damnum incurrere; quod quidem non accidit in casu nostro, nam præceptum tradendi familiares iudicibus laïcis, non emanat à Pontifice, qui ab incursu irregularitatis liberare potest, sed à supremo Consilio Inquisitionis, quod hac potestate caret. Fateor hoc argumentum apud me validissimum esse; sed posset quis respondere Hurtadum, Sà, Villalobos, Suarez & alios *ubi supra*, excusare Ecclesiasticos in supradictis casibus ab irregularitate, non ex vi præcepti Apostolici, sed quia in remissione & traditione reorum Curiæ sæculari, minimè sunt causa proxima, neque cooperantur ad mortem, unde non incurrunt irregularitatem ex defectu lenitatis.

Sup. contenta in hoc §. sup. in tr. 5. Ref. 78. §. ult.

5. Et tandem non obstat tertiò quòd qui detegit malefactorem, ut comprehendatur, incurrit irregularitatem, ut colligitur ex *cap. tua nos, de homicidio*, & inter multos docet Adamus Tannerus *in* 3. *part. D. Thom. disp.* 6. *quæst.* 10. *dub.* 13. *num.* 306. Sed in nostro casu non solùm detegitur malefactor, sed curiæ sæculari traditur. ergo, &c. Nam respondeo supradictum manifestantem tunc irregularitatem incurrere, quando esset accusator, vel testis necessarius ad cognitionem causæ, vel hoc faceret ut minister justitiæ. Et ita tenet Turrianus *de cens. lib.* 9. *disp.* 67. *dub.* 4. qui respondet ad *cap. tua nos.*

Sup. hoc in §. not. præteritæ, ad med.

6. Verùm his minimè suffragantibus, quia casus est magni momenti, putavi de illo interrogatus à DD. Inquisitoribus hujus Regni consulendum esse summum fidei Quæsitorem, supremum S. Inquisitionis Consilium. Salvo semper, &c.

RESOL. LXXI.

An Inquisitores possint licitè promittere impunitatem reo, si verum fateatur? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 22.

§. 1. REspondet affirmativè Flaminius Cartharius *in practica interrogandi reos, lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 27. quoniam, ait, ipse, Inquisitores in remittendis pœnis & temperandis ampliorem, quàm cæteri judices, habent potestatem, ut patet ex *cap. ut commissi, de hæret. in* 6. & probat Barbosa *in collect. tom.* 3. *lib.* 5. *tit.* 2. *c.* 12. *num.* 9 cum aliis penes ipsum.

2. Sed negativam sententiam mordicus tenet Sigismundus Scaccia *de judiciis lib.* 1. *cap.* 87. *num.* 25. ubi ex multis rationibus probat, quòd Inquisitor non debeat promittere reo impunitatem, sed gratiam se facturum, sed quòd secum aget benigniori, quo poterit, modo, vel dummodo relapsus non sit, quòd Ecclesia secum misericorditer ager. Ita ille. Vide Simancam *in cathol. instit. tit.* 13. *num.* 12. Sed circa præsentem quæstionem vide Pegnam *in direct. Inquis. part.* 3. *comm.* 23. *num.* 206. *per totum*, ubi doctè, ut semper solet, disputat, an fides data reo de impunitate præstanda servari debeat, & in quibus pœnis possint Inquisitores gratiam facere, & circa hoc quomodo debeant se habere cum reis. Verùm his non obstantibus, non desinam hîc apponere opinionem Didaci Cantera *in qq. crim. cap.* 1. *de vera confess. num.* 9. ubi sic ait: Secundò intelligo non habere locum nostram sallentiam in crimine hæresis, ut tenet Simanca, sed certè in hoc crimine hæresis contrarium vidi determinari per Consilium inquisitionis in quadam causa cuiusdam relapsi. Nam ex eo quòd Inquisitor promisit misericordiam, non fuit relaxatus. Ita Cantera. unde videant DD. Inquisitores quàm cautè loquendum sit cum reis.

Sup. hoc in tom. 6. tr. 1. Ref. 109. lege ejus laudatam doctrinam.

RESOL. LXXII.

An Inquisitores per præsumptiones possint condemnare aliquem pro hæretico? Ex part. 4. tractat. 8. Ref. 36.

§. 1. LIcèt in causis civilibus ex aliquibus præsumptionibus & indiciis fiat una integra, & perfecta probatio, ex glossa *in lib.* 2 *ff. de excusat. tutor.* in causis tamen criminalibus ex pluribus indiciis & præsumptionibus non fit perfecta probatio, ex glossa *ver. illorum, in cap. veniens* 1. *de testibus.*

Sup. hoc in Ref. seq. & ne deseras legere doctrinam Ref. & §§. sub. seq.

2. Verùm in favorem fidei aliqui putant quòd indicia & præsumptiones sufficiunt ad condemnationem, quando dicta indicia & præsumptiones plenè probantur, & adducunt *lib.* 2. *in fine, C. de hæret.* & Innocentium *in c. sicut, de simonia.* Vide etiam Vmbertum Locatum *in praxi Inquisitor. ver. hæreticus, num.* 22. & Repertorium Inquis. *ver. probationes.*

3. At his non obstantibus ego contrariam sententiam teneo, nam in crimine hæresis non solùm probationes sufficiunt, sed probationes debent esse luce meridiana clariores, quia in hoc crimine de majori periculum agitur. Et ita hanc sententiam tenet Simanca

Sup. hoc in tom. 9. tr. 1. lege latam

doctr. Ref. 122. & ex Ref. 123 §. ult. & ex Ref. 124. Notandū ex Ref. 125. §. Circa secundum. quamvis ibi pro gaudenda Immunitate Ecclesiæ.

sinanca *in cathol. instit. tit. 50. num. 21. tit. 51. num. 2. & in enchirid. tit. 34. num. 1.* Zanchinus *de hæret. cap. 13. num. 4.* Menochius *vol. 2. consil. 82. num. 16.* Riminaldus *lib. 6. consil. 686. num. 46.* vide etiam Paramum *de orig. Inquisit. lib. 3. quæst. 6.* & Parisium *lib. 4. consil. 2. num. 101. & seq.* & Decian. *in tract. crimin. lib. 5. c. 35. num. 20.* & videtur expressè decisum *in cap. litteras, de præsumptionibus.*

4. Notandum est tamen quòd supradicta sententia procedit quoad condemnandum hæreticum in pœna ordinaria hæresis, secus autem in pœna extraordinaria, & ita intelligendus est Rojas *singul. 264. num. 6. & de hæret. part. 2. num. 151.* qui videtur sibi varius & contrarius, ut legenti diligenter patebit; & hanc etiam sententiam tenet Simanca *in cathol. instit. tit. 50. n. 21. & tit. 51. num. 12.* Gundissalvus *de hæret. quæst. 13. num. 21. & 22.* Albertin. *de agnoscen. quæst. 34. num. 56. & seq.* Pegna *in director. part. 2. comment. 80.* & alij. Potest igitur hæreticus per præsumptiones & indicia plenè probata condemnari in pœna extraordinaria tremium fustigationis, exilij, carceris, &c. quicquid asserat Menochius *consil. 82. num. 144.* ubi putat ex præsumptionibus non posse quem condemnari in pœnam corporalem, sed in pecuniariam. Sed tu tene nostram sententiam cum DD. citatis.

RESOL. LXXIII.

An Inquisitores ex indiciis, & præsumptionibus indubitatis possint punire reum pœna ordinaria? Ex part. 4. tr. 8. Resol. 116.

Sup. hoc lege præcedentem Resol. & ne præterr. ttas videre doctr. Resol. & §§. ejus secundæ annot.

§. 1. NEgativè prima facie videtur respondendum ex doctrina Innocentij *in cap. quia verisimile, de præsumpt.* ubi tenet quòd quando quis condemnatur ex præsumptionibus in criminalibus non datur pœna ordinaria delicti. Vide etiam Angelum *in lib. 2. de furtis*, & Ananiam *consil. 59. col. 2.*

2. Sed his non obstantibus in casu hæresis contrarium dicendum est. Vnde Didacus Cantera *in qq. crim. cap. 2. de probat. per testes, quæst. 1. num. 60.* sic asserunt. In crimine hæresis probato facto ex quo resultat indubitatum indicium, bene datur pœna ordinaria delicti, v. g. aliquis facit aliquam cæremoniam Iudæorum, cùm sit ex eorum genere, & idem si faceret aliquam cæremoniam Mahometanam, cùm sit de genere Maurorum, certè ex isto facto cùm ille sit ex illo genere, resultat præsumptio indubitata, vel indicium indubitatum, quod fuit propter observationem illius legis, vel sectæ, & sic si est negativus, pertinax, datur pœna ordinaria hæresis, per textum *in cap. ad abolendum, de hæret.* Ita Cantera, & in his terminis loquitur Simanca *in cathol. instit. cap. 49. num. 3.* unde hæc menti teneant DD. Inquisitores, quia quotidiana erunt, ut observat Cantera *loc. cit.* qui etiam videndus est *in quæst. 6. ubi suprà, num 2.*

RESOL. LXXIV.

An Inquisitores per tres, vel quatuor testes minus idoneos possint punire reum pœna ordinaria, si simul adsint aliæ conjectura, circumstantiæ, vel adminicula?

Et notatur, quod numerus testium supplet eorum defectus, etiam ad effectum quod censeantur omni exceptione majores.

Et an depositio unius testis inhabilis sufficiat ad torturam?

Et quid si sint duo? Ex part. 4. tractatu 8. Resol. 123.

§. 1. NEgativè respondet Almon Ciazzius *in suis disceptationibus criminalibus, disceptat. 17. n. 46. usque ad num. 50.* quia testis inhabilis non potest supleri per alios testes inhabiles, quoniam quod nihil est, supplementum non recipit. *l. sed si manente ff. de precar.* & testium inhabilitas ut suppleatur ex dicto alterius, requiritur ut testis supplens non sit inhabilis, ut tenet Aymon *cens. 99. num. 10.* Corn. *lib. 2. con. 172. num. 20.* & ex pluribus imperfectis non potest oriri perfectum, Bec. *cons. 85. n. 20.* & alij.

2. His tamen non obstantibus contrariam sententiam esse veram praxis & Doctorum auctoritas docet. Vnde Antonius Sousa *in aphorism. Inquis. lib. 2. cap. 13. num. 13.* sic ait: Testes inhabiles licèt regulariter non sufficiant, nisi ad inquitendum ad torturam, & ad pœnam extraordinariam; si tamen magnus sit eorum numerus, & adsint conjecturæ sufficientes, suppletur eorum defectus, & potest imponi pœna ordinaria. Ita ille, & Castrus Palaus *in opere morali tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 15. §. num. 1.* sic asserit: Depositio unius testis inhabilis rarò ad torturam sufficit, nisi aliis adminiculis & præsumptionibus gravibus adjuvetur. Depositio duorum sufficiet ad torturam, vel ad condemnandum reum in pœna extraordinaria; ttium, vel quatuor depositio ad condemnationem ordinariam quam sufficiet, quia multitudine deponentium inhabilitas illorum reparatur. Hæc Castrus *ubi suprà*, & ante illum Rojas *singul. 188. num. 11.* Lælius Zecchius *in summ. tom. 1. cap. 11. de hæresi, num. 14. ver. admittuntur.* Pegna *in director. part. 3. comment. 113.* & alij, & hæc opinio desumitur ex *capite in fidei favorem, de hæretic. in 6.* Vnde Rojas *singul. 200. num. 3.* ex verbis dicti capituli infert, & docet quòd in crimine hæresis quamquam causa sit criminalis & ardua, numerus testium in favorem fidei defectum eorum & qualitatem supplet. Vide etiam Binsfeldium *de confess. malef. menor. 2. conclus. 7.* & Delrium *in append. 2. ad disquis. magic. lib. 5. quæst. 12. in fine.*

3. Notandum est etiam hîc à DD. Inquisitoribus quòd numerus testium supplet eorum defectus, etiam ad effectum, quòd censeantur omni exceptione majores. Ita Gregorius XV. *in decis. 351. num. 4. & 5.* quod procedit, etiamsi omnes patiantur exceptiones. Ita Cæsar. de Grassis *decis. 175. n. 9.* licèt quoad hoc ultimum contradicat Cacheranus *cons. 64. num. 3.* & Bursatus *lib. 3. cons. 321. num. 31.*

RESOL. LXXV.

An Inquisitores possint punire reum pœna ordinaria, si cum teste inhabili occurrat alius testis valdè dignus?

Et an si testes singulares sint valde digni viri, Nobiles, & egregiæ personæ, conjungantur, & faciant plenam probationem contra reum? Ex part. 4. tractat. 8. Resol. 129.

Sup. hoc leg. n. nel. 2. nis

§. 1. AFfirmativè videtur respondendum ex authoritate Francisci Pitigiani *in pract. crimin. canon. part. 2. cap. 1. fol. mihi 145.* ubi sic ait: Si alter testis sit valde dignus, potest supplere defectum, qui quintus est in altero minus idoneo, ita ut simul efficiant plenam probationem, ut tenet Baldus *in l. si quis ex argentariis, §. 1. ff. de eden.* & alij Doctores *ibidem.* Sic Pitigianus. Vide etiam Ghisterium *de judice Regulari c. 17. num. 46.*

§. 2. Sed ego puto DD. Inquisitores non debere discedere à contraria sententia quam docet Portel *in dub. Regul. ver. Testis n. 10.* & Pegna *in director. par. 3. commen. 113.* & alij, quia ex dignitate unius, non reparatur alterius defectus, nisi cum utriusque depositione

rione aliæ circumstantiæ & indicia concurrerent, & hanc opinionem tenet etiam Sousa *in aphor. Inquisit. lib. 2. cap. 19. n. 2.*

Sup. hoc sup. in Resl. 41. §. Dico septimo. & Dico undecimo. & inf. in tr. 12. Resl. 31.

3. Notandum est etiam hîc obiter quod Hippolytus de Marsiliis *in pract. crim. §. diligenter, num. 17.* & alij, docent quòd si testes singulares sint valdè digni viri, nobiles, & egregiæ personæ conjunguntur, faciunt plenam probationem contra reum. Sed ego contrariam sententiam teneo cum docto Cantera *in qq. crim. cap. 2. de probat. per testes, quæst. 5. num. 3.* quem omnino vide. Vide etiam Campegium *in addit. ad Zanchinum capite 13. lit. C.*

RESOL. LXXVI.

An Inquisitores possint condemnare absolutum, iterum de eodem crimine superveniente probatione pleniori? Ex p. 4. tr. 8. Resl. 10.

Sup. hoc inf. in tr. 12. Resl. 31. §. 1.

§. 1. AFfirmativam sententiam videtur docere Instructio Hispal. *ann.* 1484. *n.* 3. sic habetur, [Item acordaron y ordenaron que los que fueren presos por este delicto que no sean fatigados en las carceles, en la dilaçion del tiempo, que luego se haga el proçesso con ellos, porque no aya lugar de quexarse y no se detengan a causa de no haver entera probança, pues que es causa quando sobreviene probança se puede de nuevo agitar no obstante la sentençia que fuerte dada.]

2. Sed istam constitutionem aliqui intelligunt de reo qui fuit absolutus ab instantia judicis; secus autem si fuit in totum absolutus, ne repugnet juri communi & legi *si cui §. 1. ff. de accusationibus, & cap. de his, de accusat.* & ex authoritate & argumento *l. libellorum, & cap. cùm P. de accusation.* Vide Brunum *de hæret. lib. 4. c. 8.* & Decium *cons. 137.*

3. Verùm his non obstantibus Ioan. Rojas *de hæret. p. 2. assert. 40. n. 385.* docet, quòd absolutus, sive ab instantia judicis, sive definitivè, iterum de eodem crimine pleniori superveniente probatione poterit condemnari, & *infrà num. 386.* etiam docet condemnatum pœna arbitraria, quia delictum non fuit plenè probatum posse ordinaria pœna puniri superveniente de eodem crimine legitima probatione, & ita observatur in praxi in Sacro Tribunali S. Inquisitionis Hispaniæ, Vnde post hæc scripta hanc sententiam tenet etiam Sousa *in aphor. Inquisit. lib. 2. c. 37. n. 31.* & ideo à fortiori observandum est id, quod determinat Instructio Toletana *ann. 1561. num. 69.* ubi sic ait: [Quando huviere proceso contra alguna persona determinado, o sin determinarse, y estuviere sobreseido aunque no sea de heregia formal, sino que por otra razon pertenezca al S. Officio sobreveniendo nueva probança de nuevos delitos deve acumular el proceso viejo con el proceso nuevo para agravar la culpa y el Fiscal haga mençion del en su acusaçion.] Sic ibi. Sup. hoc ibi. idem in §. 2.

RESOL. LXXVII.

An Inquisitores possint procedere, & punire disputantes de fide in casu de jure prohibito?

Et an in dicta prohibitione cap. 2. de hæreticis in 6. *non includatur Clericus quamvis indoctus, & quamvis peccet contra legem naturalem exponendo se periculo errandi: sed non autem incidet in excommunicationem latam in dicto capite?*

Quæ quidem excommunicatio etiam à laicis non incurritur ipso facto sed per judicem Ecclesiasticum est infligenda? Ex p. 4. tr. 8. Resl. 56.

§. 1. REspondeo affirmativè, & ita docet Michaël Zanardus *in direct. Theol. part. 2. cap. 6. q. 32.* Vmbertus Locatus *in praxi Inquisit. ver. disputare, num. 2.* & ex neotericis Farinacius *de hæresi quæst. 78. num. 117.*

2. Notandum est tamen quòd *in cap. quicumque*, §. *inhibemus de hæret. in 6.* prohibetur laicis de fide disputare, etiam quòd sint personæ doctæ & litteratæ, ut observat Albertinus *de agnoscend. q. 13. n. 12.* Valentia *tom. 3. disp. 1. q. 10. punct. 4. post 2. conclus.* Pegna *in direct. Inquis. p. 1. q. 10. comment. 25.* Azorius *tom. 1. lib. 8. cap. 26. q. 1.* Aragon. *in 2. 2. q. 10. art. 7. notab. 2.* & alij, *ubi infra*, nisi in casu magnæ necessitatis, vel utilitatis, ut si in aliquo loco adesset aliquis hæreticus, qui fideles perverteret, nec ibi adessent Ecclesiastici docti, qui adversùs illum partes fidei susciperent, tunc enim laïco docto non solùm non prohibetur, sed etiam tenetur cum illo hæretico, de fide disputare, & ita docet Becanus *tom. 3. tract. de fide cap. 15. q. 7. n. 6.* Suarez etiam *tract. de fide disp. 20. sect. 1. n. 11.* Turrianus *in 2. 2. D. Th. tract. de fide, q. 10. art. 7. disp. 50.* Sanctarellus *de hæresi cap. 8. dub. 2. n. 7.* & alij. Sup. hoc sup. in tr. 8. Resl. 10. & in to. 6. tr. 1. Resl. 71. in fin. & si regis aliam Resl. ejus not. & alias ann. prædict. Resl. doctrina repleberis sup. hoc.

3. Nota etiam, quòd in dicta prohibitione *cap. 2. de hæret. in 6.* non includitur Clericus, quamvis indoctus, quia textus loquitur de laïcis, peccabit tamen contra legem naturalem, exponendo se periculo errandi. Ita Sanctarellus *loc. cit. n. 8.* Becanus *n. 7.* Azorius & Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 2. cap. 6. num. 8.* & alij, non autem incidet in excommunicationem latam *in d. cap.* quæ quidem excommunicatio etiam à laïcis non incurritur ipso facto, sed per judicem Ecclesiasticum est infligenda, ut notant DD. citati.

RESOL. LXXVIII.

An Inquisitores possint procedere contra blasphemantes hæreticaliter ex iracundia?

Et an Inquisitores possint punire blasphemantes sub conditione, v. g. non credo in Deum, nisi te occidam? Ex p. 4. tr. 8. Resl. 87.

Sup. hoc inf. in tr. 12. Resl. 8.

§. 1. PRima facie videtur quòd non, ex verbis Instructionis Hispal. *anno 1550. n. 4.* ubi sic habetur: [Porquanto los Inquisidores algunas vezes prenden por causas livianas no concluyentes heregia derechamente por palabras que mas son blasphemias que heregia dichas con enojo o ira que de aqui adelante no se prenda ninguno desta calidad si dudla huviere que lo consulten con los Inquisidores Generales.] Sic ibi.

2. Sed supradicta verba, *en blasphemias dichas con enojo*, &c. intelligenda sunt de blasphemiis non hæreticalibus, ut optimè notavit Ioan. Rojas *de hæret. p. 2. num. 172.* & apparet ex aliis verbis, ibi, *No concluyentes heregias derechamente*, quæ verba etiam clarè demonstrant Inquisitores de blasphemiis hæreticalibus solùm inquirere, quod etiam apparet per illa verba Instructionis Toletanæ *anno 1561. numero 65.* ubi sic habetur: [Los Inquisidores proceden contra algunos culpados por cosas que los hazen sospechosos en la fe, y por la calidad del delicto y de la persona no lo juzgan por herege como son los que contrahen dos matrimonios o por blasphemias calificadas:] ubi per *blasphemias calificadas* intelliguntur blasphemiæ hæreticales, & ita tenet Castrus *de just. hæretic. punit. lib. 1. cap. 12.* Eymericus *in director. Inquisit. part. 2. quæst. 41.* & *ibi* Pegna *commen. 66.* Bañez *in 2. 2. quæst. 18. art. 1.* & alij, quos citat & sequitur Antonius Sanctarellus *de hæresi cap. 80. lib. 2. numero 1.* qui tamen adducit Constitutionem Iulij III.

quæ incipit, *In multis*, &c. ubi super blasphemias etiam non hæreticales constituuntur judices Inquisitores. Sed hoc in praxi non observatur. Nam in Tribunali S. Inquisitionis hodie tantùm contra blasphemantes hæreticaliter inquiritur, etiamsi ex calore iracundiæ dictas blasphemias fecerint, ut tenet Rojas *loc. citat.* & Albertin. *de agnoscen. quæst.* 27. *num.* 18. cum aliis, licèt tales puniendi sint mitiori pœna. Vide etiam Riccium *in praxi tom.* 1. *resolut.* 423. ubi asserit blasphemantes calore iracundiæ & in ludo, debere abiurare. Sed de hoc *infrà*. Vide etiam Emmanuelem de Valle Moura *opusc. de ensal. sect.* 3. *cap.* 3. *num.* 7. ubi invehitur in quemdam Theologum, qui liberavit à jurisdictione Inquisitorum blasphemantem ex magna iracundia & vehementi passione.

Inf. in resol. quæ hic est inf. in tr. 12 resol. 8. §. 2. ad med.

4. Notandum est etiam hîc obiter quòd Inquisitores possunt punire blasphemantes sub conditione, ut v.g. Non credo in Deum, nisi te occidam, quia hæc blasphemia conditionalis habet in se puram, implicitam affirmativam, videlicet quòd si ad occidendum illum opus fuerit in Deum non credere, paratus est libenter facere. Ita Rojas *ubi suprà, num.* 173. & 174. & post illum Lazarius *de tract. blasphemia, quæst.* 6. *num.* 11.

RESOL. LXXIX.

An Inquisitores possint punire tamquam hæreticum Confessarium asserentem pœnitenti, ut sibi revelet complicem, alias eum non posse, nec velle absolvere?

Et an in tali casu pœnitens teneantur denunciare talem Confessarium tanquam hæreticum in Tribunali S. Inquisitionis? Ex p. 4. tr. 8. Resol. 97.

§. 1. AFfirmativam sententiam docet Medina *in summa lib.* 2. *cap.* 4. §. 1. quem sequitur Lopez *in instruct. Confess. part.* 1. *cap.* 27. §. *Commendamus quoque*. Vnde putant talem Confessarium esse denunciandum, quia hæresis est affirmare, quòd teneatur pœnitens eam circumstantiam confiteri, nam sequeretur licitum esse infamare proximum.

2. Sed contrariam opinionem tuetur Villalobos *in summa, tomo primo, tractatu nono, difficult.* 38. *numero nono*, ubi sic ait: [Añade Medina, que si el Confessor dice al penitente no os he de absolver, ni puedo hazerlo si no me revelais el complice, que el penitéte en tal caso tiene obligaçion à denunciarlo como herége en el S. Offiçio, porque es herege dezir, que esta circunstançia es necessaria declararla en la confession, y por el consiguiente dize, que si el penitente viene à confessarse con otro, y le dize lo que se passo con el primero que no le ha de absolver hasta que denunçie al S. Offiçio como de Heregia y trayga recaudo como lo ha hecho assi. Pareçeme que el P. Maestro Medina estava muy colerico que el sentido de aquellas palabras no es tan rigoroso como el le haze, que el dezir, no puedo, muchas vezes es mesmo que no quiero.] ita ille; & ita etiam hanc sententiam tenet Coriolanus *tract. de cas. reserv. part.* 1 *sect.* 3. *art.* 9. *num.* 3. ubi citat Petrum Navarra. Et ratio est. Nam licèt sit hæresis dicere, non esse illicitum infamare proximum, tamen controvertitur inter DD. an revelatio complicis in confessione sacramentali facta, sit infamare proximum, de qua quæstione vide me ipsum *in* 1. *part. tr.* 7. *de circumstan. resol.* 49.

Quæ nunc est in tom. 1. tr. 7. Resol. 50. &c.

RESOL. LXXX.

An Inquisitores possint punire Confessarios frangentes sigillum Confessionis?

Et notatur Sacerdoti, qui sigillum confessionis frangit, nullam à jure imponi pœnam, quam de facto incurrat. Ex p. 4. tr. 8. Resol. 95.

§. 1. REspondeo negativè, nisi, ut docet Molfesius *in summa tom.* 1. *tr.* 7. *cap.* 23. *num.* 68. adesset error in intellectu revelantis, defendendo licitam esse revelationem hujus sigilli, vel aliter malè sentiret de Sacramentis Ecclesiæ, quia in tali casu cognitio ejus criminis spectaret ad Tribunal S. Inquisitionis, ubi non recipiuntur denunciationes in aliis casibus, sed remittuntur ad judicem Ecclesiasticum ordinarium, & ita intelligendus est Alphonsus de Leone *de officio Confessarij tom.* 1. *recollect.* 12. *n.* 12. *cas.* 5. quatenus dicit Confessarios frangentes sigillum confessionis esse Inquisitoribus denunciandos.

2. Notandum est tamen hîc obiter Sacerdoti, qui sigillum confessionis fregit, nullam à jure imponi pœnam, quam de facto incurrat. Sed *in cap. omnis utriusque sexus, de pœnit.* dicitur debere deponi à sacerdotali officio, & ad agendam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudi. Sed hæc requirunt sententiam judicis. Ita Coninch. *de Sacram. disp.* 9. *dub.* 4. *n.* 70. Sed Doctores qui referunt pœnas infligendas Sacerdotibus sigillum revelantibus, plena manu congerit Augustinus Barbosa, vir quidem doctus, *in collect. to.* 2. *lib.* 5. *tit.* 38. *cap.* 12. *num.* 15. & Menochius *de arbitr. lib.* 2. *centur.* 3. *casu* 414.

RESOL. LXXXI.

An Inquisitores possint punire Confessarios, qui tempore Iubilæi absolvunt Hæreticos in foro conscientiæ?

Et docetur non esse puniendum Confessarium absolventem aliquem cum opinione probabili: Ex part. 4. tr. 8. Resol. 109.

§. 1. EX Covarruvia P. Vasquez *in* 3. *part. tom.* 4. *tract. de excommun. dub.* 19. *num.* 15. & 16. observat Inquisitores solitos esse punire hujusmodi Confessarios qui virtute Iubilæi, in qua non concluditur in specie crimen hæresis, audent absolvere hæreticos occultos, & ita etiam docet Homobonus *in consult. mor. vol.* 2. *p.* 4. *resp.* 19.

2. Sed hoc factum displiceret Ioanni Sancio, qui *in selectis disp.* 44. *num.* 23. & *disp.* 48. *n.* 52. docet non esse puniendum Confessarium absolventem aliquem cum opinione probabili, quia res quæ culpa carent, in damnum vocari non debent, *cap.* 2. *de constit.* nec sine culpa quispiam puniendus est, cùm nullus sit dignus pœna, nisi ob culpam, ex *l. putetur, ff. ad legem Aquiliam, c. satis perversum, dist.* 56. *c. inventum* 16. 9. 7. Sed Confessarius absolvens virtute Iubilæi hæreticum occultum, non committit culpam, quia utitur opinione probabili, ut videre est apud me ipsum *in tr. de absolutione ab hæresi,* * *resol.* 1. licèt ego teneam opinionem negativam, ergo non est dignus aliqua pœna. Vnde Molfesius *in sum. tom.* 1. *tr.* 7. *c.* 21. *n.* 63. sic ait: Quòd autem dicunt quod Domini Inquisitores punire soleant delentem Confessarios, non constat, & de jure non procedit. Ita ille. Sed ego resolutionem hujus dubij remitto prudentiæ DD. Inquisitorum.

* Quæ hoc loco citata ulc. Resol. ejus a & ex feres citea

* Sup. fupra ex do 7. & tas & etian fine.

RESOL.

RESOL. LXXXII.

An Inquisitores possint punire dicentes confessos Religiosis eb Episcopo approbatis, iterum eadem peccata teneri confiteri Parocho?

Et an sic dicentes suspecti sint de hæresi, & sint denunciandi S. Officio? Ex p.4.tr.8.Res.102.

Sup. hoc lege doctrinam Res. & §. not. seq.

§.1. AFfirmativè respondeo, quia sic dicentes sunt suspecti de hæresi, & sunt denunciandi S. Officio, & ita tenet Zanard. *in direct. Theol. p.1. de sacrament. Pœnit. cap.* 24. Alphons. de Leone *in tr. de offic. & potest. Confess. tom.2. recollect.*10 *n.*101. Peregrin. *in compend. nostr. privil. tom.1. ver. communicare*, §.11. & Naldus *in sum. ver. Confessarius, n.*29. & Ioan. de la Cruz *de statu de Relig. lib.2. c.6. dub.1. concl.*3. Vnde explodenda apparet opinio Henrici de Gandavo, Hostiensis, Archidiaconi, Ioannis Monachi & aliorum, quos refert Adrianus *in 4. q.5. de Confessione*, asserentium, quòd qui ex privilegio confitentur Religiosis, tenentur postea debito tempore suis Parochis confiteri eadem peccata, quæ semel confessi sunt, ut adimpleant præcepta Innocentij III. *in cap. omnis utriusque sexus*, & ideo observat Miranda *in Manuali Prælat. tom.1. q.45. art.*5. quòd Ioannes de Poliaco, qui pertinaciùs supradictam opinionem tenebat, per Ioann. XXII. *anno Domini* 1322. vocatus Romam compulsus est palinodiam recantare, suúmque errorem revocare, ut constat ex quadam Extravag. quæ incipit, *Vas electionis*. Meritò igitur, ut advertit Ioan. de la Cruz *loco citato*, Sixtus IV. commisit Inquisitoribus hæreticæ pravitatis hoc delictum punire.

Sup. contento ab hoc Res. Vnde. in om. 3. tr. 1. ege latam doctrinam Res. 40. & alterius §. ejus primæ ann.

RESOL. LXXXIII.

An Inquisitores possint admittere ad confessiones audiendas eos, qui abjuraverunt de vehementi, vel de levi?

Et an Regulares abjurantes de levi reddantur inhabiles ad gradus, & dignitates Religionis?

Et notatur, quod ex abjuratione etiam de vehementi non incurritur irregularitas. Ex p.4.tr.8.Res.64.

§.1. REspondeo negativè quoad primum, ex declaratione sacræ Congregationis S. Officij, per quam ordinatur ne is qui abjuravit de vehementi, admittatur amplius ad audiendas confessiones, quam declarationem affert Vmbertus Locatus *in fine praxis Inquisit. Genuensis*, & de Leone *ubi infrà*, & docet Ricciùs *p.2. decis.*218. *per totam*, quam omnino vide.

*Quo ad hoc lege doctrinam §. ult. hujus Res. & §. ejus annot. & ex illis inferes quid circa hoc.

2.* Difficultas est de reo abjurante de levi, & affirmativè respondet M. Antonius Genuensis *in praxi Archiep. c.45. n.*2. ubi sic ait. Fuit dubitatum in Curia Archiepis. an quidam Sacerdos qui abjuraverat hæresim de levi, esset admittendus ad audiendas confessiones fidelium, & re delata ad sacram Congregationem generalis Inquisitionis S. Officij in Vrbe fuit rescriptum *die* 6. *Martij* 1596. dictum Sacerdotem non esse impeditum exercere omnes Ordines, & Sacramenta ministrare, ac fidelium etiam sæcularium confessiones audire, quamvis abjurasset de levi. Ita Genuensis, qui etiam ibi notat, ut *suprà* diximus quòd in dicta Curia Archiepisc. Neapolit. abjurantes de vehementi nunquam admittuntur ad confessiones audiendas.

* Sup. hoc sup. in tr. 9. Res. 93 & infra in tr. 12 ex doctr. Res. 7. § Difficultas in fine & in § Vnde etiam in fine.

3.* Sed an Regulares abjurantes de levi reddantur inhabiles ad gradus & dignitates Religionis? negativè respondet Seraphinus Freyta *in addit. ad tract. de Confess. solic. q.24. num.*70. etiamsi abjurasset de vehementi. Vide Rodriquez *in qq. Regular. tom.2. q.82. art.*2. hodie tamen, ut observat Alphonsus de Leone *tract. de officio & potestate Confessarij part.2. recollect.* 1. *n.*2 8. extat decretum sacræ Congregationis sancti Officij annuente Vrbano VIII. Pontifice, ubi Regulares redduntur inhabiles ad officia & dignitates propter quamcúmque pœnitentiam, nisi sit salutaris.

4. Notandum est hîc obiter quòd ex abjuratione etiam de vehementi non incurritur irregularitas, & ideò Villalobos *in sum. tom.1. tract.21. diffic.*15. *num.*2. sic ait: [No se incurre irregularidad por haver abjurado la heregia de levi, o de vehementi, de suerte que si de hecho de verdad no era herege, si no que se lo probaron con testigos falsos, o el confesso por temor del tormento no queda irregular como dize Navarro, el qual dize de un Prelado que abjuro de vehementi, y el dia siguiente sin dispensaçion se fue à dezir Missa loqual approbo y loo el Papa y toda la Curia, la razon desto es clara, porque en el derecho no se pone esta pena al que abjuro si no al herege.] Ita ille, & Sanch. *in summ. tom.1. lib.1. c.25. n.*12. quem sequitur Alphonsus de Leone *ubi sup. de offic. & potest. Confess. tom.2. recollect.1. n.*211. *in fin.*

Sup. contento in hoc §. inf. in Res. 136. & sup. in tr. 5. Res. 51. & in to. 3. tr. 3. Res. 32.

RESOL. LXXXIV.

An Inquisitores possint punire sumentes in communionem majores, vel plures Hostias, seu particulas?

Et an Eucharistia causet gratiam toto tempore, quo est in stomacho? Ex p.4.tr.8. Res.96.

§.1. REspondeo affirmativè cum Fernandez de Heredia *in disp. Theol. de Sacram. tit. de Eucharist. dist.2. part.9. dub. unic. num.*1. & Ioan. de la Cruz *in direct. confession. par.2. de Sacram. Eucharist. q.4. concl.*2. ubi sic ait: Ex dictis patet contra Caietanum, & Canum, Eucharistiam non causare gratiam toto tempore, quo est in stomacho, sicut nec toto tempore manducationis, aliàs esset majoris conditionis communicando sub multis hostiis, quod falsum est, & puniuntur ut suspicioси per Inquisitores, qui sunt multum soliciti communicare sub multis hostis, ut diutiùs duret corpus Christi in stomacho. Ita Dann. de la Cruz.

Quoad hoc ex Res.1. not. seq. lege doctr. §. probatur. in fin. & ex Res.2. §. ult. & signanter §. pen. ad med. Pro contextu à vers. Ex dictis. hujus to. 2. tr. 1. Res. 150. à lin.2. usque ad §. Et hæc. & ibi in tr.2. Res. 33. §.2. post. med. à vers. Vnde & seq.

RESOL. LXXXV.

An Inquisitores possint punire reum, qui fuit baptizatus invalidè ex defectu formæ, materiæ, vel intentionis? Ex p.4.tr.8.Res.78.

§.1. SVppono Baptismum necessarium esse, ut hæresis, Iudaismus & Paganismus punibilia sint ab Ecclesia, secluſis aliquibus casibus, ut patet ex Concil. Trid. *sess.*14. *cap.*2. & observant communiter Doctores. Hoc supposito, negativè respondet ad quæsitum Sanch. *in sum. tom.1. lib.2. c.7. n.*74. Suar. *de fide disp.*19. *sect.*5. *n.*8. & Sanctarell. *de hæresi cap.*1. *dub.*2. *n.*6. & alij, quia talis per Baptismum invalidum non fuit constitutus membrum Ecclesiæ visibilis, aliàs dictus Baptismus non esset repetendus: ergo Ecclesia non potest adversùs illum jurisdictionem exercere.

2. Sed non desunt DD. affirmativam sententiam tenentes, quam tuetur Azorius *tom.1. lib.*8. *cap.*9. *q.*3. *ver. si quæras.* Castr. *de just. hæretic. punit. lib.1. cap.*8. Simanca *in Cathol. instit. tit.*31. *num.*5. ubi sic asserit: Quæritur an is, qui probabili errore ductus putat se baptizatum esse, cùm verè baptizatus non sit, propriè censeatur hæreticus, si postea hæresi aliqua infectus fuerit? & verius est ut hæreticus judicetur & pœnis

hæreticorum subjaceat, quia iste baptizatus est Baptismo flaminis,& quia in hac re plus operatur opinio, quàm veritas, unde quidam ita definiit: Hæreticus est qui verè baptizatus, vel pro baptizato se gerens pertinaciter errat, vel dubitat contra Catholicam veritatem Hæc Simanca. Cujus opinionem tenet etiam Henriquez *lib.2.cap.25.num.6.* & Sayrus *de cens.lib.3. cap.4.num.11.* in casu quo reus habuerit intentionem suscipiendi Baptismum.

3. Vel quando communiter reputatur baptizatus, ut semper accidit; & ideo observat Castrus Palaus *tom.1.tr.4.disp.8.punct.16.§.6.num.3.* quòd Cæsaraugustæ *anno* 1619. quidam Maurus, qui adversùs nostram fidem deliquit, reconciliatus est, etiamsi allegaverit baptizatum non esse, in cujus confirmationem in libro suæ parochiæ non fuit inventus scriptus. Vide etiam Antonium Ricciullum *tract. de jure personarum,&c.lib.3.cap.6.* varios casus distinguentem.

RESOL. LXXXVI.

An Inquisitores possint punire reum, quando dubitatur, an sit baptizatus? Ex p.4.tr.8.Res.113.

§.1. AD hoc dubium respondet Didacus Cantera Murciæ Inquisitor *in qq. crim.cap.1.de hæreticis, n.5.* ubi sit ait: Sed est dubium, quando dubitatur an aliquis sit baptizatus, possit ne contra eum procedi? & in hoc distingue, scilicet, aut est ille conversatus, & natus inter Christianos, & præsumitur in dubio baptizatus, & per consequens poterit procedi contra eum, si commisit aliquam hæresim: aut est natus & conversatus inter infideles, & non præsumitur baptizatus, & per consequens non poterit puniri: aut est natus inter Christianos, conversatus autem inter infideles, & tunc etiam distinguerem, scilicet quòd aut statim quòd natus est ante annos discretionis, est captus ab infidelibus, & tunc licèt præsumeretur is baptizatus, tamen etiamsi fecerit aliquem actum hæreticum inter infideles, non puniretur, nec procederetur tamquam contra hæreticum, quia non fuit instructus in fide Catholica: aut captus fuit post annos discretionis, & sciebat fidem Catholicam, & tunc esset hæreticus, & puniretur tamquam talis. Istam distinctionem colliges ex textu, & quæ *ibi* notant DD. *in cap.1.de Baptismo,*& ex textu,& quæ *ibi* notant DD. *in cap. veniens. §. fin. de Presbyt. non baptizato.* Ita Cantera.

RESOL. LXXXVII.

An Inquisitores possint procedere contra comedentes carnes in diebus prohibitis, vel non recipientes Eucharistiæ Sacramentum, & Pœnitentiæ semel in anno? Ex p. 4. tr.8. Res.38.

§.1. AFfirmativam sententiam olim docui, quia supradicti sunt vehementer de hæresi suspecti. Sed quia hæc opinio aliquibus nimis rigida visa fuit, ponam hic per extensum verba Doctorum. Antonius Sanctarellus *tract.de hæresi cap.41.dub.3.num.5.* Sunt de hæresi suspecti qui singulis annis sua peccata non confitentur, nec communicant; sicut etiam sunt suspecti de hæresi, qui diebus vetitis carnes edunt. Io. Rojas *singul.98.num.6.* Inquisitores possunt procedere contra eum, qui non recipit sacram communionem quolibet anno. Franciscus Pegna *in direct. Inquis.part. 2.q.55.comm.46.* Vehemens suspicio, seu suspicio alia sumitur ex signis exterioribus operum, aut verborum, ex quibus capitur argumentum concludens frequenter, & ut in pluribus quòd qui talia dicit, vel facit, est hæreticus, ut si quis diebus prohibitis absque necessitate & Superioris facultate carnibus vescetur. M. Antonius Genuens. *in praxi Archiepis.cap.18.n.11.* Comedentes carnes diebus prohibitis ab Ecclesia sine necessitate dicuntur vehementer de hæresi suspecti. Et tandem hanc sententiam non solùm quoad comedentes carnes diebus prohibitis, sed etiam quoad non sumentes sacramentũ Eucharistiæ & pœnitentiæ singulis annis, docet etiam Lælius Zecchius *in summ. tom.1.tit. de fide cap. 11. num.5.* Verùm posse omnia supradicta effici sine mentis errore, non est dubitandum, non tamen ex hoc sequitur quòd Inquisitores non possint procedere contra talia facientes. Ideo eorum arbitrio standum erit pensatis circumstantiis, & qualitatibus facti, temporis, & personarum. Sed communiter contra eos, qui non communicant in praxi, solent procedere Episcopi.

2. Vide etiam præter DD. citatos Duardum *in Bul. Cœn. lib.2. can.1. q.33. num.7.* Alphonsum de Leone *de offic.& potest. Confessor.tom.1. recollect.22.num.12. cas.15.* & Emanuelem de Valle de Moura *opusc.de ensal.& incant.sect.3.cap.3.n.20.*

RESOL. LXXXVIII.

An Inquisitores sint judices competentes super reconciliatos, qui Hispano sermone Sambenitados, *vocantur?* Ex p.4. tr.8. Res.69.

§.1. AFfirmativam sententiam docent Doctores, quos citat Io. Rojas *singul.98.num.1.* Sed ipse *num.3.* & meritò, contrariam sententiam tenet, cui ego addo Doctores quos citat & sequitur Cenedus *in decretum Gratiani collect.34.* & Barbosam *in collectan. tom.2. lib.5. tit.7. cap.9. num.17.* nec contra hanc opinionem negativam facit textus *in cap.aliud 11.q.1.* ut rectè observat Pegna *in direct. Inquis. part.3. quæst.97. comment.146.* & alij, quia varias habet expositiones, quas videre potes apud citatos Doctores; nam ego brevitati studeo.

2. Verùm his non obstantibus, non est dubitandum si inter se dicti pœnitentes rixati fuerint, dum sunt in perpetuis, vel temporalibus carceribus, vel propter habitum pœnitentiæ unus in alterum convitia dixerit, posse Dominos Inquisitores illos punire, quidquid in contrarium sentiat Farinacius *de hæresi q.186.num.37.in fine.* Sed tu nostram sententiam tene, tuetur Rojas & Pegna *ubi suprd.* Vide etiam circa præsentem quæstionem Simancam *in cathol. instit.tit. 47.num.18.* Decianum *in tract.crim.lib.5.cap.23.n.3.* Covarraviam *pract. quæst.cap.34 num.3.* & alios penes ipsos.

RESOL. LXXXIX.

An Inquisitores possint punire aliquem, qui dederit consilium reo incarcerato etiam justum, aliis inscio? Ex p.4. tr.8. Res.67.

§.1. REspondeo affirmativè, per ea quæ adducit Vmbertus Locatus *in praxi Inquis. cas.10. Placentiæ,* ubi agit de quodam Religioso Theologo, qui consultus de dubio Theologico ab Inquisito, injustum & Catholicum consilium ei præbuit, inconsulto tamen Inquisitore, & resolvit supradictum non esse puniendum, ut fautorem hæreticorum, sed arbitraria pœna deputanda ab Inquisitoribus, & novissimè hanc sententiam renet etiam Seraph. Freyt. *in addit. ad tract. de confess. solicit.* Roderici Acugna *q.22.n.18.*

RESOL.

RESOL. XC.

An Inquisitores possint animadvertere in frangentes cedulones, in quibus declarantur excommunicati; & de aliis casibus ad S. Officium pertinentibus, qui sunt valde notandi? Ex p. 4 tr. 8. Resol. 103.

§. 1. REspondeo quòd Cedulones excommunicationum, in quibus declarantur aliqui excommunicati deturpantes, sunt suspecti de hæresi, & ita in facto fuit decisum Romæ in casu contingenti in Curia Archiepiscopali Salernitana, & contra tales possunt procedere Inquisitores, ut observat inter alios Homobonus *in consult. moral. part. 4. resp. 16. vol. 1.* Item facientes Brevia cum characteribus, seu literis ignotis, vel dicentes, seu recitantes quasdam orationes pro sanandis infirmis, fabricantes imagines cereas, & punc turis eas cruciando ad amorem, vel infirmitates inducendo, vel maleficia faciendo, qui capillos, ferramenta, clavos, lapides, &c. quæ postea evomentur ab ore maleficiatorum, item aspicientes speculum, aut phialam cum candela & aqua benedicta, & dicentes aliqua verba pro inveniendis furtis, vel ad scienda secreta, hi omnes subduntur judicio DD. Inquisitorum. Sicuti etiam spretores campanarum, ut quidam olim fuit, qui nocte Sabbathi sancti abstulit malleolum à quibusdam campanis, illum apponendo in arbore nucis, despectio enim & contemptus campanarum est unus de erroribus Turcarum, & hæc omnia docet Episcopus Viciaquensis, Aloysius Riccius *in praxi tom. 1. resol. 423.* & alij penes ipsum.

RESOL. XCI.

An Inquisitores possint animadvertere in Concionatorem prædicantem animas non detineri in Purgatorio ultra decem, aut viginti annos?

Sed difficultas est, an opinio Soti, & aliorum circa hoc sit erronea, vel digna aliqua censura? Ex part. 4, tract. 8. Resol. 101.

§. 1. ANimas ultra dictum tempus non detineri in Purgatorio, docet Sotus *in 4. dist. 19. quæst. 3. art. 2.* Ioan. de la Cruz *in direct. conscient. p. 2. de Sacrament. Lænit. quæst. de Indulgent. dub. 2. concl. 3.* Conrad. *in respons. cas. conscient. tom. 1. q. 118.* & Martin. Vivald. *in candelabro aureo, jussu Superiorum emendato*, ubi *in tit. 10. de purgat. n. 16.* sic asserit: Verum est quòd, ut Sotus piissimus & Catholicus author ait, vix animam ullam esse viginti, imò nec decem annis in gravissima pœna Purgatorij, quod etiam credo, etiamsi nulla esset indulgentia, propter immensam Dei misericordiam, & propter tormentorum acerbitatem. Ita Vivaldus.

2. Sed prorsus contrariam sententiam sustinendam esse puto, quam tuetur Bellarm. *de purgat. lib. 2. c. 9.* Lotich. *in Thes. ver. Purgatorium, n. 8.* Coninch. *de Sacram. disp. 11. dub. 4. n. 38.* Molfes. *in sum. tom. 1. tr. 1. cap. 26. n. 112.* & alij. Sed difficultas est, an opinio Soti & aliorum sit erronea, vel digna aliqua censura? Suar. *in 3. p. tom. 4. disp. 46 sect. 4. n. 6.* negat, & asserit esse tantùm incertam, & voluntariam. Verùm Naldus *in sum. ver. anima, n. 2.* vocat illam periculosam erroneam, & Inquisitores in Hispania coëgerunt quemdam Concionatorem hanc sententiam docentem se retractare, ut patet apud Henriq. *lib. 7. c. 16. n. 4.* ubi sic ait: Quidam prædicant nullam animam detineri in Purgatorio ultra decē, aut viginti annos, cùm pœnæ sint multo graviores, quàm hujus vitæ, & semper intensæ circa animam justam: at hi non sine temeritate quadam ex levibus rationibus loquuntur contra morem Ecclesiæ, quæ pro defunctis & pro certa anima celebrat Anniversaria, Missas, & Officia ultra 20. annos: nec rigor Dei est injustus, si ab anima, quæ propriè non satisfacit, sed satisfactitur, exigat longas pœnas, ut pro uno mortali exigit æternas. Quare illam sententiam quidam insignis Prædicator Minorita à S. Inquisitionis Senatu compulsus est retractare, eo quòd retraheret fideles ab operibus satisfactoriis, & Missis offerendis pro suis defunctis. Ita Henriquez, qui in glossa *lit. I*, ex Sutio notat, quòd quidam Innocentius Papa est in Purgatorio detinendus usque ad diem judicij.

RESOL. XCII.

An Inquisitores non solum in propositiones hæreticas, sed etiam in aliis inferioris notæ animadvertant?

Et doctrina hujus Resolutionis est valde notanda, & menti tenenda.

Et advertitur Episcopos ex Concilio contra pronunciantes propositiones erroneos, temerarias, &c. procedere debere. Ex p. 4. tr. 8. Resol. 94.

§. 1. REspondeo affirmativè, & ideo Petrus Lorca *in 2. 2. D. Th. q. 11. art. 2. disp. 40. n. 1.* sic ait: In praxi & usu Patrum S. Inquisitionis receptum est, non solùm propositiones hæreticas, sed etiam alias inferioris notæ cohibere, & in eos qui proferunt animadvertere pro qualitate & quantitate notæ. Habemus autem hujus consuetudinis initium ex Concilio Constant. *sess. 8.* (quamvis dubitari non possit antiquiorem esse) in qua damnantur errores VViclephi sub hac forma verborum:

2. Præfatos articulos sancta Synodus examinari fecit, & sæpiùs resarciri, quibus examinatis fuit repertū, aliquos & plures ex ipsis fuisse, & esse notoriè hæreticos, & à sanctis Patribus reprobatos, alios non Catholicos, sed erroneos, & scandalosos, alios & blasphemos, alios piarum aurium offensivos, nonnullos eorum temerarios, & seditiosos. Eodem tenore sententiæ postea usi sunt Pius V. Greg. XIII. damnantes assertiones Michaëlis Baij. Hæc Lorca. Igitur in multis propositionibus DD. Inquisitores animadvertunt, ut in hæreticis, erroneis, hæresim sapientibus, male sonantibus, & piarum aurium offensivis, temerariis, scandalosis, &c. de quibus authores non uno modo loquuntur, quinimò valdè dissentiunt, unde in gratiam DD. Inquisitorum, & Qualificatorū S. Officij colligam hîc Doctores, qui de dictis propositionibus scripserunt, inter quos præcipuè sunt isti, Augustinus Bariola, Consultor S. Officij, post flores commentariorum Pegnæ *fol. 220.* Zanardus *in direct. Theol. par. 1. prac. 1. cap. 3. §. 26.* Canus *lib. 12. de locis, cap. 11.* Albertin. *de agnosc. q. 61.* Simanca *in cathol. instit. tit. 54.* Corduba *in quæst. lib. 1. q. 17.* Aragon. & Bañez *in 2. 2. q. 11. art. 2.* Peyrinus *in privil. Minim. tom. 2. constit. 9. Paul. V. §. 2. n. 19.* Antonius Ricciullus *tract. de jure personarum, &c. lib. 5. cap. 8.* Paramus *de orig. S. Inquisit. lib. 3. q. 3. n. 105, & seq.* Suarez *tract. de fide disp. 19. sect. 2. n. 6. & seq.* Castrus *lib. 1. de just. haret. punit. cap. 3.* Turrianus *tom. 1. in 2. 2. disp. 55. dub. 3.* Coninch *de act. lib. supernatural. lib. disp. 18. dub. 8. n. 136. & seq.* Malderus *in 2. 2. q. 11. art. 2. membr. 5.* Tannerus *tom. 3. disp. 1. q. 8. dub. 5. n. 97.* Valentia *to. 3. disp. 1. q. 11. pun. 1.* Molfes. *in sum. tom. 1. tr. 11. c. 2. n. 55. & seq.* Turretem. *lib. 4. p. 2. cap. 11.* Castrus Pal. *in op. mor. to. 1. tr. 4. disp. 1. punct. 1. n. 3. & seq.* & alij penes ipsos.

3. Non desinam tamen hîc apponere verba Io. de la Cruz *in direct. conscient. par. 1. prac. 1. art. 1. concl. 3.* ubi sic ait: Inter propositiones contra fidem, ut patet ex Concil. Constant. *sess. 8.* alia est hæretica, utpotè quæ clarè constat contrariari fidei, ut ista, Christus non est

Deus. Alia est erronea, quæ est contraria veritati fidei, sed non ita clarè ex defectu evidentis testimonij quo illud probetur, & in hoc sunt gradus. In primo gradu sunt propositiones contrariæ conclusioni Theologicæ illatæ per evidentem consequentiã ex fidei principiis, ut ista: Christus non est risibilis: imò istæ sunt proximæ hæresi. In secundo gradu sunt propositiones contrariæ doctrinæ Catholicæ universaliter edoctæ in Ecclesia, ut istæ: Monachi suo labore tenentur victum comparare, orationes applicatæ per Prælatos, & Religiosos pro aliquo specialiter, non plus illi prosunt, quàm si in communi pro eo offerrentur. In tertio gradu sunt propositiones contrariæ doctrinæ, de qua sapientes vehementer censent quòd sit veritas fidei. In quarto gradu sunt propositiones, quæ juxta sententiam probabilem, & quasi necessariam judicantur contrariari alicui veritati fidei, ut ista, Pueris in baptismo non datur gratia, quæ videtur contrariari isti veritati de fide, pueri mundantur in Baptismo à peccato originali. Alia est propositio sapiens hæresim, quæ licèt possit habere bonum sensum, tamen ex circumstantiis temporum & personarum habet saporem hæresis: ut ista propositio, Fides justificat, in D. Paulo, est catholica, & prolata à Lutherano, tenente solam fidem sine charitate justificare, sapit hæresim. Alia est propositio malè sonans, & piarum aurium offensiva, de quo non datur certa regula, sed arbitrio sapientum relinquitur: ut istæ: Imperatores errarunt dotando Ecclesias bonis suis: Magisteria sunt vana gentilitate introducta. Alia est propositio temeraria, ut pote asserens aliquid contra communem Ecclesiæ opinionem sine magna authoritate: ut quòd Beatissima Virgo non sit in Cœtum cum corpore assumpta. Alia est propositio scandalosa, quæ licèt possit habere bonum sensum, tamen generat scandalum in audientibus. Hæc ille.

4. Verùm pro coronide hujus resolutionis adverte cum Michaële Zanardo *in director. Theolog. tom. 2. prec. 1. cap. 6. quæs. 44.* quòd quamvis Concil. Trident. sæpe dicat Episcopos contra pronunciantes supradictas propositiones, videlicet erroneas, temerarias. &c. procedere debere, per hoc non adimit delegatam potestatem inquirendi contra ipsos ab Inquisitoribus, quia Delegatus est major Ordinario, & Concilium respexit duo. Primò quòd ubique sunt Episcopi, in multis autem civitatibus non sunt Inquisitores, & ideo voluit hoc Episcopis proponere, ut ipsi sciant, quòd ubi non sunt Inquisitores, ad eos pertinet contra tales procedere. Secundò, quia Episcopi ut Ordinarij contra tales inquirunt, & Inquisitores ut delegati, & causæ fidei ab utroque communiter definiuntur, & ideo cùm tales causæ faciant ad fidem, quoniam ex inordinatis propositionibus incurritur hæresis, ideo loquendo de Episcopo intelligitur quoque esse loquutum de Inquisitore. Hæc Zanardus, quæ sunt valde notanda pro casu simili.

RESOL. XCIII.

Quando Inquisitores debeant facere abjurare reos publicè, vel secretò?

Et pro praxi hujus quæstionis adducuntur diversi casus in textu hujus Resolutionis.

Et tandem explanatur, quod Hæreticus mentalis non indiget Inquisitorum absolutione. Ex part. 4. tract. 8. Resol. 81.

Sup. hoc inf. §. 1. in tr. 13. Ref. 33. §. Nota etiam.

CIrca præsens dubium in Instructione Hispalensi *anno* 1484. *num.* 5. sic habetur. [Item determinaron que los dichos Inquisidores a las personas, que vinieren confessando sus errores segun dicho es, y devieren ser reconciliados a la union de la sancta Madre Yglesia, les hagan abjurar sus errores publicamente quando los huvieren de reconciliar, y les deven injungir penitencias publicas segun su alvedrio y pareçer usando con ellos de misericordia y benignidad, quando con buena conciencia se podrà hazer, y no deven recebir à ninguno à abjuraçion y pena secreta salvo si el pecado fuere tan oculto que no lo supo otra alguna persona; ni lo pudo saber salvo aquel que lo confiessa, porque en tal caso podra qualquier de los Inquisidores reconciliar y absolver secretamente a la tal persona, cuyo error y delicto fue, y es oculto, y no es revelado, ni por otra persona se les podria revelar porque assi es de derecho.]

2. Verùm ad ornatum & intelligentiam supradictorum verborum ibi, [Les hagan abjurar sus errores publicamente,] nota quòd ex text. *in cap. ad abolendam. §. præterea, de hæret.* abjuratio debet fieri publicè, & ita etiam tenet Barbosa *in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 7. cap. 9. num. 11.* Sanctarellus *de hæresi cap. 41. dub. 2. n. 4.* Simanca *in cathol. instit. tit. 47. num. 8. & 74. & in enchirid. tit. 53. num. 12.* Squillacensis *tract. de fide Catholic. cap. 29. num. 2.* Eymericus *in director. part. 3. rubric. de quarto modo terminandi*, &c. *num. 12. & 167. & 175.* ponens formam abjurationis publicæ, quando abjurans est suspectus de levi, de vehementi, & violenter, & *ibi* Pegna *comment. 42.* ubi reddit rationem quare abjurationes hujusmodi publicè efficiuntur. Vide etiam Decianum *in tract. crim. lib. 5. cap. 27. n. 5.* ubi declarat quando & quomodo abjuratio dicatur publicè facta. Riminaldum *lib. 6. consil. 686. num. 250. & seq.* asserentem abjurationem factam secretò non valere, & Rojas *singul. 1. num. 16. & 17.* cum Delrio *in disquis. magic. lib. 5. sect. 12. ver. & hac abjuratio.*

3. Sed licèt omnia supradicta sint vera, non est negandum quòd ex causa bene visa Inquisitoribus abjuratio possit fieri secretò, & ita tenet Zecchius *in sum. tom. 1. tit. de fide, cap. 11. num. 17.* Decianus *in tract. crim. lib. 5 cap. 47. num. 7. & cap. 38. num. 6.* Rolandus à Valle *lib. 3. consil. 63. num. 7. & seq.* cum aliis, & quòd leviter suspectus de hæresi non debeat publicè abjurare, sed privatim in auditorio Inquisitorum, tenet Simanca *in cathol. instit. tit. 1. num. 24.* Rojas *singul. 1. n. 26.* & Pegna *in director. part. 3. comment. 40.* Scaccia *de judiciis lib. 1. cap. 59. num. 10.* Sanctarellus *de hæresi cap. 41. dub. 2. n. 4.* Verùm hoc in aliquibus criminibus non obtinet, & sic contrahentes binas nuptias sunt leviter suspecti de hæresi, & ideo in nostro Tribunali abjurant de levi, attamen dicta abjuratio efficitur publicè.

Sup. hoc Ref. 11. §. 1.

4. Item ad dilucidationem illorum verborum supradictæ Instructionis ibi, [Salvo si el pecado fuere tan oculto, &c.] Vide Simancam *in cathol. instit. tit. 1. num. 24.* qui absolutè docet, quòd publicè non debent abjurare qui occultas hæreses sponte confessi sunt. Vide etiam Barbosam & Sanctarellum *ubi supra.* Non desinam tamen hîc adnotare quòd Ioan. Rojas *de hæret. part. 2. num. 274.* verba supradictæ Instructionis intelligit de hæresi omninò sua natura occulta, quæ nullo modo naturaliter sciri potuit, nisi per illam confessionem spontaneam, quod aliter est, quando hæresis esset occulta per accidens, quando non solùm corde, sed voce & corde exteriùs procedit, videlicet propter defectum probationis ignoratur. Ita Rojas, cujus sententia mihi non placet, nam præsupponit hæreticum mentalem indigere abjuratione & reconciliatione, quod est falsum, nam hæreticus mentalis non indiget Inquisitorum absolutione, ut ex multis probat Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 2. cap. 8. num. 3.* Bonacina *in Bulla Cœnæ tom. 3. disp. 1. quæst. 2. punct. 2. num. 2. & 3.* & alij penes ipsos.

Sup. hoc Ref. 11. §. 1. Quoad inf. in ex ref. doctr. & seq. Ref. 18

RESOL.

RESOL. XCIV.

An Inquisitores possint indicere purgationem, vel abjurationem propter infamiam?
Et an sola infamia sufficiat ad inquirendum, & procedendum in crimine hæresis?
Et an infamia ad indicendam purgationem in crimine hæresis probetur per testes inhabiles?
Et an verò in causa hæresis infamia afficiat, quando ortum habuit ab æmulis, & vilibus hominibus? Ex p.4. tract.8. Res.82.

§.1. REspondeo quòd ex *cap. inter solicitudines, de purgat. canon.* potest indici purgatio propter solam infamiam, ut docet Rosella *ver. hæreticus, n.2.* Delrius *in disquis. lib.5. sect.13. ver. sed de infamia.* Sylvester *ver. hæret.2.n.10.* & alij. Imò tenet Paramus *de orig. Inquis. lib.3.q.4. n.26.* & Pegna *in direct. p.2. comment.82.* solam infamiam, seu diffamationem cunctis adminiculis sufficere non solùm ad purgationem, sed etiam ad abjurationem.

2. Nota tamen quòd non quælibet infamia ad purgationem indicendam sufficit, sed illa tantùm, quæ publica sit & gravis, & vehemens, ut ex dicto capite inter solicitudines docet Gabriel *lib.1. conf.160. n.4.* Pegna *in direct. p.3. comm.38.* Decianus *in tract. crim. lib.5. cap.48. n.8.*

3. Vnde ex his à fortiori contra aliquos apparet, dicendum esse solam infamiam sufficere ad inquirendum & procedendum in crimine hæresis, & ita docet Zanchinus *de hæret. cap.11.n.3.* Vmbertus Locatus *in praxi Inquisit. ver. accusatio, § ponamus, & ibi* Mandosius *in addit. lit.O,* ubi asserit generaliter quòd fama succedit loco accusatoris, & sufficit ad inquirendum.

4. Difficultas est an infamia ad indicendam purgationem in crimine hæresis probetur per testes inhabiles? Ego contra Vmbertum Locatum *in praxi ver. diffamati, sub n 3.* & Eymeric. *in direct. par.2.q.57.n.2.* puto non probari per testes inhabiles, & ita docet Peña *in direct. ubi sup. comm.82.* nisi essent plures quàm duo, & deponerent verisimilia. Vide eumdem Pegnam *in direct par.3. comm.19.*

5. An verò in causa hæresis infamia afficiat quando ortum habuit ab æmulis & vilibus, hominibus, vide Pegnam *ubi sup. comm.82.* Simancam *in cathol. instit. tit.56. n.7. & in enchirid. tit 54. n.4.* Oldradum *consil.210 n.9.* Gabrielem *lib.1. conf.160. n.5.* & alios penes ipsos negativam sententiam docentes.

RESOL. XCV.

An detur casus in quo Inquisitores possint torquere reum, & non imponere abjurationem de vehementi?
Et an licet reus fuerit tortus, possit ei imponi abjuratio tantum de levi? Ex p.4. tr.8. Res.110.

Quoad hoc §.1. Inf. in tr.11. ex res 1. lege doct. §. Vnde & seq. & Res.18.

VIdetur negativè prima facie respondendum, per ea quæ habentur in Instructione Madriliana *anno 1561. cap.46.47. & 48.* ubi dicitur contra reos, qui per indicia non possunt absolvi simpliciter ab instantia, seu accusatione, procedendum esse vel per purgationem, vel per abjurationem, vel per torturam. Ergo quoties Inquisitores possunt torquere reum, si nolunt, possunt ei imponere abjurationem.

2. Sed his non obstantibus contrarium dicendum est cum Pegna *in direct. Inquisit. part.3. comm.39.* ubi sic ait: Non diffiteor evenire sæpè posse ut alia indicia concurrant contra reum, ex quibus non possit tutò imponi abjuratio de vehementi, cùm ea sit gravissima pœna ob periculum relabendi; ea tamen indicia sufficientia judicabuntur ad torturam infligendam, quæ non est adeò periculosa, ut per eam indagetur veritas, & ab ore ipsiusmet delinquentis, si fieri potest, habeatur, ut tunc severiùs possit procedi ad injungendam abjurationem, & alias pœnitentias. Ita ille. Non est igitur absolutè verum, eo ipso quòd reus potest torqueri quòd possit ei indici abjuratio de vehementi, ut malè olim dicebat quidam vir doctus. Nam, ut visum est, aliquando dantur indicia sufficientia ad torturam, & non ad abjurationem de vehementi.

3. Ad instructionem verò Madrilianam respondeo quòd loquitur de eo quod communiter accidere solet.

4. Notandum est etiam contra quemdam virum doctum, quòd licèt reus fuerit tortus, potest ei imponi abjuratio tantùm de levi, ut patet clarè apud Canteram *in qq. crim. cap.1. de hæret. n.95.* & Genuensem *in praxi cap.18. n.13. & cap.78. n.12.*

RESOL. XCVI.

An Inquisitores possint indicere abjurationem de vehementi, & punire tanquam credentes hæreticorum illos, qui semel, vel bis assistunt concionibus, vel conventiculis hæreticorum? Ex p.4. tr.8. Res.93.

§.1. AFfirmativè videtur respondendum, quia ex actu geminato crimen videtur ad consuetudinem trahi, ex quo fundamento asserunt Archidiaconus, Geminianus, Io. Andr. & alij *in cap. quicunque, §. hæretici, ver. credentes, de hæret. in 6.* Zanchinus *de hæret. cap.3.n.6.* Repertor. Inquisitor. *ver. credentes, §. ponamus,* qui bis audiunt hæreticorum conciones, censendos esse eorum credentes. Vide etiam Calderinum *tract. de hæret. cap.3. n.4.* asserentem quod si quis iverit plusquam semel ad audiendum hæreticos, dicitur eorum credens.

2. Verùm ego contrariam sententiam teneo cum Sousa *in Bull. Cœnæ, cap.2. disp.8. n.10.* Suarez *de fide disp.24. sect.3 n.3.* & alij cum hac tamen limitatione, ut non procedat in terris Catholicorum, nam in his, si aliquis intelligat occulta conventicula ab hæreticis celebrari, & illuc vadat, etiamsi semel, & hoc Inquisitoribus non denunciet, suspicione hæresis non carebit. Et ita docet Pegna *in direct. Inquis. p.2. q.50. ver. si & plurimum* Azorius *tom.1. lib.8. cap.15. q.1.* & alij. Igitur ex dictis puto assistentem concionibus hæreticorum per duas vices, incurrere tantùm in suspicionem levem de hæresi, non autem vehementem, ut in specie notat Sousa *loco cit.* ergo non potest ei indici abjuratio de vehementi. Si autem, ut dictum est, hoc efficiat in terris Catholicorum, puto supradictum incurrere suspicionem vehementem, & de vehementi abjurare debere, nisi ignorantia, vel alia circumstantia facti, & qualitas personæ in contrarium concurreret.

3. Non desinam etiam hîc adnotare, quod etiam Antonius Sanctarellus *in tract. de hæresi cap.11. dub.3. n.31.* docet, eum, qui tantùm semel interfuit hæreticorum concionibus, quamvis non reputetur, credens hæreticorum esse, tamen de hæresi suspectum, quod etiam docuit Campegius *in annot. ad Zanchinum cap.3. n.6.* quem omnino vide.

RESOL. XCVII.

An Inquisitores possint compellere, ut abjurantes de levi abjurent generaliter omnem hæresim? Ex p.4. tract.8. Res.68.

§.1. NEgativè videtur respondendum, per ea, quæ adducit glossa *in cap.accusatus, §. eum vero in ver. simpliciter, de hæret. in 6.* Calderinus *de hæret. p.2. c.20.n.1. in fine.* Vmbertus Locatus *in Inquisitionis formula, sub tit. forma abjurationis leviter suspecti.* Eymeric. *in direct. Inquis. sup. tit. forma abjurandi hæresim quando detatus est suspectus leviter, a n.163.*

2. Sed prorsus affirmativam sententiam tenendam esse puto, ut superiùs etiam adnotavi, & ita observari Romæ in sacro Tribunali sanctæ Inquisit. testatur Pegna *in direct. Inquis. p.3. com.4.* & ita etiam observatur in sacro Tribunali S. Inquisitionis Hispaniæ, teste Roderico Acugna *de Confes. solicit. q.24.n.22.* & hanc sententiam tenent etiam Doctores, ut Simanca *in cathol. instit. tom.1. n.12. & tit.57. n.7.* Decian. *in tract. crim. lib.5. cap.47.n.10.* Zecchius *in sum. tom.1. tit.de fide cap.11. n.5.* & alij.

RESOL. XCVIII.

An Inquisitores possint punire tanquam relapsos, qui de vehementi abjurarunt, non autem fuerunt convicti per plenas probationes, si postea in secundo relapsu plenè convicti sunt?

Et aliqua alia circa hoc advertuntur? Ex p.4.tract.8. Res.30.

§.1. SEntentia affirmativa est clara, per text. *in cap. accusatus, de hæret. in 6.* & illam docent DD. quos citat & Barbosa *in collect. tom.3. lib.5.tit.2.cap.8. n.2.* Vnde infertur non esse relapsum illum, qui primò de levi abjuravit, quamvis post hujusmodi abjurationem de hæresi fuerit convictus, quod etiam habetur *in dict. cap.accusatus.*

2. Nota verò cum Squillacensi *de fide cathol.cap.31. n.2.* quem citat & sequitur Sanctarellus *de hæresi c.42. dub.un.n.6. in fine*, quòd si aliquis postquam fuerit in hæresim relapsus, cùm ante relapsum & abjurationem esset de crimine hæresis leviter suspectus, post abjurationem plenè probetur quòd verè illud crimen antea commiserit, hunc esse dicendum verè relapsum, & afficiendum pœna relapsis imposita.

3. Notandum est etiam hîc obiter primò cum Menochio *lib.1. consil.82.n.150.* & aliis, non esse relapsum qui post abjurationem de vehementi iterum abjurat, quia de novo redditur suspectus de hæresi, & ita declaravit Pius V. *anno 1567.* ut notat Vmbertus Locatus *in præxi Inquis. vers. vehemens suspicio, n.1.* Vnde ex hoc sequitur non esse relapsum qui hæresim abjuravit tanquam fautor hæreticorum si post abjurationem iterum illis favet, ut docet Decianus *in tract. crimin. lib.5. cap.56. n.16.* & alij. Vide Zanardum *in direct. Theol. par.2. cap.7.*

4. Notandum secundò non esse relapsum qui post purgationem relabitur in hæresim, si purgatio fuerit imposita propter levem suspicionem de hæresi, secus autem si fuerit imposita propter vehementem suspicionem. Ita Pegna *in direct. p.3. comm.35.* & Decian. *in tract. crim. lib.5. cap.48. n.51.* Imò non dicitur relapsus qui post purgationem incidit in aliam hæresim, sed solùm ille, qui incidit in eam hæresim, quam purgavit, quod notat Pegna *ubi suprà*, & Paramus *de orig. Inquisit. lib.3.q.4.rubr.de expedit. proces. n.5.* nisi generaliter omnem hæresim abjurasset, prout fieri solet, & ratio est, quia qui se purgat, solùm de illis hæresibus se purgat, de quibus fuit diffamatus; ergo si in alias hæreses reincidat, non est relapsus.

RESOL. XCIX.

An Christianus fingens se infidelem, & petens iterum baptizari propter eleemosynam acquirendam, debeat abjurare? Ex p.6.tr.8.& Misc.3. Res.9.

§.1. NEgativam sententiam nominatim contra me docet P. Pasqualig. *dec.475.* quia cùm abjuratio sit detestatio hæresis, aliquis in tantum abjurare debet, in quantum est, vel hæreticus, vel suspectus de hæresi, in casu nostro nulla est suspicio de hæresi, quia talis non petiit Baptismum credens posse reiterari, sed ut medium ab obtinendas pecunias. Ergo. Et cum fi. §. ut. nis declaret intentionem, evacuata remanet in tali casu omnis suspicio. Sup. hic eodem To. quilig. cit. n.1. cum n.2.

2. Sed hæc opinio certè in nostro Sacro Tribunali non erit admittenda; nam ex facto ipso, videlicet ex reiteratione Baptismi clarum est, quod talis remanet suspectus de hæresi; quod verò talis reiteratio non fuerit facta ex mala credentia, ut loquuntur nostri DD. sed ex cupiditate commodi temporalis hoc non potest cõstare nisi per confessionem extra judicialem Rei, vel judicialem; per confessionem extrajudicialem, quia ipse vel ante vel post Baptismum hoc aliis communicavit, vel per cõfessionem judicialem, quia ab Inquisitoribus interrogatus respondit se reiterasse Baptismum causa commodi temporalis, & non quia crederet posse Baptismum reiterari. Sed neutro casu talis confessio ei prodest, cum crimen hæresis sit occultum & in mente lateat, & ideo docẽt omnes Doctores, & est praxis nostri Sacri Tribunalis, quod quando factum per se est hæreticum, vel inducens suspicionem hæresis, nõ purgatur talis suspicio, quia reus dixit se velle facere, vel fecisse tale factum non ex mala credentia; sed ex alio fine, sed torquetur super intentione, & si neget se habuisse malã credulitatem, adhuc in foro externo, quia remanet suspectus ex ipso facto indiciur ei abjuratio. Et ideo in casu simili de abusu Sacramentorum, supradicta practicantur quotidie in inquisitione Hispanica, & Romana cum polygamis, & solicitatoribus mulierum, qui cum regulariter non habeant errorem in intellectu; & hoc ipsi fateantur, tamen quia ex facto ipso nempè abusu Sacramenti remanent suspecti, ideo abjurare coguntur; unde nescio in casu nostro quomodo P. Pasqualigus potuit dicere certò constare de intentione Rei, cùm intentio sit occulta; dices constare ex dicto Rei, & ex præsumptionibus. Respondeo, quòd ideo non abjurat de formali, sed quia ex facto ipso remanet adhuc suspectus, aliàs abjuratio ei indici debet.

RESOL. C.

An si Inquisitor cogeret reum sine Episcopo ab abjurationem, talis sic abjurans maneret subjectus ad pœnam relapsi?

Et quid è contra?

Et an liceat Inquisitoribus suspectum de hæresi vehementer cogere ad abjurationem sine Episcopo? Ex part.4. tract.8. Res.49.

§.1. NEgativam sententiam tenet Ferdinand. de Castro *in op. mor. tom.1. tract.4. disp.8. punct.13. in n.* *n.18.* qui hanc sententiam conatur probare ex *Clem. 97. de hæret. §. duro.* Sup. hic in n.

2. Verùm contrariam sententiam præter Pegnam *in direct. Inquisit. p.3. comment.97.* tenet Michaël Zanardus *in direct. Theol. part.2. cap.6. quæst.15.* ubi sic ait: Doctores sunt divisi, ita ut aliqui affirment posse Inquisitores sine Episcopo indicere abjurationem, & è contra: tamen oppositum mihi cum aliis tenendum

tenendum videtur, quia abjuratio quædam pœna est & condemnatio, ad condemnandum autem uterque requiritur, & ita credo esse, usu receptum apud Inquisitores & Episcopos. Si tamen coram uno illorum tantùm facta esset, teneret, nec esset repetenda, quia expresè non est aliud sancitum. Ita Zanardus.

3. Itaque contra Castrum, si de facto contingeret Inquisitorem sine Episcopo, & è contra reum ad abjurationem cogere, talis reus sic abjurans maneret subjectus stante dicta abjuratione ad pœnam relapsi, & ita hanc sententiam tenet etiam Farin. *de hæresi quæst.* 186. *n.* 79. concedo tamen non licere Inquisitoribus suspectum de hæresi vehementer cogere ad abjurandum sine Episcopo, & ita tradit Azorius *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 18. *q.* 16. Molina *de just. tom.* 5. *tract.* 5. *disp.* 28. *n.* 16. & alij; quidquid in contrarium sentiat Campeg. *in addit. ad Zanchinum de hæret. cap. lit. E.*

Sup. hoc ignorauer in resl. not. præteritæ.

Quoad hoc sup. lege ex rel. 59. doct. §. ult. & alterius §. ejus annot.

RESOL. CI.

In Bulla Sixti V. contra Astrologiam judiciariam obliget non solum in foro exteriori, sed in foro conscientiæ? Et an contra supradictos possint Inquisitores procedere? Ex p. 2. tr. 15. & Misc. 1. Resl. 58.

§. 1. AFfirmativam sententiam docent Doctores, quos citat & sequitur Sanch. *in sum tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 38. *n.* 34. quibus ego addo Homobon. *de exam. Eccl. p.* 1. *tract.* 6. *cap.* 5. *q.* 22. Flavium Cherubinum *in compen. Bul. tom.* 2. *const.* 17. *Sixti V. schol.* 1. Peirinum *in privil. Minim. tom.* 2. *constit.* 9. *Pauli V.* §. 2. *n.* 24. & Farin. *de hæres. q.* 181. §. 1. *n.* 59.

2. Sed contrariam sententiam non minus probabilem docet Suarez, Valentia, & Rodriquez apud Sanch. *ubi sup.* quibus ego addo Molfesium *in sum. p.* 1. *tr.* 11. *c.* 7. *n.* 120. Nald. *in sum. ver. Astrologus, n.* 4. & Raphaël de la Torre *in* 2. 2. *q.* 95. *art.* 5. *disp.* 2. *fol. mihi* 271. Et ideò Homobonus, Peirinus, & Sanchez *loc. cit.* vocant tantùm tutiorem, & veriorem sententiam affirmativam, quam ipsi tenent. Itaque secundùm mentem horum Doctorum, Bulla Sixti V. lata est pro foro externo, unde quicquid licitum erat de jure antiquo prædicere ante dictam Bullam, & nunc etiam in foro conscientiæ, secluso scandalo, erit licitum; quænam verò futura contingentia, & quomodo erant licita prædicere ante dictam Bullam, vide Cajet. *in* 2. 2. *q.* 95. *art.* 5. Valent. *to.* 3. *disp.* 6. *q.* 12. *punct.* 3. Delrium *disqu. mag. l.* 4. *c.* 3. *q.* 1. *concl.* 2. Tolet. *in sum. lib.* 4. *c.* 15. *n.* 6. & alios. Ego autem non damnarem illum qui hæc prædiceret, sola tenuissima conjectura, & certitudine, qua sciri possunt per astra; verum est quòd his non obstantibus, contra supradictos possunt in foro externo DD. Inquisitores procedere. Vide etiam circa præsentem quæstionem Filliuc. *tom.* 2. *tr.* 24. *cap* 4. *n.* 84.

Sup. hoc latè inf. in tr. 12. Resl. 17.

RESOL. CII.

Notabilia quædam circa Bullam Sixti V. contra sortilegos in favorem DD. Inquisitorũ? Ex p. 4. tr. 8. Resl. 107.

Sup. hoc inf. in tr. 12. Resl. 10. & in to. 9. tr. 2. resl. 193. in fin.

§. 1. NOta primò non esse probandum quòd aliqui machinati sunt prædictam Bullam non tribuere Inquisitoribus jurisdictionem super alias superstitiones, quàm super divinationes, sicque accipiunt Sanch. *in sum. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 38. *n.* 92. est namque contra expressa Bullæ verba, quæ possunt intelligi quod committant eam jurisdictionem Inquisitoribus & Ordinariis cumulativè, simultaneè tamen more aliorum delictorum, de quibus Inquisitores cognoscunt, siquidem verba tam & quàm eum sensum patiuntur.

2. Nota secundò spectato jure dictæ constitutionis Inquisitores possunt & tenentur se intromittere in superstitionibus saltem sapientibus hæresim, etiam non manifestè, ut patet ex verbis Bullæ, in quibus eis submittuntur omnes incantationes, & similes superstitiones quæ verba saltem accipienda sunt de superstitionibus sapientibus hæresim, etiam non manifestè. Nam Pontifex addit, *etiamsi in plerisque his casibus procedere non valebant*, &c. valebant autem in omnibus sapientibus hæresim manifestè: ergo, &c.

3. Nota tertiò quòd non spectat ad Inquisitores in prædictæ Bullæ terminis sortilegiorum, &c. cognitio privativè ad Ordinarios, tum quia semper est in dubio evitanda juris correctio; tum quia dicta constitutio est odiosa Ordinariis, ergo jurisdictio per eam Inquisitoribus concessa restringenda est ad cumulativam, & omnia supradicta docet Emanuel de Valle de Moura *opusc. de ensal. & incant. sect.* 3. *c.* 1. *n.* 4. 7. 8. ubi etiam notat quòd Suarez *de Relig. tom.* 1. *lib.* 2. *c. ult. n.* 11 asserit, superstitiones puras, in quibus non est expressa suspicio hæresis, non pertinere ad Inquisitores, etiam per Bullam Sixti V. Sed hoc, ait, Emanuel, cum distinctione accipiendum est. Si enim intelligat de illis quæ aliquo modo specificè, licèt non manifestè sapiunt hæresim, displicet ob verba Bullæ. Si autem intelligat de nullo modo specificè sapientibus, placet, licet hæ rarissimæ sint. Ita Emanuel. *ubi supra.*

Sup. hoc in Resl. seq.

RESOL. CIII.

An Inquisitores per Bullam Sixti V. contra sortilegos cognoscant de sortilegiis omnibus privativè quoad Episcopos? Ex p. 4. tr. 8. Resl. 119.

§. 1. DIximus *suprà* per Bullam Sixti V. Inquisitores hodie cognoscere de sortilegiis etiam non sapientibus hæresim. Quæritur modò, an hæc cognitio sit illis tributa privativè quoad Episcopos? & respondeo negativè cum Ioanne Francisco Leone Episcopo Thelesino *in lib. de sortilegiis cap.* 8. ubi sic asserit: Ex constitutione Sixti V. possunt Inquisitores cognoscere de sortilegiis, non tamen privativè quoad Episcopos, imò causas superstitionum, incantationum, veneficiorum, & blasphemiarum Episcopi cognoscere, & nisi sapiant manifestè hæresim, absque Inquisitorum interventu illas possunt decidere; definire, & terminare, per textum *in cap. accusatus, de hæret. in* 6. Et ita censuit sacra Generalis Congregatio Romanæ, & universalis Inquisitionis *sub die* 21. *Decemb. ann.* 1602. Quamvis enim per dictam constit. Sixti V. fuerit Inquisitoribus attributa jurisdictio cognoscendi de causis sortilegiorum, superstitionum, veneficiorum & incantationum, etiam quòd aliàs de præmissis non cognoscerent. Non tamen fuit Ordinariis restricta facultas quin liberè in causis hujusmodi, ut priùs, dummodo non hæresim manifestè redoleant, procedere possint cùm id ex juris communis dispositione illis sit attributum. Ita ille, & alij.

Sup. in Resl. quæ hic est antecedens, §. Nota tertio, & lege etiam alias Resl. ejus primæ not.

RESOL. CIV.

An in dubio sapiat ne sortilegium hæresim, manifestè possint Inquisitores se intromittere? Ex part. 4. tract. 8. Resl. 112.

§. 1. AFfirmativè respondendum est ex jure novo constitutionis Sixti V. Difficultas est de jure antiquo, per *cap. accusatus, in* §. *sanè*, & negativam sententiam docet glossa *ibi*, & alij relati ab August. Barbos. *in collect. to.* 3. *l.* 5. *tit.* 2. *c. c.* 8. *n.* 24. Et ratio est. Verbũ

Sup. hoc inf. in tr. 12. Resl. 10. §. 1. ante med. vers. Si non appareat, & propè fin. vers. Sed, an.

post

positum manifeste in clausula restrictiva contenta in dicto §. *sanè*, quæ observante Sylvestro *ver. Hæresis, num.4.* non potest intelligi de dubio, an factum sit per tractatum, nec ne, sed in dubio an talia sapiant hæresim.

2. Sed contrariam sententiam jure, ratione, & usu comprobatam esse testatur Simanca *in cathol. instit. tit.30 num.2.* & alij penes ipsum, quibus ego addo doctissimum & nunquam satis laudatum Archiepiscopum Bracharensem Rodericum Acugna *in tract. de Confes. solicit. q.5. n.13.* & ratio est, quia judex etiam delegatus cognoscit, an sua sit jurisdictio. Deinde si contraria opinio esset sequenda, sequeretur quòd Inquisitorum cognitio facilè subverti posset, asserente quolibet sortilegia, vel divinationes non sapere manifestam hæresim. Dicendum est igitur quòd in dubio an sortilegia sapiant hæresim manifestè, Inquisitores possunt se intromittere ad cognoscendum an sapiant manifestè.

RESOL. CV.

An Inquisitores possint inquirere, & punire eum, qui in sortilegiis immiscuit Sacramenta? Ex part. 4. tr. 8. Res.13.

Sup. hoc.inf. in tr.12. Res. 10 §.Ideo & lege etiã ibi §. Quæro,& seqq & non pigebit.

§.1. AD quæstionem respondendo Vmbertus Locatus *in praxi Inquis. ver. Sacerdos, num.4.* docet, quòd sortilegium in quo sacrum oleum miscetur, non sapit hæresim, nisi imploretur auxilium dæmonis ad ea, quæ de sui natura facere non potest. Et hanc sententiam tenet etiam Campegius *in addit. ad Zanchinum cap.22. lit. C. in ver. Inquisitor. vers. pro his intelligendis, in fine.*

2. Verùm cum communi DD. sententia hoc sortilegium sapere hæresim manifestam dicendum est, & ita docet Riccius *in praxi tom.1. resolut. 22. num.11.* Delrius *in disquis. mag.lib.5.sect.15.§.Dico tertiò.* Torreblanca *de magia lib.3.cap.7.num.14.* Pegna *in direct. Inquis. part.2.quæst.42.comment.67.* Genuens. *in praxi Archiep. cap.18.num.11.* Zanardus *in direct.Theol.p.3. cap.64.* Raphaël de la Torre *in 2.2. D. Thom. tom.1. quæst.96. art.4.disput.2.* & Lucerna Inquis. *ver. sacramentis abuti*, ubi sic ait: Sacramentis abuti sapit hæresim, & Inquisitor potest punire tales abutentes, quando utuntur Sacramento Altaris ad faciendas incantationes, vel sortilegia, aut rebaptizando aliquem, ut dicitur in glossa *ver. saperent, §. sanè, cap. accusatus.* Idem etiam esset quando fierent ista cum sacramento Chrismatis, aut aliquo aliorum Sacramentorum, quia faciendo mentionem de corpore & sanguine Christi & de Baptismo, consequens est, quòd etiam intelligatur de aliis Sacramentis, quia de similibus simile est judicium. Ita Bernardus Comensis author dictæ Lucernæ, cujus sententiam *ibi in annot.* approbat Pegna, & ut dixi, omnes communiter.

RESOL. CVI.

An Inquisitores possint punire reum, qui in sortilegiis miscuit Sacramentalia?

Et quid, si admiscerentur verba Sacra, ut Evangelium, Symbolum fidei, Pater noster, Ave Maria, Psalmus aliquis Davidicus, seu alia verba sacræ Scripturæ, vel si miscerentur Reliquiæ Sanctorum, aut dissolverentur ad maleficia, &c. Ex p.4.tr.8. Res.14.

Sup. contrà in hac Res. inf.in tr. 12. Res.10. §. Ideo.

§.1. NEgativè videtur respondendum ex sententia Torreblanca, qui *in lib. 3. de magia cap. 8. n.15.* putat sortilegium cum mixtione sacramentalium non esse hæreticale, & citat Ghirlandum *de sortileg. q.10. n.15. & seq.*

2. Sed hæc sententia, pace viri docti, mihi displicet, & ideo illam impugnant communiter DD. ut Sesse *tom.4. decis.463. num.9. & 464.num.12.* Bellocchius *in praxi Theol.mor. part.2. quæst.1. num.55.* Floronus *de cas. reserv. part.2. cas.1. num.49.* Zanardus *in direct. Theol. p.3. cap.64.* Genuens. *in praxi Archiep. cap.18. n.11.* Delrius *in disquis.mag.lib.5.sect.15.§. Dico tertio.* Pegna *in director. Inquis. part.2. quæst.42. comment.67.* Scaccia *de judic. lib.1. cap.12. num.34.* Raphael de la Torre *in 2.2. D. Thomæ q.96.art.4. disp.2.* & alij communiter, asserentes non solùm esse sortilegium sapiens hæresim manifestam, quando in illo adhibentur sacramentalia, sed etiam quando admiscentur verba sacra: ut Evangelium, Symbolum fidei, Pater noster, Ave Maria, Psalmus aliquis Davidicus, aut alia verba sacræ Scripturæ, seu aliæ sanctæ Orationes, vel si imaginibus cereis, quas vocamus Agnus Dei, vel aliis rebus sacratis, ut testibus sacerdotalibus & similibus. Et ratio horum omnium est, quia tales sortilegi admiscentes supradictas res in suis sortilegiis, significant se credere hujusmodi adhibita habere vim ad maleficiorum operationem. Vnde ex his videtur explodenda alia opinio Torreblancæ *ubi supra, n.16.* asserentis non esse sortilegium hæreticale miscere reliquias Sanctorum, aut eas dissolvere ad maleficia, & ideo contrariam sententiam, & meritò, tenet Raphaël de la Torre, Zanardus & alij *ubi supra*, docentes mixtionem Reliquiarum efficere sortilegium hæreticale.

RESOL. CVII.

An Inquisitores possint punire sortilegos eos, qui præsentia, vel præterita occulta revelant, ut furta, &c. Ex p.4. tr.8. Res.15.

§.1. AFfirmativè respondet Simanca *in cathol. instit. tit.21. n.15.* ubi sic ait: Illi præterea puniendi sunt qui præsentia, vel præterita occulta revelant, quæ ab eis tunc naturaliter sciri non potuerunt; ea enim dæmone suggerente noverunt. Hi ferè sunt, qui divinant, ubi sit res aliqua furto subtracta, & qui eodem die, quo aliquid gestum est in longè distantibus locis, id ipsi enunciant, ac si præsentes fuissent, qui quidem interrogandi sunt ab Inquisitoribus, unde talia noverint & confessi, vel convicti coërcendi sunt, ut socij dæmoniorum. Ita Simanca.

2. Sed adversùs illum insurgit novissimè Acugna *de Confes. solic. quæst.5. num.34.* ubi sic asserit: Divinationes & sortilegia per se sumpta, etiamsi pactum expressum, vel tacitum cum dæmone interveniat superper his, quæ ab ipsis effici possunt, cujusmodi est revelatio eorum, quæ nobis sunt occulta non pertinent ad Inquisitorum jurisdictionem, si nulla detur alicui admixtio hæresis, veluti dæmonis adoratio, aut manifestus sapor illius inducatur, veluti si consulatur, ad ea, quæ ipse per naturam suam scire nequit. Ita ille, qui citat plures DD. quos etiam sequitur Farinacius *de hæresi quæst. 181. num.54.* quibus ego addo Sigismundum Scaccia *de judic. lib.1. capite 12. num.40.*

Verùm, his non obstantibus, ego adhæreo opinioni Simancæ, quia nobis omne cum dæmonibus commercium interdictum est, & hanc sententiam docet etiam Bartholomæus de Spina, insignis Theologus Dominicanus, & Magister sacri Palatij, *in Apparatu log.4. contra Ponzinibium*, ubi probat, quòd absolutè & sine distinctione dicendum est omnem invocationem

nem dæmonis sapere hæresim manifestam. Sed aliqui concordant supradictas duas opiniones pugnantes, & dicunt quòd opinio Simancæ procedit, quando dæmon invocatur per verba deprecativa, opinio verò contraria, quando dæmon invocatur imperativè. Vide Sess *tom.4. decis.468. n.18.* & alios; sed hæc distinctio mihi displicet, ut *infra* patebit.

Sup. in Resol. præterita, §. Sed contra & seq.

RESOL. CVIII.

An pertineat ad Inquisitores cognitio ensalmorum, & possint punire ensalmatores?

Et deducitur delictum ensalmorum non esse mixti fori respectu Magistratus sæcularium? Ex part.4. tract.8. Resol.122.

§.1. ANno circiter 1613. orto dubio inter Olysipponensem Archiepiscopum & Tribunal Inquisitionis, cuinam potius utriusvis incumberet cognitio & punitio ensalmatorum? Consultus Paulus V. respondit in hæc verba. Servetur jus commune. Hinc doctus Emanuel de Valle de Moura *opusc. de incant. & ensal. sect.3. cap.1. per totum*, probat ensalmorum cognitionem pertinere ad Inquisitores saltem cumulativè, etiam quando non sapiunt hæresim manifestam, stante Constitutione Sixti V. Vide Hieronymum Llamas *in 3. part.3. methodi, cap.tit. Incantatores §. ad secundum*, ubi expressè dicit Inquisitores esse judices ensalmorum; sed quando occurrit talis casus, legant Inquisitores supradictum authorem *loc. cit.c.5.* latè tractat hanc materiam, & docet quinam ensalmi sapiant hæresim manifestè, hodieque de jure practicato subdantur Inquisitoribus.

2. Hinc deducitur contra Malleum maleficiorum *part.3. quæst.1.* & Valentiam *tom. 3. disp. 6. quæst.13.* delictum ensalmorum non esse mixti fori respectu Magistratus sæcularis, etiam quando saperent hæresim manifestè, sed ut diximus, pertinere ad Inquisitores, privativè ad judicem sæcularem, ex *cap. accusatus, de hæret. in 6.* quod non intelligitur de solis formaliter hæreticis, sed de quibusvis etiam suspectis de hæresi, & in specie quòd dictus textus comprehendat etiam dicta, vel facta hæresim sapientia, notat Emanuel *ubi supra n.33.* ubi optimè asserit quòd opus, vel dictum suspectum de hæresi manifeste, favensque operantem, vel dicentem suspectum de vehementi, indubitanter reponit rem in causa & judicio hæresis.

RESOL. CIX.

An sit licitum in absentia infirmi vulnerati applicare ejus sanguini medicamentum, ut asserunt, sympaticum?

Et an supradicti sint denunciandi S. Officio?

Et an Episcopi, & Inquisitores debeant videre, & attendere ad supra dicta medicamenta, & è suis Diœcesibus eliminare? Ex part. 11. tract.4. & Misc.1. Resol.42.

Quoad hoc §.1. to 8. tr.2. lege doctr. Resol.6. per tot. & signã. ter §. ult. in prine.

AFfirmativè respondet novissimè Ioannes Petrus de Crescentiis *in Præsidio Romano lib.3. num.113.* ubi sic ait: [Vn Religioso per carità medicò certo dover'huomo ferito in testa, applicando l'unguento simpatico, o l. vitriolo Romano al sangue uscito dalla ferita, e curando quel tale in lontana distanza. Fù dubitato segli pecò. Il medicare in questo modo è approvato da Medeci Esaia Menclsneto, Gio: Ernesto Burgyravo, Osualdo Grollio, Deniello Bechero, Rodolfo Goelen: Vvirichio, Cardano, Schenchio, Vvechero, Basilio Valentino Monaco, & da tutti y seguaci di Paracello, per l'inventione di cui l'Imperatore Massimiliano così faceva medicare i feriti, come scrive Gio Battista Porta *lib.8. sub. Mag. cap.14. ad fin.* & l'eruditissimo Loredano loda questa inventione nella sua Dianea.]

2. Et paulò infra reddit rationem, probat enim; [Che le virtù occulte sono grandi, accompagnate dalla virtù simpatica c'hàil vitriolo con il sangue, & il sangue con la ferita, che se per essempio la calamita non tirà il ferro se non vicino; questo, è perche forse non hà virtù maggiore in quantità, ma quella di doppia simpatia nel nostro caso può essere più vigorosa, è trasmettersi per corpi fortissimi, è velocissimi dal sangue medicato alla ferita sí che la calamita douunque sia, sempre si volta à tramontana, ô sia questo, perche y monti di calamita, che sono in quelle parti, per si lontano spatio le communichino questa virtù simpatica, ò ciò venga dall'astro, che è altretanto mille volte più lontano, e pure à se la volge, transmettendole quella virtù, che la muove. Vediamo per una parte, che con questa maniera di medicare si guarisce, dall' altra non ci è demonstratione à convincere che tal effetto sia sopranaturale, dunque naturale: hassi à diremi piace la riposta, che a cota l'esperienza dà il dotissimo Gio: Battista Sitoni Fisico Milanese, Scrittore insigne di varia eruditione, il quale trattando filosoficamente il caso *par.2. tr.8.* doppò di haver provato, che la simpatia in distanza si grande non può operare, conchiude che non già per alcuna sopranaturalità superstitiosa si guariscono cotali ferite; ma solo perche sendo ferite semplici, y nella superficie, sono atte a guarire de se medesime, quando vi s'habbia cura, che non faccian putredine, & à guarire anco più presto, mostra co'Medici, e Filiosofi assai giovare l'imaginativa disposta à muovere gli spiriti, mentre che l'huomo assicutasi dover guarire con quel simpatico remedio di cui tante sperienze ogni giorno si veggono. E certo, che egli si fa senza segni, senza parole, od altra superstitiosa osservatione, e perciò molti credono, che à farlo non sia peccato, mentre in buona fede si fà: nè si presume dolo, ò culpa in cosa che publicamente si fa, ne si puo fare, *Farinac. de pœn. temp. quæst.89. num.62.* In quanto à me non costando di sopranaturalità; crederei, che non fosse peccato à farlo; poiche in dubio sempre deve si riputare l'effetto naturale] Vnde ex his noviſſimè Ludovicus Bertrandus Loth. Dominicanus *in Resol. Theolog. tract.14. quæst.1. art.3.* docuit probabiliter posse tuta conscientia, uti his medicamentis, renunciando tamen prius omni pacto explicito & implicito cum dæmone. Quia vel est probabile vel saltem dubium an pulvis ille, habeat talem virtutem, sed quoties est dubium, an effectus aliquis proveniat à causa naturali, eo quod non constat, an vires causæ naturalis, excedat necne; censendum est potius à causa naturali provenire. Ergo licet uti tali remedio sine ullo vitio superstitionis. Ita ille, qui tamen subdit, salvo melioti judicio.

3. Sed ego prorsus puto esse abstinendum ab his medicamentis, tanquam superstitiosis, & ita docet Bonacina *tom.2. disp.3. de leg. q.5. punct.4. num.15.* & alij penes ipsum.

4. Probatur nam interrupta sphæra activitatis, non potest agens naturale producere suum effectum, ut si inter magnetem & ferrum interponatur paries, non potest amplius magnes attrahere ferrum, vel si inter solem & hæc inferiora ponantur aliqua corpora densa, sol non amplius poterit eosdem effectus producere, quos modo producit, ergo etiam in nostro casu, si daremus sphæram activitatis hujus remedij applicari panno lineo, se protendere usque ad infirmum distantem,

distantem, nihilominus fatendum est hujusmodi, sphæram, & contactum virtualem interrumpi per multa objecta interposita, ut per muros parietes, in quibus clausi detinentur panni linei, quibus remedium applicatur; consequenter dicendum est hujusmodi effectum viribus naturæ fieri non posse.

5. Deinde omnis effectus vel est à causis naturalibus, vel à Deo, vel à malo spiritu, sed hic effectus sanitatis non est à causa naturali, ut probatum est cùm nulla virtus naturalis agat in distans, sed per contactum: neque posse dici esse à Deo, quia quando non constat ex scriptura, vel ex Ecclesiæ traditione aliquem effectum esse à Deo, non debemus illum Deo tribuere: ergo erit à malo spiritu.

6. Item probatur, quia si hoc remedium applicatum panno lineo, vel ensi, vel ligno intincto sanguine naturaliter prodesset ad sananda vulnera in tanta distantia, sequeretur etiam venenum, vel quid simile noxium, & lethiferum applicatum eidem panno lineo nocere vulneri, cum par videatur utriusque ratio; sed consequens est falsum: ergo & antecedens.

7. Et tandem, quia si hujusmodi effectus naturaliter producitur ab hoc remedio, maximè quia est aliqua sympathia, & conformitas inter remedium, & effectum; sed hoc dici non potest, quia effectus sanitatis data quavis sympathia est effectus realis: ergo necessario fieri debet per aliquam actionem; actio autem non potest dari naturaliter in tanta distantia, cum non intercedat contactus, & impediatur sphæra activitatis.

8. Vnde patet responsio ad ea, quæ adduxit Crescentius *ubi suprà* ad auctoritatem Maximiliani Imperatoris, qui simili remedio utebatur ad sanandos vulneratos etiam absentes, ut refert Ioannes Baptista Porta *in sua magia l.8. cap.14. ad fin. fol.* 162. quod remedium appellabatur unguentum armarium, eò quod applicaretur ensi, quo infirmus sauciatus, & vulneratus fuerat; ergo videtur remedium naturale, & permittendum.

9. Respondeo primo cum Bonacina *ubi suprà*, Maximilianum Imperatorem fortasse non usum fuisse illo remedio in ea distantia, in qua adhibetur id de quo nos quærimus.

10. Respondeo secundò, illud exemplum pati easdem difficultates, quas patitur casus à nobis propositus, præsertim cum auctor illius unguenti armarij fuerit Paracelsus, qui fuit auctor damnatus; afferre autem inconveniens, non est solvere difficultatem.

11. Addo, illud remedium non approbari à Porta, sicut ab ipso cætera consueverunt approbari, quod indicium est alicujus superstitionis.

12. Dicendum est igitur ad actionem quamlibet prærequiri necessario contactum, ut ex pluribus probat Paulus Aresius nostræ Religionis ornamentum *de generat. lib.1. disp.5.q.41. sect.7.qui ad 16. argum.* ex allata doctrina damnat tanquam procedentem ex arte Dæmonum, curationem illam circa absentem cum panno ejus sanguine intincto. Et ideo Hermanus Busembaum *in medulla Theol. mor. lib.3. tract.1. dub.4.* damnat tanquam superstitiosum, si unguento armario quo gladius inungitur, absens curetur. Immò aliqui putant, supradictos esse denunciandos in Sancto Officio: Vide Bonacinam, *ubi suprà*, *numero* 19. distinguentem.

13. Nec obstat superius dictis, quod in casu dubij, non est aliquis damnandus superstitionis, ut docet D. Thomas 2.2. *quæst.*60. *art.*4 & in re præsenti de superstitione Suar. *lib.2 de superstit. cap.*15. *num.*24. Lessius *lib.2.cap.*43.*n.*61. Sayrus *lib.*4. *clau. reg. cap.*6. *num.*4. Bonacina *in primum præceptum Decalogi disp.3.quæst.5. punct.4.num.*9.§. *Verum quando dubitatur*; & alij apud ipsos: quia revera plurima sunt, quæ contingunt ex virtute naturali, & tamen à viris etiam doctis, non satis intelliguntur quomodo contingant, ut videre est apud S. Augustinum *libro* 14. *de civit. cap.*24. & *libro* 21. *capit.*5. & 7. *tomo* 5. & apud Aristotelem *libro de admirandis auditionibus*, & apud Plinium *libro* 7. ferè per totum, & apud Franciscum Victoriam, *de Magia quæst.*3. *numero* 8. qui multa hujusmodi recensent, ac proinde neque ex eo, quod non satis constet, quomodo hoc, aut illud possit contingere naturaliter, est absolutè judicandum, non posse contingere.

14. Respondeo enim, nos non versari in casu dubio, sed certo & verissimo, agens enim non potest agere in distans; ita ut contrarium asserere esset contra fidem secundùm Molinam *in* 1. *part.* quod probat ex sacra Scriptura, & ideò dixit David, Deum esse ubique ex ejus operatione, inquit enim, *Si ascendero in Cœlum, tu illic es, &c.* & rationem subdit, *Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Et S. Paul. Act.7. eodem modo argumentatur ita loquens, *quamvis non longè sit ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, movemur, & sumus.*

15. Sed hanc censuram Molinæ impugnat Aresius *ubi sup. sect.*2. qui tamen, ut diximus firmat pro communi, & vera sententia, quod ad quamlibet operationem requiritur contactus, *& sect.*7. respondet ad argumenta, quæ ex quibusdam experientiis videntur contrariæ sententiæ favere.

16. Ideò Episcopi, & Inquisitores vigilent supradicta medicamenta, ut vocant sympatica, à suis Diœcesibus eliminate: ex his mihi non placet modum sanandi icteritiam, vulgò Zafaram, mingendo in herbam, vel cum lotio mensurando infirmi corporis staturam, illudque dividendo, &c. hoc enim pacto dabitur actio in distans, nisi fortè dicas herbam illam, Marrobium vocant, excitatam lotio, emittere aliquam virtutem in corpus infirmi per aërem diffusam: quod non est incredibile. Ita Tancred. *ubi infra*, *num.*21.

17. Nota etiam obiter pro curiosis, quod Delrio *lib.*1. *disquis. cap.*3. *q.*4. & Baldel. *tom.2.disp.*15.*n.*24. non putat esse superstitionem illam, quam putantur habere in Flandria quotquot sunt nati in die paraseeves, ut suo contactu sanent à febribus, & quotquot sunt nati septimi masculi ex legitimo matrimonio, nullo fœmineo fœtu intercedente & Reges Francorum, ut sanent strumosos: Nam illis ait concedi virtutem in honorem dei, & propter sanctitatem mysterij quod tunc recolitur, & aliis in honorem matrimonij, & Regibus Franciæ omnino competere ex virtute divina; Vide etiam doctissimum, & amicissimum Patrem Tancred. *de Relig. tract.2. lib.2. disp.7.quæst.6. num.*23.

RESOL. CX.

An soli Inquisitores possint in causis lamiarum procedere?

Et an Inquisitores simul cum Episcopo in causis hæreticorum contra lamias, & striges debeant procedere? Ex part.4.tr.8. Res.120.

§.1. AD hoc dubium respondet Franciscus Pegna *in Paralipomena, ad tract. de strigibus Bernardi Comensis*, ubi sic ait: Si quæras an soli Inquisitores in causis lamiarum procedere possint, secus ac fiat in causis hæreticorum, ut *in cap. per hoc, de hæret. in* 6. Extravag. *ex eo, de hæret. Clem.*1. *de hæret.* respondebo tutius quidem esse ac decentius ut Inquisitores perinde in causis lamiarum ac in causis hæreticorū procedant, &

& processus conficiant requisitis Diœcesanis secundùm juris dispositionem *in locis proximè cit.* nihilominus tamen si soli velint procedere, id quidem facere possunt, & quod soli procedentes fecerint ac decreverint sive condemnando, sive absolvendo, id validum erit, sicut constat ex Constit. Alexandri VI. directa ad Angelum de Verona Inquisitorem, cujus tenorem ponit per extensum Pegna *loco citato.*

2. Non desinam tamen hîc adnotare quod praxis S. Inquisitionis Hispaniæ observat ut Inquisitores simul cum Episcopo in causis hæreticorum contra lamias & striges procedant.

RESOL. CXI.

An Inquisitores propter cædes infantium debeant tradere striges, & lamias judicibus sæcularibus?
Et an si lamiæ, & striges, vulgo dictæ Bruxas, *se sponte detulerint, etiam si à nostra fide aberrassent, & ex animo apostatassent, admittantur ad reconciliationem, etiam bis, & ter; neque earum bona confiscentur, neque habitus pœnitentialis eis imponatur?* Ex part. 4. tr. 8. Resl. 118.

§. 1. VIdetur affirmativè respondendum, ex authoritate Ambrosij de Vignate *quæst. de strigibus, art. 2. §. si verò dicunt,* &c.

2. Sed contrariam sententiam, & meritò, tenet doctus Pegna *in suis notis ad supradictum Ambrosium de Vignate loc. cit.* ubi adducit verba Pet. Dusini Generalis Inquisitionis Assessoris, & S. Pœnitentiariæ Datarij, sic asserentis: Quamvis Autor Malleï maleficarum, & Sylvest. teneant, lamias ob infanticidia etiam in primo lapsu tradi posse curiæ sæculari, & ita aliquando observatum sit in certis Inquisitionibus particularibus, & præsertim Pedemontanis, ubi multum invaluit hæc pestis: non consuevit tamen hoc S. Officium illas tradere, nec aliter punire, quàm sacri canones puniri mandent Apostatas à fide Christi. Si tamen judex sæcularis illas priùs Officio Inquisitionis consignasset, suspensa aliorum criminum cognitione, expedita hæresis causa S. Officium debet ac solet eidem judici illas restituere, de quo extat etiam particularis Constitutio Pij V.

3. Observatum est etiam aliquando quòd propter frequentiam homicidiorum, & aliquas circumstantias aggravantes, lamiæ facta abjuratione, consignantur de mandato Sanctissimi judici sæculari, qui processum formet de novo super eisdem homicidiis, ut quas reperit culpabiles, puniat secundùm leges. Ita Dusinus, Pegna & ego.

Vide etiam eumdem Pegnam *in Paralipomen. ad tract. de strigibus Bernardi Comensis.*

4. Notandum est etiam hîc obiter quòd si lamiæ & striges vulgò dictæ *Bruxæ*, se sponte detulerint, etiamsi à nostra fide aberrassent, & ex animo apostatassent, admittuntur ad reconciliationem, neque eorum bona confiscantur, neque habitus pœnitentialis eis imponitur, & si hæ post abjurationem relabantur in Inquisitione Hispaniæ, admittuntur ad reconciliationem bis, & ter, teste Castro Palao *tom. 1. tr. 4. disp. 8. punct. 16. §. 5. n. 3.* qui citat instructionẽ Madrilian. *an. 1615. n. 14.*

RESOL. CXII.

An Inquisitores possint punire Ægyptianas, vulgo dictas Zingaræ, *quæ bonam, aut malam fortunam, ut ipsæ asserunt, divinant?* Ex part. 4. tr. 8 Resl. 128.

§. 1. DE hac vilissima gente eruditè, ut semper solet, pertractat Franciscus Ferdin. de Cordu-

ba *in didascal. cap. 50. per tot.* ubi notat Carolum V. in Germania, & Ferdinandum Regem in Hispania jussisse hanc gentem ab istis Regnis abire, & supradictas fœminas, vel vitos posse Inquisitores punire, docet Villadiego *in polit. cap. 5. §. 20. n. 30.* ubi sic ait: [Los Inquisidores castigan à las Giranas que dizen la buena ventura.] Ita ille, & ego.

RESOL. CXIII.

An Inquisitores habeant potestatem erga exemptos quo ad corpora, imagines, tabellas, &c. quæ in locis publicis, seu privatis apponuntur?
Et si Religiosi transgressores fuerint, an priventur voce activa, & passiva, & cæ Ex p. 4. tr. 8. Resl. 127.

§. 1. REspondeo affirmativè ex Constit. Vrban. VIII. *die 2. Octobris 1625.* ubi in fine sic habetur. Vt autem præmissa diligentiùs observentur, tam Ordinariis, quàm hæreticæ privitatis Inquisitoribus districtè præcipimus, ut in sua quisque diœcesi, vel provincia sedulò pervigileat, ne sine approbationibus prædictis imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, revelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliave contra superiùs dispositia fiant. Transgressores verò si Regulares fuerint, privationis vocis activæ & passivæ, &c. Hanc constitutionem invenies apud Tamburinum *de jure Abbatum tom. 1. disp. 15. q. 7. n. 53.* ubi ponit dicti Vrbani VIII. declarationem supradictæ constitutionis.

RESOL. CXIV.

An Inquisitores possint examinare revelationes mulierculârum, & aliorum? Ex p. 4. tr. 8. Resl. 125.

§. 1. REspondeo affirmativè: unde Emanuel de Valle de Moura *in opusc. 2. de incant. & ensal. sect. 2. cap. 3. n. 19.* sic ait? De revelationibus mulierculârum suspectissimè loquuntur authores, tanquam multis mirandisque hypocrisis, & fictionis earum exemplis edocti, & Ricard. de S. Victore eas subjicit Inquisitionis Officio. Ita ille, & ante illum Simanca *in cathol. instit. tit. 21. n. 25. & 29.* quando verò dictæ revelationes examinandæ erunt per DD. Inquisitores, videant Raphaël. de la Torre *in 2. 2. D. Thom. 2. q. 95. art. 2. disp. 3. per tot.* ubi latissimè & doctè, ut semper solet, hanc materiam pertractat, & dat regulas ad cognoscendum, quando revelationes sunt à Deo, vel à dæmone.

RESOL. CXV.

An Inquisitores possint prohibere, ne filij hæreticorum exerceant officia publica?
Et an filij hæreticorum inhabiles sint ad beneficia Ecclesiastica recipienda, ita ut hac inhabilitas ipso jure incurratur, & collatio beneficij illis facta irrita sit?
Idem dicendum est quoad pensiones. Ex part. 4. tract 8. Resl. 73.

§. 1. REspondeo ex *cap. quicumque, & c. statut. de hæret. in 6.* quod filij hæreticorum efficiuntur inhabiles ad officia publica, qualia sunt Magistratus, prætoriatus, notariatus, &c. ita docet Suar. *de fide disput. 24. sect. ult. n. 6.* & alij. Vnde in instruct. Vallisolit. *an. 1488. n. 11.* sic habetur. [Los Inquisidores en sus partidos, y lugares tengan mucha diligencia, manden, y pongan grandes penas, y censuras que los hijos y nietos de los hereges condenados no tengan ni usen ofi-

cios publicos, ni sean Ivezes, alcaydes, regidores, Iurados, Mayordomos, Maestresalas, pesadores, publicos Mercadores, ni Notarios, escrivanos publicos, Abogados, Procuratores, Secretarios, Contadores, Cancellerios, Theloreros, Medicos, Cirujanos, Sangradores, Poticarios, ni corredores, cambiadores, fieles cogedores, ni arrendadores de rentas algunas, ni otros semejantes oficios que publicos sean, o dezir se puedan, ni usen de los dichos oficios por si, ni por otra persona, ni so otro color alguno, ny traygan sobre si, ni en sus, atavios, vestiduras, y cosas que sean insignias de alguna dignidad, o milicia Ecclesiastica, o seglar.] Sic ibi.

2. Et adverte, quòd quoties dubitatur quid nomine publici officij intelligatur, à quo hæretici, & eorum descendentes excluduntur, ad Inquisitores, vel ad eos una cum Episcopo id pertinebit declarare, ut docet Pegna *in direct. part.3. comm.8.* & Narbona *in recop. lib.4. tit.1. leg.20. glos.20. n.108.*

3. Notandum est etiam hìc à fortiori, supradictos filios hæreticorum inhabiles esse ad beneficia Ecclesiastica recipienda, ita ut hæc inhabilitas ipso jure incurratur, & collatio beneficij illis facta irrita sit, ut habetur expresè *in cap.2. de hæret.in 6.* Vide Ricciullum *de jure personar. &c. lib.5. cap.29. n.2.* Sanctarellum *de hæresi cap.35. dub.22. n.21.* Pegnam *in direct. Inquisit. part.3. comm.63.* Rojas *de hæret. p.2.n.336. & seq.* Simancam *in cathol. instit.tit.9. & 29.* & alios penes ipsos, & hæc inhabilitas procedit non solùm, ut dictum est, in ordine ad beneficia obtinenda, sed etiam quoad pensiones, ut notat Garsias *de benef.tom.2.p.11. cap.10.§.1.n.74.* Sanchez *in summa tom.1.lib.2.cap.28. n.35. & 36.* & alij, *locis cit.* præcipuè Ricciullus. Sed ex his oritur magna quæstio; ideo quæro.

RESOL. CXVI.

An Inquisitores possint punire supradictis pœnis filios natos ante hæresim parentum? Ex part. 4. tract. 8. Resol 74.

§.1. NEgativè respondent Doctores, quos citat & sequitur Sanchez *in sum.tom.1. lib.2. cap.27. n.14.* quibus addo Torreblancam *de magia lib.3. c.12. n.48.* & Sanctarellum *de hæresi cap.34. dub.1. num.11. in fine.*

2. Mihi verò magis placet affirmativa sententia, quam tuentur Doctores, quos citat & sequitur Barbosa *in collect.tom.3.lib 5.tit.2.cap.15. n.3.* & Ricciull. *tr. de jure personar. & t.lib.5. cap.30.n.27.* ubi ita testantur determinasse sacram Rotam Romanam *in una Conchen. pensionis 6. Martij 1598.* coram Peregrino. Vide etiam Suarez *de fide disp. 43. sect. 3. n.2.* Azorium *tom.1. lib.8. cap.13. post 9.8. & tom.2.lib.6. cap.4. 9.3.* Toletum *lib.1. cap.69. n.4.* Rojas *de hæret. p.2.n.336. & singul.68. n.3.* Pegnam *in direct. p.3. comm.162.* & alios penes ipsos. Ratio est, quia pœna infamiæ, privationis officiorum & beneficiorum, &c. in casu nostro imponitur filiis in supplicium parentem, ut sic puniti à peccato avertantur, ex gloss. *in Extrav. unica Ioannis XXII. de pœnis* §. *filij ejus, ver. quomodolibet.* Sed hæc ratio militat etiam in filiis natis ante delictum: ergo, &c. Igitur in nostro casu filij puniuntur odio parentis, *l.quisquis, C. ad leg. Iuliam majestatis, c.2.* §. *credentes de hæret. in 6.* cùm in filiorum persona acrius pater torqueatur, quàm in propria *l.isti quidem, ff. de eod. quod met. caus.* Ergo multò magis debent dictæ pœnæ habere locum in filiis hæreticorum natis ante delictum, quàm in aliis, cùm major sit afflictio videri filium adultum, sæpè etiam bonis ditatum, & in dignitate constitutum, gradu dejici, quàm filios infantes. Adde quod contingere possit ut post delictum hæreticus filios non suscipiat. Hæc Ricciullus *ubi supra.*

RESOL. CXVII.

An Inquisitores possint punire supradictis pœnis filios hæreticorum, qui licet traditi fuerint Curiæ sæculari, eos pœnituit, & mortui sunt Catholici?

Et an filij, revelantes sponte hæresim parentum non contrahant pœnas statutas contra filios hæreticorum, etiamsi essent geniti post delictum patris?

Et quid est dicendum, quando illorum parentes non fuerunt condemnati tanquam hæretici, sed solum tanquam suspecti de hæresi? Ex p.4.tt.8. Res.75.

§.1. NEgativè videtur respondendum, quia supradicti filij hæreticorum non incurrunt in pœnas impositas filijs hæreticorum *in cap. statut. de hæret. in 6.* ut tradunt Surdus *cons.346. n.24.* Tolosus *lib.1. cap.69.n.3.* Henriquez *lib.14. cap.5.n.4.* Repertor. Inquisit. *ver. filij*, §. *nunc* & alij, & ita teste Cantera, fuisse decisum in Inquisitione Conchensi testatur Ricciullus *ubi infra.*

2. Sed his non obstantibus ego puto affirmativam sententiam tenendam esse, quam tuetur Ricciullus *de jure personarum*, &c. *lib.5. cap.30. n.32. & seq.* Sanctarellus *de hæresi, cap.34. dub.2. n.17.* Pegna *in direct. par.3. quæst.15.* Simanca *in cathol. instit. tit.29. n.17.* Decianus *in tract. crim. lib.5. cap.45. num.3.* Paramus *de orig. Inquisit. lib.3. q.9. n.209.* Azorius *tom.1. lib.8. cap.13. q.8. & tom.2. lib.6. cap.4. quæs.3.* Burlatus *lib.3. consil.289. num.16. & seq.* Avila *de cens. part.7. disp.4. dub.3.* Suarez *in 3. part. tom.5. disp.45. sect.3. num.4.* & alij penes ipsos. Ratio est, quia *in dicto cap. statutum*, ne filij incurrant in pœnas parentum hæreticorum duo requiruntur, nempe quòd pater fuerit emendatus, & reincorporatus Ecclesiæ unitati, ac relapsus supradictus non potest dici reincorporatus, quia Ecclesia denegat illi audientiam, *cap. super eo, eod. tit.* ergo, &c. Igitur tunc dicuntur hæretici reincorporati Ecclesiæ, cùm per absolutionem solemnem & juridicam Ecclesiæ reincorporantur, & admittuntur ad pœnitentiam juridicè implendam, & non traduntur brachio sæculari, ut docet Geminianus *in cap. statutum, de hæret. in 6. n.5.* & Archidiaconus *in cap. accusatus, eodem tit. n.7.* & quamvis tales relapsi sint absoluti in sacramento Confessionis, talis absolutio valet tantùm quoad forum interius, & ut possint recipere Eucharistiam, ut notat glossa *in cap. super eo, de hæret. in 6. ver. deneganda.* Azor. *tom.1. lib.8. cap.14. q.7.* Paramus *ubi supra*, & Decianus *lib.5. cap.56. n.7.*

3. Notandum est tamen hìc obiter quòd filij sponte revelantes hæresim parentum, non contrahunt pœnas statutas contra filios hæreticorum, etiamsi essent geniti post delictum patris, ut patet ex *cap. ut Inquisitionis, de hæret. in 6.* & tradunt Pegna *in direct. part.2. comm.15.* Rojas *singul. 12. n.5.* Simanca *in cathol. instit. tit.29. n.46. & seq.* Tabiena *ver. hæretic. n.6.* Castrus *de hæret. punit. lib.2. cap.26.* & alij, & hoc à fortiori dicendum est, quando illorum parentes non fuerunt condemnati tanquam hæretici, sed solùm tanquam suspecti de hæresi, ut observat Decianus *in tract. crim. lib.5. c.45. num.5.* Zanchinus *de hæret. cap.28. n.3.* Vmbertus Locatus *in praxi Inquisit. ver. filij, n.4.* & alij.

RESOL.

RESOL. CXVIII.

An Inquisitores possint punire filios hæreticorum beneficiis obtentis ante illorum hæresim?

Et an pœnæ supradictæ in superioribus Resolutionibus habeant locum etiam in filiis illegitimis, spuriis, vel adoptivis? Ex p.4. tr.8. Res.76.

§.1. AFfirmativè respondet Tabiena *ver.hæret. n.6.* Guttierrez *in qq. canon.lib.2.cap.ult. n.38.* & Castaldus *tract. de Imper.q.118.n.13.* Graffius *in decis. lib.2.cap.11. num.11.* Geminianus *in cap. ut commissi,§. privandi, de hæret.in 6.n.4.* & *ibi* Domin.*n.4.* Io. Monachus ante *n.1.* Francus *in cap. felicis,n 6.de pœnis in 6.* Flamin. *de resignat.benef.lib.3.q.1.n.34.* Peregrin.*de jure fisci lib.3. tit.10.n.2.* Garzias *de benef.tom.1. part.11. cap.10.n.72.& seq.* Decianus *in tract. crim. lib.5. c.20. n.5.& cap.45. n.6.* Gundissalvus *de hæret. q.23. n.2.* & alij penes ipsos. Vnde Inquisitores proferunt sententiam condemnantem hæreticos,& eorum filios, & efficientem eos inhabiles ad habendum, tenendum, & possidendum dignitates, beneficia, & officia,tam Ecclesiastica quàm sæcularia, quæ verba, ut patet, aptè quidem comprehendunt tam beneficia obtinenda, quam obtenta.

2. Verùm contraria sententia est communis nempè Clericos privari,ob hæresim parentum ipso jure beneficiis obtentis, postquam eorum parentes in hæresim inciderunt, non autem beneficiis acquisitis ante illorum hæresim, & ita tenet Zecchius *in sum. tom.1. tit. de fide, cap.11. n.16.* Paramus *de orig. Inquis. lib.3. q.8. n.203.& seq.* Toletus *lib.1.cap.63. num 4.* Ledesma *in summa tom.2. tract.1. cap.6.concl.17. diffic.2.* Azor.*to.1. lib.8. cap.13. q.8.* Suarez *de fide disp.24. sect.3. num 5.* Clarus *lib.5. §. hæresis,n.6.* Otolora *de nobil.p.4. cap.9. n.9.* Hojeda *de incompatib.benef.cap.13.n.100.* Simanca *in cathol.institit.tit.29.n.20.& in enchir. tit.63.num.9.* Surdus *cons.385. n.5.* & ita determinasse Clem. VIII. consultis Cardinalibus S. Officij testatur Anton.Ricciull. *de jure personarum,& lib.5.c.19. in fine.* Et ratio est, quia nullo jure habetur eos privari beneficiis obtentis ante parentum hæresim: ergo hæc pœna sine textu expresso non est imponenda.

3. Ad sententiam verò, quam ferunt Inquisitores, respondeo illos in condemnandis hæreticis uti ea formula ordinaria, in qua nihil certi de hoc est statutum, nec voluerunt definire. Vnde remanet discutienda disputatio à Theologis & Iurisperitis.

4. Vide etiam circa præsentem quæstionem Ioan. Rojas *singul.24.& singul.66. n.3.* Rebuffum *in praxi de modis amittenda beneficia, n.25.* Repertor.Inquisit.*ver. filij vers. nunc quæritur.* Majolum *de irregul. lib.5. c.47. n.6.* Azevedum *in recopil. lib.8. tit.3. leg.1.n.204.* Covarr. *lib.2. var.cap.8.n.4.* Pegnam *in direct.part.4.comment.163.*

5. Notandum est etiam hic obiter quòd non exigitur sententia condemnans parentes hæreticos,ut filij ac nepotes incurrant pœnas irregularitatis & inhabilitatis ad beneficia, sed satis est, si vel per evidentiam facti,vel per propriam confessionem parentum in judicio constet parentes fuisse hæreticos, vel fautores, defensores, aut receptores hæreticorum. Et ita docet Sanctarell. *de hæresi cap.34.dub.2.n.13.* Suarez *de cens. disp.43. sect.3. n.2.* Sayrus *de cens. lib.6. cap. 10. numer. 40.* Sanchez *in summa tom.1. lib.2. cap.27. n.28.* & alij.

6. Nota etiam quòd pœnæ supradictæ in superioribus resolutionibus habent locum etiam in filiis illegitimis & spuriis, ut docet Surdus *cons.386.n.6.* Io. Andreas *in cap. statutum, de hæret. in 6.n.4.* Ancharan. *n.2.* Francus *n.4.* Geminianus *n.4.* Suar. *loc.cit.n.11.* Menochius *de præsumpt. lib.5. præsumpt.33. num.11.* Graffius *in decis. lib.2. cap.11. n.19.* & Ricciullus *de jure personar.&c. lib.5.cap.30.* ubi disputat quid dicendum de filiis adoptivis.

RESOL. CXIX.

An Inquisitores teneantur dare filiis hæreticorum ex bonis confiscatis dotes, vel alia alimenta? Ex part. 4. tr.8. Res.45.

§.1. AFfirmativam sententiam tenet Torreblan.*de magia lib.3.c.11. n.46.& 47.* Surd. *cons.386. n.8.* Plotus inter consilia criminalia, Ziletti *lib.1. consil.130. n.83.* Socinus *lib.1.cons.30. n.3.* & alij. Sup. hoc in tom. 2. tr.6. ex lata dect. res. 48. cursim in §. Licet filiabus Hæretici.

2. Verùm negativam opinionem docet Gabriel Quemada *in qq.fiscalib. q.24. n.12.* & Sanchez *in sum. tom.1. lib.2.cap.16.n.26.* ubi sic ait: Quando ob hæresim publicantur bona alicujus,non tenetur fiscus filios alere, sed omnia prorsus parentum bona publicantur, nullis alimentis reservatis,quod quidem ob hujus criminis atrocitatem justissimè fit. Nam etsi parentes adstringantur jure naturali ad filios alendos, non ob id impeditur quin illis integrum sit bona omnia hypothecæ alicui subjicere per contractum,ac sæpè à creditoribus omnia usurpantur, non deductis filiorum alimentis:ergo à fortiori id poterunt per delictum,prior enim obligatio ex propria parentum voluntate oritur, posterior verò ex legis præscripto,ob bonum commune, ut tam atrocis supplicij timore arceantur parentes ab hoc delicto patrando. Ita Sanchez, & ante illum Doctores,quos ad satietatem adducit Antonius Ricciullus *tr.de jure personar. lib.5. cap.40.n.1.* qui optimè hanc quæstionem pertractat,adi illum & non pigebit.

3. Non reticeam tamen hîc adnotare, quod in nostra Hispania circa hoc observatur id,quod præcipitur in Instruct. Hispal. quam affert Gabriel Quemada *in qq. fiscalib. q.24.n.11.* ubi sic habetur. [Si de los hereges quedaren algunos hijos o hijas de menor edad, que no sean casados los Inquisidores provean y den orden que los dichos huerfanos sean encomendados à personas honestas, y Christianos viejos Catholicos,ò à personas Religiosas que los crien y sostengan.] Sic ibi. Vnde Pegna *in direct. Inquis. part.2. comment.9.* ita asserit, Inquisitores pueris, & puellis hæreticorum damnatorum providebunt ex misericordia, ita ut rationem habeant sexus, & ætatis, nam masculos jam corpore validos alicui arti mechanicæ jubebunt addici; fœminas aliquibus honestis matronis assignabunt, ut eis famulentur, & ab eis in fide instruantur, cæteris quibus per ætatem, aut incommodam valetudinem laborare non licet, tenuia alimenta ex paternis bonis ex sola misericordia subministrabunt. Ita Pegna, & ante illum Simanca *in Cathol. institit. tit.29. num.12.*

RESOL. CXX.

An per fiscum,& Inquisitores possint publicari bona Majoratus, & fideicommissi hæreticorum?

Et an durante vita possessoris, commoditates fructuum pertineant ad fiscum, vel ad sequentes vocatos?

Et an veniat in confiscatione Majoratus,quando illius Institutor deliquit? Ex p.4 tr.8. Res.60.

§.1. AFfirmativam sententiam docet Azor. *tom.1. lib.8. cap.12. quæst.13.* & Simanca *in cathol. institit. tit.13. a num.152. usque ad num.273.* Verùm adversùs illos contrariam opinionem novissimè docet

Ferdinandus à Castro *in oper. mor. tom.1. tract.4. q 5. punct.6. num.8.* Cui ego addo Antonium Sanctarellum *de hæresi cap.18 dub.2. n.8.* Antonium Ricciullum *tr. de jure personarum lib.5.cap.32.n.65. & seq.* & Suarez *de fide disp.22. sect.5. n.12.*

2. Dico igitur primò quòd in crimine hæresis non confiscatur Majoratus, quando institutus est non solùm ex propriis bonis, sed etiam ex bonis à Rege donatis, dummodo in facultate Regia, qua fuit Majoratus institutus, non caveatur, ut transeat ad fiscum.

3. Dico secundò quòd bona fideicommisso subjecta, vel alienari prohibita, non cadunt sub confiscatione casu quo testator prohibuerit alienationem in favorem alterius à delinquente, & quando alienatio perpetua est, non pro vita tantùm delinquentis, nisi testator alienationem etiam pro vita delinquentis prohibuerit. Verùm licèt hæc omnia sint vera, notandum est tamen quòd hæreticus delinquens potest fideicommissum retinere quousque per sententiam declaretur. Ita Vasquez *in 1. 2. disp.169. cap.4.* & Sanchez *in summ. tom.1. lib.2. cap.18. num.30.* Sed circa præsentem quæstionem præter Doctores citatos vide Molinam Iurisconsultum & Theologum, hunc *de justit. tom.3. disp 657. num.3.* illum *de primogen. lib.3. cap. ult. num.31.* Migres *de Majorat. part.4. quæst.23. n...* & *seq.*

4. Non desinam etiam hîc admotare quod aliqui asserunt, durante vita possessoris commoditates fructuum pertinere ad fiscum, etiam quando est expressa prohibitio alienandi; & ita docet Molina *de just.tom.2. disput.470.* alter Molina *de primogen. lib. 1. cap. 20. num.9.* Sayrus *in Clavi Regia lib. 9. cap.7. num. 7.* & alij.

5. Verùm mihi placet contraria sententia, videlicet dictos fructus pertinere ad sequentes vocatos; & ratio est, quia commoditas illorum fructuum, quæ ex talibus bonis percipitur, est annexa dominio bonorum illorum; ergo sicut dominium ob delictum possessoris non transit ad fiscum, sed ad vocatos hæredes, ita nec etiam ad fiscum, sed ad vocatos fructus pertinebunt. Et ita tenet Decius *vol. 3. consil. 442. num.27. & 28.* Ruinus *vol.2. consil.193. num.4.* Alciatus *vol.3. consil. 67. num.1.* Pancirola *vol.1. consil.181.* Natta *consil.258. num.19.* & patet ex *l. Imperator ff. de fideicommiss. libert.* Sed hæc opinio omnino est sequenda, quando testator, vel institutor utitur his, vel similibus verbis, ut eo ipso delinquens amittat bona cum omnibus suis commoditatibus. Nam tunc non ad fiscum, ut diximus, sed ad hæredes vocatos pertinebunt, ut optimè observant Rolandus à Valle *vol.1. consil.96. n.11.* Menochius *vol.1. consil.91. num.6.* Tobias Nonius *vol.1. consil. 97. num.2.* Sfortius Oddo *vol.1. consil.53. n.7.* Hieronymus Gabriel *vol.1. consil.123. n.12.* & alij.

6. Et tandem si aliquis quærat, an veniat in confiscatione majoratus, quando illius Institutor deliquit, remitto illum ad Molinam Iuristam *de primogen. lib.4. c.ult.* & ad Molinam Theologum *de just. tom.3. disp. 659.* Sanchez *lib.2. cap.18.* & alios penes ipsos.

RESOL. CXXI.

An possint à fisco, vel Inquisitoribus ob delictum hæresis publicari bona Castrensia filiorum, & quid de aliis bonis?

Idem dicendum est de bonis profectitiis?

Et notatur, quod si post hæresim filius acquirat bona adventitia, ususfructus illorum non pertinebit ad Patrem, sed ad fiscum, sicut pertinebit proprietas. Ex part 4. tr.8. Resol.61.

§.1. Affirmativè respondet Ferdinandus de Castro *in oper. mor. tom.1. tract.4. disp.5. punct.10. n.23.* Vasquez *in 1. 2. disp.169. cap.1. num.9.* Azorius *tom.1. lib.5. c.7.9.8.* Suarez *de fide disp.22. sect.5. n.9.* Simanca *in cathol. instit. tit.9. n.13.* & alij penes ipsos, quia filius familias habet liberam potestatem super bona Castrensia: ergo transibunt per delictum hæresis ad fiscum, hæc opinio est probabilis.

2. Sed contrariam non minus probabilem esse existimo, quam tuentur DD. quos citat & sequitur Sanchez *in sum. tom.1. lib.2. cap.15. n.4.* quibus ego addo Anton. Sanctarellum *de hæresi cap.18. dub.1. num.1.* & patet ex *l. si filius, C. de bonis damn.* Dico igitur quòd quando publicantur bona filij ob crimen hæresis, non publicatur peculium castrense, nec quasi castrense, sed tribuitur patri, & ad argumentum contrariæ sententiæ responderi potest negando consequentiam, ut optimè probat Sanctarell. *ubi suprà*, quem tu omnino videbis.

3. Vnde à fortiori idem dicendum est de bonis profectitiis, ut docet Covarruvias *l.2.var.c.8.n.7.* Gomez *lib.2.var.c.25.n.16.* & alij: non enim veniunt in confiscationem ob filiifamilias delictum, sunt enim bona patris, tam quoad proprietatem, quàm quoad usumfructum, ut patet ex *l. si plures, §. & in arrogato, ff. de vulgar. & pupillar.*

4. Verùm circa bona adventitia aliqui asserunt, publicari ob delictum hæresis, reservato tamen patri usufructu, licèt aliqui asserant quòd in tali casu non solùm proprietas bonorum adventitiorum publicetur, sed etiam publicetur ususfructus patri debitus, & ita tenet Simanca *in cathl. instit. tit.9.n.18.* Azor. *to.1. lib.6. c.7.9.8. & lib.8.c.12.9.15.* & alij, quia filius ob crimen hæresis non est amplius sub patria potestate, sed ususfructus in bonis adventitiis filiorum pertinet ad patres, ob potestatem, quam in illos habent, ut patet *in l. si ex causa, 8. Papinianus, ff. de minorib.* ergo confiscata proprietate, confiscabitur ususfructus, consolidabiturque cum illa. At hanc sententiam impugnat Anton. Sanctarellus *de hæresi cap.18. dub.1. n.5.* Sayrus *in clavi Regia lib.9. cap.7. n.7.* Ferdinandus de Castro *ubi sup. in opere mor. tom.1. tract.4. disp.5. punct.10. n.28.* quia factum filij præjudicare non potest juri patris acquisito. Vide etiam Molinam *disp.140. & 229.* Azevedum *in recopil. lib.8. tit.3. leg.1. n.1212.* Octavianum Cacherium *decis. Pedemont. 94. n.9.* Sanchez *in summ. tom.1. lib.cap.15. n.11.* & alios. Notat tamen & optimè Sanctarellus *ubi suprà*, quòd si post hæresim filius acquirat bona adventitia, ususfructus illorum non pertinebit ad patrem, sed ad fiscum, sicut pertinebit proprietas; & ratio est, quia illa bona acquiruntur filio constituto extra potestatem patris, ergo, &c.

RESOL. CXXII.

An fiscus, vel Inquisitores possint publicare etiam bona paraphernalia, uxoris, si sciens contraxit cum hæretico?

Et quid est dicendum de aliis bonis extra dotem?

Et an vir Catholicus contrahens sciens matrimonium cum fœmina hæretica, amittat sua bona?

Et ex doctrina hujus quæstionis eò sim infertur fœminas rapientes viros non incurrere pœnas quas incurrunt viri rapientes fœminas, & fœminas occidentes viros suos non incurrere pœnas eas quas incurrunt viri occidentes uxores suas. Ex p.4. tr.8. Resol.62.

§.1. Certum est quòd si fœmina contrahat matrimonium cum hæretico, sciens illum esse hæreticum, tunc in pœnam delicti ejus dos confiscatur, ut patet *in c. decrevit, de hæret. in 6.* Difficultas est, quid dicendum de aliis bonis extra dotem? Affirmativè respondet Ferdinand. de Castro *in oper. mor. tom.1. tract.4. disp.169.*

disp. 169. *cap.* 1. *n.* 13. Simanca *in cathol. instit. tit.* 9. *num.* 74. & alij.

Verùm mihi contraria sententia magis placet, quam præter Sanchez *in summa tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 17. *n.* 22. tenet novissimè Antonius Sanctarellus *de hæresi cap.* 19. *dub.* 3. *n.* 14. & Augustinus Barbosa *in collect. tom.* 3. *lib.* 5. *tit.* 2. *cap.* 14. *n.* 3. cum aliis, & patet ex *d. cap. decrevit*, ubi tantùm agitur de bonis dotalibus & pœnę non sunt extendendæ, & si voluisset Pontifex, ut ob contractum matrimonium scienter cum hæretico uxor amitteret omnia bona sua, id expressisset, & non restrinxisset ad dotem, faciendo solùm de ea mentionem. Ex his ego infero quòd vir Catholicus contrahens scienter matrimonium cum fœmina hæretica, non amittit sua bona, quia *in d.c. decrevit.* solùm fit mentio de fœminis. Vnde non est extendendum ad viros, qui dotem non afferunt, pœnæ enim, ut diximus, non sunt ampliandæ, & ideo ego probabiliter puto contra Henriquez *lib.* 12. *cap.* 14. *n.* 4. & alios fœminas rapientes viros, non incurrere in pœnas in quas incurrunt viri rapientes fœminas, quia *in l. unic. C. de raptu virginum*, fit solùm mentio de viro rapiente fœminam, & ita tenet Sàlicetus *n.* 7. Decianus *in tr. crim. l.* 8. *c.* 7. *n.* 27. Clarus *lib.* 5. §. *raptus*, *n.* 6. Menochius *de arbitrar. lib.* 2. *centur.* 3. *cas.* 291. & alij. Item contra dictum Henriquez *lib.* 12. *cap.* 2. *n.* 1. Sotum *in* 4. *dist.* 37. *q. un. art.* 1. Navarrum *in manual. cap.* 22. *n.* 74 & D. Antoninum *part.* 3. *tit.* 1. *cap.* 16. §. 4. ego puto etiam probabiliter fœminas occidentes viros suos non incurrere eas pœnas, quas incurrunt viri occidentes uxores suas, quia *in cap. interfectores* 37. *q.* 2. fit tantùm mentio de viris occidentibus uxores, & ita docet. Tolet. *lib.* 7. *c.* 15. *n.* 3. Sylvest. *ver. matrimonium* 7. *q.* 6. *dicto* 1. Armil. *ver. matrimonium*, *n.* 58. Ledesma *part.* 2. *q.* 62. *art.* 2. & alij. Cùm igitur *in d.c. decrevit*, *de hæret. in* 6. agitur tantùm de fœminis scienter cum hæreticis matrimonium contrahentibus, pœnæ ibi latæ non videntur extendendæ ad viros cum fœminis hæreticis nubentibus, & ita hanc sententiam tenet Sanchez, Sanctarellus & Barbosa *loc. cit.* quibus circa præsentem quæstionem adde Zecch. *in sum. tom.* 1. *tit. de fide*, *c.* 11. *n.* 16. Pegnam *in direct. Inquis. part.* 3. *comment.* 160. Azor. *tom.* 1. *l.* 5. *c.* 7. Suar. *de fide*, *disp.* 22. *sect.* 5. & alios penes ipsos.

Sup. hoc in tom. 6. tr. 1. lege doctr. ref. 79. & omniù ref. & §§. ejus annotationum.

Sup. hoc ex doctr. & cõsequentia ref. not. præteritæ, &c.

RESOL. CXXIII.

An Inquisitores, seu Fiscus teneantur satisfacere creditoribus hæreticorum?

Et an fiscus teneatur solvere ultra vires bonorum publicatorum, si non confecerit inventarium?

Et an in foro conscientiæ, si fiscus non solvat debita ab hæreticis contracta, ipsi non teneantur ea solvere, quamvis ad pinguiorem fortunam postea devenerint? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 59.

§. 1. REspondeo breviter, si debita contracta fuerunt ab hæretico ante delictum hæresis tenenetur fiscus, seu Inquisitores solvere, & ita docet Torreblanca *de magia lib.* 3. *c.* 11. *n.* 45. Simanca *in cathol. instit. tit.* 9. *n.* 35. Lælius Zecchius *in sum. tom.* 1. *tit. de fide*, *c.* 11. *n.* 16. & alij, ut patet ex *l. non possunt*, *ff. de jure fisci*, & quando debita hæreticorum non omnia publicantur, sed solùm aliqua pars, tunc pro rata illius partis erit facienda satisfactio, ut colligitur ex *l. final. C. de debitor. civit.* Si verò dicta debita sint in dubio, an fuerint contracta ante, vel post commissum delictum, ad fiscum pertinebit probare, & non ad creditores, ea fuisse contracta post delictum. Non tamen tenetur fiscus solvere ultra vires bonorum publicatorum, si non confecerit inventarium. Ita Iul. Clarus *lib.* 5. *q.* 78. *n.* 30. Cevallos *in com. opin. to.* 3. *q.* 822. *n.* 13. & alij. Vide etiam circa præsentem quæstionem Fachinæum *lib.* 6. *controvers. cap.* 21.

2. Notandum est hîc obiter quòd etiam in foro conscientiæ si fiscus non solvit debita ab hæreticis contracta, ipsi non tenentur ea solvere, quamvis ad pinguiorem fortunam postea devenerint, quia tota obligatio fuit translata in fiscum, & ita docet Vasq. *in* 1. 2. *disp.* 169. *cap* 2. *n.* 10. Simanca *ubi supra*. Cassanæus *in consuetudin. Burgund. rubr.* 2. §. 1. *n.* 33. Surdus *de alimentis tit.* 8. *privil.* 59. *n.* 10. & alij.

RESOL. CXXIV.

An Inquisitores, si post annum contumaces appareant, debeant illos audire etiam quoad bona confiscata?

Et quot vicibus citari debeat absens & contumax in crimine hæresis antequam condemnetur?

Et notatur, quod citatio facienda contra contumacem absentem in crimine hæresis continere debet causam. Ex p. 4. tr. 8. Ref. 42.

Sup. contra hoc & seq. §. inf. in tr. 12. Ref. 27. §. Sed hic.

§. 1. AFfirmativè respondet Sigismundus Scaccia *de judic. lib.* 2. *cap.* 98. *n* 34. & Farinacius *de hæresi q.* 85. *n.* 109. ubi refertur Romæ in Tribunali Generalis & S. Inquisitionis servari quòd quandocumque contumaces sponte compareant, semper audiuntur & quoad personam, & quoad bona.

2. Verùm contrariam sententiam tenet Simanca *in cathol. instit. tit.* 2. *n.* 21. ubi sic ait. Is qui intra annum præsentiam sui fecerit, auditi quoque debet, ut ne bona sua publicentur; post annum verò etsi audiatur, nihilominus bona ejus confiscantur, excepto si de innocentia illius planè constiterit. Ita ille. Et hanc sententiam tenet Pegna *in director. Inquis. part.* 3. *comment.* 49. Io. Rojas *singul.* 145. *n.* 5. Paramus *de orig. Inquis. lib.* 3. *q.* 4. *n.* 47. & Sanch. *in sum. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 20. *n.* 27. ubi probat quòd quando bona ob contumaciam hæretici absentis publicantur, ita elapso anno transeunt in rem judicatam, ut comparens postea non sit audiendus circa illa, nec ea recuperet, nisi, ut dictum est comparens innocentiam suam planè ostenderit.

3. Notandum est hîc obiter quòd citatio facienda contra contumacem absentem in crimine hæresis, continere debet causam, ut scilicet compareat ex causa fidei, & ita tenet Angelus *ver. hæreticus*, *n.* 1. Decianus *in tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 32. *n.* 8. & alij. Verùm sufficere in tali casu ut reus citetur ad comparendum coram Inquisitoribus volentibus ab eo quædam scire, tradunt Simanca *in cathol. instit. tit.* 43. *num.* 12. & Pegna *in direct. Inquisit. part.* 3. *comment.* 33. Vide etiam Paramum *de orig. Inquisit. lib.* 3. *quæst.* 4. *num.* 34. Si tamen Inquisitores post citationem sic generaliter factam intendant contra reum non comparentem procedere ad condemnandum tanquam contumacem, tunc requiritur alia citatio, in qua expresè citetur ad comparendum & respondendum quid sentiat de fide; & ita tenet Sigismundus Scaccia *de judic. lib.* 1. *cap.* 43. *num.* 9.

4. Sed quot vicibus citari debeat absens & contumax in crimine hæresis antequam condemnetur, variant Doctores. Ego verò puto cum Ioanne Rojas *singul.* 29. *n.* 2. Simanca *in cathol. instit. tit.* 14. *n.* 6. & *in enchirid. n.* 3. & 4. & Paramo *de orig. Inquisit. lib.* 3. *q.* 4. *n.* 65. tres requiri citationes, licèt ad minus duas esse necessarias tradat Carretius *de hæret. n.* 128. Umbertus Locatus *in praxi Inquis. ver. sententia*, *num.* 25. & Decianus *in tract. crim. lib.* 5. *cap.* 39. *n.* 9. ubi declarat, & *num.* 27. Sed ad alia procedamus.

RESOL. CXXV.

An quando Inquisitores revocant bona alienata per hæreticum, teneantur ad pretium?

Et notatur primo Inquisitores, & eorum fiscum non posse revocare ea, quæ alienaverunt hæretici pro rebus necessariis.

Notaturque secundo quod Inquisitores tenentur ad restituendum meliorationes factas ab emptore, quando revocant rem alienatam ab hæretico.

Et quid, quando emptor sciebat venditorem esse hæreticum? Ex part.4. tr.8. Resol.92.

§.1. REspondeo negativè cum Scaccia *de judic.lib.1. cap.98.num.13.* Simanca *in cathol. institit. tit.9. num.27. & sequen.* Zanchino *de hæret. cap.27. num.6.* Azorio *tom.1.lib.5.cap.7. quæst.8.* Suar. *de fide disp.22. sect.4. num.9.* Aragonio *in 2.2. quæst.11. art.3.* Vasquez *in 1.2. disp.162. cap.9. num.7.& 8.* & aliis, quos citant & sequuntur viti docti, Ricciullus & Sanctarellus, hic *tract. de hæresi, cap.24. dub.3. num.5.* ille *in tract. de jure personarum, &c. lib.5. cap.38. num.1. & sequen.* quibus adde Ioan. Rojas *in singul. 18. num.3. & 4.* ubi sic ait. Inquisitores quando revocant alienata per hæreticos, non tenentur emptoribus ad pretium, sed si pretium, vel aliquid loco pretij inter bona hæreticorum inveniatur, vel in utilitatem hæreticorum pretium fuit conversum, in his casibus ab Inquisitoribus pretium restituendum est, aliàs non. Ita Rojas, & hæc opinio procedit, etiamsi per mille manus bona hæretici alienata transierint, ut rectè advertit Scaccia *ubi sup.n.15.* & Surdus *decis.247.n.11.* Et ratio horum omnium est clara, quia si quis emat bona fide rem alienam, vel alteri obligatam, talis emptio nullo damno afficit verum dominum, vel alterum habentem hypothecam ad illam rem. Ergo cùm Inquisitores & fiscus à die commissi criminis habeant dominium bonorum hæreticorum, vel saltim habeant omnia bona illorum obligata, ut post sententiam declaratoriam criminis possint sibi vindicare illa bona, venditio postea illorum bonorum facta à delinquente non poterit in ulla re præjudicare Inquisitoribus & ejus fisco, nec erunt adstricti pretium restituere, alioqui venditio facta illis præjudicaret.

2. Notandum est tamen hîc primò Inquisitores, & eorum fiscum non posse revocare ea, quæ alienarunt hæretici pro rebus necessariis. Ita Gratianus *in disceptat. forens. cap.54. n.15.* Quemada *in qq. fiscalibus, q.7. n.6.* Bañez *in 2.2. art.2. coroll.1.* Covarruvias *in 4. Decretal. part.2. cap.6.§.8. n.9.* Sotus *de justit. lib.1. quæst.6. art.6. conclus.4.* quidquid asserat Alciatus *in l. post contractum, ff. de donat. n.19.* Vide etiam Bursatum *cons.14. n.29.* Beccium *cons.8. n.7.& 8.* & alios penes ipsos.

3. Nota secundò, Inquisitores teneri ad restituendum meliorationes factas ab emptore, quando revocant rem alienatam ab hæretico: unde si quis emat domum, viridarium, &c. ab hæretico, nesciens illum esse hæreticum, & facit meliorationes in re empta, Inquisitores, & eorum fiscus tenentur illas solvere. Ita Garsias *tr. de meliorat. cap.6. n.20.* & patet ex *l. in fundo, ff. de rei vindic.* & ex *l. divortio, §. impendia, ff. solut. matrim.* Si verò emptor sciebat venditorem esse hæreticum, tunc Inquisitores & fiscus tenentur solvere tantum meliorationes necessaria. Et ita Bartolus *in d.l. fundo, num.11.* Menochius *de recuper. remed.15. n.515.* & constat ex *l. domum, C. de rei vendicat.* quænam verò sint meliorationes necessaria, Vide Ruinum *lib.1. cons.157. n.21.* Rolandum à Valle *lib.1. cons.28. n.12.* & Surdum *dec.300.n.4.*

RESOL. CXXVI.

An Inquisitoribus liceat bona confiscata relinquere hæreticis pœnitentibus?

Et an ad id teneantur Inquisitores? Ex part.4. tract.8. Resol.44.

§.1. AFfirmativam sententiam docet Parisius *lib.4.consil.2.n.184.* Vmbert. Locatus *in præx. Inquisit.ver.Inquisitor.num.33* Ghirlan. *tract. de hæret. quæst.6. num.1. 2. & 3.* Decianus *in tract. crimin. lib.5. cap.44.num.2.* Rollandus à Valle *lib.3.consil.92.n.14.* Zanchinus *de hæret. cap.25.num.3.* Zasius *lib.1. consil. 23.num.11.* Et ita servari in universa Italia testatur Pegna *in director Inquisit.part.2.comment.9.* Imò Bursatus *lib.1. con.14. num.31. & seq.* docet Inquisitores ad hoc teneri. Vide etiam Surdum *consil.386.* & alios, quos citat & sequitur doctus Antonius Ricciullus *in tract. de jure personarum lib.5.cap.41.n.2.*

2. Verùm contrariam sententiam docent Didacus Cantera *in quæst. crimin. cap.1. de hæret. num.18.* Io. Rojas *singul.26. num.4.* Conradus Brunus *de hæret. lib.5. cap.6. num.10.* & hæc opinio, quidquid sit de consuetudine aliorum locorum, servatur in nostra Hispania. Vnde non gravabor hîc apponere verba doctissimi Simancæ *in cathol. institit. tit.47. num.15.* ubi sic ait. Non solùm publicam pœnitentiam agunt hæretici qui ad Ecclesiam redeunt, sed etiam bona eorum publicantur, nec ea recuperare possunt, etsi Ecclesiæ gremio recipiantur. Qua in re Paulus Parisius & Petrus Rebuffus insigniter errare mihi visi sunt, donec comperi eos, & alios quamplures Iurisperitos Italiæ consuetudinem sequi, quæ cùm sit vetustissima, & à Summis Pontificibus approbata, pro lege ab eis servanda est. In Hispania verò jura ipsa Pontificia & leges Regias sequimur, nec enim Inquisitoribus licere putamus, bona ipso jure confiscata relinquere pœnitentibus in damnum fisci, cui videtur jam jus esse quæsitum. Ita Simanca. Igitur in sacro Tribunali S. Inquisitionis Hispaniæ, nemini hæreticorum efficitur bonorum remissio, nisi tantùm illi, qui sponte fatetur errores suos, quod tunc accidit, quando nullo metu probationis & testificationis ductus ad Inquisitores accedit, & misericordiam postulat, hæresim suam integrè manifestando. Et ideo non gravabor hîc apponere verba Instructionis Toletanæ *anno* 1561. ubi *n.41.* sic habetur. [Si el reo estuviere bien confitente, y su confession fuera con las calidades que de derecho se requieren, los Inquidores ordinarios, y Consultores lo reçebiran à reconciliaçion con confiscaçion de bienes.] Sic ibi.

RESOL. CXXVII.

Sequestratio bonorum quando, & quomodo debeat fieri ab Inquisitoribus?

Et an sequestratio bonorum hæreticorum absentium sit facienda, vel contra hæreticum defunctum? Ex part.4. tr.8. Resol.86.

§.1. HOc statuitur in instruct. Toletana *anno* 1561. *num.6.* ubi sic habetur. [El secresto de bienes se deve hazer quando la prision es por heregia formal, y no en otros casos que los Inquisidores pueden prender, en el qual secresto solamente se ponan los bienes, que se hallaren en poder de la persona que se manda prender y no los que estuvieren en poder de tercero possellor.] Sic ibi. Et ad ornatum supra

supradictorum verborum vide Ioannem Rojas *de hæretic. part. 2. num. 46.* ubi sic ait: Quando reus comprehenditur, & carceribus Sancti Officij mancipatur, statim fieri debet sequestratio bonorum illius, ne bona surripiantur, vel abscondantur, & penes aliquam personam idoneam coram Tabellione & executore ponantur, quæ persona eorum custodiam & curam habeat, & illa bona quæ servando servari non possunt, Inquisitorum mandato per custodem vendantur. Igitur in crimine hæresis debet procedere bonorum descriptio quæ est ad confiscationem præparatoria. Ita ille.

2. Rectè etiam in supradictis verbis dicitur: [El secresto de bienes se deve hazer, &c.] quæ sequestratio bonorum efficitur, ut dictum est, in ordine ad confiscationem; sed confiscatio bonorum non habet locum nisi in hæretico confesso, vel legitimè convicto; ergo non debet fieri nisi pro hæresi formali, non autem in aliis casibus sapientibus hæresim, & ita docet Tabiena *verb. hæreticus num. 5.* Repertorium Inquisitorum *verb. confiscatio, vers. Item sciendum.* Vmbertus Locatus *in praxi Inquisit. vers. bona hæreticorum, num. 1.* Zanchinus *tract. de hæret. cap. 25. num. 1. & cap. 18. num. 5.* Cantera *in qq. crim. rubric. de hæret. cap. 1. num. 54.* & alij. Vnde ex his rectè Rojas *ubi supra num. 50.* notavit bonorum sequestrationem, seu descriptionem non esse faciendam, quoties Inquisitores contra blasphemos, seu sortilegos procedunt, seu contra secundò nubentes, &c. quia prædicti & alij similes propriè & verè non sunt hæretici. Igitur bonorum descriptio, sicut & confiscatio, non debet fieri, ut optime dicta Instructio determinat, nisi pro hæresi formali.

3. Notandum est etiam hìc quod sequestratio bonorum non efficitur contra hæreticum defunctum, propter rationem quam adducit Instructio Toletana *supra dicta num. 61.* ubi ita statuitur: [Aunque la probança contra el defuncto sea banstante no se ha de hazer secresto de bienes porque estan en poder de terçeros possedores los quales no han de ser despossedadas hasta ser el defuncto declarado por herege y ellos vençidos en juizio.] Sic ibi.

4. Sed an sequestratio bonorum hæreticorum absentium sit facienda, ita respondet Ferdinandus de Castro *in op. mor. tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 16. §. 3. n. 3.* Bona absentium in tertium possessorem translata, licèt de rigore juris sequestrari non debeant, si tamen paulo ante citationem fuga præcessit, probarique facilè possunt quæ bona sint, sequestrari debent. Sic responsum fuit à supremo Senatu Inquisitionis Inquisitoribus Galleciæ *anno* 1620. At sit fugit reus tempore quo captura exequenda erat, sequestrantur bona pro derelicto habita, vel quæ in potestate uxoris & filiorum reperiuntur, quòd si hæc discerni non possunt, sequestrantur omnia quæ in ejus domo reperiuntur, quia omnia illa esse fugitivi præsumuntur. Hæc Castrus, quæ sunt valdè notanda.

RESOL. CXXVIII.

An bona hæreticorum confiscata applicentur Inquisitoribus?

Et an bona Clericorum sive mobilia, sive immobilia, quæ ob ipsorum hæresim publicantur applicari debeant fisco Regio, vel fisco Ecclesiæ? Ex part. 4. tract 8. Resl. 43.

Sup. hoc inf. §. 1. lege latam doctrin. nost.

RElicta consuetudine aliorum locorum, assero quòd in Hispania omnia bona hæreticorum applicantur fisco Regio, quia Rex noster columna fidei Inquisitoribus, & eorum ministris abundè suppeditat quidquid necessarium est ad conservationem S. Inquisitionis, & ex suo patrimonio quando opus est erogat, & ita ex Ignatio Lopez testatur Antonius Sanctarellus *de hæresi cap. 23. dub. 1. num. 3.* Torreblanca *de magia lib. 3. cap. 11. num. 41.* Lorca *ubi infrà.* Simancas *in cathol. instit. tit. 9. num. 132.* & alij. Vnde in instruct. Thomæ de Torrequemada *anno* 1484. *n. 10.* sic habetur: [Los hereges y apostatas pierden todos sus bienes desde el dia que cometen tal delito, y los dichos sus bienes, y la propriedad dellos son confiscados, y aplicados a la camera y fisco de sus Altezas.] Sic ibi, quæ consuetudo procedit non solùm quoad laicos, sed etiam quoad Clericos. Vnde licèt attento jure Canonico bona Clericorum publicata, sint deferenda fisco Ecclesiæ, ut probat Covarruvias *lib. 2. var. cap. 9. num. 12.* Attamen in Hispania bona Clericorum, sive mobilia, sive immobilia, quæ ob ipsorum hæresim publicantur, applicantur fisco Regio, quam praxim testatur & approbat Covarruvias *ubi suprà.* Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 2. cap. 20. n. 26.* & Hieronymus Rodriquez *in compend. qq. Regul. resol. 73. n. 14.* quibus ego addo Cenedum, Azevedum, Salzedum, quos citat & sequitur Barbosa *in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 7. cap. 13. n. 8.* & Lorca *in 2. 2. q. 11. art. 4. disp. 46. memb. 1. num. 6.*

147. signanter, §. Suppono tertio.

RESOL. CXXIX.

Anſi Inquisitores non ferant sententiam in hæreticum, teneantur restituere aliquid Principi sæculari, ad quem pertinebant bona confiscata dicti hæretici?

Et ex doctrina hujus quæstionis infertur, an reus legitimè interrogatus, negans veritatem, falsisque testibus se defendens, non teneatur pœnam restituere, qua damnandus erat? Ex part. 4. tract. 8. Resol. 108.

§. 1. HIc casus ponitur & resoluitur à docto Emanuele de Valle de Moura *opusc. de ensal. & incant. sect. 3. c. 1. n. 35.* ubi sic ait: Si obiter quæras, an si Inquisitor extra tempus gratiæ & à fortiori in illo, vel Episcopus data opera hæreticum pœnitentem recipiat ad Ecclesiæ gremium, sive convictum alioqui, sive media tantùm illius confessione, nullam interim sententiam directe ferendo, sed admissa confessione & abjuratione in forma cum è carceribus remittendo, an inquam, teneatur restituere Principi sæculari quantum sibi intererat sententia, qua non lata bona confiscata ad se nequeunt pervenire. & quam judices Ecclesiastici ferre tenentur? Respondetur negativè, quia jus quod fiscus Principis ad hæreticorum bona acquirit, est remotum, & quasi per accidens, seu quasi ex hypothesi, si nempe delinquentes in effectu per judicem competentem sententia prolata condemnentur: ergo Princeps nec habet jus commutativum, ut ea sententia proferatur, nec eum contra justitiam lædit, qui illam illicitè contra quamcumque virtutem impedit. Ita Emanuel, & ego. Vnde puto quòd reus legitimè interrogatus negans veritatem, falsisque testibus se defendens, non tenetur pœnam restituere, qua damnandus erat, quia actor non habet directè jus ad pœnam, sed indirectè & per accidens, media judicis sententia. Et ita contra Sotum *de just. lib. 1. q. 6. art. 9.* Castr. *de leg. pan. lib. 2. c. 12.* Molinam *de just. to. 1. tr. 2. disp. 95.* tenet Aragon, Bañez & Salonius *in 2. 2. D. Th. q. 62. art. 3.* & Doctores quos citat & sequitur Sanchez *de matrim. tom. 3. lib. 10. disp. 8. n. 14.*

Sup. hoc in tom. 6. tr. 1. Resl. 106. §. ult. & in Resl. 107. § tertiò. & in tom. 8. tr. 7. Resl 33. §. Et rot & in Resl. 34. §. 2.

Sup. hoc leg. doctrin. duarum primarum resl. ann. præterit. per totas, & signanter ex Resl. 2. §. 1. & §. Ex quibus.

RESOL. CXXX.

An Inquisitores pœnas pecuniarias imponere possint, sed non sibi applicare? explicatur?

Et observatur, quod Inquisitores Italiæ ex speciali Decreto Sacræ Congregationis Eminentissimorum Card. Supremorum Inquisitorum non possunt hujusmodi pœnis pecuniariis condemnare, nisi consulta eadem Congregatione, in uno casu particulari, quæ præcipere solet Inquisitoribus, quid postea dato casu, agere debeant de illis pecuniis.

Et notatur, quod ubi Inquisitores Italiæ condemnationes pecuniarias faciunt, de his reddere rationem tenentur Supremo Romanæ urbis Tribunali? Ex p. 10. tract. 8. Res. 6.

§. 1. NOta tamen hîc obiter etiam Dominos Inquisitores posse Reis imponere pœnam pecuniariam, sed non sibi applicare, ut notant Doctores, quos citat, & sequitur Sousa *in aphor. Inquis. lib. 3. c. 28. num. 2.* & Farinacius *de hæresi, quæst. 193. §. 6. num. 120.* nam in hoc, pari passu procedunt cum Episcopis, ut observat Zanchinus *de hæreticis, cap. 16. num. 3.* & *ibi* Camillus Campegius *in addit. litt. A.* In uno tamen invenio inter illos discrepare; nam Episcopi, ut visum est per tot. tract. 4. tom. 9. lege ibi illum; Sed ista res. ex illo hic est apposita ut in propriori suo loco. est, non possunt, neque Ecclesiæ, neque Sacristiæ, neque Ministris pœnas pecuniarias applicare; Inquisitores verò possunt illas pro necessitatibus Officij Inquisitionis impendere. Immò licèt Carrerius *tract. de hæreticis, num. 79.* scripserit non alias esse pœnas pecuniarias Sacro Inquisitionis Officio applicandas, quàm si necessitas id fieri exigat; non tamen est putandum extremam necessitatem esse expectandam, sed quæcunque præsens vel etiam futura sufficit: nam opportunum est, & fidei Catholicæ valdè expedit, Inquisitionis Officium pecuniis abundare, ut quoties oportuerit, absque incommodo Cruce signatorum seu Familiarium hæreticorum fiat inquisitio, captura, deductio, & punitio. Et ita docet Pegna *in direct. part. 3. comm. 152.* Bursatus *cons. 90. num. 18.* Farinacius *ubi supra*, & Salzedus *in Pract. crim.* Ignatij Lopez *cap. 142. lit. A*, ubi sic ait: Pœnæ verò applicandæ sunt usibus piis, & sanctæ Inquisitionis Officio, quia nulla causa magis pia, & favorabilis esse potest, quam causa Inquisitionis, cujus maximo, & singulari beneficio hæreses extirpantur, & illa summa ratio est, quæ pro Religione facit *leg. sunt personæ ff. de Relig. & sumpt. funer.* Nec amplectenda est Ludou. Carrerij opinio asseverantis, non aliàs pœnas pecuniarias Sancto Officio applicandas esse, quam si necessitas urgeat, quia secluſa necessitate id fieri potest, quia utilissimum est (ne dicam necessarium) Sanctum Inquisitionis Officium pecuniis abundare, ut quoties oportuerit sine Familiarium, & Ministrorum incommodo fiat hæreticorum Inquisitio, captura, & alia multa, quæ fieri contingunt. Ita Salzedus. Sed hæc vera sunt, & procedunt de jure: nam, ut observat Carena, *tract. de Officio S. Inquisit. p. 3. tit. 13. §. 8. num. 81.* nunc Inquisitores Italiæ ex speciali decreto Sacræ Congregationis Eminentissimorum Dominorum Cardinalium Supremorum Inquisitorum non possunt hujusmodi pœnis pecuniariis Reos damnare, nisi consulta eadem Sacra Congregatione in unoquoque casu particulari, quæ præcipere solet Inquisitoribus quid postea agere debeant de illis pecuniis. Et idem Carena *in Adnotationib. ad Guidonem Falconium, q. 3. num. 7.* notat etiam, quod ubi Inquisitores Italiæ condemnationes pecuniarias faciunt, de eis reddere rationem tenentur Supremo Romanæ Vrbis Tribunali. Sed nos in Inquisitione Hispanica observamus id quod licitum est per Privilegia Apostolica, & per aliquas Chartas acordadas, ut vocant in nostro Sacro, & supremo Consilio Inquisitionis Castellæ.

RESOL. CXXXI.

An reum à fidei quæsitoribus publicè damnatum liceat ubique locorum manifestare?

Et notatur, quod hoc non est peccatum neque contra justitiam, neque contra charitatem, neque contra misericordiam, secluſa prava intentione.

Et docetur omnia crimina cujuslibet personæ, si sint publica sive ex judicis sententia, sive ex notorietate facti posse absque ullo peccato evulgari in quibuscunque locis. Ex parte 10. tractatu 12. & Misc. 2. Res. 5.

§. 1. NEgativè posset aliquis respondere & adducere Doctores, quos ego citavi *in p. 3. tract. 5. resolut. 17.* asserentes, illicitum esse evulgare crimina publica in loco distantissimo, in quo eorum notitia occulta remaneret. Quia licet jus amiserit quis ad bonam famam, & parum illam curaverit in illo loco, in quo crimen commisit: tamen non amisit illud in alio: imò, quamvis tam in isto, quam in alio jus amiserit ad bonam famam, adhuc non amisit possessionem illius: possidet enim bonam famam in alio loco sine injuria alicujus: ac proinde est justus possessor, & sic saltem erit peccatum mortale illum alibi contra jus possessione sua privare. Itaque in casu nostro proximus fuit læsus in re magni momenti, quod meritò ægerrimè ferem mihi fieri. Nec refert, quod ille jus ad famam non habuerit: quia sine cujusquam injuria, & absque fraude eam possidebat, eaque adhuc diu fuisset fruitus: ergo contra Charitatem est, illum spoliare bono nomine. Vnde Villabos *in summa, tom. 2. tract. 11. diffic. 36. num. 13.* sic asserit [Quando uno está infamado en un lugar por sentencia publica, el que en otro lugar (aunque sea apartado) declara à quel delicto, è infamia, no peca contra justicia, y por el consiguiente no está obligado à restituyr. Dixe en la conclusion, que no peca contra justicia, porque como dize Soto, es pecado contra caridad, mayormente si estuviesse emendado, y tuviesse ya buen nombre, porque la buena fama es muy gran ayuda, para que los hombres vivan bien, que sin ella se desaniman:] Ita ille. Imò plus addit Philippus Fabrus *de restit. in 4. sent. disp. 15. q. 3. disp. 53. n. 130. cum seqq.* nempe in tali casu, non solum adesse peccatum contra Charitatem, sed etiam contra justitiam.

2. Verùm his non obstantibus, ego puto affirmativam sententiam tenendam esse & in tali casu non adesse peccatum, neque contra justitiam, neque contra Charitatem. Et ratio est, quia nunquam satis laudatus Eminentissimus Dominus meus Cardinalis de Lugo, *tom. 1. de Iust. disp. 14. sect. 6. n. 72.* & alij rectè observant, quod sententia publica exequutioni mandata, hoc jus videtur tribuere omnibus, ut possint eâ ubilibet publicare. Nam Iudex ipse, qui sententiam protulit, posset utique eam licitè non solum in eo loco, sed in quolibet alio publicare: potuisset enim eam ad majorem, & faciliorem publicationem typis impressam promulgare, & in locis publicis affigere, ac ad alia omnia loca transmittere, ut omnibus constaret: imo hoc videtur in ejusmodi sententiæ prolatione intendere, ut quantum fieri potest, publicetur, & ad hunc finem eligi solent dies, & loca, in quibus major, & solemnior hominum concursus esse solet, ut magis ac magis publicetur; hanc autem potestatem, quam ipse habet,

Quæritur, an malè Reis imponatur pœna pecuniaria.

habet, videtur omnibus communicare, ut omnes, qua velint, & possint, cooperentur ad sententiæ publicationem; unde si aliquis privatus vellet sententiam illam typis cudere suis expensis, & ad alia loca transmittere, nullo modo à Iudice impediretur, sed laudaretur. Habent ergo saltem ex voluntate Iudicis omnes & singuli facultatem publicandi delictum, & pœnam illam: nam sicut Iudex posset per se ipsum id facere, sic potest hanc suam facultatem aliis communicare; sicut potest committere facultatem auferendi bona, vel vitam reo legitimè in iis damnato. Omnes ergo utuntur jure suo, & facultate sibi data à potente eam dare, ad lædendam famam proximi, & publicandum ejus delictum.

3. Itaque optimè docuit Bañez *in* 2.2. *Divi Thomæ, quæst.* 73. *artic.* 2. *conclus.* 3. quod qui condemnatus est propter aliquod delictum, est privatus jure famæ: ergo non fit ei injuria tollendo ab illo famam, confirmatur: præcipua pars pœnæ illius hominis est, quod sit privatus fama: ergo non fit illi injuria. Confirmatur secundò: licet Iudici expectare diem solemnem quando est concursus populorum ad puniendum hominem: ergo præcipua pars pœnæ illius hominis est infamia. Deinde dupliciter aliquis potest hominem infamare, vel narrando crimen falsum, vel revelando crimen verum, sed occultum: sed in tali casu non narratur crimen falsum, ita enim supponimus, nec occultum revelatur, cùm sit infamia in uno loco: ergo. Vnde ex his infero pro casu nostro, hanc doctrinam locum habere etiamsi infamia juris ex publica sententia redundet consequenter in alios ab ipso reo. Nam sicut Iudex ipse, non obstante detrimento illo, quod in aliorum famam redundat, potest sententiam suam publicare, & evulgare; sic potest aliis dare hanc facultatem, & de facto videtur illam potestatem concedere, quando sententiam publicè promulgat: atque ideo alij jure suo, & facultate legitimè concessa utuntur, quando eidem publicationi cooperantur, licet cognati delinquentis consequenter aliquam læsionem in propria existimatione, & fama patiantur. Infertur etiam, quod sicut licitum est ob prædictam rationem sententiam illam in aliis locis referre, in quibus non erat ejus notitia; sit etiam licitum videri id facere in alio tempore, in quo propter distantiam, vel oblivionem, sententiæ memoria jam non erat. Quia facultas legitimè ex sententia publica adhuc irrevocata perseverat.

4. Nec solum ex supradictis apparet manifestationem delicti, de qua agimus, non fuisse peccatum contra iustitiam, neque etiam contra Charitatem: nam, ut benè firmat Pater Gaspar Hurtadus, *de Iust. disp.* 12. *diffic.* 7. si esset peccatum contra Charitatem, esset peccatum commissionis, & non omissionis, ut patet; commissionis autem esse nequit, quia contra charitatem nequit esse peccatum commissionis, nisi sit actus odij, dicta autem manifestatio non est odium contra Deum, ut patet; nec contra defectuosum, quia eius defectus potest manifestari absque displicentia erga illum, in qua sola odium consistit. Itaque in nostro casu, neque præcepto affirmativo Charitatis tenetur quis bonum nomen talis illic curare, quandoquidem potestas publica per sententiam vult contrarium, neque talem illic infamare erit verum odium contra negativum præceptum charitatis de non afferendo malum proximo. Nam licitè quis se conformabit voluntati Iudicum, qui propter commune bonum ex punitione redundare solitum, absque odio pugnante cum charitate, voluerunt per publicam sententiam, talem hominem incurrere malum infamiæ. Et ita præter Hurtadum etiam docet Magister Serra ubi infra. Quæ omnia sunt adeo vera, ut ego existimem cum Gaspare Hurtado, *ubi supra*, manifestationem, seu commemorationem defectus in alio tempore publici, cujus jam nulla extat memoria, non esse peccatum contra justitiam, quamvis defectus emendatione, aut aliter fuerit abolitus; quia in tempore illo fuit defectuosus publicus, non habens nunc jus, ut nunc non existimetur fuisse defectuosus in illo tempore; quia ex una parte jus illud amisit, & ex altera illud non recuperavit, etiamsi emendatione criminis, vel abolitione alterius defectus habeat ius, ut non existimetur esse defectuosus tempore emendæ, aut abolitionis. Imo addimus, eam manifestationem, seu commemorationem non esse peccatum contra charitatem ob rationem supra adductam, quia scilicet illa non est odium Dei, nec illius, cuius defectus antiqui fit commemoratio, nec proinde video esse contra misericordiam.

5. Neque adversus superius dicta obstat asserere cum Valentia *tom.* 3. *disp.* 5. *q.* 17. *punct.* 2. Turriano *in* 2.2. *tom.* 2. *disp.* 53. *dub.* 10. *num.* 6. & aliis procedere non absolutè de quibuscumque locis simpliciter, sed de illis tantum, ad quæ moraliter, attentis omnibus circumstantiis negotij, personarum, &c. potest perferri rumor criminis alterius ex vi sententiæ latæ: In illis enim dumtaxat locis intelligendum est, publicam potestatem velle reum privare fama, in aliis autem non item; quia tantum vult publica potestas illud, quod moraliter solet fieri, (aliud namque vellet frustrà) & idcirco tantum in illis locis privat moraliter fama. Imo plus addunt aliqui, quod sententia v. g. lata in Castella, pœnam infamiæ solum propriè generat in Regno Castellæ non in Aragonia, aut Lusitania, quamvis enim sententia lata sit ab eo Iudice, qui non solum Rex est Castellæ, sed Aragoniæ & Lusitaniæ (quod per accidens contingit) tamen constitutus non est à Rege, ut Rege Aragoniæ, vel Lusitaniæ; sed ut Rege Castellæ; Quæ iurisdictio vltrà Castellam non egreditur. Ergo in casu nostro videtur Doctorem Velasc um per sententiam Iudicis non amisisse ius ad famam per totum mundum, sed tantùm per illas Regiones, ad quas, moraliter loquendo, fama suæ condemnationis pervenire poterat. Respondeo quicquid sit de veritate huius opinionis, puto nihil officere pro casu nostro, in quo fama delicti Doctoris Velasci per totum Orbem extenditur, cùm fuerit damnatus per sententiam Dominorum Inquisitorum; Et ideò non desinam hîc apponere verba Sapientissimi, & amicissimi Patris Dicastillo, *de just. lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 12. *par.* 3. *dub.* 19. *num.* 314. & 316. ubi sic asserit: Quando quis per sententiam Iudicis est spoliatus fama sua publicè, non est peccatum mortale contra charitatem, neque contra Iustitiam eius delictum revelare, saltem in omnibus iis locis, ad quæ leges, & jura ejus Provinciæ, in qua est locus, in quo lata est sententia, se extendunt, & hac ratione ut minimum intelligendos puto Auctores, qui dicunt, spoliatum fama per sententiam alibi infamare, non esse peccatum contra justitiam, imò in hoc casu, puto neque charitatem, secluſa prava intentione. Vnde ex hac doctrina. Ego colligerem, damnatos ad infamiam propter peccatum hæresis, cum damnentur à Quæsitoribus fidei authoritate immediatè, vel mediate derivata à Pontifice, qui totius Orbis, id est Ecclesiæ per illum diffusæ caput est, eam infamiam ad totum Orbem se extendere. Ita Dicastillus, qui mirificè facit pro casu nostro, & authoritate Dominorum Inquisitorum. Vide etiam Dominicum Bañez *in* 2.2. *D. Thomæ, quæst.* 73. *art.* 2. *dub. ult. conclusion.* 2. ita aientem? Insignia quædam crimina, & illustria, ita pœnas illis impositas licet narrare ubique locorum, etiamsi verosimiliter credatur, quòd eorum notitia ad illa loca non perveniet; sive qui delinquunt,

jure

jure privari sint fama, sive non. Exempla sint acta, quæ fiunt ab Inquisitoribus: Hæc enim licet divulgare usque ad Indos. Item omnia illa, quæ meritò in Historicis scripturis referuntur. Probatur hæc conclusio Primò: Narrare in alio loco hujusmodi peccata ideò est malum, quia ex hac narratione nullum sequitur emolumentum, vel Reipublicæ, vel particulari Personæ: sed ex narratione horum criminum, de quibus loquitur conclusio, sequitur magnum emolumentum Reipublicæ, & particularibus personis: ergo. Probatur Minor: Nam Respublica, quando audit talia crimina, & pœnas illis impositas; sibi consulit, & similibus pœnis similia peccata punit. Item Cives particulares timore pœnæ deterrentur ab huiusmodi vitiis: ergo. Hæc omnia Bañez; & post illum ibidem Magister Serra: Et ne deseras recognoscere etiam Molinam Theologum, *de Iust. tractat. 4. disp. 33. conclus. 3.*

Quæ nùc est in to. 8. tr. 7. res. 67. & ibi lege doctr. res. 68.

6. Sed ego cum Fagundez Lusitano, & aliis Doctoribus, olim, *ubi supr. in 3. par. tract. 1. Miscell. resol.* 17. absolutè docui, omnia crimina in quibuscumque locis, si sint publica, sive ex Iudicis sententia, sive ex notoritate facti, posse absque ullo peccato evulgari. Et hanc sententiam posteà, me citato, amplexus est doctus Magister Serra *in 2. 2. D. Thomæ, tom. 2. q. 73. art. 2.* & me citato, & Machad. *de Perfecto Confess. tom. 1. lib. 2. part. 3. tract. 23. docum. 2. num. 12.* cujus verba hæc sunt: [Fagundez, y otros Autores enseñan absolumente, que no es pecado mortal, ni contra caridad, ni contra justicia descubrir el crimen del Proximo, come sea notorio de hecho, ò de Derecho: esto es por los rumores, ò fama publica, ò por sentencia del juez; ò bien aquella fama en breve huviesse de llegar, ò no allegar, y entre las personas que se ignorava; porque en tal caso el que cometio el delicto notorio en la forma dicha, es visto aver renunciado el derecho, que à su fama tenia; y assi no puede ser damnificado en ella.] Ita ille, & iterum Ego; quia eo ipso, quòd quis est publicè damnatus, & punitus de aliquo crimine; videtur in pœnam ejus criminis concessum diffundere eam notitiam absque exceptione aliqua: ut rectè notat etiam Molina, *ubi suprà.* Ergo, &c.

7. Restat modò respondere ad authoritatem Doctorum, ubi suprà asserentium, non esse licitum propalare delictum in loco, ubi ejus fama non erat de facil perventura. Et ad fundamentum hujus sententiæ superiùs adductum respondeo, Reum non esse justum possessorem illius bonæ famæ in alio loco, quia possidet illam sine jure; si enim amisit jus per publicitatem rumoris, cui ipse causam dedit committendo crimen; quomodò jure illud possidebit? Deinde, quamvis possideat bonam famam sine injuria, & incommodo aliorum in alio loco; tamen illa potest privari sine ullo peccato: fama enim est bona multorum opinio, absolutè loquendo, non in isto, neque in alio loco, nam abstrahit à loco: & sic amissa bona fama, & opinione, ubicumque illa amissa sit jam absolutè non habet famam, nec illam possidet justè, ac proinde absolutè publicari potest malus. Respondeo Secundò, etiam stando in opinione horum Doctorum, illam non obstare in casu nostro. Primò, quia limitatur in criminibus Reipublicæ multum noxiis; ista enim etiam emendata, possunt evulgari; & ita docet Malderus *de just. tract. 7. cap. 1. dub. 6. in fine.* Lessius *lib. 2. cap. 11. dub. 13. num. 80.* Trullench *in Decalog. tom. 2. lib. 7. cap. 10. dub. 12. num. 16.* & Alij. Secundò limitatur hæc opinio nisi ex aliqua justa causa illa crimina manifestarentur; ita Lessius *ubi suprà, num. 79. in fine.* Bañez *loco cit.* Ioannes Vvigers *de Iust. & Iure, tract. 4. cap. 1. dub. 5. n. 22.* cum aliis.

RESOL. CXXXII.

An Inquisitores si sint Regulares, & delinquant non in eis, quæ sunt Officij Inquisitionis, possint puniri à suis Prælatis?

Et quid, si delinquant in his, quæ sunt Officij Inquisitionis? Ex p. 4. tr. 8. Res. 53.

§. 1. SI delinquant in his quæ sunt officij Inquisitionis, certum est non esse puniendos à suis Prælatis, ut docet Peirinus *in privil. Minim. tom. 1. constit. 4. Sixti IV.* §. 11. *num.* 49. Pegna *in direct. Inquis. part. 3. quæst. 21. comment.* 61. Sed à Cardinalibus universalis Inquisitionis, & in Hispania à Generali Inquisitore. Ratio est, quia Inquisitores in his quæ ad Inquisitionis officium pertinent, sunt exempti à suis Prælatis Regularibus, ut probat Rojas *de hæret. part. 2. num. 418.* Decian. *in tract. crim. lib. 5. cap. 22. num. 33.* Moscovius *de majest. militan. Eccles. lib. 1. part. 1. cap. 11. & constit. Alexandri IV.*

2. Sed difficultas est, an possint coërceri & puniri si extra suum officium delinquant? & affirmativam sententiam docent, ut Sanctarellus *de hæres, cap. 40. dub. 1. n. 7.* Zanardus *in direct. Theol. part. 2. c. 6. q. 43.* & alij communiter. Verùm licèt Inquisitores teneantur parere suis superioribus Regularibus in his, quæ sunt ad regulæ observantiâ & alia, per quæ directè, vel indirectè sanctum Officium non impeditur, & propterea in delictis extra Officium per eosdem Superiores moneri & reprehendi possunt. Non tamen concedendum est quòd dicti Superiores possint eos punire, & consequenter ab eorum officio per indirectum retrahere, sed benè poterunt assumere informationes, illasque ad supremum Cardinalium Tribunal transmittere, expectantes quid sibi ab eodem Tribunali supremo mandetur, aliàs esset inventa aperta via impediendi Officium Inquisitionis per indirectum. Et ita hanc sententiam tenet & docet Farinacius *de hæres, quæst. 186. num. 128.* Igitur dicendum est non solùm Inquisitores Regulares delinquentes in proprio Officio, sed nec delinquentes extrà posse à suis Superioribus puniri, pœna, inquam, quæ aliquo modo retardare possit proprij Officij exercitium, & sic cum Farinacio novissimè tenet Ferdinandus de Castro *in oper. mor. tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 12 §. 2. n. 23.*

RESOL. CXXXIII.

An Inquisitores incurrant excommunicationem, si ex to queant pecuniam prætextu Officij Inquisitoris? Ex p. 4. tr. 8. Res. 28.

§. 1. AFfirmativè respondet ex *Clement. 2. de hæret.* Suarez *de cens. disp. 23. sect. 5. n. 24.* & DD. quos citat & sequitur Sanctarell. *tract. de hæres. cap. 40. dub. 5. num. 26.* qui tamen observat alios contrariam sententiam docere, & multas pro eorum firmanda sententia adducit rationes probantes *in d. Clement. 1.* non comprehendi Inquisitores.

2. Verùm stando in sententia affirmativa, puto cum Bonacina *tom. 3. disp. 2. quæst. 10. punct. 10.* Primò non affici excommunicatione istius Clemen. Inquisitorem, qui pecuniam à sponte dante accipit, etiamsi videat sibi dari prætextu Officij Inquisitionis, hic enim sic accipiens pecuniam non dicitur illam extorquere, ut vult textus. Secundò Inquisitor qui pecuniam prætextu pecuniæ mutuò datæ, vel alterius crediti, vel alio titulo etiam injusto sibi tradi curat, non incidit in istam

istam excommunicationem, quia non extorquet pecuniam prætextu officij Inquisitionis. Tertiò Inquisitor, qui cogit aliquem, etiam prætextu officij Inquisitionis ad tradendam sibi mutuò pecuniam, in istam excommunicationem non incidit.

RESOL. CXXXIV.

An Inquisitores possint accipere xenia, hoc est, esculenta & poculenta, quæ intra paucos consumantur dies, & sponte sibi sunt oblata?

Et an contra facientes incurrant excommunicationem, priventur Officio, & teneantur reddere duplum?

Et quid, si supra dicta acciperent ab aliis Ministris S. Officij?

Et an Minister, cum sciverit alium Ministrum donum accepisse, teneatur sub eisdem pœnis illum Inquisitori revelare? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 8.

§. 1. AD hoc dubium sic respondet Scaccia *de judic. lib. 1. cap. 87. num. 12.* Dico quòd in Hispania nec Inquisitores, nec alij S. Officij Ministri possunt accipere non solùm munera, sed nec etiam esculenta, & poculenta, & contrafacientes incurrerent excommunicationem, privarentur officio, tenerentur reddere duplum, & alia pœna mulctarentur, & hoc procedit etiamsi acciperentur ab eisdem Officialibus S. Inquisitionis. Quin imò minister cùm sciverit alium ministrum donum accepisse, tenetur sub eisdem pœnis illum Inquisitori revelare. Alibi tamen ubi huiusmodi prohibitivæ constitutiones non extant, vidi ab Inquisitoribus esculenta & poculenta accepta fuisse. Ita ille; & ante illum Pegna *in direct. Inquisit. part. 3. comment. 153.* Simanca *in cathol. Instit. tit. 34. num. 45.* quibus adde Moscovium *de majest. milit. Eccles. lib. 1. part. 1. cap. 11.*

RESOL. CXXXV.

An Inquisitores excusentur à residentia Parochiali, & an gaudeant fructibus Prabendarum, & distributionibus? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 71.

§. 1. QUoad primum, affirmativam sententiam tenet Cened. *in quæst. Canon. q. 1. n. 28.* & Spino *in speculo testam. gloss. 3. princ. n. 78.* Sed contrariam sententiam, & meritò docet Sanctarell. *variar. disp. part. 1. q. 11. n. 4.* & ita testatur Gonzal. *in reg. 8. Cancell. gloss. 6. n. 265. & gloss. 13. n. 164.*

2. Quoad secundum verò dicendum est, Inquisitores habentur in suis præbendis & dignitatibus pro præsentibus, & residentibus, & percipiunt integros fructus suarum præbendarum simul cum distributionibus quotidianis ex privilegio speciali favore fidei à Paulo III. & Pio V. illis concesso, ut docet Armendariz *in recopil. legum Navarr. lib. 2. tit. 23. leg. 2. §. 2. num. 7.* Rojas *singul. 96. & de hæret. part. 2. num. 420.* Cenedus *loc. cit.* Cevallos *in pract. comm. opin. quæst. 685. num. 12.* Villar del Patronado de Calatayud *4. part in princ. n. 8.* & ita declarasse sacram Cardinalium Congregationem testatur Garsias *de benef. tom. 1. p. 3. cap. 2. n. 356.*

RESOL. CXXXVI.

An Inquisitores possint dispensare super irregularitate contracta ab hæreticis?

Et an licet Hæretici contrahant irregularitatem, attamen suspecti de hæresi, postquam illam abjuraverint, non sint irregulares?

Et an prohibitum sit Inquisitoribus dispensare cum hæreticis Sacerdotibus pœnitentibus, ut Missam celebrent? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 85.

§. 1. VIdetur respondendum affirmativè ex Bulla Clem. VIII. quæ incipit, *Cum sicut*, §. *vobis etiam*, ubi hæc authoritas apertè Inquisitoribus, & eorum Commissariis conceditur. Vnde Vmbertus Locatus *in praxi Inquis. ver. irreg. n. 2.* sic ait: Irregularitatem levare, & super illa dispensare possunt Inquisitores, si contracta sit in hæresi cum redeuntibus ad gremium Matris Ecclesiæ, ut patet per privilegium Clemen. Papæ. Ita ille. Vide etiam *in addit. ad Zanchinum tract. de hæret. c. 27. ver. adde ulterius.* Zecchium *in sum. tom. 1. tit. de fide, cap. 11. num. 16.* Henriquez *lib. 14. cap. 18. num. 2.* & alij.

2. Sed hoc privilegium vel fuit personale, vel non fuit usu receptum, vel per alias Bullas posteriores Pontificum est revocatum, & ideo Pius V. *anno 1567.* prohibuit cum Sacerdotibus hæreticis pœnitentibus dispensare ut Missam celebrarent, teste Sanctarello *de hæresi cap. 25. dub. 1. num. 6.* ex Pegna *in director. Inquisit. part. 3. comment. 175.* ubi absolutè hanc sententiam tenet, quam etiam tuetur Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 2. c. 25. num. 19.* Suarez *de cens. disput. 43. sect. 1. n. 5.* & alij. Sup. hoc sup. in tr. 5. Ref. 50. in fin.

3. Notandum est tamen hîc obiter quòd licèt hæretici contrahant irregularitatem, ut notat Megala *in 3. part. lib. 7. cap. 2. quæs. 6. num. 16.* & alij communiter, attamen suspecti de hæresi postquam illam abjuraverint non sunt irregulares, & ita contra Azorium *tom. 1. lib. 6. cap. 21. quæs. 8.* tenet Emanuel Sà *ver. hæresis, num. 5.* Henriquez *libr. 13. cap. 56. num. 1.* Parisius *de resignat., benef. lib. 4. quæst. 3. num. 17.* Sanchez *ubi supra, num. 12.* Sanctarellus *num. 9.* Garzias *de beneficiis tom. 2. part. 11. cap. 10. num. 88.* ubi asserit ita fuisse decisum in Sacra Rota Romana. Sup. hoc sup. in Ref. 83. §. ult. per tot. & superius in tr. 5. Ref. 31. per tot. & in alio §. earum notationum.

RESOL. CXXXVII.

An Inquisitores possint legere libros Hæreticorum?

Et an in Regnis Hispaniarum solus Inquisitor Generalis habeat potestatem legendi libros hæreticos, & cui ipse commiserit, & non alij Inquisitores?

Et an Episcopi possint dictos libros legere?

Et an Vrbanus VIII. derogaverit omnes licentias legendi libros hæreticos, & omnes alios prohibitos, & hodie hanc potestatem det solum Sacra Congregatio? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 46.

§. 1. NEgativam sententiam docet Antonius Riciull. *in tract. de jure person. lib. 5. cap. 25. n. 4.* ubi sic ait: Inquisitores non possunt legere libros damnatos, nisi eis ab Apostolica Sede, seu per sacram Congregationem Inquisitionis fiat facultas, stante constit. Iulij III. Ita ille. Et hanc sententiam tenet etiam Barbosa *de potest. Episc. part. 2. alleg. 90. n. 8.* Suar. *de fide disp. 20. sect. 2. n. 28.* Sanch. *in sum. tom. 1. lib. 2. cap. 10. n. 46.* & alij.

2. Verùm contrariam sententiam ex Azorio, Graffio, Deltio, & aliis tenet Farinacius *de hæresi quæstione 180. num. 43.* quibus ego addo novissimè Bonacinam *in Bulla Can. tom. 3. disp. 1. quæst. 2. punct. 4. num. 10.* Imò Zanardus *in direct. Theol. part. 2. cap. 7. num. 16.* Duardus *in Bull. Can. lib. 2. Canon. 1. quæst. 34. n. 6.* Torreblanca *de magia lib. 3. cap. 15. num. 27.* Naldus *in sum. ver. Bulla Cœnæ num. 11.* Anton. Sousa *in Bulla Can. disp. 15. n. 5.* post Pegnam *in direct. Inquis. part. 2. commen. 3.* & alios putant substitutos Inquisitorum, seu Commissarios ab Inquisitoribus deputatos posse

posse libros hæreticorum legere, quia hujusmodi Commissarij censentur à Sede Apostolica instituti, licèt hoc non admittat Bonacina *loco cit.* & Merolla *in disp. Theol. tom. 1. disp. 1. cap. 2. diffic. 11. num. 415.* cum Sanchez *ubi suprà*, quia facultas legendi libros hæreticorum conceditur Inquisitor autem non est Sedes Apostolica, ergo, &c.

3. Notandum est tamen quòd stando in hac secunda opinione in Regnis Hispaniarum solus Inquisitor generalis habet potestatem legendi libros hæreticorum, & cui ipse commiserit, & non alij Inquisitores, ut patet ex Bulla Pauli V. apposita in principio indicis expurgatorij. Vnde neque Episcopi possunt dictos libros legere. Et ideo hîc in gratiam studiosorum ponam pulchrum locum Didaci Canteræ *in qq. crimin. cap. 1. de hæret. num. 64.* ubi sic ait: Si aliquis haberet libros hæreticorum, per Inquisitores anathematizaretur, ut fuit factum per Inquisitionem Conquensem contra Episcopum Conquensem, qui dicebat eos teneri ex particulari privilegio. Ita Cantera, quod est valde notandum. Sed ego in tali casu consulerem DD. Inquisitoribus, ut Summum Pontificem de hoc certiorarent, & in Regnis Hispaniarum Inquisitorem generalem; quòd autem Episcopi non possint legere libros prohibitos, firmant novissimè Mauricius Alzedus *in praxi Episcop. part. 2. capite 6. numero 75.* qui citat Navarrum, Azorium, Sanchez, Delrium, Barbosam, & Pegnam.

Sup. hoc in lin. 4. ante fin. hujus §.

Quoad hoc lege doctr. Resol. not. seq.

4. Sed pro coronide hujus resolutionis apponam hîc verba Homoboni de Bonis *in exam. Eccles. part. 2. tract. 11. cap. 7. quæst. 15.* ubi sic ait: Advertendum est etiam à doctis integræque fidei viris ex urbe referre libros, qui non sunt hæreticorum, nec de hæresi tractant, neque contra fidem falsa, vel suspecta dogmata continent, aliqua tamen alia ex causa prohibitos posse viris dignis ab Inquisitoribus permitti, qui quidem gratis ex scripto manu sua subsignato tribuunt, & de triennio in triennium facultatem renovabunt: at in foro conscientiæ illam licentiam oretenus habere sufficere videtur. Ita Homobonus. Verùm post hæc scripta Vrbanus VIII. p. m. derogavit omnes licentias legendi libros hæreticorum, & omnes alios prohibitos, & hodie hanc potestatem dat solùm sacra Congregatio.

Sup. doctrina contenta in hoc §. cum eodé Homobono, hic citato & aliis latè in to 3. tr. 3. Resol. 84.

RESOL. CXXXVIII.

An Inquisitores possint præbere licentiam legendi libros hæreticorum?

Et quid de Generalibus Religionum in Regnis Hispaniarum; vel an solus Pontifex talem licentiam possit præbere? Vnde neque Collegium Cardinalium Sede Apostolica vacante prædictam licentiam concedere possit?

Et an Vrbanus VIII. novissimè annullaverit omnes licentias legendi libros prohibitos?

Et an nemini liceat libros hæreticos ad suas manus devenientes propriæ authoritate comburere, sed eos ad Inquisitores deferre teneantur? Ex p. 4. tr. 8. Resol. 99.

§. 1. Respondeo negativè cum Sanchez *in summa tom. 1. lib. 2. cap. 10. num. 43.* & Sousa *in aphorism. Inquis. lib. 1. cap. 21. num. 62.* solus enim Pontifex potest talem licentiam præbere. Vnde neque Collegium Cardinalium Sede Apostolica vacante prædictam licentiam posse concedere, ait Merolla *in disp. Theol. tom. 1. disp. 1. c. 2. diff. 12. n. 419.* & alij, quicquid asserat in contrarium Vgolinus.

Sup doctrina contenta in hoc §. lege

£. Nota etiam quòd privilegium Gregor. XIII. factum Generali Societatis Iesu ad legendum, vel purgandum libros hæreticorum, vel aliàs prohibitos, seu etiam ad facultatem dandam pro his, & similes concessiones revocatæ sunt, tum per privilegia amplissima sanctæ Inquisitionis in his Regnis Hispaniarum, tum quia Societas cessit privilegio in Congregatione sancta, & ita observat Emanuel Rodriquez & Hieronymus, ille *in quæstionum Regularium tom. 2. quæst. 82. art. 3.* iste *in compend. quæstionum Regular. resolut. 92. n. 1.* quibus adde Portel *in dubiis Regular. versic. librorum prohibitio, num. 3.* Vrbanus verò VIII. novissimè annullavit omnes licentias legendi libros prohibitos.

3. Notandum est etiam hîc obiter quòd Hieronymus Rodriquez *ubi suprà num. 3.* docet, nemini licere libros hæreticos ad suas manus devenientes propria authoritate comburere, sed eos ad Inquisitores deferre tenetur, juxta constit. Iulij III. id præcipientis; aliàs potest procedi contra ipsum ac si esset hæreticus, quod intelligunt aliqui, nisi ex tali manifestatione, seu traditione resultet manifestanti, seu tradenti aliquod grave periculum suspicionis de hæresi, tunc etiam posse tales libros per seipsos comburere affirmant. Id tamen minimè admittendum est propter damnum quod ex eo evenire potest Catholicæ fidei ac Religioni, nam deferendo hujusmodi libros ad Inquisitores, ut inquirere possint an ultra traditos alij similes supersint, & an ipsis malè usi sint, & à quibus eos acceperint. Ita ille. Sed de hac quæstione ego alibi fusiùs egi.

Sup. hoc in lin. 4. ante fin. hujus §.

Sup. hoc in lin. 4. ante fin. hujus §.

Sup. hoc in lin. 4. ante fin. hujus §.

Sup. hoc in lin. 4. ante fin. hujus §.

Alibi i. 2. tract.

RESOL. CXXXIX.

An intelligens aliquem librum esse hæreticum, comburendo illum, & non Inquisitoribus tradendo; incurrat excommunicationem hujus Canonis?

Et quid de peccato? Ex p. 1. tr. 11. Resol. 37.

§. 1. Respondeo, quòd communiter Doctores docent, quem non posse propria authoritate libros tales comburere; sed teneri illos deferre ad Inquisitores. Ita Suarez *tract. de fide, disp. 20. sect. 2. n. 23.* Azorius *tom. 1. lib. 8. c. 16. q. 11.* Delrius *disquis. magic. tom. 3. lib. 5. sect. 17.* Farinacius *de hæresi, quæst. 180. n. 40.* Barbosa *de potest. Episc. p. 3. alleg. 90. n. 5.* Sousa *in Bull. Cœnæ cap. 2. disp. 15. concl. 3. n. 4.* Homobonus *de exam. Eccl. p. 1. tract. 7. cap. 2. quæst. 12. & p. 2. tract. 11. cap. 7. quæst. 15. resol. 2.* Duardus *in Bullis Cœn. lib. 2. can. 1. q. 52. n. 1.* Cherubinus *in compend. Bull. tom. 2. const. 76. Pij V. schol. 2.* Riccius *p. 4. decis. 255. n. 4. & decis. 260. num. 7.* Alterius *de cens. tom. 1. disp. 2. lib. 5. c. 7.* & alij. Et fundantur in quadam Constitutione Iulij III. qui hoc videtur præcipere.

2. Sed non reticebo, contrariam sententiam docere Zanchinum *in tract. de Hæreticis, cap. 7. num. 7. & Repertor. Inquisitorum, verb. libri.* Filliucium *tom. 2. tr. 22. cap. 7. num. 208.* ubi excusat comburentes propria authoritate, aut tradentes illis, qui dictos libros legere possunt: quod anteà etiam docuerat *in tom. 1. tract. 16. cap. 3. num 45.* & hanc opinionem referens Bonacina *de cens. disp. 2. quæst. 5. punct. 4. num. 20.* in nova editione non improbat, & ideò videtur illam admittere: & multi ex Authoribus citatis, ut Alterius, & Riccius, & Antonius Ricciull. *in tr. de jur. personarum, lib. 5. cap. 24. n. 2.* & Campegius *in addit. ad Zanchinum, de Hæret. cap. 7. n. 7.* contrariam sententiam, quam ipsi tenent, vocant tantum veriorem, & tutiorem. Ergo secundùm dictos Authores sententia Filliucij est probabilis.

3. Sed, quidquid sit de peccato, ut benè notat Portell. *in add. ad dubia regul. verb. libri prohibiti, num. 13.* certum est, illos, qui libros hæreticos comburunt propria auctoritate non incurrere in excommunicationem Bullæ Cœnæ, quia tales libros conburendo, illos non

non retinere. Et ita etiam docet Sanchez *in sum.to.1. lib.2.c.10 n.56.*& Suarez *ubi sup.tract. de fide disp.20. sect.2.n.23.* & alij.

RESOL. CXL.

An in retentione librorum hæreticorum detur parvitas materiæ; ita ut qui per unum, vel duos dies retineret librum prohibitum, non incurrat in excommunicationem Bullæ Cœnæ, vel Indicis? Ex part. 5. tract. 5. Resl.43.

§.1. AD hoc dubium Suarez *tract.de fide, disp.20. sect.2.num.22,* respondet distinguendo, quia vel retentio procedit ex voluntate absolutè retinendi librum, & tunc dico quamcumque retentionem esse peccatum mortale,etiamsi mutata voluntate brevissimo tempore duret; Hoc probat ratio facta,quia voluntas illa, peccatum mortale est,& ab illa procedit exterior retentio.Alio verò modo contingere potest,ut aliquis habens propositum tradendi librum, in executione sit negligens per aliquam brevem moram,& tunc facilè poterit excusari à culpa mortali,tum quia in voluntate non habet propositum contrarium præcepto,& negligentia potest esse levis. & ipsa mora est quasi materia illius omissionis,& ideo ex brevitate potest esse levis, ac denique illa non est tam retentio,quàm dilatio,quæ interdum potest excusari ab omni culpa,si ex rationabili causa fiat.Ita Suarez,cui adde Hurtadum de Mandoça *volum.1. disput.76.sect.1.§.12.*ubi sic ait:Peccant contra hanc legem,qui libros retinent,sive enim liber sit proprius,sive alienus,sive eum callear,sive ignoret omnino,labitur in hanc pœnam,nisi exiguo tempore id faciat: si enim decernat post breve tempus librum tradere, non est peccatum mortale, secus si uno instanti habeat actum retinendi librum longo tempore. Sic ille.

Quæ nunc est in to.4. tr 3. resl. 41. §. ult.

2. Sed contraria sententia mihi magis placet, pro qua *in 1.p.tract.11.resp.30.*adduxi Sanch. & Duardum, quibus nunc addo Reginald.*in praxi tom.1.lib.9.c.14. n.256.* & Castrum Pal. *tom.2.tract.4. disp.2. punct.10. §.2.n.11.* quia gravitas retentionis non desumitur solùm ex libro,qui retinendus est,quod inde constat,nam si haberes voluntatem retinendi una hora librum, & statim illum tradendi, non video qua ratione quis dicere possit,te gravem culpam commisisse. Requiritur ergo ad retentionem gravem mora temporis: ergo si tempus,quo de facto retines librum,breve est,etiamsi voluntatem haberes longo tempore retinendi,retentio illa exterior levis censeri debet,ad effectum incurrendi censuram,quia non incurritur censura ex voluntate retinendi, sed ex voluntate executioni mandata, quæ cùm non sit integra,& in materia gravi exercita, sed in materia levi,non sufficit ad incurrendam censuram:ergo,&c.Et ita hanc sententiam docet etiam præter Doctores citatos Iacobus Gordonus *in sum.tom.2. lib.2. quæst.13. cap.8. §. 3. num.81.* Si quis igitur per unum,vel duos dies retineret librum prohibitum,non incurreret excommunicationem Bullæ Cœnæ,vel Indicis.

RESOL. CXLI.

An privilegiatus ab Inquisitoribus hujus Regni Siciliæ ad legendos libros ab ipsis prohibitos, possit uti hoc privilegio in alio territorio,v.g.in Regno Castellæ? Ex p.4. tr.8.Resl.100.

§.1. NEgativam sententiam docet Suarez *de legib. lib.8. cap.26. n.8.* quem sequitur Laurentius Portel.*in dubiis Regular. ver. libri prohibiti,num.4.* ubi sic ait:Lusitanus habens licentiam legendi libros specialiter prohibitos in sola Lusitania,non potest eosdem legere ubique existens. Si illi in Castella, v.g. sunt specialiter prohibiti,non poterit ibi illos legere absque licentia Tribunalis Castellæ,pro S.Officio,& sic è contra de Castellano existente in Portugallia quia sunt territoria diversa. Vnde privilegiatus ut portet arma vetita in Portugallia, non est privilegiatus ut portet illa in Castella eadem ipsa.Et privilegium unius Episcopi non potest derogare privilegio alterius Episcopi. Ita Portel, satis quidem probabiliter.

2.Sed his non obstantibus affirmativam sententiam tenet Hieroymus Rodriq. *in compend.q. Regul. resp.92. n.2.*& ante illum Emanuel Rodriq.*in sum.to.3.c.250. n.4.* cum Navarro *tom.2. tit.de privil. consil.6.* & ratio est, quia hæc facultas nihil aliud continet,quàm gratiam? gratia autem quæ personæ confertur personam sequitur,& cum persona extinguitur,*cap. sanè, de privil.* Deinde hæc sententia suaderi ex eo potest, quòd facultas ab eo data qui jurisdictione fungitur,non tantam vim habet in suo territorio, quam in alieno, cùm in hac parte jurisdictio quæ exercetur in facultate data,non ad contentiosam,sed ad voluntariâ jurisdictionem pertineat. Sed jurisdictio voluntaria etiam extra proprium territorium, potest exerceri, veluti excommunicare,absolvere,beneficia conferre,litteras dimissorias concedere & similia:ergo,&c.Sed ut verum fateat, prima sententia mihi magis placet, non tamen damnarem hanc sententiam secundam sequentem.

RESOL. CXLII.

An libri Catholici cum explanatione hæreticorum, & commentariis sint prohibiti? Ex p.5.tr.13. & Misc.1. Resl.16.

§.1. PRima opinio est Patris Suarez *de fide disp. 20. sect.2. num.13.* asserentis hos libros esse prohibitos si scholia hæreticorum sint magna, secus si essent exigua. Quoad hoc in to.4 tr.3. lege doctr. Resl.46.

2. Secunda est opinio Sanchez *in summa, tom.1. lib.2.cap.20.num.25.*ajentes tales libros non esse prohibitos, licèt in se contineant scholia hæreticorum magna, quia semper talis liber dicitur Auctoris Catholici.

3. Tertia opinio est Hurtadi de Mendoza *in 2.2. disput.56. sect.8. §.303.* ubi existimat utramque sententiam in parte esse veram, bifariam enim scribitur in alicujus authoris librum. Primum, ut nihil scribatur, nisi faciens explanationi textus,à quo non possit nisi incommodè Commentarius abjungi, ut Commentaria Caietani non possunt abjungi à textu Thomistico, quia tota sunt ad explanandam argumentorum vim, oppugnanda adversariorum dicta, & methodum explicandam. Hi libri non sunt prohibiti, quia absolutè sunt & dicuntur S. Thom. & non Cajetani, sive Commentaria sint prolixa, sive minuta: parum enim interest moles. Quòd si considerandum est præcipuè quid contineant, quid interest magnitudo, aut parvitas,cùm in parvo libello possint plures hæreses doceri, quàm in alio magno volumine. Si autem præter explanationem alia disputet hæreticus non facientia textui explanãdo,sed quæ abjungi commodè possunt, liber est interdictus,quamvis sit exiguus, quia verè est ab hæretico authore.Sic ipsius Patris Suar.Commentaria ab ipso, non à S.Thoma denominantur, complura enim disputat,quæ jam non spectant ad explicationem. Itaque scripta illa à quibus non pendet authoris Catholici explicatus,sunt prohibita,& liber ob illa. Alioquin occasione explanandi textum, possent

hæretica omnia sua dogmata disputare ut scholastici Doctores sua disputant, cum Magistrum, aut S. Thomam explicant. Hucusque Hurtadus *loc. cit.*

RESOL. CXLIII.

An quis possit legere libros prohibitos securus, quod nocumentum non accipiet ex eorum lectura?

Et an non solum libri hæreticorum damnentur, qui continent falsam doctrinam contra fidem, sed etiam minimè de Religione tractantes, ut sunt Dialectici, Rhetorici, Grammatici, &c? Ex p. 6. tr. 6. & Misc. 1. Res. 49.

Sup. hoc in Res. seq.

§. 1. OLim Romæ à quibusdam, & Panormi à Viro ingenuo & docto de hoc casu interrogatus fui, & cùm negativè responderet, instabant tunc vehementer asserendo ex doctrina, quam ego adduxi *in p. 1. tract. 10. resol. 28.* probabiliter posse affirmativam sententiam defendi: non ignobiles Auctores tenent: ut ibi patet, legem non obligare ejus fine deficiente: quod etiam invenio docere Audream de Area *in tit. de constitut. cap. 1. num. 301.* Sed in nostro casu finis legis deficiebat, nam ipsos legentes tales libros certum erat ex eorum falsa & damnata doctrina nullum posse nocumentum accipere; erant enim viri docti & piissimi. Ergo, &c.

2. Sed his non obstantibus respondi supradictam doctrinam non valere in casu nostro: nam procedit, quando lex unum solum finem habet, ex quo Legislator movetur ad prohibendum aliquid: secùs verò si lex habet plures fines; nam deficiente vno, obligatio legis non deficit, sed talis est lex libros damnatos prohibens: ergo, &c. Vnde sciendum est Ecclesiam in prohitione librorum damnatorum plures fines habere: nam prohibet illos, ut hoc modo quasi medicina quadam præservet fideles ab hæreticorum contagio, & ne damnatorum librorum lectione, veluti veneno quodam pestifero Catholici inficiantur: & ideò ob hanc causam olim in primitiva Ecclesia prohibebatur fidelibus ne Gentilium libros legerent, teste Clemente *lib. 1. constit. Apost. cap. 6.* & ideò ex Concilio Carthaginensi IV. *cap. 16.* Ecclesia præcipit, ne fideles communicent verbis cum hæreticis: ergo multò magis potuit & debuit præcipere, ne cum ipsis communicent libris & scriptis cùm hæc communicatio magis soleat nocere, quam quæ fit solis verbis; libri enim scribuntur majori cum consideratione, eloquentia & eruditione, ac propterea magis permovere solent Lectores ad illorum falsam doctrinam amplectendam.

3. Verùm Ecclesia in prohibitione dictorum librorũ non habuit hunc solum finem, nempe ne Catholici falsa doctrina ex dictis libris inficiantur; sed etiam legem illam statuit in pœnam Authorum damnatorum: non enim levis est pœna in eorum libros nigrum præfigere Theta, & sub censura prohiberi ne legantur, ad obscurandum & abolendum eorum nomen, & ne hoc afficiantur honore, ut inter manus Doctorum hominum voluantur. Igitur lex prohibens sub censura lectionem librorũ damnatorum semper obligabit: nam licet deficiat in aliquo casu particulari finis dictæ prohibitionis, nempè periculum & nocumentum, quod ex lectura dictorum librorum prohibitorum contingere potest: adhuc tamen semper remanet alius finis prohibitionis, nempè pœna auctoribus damnatis imposita ad eorum dedecus, ne eorum libri legantur.

4. Vnde ex hoc apparet, quod non solùm libri hæreticorum damnantur, qui continent falsam doctrinam contra fidem, sed etiam minimè de Religione tractantes, ut sunt Dialectici, Rhetorici, Grammatici, &c. In quibus libris nullum est periculum, ut lectores eorum lectione ad hæresim pertrahantur. Et ideo Sanctarellus *tract. de hæresi cap. 14. dub. unico num. 4.* meritò asserit omnes libros hæreticorum, prohiberi in pœnam illorum Auctorum, quamvis hæresim non contineant, ut etiam habetur *in reg. 2. Iudiciis.* Et Sousa *in Bul. Cœn. 2. disp. 13. n. 11.* rectè observat lectionem librorum prohibitorum in odium Auctoris interdici. Igitur de hoc non est dubitandum, & aliter sentientes in nostro Sacræ Inquisitionis Tribunali severè puniendos esse existimo. Adde quod aliqui viri docti asserunt lectionem librorum hæreticorum esse de se inductivam ad inficiendos animos legentium. Ergo semper eorum prohibitio obligabit.

RESOL. CXLIV.

An quis possit legere libros prohibitos, si sciat certo multum illos nocumentum esse illaturos?

Et versim docetur peccare, & in censuram incurrere legentes libros ab Inquisitoribus prohibitos, etiam si hæresim non contineant, & non esse absolvendos à Confessariis retinentes libros hæreticorum.

Sed infertur, quod cessante fine legis in particulari casu, pro ipso lex non obligat. Ex p. 11. tr. 1. & Misc. 4. Res. 1.

§. 1. REverendissimus Abbas Ioannes Caramuel, propter scientiam, ingenij acumen, & eruditionem satis quidem notus, novissimè edidit suam Theologiam fundamentalem, in qua aliquando nostras impugnat opiniones; & ideo circa præsentem difficultatem nominatim contra me affirmativam sententiam tenet *fundament. 17. q 2. numero 434.* ubi sic ait: Probabile est, cessante fine legis in aliquo particulari, cessare etiam legis vim, & obligationem in illo particulari: At finis legis interdicentis lectionem librorum hæreticorum cessat respectu illius, qui est ita doctus, & pius, ut prævaricari non possit: Ergo respectu ejusdem cessabit etiam ipsa lex.

2. At Diana addit eosdem libros interdici ad ignominiam Authorum; & dicam hoc non videri verum nec ad rem.

3. Non verum, quia eosdem libros si sint correctionis capaces, expurgatores corrigunt, & correctos permittunt. Sub annum 1632. evulgabatur in Hispania expurgatorius liber, qui non omninò indoctus, sed quia fuerat à P. Pineda concinnatus reiiciebatur à Societatis æmulis, quasi correctores in ipsos non ratione, sed affectibus dirigerentur, & in ipso legisse me memini, eum librum non esse prohibitorium, sed concessorium, utpotè, qui libros alias, interdictos ratione errorum, erroribus expunctis concedebat. Ergo opinione ipsius inquisitionis librum expurgatorium evulgantis, libri interdicuntur ratione periculi: Nam etiamsi corrigantur errores, adhuc Authores manent hæretici, & pertinaces, ut antea nec debent aliter amari, quàm antea.

4. Nec contra hoc militat hæreticorum libros Grammaticos, Rhetoricos, Dialecticos, & Philosophicos interdici, nam hos Diana existimat nullam continere hæresim, sed hoc ideò existimat, quod matutinis occupatus ejusmodi libros non legat fortè nec habet, rati enim hinc mittuntur Grammatici in Italiam, sed fallitur doctissimus vir, nulli enim sunt, qui plures errores, & hæreses habeant; Libri Theologorum hæretici, ut plurimum unam, aut alteram promovere conantur, at liberales libri plurimas.

5. Non aliter potest Grammatica, Rhetorica, & Dialectica, quam exemplis tradi, & per talia heterodoxi hæresim ut exponant, ubique statui Ecclesiastico insul-

insultant, ubique Papa est Antichristus, ubique nos Idololatræ. Habeo ob oculos plurimos, quos possem allegare, si vellem, sed cur lectorem meum onerarem eorum ineptiis, si sufficiat asserere vix visum esse librum liberalem, qui hæresibus multis non scateat? Vnde concludo etiam ipsos ob doctrinam ab Ecclesia interdici.

6. Sed demus illos interdici in odium, & pœnam Authorum, & rogabo, quis majori ignominia, & dedecore afficiatur, illene qui occiditur, & igni mandatur in carcere. An ille, qui conducitur per plateas Civitatis præcone ejus infamiam inclamante? Ille, qui suspensus à patibulo eadem die sepelitur, an qui jubetur in cruce remanere toto anno? Hinc transi ad libros, putarem severiore sententia condemnari librum (dicam Hispane, à quien se le pone un San Benito) librum, cui nigrum theta præfigitur; cui inscribitur esse authoris damnati, illum, qui legitur, ut authoris infamis, quam qui omnino non legitur: & tamen stando Dianæ fundamentis deberemus dicere furem, qui condemnaretur exilio, & juberetur non comparere in toto regno, condemnari severius, illo, qui juberetur manere, & signum publicum, & externum ignominiæ portare, ut ab omnibus esse infamis, & sceleratus noscereturs.

7. Venio ad ultimam rationem Dianæ, quam esse virorum Doctorum affirmat (Illi libri ait, tametsi non sint inducentes in hæresim, sunt inductivi. Atqui finis Ecclesiæ est, ut non dentur libri, qui possint inducere in hæresim: Ergo non cessat legis finis) & ego dico primò majorem debere ab illis Viris doctis probari. Dico secundo, condonata majori adhuc falsam esse, quia illi libri non sunt respectu illorum hominum inductivi, nam ignis tametsi calefactivus sit, non est calefactivus ligni amoti, nisi prius ponatur approximatio: quæ ex parte subjecti requiritur: & consequenter illi libri tametsi secundum se inductivi dicantur, non erunt inductivi respectu hominis, qui in quæstione proponitur quousque detur in eodem periculum, & tunc tollitur casus. Dico tertiò, non omnes libros esse etiam secundum se inductivos, nam falsitas ut nocere possit deberet esse similis veritati, quamobrem. Cum aliquis nimis insolenter mentitur nullum decipit, quæ notata esse volo, ut Martini Lutheri opera à libris aliorum distinguam, quis enim turbari, aut seduci poterit à viro tot ineptias, blasphemias, & injurias vomente? Quis à Doctore, qui se à Diabolo didicisse fatetur, quæ suos discipulos edocet: ille unicus, qui non legerit hos libros Martini Lutheri: nam ego Spiræ, ut quemdam amicum virum doctum ad nostram Religionem reducerem, persuasi, ut aliquot Lutheri libellos evolveret; qui cæpit non esse illos sui Lutheri, sed à nostris confictos, occlamare prius, à typo, anno, & suorum Ministrorum confessione convictus, dare manus posterius, malleque esse Tridentini discipulum, quam Lutheri, se à Diabolo didicisse affirmantis. Hucusque Caramuel ubi suprà.

Docuit in Ref. præcedenti.

8. Verùm his non obstantibus: Ego non recedo à sententia, quam olim docui, & docent communiter Doctores; Vnde adversus Caramuelem adducam hìc verba doctissimi Patris Francisci de Oviedo *de fide, spe, & charitate, ubi controv. 12. punct. 3. num. 42.* sic ait: Dubitari solet an prædicta censura comprehendantur illi, qui hæreticorum libros legunt, aut retinent ex intentione confutandi errores in illis contentos, & certè nullum in illis esse perversionis periculum? Non comprehendi indicant nonnulli jurisperiti, quos refert Palao *punct. 10. citato §. 2. num. 8.* pro quorum sententia posset adduci opinio, quam cum aliis Theologis defendit Granados *1. 2. controv. 7. de legibus tract. 3. part. 2. disputat. 15. sect. 2.* quæ affirmant cessante fine legis in particulari casu, pro ipso legem non obligare. Oppositum videlicet adhuc in eo casu excommunicationem incurrere eum, qui prædictos libros legeret, aut retineret, merito docent Suarius *disputat. 20. sect. 2. sæpè citata num. 2.* Sanctius *cap. 10. jam citato num. 24.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 16. quæst. 6.* Coninch *disput. 18. dub. 11. num. 180.* Puente Hurtad. *disput. 76. §. 307.* Toletus *lib. 1. summæ cap. 19. num. 9.* Palao *§. 2. citato num. 9. & apud illum* Vgolinus, & Farinacius, multus est Cardinalis de Lugo *à num. 63.* ut hanc sententiam stabiliat effugio præcluso quod tentari posset ex sententia affirmante, cessante fine legis in particulari casu pro eo legem non obligare; Quidquid autem sit de hac opinione, cujus oppositæ longè communior est; existimo ad hanc materiam ab homine cordato applicari non posse, stultum enim, & superbum esset, hominem suo judicio in hac re fidere, & præsumere ab omni periculo ipsum esse alienum in materia ex se gravissima, & ingenti periculo exposita, est enim hæresis pessima, & contagiosissima lues, quæ facillimè serpit, & maximè timenda est in his qui se securos fingunt, & securitatis præsumptione ea aggrediuntur pericula, quæ Ecclesia subire prohibuit etiam Episcopis, Cardinalibus, qui ratione dignitatis, & meritorum, quæ ad illas supponuntur remotiores ab hoc periculo, quam quicumque alij privati homines præsumi debent. Quapropter mihi certissimum est, neminem, prætextu securitatis posse prædictos libros legere, aut retinere etiam causa confutandi errores. Ita Oviedo, & Ego.

Vnde ex his Petrus Marchan. *in Tribun. Sacram. tom. 2. tract. 2. tit. 2. sect. 4. q. 2. conclus. 1 fol. 90* rectè sic asseruit.

9. Quia verò quilibet de fortitudine sua præsumere, sibique periculosè abblandiri potuisset, generaliter Ecclesia lectionem hujusmodi librorum sub peccato mortali quibusvis quantumvis doctis probisque prohibuit, adhibitis pœnis, quæ non nisi pro peccato mortali imponuntur, nisi de illius, seu Sedis licentia, & authoritate legantur, prudenter attendens, quod quamvis in individuo, & singulari respectu alicujus personæ doctrina, probitate, & constantia præstantis, nullum sit periculum: tamen quia illo prætextu advertit plurimos seduci posse, & gravissimos abusus ac pericula populo Dei imminere universaliter doctis pariter, & indoctis, lectionem librorum hæreticorum inhibuit, nisi personarum delectu facto ab iis, quibus S. Sedes eorum lectionem, & judicium concederet. Ratio igitur periculi non sumitur ab eo, quod certò accideret personæ in individuo legenti, sed ab eo, quod Ecclesiæ, vel personis indefinitè contingere posset: quod singulariter notandum est ab iis, qui de se præsumentes quælibet audent, generalibus quibusdam axiomatibus delusi: Non attendentes, quod Deus de sua virtute præsumentes frequentius humiliat casibus miserandis, & hæc fuit prohibitio communis in Ecclesia Dei à temporibus Apostolorum, quorum etiam Decreto libri hæreticorum, & impiorum igni adjudicati sunt.

10 Ita Marchant. cui etiam adde Petrum à Sancto Ioseph *in Idea Morali lib. 3. c. 6. resol. 6.* & Carenam *in tract. de officio Inquis. part. 2. tit. 10. §. 5. n. 32. cum seqq.* Ignatium Lupum *in edictum Sanctæ Inquisitionis part. 4. lib. 25. dist. 3. artic. 2. difficul 2. fol. 466.* ubi quærit. An libri Hæreticorum à doctis legi possint ut eorum errores melius cognoscant, ac consultius eis respondeant?

11. Et respondet omnibus illicitum esse legere libros prohibitos hæreticorum, sed aliter doctis, aliter indoctis, doctis, qui sine periculo illos legere possunt, præcisè vi præcepti illicitum est, nisi licentia Sedis Apostolicæ accedat. Cujus etiam est ante licentiam cognoscere, & judicare, An sine periculo, & cum fructu licentiam petens legere possit? Nemo enim Iudex in propria causa esse potest. Simplicibus verò, & ignaris duplici ex capite illicitum est, scilicet nedum ex vi prohibitionis, sed etiam ob imminens, & evidens periculum.

12. Ita Lupus, quibus omnibus adde Naldum *summa ver. Bulla Cœn. n.* 12. Pueronum *in Bulla Cœnæ c.* 1. §. *ac eorumdem libros n.* 186. *fol.* 136. & novissimè Hermannum Busembaum *in Theol. mor. l.* 2. *tract.* 1. *cap.* 4. *dub.* 3. *n.* 6. cum Angelo Possentio *in Recollect. qq. Mor. in fine tit. var. cap.* 16. *n.* 9. & 10. ubi ait, neque dicere quicquam valet legis cessante fine, & lex cessare debet, nam utique id procedit si lex in præsumptione fundetur, facti criminis, non verò si se fundet in delicti futuri præsumptione; ut est in casu nostro. Ergo, &c. adde cum Cæsare Carena *part.* 2. *tit.* 5. §. 5. *n.* 34 in nullo casu particulari, cessare periculi præsumptionem, nimirum perversionis, quando in fide, quod quis perseveret, donum Dei est. Vide adversus Caramuelem doctissimum Patrem Tamburinum *in Decal. tom.* 1. *l.* 2. *cap.* 1. §. 7. *num.* 41, & Bertrandum Const. *in resolut. Theolog* cum Vrbano ab ascensione *in Theolog. Mor. tract.* 21. *cap.* 7. *Regula* 12. *fol.* 366. ubi docet temerarium fore, qui hoc de se ipso judicium ferre tentaret in re tanti momenti, nolletque Ecclesiæ præceptis se subjicere. Ita ille.

13. Restat modo respondere ad confirmationem Caramuelis? Dico igitur, quod nostra inquisitio Hispanica non corrigit libros primæ Classis, & qui tractant ex professo de Religione; Sed cum videt aliquos hæreticorum libros, multum proficere pro litteraria Republica ab erroribus expurgat, & præbet licentiam impunè legendi, anteponendo publicum bonum pœnæ privatæ, quam illis Authoribus imposuerat. licèt non sit parua pœna pro Authore, quod liber suus legatur inustus, & cauteriatus, ac in frontispicio cum illis verbis, expurgatus secundùm Indicem Hispanum, &c.

14. Ergo non valet argumentum Caramuelis, nec ex illo sequitur, quòd legi possint ab aliis libri ab Inquisitione non expurgati, & quod in ipsis non remaneat prohibitio propter periculum infectionis, & propter pœnam, & dedecus Authori impositum; Nam inquisitio vult, ut sibi placet & libet, hac æquitate cum aliquibus hæreticis, & libris prohibitis uti, quam cæteris negat, Nihil itaque nobis officit instantia à Caramuele adducta.

15. Et ideo nostra sententia expressè asseritur in Bulla Pij IV. quæ incipit Dominici Gregis, registrata in principio Indicis 161. qui autem libros alia de causa prohibitos legerit, habueritve; præter peccati mortalis reatum, Episcoporum arbitrio severè se noverit puniendum. Quovis igitur modo illos prohibitos, sive propter hæresim, sive propter illius suspicionem, sive propter obscænitates legerit, sive retinuerit quispiam non excusatur à mortali, & hanc sententiam præter Authores citatos tenet etiam Pater Bordonus in Sacro Tribunali, *capite* 14. *quæst.* 25. *num.* 54.

16. Quod evidenter probatur & confirmatur, nam certum est, quod Author libri hæretici à Sancta Sede vel ab Inquisitoribus prohibiti non timet ex ejus lectura erroribus infici: quia jam scit, & memoriter tenet omnia, quæ in suo libro prohibito impressit, & tamen hoc non obstante Doctores asserunt esse interdictum etiam Authori legere suum librum prohibitum, & aliter faciendo excommunicationem incurrere, & ita docet Trullench *in Decal. tom.* 1. *cap.* 3. *dub.* 9. §. 5. *num.* 20. Pueronus *in Bulla Cœnæ cap.* 1. *num.* 205. *folio* 136. Fagundez *in Decal. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 17. Sanchez *in summa tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 37. Vgolinus *de casibus Papæ reserv. p.* 2. *cap.* 1. *ver. ac eorumdem librorum* §. 1. *num.* 1.

17. Videat ergo ex hoc amicissimus Caramuel libros prohibitos suspendi non solùm ratione periculi, sed etiam in pœnam, ut ego docui, & praxis nostri Sacri Tribunalis demonstrat.

18. Vnde doctè dixit Suarez *de fide disp.* 10. *sect.* 2. *n.* 21. quod finis legis prohibitionis librorum hæreticorum fuit, ne tales libri conserventur, sed destruantur; Sed in casu quo vir doctus, ut vult Caramuel, licèt securus de infectione illos legat, dicti libri conservantur, & non destruuntur contra finem legis, ut vult Suarez: Ergo peccabit mortaliter, & in censuras incidet; & sic ego sentio, nec aliter sentiendum esse puto. Et ita post hæc scripta inveni Eminentissimum Logo *de fide disp.* 21. *sect.* 2. *a n.* 62. *usque ad num.* 68. nostram sententiam firmiter docere, & ad argumenta Caramuelis respondere, quæ necessario à lectoribus legenda esse existimo: Vnde ex his rectè docuit Thomas Hurtadus *var. tom.* 2. *tract.* 1. *cap.* 5. *resolut.* 7. *num.* 63. indistinctè, & sine ulla limitatione non esse absolvendos à confessariis retinentes libros hæreticorum. Et *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 6. *resol.* 62. §. 2. *n.* 146. docet peccare, & in censuram incidere legentes libros ab Inquisitoribus prohibitos, etiamsi hæresim non contineant, & contrarium asserere esse erroneum tradit Tutrianus *cent.* 4. *dub.* 17.

19. Sed alias rationes meliores excogitabit ipse Caramuel, sicut etiam circa sequentes resolutiones; Nam ego vellem à Sapientissimo Viro (ut ora æmulorum clauderet, quod etiam placuit Eminentissimo Domino meo Cardinali Chisio viro incomparabili, litteratorum patrono) sicut Theologiam hanc fundamentalem, interrogatoriam, tamen, ut ipse vocat, typis mandavit; Ita etiam quamprimum aliam Theologiam fundamentalem, responsoriam, in qua ipse ad semetipsum respondeat præsertim, quando contra communes sententias disputavit. Vnde magis sic acumen ingenij sui demonstraret. Nam si mare pacificum, ut Americi loquuntur totius Theologiæ moralis turbat se videtur, postea tanquam alter sacer Neptunus in pristinam tranquillitatem adduceret, & ut Achillis hasta si in dicta Theologia interrogatoria vulneravit, postea in Theologia responsoria sanaret; Ita ut de Caramuele feliciter postea omnes dicere possint, ipse percutit, & medetur.

RESOL. CXLV.

An qui legit librum Hæretici de Religione tractantem, hæresim tamen non continentem, incidat in censuram Bullæ Cœnæ?

Et quæritur etiam, quanta pars libri hæretici requiratur, ad incurrendam censuram Bullæ Cœnæ, si quis eam legat?

Et an si libri hæreticorum unum, aut alium contineant errorem, & ille deleatur omnino, possint sine incursione, excommunicationis legi?

Et quid; si diversi sint tomi ejusdem authoris hæretici, & unus tantum hæresim contineat, reliqui verò non contineant hæresim, an solum ille, qui hæresim continet sit prohibitus sub censura Bullæ Cœnæ? Ex p. 6. tr. 6. & Misc. 1. Res. 55.

§. 1. NEgativè respondet Crousers *in Regulam S. Francisci, cap.* 7. *sect.* 5. *fol.* 522. ubi sic ait: Verùm

Vtrum libri hæreticorum de Religione tractantes, si nullam hæresim contineant, sint hoc loco prohibiti; aliqui affirmant, quòd videantur absolute, & sine conditione prohibiti: mihi verò sententia negans magis placet: tum quia prohibitio hæc fertur in hæresim primariò, & ratione hæresis, & hæreticorum, & sic, extenditur ad eorum omnes libros hæresim continentes; tum quia hæc conditio satis expressè habetur paulò ante; ita quòd non fuerit necesse illam repetere; sed facilè subintelligi possit, non de quacumque Religione, sed hæretica, tractantes libros prohiberi. Ita Crousers.

2. Sed hæc opinio est contra textum Bullæ Cœnæ. ut optimè observat Sanchez *in summa*, *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 33. Suarez *de fide*, *disp.* 20. *sect.* 2. *n.* 10. Sanctarellus *tract. de hæresi*, *cap.* 13. *dub. un. n.* 10. & Fagundez *in præcepta Decalogi*, *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 13. ubi ita asserit: Secunda conditio est, ut libri contineant hæresim, vel de Religione tractent: itaque non sufficit, quod libri sint hominis hæretici: sed opus est ad incurrendam hanc censuram, quòd etiam contineant hæresim, vel de religione tractent: quare si nec hæresim contineant, nec de religione tractent, quamvis legantur, retineantur, imprimantur, vel defendantur, non propterea legens, retinens, imprimens, vel defendens excommunicationem incurret Bullæ Cœnæ: sufficit tamen, quòd alterum horum contineant, vel hæresim, vel de religione ex instituto tractent; quia Bulla Cœnæ apertè loquitur disjunctivè, & alterutrum tantùm petit. Ita ille. Vnde non sunt audiendi Sayrus *de cens. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 12. & Graffius *Decis. Aur. lib.* 4. *cap.* 18. *n.* 40. & 42. qui pro sententia Crousers faciunt.

Sup. hoc latè in res. leq. & superius in tr. 1. Ref. 142. §. 1. & 2. & in to 4. tr. 3. Ref. 42.

3. Notandum est etiam hîc, quòd idem Crousers *ubi sup. fol.* 514. petens. Quanta pars libri hæretici requiratur ad incurrendam censuram Bullæ Cœnæ, ita respondet. Arbitrarer tantam partem libri legi oportere, quæ per se sumpta verè possit libri nomine censeri; quia sicut Epistola hæretica deficit à ratione libri ad effectum incurrendæ hujus censuræ; ita etiam similis quantitas libri lecti, vel retenti, si fortè liber esset mutilus, deficit à ratione quantitatis sufficientis ad eamdem censuram. Sic ille.

4. Sed hæc opinio tanquam nimis laxa prorsus non est admittenda: & ad plurimum, ut à nobis observatum est, & docet novissimè Fagundez *in præcepta Decalogi*, *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 4. unam solam paginam ex magnis voluminibus dicendum est esse paruitatem materiæ.

Sup. hoc sup. in tr. 1. Ref. 142. §. ult. in princ.

5. Cavendum est etiam ab alia opinione Crousers *ubi sup. fol.* 522 asserentis: si libri hæreticorum unũ, atque alterum contineant errorem: illeq; omnino deleatur, posse sine incursione excommunicationis legi: sed hoc, ut dixi, non est admittendum, nisi illa deletio efficeretur auctoritate publica, ut patet ex Regula 8. Indicis. Et ideo Fagundez *loc. cit.* sic ait: Animadvertendum est, quod ubi liber hæresim continet, totus est prohibitus; & ideo si quis legat partem non continentem hæresim, innodabitur hac censura, quia revera legit librũ hæretici hæresim continentem, quod solum requirit Bulla: voluit enim Summus Pontifex aditum his libris legendis occludere, ut docent Suarez, & Sanchez allegati, & Vgol. etiam *de cens. Papa reservatis* 2. *p. cap.* 1. *verb. ac eorumdem libros*, *initio*, *n.* 1. *vers.* 7. Imò idem quoque dicendum est, etsi illa hæresis in libro deleatur juxta Sanch. & Suar. allegatos; quia militat eadẽ ratio. Intelligendum id tamen est, nisi ea deletio fiat auctoritate publica, quæ relinquat totum relinquum librum liberum ad legendum, retinendum, & imprimendum.

Sup. hoc in §. not. præterita, ante med. à vers. Vnde.

6. Si tamen sint diversi tomi ejusdem auctoris hæretici tractantes eamdem materiam non prohibitam, & unus tantùm hæresim contineat, reliqui verò non contineant, nec de religione tractent ex instituto solùm ille, qui hæresim continet, erit prohibitus sub censura Bullæ Cœnæ? si nimiæ molis vitandæ gratia dividatur; at reliqui separati non erunt prohibiti, secùs si omnes tomi in unum coëant librum, aut unus liber ex diversis tomis, ac voluminibus componatur, ut plerumque fit: quia tunc unusquisque tomus pars est totius libri prohibiti. Hucusque Fagundez: cui omnino adhærendum esse puto.

RESOL. CXLVI.

An in lectione librorum hæreticorum detur paruitas materiæ?

Et an possit Confessarius absolvere eum, qui unam paginam libri hæretici legerit?

Et quid v. g. si legantur duæ, vel tres, lineæ, in quibus legens certo novit contineri hæresim: Ex p. 5. tr. 5. Ref. 42.

Sup. hoc in Ref. præterita §. Notandũ est, & superius in tr. 1. Ref. 142. §. 1. & 2. & in to. 4. tr. 3. Ref. 42.

§. 1. NEgativam sententiam tenet Tolet. *lib.* 1. *c.* 19. *n.* 9. & Vgolin. *in explic.* 1. *Can. Bull. Cœn. ver. ac eorumdem libros* §. 1. ubi docet, in hac re non dari paruitatem materiæ, quamvis unam, vel alteram lineam quis legat, quia idem periculum est, ne scilicet legens imbibat hæresim, quæ fortè in ea linea continetur.

2. Sed contrariam sententiam tenendam esse puto cum Sousa *in Bul. Cœn. c.* 3. *disp.* 13. *n.* 8. & ideo Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *c.* 16. *q.* 3. dicit materiæ paruitatem esse pauca verba legere. Hurtad. de Mendoza *vol.* 1. *de fide disp.* 76. *sect.* 1. §. 11. unam, vel alteram lineã. Suarez *de fide disp.* 20. *sect.* 2. *n.* 20. quando non est multarum linearũ lectio, alij verò concedunt tres, aut quatuor lineas. Ita Merolla *ubi infra*. Pesant. *in* 2. 2. *q.* 56. *art.* 2. *disp.* 6. Graff. *tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 18. *n.* 45. alij decem. Ita Sayr. *de cens. lib.* 3. *tom.* 5. *n.* 22. Castrus Pal. *ubi inf.* & de hoc dubitat Merolla, sed plus addit Sanch. Duard. & alij, quos ego citavi *in* 1. *p. tract.* 11. *resol.* 30. nam extendunt hanc paruitatem materiæ ad unam integram paginam libri in folio impressi. Verùm hæc opinio nimis laxa videtur aliquibus, quos ibi citavi, neque illam admittunt Iacob. Gordonus *in sum. tom.* 2. *lib.* 7 *q.* 13. *c.* 8. §. 3. *n.* 81. Castrus Pal. *tom.* 1. *tr.* 4. *disp.* 2. *punct.* 10. §. 2. *n.* 6. Megal. *in* 3. *p. lib.* 3. *c.* 1. *q.* 3. *n.* 49. Homobonus *in consult. tom.* 1. *par.* 2. *resp. primo*, & alij. Vnde ex supradictis Scortia *in Bulla Pontif. epit.* 166. *theor.* 410. monet Confessarios, cautum esse in decreto facto de mandato Clem. VIII. à Congr. Illustr. Card. in negotiis Episcoporum & Regularium *die* 9. *January*, *an.* 1601. ne in Italia extra urbem posset quis absolvere ab ullo ex casibus Bullæ Cœnæ Clatis, vel dubiis. Vnde in proposito nostro adeò parva debebit esse materia, ut omnem dubitationem excludat, ad hoc ut Confessarius possit absolvere eum, qui legerit. Igitur propter dictum decretum Clementis tam parva debet esse materia, quæ legitur ut omnem dubitationẽ excludat, ut Confessarius absolvere possit eum, qui illam legerit. Ex quo fit non esse audiendum Paulum Layman *lib.* 2. *Theol. mor. tract.* 1. *cap.* 15. *num.* 5. dum ait posse Confessarium absolvere eum, qui unam paginam libri hæretici legerit, quia præsumere potest eum non incurrisse excommunicationem Bullæ, juxta opinionem Sanchez suprà relatam. Sed manifestè fallitur, quia opinio Sanchez parum probabilitatis habet, tum quia magis communiter rejicitur, tum etiam, quia Vivaldus & Emanuel Sà, qui eam asserebant, expurgati fuerunt, & per consequens saltem est valdè dubium, an legens unam paginam libri sit excommunicatus, & hoc sufficit, ut absolvi non possit, propter rationem dictam, & ita docet Merolla *to* 1. *disp.* 1. *c.* 2. *coroll.* 7. *dific.* 3. *n.* 344. quod magis probatur, dum videmus hanc opinionem in Vivaldo & Sà emendatis à Reverendissimo Magistro sacri Palatij, amplius non inveniri.

Quæ nũc est in to. 4. tr. 3. Ref. 42.

3. Sed quid dicendum si, v.g. legantur, duæ, vel tres lineæ, in quibus legens certò novit contineri hæresim? Duardus *in Bulla Cœnæ, lib. 1. cap. 1. q. 46. n. 4.* & Regin aldus *tom. 1. lib. 9. cap. 14 sect. 9. n. 254.* putat non obstante paruitate materiæ linearum, incurrere in excommunicationem, quia facit contra finem legis, cùm se exponat periculo imbibendi hæresim, & scienter legat partem libri, propter quamlibet ipse prohibetur.

4. Sed hæc sententia aliquibus non placet, quia non dicitur quis exponere se periculo imbibendi hæresim statim ac scienter legit aliquam propositionem hæreticam, nisi simul legat etiam rationes, quibus hæretici eam probare contendunt. Quis enim dicat hominem Catholicum legentem in aliquo libro hæretici hanc solam propositionem, Christus non est Deus, vel duo tantum sunt Sacramenta, statim censeri expositum periculo illas hæreses imbibendi? & confirmatur, nam qui certò scit in aliquo loco libri non contineri hæresim adhuc incurrit excommunicationem legendo, ut omnes concedunt, & tamen non facit contra finem legis, ergo è contrario, quamvis faceret contra finem legis, legendo, v. g. unam lineam libri, in qua continetur hæresis, non statim censetur excommunicationem incurrere, quia finis præcepti non cadit sub præcepto. Adde quòd neque hoc casu dicitur facere contra finem legis, quia verè non se exponit periculo imbibendi hæresim moraliter. Et hæc omnia docet Merolla *ubi supra.*

RESOL. CXLVII.

De potestate Principum circa bona hæreticorum confiscata, & jura Tribunalis Sancti Officij defenduntur?

Et pro intelligentia supradictarum quæstionum aliqua primo in textu hujus Resolutionis supponuntur? Ex p. 12. tr. 3. & Misc. Res. 2.

§. 1. SVpponamus inter Principem laicum, & quosdam suos vassallos mercatores fuisse initum contractum cum hoc pacto; *Vt bona illorum, qui carcerati, vel damnati in posterum essent ab Inquisitoribus dicti Regni propter hæresis, Apostasiæ, seu Iudaismi crimen nullo modo confiscata, nec etiam inventariata esse possent.* Ex altera verò parte præfatorum hominum pro recompensatione dictorum bonorum confiscandorum aderat obligatio mittendi, & sustentandi in mare suis expensis, v.g. aliquas naves magnas benè munitas, ac provisas de militibus, & aliis necessariis ad bellandum, si opus esset, & ad alia pro utilitate, & custodia Regni dicti Principis. Quæritur an dictum Diploma, seu contractus fuerit licitus, & validus, possitque in posterum prosequi, & sustineri? Et novissimè affirmativâ sententiâ docet quidam Iurisconsultus Pedemontanus vocatus Iacobus à Castro bono (si nomen non est fictitium) in consulto impresso de hac re, & pro Achille suæ sententiæ dictus Iurisconsultus hanc rationem adducit: quia si bona hæreticorum, post latam ab Inquisitoribus sententiam, ita illius Principis sunt propria, ut possit de illis liberè disponere, eaque donare cuicumque voluerit, etiam ipsismet hæreticis quibus fuerunt confiscata, ut est in confesso apud omnes Doctores: ergo poterit ista donare, seu remittere pro illo tempore, quo ad suum dominium, & ærarium pertinere debent, quod maximè procederet; si ex hoc sequeretur aliquod magnum bonum Reipublicæ, ac Regno.

2. Sed hanc sententiam prorsus esse refellendam existimo: & ideo pro negativa sententia. Suppono primo, applicationem bonorum hæreticorum penes Pontificem esse: cum enim crimen hæresis Ecclesiasticum sit, *cap. ut Inquisitionis, §. prohibemus de hæreticis in 6.* Pontifici convenit committentes illud punire, sive Ecclesiasticos, sive laicos, *cap. licet de foro compet. & ibi glossa.* At una ex pœnis, quæ adversus hæreticos fertur est confiscatio bonorum: ergo in illa imponenda Constitutiones Pontificiæ servandæ sunt, & præferendæ aliis Regiis Constitutionibus, si forte contradicant. Confirmatur; Cognitio hujus criminis Pontifici ejusque Ministris convenit, & nullo modo potestatibus sæcularibus, ut habetur in supradicto *cap. ut Inquisitionis:* Ergo etiam applicatio bonorum hæreticorum, solum Pontifici, & quibus ipse facultatem dederit, pertinebit, quia hæc accessoria est primæ cognitioni, vel potius condemnationi: Accessorium autem juxta naturam principalis judicandum est, *capite, Accessorium de regul. juris in 6.* Ergo.

3. Suppono secundò, circa applicationem dictorum bonorum, Pontificem *in cap. Vergentis de hæretic. in 6.* sic statuisse: *In terris verò temporali nostræ jurisdictioni subjectis bona hæreticorum statuimus publicari. In aliis idem præcipimus fieri per potestates; & Principes sæculares, quos ad id exequendum, si fuerint negligentes extiterint, per censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, compelli volumus, & mandamus.* Et ita docet Glossa ibi verb. *Præcipimus.* Et est communis sententia. Hoc tamen non obstante postea statutum est, ut declaratoria sententia super confiscatione bonorum ubique feratur per judicem Ecclesiasticum, Episcopum videlicet, aut Inquisitores, ubi Tribunal Sanctæ Inquisitionis fuerit admissum, aut ad sæcularem, de eorum tamen commissione, spectat, & Iudex sæcularis nihil se potest intromittere in hac re, nisi quatenus per judicem Ecclesiasticum fuerit requisitus. Patet *in cap. ut Inquisitionis, §. prohibemus ut ex cap. cum secundum leges, §. final. de hæreticis in 6. ibi. Confiscationis tamen hujusmodi executio, vel bonorum suorum occupatio fieri non debet per Principes, aut alios Dominos temporales, antequam per Episcopum loci, vel aliam personam Ecclesiasticam, qua super hoc habeat potestatem, sententia super eodem crimine fuerit promulgata.* Itaque labentibus annis fuit visum statuere, & revocare decretum *capitis Vergentis*, ad vitanda aliqua incommoda, quæ passim in hoc negotio inter utrumque judicem oriebantur: & quia de jure ad eosdé judices pœnarum executiones spectant, ad quos cognitio criminum spectat. Vide pro executione dictorum Canonum in nostro Sacro Tribunali hæreticorum bona ante latam sententiam sequestrantur, ut præscribitur in instructione Toletana Ferdinandi de Valdes *anno 1571. num. 8.* ubi sic habetur: [El Escrivano de Secrestos asiente por menudo, y con las mas particularidades que pueda, todas las cosas del dicho Secresto, para que quando se entrare en los bienes por el Receptor, ò Secresto, se pueda tomar cuenta dellos cierta, y verdadera, poniendo en la cabeça el dia, mes, año: y el Secrestador, ò Secrestadores lo firmen al pie del Secresto juntamente con el Alguazil, poniendo testigos: y haziendo el Secrestador obligacion bastante.]

4. Suppono tertiò, ex consuetudine, vel privilegio Apostolico posse aliquos Reges fisco suo applicare bona hæreticorum confiscata, & sic testatur observari in Gallia Gulielmus de Benedictis *in repet. cap. Raynutius, versicul. & uxorem, numero 242. de testament.* Et Ioan. Imbertus in instit. Galliæ *lib. 3. c. 6. lit. B, fol. mihi 662.* & in Hispania idem testatur Covarru. *lib. 2. var. cap. 9. num. 2.* & Salzedus *in Practic. Bernard. Diaz cap. 114. littera F. fol. mihi 458.* quibus adde Sanctarellum *tract. de hæres. cap. 33. dub. 1. num. 3.* & alij quos plena manu adducit Farinacius de hæresi *quæst. 190. §. 12. num. 188.* Et ideo in sententiis nostri Tribunalis,

supra lege de Reg. 12

Tribunalis, ut patet apud ordinem procedendi Pauli de Garzia *fol.* 54. apponuntur hæc verba: [Y declaramos sus bienes muebles, y raizes, y semovientes ser confiscados, y pertenecer à la Camara, y Fisco de su Magestad: y por està nuestra sentencia se los aplicamos, y a su Receptor en su nombre *et fol.* 67 *col.* 2. y declaramos todos sus bienes ser confiscados à la Camara, y Fisco de su Magestad, y si es necessario se los aplicamos, y a su Receptor en su nombre desde el dia, y tiempo que cometio los dichos delitos, cuya declaracion en nos reservamos.]

5. His suppositis, ad quæsitum negativè respondeo. Probatur nostra sententia, quia confiscatio bonorum est pœna præscripta à Sacris Canonibus, ut imponatur necessariò crimini hæresis. Ergo Principes Laici circa dictam pœnam nihil possunt sancire, & contractus inire ex defectu jurisdictionis: nam statuerent contra Sacros Canones, & contra delictum prorsus spirituale, quod ad ipsos nullo modo potest pertinere. Quæ omnia patent ex supposito primo, & secundo ubi supra.

6. Dices hanc confiscationem bonorum, ut in supposito tertio probavimus, pertinere ad ipsos Principes.

7. Respondeo, ad ipsos pertinere finito judicio, & post latam sententiam ex benignitate Sedis Apostolicæ, vel ad recompensandum expensas pro manutentione Sacri Tribunalis: ergo ante latam sententiam, ipsi nihil possunt de dictis bonis confiscatis statuere: nam ut dictum est, statuerent contrarium, quod præscribunt Canones in medicinam, & præventionem hæresis, & ad hæreticos deterrendos; & ut frænum eis imponant, ne in hæresim timore confiscationis bonorum incidant, juxta illud; *Oderunt peccare mali formidine pœnæ*, & ex *l.* 1. *C. ad leg. Iul. & c. Irrefragabili*, §. *Caterum*, ubi Glossa verb. *pœna de offic. Ordinary.* Et ideo Innocent. IV. *in c. excommunicamus*, §. *damnati de Hæreticis*, & in aliis juribus Alexander IV. Clemens IV. & Eugenius IV. in eorum Constitutionibus ad diversas Inquisitiones directis statuunt, ut bona hæreticorum statim remaneant confiscata penes Inquisitores. Et tamen in casu nostro si Princeps laicus efficeret contractum, quod nullo pacto confiscata, nec etiam inventariata esse possint, utique sic tolleretur jurisdictio largita, & præscripta Inquisitoribus à Sacris Canonibus, & Summis Pontificibus, adhuc per tot annos possessa, & practicata à Tribunalibus Sancti Officij. Quid tibi videtur Amice Lector? Canones, Pontifices, & praxis Sancti Officij circa delictum hæresis unum determinarent, & Princeps laicus aliud in contrarium statueret.

8. Itaque dicendum est, quod Principibus bona hæreticorum per confiscationem post latam sententiam quæsita sunt, ut ex communi sententia observat Ricciullus *de jure personarum lib.* 5. *cap.* 14. *num.* 3. ergo nihil possunt statuere, ordinare, vel disponere circa dicta bona ante latam sententiam declaratoriam confiscationis, quia hoc esset disponere de re spirituali, & contra id, quod determinatum est à sacris Canonibus, & tot Summis Pontificibus. Et consuetudo, vel concessio Apostolica præbet quidem Principibus jus percipiendi bona confiscata hæreticorum post latam sententiam, sed non præbet illis jus, ut possint ante latam sententiam cum suis Diplomatibus pervertere ordinationes Sacrorum Canonum, & stylum Sancti Officij circa modum procedendi, & condemnandi hæreticos, ut à Summis Pontificibus præscriptum, & confirmatum est. Quæ omnia confirmantur ex his quæ addunt Farinac. *de hæres. q.* 90. §. 12. *n.* 173. & alij penes ipsum.

9. Vnde ex his omnibus Calderinus *de hæreticis cap.* 18. *num.* 4. dixit: *Quod judex secularis se non intromittit ante sententiam Ecclesiastici Iudicis super bonorum confiscatione.* Et Sousa, *ubi infra num.* ... *Bona ait quorumcumque hæreticorum, quæ Fisco seculari applicantur, non pertinent ad illum, & ad dispositionem Principum secularium, nisi post latam sententiam, & antequam sententia proferatur, non valet secularis potestas de illis disponere, nec circa illam quidquam ordinare. Et optimè firmat Carena in Annotationibus ad Guidum Falcodium*, quæst. 15. n. 12. *Principem secularem non posse se ingerere in bonis Hæreticorum, nisi post sententiam Inquisitorum.*

10. Meritò itaque ex superius dictis, in terminis, ut dici solet, te minantibus, contra Consilium citati Iurisconsulti Castro-boni pro resolutione nostri quæsiti sic doctè, & solidè effatur Anton. Sousa Dominican. & natione Lusitanus, Tribun. S. Inquisitionis Consiliarius *in Aphor. lib.* 3. *c.* 20. *n.* 10. *Ante latam contra hæreticos sententiam, maximè ante eorum apprehensionem, non licet Principibus secularibus remittere alicui statui, & qualitati personarum bona confiscanda propter hæresim, etiam pro eo tempore quo adjudicanda sunt Fisco; Quia confiscatio est ordinata ab Ecclesia, & in pœnam delicti, & in medicinam & præventionem.* Pen. ad 3. part. direct. q. 95. comm. 144. *vers.* hujusmodi autem. *Nam hæresis plerumque à divitiarum cupiditate procedit; Apostolus* 2. ad Timoth. 6. *Castro* lib. 2. de Iusta hæreticorum punitione cap. 5. *Et quia hæretici maximè sunt affecti divitiis, sicut diximus suprà, per earum ablationem magis deterrentur. Sunt etiam hæretici cæteris sceleratis pejores, & sic per divitiarum possessionem plurimum nocent; Simanch. Cathol.* tit. 9. n. 1. & 2. *Si igitur sint certi per liberalem Principum concessionem aut ex vi alicujus pacti, quod quamvis in hæresim prolabantur, non amittent bona sua, audaciores efficientur, facilius hæresim amplectentur, & in ea quam habent persistent impudenter. Quod proculdubio est hæreticis favorem præstare.* Huc usque Sousa. Rectè itaque ex his omnibus concludendum est, quod Principes sæculares si forsitan in eorum Statutis, & Contractibus disponerent super confiscatione bonorum hæreticorum, & super illorum applicatione in præjudicium Ecclesiæ, & Sancti Officij, eorum utique statura, & Conventiones non solum non valerent; sed etiam puniri possent, tanquam impedientes Sanctum Inquisitionis Officium; ex text. *in cap. Satutum el* 1. *de hæreticis in* 6. & ibi Glossa, & communiter Doctores, & speciatim ex Pena, & Parisio docet Farinacius *quæst.* 90. §. 12. *num.* 174.

11. Restat modo respondere ad argumentum Castro-boni superius adducti, quod hæc bona pertinent ad Regem: ergo potest de illis disponere, ut vult, maxime quando efficeretur pro bono publico Regni. Respondeo ex dictis, Reges post latam sententiam posse de dictis bonis disponere; quia tunc Pontifices & jus Canonicum præbet eis talem facultatem, quod tamen antea non permittit, imo negat, ut patet ex superius dictis. Non obstat bonum publicum: nam utilitas publica minimè potest conferre jurisdictionem non habenti: & in casu de quo loquimur debet publicum bonum temporale cedere bono publico spirituali, ex consideratione adducta à Sousa, in verbis citatis. Vnde ab hac sententia prorsus non esse recedendum, nec de illa amplius dubitandum patet ex Brevi Sanctissimi Domini nostri Innocentij X. edito anno 1651.

12. Ivstar adhuc Castro-bonus, & asserit, quod relaxatio bonorum confiscatorum licita est, & efficitur in Italia, vt patet. Ergo, &c.

13. Respondeo in Italia bona confiscata condonari post latam sententiam ab Inquisitoribus, & à Pontifice habentibus jurisdictionem, & ex eorum benigni-

rate, & tuta Indulgentia. In contractu vero de quo loquimur efficitur à laicis jurisdictione carentibus & ante sententiam, & hoc ex justa ratione Contractus onerosi initi inter Principem Laicum, & illos homines ut fatetur ipsemet Castrobonus: ergo unus casus distat ab altero quantum distat ortus ab Occidente: nam in uno casu observantur ea, quæ Canones statuerunt circa hæreticos, & quod observat Praxis Sanctæ inquisitionis: In alio casu contrarium efficitur. Deinde in Italia remittuntur hæreticis bona confiscata tantùm in quibusdam casibus, ut patet etiam in nostra instructione compilata à Priore Sanctæ Crucis Hispali *anno* 1484. §.4. & apud Zanchinum *de hæresi cap.*25. Parisium *cons.* 2. *num.*184. *lib.*4. Rolandum à Valle *cons.*92. *n.*24. *lib.*3. & alios quos adducit Farinacius, *q.*190. §.12. *n.*133. & 135. & Castrus Palaus *tom.*1. *tract.*4. *disp.*3. *punct.*24. *n.*2. & 3. Sed in Contractu de quo est quæstio, ut suppono, absolutè disponitur: *ut bona illorum, qui carcerati, vel damnati in posterum essent ab Inquisitoribus propter hæresis, Apostasiæ, seu Iudaismi crimen nullo modo confiscata, etiam inventariata esse possint.* Adde quod si ex aliqua causa facienda esset relaxatio, seu transactio circa bona Hæreticorum confiscata, adhuc spectaret, & esset facienda ab Inquisitoribus, & non à laicis, ut perperam in casu de quo loquimur, efficitur.

14. Vnde quid quæso diceret Conradus, Brunus qui *lib.*5. *de hæreticis capit.*6. *num.*9. negavit non posse ea benignitate, & misericordia remitti bona confiscata Hæreticis *ex capit. Cum secundum leges de hæreticis in* 6. in quo pœna confiscationis delicto annexa est: Ergo semel commisso delicto, pœna hæc excusari non potest. Quid inquam diceret Brunus de Diplomate Lusitano? in quo non Iudex Ecclesiasticus, sed laicus absolutè, & universaliter remittit bona confiscata hæreticis, & hoc ante latam sententiam, non obstantibus Sacris Canonibus, & Constitutionibus Pontificiis in contrarium, & praxi S. Officij.

15. Et tandem Castro-bonus ubi supra *quæst.* 3. asserit. Pontificem non habere potestatem directam in temporalibus, sed tantùm indirectam in ordine ad bonum spirituale: Ergo non posset de potestate absoluta annullare, invalidare contractum de quo agimus; quia non solum non est contrarius bono spirituali animarum, nec in damnum, aut præjudicium Ecclesiæ, sed potius in maximum commodum, ac evidentem Religionis Catholicæ utilitatem; quippe quod ipso occurrebatur invasionibus, & hostilitatibus hæreticorum, ac, quantum humanitus possibile erat, ipsorum damna contra Catholicos impediebantur. Respondeo, quod ad idem iterum revertimur, eadem crambe sæpius recocta, & repetita. Itaque jam supra satis ostensum est talem contractum non posse justificari ex bono publico, ut asseratur ex ipso provenire: nam etiam hoc supposito, laici non possunt aliquid determinare circa ea quæ Sacri Canones statuerunt quoad pœnam, & ordinem procedendi contra hæreticos. Non est igitur bona consequentia: Bonum, & necessitas publica hoc postulat: ergo licitè efficitur, per ea quæ ex multis probavi *in part.* 6. *tract.* 3. *resol.*8. Et quia Castro-bonus pro iustificatione dicti statuti, seu Contractus, ut diximus, semper recurrit ad rationem, quod initus fuit propter bonum publicum, & publicam necessitatem. Non deseram hic adducere exemplum satis appositum pro casu nostro, & adductum à Vito doctissimo Ferdinando del Castillo Ordinis Prædicatorum in Histor. D. Dominici *par.*1. *lib.*3. *cap.*41. ubi sic ait,

Quæ nuuc est in tom. 9. tr. 3. Res. 16. & in aliis §§. ejus annot.

nam codicem Hispanum non habeo. [Procedevano i negotij della Inquisitione molto vivamente: e l'esequutione della Giustitia si faceva, come conveniva à quel Tribunale, senza accettatione di persone, e senza rispetto alcuno, imperò non mancando mai tra gli huomini certe compassioni indiscrete, alcuni fecero impresa di ottener da quei Rè una certa sorte di perdono, ò gratia à favore di certi heretici judaizanti. E havendo preso per occasione la necessità grande, che occorreva di far denari nella Casa Regale, servendosene offersero una gran somma di pecunia per le spese della guerra. E doveva il negotio esser già molto inanzi, quando venne à notitia de Priore di Santa Croce, il qual le preso un Crocifisso, e portandolo seco sotto la cappa, se n'andò à Palazzo, e trovando il Rè, e la Regina, che stavano insieme di compagnia, caccio fuora quella santa Imagine, e disse; Signori io porto qui meco Giesù Christo, che da Guida fu già venduto per trenta danari, e per danari lo dette in mano de' suoi nenemici. Hora se pare alle Vostre Altezze di venderlo à maggior prezzo, e di nuovo consegnarlo in preda à i medesimi, io me ne sgravo sopra di loro, si che ne habbiano render conto quei proprij, che faranno tal vendita. Hora ad un petto tale e così Christiano non bisognava altro rincontro, che quello di quei Rè invitissimi, i quali senza altro deliberatono che non se ne parlasse mai più; mà che il Sancto Officio procedesse come haveva cominciato, senza ammetter già mai né preghi, ne compositione d'alcuna sorte.] Huc usque del Castillo, ex cujus verbis patet quam magna fuerit pietas, & Religio nostrorum Regum Ferdinandi, & Isabellæ, & reverentia erga Tribunal Sanctæ Inquisitionis, & ejus supremum Ministrum, nam illico ab ipso edocti destiterunt. Itaque omnes relaxationes, compositiones, & gratiæ Principum sæcularium circa delictum hæresis sunt reprobandæ ex quocumque fine boni publici factæ fuerint. Et ideo dicendum est absolutè in casu nostro, posse Summum Pontificem annullare, & invalidare dictum Diploma, seu contractum, utpote initum contra Canones, Constitutiones Pontificias, & stylum Inquisitionis; ex quo statim bona hæreticorum sub Inventario reducenda sunt, & tamen contractus de quo loquimur hoc vetat, & sic pervertit ordinem, & modum judiciarium, usque adhuc in Sancto Officio inviolabiliter observatum, & fundatum in Sacris Canonibus, & Constitutionibus Pontificiis; nam qui vult finem, vult etiam media ad ipsum finem: Ergo si Canones volunt bona hæreticorum in pœnam confiscanda esse, necessariò illa sequestrari, & inventariari velle dicendum erit. Nec de superius dictis dubitari amplius potest. Stante Diplomate felicis memoriæ Innocentij X. superius adducto. Et hæc dicta sufficiant circa præsentem quæstionem, quam scripsi, ut minimus minister S. Tribunalis, supremo eius moderatore in Regnis Hispaniarum Illustrissimo, & Reverendissimo D.D. Didaco Arce Reynosa viro incomparabili, nobilitate conspicuo, pietate eximio, prudentia admirando, ac omnigena literatura celeberrimo Domino meo amantissimo.

In indice primo hujus Tom. 5. *lege Appendicem ad hunc Tract.* 10. *ubi reperies alias paucas quæst. mistas, & dispersas per alios Tom. Tract. & Res. quæ simul pertinent ad hunc Tract.* 10. *de Potestate DD. Inquisitorum.*

TRACT.

TRACTATVS VNDECIMVS, DE TORTVRA IN SANCTO OFFICIO SVSPECTIS VEHEMENTER de hæresi inferenda.

PROLOGVS.

MATERIAM satis amplam explanare aggredior, quam fusè pertractarunt docti Iurisconsulti : ego autem, more meo, resolutoriè breviter & clarè tantùm quæstiones attingam, quæ ad praxim maximè spectant, illas determinando, non solùm ex mente supradictorum, sed, quod apud me plus ponderis est, ex doctrina Pegnæ, Simancæ, Rojas, Albertini, Canteræ, aliorumque Doctorum nostri sacri Tribunalis, & ideo in primis quæro.

RESOLVTIO PRIMA.

An Inquisitores debeant esse proniores ad torquendos reos?

Et an non sit deveniendum ad purgationem Canonicam, si adsint indicia ad torturam, sed reus sit torquendus?

Et an quando delictum alia via probari possit, nullo modo adhibenda sit tortura? Ex part. 4. tract. 6. Resol. etiam 1.

§.1. NEgativè videtur respondendum, per ea, quæ adducit Torreblanca *de Magia lib.3. cap.19. num.3. & seqq.*

2. Sed, pace viri docti, & de nostro Tribunali bene merentis, contrariam sententiam tenendam esse puto, quia crimen hæresis est occultum, & difficilis probationis ; ergo ad torturam judex debet esse promptior, & ita hanc sententiam docet Seraphinus Freitas *in addit. ad tract. de Confess. solicit. quæst.4. n.29.* Delrius *in disquis. magic. append. 2. lib.5. quæst.22.* & istarum materiarum Magister Ioan. Rojas *de hæreticis, part.2. num.295. & 296.* ubi sic ait. Quamvis Vlpianus egregie affirmet *in l.1. §. quæstioni, ff. de quæstionibus*, hoc verborum tenore, *Quæstioni fides non semper habenda est, res enim fragilis & periculosa est, & veritatem plerumque fallit*, sunt enim aliqui timidi, qui potius mentiri, quàm tormenta pati velint, & falsa pro veris proferre. In crimine tamen hæreseos judices ad torturam proniores esse oportet, & faciliùs ad quæstionem veniendum est, quia est crimen suapte natura occultum, & facultas probationis deesse solet. Ita ille, & ante illum doctissimus Simanca *in enchirid. cap. 52. numero 26. & in cathol. institut. titul.65. numero 51.* qui aliam addit rationem, quia confessio rei in nostro casu non solùm Reipublicæ, sed ipsimet hæretico plurimum est profutura.

3. Vnde ex his infertur quòd cùm DD. Inquisitores, ut determinatur *in instruct. Toletana anno 1561. n.46.47.48.* habeant tria remedia terminandi processum, quando reus non est plenè convictus, sed tantùm indiciatus, unum scilicet per purgationem, aliud per abjurationem, & tertium per torturam ; hoc extremum videtur accommodatius cæteris ad eruendam veritatem, cùm purgatio & abjuratio inventæ potiùs sint ad suspicionem & infamiam hæresis excludendam, quàm ad veritatem indagandam, ut docet & observat numquam satis laudatus Franciscus Pegna *in director. Inquis. part.3. comment.39.* Ex quo non est audiendus Eymericus *in d. direct. ubi supra n.51.* docens, quòd ad torturam deveniendum non sit, quando adsunt indicia sufficientia ad abjurationem ; sed nostra sententia clarè determinatur *in supradicta instruct. Tolet. loc. cit.* ergo, &c. Quoad hoc sup. in tr.10. lege doctr. Resol. 95.

4. Nota etiam ex his quòd licèt secundum dictam instructionem, & Barbosam *in collect. tom.2. lib.5. tit.34. cap.10. num.5.* purgatio canonica possit indici ab Inquisitoribus etiamsi adsint indicia ad torturam ; tamen rectiùs & meliùs asserit Genuensis *in praxi Archiepisc. cap. 32.* non esse deveniendum ad purgationem canonicam, si adsunt indicia ad torturam, sed reum esse torquendum, & cùm hic casus accidisset in curia Archiepiscopali Neapolitana, testatur Genuensis quòd major pars Doctorum Congregationis dictæ Curiæ inclinavit, quòd si adessent indicia sufficientia ad torturam, non indiceretur purgatio.

5. Notandum est tamen hîc, quòd quando delictum probari potest alia via, nullo modo est adhibenda tortura, nam hæc juxta communem sententiam est ultimum remedium in defectum testium. Ita Eymericus à Rosbach *in pract. crim. tit.5. cap.17. num.1.* Portel, *in dub. Regul. ver. tortura, n.4.* & alij communiter ; tortura enim est remedium quoddam subsidiarium : ergo non est deveniendum ad eam, nisi deficientibus aliis probandi modis, ut rectè observat Petrus Binsfeldius *in comment. de malef. leg.7. q12. concl.3.* Michaël Zanardus *in director. Theol. part.3. cap.88.* Sup. hoc lege doctr. Resol. annot. præter. ritæ, & inf. Resol.18.

Ambrosinus

Ambrosinus *de processu informativo*, *lib.4.cap.1.num.8.* Guazzinus *tom. 2. lib.1. defens. 30. cap.2. n.3.* & alij communiter.

RESOL. II.

Cum quibus indiciis debeant Inquisitores reos torquere?

Et infertur quod si reus torqueretur sine legitimis indiciis præcedentibus, & crimen confiteatur, confessio talis non est efficax ad condemnationem, nec confitenti præjudicat?

Et si post confessionem in tortura extortam sine legitimis indiciis, superveniat novum indicium confessionis extraiudicialis, per quam appareat reum esse hæreticum, an in tali casu valida sit confessio facta in tormento non præcedentibus indiciis?

Et an non præcedentibus indiciis legitimis, si Inquisitores habeant vehementem opinionem, contra reum quamvis extra processum, possunt eum verbaliter terrere, minando torturam, spoliando eum in loco torturæ, vel funi alligando, vel in altum elevando?

Et an si adsint pro fisco sufficientia indicia ad torturam, reus tamen torqueri non possit, si dicta indicia fuerint elisa per indicia inquisiti? Ex part. 4. tract. 6. Res. etiam 2.

§.1. MArtinus Antonius Delrius *in disquis. mag. appen.2. lib.5.quæst.22.* docet, quòd in causis fidei leviora indicia sufficiunt ad torturam; verùm leviora indicia vocat non secundum se & absolutè loquendo, sed quæ comparativè, seu relativè respectu eorum, quæ in criminibus non exceptis requiruntur, levia videantur, & idcirco comparatione istorum sunt leviora, quàm in his requisita, non verò quæ sunt leviora, seu minus sufficientia quam vis aut natura criminis requirat: quæ autem indicia leviora sufficiant, respondet esse legitima & sufficientia juxta criminis naturam, & in genere indiciorum ad torturam; sed quæ sint ista indicia sufficientia respondet, quòd nihil certum in his dici potest, ideò totum hoc negotium remittitur arbitrio DD. Inquisitorum. Itaque secundùm Delrium in crimine hæresis ad torquendum, leviora quàm in aliis criminibus sufficiunt indicia, quod videtur etiam docere Inquisitor Camillus Campegius *in addit. ad Zanchinum, tractat. de hæret. capite 9. littera E, in princ. ver. Rursus observa*, & Ludovicus Carrerius *in tractatu de hæretic. numero 116. in fine, & numero 126.* & alij.

2. Verùm Sanctarellus *de hæresi cap.41. dub.1. numero 1.* & Simanca *in enchirid. titul.52. num.5.* asserunt indicia pro tortura in crimine hæresis debere esse magna, & vehementer urgentia, ita ut sola confessio rei videatur deesse, ut patet ex *l.1. in princ. ff. de quæst.* ibi, *ita ut sola servorum confessio deesse videatur*, & ex *l. milites, §. oportet, & l. cùm cognitionaliter, C. eod. tit.* ut docet etiam Sousa *in aphorism. Inquisit. libro 2. cap.39. num.9.* Vide etiam Pegnam *in director. Inquisit. part.3. comment.110.* quænam verò sint talia indicia, docet Antonius Blancus *tract. de indiciis numero 10.* & Guazzinus *tom.2. lib.1. defens. 30. cap.4. num. 3.* Sed ego puto quòd in materia torturæ non potest dari certa Regula ad cognoscenda indicia sufficientia ad illam inferendam, sed totum hoc negotium remittendum est arbitrio DD. Inquisitorum, qui habita ratione qualitatis personæ, delicti, suspicionum, aliarumque circunstantiarum, judicabunt ea sufficientia, vel non, & ita docent communiter Doctores, quos ad satietatem adducit Petrus Caballus *in resolut. crimin. centur.3. cas.251. numero 14.* quibus ex nostris adde Rojas *de hæretic. part. 2. numero 291.* Sanchez *in opuscul. tom. 2. lib. 6. cap.3. dub. 15. numero 6.* Mirandam *in ordine judic. tom.2. quæst. 261. artic. 4. conclus. 6.* Sousam *in aphor. Inquis. lib.2. cap.39. num.6.* Pegnam *in direct. part.3. comment.110.* Guazzinum *tom.2. lib.1. defens.30. cap.4. num.10.* Simancam *in Cathol. institut. titul.65. num.22.*

3. Nota tamen quòd supradictum arbitrium, quod DD. Inquisitoribus concedo, non debet esse absolutum, sed limitatum, & secundùm juris dispositionem, ut ex communi docet Ambrosinus *de process. inform. lib.4. cap.1. num.15.* Guazzinus *tom.2. lib.1. defens.30. cap.4. num.4.* Baiardus *in addit. ad Iulium Clarum, quæst.64. num.56.* Ludovicus Peguera *in praxi cap.12. §.9. n.5.* & Zanardus *in director. Theol. part.3. cap.88.*

4. Vnde ex his infertur, quòd si reus torqueretur sine legitimis indiciis præcedentibus, & crimen confiteatur, confessio talis non est efficax ad condemnationem, nec confitenti præjudicat, & etiam si postea legitima indicia supervenirent, non tamen confessio ea tortura antecedenti indebitè extorta, valida redderetur, & legitimaretur, quia quod ab initio non valuit, ex post facto convalescere nequit, & ita docent Doctores, quos citat & sequitur Petrus Binsfeldius *in comment. de maleficiis & math. leg.7. quæst.2. conclus.2. fol. mihi 551.* Miranda *in ordin. judic. tom.2. quæst.26. artic.17. conclus.1.* & probatur ex *l.1. §. D. Severus, ff. de quæst.* Sed difficultas est, an si post confessionem in tortura extortam sine indiciis legitimis superveniat novum indicium confessionis extrajudicialis, per quam appareat reum hæreticum esse, an, inquam, in tali casu valida erit confessio facta in tormento, non præcedentibus indiciis? & affirmativam sententiam tenet Marsilius *in l. quæstionis n.63. d. quæst.* & Baiardus *in addit. ad Iulium Clarum q.55. n.40.* Verùm contrarium docet Antonius Quevedo *de Indiciis & tortura, part.2. cap.4. num.11.* qui citat Farinacium *q.83. cap.1. num.5.* quibus ego libenter adhæreo ex ratione paulo superiùs assignata.

5. Notandum est hîc, quòd etiam non præcedentibus indiciis legitimis, si Inquisitores habeant vehementem opinionem contra reum, quamvis extra processum, possunt eum verbaliter terrere, minando torturam, cùm hoc non sit torquere, nisi reus sit persona timida. Et ita docet Sousa *in aphorism. Inquisit. libro 2. capite 39. numero 4.* & Guazzinus *tom. 2. lib. 1. defens. 30. capit. 5 numero 3.* ubi etiam asserit, quòd quando adsunt indicia ad terrendum, vel leviter torquendum, posse judicem spoliare reum in loco torturæ, vel funi alligare, vel in altum elevare, & Franciscus Personalis *tract. de judic. num.78.* hoc exemplificat, quando judex haberet unicum testem non integrum, contra reum, vel duos singulares testes deponentes de indiciis remotis, tunc posset quidem judex reum ad locum torturæ conducere, spoliare, & à terra aliquantulum elevare, eumque elevatum, suspensúmque interrogare, & per aliquod notabile temporis spatium in tortura retinere: & hæc omnia præter Personalem, & Guazzinum docet etiam Tuschus *lit. T. conclus. 325. num.9.* Clarus *quæst. 64. num. 33.* & alij. Vnde Peregrinus *consil. 2. numero 104.* docuit unum indicium remotum sufficere ad torturam levem inferendam; sed tu cogita, nam hæc doctrina in nostro Tribunali non est in usu.

6. Et tandem nota, quòd licèt adsint pro fisco sufficientia indicia ad torturam, reus tamen torqueri non potest, si dicta indicia fuerùt elisa per indicia inquisiti. Ita

Ita Guazzinus *tom.2. lib.1.defens.30. cap.4. num.25.* & communis Doctorum opinio. Imo secundùm Grammaticum *vol.3. n.20.* Rolandum *lib.1. cons.7. num.38.* Riminaldum juniorem *lib.6. cons.740. n.37.* & Hondedeum *lib.2.cons.93.num.83.* unum indicium pro reo tollit indicia fisci, ut non possit torqueri; sed tu cogita, nam hæc doctrina ita absolutè prolata mihi non placet, sicut etiam mihi non placet alia doctrina Bajardi *in addit. ad Iul. Clar. quæst.64. num.98.* & Ioan. Antonij de Nigris super *cap.Regni,cap. frequens,n.34.* asserentium, esse in arbitrio judicis, super quale indicium reus debet torqueri. Sed dicendum est reum non posse super quolibet indicio torqueri, sed cumulatis omnibus indiciis torturæ subjiciendus erit. Cavalcanus *de brachio Regio, part.3. n.134.* Grammaticus *cons.45. num.34.* Guazzinus *in defens. reor. tom.2. libr1. defens.36. cap.25. n.1.* Bertazzolus *volum.1. consil.144. num.10.*

RESOL. III.

An dicta indicia debeant saltem per duos testes esse probata, ut possint Inquisitores reos torquere?

Et quid si dicti duo testes non sint idonei, ut familiares infames, &c. dummodo sint contesles? Ex part. 4. tract. 6. Resl. etiam 3.

§.1. Affirmativè respondeo cum Pegna *in direct. part.3. comment.110. n.289.* Rojas *de hæret. part.2. n.289.* Sousa *in apher. Inquis. lib.2. append.25. n.34.* Eymerico à Rosbach *in pract. crim. tit.5.cap.17. n.7.* Cantera *in qq. crim. cap.2.de probat.per testes, q.1. n.24.* Delrio *in disqu.s.mag.lib 5.sect.3.* Locato *in praxi Inquisit. quæst.33.* Simanca *in enchir. cap.52. num.6.* Suarez de Paz *in praxi tom.1.part.5. cap.3. §.12.n.41.* Miranda *in ordin. judiciario, tom.2. q.26. art.4. concl.3.* Bernard. *in addit. ad Ambrosinum de process. inform. lib.4. cap 1. n.16.* Cabello *in resol.crimin.cent.2.cas.193. n.1.* Bruno *tract. de indic. par.1. q.1. num.7.* Guazzino *tom.2. lib.1. defens.30. cap.31 n.1.* Farinacio *q.37.n.14.* ubi *num.16.* probat, quòd hæc opinio est ita vera, ut unus testis non probet indicium remotum, etiam quòd sit omni exceptione major, quod etiam confirmat Mascardus *de probat. lib.1. concl.462. n.18. & 19.* Vide etiam Iulium Clarum *in praxi lib.5.§. final.q.22. n.2.* ubi concordat duas glossas, nempe glossam *in l. fin. ver. vel judiciis, C. fam. herisc.* asserentem indicia ad torturam per duos testes probanda esse, & glossam *in l. si quis,ver.convictus, C.ad leg. Iul. majest.* ubi videtur velle, quòd per unum testem reus dicatur convictus, saltem semiplenè, concordat, inquam, Clarus has glossas hoc modo, quòd aut adest unus testis de veritate deponens de ipsomet delicto, puta quia audivit,Sempronium blasphemantem,& tunc talis testis facit indicium ad torturam, ut *infrà* videbimus, & ita procedit glossa *in d.l.si quis,* aut verò testis deponit non de visu ipsius maleficij, sed de aliquo actu vel remoto, vel proximo ipsi maleficio, & tunc talis testis non facit indicium ad torturam, sed requiruntur duo testes ad ipsum indicium probandum, & ita procedit glossa *in l. finali.* Ita Clarus, & ego, & hanc distinctionem esse Canonizatam in judiciis,& in scholis, tradit Alciatus *cons.445.n.1.*

2. Nota tamen quòd supradicta doctrina, nempè quòd indicia ad torturam debent esse probata per duos testes,procedit etiamsi testes non sint idonei, ut familiares, infames, &c. dummodo sint contestes. Ita Rojas *de hæret. ubi suprà par.2. n.289.* Roland.à Valle *lib.1. cons.24. num.25.* Bertazolus *vol.2. cons.341. numero 10.* Brunus *tract. de indic. & tortura, part.1. q.2. num.7.* & DD. adducti per Hondedeum *cons.87. numero 137.vol.1.* & Hyppolytus de Marsiliis *in pract. crim.§.diligenter,num.8.* ubi sic ait: Quando requiruntur testes ad probandum indicium remotum à maleficio, non requiritur quòd sint omni exceptione majores,& in tali casu admittuntur etiam infames. Ita ille, licet Menochius *de præs.lib.1.q.91. n.5.* Suarez de Paz *in praxi tom.1. part.5. cap.3. §.12. n.41.* Gomez *tom.3. var. cap.13.n.18.* Farinacius *quæst.37.num.28.* Miranda *in ordine jud. tom.2. quæst.26. art.4. conclus.3.* Michaël Zanardus *in direct. Theolog. part.3. cap.98. fol. mihi 487.* Mascardus *volum.1. conclus. 895. num.3.* Gratus *vol.2. consil.59. num.34.* contrarium mordicus teneant; sed nostram sententiam præter Doctores citatos tenet etiam ex Regnicolis, Antonius de Ballis *in in tract. var. lib.1.q.5.n.15. & 16.* qui citat Socinum, Baldum, Cravettam, & respondet ad argumenta Farinacij, nec aliter sentiendum esse puto, quia ex testificatione ipsius delicti potest dari tortura; non est ergo mirum si testis unicus, qui de illo deponit,necesse est ut sit omni exceptione major: at ex indiciis remotis quis non potest torqueri ex uno tantùm indicio, sed saltem ex duobus, unde erunt quatuor testes; non est ergo, mirum, si non requiruntur omni exceptione majores, & ideo quærendum est in sequenti resolutione.

RESOL. IV.

An si adsit tantum unicum indicium probatum tamen per duos testes, possint Inquisitores torquere reum? Ex p.4. tract.6. Resl. etiam 4.

§.1. Ivlius Clarus *in pract. lib.5. quæst.64. n.14.* asserit quòd Doctores indistinctè dicunt, quòd de consuetudine in practica servatur, quòd per unum indicium proceditur ad torturam, & adducit plures auctores, quibus etiam videtur adhærere Petrus Caballus *in resol.crim. cent.2. cas.193. num 5.* & Doctores, quos citat Guazzinus *tom. 2. lib.1. defens. 30. cap.30. num.7.*

2. Verùm contrariam sententiam tuentur Doctores, quos citat & sequitur Farinacius *q.37. n.43.* quibus ego addo ex Doctoribus,qui materias S. Inquisitionis tractarunt Seraphinum Freitas *in addit. ad Maël. de Confes. solicit. q.4.n.25.* ubi ex Bartolo, Menochio, & aliis, docet unicum indicium non sufficere ad torquendum, & ita etiam docet Ludovic. Peguera *in praxi cap.12. §.9. n.8.* Vnde Miranda *de ordine judic. tom.2. q.26. art.4. concl.4.* & Guazzinus *tom.2. lib.1. defens.30. cap.4. n.12.* Iacobus Bossius *in tit. de indiciis n.71.* asseront quòd ad torturam inferendam saltem duo indicia probata debent esse, & Bertazolus *vol.1. cons.213. num.8.* Sanchez *in opusc. tom.2. lib.6. cap.3. d.b.15. n.11.* Sylvester *ver. judicium, q.2.* Tabiena *n.1.* Bajardus *in addit.ad Iul. Clar. q.64. n.60.* putant duo indicia etiam levia sufficere ad torturam, quod Delrius *in append.2. lib.5. q.2.* concedit, etiamsi in jure non sint expressa, dummodo sint per duos testes probata, & sint verisimilia; quod est valdè notandum à Dominis Inquisitoribus. Certum est igitur, ut dictum est, quòd ex unico indicio remoto, non possunt reos torquere: secus autem si sit proximum, & delictum maximè inferens, ut patet ex Carrerio *in pract. crim. leg. observare curabis, n.109.* Pegna *in direct. part.3. comm.110.* & Marsilio *in pract.§. diligenter, num.177.* Miranda *in ordine judic. tom. 2. q.26. art.6. concl.2.* & Peguera *in praxi cap.12. §.9. n.8.*

RESOL.

RESOL. V.

An si adsint plura indicia probata tamen per testes singulares, possint Inquisitores torturam adhibere? Ex p.4. tract. Resol. etiam 5.

§.1. NEgativè videtur respondendum, per ea, quæ adducit Rojas *de hæretic. part.2. num.*286. Simanca *in cathol. institit. tit.*65. *n.*14. & Pegna *in direct. part.*3. *comment.*110. asserentes quòd indicia, ex quibus reus torqueri potest, probata esse debent, & ex neotericis tenet, licèt cum formidine hanc sententiam Menochius *de probat. lib.*1. *q.*91. *n.*6. & illam absolutè tenet Antonius Gomez *tom.*3. *var. cap.*14 *n.*18. & Franciscus Personalis de Mirandula *in tract. de indiciis & tortura num.*63. *ver. nec obstat*, cum Socino & Grammatico penes ipsum.

2. Sed his non obstantibus ego puto, quòd licèt quodlibet indicium duobus testibus debeat probari, ut sit sufficiens ad torturam, ut *suprà* dictum est; attamen ubi plura essent indicia, licèt probarentur testibus singularibus, sufficerent ad torturam, & ita ex Fulgosio, Socino & Bruno docet Vmbertus Locatus post *praxim Inquis. quæst.*35. quibus etiam ex nostris ego addo Antonium Sousam *in aphor. Inquis. lib.*2. *cap.* 39. *num.*19. Seraphinum Freytam *in addit. ad tract. de Confess. solicit. quæst.*22. *num.*20. & Albertinum *de agnoscen. asser. cathol. quæst.*25. *num.*20. ubi sic ait. Licèt indicium ad torturam debeat per duos testes probari, tamen negari nequit, quin unus testis faciat aliquam præsumptionem, & ideo si plures testes sint singulariter de singulis indiciis deponentes, dicentur plures facere præsumptiones, quæ faciunt unum indicium ad torturam. Ita ille, & Layman *in Theol. moral. lib.*3. *sect.*5. *tract.*6. *cap.*4. *num.*7. Franciscus Brunus *tract. de judic. & tort. part.*1. *quæst.*2. *n.*5. Antonius de Ballis *var. tract. lib.*1. *quæst.*5. *num.* 1. *& ult.* & ego hanc sententiam mordicus teneo, quando testes singulariter de indiciis deponunt, observant Doctores, quos citat & sequitur Giurba *cons.*87. *n.*30. cui adde Guazzin. *tom.*2. *lib.*1. *defens.*30. *c.*4. *n.*13. Sousam *loco citato* loquentem de indiciis proximis, & Quevedo *lib. de indic. & tort. cap.*7. *num.*1. *&* 2. licèt doctus Criminalista Petrus Caballus cum multis Doctoribus probabiliter sentiat *in resolut. crimin. cent.*2. *cas.*193. *num.*6, etiam indicia remota esse sufficientia ad torturam, si probentur testibus singularibus minus idoneis, & repulsatis; dummodo sint plures numero duorum, quod etiam docet Bertazolus pater *vol.*1. *consil.*214. *num.*8. & ejus filius *in addit. lit. C.* Et tandem pro coronide hujus resolutionis apponam verba Antonij Sousæ *in aphor. loc. cit. n.*20. ubi sic ait. Indicia remota requirunt, ut probent ad torturam contestationem duorum testium, aut plures singulares, qui deponant de illis, quæ tendunt in eumdem finem. Ita ille. Vide etiam si circa præsentem quæstionem quando casus occurrerit, M. Anton. Delrium *in disquis. Mag. Appen.* 2. *lib.*5. *q.*10. *per totam*, & Guazzinum *tom.*2. *lib.*1. *defens.*30. *cap.*32.

Sup. hoc in Resol. quæ hic est antecedens.

RESOL. VI.

An ex dicto unius testis immediatè deponentis de delicto possint Inquisitores reum torquere?

Et quid maximè, si unicus testis sit omni exceptione major?

Et quid est faciendum, si reus sit bonæ famæ, vitaque integræ?

Et an si reus sit malæ famæ, possit ex unico teste de visu devenire ad torturam, etiam si dictus testis non sit omni exceptione major? Ex part. 4. tractat. 6. Resolut. etiam 6.

§.1. REspondeo affirmativè si testis unicus sit omni exceptione major. Ita Villadiego *in polit.* Sup. hoc Resol. 11. *cap.*3. *n.*367. Bernardinus *in addit. ad Ambrosinum de process. inform. lib.*4. *cap.*1. *n.*16. Rojas *de hæret. part.*2. *in direct. part.*3. *quæst.*61. & *ibi* Pegna *comment.* 110. Zanchinus *de hæret. cap.*9. & *ibi* Campegius *in addit. lit. E*, Cantera *in qq. crim. cap.*2. *de probat.* per testes *q.*1. *n.*5. Ludovicus Peguera *in praxi cap.*12. §.9. *n.*7. Suarez de Paz *in praxi tom.*1. *part.*5. *cap.*3. §.12. *n.*39. Filliucius *tom.*2. *tract.*40. *cap.*7. *n.*126. Miranda *in ordine iudic. tom.*2. *q.*26. *art.*6. *concl.*1. Sousa *in Aphor. Inquis. lib.*2. *cap.*39. *n.*17. & quis dicatur testis omni exceptione major, glossa *ver. majores cap.*1. *de affin. & consanguin.* dicit, quòd ille dicitur testis omni exceptione major, qui repelli non potest aliqua exceptione, idest, sine ulla prorsus macula, & invulnerabilis. Vnde Rolandus à Valle *vol.*3. *consil.*2. *n.*38. & Bursatus *lib.*1. *consil.*37. asserunt, quòd omnis macula & minimus defectus impedit testem ne probet indicium, quod etiam docet ex multis Maceratensis *var. resol. lib.*3. *resol.*44. *cas.*4.

2. Sed quid si reus sit bonæ famæ? Respondeo quòd tunc ad reum torquendum non sufficit unicus testis, etiamsi sit omni exceptione major. Ita Sanctarellus *de hæres. cap.*41. *dub.*1. *n* 1. Decianus *tom.*1. *lib.*5. *c.*36. *n.*6. Sanchez *in opusc. tom.*2. *lib.*6. *c.*3 *dub.*15. *n.*3. Sousa *in Aphor. Inquis. lib.*2. *c.*39. *n.*17. Pegna *in direct. Inquis. part.*3. *comment.* 110. Michaël Zanardus *in direct. Theolog. part.*3. *cap.*95. *fol.*513. Ioseph de Sancta Maria *in Tribunal. Relig. tract.*5. *cap.*2. §.5. & Simancas *in Enchir. tit.*54. *n.*13. ubi sic ait: Necessaria est saltem dimidiata, sive semiplena probatio ad torquendum hominem; reus ergo infamatus torqueri poterit unius hominis fide digni testimonio de crimine ipso testificante, quòd si reus sit bonæ famæ, alia præterea indicia necessaria sunt. Ita ille, & ideo S. Ludovicus Rex Galliæ, teste Soërio *decis.*103. *n.*2. & Aldrete *de disciplin. tuen. lib.*1. *cap.*17. *n.*11. statuit nullum virum honestum, vel integræ famæ, quamvis pauper existeret, ad unius testis depositionem posse torqueri, vide Grammaticum *consil.*47. *n.*18. Non desinam tamen hìc adnotare; contrarium docere Petrum Caballum *in resol. crimin. cent.*1. *cas.*84. *n.*15. ubi docet bonæ famæ probationem tollere indicium ad torturam provenientem ex fama, secus si ex aliis indiciis, aliàs vix posset unquam torqueri ex quibusvis urgentibus indiciis, cùm nullus sit tam depravatæ vitæ, qui non facilè hodiernis temporibus reperire posset testes ejus bonam famam probantes. Sed DD. Inquisitores facilè scire possunt, si revera reus sit bonæ famæ, vitæque integræ.

3. Vnde è contra dicendum est, ut ego sæpius in sacro Tribunali votatus sum, si reus sit malæ vitæ, posse ex unico teste de visu devenire ad torturam, etiam quòd dictus testis non sit omni exceptione major. Ita Bajardus *in addit. ad Iul. Clar. q.*21. *n.*15. & Carrerius *in praxi crimin. leg. observare curabit, n.*110. quibus adde Menochium *de præsumpt. lib.*1. *q.*89. *n.*6. & Farinacium *q.*37. *n.*65. qui hanc opinionem sequitur, dummodo testis non sit ipso jure inhabilis, vel non patiatur plures defectus, & dummodo inquisitus sit malæ vitæ, quia puta aliàs criminosus, & malæ famæ, non qui simpliciter vilis, vel pauper sit. Ita ille, & ego.

Sup. hoc in Resol. 11. Nota ad med. quo cit. sup. in n. Ref. ut. Dico ad fin. versic. & in tum. ad. 2. Sup. hoc in Resol. 74. fin. & vers. Dico. tio. & in n. quas & in pra. hujus

RESOL.

RESOL. VII.

An ex solo dicto socy criminis possit reus ab Inquisitoribus torqueri?

Et difficultas est, quænam sint adminicula, ut cum dicto socy criminis fiant contra nominatum indicium ad torturam?

Et an depositio duorum sociorum criminis sufficiat ad torturam?

Et difficultas est, an duo socy criminis non contestes, sed singulares faciant indicium ad torturam?

Et an dictum socy criminis tunc faciat indicium contra nominatum, quando fuit interrogatus à judice, sed non quando declarationem illam voluntariè fecit?

Et alia tres quæstiones circa dictum socy criminis notantur. Ex p.4. tr.6. Res. etiam 7.

§.1. AFfirmativè videtur respondendum, tam de consuetudine, teste Petro Caballo *centur.1. cas.84. num.7.* quàm per ea, quæ adducit Antonius Gomez *var. resol. tom.3. cap. 12. n.18.* & Blanchus *in tract. de indiciis ad l. fin. de quæst. n.378.* & 379. Scotus *cons.10. num.28.* & 31. *lib.2.* Plaça *de delictis, cap.13. num.28.* Guido de Susaria *tract. de indiciis, num.24.* Butrius, Imola, Abbas *in cap.1. de confess.* & Lessius *lib.2. cap.30. dub.5. n.29.* ubi sic ait: In criminibus exceptis admittitur socius criminis, ut testis idoneus, ut in hæresi, atque hujusmodi depositio non solùm erit sufficiens indicium ad torturam, sed etiam erit semiplena probatio, & accedente alio socio, qui idem deponat, erit plena probatio & poterit reus condemnari. Ita ille; & post illum Pitigianus *in pract. crimin. part.2. cap.1. § septimò socius criminis, fol. mihi 138.*

2. Sed fallitur, & ideo vera responsio est negativa. Dico igitur quod si cum dicto socij criminis non concurrit alia præsumptio, vel adminiculum, aut indicium, non facit indicium ad torturam; & ratio est clara, quia quis non potest torqueri, si non adsit saltem semiplena probatio, quam efficit dictum unius testis omni exceptione majoris, sed socius criminis, ut patet, non est testis omni exceptione major, ergo, &c. & ita hanc sententiam docet Didacus Cantera *in quæst. crim. c.2. de probat. per testes q.1. num.52.* Ioseph Aldrete *de disciplt. tuenda lib.1. cap.8 n.27.* Becanus *in sum. tom.3. part.2. de just. & jure q.67.* D. Thom. *de injustitia judicis q.10. concl.2. n.10.* Sanchez *in opusc. tom.2. lib.6. cap.3. dub.15. n.7.* Sylvester *ver. indicium, n.5.* Armilla *n.6.* Angelus *n.5.* Tabiena *n.4.* Layman *in Theol. moral. lib.3. sect.5. tract.6. cap.5. n.7.* Sousa *in Aphor. Inquis. lib.2. cap.39. n.51.* Delrius *in disquis. magic. append.2. lib.5. quæst.1.* Quevedo *de indic. & tort. part.2. cap.5. num.16.* Narbona *in recop. part.2. leg.2. glossa 4. n.5.* Ioseph de Sancta Maria *in tribun. Relig. tract.5. cap.2. §.5.* Bossius *tit. de indic. ante torturam, n.160.* Marsilius *consil.28. n.27.*

3. Sed difficultas est, quænam sint adminicula requisita, ut cum dicto socij criminis faciat contra nominatum indicium ad torturam? Menochius *de arbitr. lib.2. cas.474. n.47.* Peguera *decis. crim.5. num.33.* & alij putant, ex quo non inveniatur in lege determinatum, qualia esse debeant supradicta indicia, arbitrio Inquisitorum remittenda esse; sed quia in facti contingentia adest scrupulus ad arbitranda hæc adminicula, ponam hîc casus aliquos, quos affert Antonius Quevedo *lib. de indic. & tort. part.2. cap.5 n.5.* & doctiss. Sousa *in Aphor. Inquis. lib.2. cap.25. num.24.* in quibus cum socij criminis testimonio datur tortura. Primus, quando simul concurrunt testes de auditu. Secundus, quando concurrit fama. Tertius, quando concurrit fuga. Quartus specialis & stricta amicitia nominati cum tali socio. Quintus, si concurrit secreta allocutio, & conversatio inter nominatum & socium. Ita Sousa, qui citat Menochium & Farinacium. Vnde ego olim in sacro Tribunali consului dictum unius socij criminis cum adminiculo conversationis strictæ cum nominato, esse sufficiens indicium ad torturam, & præter Sousam & Farinacium *ubi suprà*, adduxi Grammaticum *vol.6. num.3.* & Antonium de Ballis *var. tr. lib.1. q.26. n.9.* per ea, quæ observat Binsfeldius *in comment. de malef. & math. leg.9. de judic. §.5.*

4. Notandum est tamen hîc, quod depositio duorum sociorum criminis sufficit ad torturam Ita Castrus Palaus *tom 1. tract.4. disp.8. punct. 15. §.4. num.1.* cui ego addo Martinum Becanum *in 2.2. de justit. quæst.75. de injust. jud. quæst.10. n.10.* licèt Michaël Zanardus *in direct. Theolog. part.3. cap.94. fol. mihi 516.* asserat duos socios criminis facere indicium ad torturam, dummodo cum aliquibus indiciis deponant; sed absolutè dicendum est, depositionem duorum sociorum criminis sufficere, & ita etiam docet Pegna *in direct. Inquisit. part.3. comment.110. in append.* Menochius *de præsumpt. lib.1. quæst.91. num.5.* Clarus *in pract. crimin. §. fin. quæst.21.* Ioseph. Aldrete *de disciplt. tuenda lib.2. cap.8. num.27.* Filliucius *tom.2. tract.40. cap.7. num.37.* Becanus *ubi suprà*, & Quevedo *de indic. c.2. num.20.*

5 Sed difficultas est, an duo socij criminis non contestes; sed singulares faciant indicium ad torturam; & affirmativam sententiam docet Sousa *in aphor. Inquis. lib.2. cap.39. n.55.* ubi sic ait. Duo socij criminis, etiamsi sint singulares, indicium faciunt ad torturam. Ita ille, qui citat Farinacium *q.43. n.37.* & 38. & Iul. Clarum *in praxi §. fin. quæst.21.*

6. Notandum est tamen hîc obiter primò, quòd Mascardus vir quidem doctus *de probat. conclus.1318. num.43.* docet quòd dictum socij criminis tunc facit indicium contra nominatum, quando fuit interrogatus à judice, sed non quando declarationem illam voluntariè fecit. Sed ex Farinacio Antonius Quevedo *de indiciis part.2. cap.5. num.17.* asserit: [Esta opinion no es verdadera porque haze mas indicio, y tiene menos presunçion de sugestion, quando se haze voluntariamente que quando se haze por la pregunta, del Iuez.] Ita ille. Verùm quicquid sit de hoc, etiam stando in opinione Mascardi, dictum socij in nostro sacro Tribunali semper habetur ex interrogatorio judicis, & quando reus non vocatus, se declarat, ex obligatione edicti, & ex metu censurarum, hoc efficere dicendum est: ergo doctrina Mascardi non militat in casu nostro. Sup. contra in hoc §. inf. in Res. 9. §. ult.

7. Notandum secundò, quòd si qui tortus fuerit, est negativus ex dicto socij criminis adminiculo, si postea alij duo socij criminis contra illum deponant de tali delicto, potest reus iterum torqueri. Ita Marius Giurba *in consiliis criminalibus, cons.50. num.42.* cum Muscatello tenens hanc sententiam, sive reus sit malæ, vel bonæ famæ, & vitæ, licèt alij in homine bonæ famæ & vitæ id procedere negent.

8. Notandum tertiò, quòd tunc dictum socij criminis faciat indicium ad torturam, quando, ut dicitur *in cap. in fidei favorem, de hæret. in 6.* ex verisimilibus conjecturis, & numero testium, vel ex qualitate deponentium præsumitur falsum non dicere: & ita etiam observat Delrius *in disquis. mag. in append.2. lib.5. q.1. concl. ult.* Hippolytus de Marsiliis *cons. 74. n.13.* & alij communiter *ubi infrà* citandi.

9. Et tandem nota quartò, quod licèt sine ulla difficultate quis possit torqueri ex dicto trium sociorum criminis, tamen hoc limitandum est, quando sit tanta vis bonæ famæ propter magnam personarum inæqualitatem, ut v. g. ait Delrius *in disquis. mag. in appen. 2. lib.5. quæst.6.* si Princeps denuntiaretur à

suis subditis, tunc enim tot denunciationes requirerentur, quòt possint præponderare, & idem ego sentio de aliquo qui in civitate publicè apud sæculares haberetur pro Religioso eximiæ sanctitatis, plurimi enim facienda vitæ præcedentis merita, ut patet ex *l.3. §.5.sed si ex improviso, & l.non omnes, §. à barbaris, ff. de re milit.*

RESOL. VIII

An depositio socij criminis adminiculata, sufficiat ad torquendum, si Inquisitores videant ipsum pati alios defectus, ut qui est infamis, criminosus, perjurus, vilis, abjectus aut alias inhabilis?

Et notatur socium criminis in casu hæresis admittendum esse etiam si alios defectus pateretur?

Ex quo alius casus infertur circa depositionem socij criminis, & positus in calce hujus Resolutionis? Exp.4. tract.6. Res. etiam 8.

§.1. NEgativè respondendum est, igitur socius criminis, qui patitur plures defectus, ut qui est infamis, criminosus, perjurus, aut aliàs inhabilis, non facit indicium ad torturam. Ita Sousa *in aphor. Inquisit. lib.2. cap.39. n.53. & cap.25. n.25.* Gigas *de crim. læsæ Majest. lib.2 q.7. n.7.* Menoch. *de arbitr. lib 2. cas.474. num.54.* Anton.de Ballis *tract.var. lib.1.q.26. num.25.* Narbona *in recopil. p.2. leg.2. glossa 4.num. 10. & 11.* Bursatus *vol.1. cons.275. num.19.* Mascardus *de probat. tom.3.concl.1311. n.13. & 42.* Farinacius *q.62. n.381. & seq.* Boërius *decis.319. n.5.* & ante omnes Io.Rojas *singul.188. num.5.* ubi sic ait: Licèt in crimine hæresis socius criminis in testem admittatur, id locum habet in socio criminis, alias non infamato ex aliis delictis. Ita ille, & ideo Delrius *in disquis. mag. lib.5. sect.3. fol. mihi 711.* sic ait: Socius criminis ut faciat indicium ad torturam, requiritur ut non patiatur nisi hunc vnũ defectum, nam si plures habeat, etiamsi tantùm duos, v.g quòd non tantùm sit infamis, & criminosus, sed etiam sit vilis, abjectus, vel aliàs inhabilis, tunc ne in exceptis quidem faceret indicium ad Inquisitionem specialem, nedum ad torturam, etiamsi in tortura suam nominationem confirmasset. Hæc Delrius. Vnde Ioseph. Sesse Consultor S Officij *to.4. decis. Regni Arag. 477. n.32* sic ait: Licèt in crimine hæresis admittatur socius criminis, hoc procedit, quando talis socius non sit ex alio delicto infamatus, & sic non datur contra eum duplex exceptio, & defectus: nam sicut plura adminicula probant probationem, sic plures defectus eam destruunt. Ita ille, & novissimè Anton. Quevedo *de indiciis & tortura p.2.c.5. n.18.* ubi ita asserit: [En los casos en que el dicho del socio haze indicio para tormento ha de ser quando solamente padeçe excepcion de complice en aquel delicto, però no quando padeçe tachas y objeciones por otro camino que por este.] Hæc ille, & etiam ante illum Avendañus *responsi. 31. n.7.* unde ex hoc principio ego olim reum à tortura liberavi, quod valdè tenendum est menti à DD. Inquisitoribus, quia socij criminis in nostro sacro Tribunali ferè semper patiuntur alias exceptiones.

2. Non desinam tamen hîc adnotare, Delrium sibi contrarium *in appen.2. q.17. dicti lib.5. fol.877.* docere, socium criminis in casu hæresis admittendum esse, etiamsi alios defectus pateretur, quia lex criminosos, & infames ad testimonium in criminibus exceptis ferendum admittens inter eos, qui uno, vel pluribus criminibus involutus, aut ratione criminum sæpiùs infamia notatus, non distinguit; ergo nec nos distinguere debemus. Deinde, v.g. malefici plutimis iisque horrendis criminibus utplurimum sunt innodati, quòd si aliis criminibus maleficos testes catere esset necesse, nullus unquam esset testis idoneus. Et ita hanc sententiam putat Delrius tenendam esse, quia utilior Reipublicæ, & justitiæ, & pro illa citat Baiardum, Bossium, & Ludovicum; sed non est deserenda communis opinio, ex qua infert Farinacius *q.43. n.86.* unum notabile, quòd si reus primò examinatus negaverit delictum, ac etiam complices, vel confessus de se delictum interrogatus de complicibus illos reticuerit, si postea iterum de hoc interrogatus, vel tortus sponte, aut per torturam variando à prima depositione socios nominaverit, non utique tunc facit talis nominatio, indicium ad torturam contra nominatos, ex defectu perjurij, nisi forsan cum dicto socij criminis perjuro concurrerent non solum adminicula, sed illa quidem essent gravia.

RESOL. IX.

An dictum socij criminis adminiculatum sufficiat, ut Inquisitores possint torquere reum, si sit bona conditionis, & famæ?

Et an faciat indicium ad torturam, si socius criminis, nulla præcedente interrogatione, alios socios nominet? Exp.4. tr.6. Res. etiam 9.

§.1. NEgativam sententiam docet Grammaticus *consil.70. num.7.* ubi loquitur etiam in dicto duorum sociorum criminis, idem docet Parisius *lib.4. consil.151. n.13.* Rolandus à Valle *vol.1.consil.16.n.24. & seq.* Bertazolius *lib.1. consil.61. n.19.* Peguera *decision. crim.5.n.31.* Monticellus *in praxi crim.reg.4.n.46.* ubi sic ait: Requiritur, quòd inculpatus sit malæ famæ, conditionis, malæque vitæ & conversationis, alias nominatio in socium criminis nihil ei præjudicabit; quoniam bona fama talem effectum operatur, ut per ipsam elisum intelligatur illud indicium, quod ex dicto socij criminis resultabit. Ita ille, qui citat Canteram, & Alexandrum.

2. Sed hoc (attendant DD. Inquisitores) ego puto remittendum esse eorum prudenti arbitrio, nam si cum dicto socij concurrerent tot adminicula, & præsumptiones, ut superarent bonam famam, esset omnino nominatus subjiciendus torturæ, & ita tenet Farinacius *q.137.n.188.*

3. Notandum est tamen hic obiter, quod non est à DD. Inquisitoribus admittenda opinio aliquorum Doctorum asserentium, quod non facit indicium ad torturam si socius criminis nulla præcedente interrogatione, alios socios nominet, & ita contra hanc opinionem insurgit Farinacius *loco cit.n.189.* Iul. Clarus *in pract. lib.5.q.21.* & alij, nec valet dicere quòd testis ultrò se offerens examini suspectus à jure reputatur; ergo pariter reputari debet suspecta nominatio socij criminis sponte facta, nam respondetur esse disparem rationem inter utrumque casum, quia socius criminis in nostro casu non spõte se subjicit examini, sed coactus, ut patet, nec spontè dicitur deponere, quia cùm à judice ad dicendam veritatem super facto dato juramento, implicitè interrogatur de sociis, si socij intervenerunt: ergo, &c. Sed de hoc *supra* etiam dictum est.

Sup. con in hoc ut nota Nonnull est tam hic alio

Sup. in not. pr ctic.

RESOL. X.

An socij criminis, ut fidem faciant contra nominatos, sufficiat jurare, vel opus sit, ut ab Inquisitoribus torqueantur ad deponendum? Exp.4.tr.6. Res.etiam 10.

§.1. SVfficere juramentum & torturæ supradictos non esse subjiciendos, docet Io. Rojas *de hæret. p.2.asser.7.n.155.* Simanc. *in cathol. instit. tit.53. n.38.* & Avend. *resp.11.n.8.* & alij.

2. Verùm

Sup. in not. doct. ref. in §. not.

Sup. in tr. 44. §. fecun prim

2. Verùm M. Anton. Genuensis *in praxi Archiep. cap.68. n.11.* sic asserit. Licèt secundùm Simancam testi socio criminis sit adhibenda fides, etiam sine tormentis, praxis tamen se habet in contrarium, quòd torquetur aliquantulum ad validandam ejus depositionem contra socium. Ita ille, & M. Anton. Delrius *in disquis. mag. lib. 5. sect. 3.* contra Simancam probat etiam, quòd ut fidem faciat socius criminis contra socium nominatum, debeat torqueri. Vide etiam Campegium in Zanchinum *de hæret. cap.9. lit.C.* Riccium *part.3. decis.298.* & Turrianum *lib.2.decis.39.n.7.* Marsilium *consil.22. n.22. consil. 78. num.1.* & quod majus est, Michaëlem Zanardum Consultorem S. Officij in Italia *in direct. Theol. par.3.cap.94.fol.mihi 516.* sic asserentem. Dno socij criminis faciunt indicium ad torturam, dummodo cum aliquibus indiciis deponant, & dictum suum in tormentis sustineant. Ita ille, & novissimè Anton. Quevedo *de indiciis & tort.par.2.cap.5. num.10.* sic ait: [Es de advertir que estos complices no deben ser creidos sin tormentos, sino que por este efeto deben ser preguntados con ellos, y esto se debe assi praticar, y si no se haze no es, porque no se deba hazer, si no por la ignorancia, y floxedad de los Iuezes.] Sic ille. Alphonsus Narbona *in recopil.p.2.lib.8. tit.12. leg.2. glos.5. num. 36. & 40.* acriter hanc sententiam defendit, quam etiam tenet Catharinus *de interrogat. reor. lib.4. cap.2. num.13.* & Caballus *cent.1. cas.30.*

3. Sed his non obstantibus opinio Simancæ mihi placet, quæ servatur in Tribunalibus nostræ Inquisitionis Hispanicæ, & illam tenet etiam Pegna *in direct. Inquis. par.3. comm.113.* Dico igitur socium criminis absque tortura indicium facere modo, quo *suprà* explicatum est, & hanc sententiam solidè confirmat Seraph. Freitas *in addit. noviss. ad tract. de Confes. solicit. q.4.n.42. & seq.* & ita teste Anton. de Ballis *tract. var. lib 1. q.26. n.6.* hodie servatur in magna Regia Curia hujus Regni, ubi recipitur dictum socij criminis absque tortura, & Petrus Caballus licèt *ubi supr. & cas.84. num. 11. & seq.* teneat non valere dictum socij sine tortura, tamen asserit multis in locis hoc non observari de consuetudine.

Sed quia hæc difficultas oritur etiam circa depositiones aliorum testium inhabilium, ideo quærendum est absolutè ut in sequenti resolutione.

RESOL. XI.

An testes inhabiles, ut fidem faciant, sint ab Inquisitoribus torquendi?

Et an quamvis testes inhabiles admittantur ad probandum aliquem esse hæreticum, è contra vero non admittantur in favorem illius?

Et an hujusmodi testes non sufficiant ad plenam probationem, sed ad pœnam extraordinariam, vel ad torturam?

Et aliqua alia discutiuntur in textu hujus Resolutionis circa supradictos testes inhabiles. Ex p.4.tract.6. Res. etiam 11.

Sup. prima doctr. hujus res. melius in §.1. Res. not. seq.

§.1. HIc casus in sacro Tribunali quotidie accidit, quia quamvis regulariter inhabiles, ut excõmunicati, infames, &c. à testimonio repellantur, at in causis fidei propter Religionis favorem, ne tam grave hæresis crimen impunitum remaneat, admittuntur, ex *cap. in fidei favorem, de hæret. in 6.* Sed difficultas est, an ut fidem faciant, debeant torqueri? & affirmativam sententiam docet Sanctarell. *de hæresi c.38. dub. un. n.1.* & illam mordicus tenet, & defendit Anton. Delrius *in disquis. mag. lib.5. sect.3.* & Inquisitor Campegius *in addit. ad Zanchinum tract. de hæret. cap.9. lit. C. in ver. Inquisitor. ver. adsunt insuper.*

Sup.hoc sup. in tr 10. Res. 4. §. Dico secundo in prine.

2. Verùm hæc sententia dura nimis & aspera videtur, & ideo crederem hos testes inhabiles indicium facere, sive majus, sive minus, spectatis personarum qualitatibus aliisque circumstantiis, etiamsi sponte & sine tormento testimonium dederint, & certè si testes inhabiles non admitterentur in nostro sacro Tribunali ad testimonium dicendum, sine tortura, facilè averterentur à ferendo testimonio in causa fidei; non tamen nego, quandoque posse, & debere torqueri, quod quando fieri debeat, DD. Inquisitorum arbitrio relinquo, spectata testium infamium malitia, improbitate & varietate, & hæc omnia docet Pegna *in direct. Inquis. p.3.q.46. comm.113.* & Simanca *tit. 64. n.37.* Rojas *de hæret. p.2.n.153.* Sousa *in aphor. Inquis. lib.2.c.13.n.15.* cum Antonio Gomez *var. resol. lib.3.cap.12.n.16.* & Sigismundo Scaccia *tom.1.lib.1.cap.81.n.2.* & ita in praxi observatur in nostro Tribunali Inquis. Hispan. ubi dicti testes ordinariè non torquentur, & ita servari in Curia Archiepiscopali Neapolitana testatur doctus Aloysius Riccius *par.2.decis.268.* ubi admittuntur testes inhabiles ad probandum sine tortura.

Sup. hoc in res. n. præteritæ in ejus §.1. & §. Dico tertio.

3. Notandum est tamen hic obiter primò quòd testes inhabiles admittuntur ad probandũ aliquem esse hæreticum; è contra verò non admittuntur in favorem illius, secundùm Ioseph Sesse *to.4.decis.477. n.35.* Malleum Maleficarum *tom.1. p.3. q.4.* Gusdissal. *de hæret. q.13.n.14.* Repert. Inquis. *ver. an illi testes inhabiles.* Zecchium *in sum. to.1. tit. de hæret. c.11.n.14.* & Io. Rojas *singul 188. n.10.* ubi sic ait: Ad defensionem hæreticorum testes inhabiles, & minus idonei non admittuntur, & id annuere videtur textus *in cap. in favorem fidei*, de qua conclusione est casus expressus *in c. sily, vel hæredes, in fine, de hæret. in 6.* ibi, *non tamen per uxores, filios, familiares, vel de suis aliquos, sed per testes, alios fide dignos*, & expresè habetur *in direct. p.3. cap.70.* & hunc intellectum ad prædicta jura tenuit Bossius *in pract. crim. tit. hæret. n.3.* Hæc omnia Rojas *loc. cit.*

Sup. hoc ibidem in §. Dico tertio.

4. Verùm contraria sententia hodie servatur in praxi, & ita docet Sousa *in aphor. Inquis. lib.2. cap.13, n.8.* ubi sic ait: Testes inhabiles admittuntur ad defensionem rei in crimine hæresis, dummodo inde non sequatur pœna parti accusanti, & admissi etiam non plenè probant. Ita ille, qui citat Farinacium *q.82. limit.5.* licèt sibi sit contrarius, nam *q.188. n.82.* docet hos testes minimè admittendos esse, hinc à fortiori dicendum est admittendos esse familiares consanguineos & domesticos, si pro reo adducantur, non tamen tanquam integros testes, sed ut testes diminutæ veritatis, licèt hoc non procedat secundùm Simanc. *in enchir. tit.35. n.24.* quando consanguinei admittuntur ad probandas exceptiones contra testes promotoris fiscalis, tunc enim consanguineos intra quartum gradum asserit non esse admittendos, nec ad probandas defensiones obliquas, sive indirectas. Ita ille.

Sup. hoc ibidem §. Limitatur.

5. Nota secundò quòd Repertorium Inquisit. *vtr. testes, ver. nota distinctionem*, & glossa *in cap. in fidei favorem, ver. Inquis.* Io. Andreas *ibi n.3.* Geminianus *n.7.* Francus *n.3.* Farinacius *de hæresi q. 188. n.78.* & alij asserunt testes inhabiles per *dict. cap.* in fidei favorem admittendos esse, quando per viam Inquisitionis proceditur; sed ego puto in crimine hæresis testes inhabiles admittendos esse etiam quando proceditur per viam accusationis. Ita Sousa *in aphor. Inquis. lib.2.c.13. n.6.* Rojas *singul.188. n.6. & singul.191. n.3.* Gundissalvus *de hæret. q.13.n.17.* Carrera *tract. de hæret. n.120.* & ratio est, quia in utroque casu est eadem ratio in fidei favorem, & idem tenet Farinacius sibi contrarius *quæst.62. n.86.*

Sup. contẽto in hoc §. ibidem §. Dico secundo post med. à vers. Et hoc verum est.

6. Nota tertiò quòd licèt testes inhabiles admittantur modo, quo suprà in favorem fidei, hoc intelligendũ

Sup. doctrina contenta in hoc §. lege

sex primas lin. hujus Ref. & §. penult. & ult. hujus Ref. & alium §. positum in annot. ult. hujus Ref.

est ad secundam probationem delicti, non autem ad illius circumstantias non substantiales; & ideo asserit Sousa *in aphor. Inquis. lib. 2. cap. 13. num. 7.* testes inhabiles non probant adminicula, adminicula inquam, non substantialia. Ita ille. Vnde infertur hos testes admitti ad probandam, v. g. familiaritatem cum hæreticis, conventicula secreta, & alia hujusmodi, quia hæc demonstrant delictum, & sunt de illius intrinseca substantia, non autem, v.g. ad probandum Baptismum inquisiti &c. licèt Bossius *tit. de crimine læsæ majest. num. 114.* & Gigas *eodem tit. quæst. 5. per totam*, cum aliis doceant testes admissos ad probandum aliquod delictum, admitti debere ad probandum ea omnia, sine quibus delictum esse non potest; verùm nostram sententiam tenet Farinacius *quæst. 56. de testibus à n. 78.* illamque confirmat doctus Narbona *in recopilat. par. 2. leg. 2. gloss. 7. n. 6. & seqq.* adi illum, & non pigebit.

Sup. hoc sup. in tr. 10. Ref. 41. §. Dico quarto à lin. 6. & vers. Et ideo, & in Ref. 74. §. 2. ad med. vers. Dep. Itio, & hic sup. lege Ref. 6. per tot. & §. ejus primæ not.

7. Nota quartò quòd licèt hujusmodi testes non sufficiant ad plenam probationem, sed ad pœnam extraordinariam, vel ad torturam, ut docet Rojas *singul. 191. num. 3.* & alij penes ipsum. Non est tamen negandum quòd si magnus sit eorum numerus, & adsint conjecturæ sufficientes, supplerur eorum defectus, & potest imponi pœna ordinaria. Ita Sousa *in aphor. Inquis. lib. 2. cap. 13. num. 13.* Pegna *in direct. part. 3. comment. 113.* Ioseph Sesse *tom. 4. decis. Regn. Aragon. 47. n. 28.* & alij. Vnde non gravabor hìc apponere verba Castri Palai *in opere morali tom. 1. tractat. 4. disputat. 8. punct. 15. §. 4. n. 1.* ubi sic ait: De testibus inhabilibus ut sunt excommunicati, criminosi, socij criminis, Iudæi, & hæretici, communis & recepta sententia est non integrè delictum probare, quiâ licèt favore fidei ad testificandum admittantur, admittuntur tamen ut periculo falsitatis dicendæ subjecti, neque enim hoc periculum, quod est intrinsecum, purgari potest admissione, ex quo fit duplici teste conteste sociis criminis, aut aliàs inhabilibus non posse reum ad pœnam ordinariam condemnari, etiamsi indicia & circumstantiæ concurrant, quibus præsumi potest veritatem deponere, quia hujusmodi indicia & circumstantiæ expostulantur, ut eorum dictum admitti possit, non autem expostulantur ut integrè probent, ut legenti textum *in cap. in fidei favorem, de hæret. in 6.* patebit quodcirca depositio unius testis inhabilis rarò ad torturam sufficit, nisi aliis adminiculis, & præsumptionibus gravibus adjuvetur; depositio duorum sufficit ad torturam, vel ad condemnandum reum pœna extraordinaria; trium, vel quatuor depositio ad condemnationem ordinariam sufficiet, quia multitudine deponentium inhabilitas illorum reparatur. Ita Palaus. Sed ego pace viri docti nunquam condemnarem hæreticum pœna ordinaria ex testimonio trium testium inhabilium, quia hodie utplurimum non damnatur hæreticus ad pœnam ordinariam, nisi adversùs illum adsint tres testes contestes omni exceptione majores; quomodo igitur damnandus erit ex testimonio trium testium inhabilium? imò neque cùm quatuor, plures itaque requiruntur; & tali in casu numerus testium, ut observat Rojas *singul. 188. num. 3.* supplet eorum defectus etiam ad effectum, ut dicantur omni exceptione majores, & etiam si omnes patiantur aliquas exceptiones. Ita Gregor. XV. *in decis. 351. n. 4. & 5.* & Cæsar de Grassis *decis. 175. num. 9.* licèt, ut verum fatear, quoad hoc ultimum dissentiat Cacheranus *consil. 64. num. 30.* & Bursatus *lib. 3. consil. 321. num. 21.*

Sup. hoc & seqq. in hoc §. signatèr in duobus §§. primæ not. præteritæ, & pro parte lege etiamaliâ Ref. dictæ not. &c.

Sup. hoc lege sex primas lin. hujus Ref. & §. Nota tertiò, & sup. in tr. 10. ex Ref. 41.

8. Nota quintò, hos testes inhabiles, criminosos infames, &c. admittendos esse non solum in defectum aliarum probationum, sed etiam in casu, quo aliter veritas haberi possit, & ita contra Delrium *in disquisit. mag. lib. 5. sect. 5. §. possunt in hac causa, fol. mihi 728.* & Eymericum *in direct. part. 3. quæst. 69.* docent Simancа *in cathol. instit. tit. 35. num. 17.* Vmbertus Locatus *in praxi Inquisit. ver. excommunicati, num. 4.* Repertorium Inquisit. *ver. testes, vers. est tamen.* Scaccia *de judic.* &c. *tom. 1. lib. 1. cap. 82. num. 2.* Farinacius *de hæret. quæst. 188. §. 5. num. 74.* & alij, & patet ex textu *in cap. in fidei favorem de hæret. in 6.* ibi, *præsertim in defectum aliarum probationum*, dictio enim illa, *præsertim*, est ampliativa, & demonstrat in omni casu admittendos esse, maxime in illo, hinc asserunt DD. quos ad satietatem adducit amicus noster doctus Augustinus Barbosa *in tract. de dictionibus usu frequentibus, dict. 277. num. 4.* quòd hæc dictio, *præsertim*, exprimit casum minus dubitabilem & implicat, & supponit magis indubitabilem.

9. Et tandem nota sextò quòd supradicti testes admittuntur contra reos, quando, ut habetur *in d. cap.* in fidei favorem ex verisimilibus conjecturis, & ex numero testium, aut personarum, tam deponentium, quàm eorum contra quos deponitur, qualitate, ac aliis circumstantiis sic testificantur, ut falsa dicere non præsumantur; & ita etiam observat Delrius *in disquis. Mag. append. 2. lib. 5. quæst. 1.* Hippolitus de Marsiliis *cons. 47. n. 13.* Menochius *de arbitr. lib. 2. cas. 474. n. 58.* Mascardus *de probat. lib. 1. concl. 158. num. 3.* & alij, qui loquuntur de depositione socij criminis.

RESOL. XII.

An confessio extrajudicialis sufficiat, ut Inquisitores possint torquere reum?

Et an si reus revocavit confessionem extra judicialem sit torquendus?

Et an confessio extrajudicialis ita valeat ad torturam, ut si reus in tortura idem confiteatur, possit condemnari, etiam si postea non ratificet confessionem?

Et an confessio extrajudicialis non probetur per testes singulares?

Et quid in crimine hæresis? Ex part. 4. tract. 6. Resol. etiam 12.

§. 1. Respondeo affirmativè cum Pegna *in direct. part. 3. comment. 110. lit. M.* Simanca *in enchir. tit. 56. num. 14.* Ioseph Aldrete *in discipl. tuenda lib. 2. cap. 8. num. 3.* Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 6. cap. 3. dub. 15. num. 8.* Sylvestro *ver. Indicium, q. 2.* Angelo *n. 2.* Tabiena *num. 1.* Gomez *tom. 3. var. cap. 13. num. 8.* Petro Binsfeldio *in comment. de malef. & math. leg. 9. de indiciis, §. 9.* Miranda *in ordine judic. tom. 2. quæst. 26. art. 7. conclus. 1.* Michaële Zanardo *in direct. Theolog. part. 3. cap. 95. fol. 515.* Sousa *in aphorism. Inquis. lib. 2. cap. 39. num. 91.* Ioseph de S. Maria *in Tribun. Relig. tract. 5. cap. 2. §. 8.* Iulio Claro *q. 21. n. 31.* Farinacio *q. 37. num. 47.* Carerio *in pract. leg. observare, num. 121.* Hippolyto de Marsiliis *in pract. §. diligenter, num. 76.* Rodriquez *in summ. tom. 2. cap. 162. num. 2.* & aliis penes ipsos, quia non est credendum aliquem sibi falsò crimen imponere.

2. Sed notandum est quod Follerius *in pract. in 2. parte, num. 204.* adducit decem & septem requisita, ut confessio extrajudicialis sit indicium ad torturam; verùm, ut observat Baiardus *in addit. ad Inl. Clar. q. 21. num. 112.* & Menochius *de præsumption. lib. 1. quæst. 89. num. 16. & seqq.* quatuor tantum sunt necessaria. Primum quòd confessio ista debet esse verisimilis, atque ita debet habere causam præexistentem, nam si nulla subesset causa, qua ita factum dici posset, indicium sumi non posset. Secundum, quòd hæc confessio facta fuerit seriò, non autem jocosè, item facta esse non debeat calore iracundiæ. Tertium quòd sit confessio spe- cialis, non autem generalis, & quo loco, & quo tempore fuerit facta. Quartum quòd hæc confessio sit

sit probata testimonio duorum, & licèt hoc requisitum sit commune cum aliis indiciis remotis, habet tamen nescio quid plus, cùm majori quadam diligentia ij testificari debeant. Hæc omnia Menochius ex Follerio; & hoc ultimum docet etiam Villadiego *in poli. cap.3. n.311.* asserens duos testes de confessione extrajudiciali sufficere ad torturam, cum Ioseph de Sancta Maria *in Tribun. Relig. tract.5. cap.2. §.8.* Giurba *consil.87. n.20.*

3. Adverte id, quod asserit Menochius, confessionem extrajudicialem debere esse cum loco & tempore, ut faciat indicium ad torturam docere etiam Brunum *de indiciis quæst.3. num.16.* Carretium *in praxi leg. observare n.121.* Farinacium *quæst.82. n.29.* Antonium Quevedo *lib. de indic. & tort. cap.7. n.3.* & Mascardum *lib.1. concl.350. n.1.* Sed adversùs illos insurgit Antonius de Ballis *in tract. var. lib.1. q.13. num.3.* quia non videtur ei possibile, nec verisimile extra judicium quemquam velle narrare integrum factum cùm circumstantiis, quod etiam advertit Bossius *in tit. de Confess. n.45.* sed de hoc *infrà* etiam redibit sermo in fine hujus resolutionis.

4. Notandum est tamen hîc primò quòd Menoch. *loc. cit. n.25.* Carrerius *in praxi leg. observare, n.121.* Marsilius *singul.310.* Cacheranus *in decis. Pedem.79. num.25.* Bertazolus *lib.2. consil.166. num.22.* & alij asserunt, quòd si reus revocavit confessionem extrajudicialem, non est torquendus, cùm sit confessio nudi facti; verum adversùs hanc sententiam insurgit, & meritò Iul. Clar. *ubi suprà*, & novissimè doctus Petrus Caballus *resol. crim. cent.1. cas.81. num.4.* ubi cum multis aliis probat, quòd si error non probetur: semper talis confessio facit indicium ad torturam, & ita testatur de praxi. Atque hanc sententiam docet etiam Farinacius *quæst.82. num.28.* Bossius *titul. de Confess. num.55.* Binsfeldius *in comment. de malef. leg.9. de indiciis, §.9.* Miranda *in ordine judic. tom.2. q.26. art.7. concl.1.* Vnde cautè legendus est à nostris DD. Inquisitoribus in hac quæstione Albertinus *de agnosc. q.25. num.32.* & Sanchez *in opusc. tom.2. lib.6. cap.3. dub.15. num.8.*

5. Nota secundò quod licèt aliqui Doctores magni nominis, quos citat & sequitur Alphonsus Villagut *in praxi lib.7. cap.14. concl.3.* Mascard. *de probat. lib.1. concl.353. n.24.* doceant confessionem extrajudicialem ita valere ad torturam, ut si reus in tortura idem confiteatur, possit condemnari, etiamsi postea non ratificet confessionem; tamen hoc non est tenendum, si de condemnatione ad pœnam ordinariam criminis intelligatur, quia confessio in tormentis, præcedentibus indiciis facta, semper requirit perseverantiam & ratificationem, alioqui est nullius momenti, cùm vi tormentorum censeatur expressa. Ita Martinus Bonanus *in 2. 2. D. Th. de just. q.67. de injust. judicis, quæst.10. concl.2. n.9.* Pegna *in direct. part.3. comment.110.* & Petrus Caballus *ubi supra n.6.* & alij penes ipsum, quibus adde Suarez de Paz *in praxi tom.1. part.5. capite 3. §.12. num.26.* Gomez *tom.3. var. cap.13. n.8.* Cartharium *de interrogat. reor. lib.4. cap.1. n.153.* Baiardum *in addit. ad Iul. lar. quæst.64. n.136.* Guazzinum *tom.2. lib.1. defens. 30. dub.35. n.6.* & ex nostris Simancam *in Cathol. instit. tit.65. n.70.* & Mirandam *in ordine judic. tom.2. quæst.26. art.7. concl.1.* qui *concluse.2.* cum multis DD. probat confessionem emanatam coram judice incompetente semiplenè probare, & indicium facere ad torturam, modo sit spontanea & libera, vide Pegnam *in direct. Inquisit. p.3. comment.118. in appen.* & Genuensem *in praxi Archiepiscop. cap.8. num.3.*

6 Et tandem nota tertiò quòd licèt Farinac. *q.82. num.45. & quæst.64 num.145.* cum aliis asserat, quòd confessio extrajudicialis non probetur per testes singulares, tamen noster Sousa *in Aphor. Inquisit. lib.1. cap.21. num.10.* in crimine hæresis contrarium docet, sic enim ait: Confessio extrajudicialis sufficienter probatur testibus singularibus, quorum singularitas est adminiculativa, præsertim in crimine hæresis. Ita ille, ubi citat Mascardum; & hanc sententiam etiam docet Albertinus *de agnoscen. quæst.25. num.20.* ubi ita asserit? Si darentur plures extrajudiciales confessiones rei, & unus testis deponeret de una confessione, & alter de altera, & sic quod testes essent singulares, licet unusquisque per se non faceret indicium, tamen hæ attestationes simul junctæ indicium facerent ad torturam. Ita ille, qui respondet ad contraria & hanc sententiam probant ea, quæ *suprà* dicta sunt *in resol.7.* & tandem, illam etiam tenet Castrus Palaus *in opere morali tract.4. disputat.8. punct.9. num.3. & 4.* quicquid in contrarium asserat Farinacius, Menochius & alij.

Quæ hîc est sup. etiam ref.7.

RESOL. XIII.

An fama præbeat indicium, ut Inquisitores reum torturæ subjicere possint? Ex p.4. tr.6. Ref. etiam 13.

§.1. QVicquid aliqui asserant, sola fama de se non est sufficiens indicium ad torturam; igitur secundùm Simancam *tit.65. num.37.* ut propter famam quispiam torqueri queat, hæc omnia simul requiruntur, quòd reus vilis & infamatus sit, quòd fama sit orta non a malevolis, aut levibus hominibus, sed ab honestis, & fide dignis, & postremò quòd per testes idoneos probata sit, nec sat est, quòd testes dicant hanc esse publicam famam, nisi etiam rationem adddant, qua id necessariò concludant. Ita ille, & post illum Sanchez *in opusc. tom.2. lib.6. cap.3. dub.15. n.19.* Sylvester etiam *ver. Indicium, q.4.* Angelus *n.4.* Atmilia *n.5.* Fabiena *n.3.* Miranda *de ordine judic. tom.2. q.26. art.5. concl.1. & 2.* Pegna *in direct. Inquis. p.3. comm.110.* & Sousa *in aphor. Inquis. lib.2. c.39. n.59.* Quevedo *lib. de indiciis, & tortura cap.9. n.3.* Menochius *de præsumpt. lib.1. q.89. num.51.* qui *num.52.* declarat hanc sententiam locum non habere, quando fama esset vehemens, nam tunc ipsa sola sine aliis adminiculis esset sufficiens ad torturam; quæ autem dicatur fama vehemens, hoc relinquit arbitrio judicis. Sed Petrus Binsfeldius *in commen. de Malef. & Math. leg.9. de indiciis, §.6.* Petrus Caballus *in resol. crim. cent.1. cas.84. n.14.* putant famam vehementem de se sola non sufficere ad torturam; verùm communis sententia Doctorum est in contrarium quos affert Farinacius *quæst.47. n.28.* sentiens famam vehementem sufficere, quod etiam docet Miranda *de ordine judic. tom.2. quæst.26. art.5. concl.1.* Menochius *consil.788. num.27.* Peguera *decis.17. num.16.* Aldovinus *consil.26. num.2.* & ex nostris Pegna *in director. part.3. comm.110.* Sed ut sit vehemens, advertit Farinacius quòd judex aliquas regulas debet animadvertere, id est, quòd fama non dicitur vehemens, quando illa ortum habuit à personis inhonestis, & non fide dignis, & numerus testium minimè supplet illorum inhabilitatem in probatione famæ. Deinde attendenda est causa originis ipsius famæ, non autem numerus personarum, & ideo si fama ortum habuerit à mille personis, & nulla appareat causa, unde talis fama orta sit, non est habenda in consideratione, & ideo non facit indicium ad torturam. Sed stantibus prædictis considerationibus tantum est dicere famam vehementem facere indicium ad torturam, quantum dicere famam adminiculatam facere indicium ad torturam; ergo cùm non possit fama vehemens dici, nisi sit adminiculata, sequitur has sententias inter se non pugnare. Concludendum igitur est dictam

famam cum aliis indiciis & conjecturis modo, quo *suprà* explicat Simanca, esse sufficiens indicium ad torturam, & in casu contingenti DD. Inquisitores ne deserant videre Inquisitorem, Canteram *in qq. crim. cap. 2. de probat. per testes, q. 1. num. 8.* & Pegnam *ubi suprà*; & Bertazolium *vol. 1. consil. 213. num. 3.* cum Pitigiano *in pract. crim. part. 3. cap. 7. in addit. lit. B.* & Michaele Zanardo *in direct. Inquis. part. 3. cap. 95. fol. 514.*

2. Notandum est tamen hîc primò, quòd multi asserunt famam habentem ortum ab aliqua verisimili causa & conjectura sufficere, etiamsi testes non sint ita honesti, & fide digni, sed hanc sententiam meritò reprobat Farinacius *q. 47. n. 159.* Vnde dicendum est testes deponentes de fama; ad minus duos esse debere, & hos spectatæ vitæ, & omni exceptione majores, ut ex multis probat Miranda *de ordin. judic. tom. 2. q. 26. art. 5. concl. 2.*

3. Nota secundò quòd aliqui asserunt sufficere in nostro casu, si testis dicat se ita publicè dici audivisse, vel ita esse publicam vocem & famam. Ita Peguera *decis. 17. n. 25.* Paulus Granatus *theor. 22. num. 6.* Bursatus *lib. 1. concl. 90. n. 6.* & alij, quos adducit Mascardus *de probat. lib. 1. concl. 497. n. 19. & lib. 2. concl. 749. n. 4. & 5.* Sed ego contrariam sententiam tenendam esse puto cum Bartolo *in l. de minore, §. plurium, n. 12.* & *ibi* etiam Marsilius *n. 54. in fine, ff. de quæst.* Navarrus *in tract. de fama & infamia, cap. non sunt audiendi 2. q. 3. n. 13. & 14.* & alij innumeri; & ad summum prima opinio tunc admittenda est, quando testes adducerent causas & conjecturas verisimiles, ex quibus orta fuit fama; nam aliter famam non probarent, etiamsi dicerent se ita publicè dici audivisse, vel sic esse publicam vocem, & famam, & ideo dixit Simanca *ubi suprà*, non satis esse, quòd testes dicant ita esse publicam famam, nisi etiam rationem reddant, qua id necessariò concludant; igitur requiritur ut testes deponentes super famam reddant rationem eorum dicti, etiam non interrogati, & sic debent exprimere causas, indicia, & conjecturas, quibus orta est fama, aliter non probant, & ita inter alios docet Miranda *de ordine judic. tom. 2. q. 26. art. 5. concl. 2.* Mascardus *de probat. lib. 2. concl. 149. n. 11. 12. & 13. & lib. 3. conclus. 1369. num. 8.* Alia verò requisita ad probationem famæ ne omittas videre apud Farinacium *q. 37. usque ad num. 277.*

RESOL. XIV.

An fuga sit indicium sufficiens, ut Inquisitores possint torquere reum? Ex p. 4. tr. 6. Resol. etiam 14.

§. 1. AD hoc dubium ita respondet Simanca *in Cathol. institut. titul. 65. num. 28.* Is, qui post commissum crimen fugit, antequam accusetur, poterit ob eam causam torqueri, quia, ut plerique putant, fuga illa semiplenam probationem facit. Aliud esse, aiunt, cùm reus accusatus fugit, tunc enim fuga non probat semiplenè. Ita ille, & post illum Eymericus à Rosbach *in tract. crim. titul. 5. cap. 9. num. 2. & 5.* Iosaph de S. Maria *in Tribun. Relig. tract. 5. cap. 2. §. 9.* & Ludovicus Miranda *in ordin. judic. tom. 2. quæst. 26. artic. 8.* qui postquam docuisset fugam adminiculatam facere indicium ad torturam, sic subdit. Intelligenda est hæc conclusio de eo, qui post commissum delictum aufugit, antequam accusetur, nam non ab re contra ipsum præsumitur, quòd illud commiserit, estque vehemens, & urgentissimum indicium ad torturam proinde sufficiens; secus est de illo, qui accusatus fugit, nam ejusmodi fuga non est vehemens, & sufficiens indicium ad torturam, nec vim habet semiplenæ probationis, cùm ex alia causa possit procedere. Ita ille. Sed in casu occurrenti ne prætermittas videre Farinacium *quæst. 48. num. 1. & seq.* Gomez *tom. 3. var. cap. 13. n. 10.* Iul. Clarum *in pract. §. fin. q. 21. num. 18.* Mascardum *de probat. lib. 2. concl. 819. n. 4. & concl. 831. n. 9.* & alios penes ipsos.

2. Non desinam tamen hîc adnotare, aliquos docere ex fuga è carcere etiam attentata, oriri contra fugientem indicium de delicto, pro quo detinebatur, sufficiensque ad torturam, dummodo animo revertendi non effugerit. Et ita docet ex nostris Antonius Sousa *in aphorism. Inquisit. cap. 26. num. 34.* & ante illum Farinacius *quæst. 30. num. 85.* cum aliis penes ipsum.

RESOL. XV.

An variatio, mendacium, & vacillatio rei præbeant Inquisitoribus indicium ad torturam?

Et an sola titubatio, vultusque mutatio rei faciat contra illum indicium ad torturam? Ex part. 4. tract. 6. Resol. etiam 15.

§. 1. RESpondeo ex se sola negative. Dico igitur quòd ut variatio rei faciat contra ipsum indicium ad torturam, debet esse adminiculata aliqua alia conjectura, indicio, seu præsumptione: secus autem ut dixi, si sit sola nuda, non adminiculata; & ita hanc sententiam tenet Zanardus *in direct. Theolog. part. 3. cap. 93. fol. 512.* Lessius *lib. 2. cap. 29. dub. 17. num. 164.* Becanus *in 2. 2. D. Thom. de just. quæst. 67. de iniustitia indicis, quæst. 10. num. 13.* Ciazzius *in defens. reorum discept. 35. num. 8.* Sousa *in aphor. Inquis. lib. 2. cap. 39. num. 80.* Ludovicus Carerius *in pract. crim. leg. observare, num. 119.* Iul. Clarus *in pract. §. fin. quæst. 21.* Cacheran. *decis. Pedemon. 79. num. 17.* & alij quos citat, & sequitur Petrus Caballus *resol. crimin. cent. 2. cas. 200. num. 136.* ubi sic ait. Variatio circa circumstantias, & qualitates delicti nullo modo facit indicium ad torturam, nec etiam si sit circa ipsum delictum, nisi junctis aliis indiciis, secundùm communem opinionem Doctorum. Ita ille. Et idem dicendum est de mendacio, ut ex multis Doctoribus observat Miranda *in ordin. indic. tom. 2. quæst. 26. artic. 12. concl. 1.* & de vacillatione, nam sine alio indicio, conjectura, aut præsumptione non faciunt indicium ad torturam. Vnde etiam non desinam hîc apponere verba doctissimi Inquisitoris Didaci Canteta *in qq. crimin. cap. 2. de probat. per testes, quæst. 1. num. 20.* ubi sic asserit: Iudices non benè faciunt qui captum aliquem propter delictum sine aliquo indicio propter vacillationem solùm, vel trepidationem, ponunt ad torturam, & ex hoc vidi quemdam judicem puniri, & condemnari in Cancellaria Granatensi. In causa autem hæresis ex sola vacillatione nunquam reus poneretur ad torturam, nisi essent alia indicia de delicto. Ita Cantera.

2. His tamen non obstantibus non desinam hîc adnotare, multos Doctores asserere, mendacium super facto principali per se solum indicium esse ad torturam, & ita tenent Doctores quos ad satietatem adducit Giurba *in consiliis criminal. consil. 87. num. 27.* qui etiam cum multis aliis *in num. 26.* docuerat, quòd quando plura adsunt mendacia, unum ab alio adminiculatur ad torturam.

3. Notandum est etiam hîc obiter cum Menochio *de præsumpt. lib. 1. quæst. 89. num. 71.* quòd sola titubatio, vultúsque mutatio rei non facit contra illum indicium ad torturam: nisi cum ea titubatione, & trepidatione concurrant aliqua adminicula, quod prius docuerat Marsilius *in pract. crim. §. diligenter, num. 74.* &

& Carerius etiam *in praxi crimin. leg. observare, numero* 120. & novissimè Sousa *in Aphor. Inquis. lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 81.

RESOL. XVI.

An reus tortus, & negativus, si superveniant nova indicia, possit iterum ab Inquisitoribus torqueri?
Et quænam indicia esse debeant, an esse debeant, & differre à primis specie & substantia?
Et an in supradicto casu, quando tortura reperenda est, tunc danda sit reo copia indiciorum, & audiendus quemadmodum ante primam torturam factum est? Ex p. 4. tr. 6. Res. etiam 16.

§. 1. POsse reum torqueri, si nova superveniant indicia, docet Simanca *in Cathol. instit. tit.* 65. *num.* 75. Villadegio *in polit. cap.* 3. *num.* 321. Bertazolius *vol.* 2. *consil.* 274. *num.* 21. & alij communiter. Sed difficultas est an ista indicia debeant differre à primis specie, & substantia? & aliqui affirmativam sententiam tenent, adversùs quos novissimè insurgit Quevedo *lib. de iudic. & tort. part.* 2. *cap.* 7. *num.* 6. ubi sic ait. [Se pueden repetir los tormentos, quando despues que el reo negò en el primero tormento sobrevenieron nuevos indicios, o por la boca del reo, o por testigos, que no son aquellos, que le causaron en el primero juizio, sino de diversos generos, y mas evidentes, y que difieren de los primeros en la especie, y en la sustancia, como si los primeros indicios fuessen de mala fama o de enemistad, y los segundos fuessen de vista un testigo &c. porque aunque aya testigos de los primeros indicios, no se dira que ay mas indicios sino mas probanca dellos, segun Farinacio. Yo no tengo por cierta esta doctrina, porque si lo fuera, della se pudiera inferir, que supuesto que los indicios sobrevinientes han de diferir de los primeros no solo en la sustancia, sino en la especie, que si los primeros fueron remotos, no bastaran otros remotos, si propinquos no bastaran otros propinquos, y lo mismo de los proximos e indubitables, esto no es cierto y fuera absurdo el entenderlo assi, antes digo que bastaran indicios de la misma especie, con que difieran en la identidad, como si el reo fuesse atormetado por enemistad, podra serlo por la fama, o por otro indicio, aunque convengan en la especie con ser remotos en los casos que bastan para tormento, lo mismo de los propinquos y de los demas, como difieran en la identidad, aunque se conformen en la especie porque no hallo razon para lo contrario, ni Farinacio la da, y assi digo, que en estos casos se podra repetir a los reos el tormento.] Ita ille, qui pro hac sententia adducit Antonium Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 13. *n.* 7. & 8.

2. Verùm his non obstantibus sententiam affirmativam tuentur Doctores nostri sacri Tribunalis, & inter illos doctissimus Pegna *in direct. Inquis. part.* 3. *commen.* 39. *num.* 156. ubi sic asserit. Observanda est doctrina de non iterandis tormentis, nisi nova indicia superveniant: nova autem indicia voco, quæ à primis differunt specie, & substantia. Ita ille, qui citat Alexandrum & Casonum, quibus addo Vmbertum Locatum Inquisitorem *in sua praxi, ver. tortura.* §. & *nota secundum Felinum*; ubi ita ait: Si reo legitimè torto, sed non confesso, nova superveniant indicia (nova voco, scilicet à primis differentia specie, & substantia, non tamen si eadem coadjuvarentur testibus) iterum poterit torqueri. Hæc ille, & ex criminalistis Bossius *tit. de tortura, n.* 42. & alij.

3. Sed ego puto, quòd sensus supradictorum DD. in illis verbis quòd indicia nova debeant differre specie, & substantia, sit, quòd indicia nova non sint eadem, licèt coadjuventur aliis testibus, ut v.g. & est exemplum Iul. Clari *in pract.* §. *final. quæst.* 64. *num.* 46. aliquis tortus sit ex indicio famæ, & deinde supervenissent alij testes probantes famam, utique in tali casu non debet reus torqueri, quod utique faciendum erit, si in alia nova indicia remota supervenirent præter famam, & hunc esse sensum supradictorum verborum, patet ex verbis Locati *supra* adductis, & ita intelligendi sunt Casonus *de indiciis lit. de tortura cap.* 14. *num.* 8. Ludovicus Bologninus *in addit. ad tract. de indic. & tort. num.* 61. Brunus *in tract. de indic. & tort. part.* 2. *quæst.* 5. *num.* 63. Damhauderus *in praxi c.* 38. *n.* 5. Petrus Caballus *in resol. crimin. cen.* 2. *cas.* 93. *num.* 43. asserentes reum posse iterum torqueri ex novis indiciis supervenientibus; si tamen à prioribus differant specie, vel substantia. Advertit tamen Vincentius de Franchis *part.* 4. *decis.* 577. & Guazzinus *tom.* 2. *lib.* 1. *differ.* 30. *cap.* 23. *num.* 3. & 4. indicia supervenientia, ut reus torqueatur, debere esse talia per se, ut sufficiant ad torturam. Item debere esse indicia propinqua, & non remota, quod etiam docet Natta *vol.* 2. *consil.* 407. *n.* 12. & alij penes ipsum Guazzinum, sed ex indiciis remotis pluribus posse torturam leviter tantùm repeti, tenet Caballus *cent.* 2. *cas.* 193. *num.* 5. Verùm Quevedo *ubi supra*, & alij absolutè docent ex indiciis remotis sufficientibus repetendam esse torturam.

4 Notandum est etiam hîc obiter quòd in supradicto casu quando tortura repetenda est ex novis indiciis tunc danda erit reo copia indiciorum, & audiendus quemadmodum ante primam torturam factum est, nam in utroque casu militat eadem ratio, & ita docet Pegna *in direct. Inquis. part.* 3. *comment.* 54. & post illum Carthagius *de interrog. reorum lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 198. & 199. Et hæc ut magis occurrentia & practicabilia, satis dicta sint circa materiam indiciorum in ordine ad torturam; nunc vero deveniendum est ad alias quæstiones, & ideo quæro,

RESOL. XVII.

An Inquisitores possint inferre torturam sine Episcopo, & alios ad hoc subdelegare?
Et an ad pronunciandam tormenti sententiam intervenire debeant Episcopus, & Inquisitores?
Et an nemo autem alius præsens debeat esse quæstioni præter judices, tabelliones, atque tortores? Ex p. 4. tr. 6. Res. etiam 17.

§. 1. REspondeo negativè, ex *Clem.* 1. §. *propter, de hæret.* Vnde si Inquisitores sine Episcopo hæreticum torquerent, omnia essent ipso jure nulla, & ideo si reus ita tortus confessus fuerit, dicta confessio reo confitenti minimè nocebit, etiamsi fuerit ratificata, & hæc omnia latè probant DD. quos citat, & sequitur Farinac. *de hæret. q.* 186. *n.* 67. & *seq.* quibus ego addo Michaëlem Zanard. *in direct. Theol. part.* 2. *cap.* 6. *q.* 41. & Vmbertum Locatum *in praxi Inquis. ver. tortura*, 7. 8. & 9.

2. Vnde in sacro Tribunali Inquisitionis Hispanicæ ita supradicta observantur, ut non solùm Inquisitores cum Episcopo simul sententiam torturæ profetes simul cum Episcopo, vel ejus procuratore, & ideo *in instruct. Hispal. ann.* 1484. sic habetur: [En la question de tormento, quando se huviere de dar, deben estar presentes los Inquisidores, y Ordinario, o alguno dellos, y si bien visto le fuere come-

ter el dicho articulo à otra persona, porque ellos quisa no lo sabran bien hazer, ò seran impedidos, deben mirar que la tal persona, à quien lo susodicho se cometiere sea hombre entendido y fiel, y de buena fama y conciencia.] Sic ibi. & ad ornatum supradictorum verborum vide Pegnam *in director. Inquis. part.* 3. *commen.* 39. *num.* 151. *lit. B.* ubi sic habet. Non modò ad pronunciandam tormenti sententiam intervenire debent Episcopus, & Inquisitores, verùm etiam ad executionem ejus, nisi per infirmitatem, aut aliam justam causam alter excusaretur, quòd ubique videtur observandum. Ita ille.

3. Et ideo quòd *suprà* determinatum est in supradicta instructione Hispalensi, postea etiam determinatum fuit in instructione Toletana *anno* 1561. *num.* 48. ubi statuitur: [Al pronunciar de la sentencia de tormento, se hallen presentes todos los Inquisidores, y Ordinario, y assi mismo à la execution del, por los casos, que pueden suceder en ella, en que puede ser menester el parecer, y voto de todos sin embargo, que en las instruciones de Sevilla del anno 1484. se permita, que la execution del tormento se pueda subdelegar, porque esto que aqui se ordena parece cosa conveniente, quando alguno de los dichos Iuezes no se excusasse por enfermedad bastante.] Sic ibi. Quod autem dicitur de infirmitate, dicendum est etiam de alia justa causa, ut tenet Pegna *loco cit.* Et tandem hîc non desinam adnotare ea, quæ dixit circa præsentem quæstionem Simanca *in enchir. cap.* 52. *n.* 28. ubi ita ait: Inquisitor ipse adesse debet quæstioni, quia plurimum in excutienda veritate etiam vox ipsa affert, nam ex sermone, & ex eo, qua quis constantia, qua trepidatione quid diceret, quædam ad illuminandam veritatem in lucem emergunt; nemo autem præsens debet esse quæstioni præter judices, tabelliones, atque tortores. Sic Simanca. Et hoc ultimum derminatur etiam *in d. instruct. Toletana, numer.* 55. ubi sic habetur. [Al tormento no se deve hallar presente persona alguna mas de los juezes y el Notario, y ministros del tormento.] Sic ibi. Quod etiam ex multis probat Suarez de Paz. *in praxi tom.* 1. *cap.* 3. *part.* 5. §. 12. *num.* 84. & Villadiego *in polit. c.* 3. *n.* 315.

RESOL. XVIII.

An sit in arbitrario DD. Inquisitorum, quando delictum est vehementer indiciatum, procedere ad pœnam extraordinariam, vel ad torturam? Ex part. 4. tract. 6. Resol. etiam 18.

Sup. hoc sup. ex Resol. 1. lege doctr. §. Nota etiam. & alterius Resol. ejus

§. 1. ALiqui viri docti ex collegis in hoc sacro Tribunali sæpiùs affirmativam sententiam docuere; ego verò negativæ semper adhæsi, & modò adhæreo, ex sententia Baldi, quem referunt & sequuntur duo præstantissimi Doctores Hispani, Greg. Lopez & Anton. Gomez, hic *tom.* 3. *var. cap.* 12. *num.* 26. ille verò *in part.* 7. *tit.* 1. *l.* 26. *ver. duda*, quorum sententiam amplectendam esse docet novissimè Thom. Sanchez *in opusc. tom.* 1. *lib.* 3. *cap. unic. dub.* 12. *num.* 4. ubi sic ait: Quando judex habet indicia urgentia contra aliquem in criminalibus, & ipse reus neget delictum, non est in arbitrio judicis procedere ad torturam, vel ad pœnam aliquam extraordinariam; sed si reus est persona, quæ potest torqueri, de jure tenetur judex procedere ad torturam, ut comperta veritate possit judex pœna ordinaria damnare reum, vel absolvere, quia hoc medium jure statutum est ad extorquendam veritatem, *l. edictum, ff. de quæst.* & intelligitur conclusio, servatis omnibus requisitis ad torturam. Ita ille, & ego. quæ quidem opinio magis amplectenda videtur in nostro sacro Tribunali in quo non solùm intenditur pœna reorum; sed etiam emendatio, & veritatis ad eorum salutem indagatio, quæ sola tortura haberi potest: ergo ad eruendam veritatem, necessariò danda erit, ita ut rei confitendo errores, convertantur & vivant, ut bene docet Simanca *in enchirid. cap.* 52. *num.* 4.

2. Non desinam tamen hîc adnotare, Menochium, virum quidem doctissimum, *de præsumpt. lib.* 1. *q.* 92. *num.* 3. existimare hoc totum judicis arbitrio relinqui, ut pro ipsorum indiciorum, & præsumptionum qualitate, ac pro conditione personæ arbitretur, an damnari, aut torturæ subjici debeat reus, vide etiam Canteram *in qq. crim. c.* 2. *de probat. per testes, quæst.* 1, *n.* 31. *in fine.*

RESOL. XIX.

Quomodo Inquisitores debeant interrogare reos in tortura? Ex p. 4. tr. 6. Resol. etiam 19.

§. 1. AD hunc casum ita respondet Io. Rojas *de beret. part.* 2. *num.* 295. Inquisitores fidei cautè in tortura reos interrogent, ne occasio mentiendi contra se, & alios detur, ideo generaliter, & non particulariter, vel nominatim sunt intertogandi, videlicet ut veritatem dicant de omnibus, de quibus sunt accusati, & fuerunt, & nullo pacto falsum contra se, vel alios proferant, nam si particulariter interrogantur de re aliqua, vel persona, esset potiùs ad falsum incitare, & suggerere, quàm inquirere. Ita ille, cui adde Suarez de Paz *in praxi tom.* 1. *part.* 5. *cap.* 3. §. 12. *num.* 92. Mirandam *in ordine judic. tom.* 2. *quæst.* 26. *art.* 15. *concl.* 7. Simancam *in Cathol. instit. tit.* 65. *n.* 17. *& seq.* & ideo sapienter in nostra instruct. Toletana *an.* 1561. *num.* 49. sic statuitur. [Al tiempo que la sentencia de tormento se pronunciare, el reo sea advertido particularmente de las cosas, sobre que es puesto à question de tormento, pero despues de pronunciada la sentencia no se le deve particularizar cosa alguna, ni nombrarsele persona de los que parecieren culpados, o indiciados por su processo, y en especial, porque la esperiencia enseña, que los reos en aquella agonia dizen qualquier cosa, que les apunten, de que se sigue perjuizio de terceros, y ocasion para que reboquen sus confessiones, y otros inconvenientes.] Ita ibi sapienter, ut dixi, & sanctè.

RESOL. XX.

An Inquisitores debeant admittere appellationem rei à sententia torturæ?

Et aliqua alia circa appellationes rei notantur? Ex p. 4. tr. 6. Resol. etiam 20.

§. 1. REspondeo affirmativè ex *l.* 2. *Cod. de appellat. recipien. & l. penult. C. quorum appellat. non recip.* quæ leges *piuntur*, nisi appellatio esset frivola & calumniosa; nam in tali casu possunt illam rejicere, & ea non obstante ad ulteriora procedere absque attentatorum vitio, ut in facti contingentia, me consulente cum DD. Collegis in sacro Tribunali, anno præterito factum fuit, rejiciendo appellationem cujusdam rei tanquam frivolam; quando verò dicatur appellatio frivola, remittitur arbitrio Inquisitorum, per ea, quæ adducit Sousa *in Aphorism. lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 6. Simanca *in Enchir. tit.* 52. *num.* 11. & *in institut. Cathol. tit.* 65. *num.* 2. Suarez de Paz *in praxi tom.* 1. *part.* 5. *c.* 3. §. 12. *num.* 81. Sanchez *in opusc. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 3. *dub.* 15.

Sup. hoc sup. ex Resol. 61. §. ult. Ref. ex Notan.

dub. 15. *num.* 4. Miranda *in ordine judic. tom.* 2. *q.*26. *art.*15. *concl.*2. Quevedo *lib. de indiciis & tort. cap.*13. *num.*6. Villadiego *in polit. cap.*4. *num.*324. Sebastian. Guazzinus *in defens. reorum tom.*2. *lib.*1. *defens.*30. *capite* 2. *num.*11. Menochius *de arbitr. lib.*2. *cas.*197. *numero* 2. & Farinacius *quæst.* 38. *num.*27. qui optimè *num.*28. advertit, quòd tunc appellationem frivolam, & calumnioſam judex arbitrabitur, quando videbit in processu apparere legitima ad torquendum indicia, & ea non fuisse purgata in termino concesso ad defendendum; quæ tamen omnia procedunt, quando constat clarè de calumnia appellationis: secus autem quando sumus in dubio tam juris, quam facti, nam tunc Domini Inquisitores debent supersedere in tortura, & expectare quid super appellatione pronunciet judex ad quem, ut optimè observat Caravita *in ritu mag. Cur.*259. *num.*10. cum Farinacio *loco citato*, quibus adde Guazzinum *loco citato*. Scacciam *de judic. tom.*1. *lib.*1. *cap.*97. *num.*85. ubi explicat, quando appellatio à sententia torturæ dicatur frivola; & ita omnia supradicta determinantur *in nostra instruct. Tolet. anno* 1561. *n.*50. ubi sic habetur. [Deben los Inquisidores mirar mucho que la sentencia del tormento sea justificada, y procediendo legitimos indicios, y en caso que desto tengan escrupulo o duda por ser el perjuycio irreparable, pues en las causas de heregia ha lugar apelacion de las interlocutorias otorgen la apelacion a la parte que apelare. Pero en caso, que esten satisfechos de los legitimos indicios que del processo resultan esta justificada la sentencia del tormento, pues la apelacion en tal caso se reputa frivola deben los Inquisidores proceder à la execution del tormento sin dilacion alguna, y advertir que en duda han de otorgar la apellacion.] Sic ibi, quæ ubique, ait Pegna *in direct. Inquis. part.*3. *comment.*31. *num.*124. observari vellem, quoniam tutissima sunt, & æquissima.

2. Nota tamen hîc cum dicto Pegna, quod appellatio ab interloquutoria, sive à gravamine, quo reus se gravari dicit, duo præcipuè continere debet, primum est gravamen, à quo appellatur, ex *cap. cum sit Romana, extra de appellat.* alterum est causa gravaminis, & non sufficeret illa in genere, sed specificè erit explicanda, aliter appellatio non valeret.

3. Nota secundò, quòd si post appellationem aliud crimen deferatur, ipsa appellatione non obstante possunt Inquisitores circa illud contra appellantem procedere, si tamen causa gravissima non sit, tutius est non procedere, & Superioris responsum expectare. Ita Sousa *ubi supra num.* 11. qui citat Pegnam, quibus ego addo Castrum Palaum *in opere morali, tom.*1. *tract.*4. *disp.*8. *punct.*7. *num.*7. ubi rectè excipit, nisi causa appellationis fuerit suspicio judicis, tunc enim quia æqualiter in omnibus causis procedit, non poterit judex reum ad respondendum compellere, nisi fortè fuerit delictum adeo grave, & manifestum, ut ipsamet gravitate, & manifestatione reus condemnatus existat.

4. Et tandem nota tertiò, quòd in casu, quo Inquisitores admittunt appellationem, trasmittendus est reus cum processu, & idoneis custodibus ne fugiat, vel potiùs mittenda est summaria informatio ad Summum Pontificem. Ita Paramus *de orig. Inquis. lib.*3. *quæst.*4. *num.*110. & Sousa *ubi supra num* 9. Verùm in nostra Inquisitione Hispanica in tali casu observatur id, quod statuitur in instructione Toletana *cit. n.*51. ubi sic habetur: [Si en alguno caso pareciesse a los Inquisidores, que deben otorgar la apelacion en las causas criminales de los reos, que estan presos, deben embiar los processos al Consejo sin dar noticia dello a las partes, y sin que persona de fuera de la carçel lo entienda porque si al Consejo pareciere otra cosa en algun caso particular lo podran mandar, y proveer.] Sic ibi.

RESOL. XXI.

An Inquisitores possint torquere Confessarium solicitantem ex delatione unius fœminæ bonæ famæ?

Et an Confessarius minimè detrudendus sit in carcerem ex unius fœminæ quantumvis honestæ delatione?

Et an si Religiosus sit, non debeat incarcerari sine consilio Supremi Senatus? Ex part. 4. tractat. 6. Resol. etiam 21.

§. 1. Affirmativè ad hunc casum respondet Michaël Zanardus *in direct. Theol. p.*3. *cap.*88. *fol. mihi* 490. ubi sic ait: Item si mulier sit bonæ famæ & opinionis, si à Confessario in actu confessionis compulsa contra aliquem alias suum Confessarium deposuerit, quòd eam in confessione sacramentali solicitaverit (nisi mulier sit de mendacio suspecta ex exceptionibus, & talis Confessor sit cognitus probatæ vitæ) poterit torqueri super dicto unius optimæ mulieris, non patientis tamen aliquam exceptionem ex voluntariis, cùm simus in crimine occulto, & nullus præsumatur suæ salutis immemor, unde coacti à Confessario, ut Confessarium solicitantem revelet, & inter hos nulla sit inimicitia, ut testis probans de proprio auditu (qui in tali delicto æquivalet ei, qui aliquid deponit de proprio visu) ut testis integer habebitur. Hæc Zanardus.

2. Sed hæc quæstio non deseriet pro Inquisitione Hispanica, in qua numquam Confessarij solicitantes torquentur, verùm loquendo stante praxi Inquisitionis Romanæ ubi supradicti torquentur, adhuc puto sententiam Zanardi non esse admittendam, nam si, ut optimè observat contra Canteram Anton. Sousa *de Conf. s. solic. tract.*2. *cap.*21. *num* 6. Confessarium minimè detrudendum esse in carcerem ex unius fœminæ, quantumvis honestæ, delatione, quanto magis dicendum est, ex tali delatione, minimè torquendum esse, nam mulier numquam est testis omni exceptione major; sed unicus testis non sufficit ad torquendum, nisi sit omni exceptione major: ergo, &c. Dicendum est igitur, quòd numerus testium in tali casu sufficiens ad reum torquendum remittitur arbitrio Inquisitorum, qui inspectis circumstantiis, qualitate reorum & testium, hoc negotium prudenter determinabunt: In nostro verò Tribunali Inquisitionis Hispanicæ reus in tali casu, neque recluditur in carcerem quousque duobus testibus, vel tribus fuerit testificatus, ut observat Anton. Sousa *ubi suprà num.*7. & Castrus Palaus *in opere morali tom.*1. *tract.*4. *disp.*9. *punct.*11. *num.*1. & alij, & sic est Religiosus, in carcerem secretum non detruditur sine consilio Supremi Senatus.

Sup. hoc sup. in tr. 9. Res. 64. §. Sed in fin. & in Res. 65. §. 1. ad med. vers. ex unius fœminæ.

Sup. hoc magis latè sup. in tr. 10. Res. 39. §. ult. post med. & in Res. 67. §. ult. per tot.

RESOL. XXII.

Quomodo, & quo tempore Inquisitores debeant facere, ut reus ratificet confessionem in tormentis factam?

Et aliqua alia circa hoc notantur, & deciduntur? Ex p. 4. tr. 6. Res. etiam 22.

§. 1. Post inflictum tormentum, & confessionem in eo extortam, ut virtute ejus reus possit condemnari, necessarium est, ut eam ratificet extra locum torturæ, ut patet per glossam *in l. ver.* 2. *aliquid, C. quarum*

quarum appellat. non recip. & per glossam *in l. servos, C. ad leg. de vi public.* & docet Simanca *in Cathol. instit. tit.* 65. *num.* 67. Suarez de Paz *in praxi tom.* 1. *p.* 5. *cap.* 3. §. 12. *num.* 23 & 24. & alij; quantum autem tempus transire debeat in hac causa, nullo communi jure præfinitum est Bartol. & alij *in l.* 1. §. *Divus Severus ff. de quæst.* in arbitrio judicis hoc esse positum, videtur sentire. Cæterùm Anton. Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 13. *num.* 24. rectè admonet id spatium esse debere unius diei naturalis, & hæc omnia observat Pegna *in direct. part.* 3. *comment.* 39. *num.* 158. qui addit, benignius esse, ut hæc ratihabitio fiat post duos, vel tres dies, postquam inflicta fuit tortura, ne adhuc tormentorum dolor, & vehemens animi perturbatio durare videatur, quod etiam asserit Sousa *aphorism. Inquisit. lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 43.

2. Sed praxis nostræ Inquisitionis Hispanicæ sequitur opinionem communem Antonij Gomez, & aliorum, & ideo dicta ratificatio recipitur post transactas 24. horas. Vnde in instruct. Tolet. *anno* 1561. *num* 53. sic statuitur [Passadas 24. horas despues del tormento se ha de ratificar el reo en sus confessiones, y en caso, que las revoque usar se ha de los remedios del derecho. Y al tiempo que el tormento se da, el notario debe assentar la hora, assi mesmo a la ratification, porque si se hiziere en el dia siguiente no venga en duda si es despues de las veynte y quatro horas, o antes, y ratificandose el reo en sus confessiones, y satisfechos los Inquisidores de su buena confession podranle admitir à reconciliacion sin embargo de que aya confessado en el tormento.] Sic *ibi.* licèt Simanca *in Cathol. instit. tit.* 65. *n.* 71. & Miranda *in ordine judiciario tom.* 2. *q.* 26. *art.* 17. *concl.* 3. asserant, quòd Inquisitores solent in tertium diem rei ratificationem differre, quod illis etiam permittit instructio Hispal. *anno* 1484. *n.* 15. Verùm hodie ex dicta instructione Toletana, ut observat Didacus Cantera *ubi infrà*, post transactas 24. horas à reo ratificationem regulariter exposcunt.

3. Modum verò habendi hanc ratificationem ponit Farin. *de hæresi q.* 185. §. 8. *n.* 150. ubi ait: Cautius est, prout hodie servatur, quòd ad effugiendam suggestionem non lecta sibi confessione moneatur ad repetendum in substantia, quid in sua confessione in tormentis emanata pro veritate dixerit, & sic per ipsum repetita dicta confessione in substantia postea legatur confessio per extensum, & perquiratur ab eo, an ea quæ sibi lecta fuerint, sint illa eadem, quæ confessus fuerit post torturam, & an tanquam vera confirmare, & ratificare intendat. Ita Farinacius; & licèt alij ponant aliam formam habendæ dictæ ratificationis, non est recedendum à supradicta tanquam magis perfecta, & recepta in praxi, ut testatur Farinacius.

4. Notandum est tamen id, quod observat Inquisitor Cantera *in q. crim. cap.* 2. *de probat. per testes, q.* 1. *n.* 67. ubi sic ait: Vnum tene menti, quòd si aliquis tortus confessus fuit in tortura, & postea ad bancum judicis revocaverit, & post revocationem spontè fuit iterum confessus, dicendo, quòd illud, quod dixit in tortura, verùm erat, certè tunc valebit confessio facta in tortura, cùm sit corroborata cum confessione spontanea postea facta. Istum casum habui in praxi, & sic fuit determinatum per Consilium supremum Inquisitionis. Ita Cantera.

5. Notandum est tamen hîc obiter quòd licèt, ut dictum est, confessio facta, in tormentis non nocet, nisi postea ratificetur, quòd idem dicendum est, si confiteatur ex realis tormenti terminatione propinqua, tamen verbalis terrefactio remota ratificatione non indiget; & ita docet Pegna *in direct. p.* 3. *comm.* 39. *n.* 150. & post illum Sousa *in aphor. Inquis. lib.* 2. *c.* 39. *n.* 42.

6. Notandum est etiam, quòd dicta ratificatio confessionis in tormentis factæ, si reus est minor, facienda est coram curatore, ut observat Villadiego *in polit. cap.* 3. *n.* 330. & ideo Paulus Garsias *in ordine proces. in S. Offic. fol.* 40. *pag.* 2. sic ait: [Si el reo fuere menor de veynte y cinco años, se ha de ratificar con assistencia de su Curador, y firmar ambos.] Ita ille.

7. Et tandem nota quòd confessio in tortura facta, & postea extra tormentum ex intervallo legitimè ratificata, his tamen non obstantibus ex erroris allegatione & ejus probationis oblatione revocari potest. & ita tenet Caballus *in resol. crim. cent.* 2. *cas.* 186. *n.* 4. qui citat Bossium & Clarum, licèt aliqui asserant hoc non procedere, quando urgentia indicia torturam præcesserunt, ut confessio extrajudicialis, &c. sed contrarium errore probato dicendum est. & si error non probetur, non est deveniendum ad torturam, sed ad condemnationem definitivam.

RESOL. XXIII.

An Inquisitores debeant torquere reum, qui postquam in tormentis confessus est, sequenti die confessionem factam negat? Ex p. 4. tract. 6. Resol. etiam 23.

§. 1. VIdetur quòd non, ex verbis *instruct. Hispal. anno* 1484. *n.* 15. ubi sic habetur. [Si el delicto pareciendo semiplenamente probado los dichos Inquisidores con el ordinario juntamente deliberaron de poner al acusado à questión de tormento, confessare el dicho delicto, y despues de quitado el dicho tormento ex intervallo conviene à saber el dia siguiente, o a tercero dia revocare la dicha confession y se desdeziere (como quier que el delicto no quede ni sea complidamente probado) deben los Inquisidores mandar por razon de la infamia y præsuncion que del processo resulta contra el dicho acusado, que abjure publicamente el dicho error y denle alguna penitencia arbitraria.] Sic ibi.

2. Sed his non obstantibus, ut observat Didacus Cantera *in quæst. crim. cap.* 2. *de probat. per testes, q.* 1. *num.* 67. id non servatur in praxi in sacro Tribunali, quod etiam testatur Simanca *in instit. cathol. tit.* 65. *numero* 80. qui etiam notat dictam instructionem contrarium non prohibere. Dicendum est igitur cum Simanca *in cathol. instit. cap.* 63. *n.* 43. Peguera *in praxi c.* 12. §. 12. *num.* 9. Bossio *tit. de tortura, n.* 34 Suarez de Paz *in praxi tom.* 1. *part.* 5. *cap.* 3. §. 12. *num.* 17. Villagut. *in pract. lib.* 7. *cap.* 7. *concl.* 3. Aldrete *de disipl. tuend. libro* 1. *cap.* 17. *n.* 26. Binsfeldio *in comment. de malefic. & math. leg.* 7. *quæst.* 1. *concl.* 14. Mirand. *in ord. judic. tom.* 2. *quæst.* 26. *art.* 18. *concl.* 1. Michaële Zanardo *in direct. Theol. par.* 3. *cap.* 88. Sousa *in aphor. Inquis. lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 39. Quevedo *lib. de indiciis & tort. part.* 2. *cap.* 7. *num.* 2. Villadiego *in polit. cap.* 3. *num.* 331. Ambrosino *de proces. inform. lib.* 4. *cap* 5. *n.* 12. Guazzino *tom.* 2. *lib.* 1. *defens.* 30. *cap.* 36. *n.* 4. Inquisitores posse in tali casu torquere reos; & ratio est clara, quia ex illa revocatione videtur resultare novum indicium propter variationem torti, vacillavit enim, & propria confessione roboravit præcedentem probationem, & novum indicium ore suo addidit, & ita ex Theologis docet Lessius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 17. *n.* 168. & Becanus *in* 2. 2. *D. Thom. de justit. quæst.* 67. *de injustitia judicis, q.* 10. *num.* 18.

RESOL.

RESOL. XXIV.

An si reus bis tortus, bis confessus est, & revocat confessionem, sit tertio ab Inquisitoribus torquendus? Ex p.4. tr.6. Res etiam 24.

§.1. PVgnantes acriter circa præsentem quæstionem sententias invenio, & ideo affirmativam docent Doctores, quos citat, & sequitur Petrus Binsfeldius *in comment. de malefic. & math. leg.7. quæst.1. conclus.*14 quibus ego addo Castrum Palaum *in operemorali tom.1. tract.4. disp.8. punct.9. num* 17. Ludovicum Pegueram *in practic. crimin. cap* 12.§ 12. *num.*9. Clarum *in praxi* §. *fin. quæst.*21. *num.*36. Cifuentes *in leg.*79. *Tauri, ver. item quibus vicibus.* Antonium Quevedo *lib. de indic. & tortur. part.2. cap.7. num.*3. Gomez *tom.*3. *var. cap.*13 *num.*8. Ambrosin. *de processu inform. lib.*4. *cap.*5. *n.*14. Suarez de Paz *in praxi crim. tom.*1. *part.*5. *cap.*3. §.12. *n.*19. & Mirand. *in ordine judic. tom.*2. *q.*26. *art.*18. *concl.*1.

2. Sed negativam sententiam tenet ex nostris Doctoribus Didacus Cantera *in quæst. crim. cap.*2. *de probat. per testes, quæst.*1. *num* 67. Pegna *in direct. Inquis. part.*3. *comment.*39. Vmbertus Locatus *in praxi Inquis. ver. tortura,* §. *sed pone, reus positus ad torturam.* Simanca *in cathol. instit. tit.*65. *num.*81. Sousa *in aphorism. Inquisit. lib.*2. *cap.*39. *num.* 39. Sanchez *in opusc. tom.*2. *lib.*6. *cap.*3. *dub.*15. *num.*14. quibus adde ex Criminalistis Farinacium *quæst.*38. *num.*106. & Cartharium *de interrogatione reorum lib.*4. *cap.*1. *num.*132. & 161. & Damhauderum *in praxi crimin. cap.*38. *num.*12. Ratio est, quia indicia prioris confessionis per pœnam secundæ torturæ satis purgata sunt; & licèt Io. Baptista Bajardus *in addit. ad Iul. Clar. quæst.*21. *num.*140. asserat hoc relinquendum esse arbitrio judicis, qui considerabit gravitatem delicti, qualitatem rei, & qualia præcesserint indicia, quæ possunt adeò esse urgentia, ut judex rectè possit arbitrari reum etiam tertiò esse torquendum. Verùm ego absolutè negativam sententiam nostrorum Doctorum tenendam esse puto, quam piam satis esse fatentur ipsimet adversarij, ut Miranda *loco citato*, & in uno tantùm casu consulerem DD. Inquisitores reum tertiò torquendum esse, quando, ut rectè observant Simanca, Sousa, & Pegna *ubi suprà*, bis levissimè fuerit tortus, & in posteriori illa confessione alia nova signa priori confessioni addiderit. Vide etiam Guazzinum *tom.*2. *lib.* 1. *defens.* 30. *capite* 14. *num.* 6.

RESOL. XXV.

An Inquisitores possint torquere ex dicto unius testis minoris 20. annis?

Et quid. si adsit testimonium duorum? Ex p.4. tr.6. Res. etiam 25.

§.1. DE hoc casu olim interrogatus fui ab Illustrissimo Inquisitore Llames, qui pro parte affirmativa adducebat Bartolum *in l. de minoribus, de quæst. in princ.*

2. Verùm ego tunc negativè respondi, nam unus testis tunc facit indicium ad torturam, quando est integer, & omni exceptione major; sed minor 20. annis non est integer testis, cùm non habeat ætatem requisitam *in l. in testimonium*, juncta sua glossa, *ff. de testibus*, ergo, &c. & ita hanc sententiam docet Didacus Cantera *in qq. crimin. cap.*2. *de probat. per testes, quæst.*1. *num.*31. ubi etiam adducit practicam notabilem à DD. Inquisitoribus menti tenendam, & ideo hîc ejus verba apponam, sic enim asserit. Visum vidi practicari in Consilio supremæ Inquisitionis, quòd etiam ex dicto unius testis minoris viginti annis, imò nec habebat decem & octo annos, ex dicto illius fuerunt capti duo homines pro hæresi, quod certè durum mihi visum fuit: præcipuè quia ultra hoc quòd ille testis non habebat ætatem, erat mulier, licèt verum sit, quòd illi delinquentes erant ex genere Maurorum, & cæremoniæ ex quibus testificabatur, erant Mahometanæ, & sic contra eos erat præsumptio, cum essent ex illo genere, nam ex malis parentibus præsumitur contra filios, ut habetur *in cap. quia verisimilè, de præsumpt.* Ita Cantera.

3. Notandum est tamen, quòd licèt, ut dictum est, unus testis minorennis non sufficiat ad torturam, sufficerent tamen si essent duo, & ita docet M. Anton. Delrius *in disquis. mag. appen.*2. *lib.*5. *quæst.*15. *lit. F.* quia testimonium unius si accedat aliud indicium, valet ad torturam. Sed accedens secundi minorennis testimonium, novum est indicium, ergo, &c.

RESOL. XXVI.

Qui prior ex complicibus debeat ab Inquisitoribus torqueri? Ex p.4. tr.6. Res. etiam 26.

§.1. HIc casus frequenter solet accidere, quia in sortilegiis, maleficiis, fuga ad terras infidelium, &c. sæpe adsunt plures complices; igitur ad propositam quæstionem respondet Simanca *in Cathol. Instit. tit.*65. *num.*66. ubi sic asserit. Si plures ejusdem criminis socij, & participes torquendi sunt, judex à suspectissimo debet procedere, & à quo facillimè posse scire verum, verisimilius fuerit, id est, ab eo, qui timidior, debilior, deterior sit. Ita ille, & hoc etiam docet Peguera *in praxi crimin. c.*12. §.11. *num.*5. Suarez de Paz *in praxi tom.*1. *part.*5. *cap.*3. §.12. *n.*85. Villagut *in praxi lib.*7. *cap.*9. *concl. unica.* Petrus Binsfeldius *in comment. de malef. & math. lib.*7. *quæst.*1. *concl.*9. Paulinus Berti *in praxi crim. tit.*22. *cap.*1. *n.*1. Michaël Zanardus *in direct. Theol. part.*1. *cap.*91. Damhauderus *in praxi cap.*37. *num.*14. Vmbertus Locatus *in praxi Inquis. ver. tortura,* §. *& nota etiam.* Villadiego *in polit. cap.* 3. *num.* 316. ubi sic ait. [Si el tormento ha se de dar à muchos sobre el mismo delito, ha de començar por el mas viejo, o mas delicado, o menor de edad, y si ay padre, y hijo ha de començar por el hijo, o por muger si la hay, no haviendo nada destos por el mas indiciado.] Sic ille, quod etiam docet Ambrosin. *de process. inform. lib.*4. *cap.*7. *num.*1. Carthartius *de interr. reorum, lib.*4. *cap.*1. *num.*208. Iul. Clar. *in pract. lib.*5. §. *final. quæst.*64. *num.*29. Madius *in tract. de sacris Ordin. cap.* 36. *num.* 12. & alij penes ipsos, quorum opinio procedit, quando etiam torquendi sunt testes, ut observat Marsilius *in pract. crim.* §. *expedita, num.*49.

2. Non desinam tamen hîc adnotare Bajardum *in addit. ad Iul. Clarum ubi suprà, quæst.*64. *num.*93. ex Afflicto concludere, quòd à quibus complicibus tortura sit incipienda, remittitur arbitrio judicis; verùm hoc arbitrium debet esse regulatum à recta ratione. Hæc Bajardi opinio coincidit cum opinione Simancæ, aliorumque, modo, quo suprà dictum est. Sed omnia supradicta advertit Guazzinus *tom.*2. *lib.*1. *defens.*30. *cap.*19. *num.*4. procedere quando inter plures torquendos vigerent æqualia indicia; secus si contra unum vigerent majora, & plura indicia, quia ab illo tortura erit inchoanda, verùm hæc opinio apud me non caret difficultate.

RESOL.

RESOL. XXVII.

An Inquisitores possint torquere reum confessum ad ex-torquendum complices?

Et notatur non esse torquendos Hæreticos pro complicibus, nisi cum semiplena probatione, quod socios criminis habeant.

Et an depositio socij criminis facta in tortura, ratificanda sit extra illam?

Et an tortura in caput alienum debeat esse moderata pro ratione causæ, & indiciorum? Ex p. 4. tract. 6. Res. etiam 27.

§. 1. NEgativam sententiam videtur docere Instructio Toletana *anno* 1561. *num.*45. ubi sic ait: [Si el reo estuuierre negativo dado caso que aya de ser relaxado, podra ser puesto à question de tormento in caput alienum,]ex quibus verbis,ut observat Didacus Cantera *cap.* 2. *de probat. per testes. q.* 1. *num.* 52. videtur colligi à contrario sensu, quòd si reus est confessus, & non negativus, non possit poni ad torturam in caput alienum, & ita hanc sententiam docuit Rojas *de hæret. part.* 2. *num.*243. ubi ex dicta instructione firmat, quòd qui de se confessus est, in caput alienum non torquetur.

2. Sed his non obstantibus meritò hanc sententiam temperat Seraph. Freitas *in addit. ad tract. de Confess. solic. quæst.* 22. *num.*28. ubi determinat, quod arbitrio DD. Inquisitorum remittendum est, quando hæreticus de se confessus, sit ex circumstantiis torturæ subjiciendus pro complicibus extorquendis,& absolutè sententiam, quam docet Rojas, reprobat Cantera *loco citato*; ubi postquam verba dictæ instructionis adduxisset,sic asserit. Glossa cum textu *in l. non ideo minus, C. de accusat.* probat, quòd confessus de se crimen potest compelli ad dicendum de alio,si sint indicia sufficientia,nec video differentiam inter mandatorem & socium, vel alium delinquentem, de quo scit ipse tortus, & hoc vidi practicari in crimine hæresis, de quo loquitur ipsa instructio in supremo Consilio Inquisitionis, & bene. Ita Cantera, qui cùm testetur de praxi supremi Consilij, non est curandum de opinione Rojas; adversùs quem etiam insurgit Farinacius *de hæresi quæst.* 185. *num.*135. ubi sic ait. Verius dicendum est,quòd quando adsunt indicia contra hæreticum, quòd habeat socios, tunc ut illos revellet, torqueri potest, sive de se ipso neget,sive confiteatur, cùm multi reperiantur, qui magis curant complices tegere,quàm se ipsos, ut patet ex his,quæ dixi *q.* 196. *num.*17. *& sequent.* Ita Farinacius. Vnde pro hac sententia habetur decretum Pij V. *die* 28. *Julij anno* 1569. ubi sic statuitur. Pontifex inhærendo decretis factis per felicem recordationem Pauli Papæ IV. Sanctiss. Dominus noster Pius V. decrevit omnes,& quoscumque reos convictos, & confessos de hæresi pro ulteriori veritate habenda,& super complicibus fore torquendos arbitrio judicum. Sic *ibi.*

3. Notandum est tamen, quòd Doctores asserunt non esse torquendos hæreticos pro complicibus, nisi cum semiplena probatione, quòd socios criminis habeant,& ita docet Lessius *ubi infrà* Ludovicus Peguera *in praxi cap.*12.§.5.*num.*19.juncto *num.*25. Villagut *in practic. lib.*7.*cap.*7.*concl.*4. Pitigianus *in pract. part.*3. *cap.*3.§. *alter est*, *fol.*275. Binsfeldius *in comment. de malefic. leg.*7. *quæst.*1. *concluſ.*13. Simanca *in Cathol. instit. tit.*65.*num.*60.*& in Enchirid. tit.*52.*num.*31. Cantera *loco citato*, & alij, quos citat,& sequitur Farinac. *de hæresi, quæst.* 185. *num.*183. & innuit Instructio Toletana *anno* 1561. *num.*45. ibi: [Y esta testificado de si, y de otros complices, &c.]Sed quia supradictum decretum Pij V. loquitur sine præfata limitatione, ideo in praxi Romanæ & universalis Inquisitionis etiam sine ullo indicio complicum infertur tortura super complicibus, quia, ut observat Vmbertus Locatus *in praxi Inquisitorum, ver. hæreticus*, §. *hæreticus convictus*, hæresis est delictum tale quod communiter sine sociis & complicibus committi non consuevit.

4. Nota etiam quòd Farinacius *quæst.*43. *num.*138. docet, depositionem socij criminis factam in tortura ratificandam esse extra illam, non secus ac factam in tortura super delicto contra se ipsum,& hanc opinionem sequendam esse, & observandam, saltem ad cautelam,tenet etiam Sigismundus Scaccia *de indiciis,&c. lib.*1.*cap.*81. *n.*9. *ver. quinto dubitatur.* Sed contrariam sententiam mordicus sustinet Petrus Caballus *in resol. crimin. cent.*1. *cas.* 32. *num.*3. & 7. asserens supradictam Farinacij opinionem non esse veram, neque observari.

5. Notandum est tamen hîc, quòd tortura in caput alienum debet esse moderata pro ratione causæ & indiciorum, & ita ex Iulio Claro docet Lessius *lib.*2. *c.*29. *dub.*16. *num.*152.& Becanus *in* 2.2. *part.tom.*3. *de iustit. & iure, quæst.*67. *de iniustitia indicis quæst.*10. *num.*5. Vnde Maurus Burgius *tract. de modo procedendi ex abrupto, cent.*1. *quæst.*42. *num.*19. asserit quòd si tortura super complicibus non sit moderata, sed excessiva, dicitur purgare indicia negotij principalis. Vide etiam Mirandam *in ordine indic. tom.*2. *quæst.*27. *art.*20. *in fine*, & ideo Sousa *in aphorism. Inquisit. lib.*2. *cap.*19. *num.*5. sic ait. Tortura in caput alienum data, moderata esse debet,major tamen,vel minor pro qualitate indiciorum. Ita ille. Et omnia supradicta docet etiam Sebastianus Guazzinus *tom.*2. *lib.*1. *defens.*30. *cap.*9. *num.*3. *&* 6. qui cum Francisco Personali *tract. de iudic. num.*9.10.11. docet, quòd in tali casu tutius erit minus torqueri, quàm plus, quod etiam tenet Tuschus *lit. T. concluſ.*234. *num.*2. licet,ut ipse Guazzinus observat, tortura per mediam horam illata in tali casu diceretur moderatè illata. Vide etiam circa hoc Farinacium *quæst.*40. *num.*27. & Iulium Clarum *quæst.*64.

RESOL. XXVIII.

An Inquisitores possint torquere reos sine data eis copia indiciorum, & nominibus testium? Ex p. 4. tract. 6. Res. etiam 28.

§. 1. QVoad primum respondeo, quòd ita torquebat reos quidam Inquisitor, ut testatur Navarrus *tom.*2. *lib.*5. *consil. tit. de caus. consil.*8. sed male, per ea, quæ ego fuse adduxi *in addit. quintæ editionis Lugdunensis meorum operum, resolut.*29.& docet in specie Miranda *in ordine indic. tom.*2.*q.*26.*art.*14. *concl.*1. & Iul. Clar. *in praxi* §. *fin. q.*49. & Delrius *in disquisit. magic. append.*2.*lib.*5.*q.*37. & Villadiego *in politic. cap.*3. *num.*312.

2. Vnde ait Simanca *in Enchirid. tit.*52.*num.*8.Copia indiciorum reo danda est cum dilatione ad ea dispiluenda, & M. Anton. Genuens. *in praxi Archiepisc. cap.*68.*num.*5.idem asserit, quod etiam docet ex nostris Sousa *in Aphor. Inquisit. lib.*2.*cap.*39. *num.*22.& ideo in nostra Inquisitione Hispanica,ut patet ex *instr. Toletana anno* 1561. *num.*32. & observat Paramus *de origine Inquisit. lib.*3.*quæst.*4 *num.*53.Inquisitores ipsi propria manu testium publicationes scribunt, ac reo tradunt; nomina verò testium non dantur, & licèt *in cap. Qualiter, & quando, extra de accusat.* statuatur quòd

quod non solùm dicta, sed etiam nomina testium reo publicanda sint, tamen in causa hæresis hoc non procedit, ut observat ex Simanca Iul. Clar. *in praxi q.49.* & habetur *in cap. fin. de hæret. in 6.* & Miranda *in ord. jud. tom.2.q.26.art.14.concl.1.*

3. Verùm circa præsentem quæstionem magnam difficultatem infert supradictus textus, nam ibi circumscripta potentia rei inquisiti, ac cessante periculo testium examinatorum contrarium videtur jure cautum, nam verba textus sic habent. Iubemus tamen quòd si accusatoribus, vel testibus in causa hæresis intervenientibus, seu deponentibus, propter potentiam personarum, contra quas inquiritur, videant Episcopi, vel Inquisitores grave periculum imminere, si contingat fieri publicatio nominum eorum, ipsorum nomina non publicè, sed secreto, omissis aliis, exprimantur, sicque non obstante, quod illis, contra quos hujusmodi deposuerunt, nomina ipsorum non fuerint publicata, adhibeatur ad cognitionem judicis instruendam plena fides depositionibus testium eorumdem. Ita textus *ibi.*

4. Ex quo Franc. Personal. *in tract. de indiciis & tortur. post num.19.* nititur probare contra Simancam non valere consuetudinem celandi nomina testium in omnibus casibus, cujus sententia magis videtur comprobari ex Bulla Pauli III. ubi postquam mandavit in copiis indiciorum reis ante torturam tradendis, nomina testium fore exprimenda, subdit postea hæc verba, *præterquam in crimine hæresis*, juxta juris dispositionem, sed circumscripta potentia Inquisiti, & periculo ipsorum testium ejus mandat, ut patet *d. cap. fin.* etiam in crimine hæresis publicari nomina testium; ergo cessante periculo, publicanda erunt.

5. His tamen minimè suffragantibus, non est recedendum à communi & accepta praxi, per quam absolutè omnibus reis in sacro Tribunali non dantur nomina testium, & ita determinavit Congregatio Cardinalium *die 14. Maij 1566.* per hæc verba: Illustrissimi Cardinal. Inquisitores Generales in Congregatione ordinaria decreverunt dari nuda testium dicta prout eo usque observatum fuit absque nominum publicatione, aliarúmque circumstantiarum, propter quas posset deveniri ad ipsorum testium notitiam, & quoad responsiones testium super rei interrogatoriis pæriter decreverunt non esse dandas, si ex illarum publicatione deveniretur in notitiam, quinam fuerint testes ipsi. Sic *ibi.* & ideo *in instruct. Tolet. anno 1561.n.39.* sic habetur. [Si pidiere el preso translado, y publicaçion de las defensas no se le ha de dar, porque por el podria venir en conocimiento de los testigos que contra el depusieron.] & ita hanc sententiam Moscovius *de majestate militantis Ecclesiæ lib.1.part.1.cap.11.* Homobonus *de statibus part.1. cap.6* Scaccia *de indiciis lib.1. cap.87. num.18.* Deltrius *in disquisit. magic. lib.5.sect.15.* Zecchius *in summa tom. 1. tit. de fide cap.11. n.14.* Rojas *singul.207.* Simanca *in cathol. instit. tit.64.n.26.* Gundisalvus *de hæret. q. 10. num.4.* Zanchinus *de hæret. cap.9. num.6.* Decianus *lib.5. cap.35. num.16.* & latissime Barbosa *in collect. tom.3. lib.5.tit.2. cap.20. num.6. & sequen.* & Quevedo *lib. de indiciis & tort. cap.10. num.15.*

6. Quod verò de non publicandis testium, seu accusantium nominibus dictum est, idem locum habet in quibusdam aliis circumstantiis, ex quibus posset reus devenire in cognitionem testium, vel accusatorum, & ita observat Pegna *in annotat. ad Lucernam Inquisit. ver. nomina accusatorum.* Genuensis *in praxi cap.68.num.5.* & alij. unde *in instruct. Hispal. an.1484. n.16.* sic statuitur. [Quando la probança fuere hecha, y los testigos repreguntados deben hazer publicaçion de los dichos, y deposiçiones callando los nombres y circunstançias por las quales el reo acusado podria venir en conocimiento de las personas de los testigos.] & *in instruct. Tolet. an.1561.n.31.* [Ratificados los testigos, saquese en la publicaçion a la letra todo lo que tocare al delitto, como los testigos deponen quitando della solamente lo que le podria traer en conocimiento de los testigos. [Ex quibus verbis, ut optimè observat Pegna *in direct. Inquisit. p.3.comm.124.* videtur arbitrio Inquisitorum relinqui, quales circumstantiæ publicari possunt, quales vero tacerí, nam ex quo dicta instructio eas non præscripsit, judicio Inquisitorum reliquisse videtur.

RESOL. XXIX.

An minores 14. annorum sint ab Inquisitoribus torquendi?

Et quid de prægnantibus, senibus, laborantibus quartana, morbo Gallico, &c?

Et an Nobiles sint in S. Officio levius torquendi? Ex p.4. tract.6. Res. etiam 29.

§.1. AFfirmativam sententiam docet Ioseph Sessæ Consultor S. Officij, vir quidem doctus, *in decis. Regni Aragon. tom.4.dec.476.n.20.* ubi sic ait: Minor 14. annorum, licèt de jure non torqueatur fallit in læsa majestate divina, & humana, nec pœna in eo minoratur in his criminibus. Ita ille, & novissimè Castrus Palaus *in opere morali tom.1.tract.4. disp.8. pun.9. num.14.* & Villadiego *in polit. cap.3. num.322. & 323.* ubi sic ait: [No se puede dar tormento a las personas privilegiadas como son el menor de 14. años y el viejo de 60. &c. si no es en delito de heregia, que en tal caso no ay persona privilegiada, que no pueda ser atormentada.] Ita ille, & pro hac sententia faciunt Doctores, quos citat & sequitur Guazzinus *tom. 2. lib.1. defens. 30. cap.9.* asserentes minores 14. annis in crimine læsæ majestatis torqueri, quod etiam docet Eymericus à Rosbach *in tract. crim. tit. 5. cap.21. num.10.*

2. Sed contrariam sententiam tenet Marc. Anton. Delrius *in disquis. magicis lib.5.sect.9.§.quoad personas.* ubi sic asserit: Quoad eos qui sunt exceptione ætatis, puto si sint minores ætate annorum 14. tantùm esse terrendos etiam terrore reali, ut nudando, ligando, & ad eculeum adducendo, non tamen imponendo: si minores tamen 25. annis ingressu saltem 14. torquendi, sed mitiùs, quàm majores. Hæc Delrius, & ante illum Simanca *in cathol. instit. tit. 63. numero 45.* & Pegna *in direct. Inquisit. part.3. comm.110. §. minores verò 20. annis*, non bene pro sua sententia citati à Castro Palao, cùm apertè asserant minores 14. annorum torqueri non posse, sed terreri, ut cum Simanca observat etiam Miranda *in ordine judiciar. tomo 2.q.26. art.13.concl.7.* His tamen non obstantibus aliqui non discedunt à prima sententia, quando sine periculo & moderatè dicti minores 14. annorum torquerentur, & ita tenent DD. quos citat Farinacius *q.42.n.102. & 133.* & Guazzinus *tom.2.lib.1.defen 30. cap.18. num.4.*

3. Illud verò, quod asserit Sesse *ubi suprà*, quod pœna ratione ætatis in minoribus non minoratur, mihi non placet, & ideo Sousa *in aphor. Inquis. lib.3. c.32. n.18.* sic ait: Minores 25. annis regulariter puniuntur mitiùs, etiam facti majores, quia non tempus punitionis, sed delicti attenditur, & *n. 21.* ait: In crimine hæresis si minor rectè pœniteat, mitiùs punitur; & citat Simancam, Decianum, & alios.

4. Dicendum est igitur cum Suarez de Paz *in praxi tom.1. par.5. cap.3. §.12.n.50.* Sanchez *in opusc. tom.2. lib.6. cap.3. dub.15. num.12.* Miranda *in ordine judic.*

dom.2. q.26. art.13. concl.6. Narbona *in recapil. part.1. leg.61. glossa 1.n.14.* Rojas *singul.208. num.5.* Guazzino *ubi suprà.* Cantera *in qq. crimin. cap. 2. de probat. per testes,q.1.n.71.* & Doctoribus citatis in Tribunali S. Inquisitionis, omnes personas privilegiatas posse torqueri, exceptis minoribus annis 14. senibus, & prægnantibus,imò prægnantes neque terreri possunt, ut observat Pegna *part.3. comment.39.* Sousa *in aphorism. Inquisit. lib.2. c.39. n.32.* Binsfeldius *in commen. de malef.leg.7.quæst.2.concl.7.* quicquid in contrarium doceat Michaël Zanardus *in director.Theolog. part.3. cap.88.fol.499.* ubi tenet prægnantes posse terreri,sed malè. Possunt tamen senes decrepiti & minores 14. annis terreri,ut docet Miranda *loco citato,* & alij, non tamen possunt etiam leviter torqueri; quicquid in contrarium dicat Quevedo *lib.de indic.& tort. cap.12. num.9.*

5. Notandum est etiam pro praxi mulierem post partum non posse torqueri nisi post 40. dies.Ita Cantera *in quæst.crim.q.10. de reo num.1.* Quevedo *loco citato.*Paulus Ghirlandus *de quæstion.lib.4.quæst.6.num.7.* Brunus *de indiciis part.2.quæst.4.num.2.* Tuschus *tit.T. concl.328.num.21.*& alij,ita ut si infra 40.dies torqueretur & fateretur delictum, confessio esset nulla, ut ex multis observat Eymericus à Rosbach. *in praxi crim.tit.5. cap.21. num.6.* & Bajardus *in addit.ad Iul. Clar.quæst.64.num 67.* licèt Anton.Gomez *tom.3.var. cap.13.num.3.in fine,*dicat esse relinquendum arbitrio judicis quando mulier post editum partum possit torqueri.

6. Nota etiam Anton. Quevedo *de indic. & tort. part.2.cap.12.num.11.*docere senem, quem *suprà* diximus non esse torquendum, esse senem 70. annorum, & etiam 60. si sit infirmæ salutis, debilisque complexionis.Imò Villagut *in pract.crim. lib.7.c.4.concl.4,* absolutè docet senem sexagenarium non esse torquendum. Sed ego puto in casu contingenti,quando senectus excuset à tortura, remittendum esse arbitrio DD. Inquisitorum attenta valetudine, robore,& qualitate delinquentis, & delicti & ita tenent Doctores, quos citat, & sequitur Eymericus à Rosbach *in pract.crim. tit.5. cap.21.num.12.*& Sebastianus Guazzinus *tom.2. lib.1.defens.30. cap.12. num.2.*Verùm difficultas est,an supradicti sexus,quando non possunt torqueri possint terreri, ducèdo eos sub equuleo tantùm absque ligatura; & affirmativè respondet Cavalcanus *de brachio Regio part.3.n.126.ver. est tamen,* & à fortiori hoc etiam concederet Gomez *tom.3.var.cap.13.n.3.& seqq.* Franciscus Personalis *tract. de indiciis sub num.15.* Paulus Ghirlandus *de quæst. & torm.cap.6. num.8. & sequen.* dictámque sententiam Cavalcani, licet cum verbo *forsan,*admittit etiam Guazzinus *tom.2.lib.1.defens.30. cap.12.num.3.*

7.Et tandem pro coronide hujus resolutionis nota quòd Franciscus Marcus *decis.790.* Bajardus *in addit. ad Iul. Clar. quæst.64. num.73.* Calvacanus *de brachio Regio part.3.num.117.* docet laborantem febre quartana leviter torqueri posse sine squassata, seu strappata,& non in die febris,& ita etiam docet Anton.Quevedo *lib. de indiciis part.2. cap.12. num.23.* ubi sic ait, [Tampoco podra ser atormentado el que esta enfermo de quartana si no es levemente el dia que le dexa.]Ita ille. Sed in casu contingenti ego consulo DD.Inquisitores adhibere Medicorum judicium.Non tamen erunt torquendi laborantes morbo Gallico,brachio debilitato, patientes ruptionem venæ, vel difficultatem anhelitus, de quibus omnibus loquitur Laderchins *consil.184.* Grammaticus *consil.40.* Decianus *resp.93.* & Guazzinus *tom.2.lib.1. defens.30.cap.16. num.1.*

8. Advertant hîc obiter DD.Inquisitores,Delrium *in appen.2.lib.5,quæst.23.* docere nobiles esse in S. Officio leviùs torquendos; sed Farinacius *de hæres. quæst.185. num.125.* asserit hanc opinionem apud se difficultate non carere;verum apud me nullam habet difficultatem, unde Simanca *in cathol. institut. tit.65. num.62.*& Pegna *in direct.part.3,comment.110.*docent in tribunali S. Officij torquendos esse tam nobiles, quam ignobiles, hi tamen duriùs, illi clementiùs, & ideo Cartharius *de interrogat. reorum, lib.4. cap.1. num.112.*admonet judices ut minus torqueant nobiles, quàm plebeios.

RESOL. XXX.

An Inquisitores in crimine sagarum ex sola denunciatione complicum absque ullis aliis indiciis possint torquere personas denunciatas bonæ alioquin famæ? Ex p.4. tract.6. Res.etiam 30.

§.1. HIc casus solet torquere DD. Inquisitores, eorúmque Consultores, nam M. An.Delrius *in disquis. mag. lib.5.sect.3.& in append.2. ejusdem libri, q.1.* fusè affirmativam sententiam docet, idem etiam docet Valentia *tom.3. disp.6.q.13.punct.4.§.2.& 3.*Idem à fortiori sentiunt illi, qui etiam unius complicis denuntiationem in exceptis criminibus ad torturam sufficere asserunt, quales penes Delrium citantur Cynus, Imola, Abbas, Gomez & alij.

2. Sed mihi contraria sententia longè probabilior videtur quam novissimè adversùs Delrium ex eadem Societate tenet Adamus Tannerus *in Theol. schol. tom.3. disputat.4. quæst.5. dub.2. per totum,* ubi probat, nunquam ob plurium sagarum, sive strigum velut complicum denuntiationes sine indiciis aliisque adminiculis contra personam alioquin bonæ famæ esse procedendum ad torturam;& ideo Farinacius *de hæresi quæst.185.§.8.num.151.in fine,*sic air:Advertè tamen quòd vera non est, nec in sancto & generali urbis, universalique Reipubl. Christianæ Inquisitionis Tribunali servatur propositio Delrij; dum concludit indicium ad torturam duarum sagarum, seu lamiarum dicentium vidisse inquisitam, vel inquisitum in conventu, & congregatione aliarum sagarum, cùm enim multoties non corporaliter, sed per illusionem dæmonis in hoc conventu se esse opinentur,& sic eorum assertio de visu possit esse falsa, absurdum est dicere, quòd lamiæ prædictæ indicium faciant ad torturam, cùm, ut suo loco dixi, indicia ad torturam esse debeant non dubia, sed certa. Ita ille.Vnde in facti contingentia antequam in simili casu ad consultationem,an supradicti debeant torqueri, deveniant DD. Inquisitores, videant omnino Adamum Tannerum *loco citato*; nam licèt *suprà* dictum sit quòd duo socij criminis in causis fidei faciunt indicium ad torturam, ut docet Pegna *in director. part.3. comment.110. in append.* tamen in nominationibus sagarum adest particularis difficultas, & ideo, ut dixi, consule quando casus occurrerit,citatum Tannerum & Paulum Layman *in Theolog. moral, lib.3.section.5. tractat.6. cap.15, numer.8. in fine.* Vide etiam circa præsentem quæstionem Binsfeldium *de confessione sagarum, membr.2.conclus.6. fol. mihi 246.*

3. Nec desinam etiam hîc apponere verba Antonij de Quevedo *lib. de indiciis & tort. part.2. cap.5. num.91.*sic asserentis. [Aunque es verdad, que en favor de la fe esta introducido, que el socio en el delito haga bastante indicio para atormentar al que nombrare por consocio con la calidad, que diremo mas abaxo, pero en el delito de Brujas no aprovecha solo esto declaracion para este efecto, porque como los Brujos por ilusion del demonio andan de ordinario engañados,

engañados, pensando que es verdadero lo que les rapresenta, es muy possible sean acusados hombres santos, y justos, en cuyo cuerpos se pudo transformar.] Ita ille. Vnde, ut dixi, in casu contingenti videant DD. Inquisitores quid faciant, & ut dixi, citarum Tannerum consulant; & ideo meritò Inquisitor San Vincente *in suis manuscriptis cap.* 13. §. 2. & 7. & doctus Castrus Palaus *in opere morali tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 8. *punct.* 16. §. 5. *n.* 2. observant in nostro Tribunali Hispanico ex depositione præcisa complicum in hoc delicto reum minimè capi, sed actus exteriores comprobatos requiri.

RESOL. XXXI.

An Inquisitores possint torquere reum minorem, non dato ei Curatore, & si debeat esse præsens in tortura?

Et an in tali casu Curator possit esse ex Officialibus Inquisitionis?

Et notatur, quod Pater non sit constituendus Curator filiorum à DD. Inquisitoribus? Ex p. 4. tract 6. Resol. etiam 31.

§. 1. REspondeo quoad primum negativè & ita docet Monticellus *in praxi crim. regul.* 10. *n.* 17. ubi sic ait: Si reus minor sit, judex debet ei dare curatorem, aliàs processus nullus est, & si minor confiteretur, etiam spontè, sine curatore, talis confessio ei non noceret. Imò plus si diceret sine curatore judici, Non me torqueatis, quia omnia confiteor, & juro non venire contra, talis confessio hoc modo facta etiam cum tali juramento non præjudicabit ipsi minori. Ita ille, & alij penes ipsum, quibus ego addo Rojas *de hæret. p.* 2. *n.* 318. Pegnam *in direct. p.* 3. *comm.* 28. & Vmbertum Locatum *in praxi Inquis. ver. curator.* Guazzinum *tom.* 2. *lib.* 1. *defens.* 30. *cap.* 4. *n.* 21. Plaçam *in epit. delict. lib.* 1. *cap.* 32. *n.* 12. licèt in aliquibus locis consuetudo sit in contrarium, quam non improbat Eymericus à Rosbach *in pract. crim. tit.* 5. *cap.* 21. *n.* 3. Sed quicquid sit de justitia talis consuetudinis, certum est non adesse in Tribunali Inquisitionis Hispaniæ, unde *in instruct. Tolet. anno* 1561. *n.* 25. sic habetur. [Si el reo fuere menor de 25. años proveerse ha de curador en forma, antes que responda a la acusacion, y con su autoridad se ratificara en las confessiones, que huviere hecho, y se hara todo el processo, y el curador no sea oficial del santo Oficio, y puede ser el abogado, ò otra persona de qualidad, confiança y buena conciencia. [Sic ibi. ex quibus verbis apparet, non bene dixisse Didacum Canteram *in qq. crimin. q.* 6. *de reo*, *n.* 3. quòd in judicio S. Inquisitionis potest judex compellere minorem, ut nominet curatorem de officialibus Inquisitoris, nam, ut apertè apparet in verbis *suprà* citatæ instruct. curator in tali casu non potest esse ex officialibus Inquisitionis; non est igitur admittenda contraria praxis, de qua testatur Cantera *ubi suprà*, quia, ut dictum est, de directo est contra determinationem instructionis Toletanæ.

2. Notandum est tamen hîc cum Paulo Garsia *in ordine processandi S. Officij fol. mihi* 29. [Que si el Reo fuere menor de edad ha de estar presente el Curador a la pronunciacion de la sentencia, para que pueda apelar si quisiere, pero no se ha de hallar a la diligencia del tormento. [Sic Ille. Sed hæc ultima verba non carent difficultate, quia ex *l. clarum. C. de author. præst.* & ex Rolando *lib.* 1. *consil.* 3. *num.* 8. & aliis, tortura minorum debet esse cum præsentia curatoris, & si aliter efficiatur, asserunt, minorem posse petere restitutionè in integrum, & tentare nullitatem; sed consuetudo in nostro sacro Tribunali est in contrarium, quia in tortura non est necessaria authoritas curatoris, cùm adsit præsentia judicis, ad quem pertinet officium torquendi; idcirco id, quod *suprà* dixit Paulus Garsia, & observatur in nostro Tribunali, docuerat antea Anton. Gomez, quem citat & sequitur Anton. de Ballis *in tract. var. lib.* 2. *quæst.* 13. *num.* 17. probans, quòd nullatenus in tortura requiritur curator, sed tantùm in decisione articuli, si debet torqueri sin, vel ne; & ideo Villadiego *in polit. cap.* 3. *num.* 325. sic ait: [El Iuez se encierra en la camera del tormento con el escrivano, y delinquente, sin que aya otra persona; ni el Curador si es menor.] Vnde patet, quòd rectè hæc opinio observatur in praxi in nostro sacro Tribunali, quam etiam tuetur Carthagius *de interrog. reorum, lib.* 4. *capite* 1. *num.* 49.

3. Nota etiam hîc obiter primò contra Anton. Gomez *lib.* 3. *var. cap.* 1 *n.* 64. patrem non esse constituendum à DD. Inquisitoribus in curatorem filiorum, & ita observatur; bene tamen observat dictus Gomez, curatorem non esse conveniens præsentem esse, quando reus interrogatus de delicto respondet, quia ex propria scientia, & non ab aliis submini strata debet reus respondere.

RESOL. XXXII.

Quando reus est convictus, & datur tortura super intentione, & complicibus, an danda sit ab Inquisitoribus cum clausula citra præjudicium probatorum? Ex p. 4. tr. 6. Res. etiam 32.

§. 1. REspondeo affirmativè, & aliter si tortus persistat in negativa, imò etiãsi cum dicta clausula reus interrogetur super delicto principali, per torturam purgabit omnes probationes, nàm tunc protestatio nihil operatur, secus autem si Inquisitores in sententia torturæ apponant clausulam, ut debet apponi *citra præjudicium probatorum*, & in tortura nihil de probato delicto interrogent, tunc enim reum tortura, etiã quòd negando perstiterit, esse damnandum ad ordinariam pœnã, communiter docet Doctores, quia per illam protestationem redditur fisco jus suum salvum, ut expresè inter alios docet Boërius *decis.* 163. *n.* 13. Villagut *in pract. lib.* 7. *cap.* 2. *concl.* 4. Bossius *tit. de indic. ante torturam, n.* 130. Bursatus *consil.* 346. *n.* 20. Decianus *consil.* 93. *n.* 20. *vol.* 2. Pitigianus *in pract. crim. p.* 3. *cap.* 6. *in add. lit. B. fol.* 280. Petrus Binsfeld. *in comm. de malef. & math. leg.* 7. *q.* 1. *concl.* 3. *fol. mihi* 553. Michael Zanard. *in direct. Theol. p.* 3. *cap.* 89. Sousa *in aphor. Inquis. lib.* 2 *cap.* 39. *n.* 44. & 45. Quevedo *lib. de indic. & tort. cap.* 1. *n.* 8. Chartar. *de interrog. reor. lib.* 4. *c.* 1. *n.* 96. & Delrius *in disqu. mag. lib.* 5. *sect.* 9. §. *cæterum, si reus, fol. mihi* 738. ubi observat esse casus aliquos: quibus tortura reum convictum non eriperet punitioni ordinariæ. Primus, si non detur super delicto, de quo quis fuit confessus, vel convictus, sed ad notitiam aliorum delictorum. Secundus, quando datur tantùm pro habenda ulteriori veritate qualitate aggravantium. Tertius, quando irrogatur ad habendos complices, fautores, receptatores, aliósque participes; & Quartus, ut est in casu nostro, si judex decernit eam cum protestatione id se facere sine præjudicio probatorum, & revera hæc protestatio non apparet contraria facto, ut appareret si reus interrogaretur super principali delicto, etiam ore tenus, & non scribente Notario.

2. Et ideo non obstante tortura, quia data fuit cum protestatione, M. Ant. Genuensis *in praxi Archiepiscop. cap.* 68. *num.* 8. docuit, quòd suspectus de hæresi, vehementer torquetur super intentione, & complicibus, & si neget, adhuc compellitur abjurare de vehementi, & pro facto hæreticali solent condemnari ad triremes,

quod etiam docet Pegna *in direct. Inquis. part. 3. commen. 67.* Zanard. *in direct. Inquis. part. 3. cap. 65.* Delrius *in disquis. mag. lib. 5 sect. 15. §. dico tertio.* Sed difficultas est, an quando reus torquetur non solùm super intentionem & complicibus, sed etiam super facto, an si negativus persistat in tortura, sit adhuc aliqua pœna extraordinaria puniendus? sed ad hoc respondemus in seq. resolutione.

3. Non desinam tamen hìc adnotare quòd secundùm Gomez *tom. 3. var. cap. 13. n. 20.* Covarr. *pract. qq. cap. 23. n. 5.* Suarez de Paz *in praxi tom. 1. part. 5. cap. 3. §. 12. n. 10.* & alios, si reus torqueretur stantibus legitimis probationibus, negétque delictum, & judex priùs protestationem non fecerit, adhuc probationes legitimæ non eliduntur; sed communis opinio, ut diximus, est in contrarium, & ideo semper in tali casu apponitur clausula, *citra præjudicium probatorum.*

RESOL. XXXIII.

An tortus, & negativus possit puniri ab Inquisitoribus pœna extraordinaria?

Et in dicto casu, si post torturam fuit iterum interrogatus extra tormentum, de delicto, & inventus est varius, an ex illa variatione poterit iterum torqueri? Ex p. 4. tr. 6. Resol. etiam 33.

§. 1. HIc casus frequenter accidit, & affirmativè videtur respondere doctus Inquisitor Didacus Cantera *in qq. crim. cap. 2. de probat. per testes, quæst. 1. num. 65.* ubi sic ait: Aut per torturam fuerunt purgata indicia, quia secundùm qualitatem delicti, & indiciorum fuit tortus, & tunc credo, quòd debeat absolvi, aut tortura non fuit sufficiens ad purganda omnia indicia secundùm qualitatem delicti, & indiciorum ipsius personæ tortæ, & tunc non purgabit in totum, sed aliqua pœna arbitraria puniendus secundùm arbitrium judicis, & ita seryatur propter qualitatem criminis in crimine hæresis, nam qui semel est infamatus de delicto, & est aliqua probatio de eo, nunquam satis purgatur ad torturam, & sic imponitur aliqua pœnitentia arbitraria Hæc Cantera; sed infrà illum explicabimus.

2. Verùm circa præsens difficillimum dubium adest determinatio nostræ Instruct. Toletanæ *an. 1561.* ubi *numero 54* sic habetur, [Si el Reo venciere el tormento deven los Inquisidores arbitrar la calidad de los indicios, y la clidad, y forma del tormento, y la edad y disposicion del atormentado, y quando todo considerado pareciere, que ha purgado suficientemente los indicios absolverle han de la instancia aunque quando por alguna razon les paresca no fue el tormento en el devido rigor, consideradas las dichas calidades podranle imponer abjuracion de levi, & de vehementi, o alguna pena pecuniaria, aunque esto no se deve hazer sino con grande consideracion, y quando los indicios no se tengan por suficientemente purgados.] Sic *ibi.* Et ideo quando indicia fuerunt gravia, & valde urgentia, non purgantur per torturam quoad pœnam extraordinariam, ut probat Aloysius Riccius *part. 1. decis. 73. num. 8.* Petrus Binsfeldius *de malefic. leg. 7. quæst. 1. conclus. 16.* Bossius *titt. de Inquisit. numero 30.* & Iul. Clar. *quæst. 64. num. 38.* ubi sic ait: Apud nos autem quandoque etiam post gravem torturam, & perseverantiam rei in negatione, ubi indicia sunt valde urgentia, solet Senatus reos condemnare, non quidem ad pœnam ordinariam, sed extraordinariam, puta triremium ad tempus. Ita ille; quorum doctrina maximè procedere debet in crimine hæresis, propter ejus enormitatem.

3. Sed ego, quicquid sit in aliis criminibus, quando adsum in sacro Tribunali, in aliquo casu occurrenti, si reus fuit tortus cum pluisqam semiplena probatione, semper sum hujus voti, ut non absolvatur simpliciter ab instantia, sed alieua pœna arbitraria puniatur, nisi acris tortura censeretur evacuasse etiam omnia indicia; & in hoc casu amplector opinionem Canteræ, nec ipse *in loco suprà allegato*, aliter docere voluit, ut patet penes ipsum *in q. 22. de re, num. 12.* ubi asserit, quòd quando reus torquetur cum semiplena probatione tantùm, tunc si sit negativus, absolvendus est; si verò fuit tortus cum pluisquam semiplena probatione, tunc si tortus vincit torturam, purgantur indicia usque ad semiplenam probationem; pro reliquo verò potest imponi aliqua pœna extraordinaria, & testatur *ibi* ipse Cantera hanc opinionem communiter observari in officio S. Inquisit. Hispan. & ita intelligenda esse putat verba supracitatæ instructionis Toletanæ, quod est valde notandum à DD. Inquisitoribus, penes quos plus authoritatis debet habere unus Cantera, quàm decem alij Doctores Criminalistæ, maximè cùm testetur de praxi Tribunalis.

4. Ex his omnino refellendus est Paramus *de orig. Inquisit. lib. 3. quæst. 4. num. 6.* ubi absolutè docet, quòd si delatus exponitur tormentis, & sustinens illa nihil confitetur, absolvendus est ab instantia, non, inquam, hæc opinio est admittenda simpliciter & absolutè, nam est contra dictam instructionem Toletanam, & in tali casu observanda sunt ea, quæ prudenter dicta instructio considerat. Vnde Menochius, quem citat & sequitur Baiardus *in addit. ad Iul. Clar. quæst. 64. n. 115.* asserit, quòd quando indicia purgantur per torturam, remittitur arbitrio judicis; non benè igitur dixit Paramus absolutè, quòd tortus negativus purgat indicia. Scio Simancam *in Cathol. instit. tit. 65. num. 74.* docere, quòd si reus in quæstionibus pernegaverit, purgat omnia præcedentia indicia, sed interpretandus est sano modo, nempe si indicia arbitrio Inquisitorum erant talia, ut per torturam censeantur purgata, aliter ejus opinio esset contra Instructionem Toletanam. Vnde Suarez de Paz *in praxi tom. 1. part. 5. cap. 3. §. 12. n. 22.* ex Barthol. Cisuentes, & Gomezio concedit posse judicem ratione indiciorum, vel præsumptionum dameare reum tortum & negativum aliqua pœna arbitraria.

5. Notandum est etiam hìc obiter, quòd Marsilius *in pract. crim. §. quoniam, num. 26* asserit, quòd quando tortus fuit negativus, & evacavit indicia, si post torturam fuit iterum interrogatus extra tormentum de delicto, & inventus varius, quòd ex illa variatione poterit iterum torqueri; sed hæc opinio non est tenenda, quia indicia supervenientia debent esse majora & validiora, & illa sola variatio non est talis, & alia indicia, quæ præcedebant, fuerunt purgata per torturam, deinde purgatis indiciis ampliùs reus non est interrogandus, ergo, &c. & ita docet Anton. de Ballis *in tract. var. libi 2. q. 17. n. 12. & seq.*

RESOL. XXXIV.

An Inquisitores possint torquere reum, qui non vult respondere interrogationibus? Ex part. 4. tract. 6. Resol. etiam 34.

§. 1. AFfirmativè respondeo, unde in tali casu de rigore juris Inquisitores possunt ponere illum ad torturam, & cogere ut respondeat affirmativè, vel negativè, & ita tenet Bald. *in l. accusationem, poss. num. 11. C. qui accusare non poss.* &, ut dicit *ibi* Baldus, talis tortura non datur reo ad eruendam veritatem, quia ad hoc necesse esset, ut præcederent indicia ad

tortu

torturam sufficientia, sed datur ad extorquendam responsionem; quam Baldi opinionem in contingentia facti approbavit Concilium Neapolit. ut testatur Capycius *decis.* 145. & hæc omnia docet Brunus *tract. de indic. q. 5. num. 4.* Caravita *ritu* 259. *num.* 14. Miranda *in ordine judic. tom. 2. q. 26. art. 4 conclus. 5.* Gomez *to. 3. variar. cap. 12. num. 5.* Clarus *lib. 5. §. final. quæst. 45. num. 6.* Mascardus *de probat. lib. 3. conclus. 1385. num. 15.* & Sousa *in aphorism. Inquisit. lib. 2. cap. 39. num. 48.* Vmbertus Locatus *in praxi Inquisit. ver. Tortura. §. & scias etiam* Cartharius *de interrog. reor. lib. 3. cap. 2. num. 3.* Ludovicus Peguera *in praxi cap. 12. §. 5. num. 26.* licèt ipse asserat se non vidisse in praxi hanc opinionem à judicibus admitti, si tamen in aliquo loco adsit, putat esse optimam & laudabilem; unde in hoc casu Inquisitor sequatur praxim suæ Inquisitionis.

RESOL. XXXV.

Quem modum torquendi debeant Inquisitores adhibere cum reis, & quomodo; & de tormento ignis ad pedes adhibito? Ex p. 4. tract. 6. Res. etiam 35.

§. 1. NOn debent recedere, saltem in hoc Regno Siciliæ, à tormento funis, videtur enim approbatum consuetudine & jure communi, ut *in l. nullus*, ibi, *fidicularum tormenta*, & *ibi* glossa & Salicetus, *C. ad Iul. majest.* Sed quomodo tale tormentum dandum sit, docet Simanca *in Cathol. instit. tit. 65. n. 62.* sic enim ait: Considerate judices debent qualitatem personarum, criminum, & indiciorum, aliter enim torquendi sunt servi quàm liberi, fortes quàm timidi, juvenes quam senes, robusti, quàm debiles, humiles quàm honesti, nobiles, quàm ignobiles, hi enim clementiùs, illi duriùs torqueri debent. Sic ille, & post illum Suarez de Paz *in praxi tom. 1. part. 5. cap. 3. § 12. num. 65.* & Villagut. *in pract. can. lib. 7. cap. 3. conclus. 1. & 2.* & novissimè Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 6. cap. 3. dub. 15. num. 2.* vide etiam Gomez *tom. 3. var. cap. 13. n. 5.* & Mirandam *in ordin. judic. tom. 2. quæst. 26. art. 15. conclus. 3.* Sousam *in aphorism. Inquisit. lib. 2. cap. 39. num. 30. juncto num. 25.* ubi sic ait non sunt omnes rei æqualiter torquendi, sed magis, vel minus, secundùm qualitatem personarum delicti, & indiciorum, nec in modo torquendi, & in tempore immoderatè debet reum torquere, nisi per horam ad summum, nec regulariter fiant plures quassationes, seu ictus, quàm tres, ita Sousa. Vide etiam Delrium *in disquis. magic. append. 2. lib. 5. quæst. 24.* & Guazzinum *tom. 2. lib. 1. defens. 30. c. 20. per tot.* Sed in praxi visum est quòd ex multis reis ita tortis nemo confitebatur, ideo in tali casu regulariter ampliùs hoc tormentum in magna Regia curia non adhibetur. Hinc etiam factum est multis adhinc annis, ut in sacro Tribunali hujus Regni etiam DD. Inquisitores ampliùs hoc tormento non utantur, sed quando rei ex aliquo impedimento non possunt torqueri, illos puniunt pœna extraordinaria, cum abjuratione, provt delicti qualitas & probationes exposcunt.

RESOL. XXXVI.

An Inquisitores debeant torturam adhibere Clericis non infamatis, sed tantum indiciatis?

Et in casu occurrenti, an mitius torquendi sint clerici, quam laici?

Et an, quando datur tortura Ecclesiasticis, non laici, sed Clerici debeant illos torquere?

Et an Clericus debeat admitti ad Canonicam purgationem, quando est gravatus indiciis ad torturam, vel debeat torqueri? Ex p. 4. tract. 6. Res. etiam 36.

§. 1. NEgativa sententia suadetur per ea, quæ adducit Didacus Cantera *in quæst. crim. quæst. 11. de reo num. 1.* Bernardus Diaz *in pract. crimin. cap. 125.* Damhauderus *in pract. crimin. cap. 37. num. 25.* Maceratensis *var. resol. lib. 3. resol. 44. cas. 4. n. 4.* Guazzin. *to. 2. lib. 1. defens. 30. cap. 1. num. 7.* Eugerius *consil. 76. n. 103.* Decianus *vol. 4. respons. 124. num. 38.* Marsilius *in pract. crimin. §. nunc videndum, num. 51. & in §. ex prædicta, num. 40. & singul. 55.* Bossius *tit. de indiciis, num. 15.* Ioan. Gratianus *in regulis & fallentiis, reg. 226. n. 91.* Cassaneus *in consuet. Burgun. rubr. 1. §. 5. num. 6.* & alij asserentes, quòd si etiam mille essent indicia contra Clericum, sed non esset de crimine diffamatus, non posset torqueri; & quidem hæc opinio est probabilis, & satis pia, & multum favens statui clericali, quam novissimè docet etiam Eymericus à Rosbach *in pract. crimin. tit. 5. cap. 22. num. 2.*

2. Sed his non obstantibus affirmativam sententiam tenendam esse puto in casu hæresis maximè, & illam tuetur ex nostris Pegna *in direct. Inquisit. part. 3. comment. 110. tit. F.* Simanca *in cathol. instit. tit. 65. num. 48.* & Ludovicus Miranda *in ordine judiciario to. 2. quæst. 26. art. 2. conclus. 2.* Ignatius Salzedus *in practic. crimin.* Bernardi Diaz. *ubi suprà lit. A.* Petrus Caballus *centur. 2. cas. 84. num. 20.* & Michaël Zanardus *in direct. Inquisit. part. 3. cap. 95. fol. 513.* ubi si ait: Et si Clericus non possit torqueri nisi sit de crimine diffamatus, ut *supra*, diximus tamen in hoc crimine hæresis ad eum torquendum sufficient legitima indicia, quia crimen est exceptum, & sumus in majori periculo in Clerico & Doctore, qui magis possunt alios lædere, labéque hæreticali inficere, quàm laici, qui pravitatem hanc propter eorum ignorantiam ita de facili non possunt aliis damnum inferre. Ita ille, quod etiam confirmatur, nam dato, quòd infamia ad Clericum torquendum sit necessaria, hæc sanè sufficiens oritur ex semiplena probatione aliísque indiciis, quæ eum suspectum, & infamatum reddunt, ergo, &c.

3. Verùm licèt hæc opinio vera sit, advertant tamen Dom. Inquisitores; quòd in casu occurrenti mitius torquendi sunt Clerici, quàm laici, & ita tenet Pegna, Maceratensis, Miranda, Salzedus *locis citatis*, quod intelligendum est, cæteris paribus, stante eadem qualitate delicti, & indiciorum, ut rectè observat Michaël Zanardus *in direct. Theol. part. 3. cap. 94. fol. 510.* & ideo dixit Sousa *in aphor. Inquisit. lib. 2. cap. 35. n. 32.* quòd Ecclesiastici, nisi delicti enormitas id postulaverit mitiùs, torquentur, non desunt tamen, ut observat Caballus *centur. 1. cap. 85. num. 18.* Doctores contrarium tenentes, & ita tenet novissimè Ant. Quevedo *lib. de indic. part. 1. cap. 12. n. 17.* sed tu ne discedas à prima opinione.

4. Nota etiam quòd secundum aliquos Doctores, quando datur tortura Ecclesiasticis, non laici, sed Clerici debent illos torquere; sed hoc non observatur in nostro Tribunali, & ideo Didacus Cantera *in q. criminal. q. 11. de reo, n. 1. in fine*, sic ait. Vnum solet servari, quòd quando datur tortura Clerico, non solet dari per laicum, sed per alium Clericum; ego tamen contrarium vidi practicari tam in judicio S. Inquisitionis, quam in judiciis aliis Ecclesiasticis. Ita ille.

5. Et tandem nota quòd Clericus non debet admitti ad canonicam purgationem, quando est gravatus indiciis ad torturam, sed debet torqueri. Ita Guazzinus *tom. 2. lib. 1. defens. 30. cap. 10. num. 6.* & alij; est tamen verum, quòd indicia ad torquendum Clericum non debent esse indicia ordinaria, quæ sufficiunt contra laicum, sed requiruntur graviora, & urgentiora, propter

illam præsumptionem bonitatis, quam habent Religiosi & Clerici; & ita observat Cuazzinus *loco citato num.*3. Farinacius *quæst.*41.*num.*9. & alij penes ipsos: quibus ego addo Mirandam *in ordine judic. tom.*2. *q.* 26.*art.*13.*concl.*2.

RESOL. XXXVII.

Quid facere debeant Inquisitores cum reis, si timent veritatem in tortura non fateri ex incantationibus, & maleficiis? Ex p.4.tract.6.Resol.etiam 37.

§.1. FRanc.Pegna *in direct.Inquisit.part.*3. *comm.*39. *lit.F.* sic asserit: Adversus has fraudes, & incantamenta, quæ remedia opem ferant, nondum sum expertus, juvabit fortasse cunctas vestes detrahere cùm quæstionibus admoventur hujusmodi homines, quibus fæpe figuras scriptas occultant. Sic ille. Verùm in tali casu non solum vestes detrahendas, sed etiam omnes pilos abradendos esse, rectè docuit Petrus Binsfeldius *in comment.malef.& math.leg.*7.*quæst.*1.*conclus.*15. ubi sic ait. Quando suspicio oritur maleficam penes se habere aliquid maleficij ad inducendam taciturnitatem; solent curare judices, ut propriis vestibus exuatur, ne aliquod maleficium insutum habeat, eamdem ob causam pilos undique jubent abradi. Ita ille. Sed quàm circumspecti in tali casu esse debeant DD. Inquisitores, patebit ex quodam facto memorabili adducto à Iodoco Damhaudero *in sua practic.crimin.cap.*37. *num.*21. sic asserente. Ipse vidi cùm in civitate Burgensi essem à consiliis in muliercula admodum anu, quæ tum habitu, tum victu, tum incessu, tum moribus, & fucata sanctimoniæ specie ab omnibus venerabatur, veluti vera Christi Apostola, quòd multarum matronarum filias ac filios quasi miraculosè curaret. gibbos liberaret, crura, tibiásque confractas illico restitueret, idque non arte, aut externo medicamine aliquo adhibito, verùm, ut olim Apostoli pietatis aliquo exercitamento, nempe ut uno, duobus vel tribus diebus jejunarent in pane & aqua: vel ut ter legerent orationem Dominicam, aut inviserent aliquas Ecclesias, vel ut Sacrum unum aut alterum religiosè audirent, aut aliquas preculas persolverent ægri. His rebus injunctis rite expletis, illico, aut certè intra paucos dies a morbis liberabantur, & firmæ valetudini restituebantur, cùm istius mulierculæ ea facta in vulgus latiùs spargerentur, à Senatoribus intempesta nocte jussa fuit ex lecto comprehendi, & carcere mancipari. Postridie cùm ab iisdem Senatoribus perquireretur quomodo, quibus mediis, quo fœdere, quáque fiducia freta suas curas perageret, interpidè semper respondit, se piè cuncta exercuisse, & bonis piisque rationibus, atque ideo se se non debuisse tam ignominiosè comprehendi. His non obstantibus ex certis indiciis per Senatum adjudicabatur torturæ, ad quam cum venisset, & verbis persuasoriis examinaretur, constanti vultu & animo semper perduravit in ea sententia, se nihil eorum quæ fecerat, dæmonis ope peregisse, sed omnia pio, & licito modo. Interim ob constantem negationem torturæ tradita est, illa autem non lamentationes, aut clamores edidit, sed horum loco subridere cœpit, & quamvis ligata, digitorum tamen complosionibus judicibus ipsis insultabat, & posita super scamno aut risit, aut dormivit, hinc factum ut è scamno & tortura relaxaretur, & iterum in carcerem reciperetur, postea nova indicia habita torturæ iterum tertiò adjudicatur. Verùm priusquam scamno imponeretur, totius corporis pilos, & crines abradi curavimus, postea scamno imponitur, accerrimè torquetur, nihil tamen fateri voluit. Tandem quibusdam adstantibus succurrit, eam non esse tonsam in pudendis, tam retro, & ante & sub axillis, ubi per tonstrices illi quoque crines abrasi fuerunt, & inter radendum reperta fuit pergamena in pudendis retro & antè inserta, cui inscripta fuerunt aliquot peregrina vocabula dæmonum, crucibus aliquot inter se distincta; hæc pergamena senatoribus exhibita occasionem præbuit, ut rursus scamno traderetur torquenda, ubi facta plenè passibilis, omnia nudè fatebatur quæcumque prioribus informationibus fuerunt proposita; cùm autem rogaretur cur priùs fateri noluit, nisi à me inquit, omnes crines, atque etiam hanc schedulam abstulissetis, nunquam à me perquirere quicquam potuissetis, ut quæ per illa facta erant impassibilis, quod haud dubium verissimum erat. Hæc omnia Damhauderus *ubi supra*, & factum simile accedisse in urbe Neapolitana testatur Ambrosinus *de process. informativo lib.*4.*cap.*7.*num.*13. ubi vult in tali casu, os, foramina narium, & aurium, anum, vel vulvam, & si qua plaga, vel cauterium, aut incisio in corpore adsit, diligenter inquirenda esse, & plura alia, quæ in tali casu facienda esse adducit etiam Cartharius *de investigatione reorum, lib.*4. *cap.*1. *n.*220. *& sequent.* cum Marsilio *in practic. crimin.*§. *nunc videndum, n.*52. Ex quibus, ut dixi, apparet in similibus casibus summam diligentiam adhibendam esse à DD. Inquisitoribus, qui etiam quando casus occurrerit, possunt hæc etiam remedia Ecclesiastica adhibere, quæ ponit Delrius *in disquis.magic.append.*2.*lib.*5.*quæst.*25. ubi sic ait: Præmittenda est exorcizatio Sylvestri *in lib. de strigimag. admir.* non quod possessas à dæmone sagas sentiat, sed quia præsertim eis obfirmatæ sunt, utile quoque si torquendi collo appendantur sacræ reliquiæ, vel agni cerei effigies consecrata, item si aqua benedicta in os effundatur, & ea corpus aspergatur, & cùm utuntur tormento in somnis, cerei benedicti instillatio inopinata. Ita ille; qui etiam *quæst.* 29. docet loquens de sagis, posse in tali casu judicem desistere à tortura, & post alios dies repetere, quia dæmon non semper strigibus assistit, sed aliquando deserit, vel sponte sua, vel Dei jussu. Et tandem post hæc scripta inveni Antonium Quevedo de hac materia differentem *in lib. de indic.& tortura part.*2. *cap.*6. *per totam*, adi illum, & non pigebit; sicuti etiam Malleum maleficarum *tom.*1. *part.*3. *quæst.*15. *per totam*; & iterum M. Antonium Delrium *ubi suprà lib.*5. *sect.*9. §. *quoad tertium dubium, fol. mihi* 739. *& sequent.* ubi ponit undecim remedia.

RESOL. XXXVIII.

An Inquisitores, si torquerent reum ex opinione probabili, relicta probabiliori, debeant puniri à suis visitatoribus? Ex p.4.tract.6.Resol.etiam 38.

§.1. HIc casus potest faciliter accidere, & ad illum negativè respondet Marc.Antonius Delrius, in terminis terminantibus, ut dici solet, *in disquisition. magicis append.*2. *lib.*5. *quæst.*1. ubi in casu de non danda tortura ex solo dicto socij sine aliquo alio adminiculo sic asserit. Hæc sententia communis, cum sit alio Iuri, & rationi magis consentanea, meo judicio, judici sequenda est in utroque foro. Si quis tamen illam contrariam Cyni, & aliorum Doctorum sequutus esset, putarem eum syndicatui non subjacere, facit enim tot Doctorum, quos secutus est, ut dici nequeat ex capite suo, vel temere feciſſe, aut processisse, qui gravium Doctorum, & quorumdam judicum praxim, doctrinámque amplexus fuit, licèt minus probabilem,

vel

vel tutam. Ita Delrius, & hanc opinionem docet etiam Ioannes Sancius *in selectis disput. 44. num. 72. in fine*, ubi sic ait: Animadvertant quoque Iurisperiti, non ob id subjici syndicatui, quòd juxta opinionem probabilem sententiam ferant, relicta probabiliori, & communiori. Nam prudenter agit, qui juxta opinionem probabilem operatur; syndicare autem judicem eo quòd juxta probabilem opinionem sententiam tulerit, esset eum punire absque culpa, quod herele iniquum est, & oppositum rectæ rationi; quapropter Doctores oppositum sentientes rejiciendi sunt, velut punctum veritatis minimè attingentes, certè namque in principiis moralibus minus fidendum est de Iurisperitis, quàm de Theologis. Hæc Sancius.

TRACTATVS DVODECIMVS, DE POENIS DELICTORVM PERTINENTIVM AD TRIBVNAL SACRÆ INQVISITIONIS.

RESOLVTIO PRIMA.

Quædam præambula ad ea, quæ inferius tractanda sunt?

Et in primis quæritur, an DD. Inquisitores possint condemnare ad pœnam triremium, fustigationis, &c. reos, abjurantes tantùm de levi?

Et an quando ex aliquo delicto oritur vehemens suspicio, debeant Inquisitores semper imponere abjurationem de vehementi?

Et quænam sint pœnæ hæreticis à jure impositæ? Ex p. 4. tract. 7. Resol. etiam 1.

§. 1. ACTVRVS de pœnis crimissum ad sacrum Tribunal spectantium, aliqua præmittenda esse duxi; igitur.

Quæro primò, an DD. Inquisitores possint condemnare ad pœnam triremium, fustigationis, &c. reos abjurantes tantùm de levi? Respondet negativè Michaël Zanardus ex Illustri Dominicanorum familia, qui fuit Consultor S. Officij in multis Inquisitionibus Italiæ; sic enim asserit *in direct. Theolog. part. 3. cap. 134. fol. mihi 737.* Qui de levi abjurant, gravibus pœnis non affliguntur, sed pœnis pecuniariis, vel carceris per aliquot menses, vel alterius publicæ pœnitentiæ non multum gravis; sed qui de vehementi abjurant, fustigari possunt, trium ictuum funis pœna puniri, per annos ad carcerem & ad triremes, juxta qualitatem personæ ac delicti, damnari. Ita ille, & hanc sententiam etiam docet Genuensis *in praxi Archiepisc. cap. 68. num. 8.* asserit. Leviter suspectis imponi potest pœnitentia salutaris, & vehementer suspectis pœna triremium. Verùm praxis nostræ Inquisitionis Hispan. est in contrarium, & sic inferiùs dicemus quòd ducentes duas uxores abjurant de levi, & tamen fustigantur, & damnantur ad triremes; & solicitantes in confessione abjurant de levi, & tamen aliquando damnantur ad triremes, sic etiam blasphemi, &c. Vnde Castrus Palaus *in sum. tom. 1. tract. 4. disput. 7. punct. 1. num. 9.* sic asserit. Infertur pro crimine inducente levem suspicionem: condemnari reum posse ad aliquam pœnitentiam, vel pecuniariam, vel reclusionis pro aliquo tempore, vel fustigationis, vel triremis arbitrio Inquisitorum, pensata qualitate personæ, & gravitate delicti & malitiæ. Ita ille; quibus etiam pœnis, sed acriùs in nostro Tribunali Hispanico puniuntur etiam vehementer suspecti de hæresi, ut tradit ipsemet Palaus *disp. 6. punct. 2. num. 1.* & Rojas *de hæret. part. 2. n. 301.*

2. Quæritur secundò, an quando ex aliquo delicto oritur vehemens suspicio, debeant Inquisitores semper imponere abjurationem de vehementi? Videtur affirmativè respondendum, ex doctrina quam adducit Ricciullus *tract. de jure personar. &c. lib. 5. cap. 11. num. 30.* Torreblanca *de Magia lib. 3. cap. 20. num. 1.* Vmbertus Locatus *in praxi Inquis. ver. suspicio, §. suspectus.* Similiter & alij communiter, adducentes regulam generalem, videlicet quòd quando quis committit delictum, quod inducit vehementem suspicionem debet de vehementi abjurare: si autem inducit levem suspicionem, de levi emittat abjurationem. Sed in casibus particularibus, & in praxi contingentibus, circa hoc DD. Inquisitores eorúmque Consultores advertant id quod prudenter, & solidè observat Pegna *in director. Inquis. part. 2. comment. 85. in fine*, ubi sic ait: Vnum præ cæteris habeant Inquisitores ante oculos, ne facilè credant hunc, vel illum esse vehementer suspectum, quia in hoc, vel illo authore reperiant ex tali, vel tali causa oriri vehementem suspicionem, nam plurimum semper sunt & personarum & causarum circumstantiæ considerandæ, ex quibus interdum vehemens suspicio, interdum levis, interdum, verò nulla oritur. Sic ille. Vnde Michaël Zanardus *in direct. Theolog. part. 2. pr. 1. cap. 1. §. 25.* docet, quòd ex consideratione personarum, & circumstantiarum, quandoque vehementes suspiciones convertuntur in leves, sicut è contra suspiciones leves convertuntur in vehementes.

3. Observa etiam hîc obiter id quòd docet Sousa *in aphorism. Inquis. lib. 2. cap. 40. n. 15.* processum minorum in causa fidei, quando de hæresi formali non constat, non terminari regulariter per majorem abjurationem, quàm de levi, cùm præmatura ætas in dicta causa fidei delicto plurimum detrahat. Ita ille qui citat Pegnam, quod est valde notandum.

4. Quæro tertiò, quænam sint pœnæ hæreticis à

jure impositæ ? Respondeo pœnæ contra hæreticos à jure statutæ hæ sunt. Prima est sententia excommunicationis majoris, quæ spiritualis est, quæ decernitur *in cap. ad abolendam, & cap. excommunicamus* 1. *& 2. tit. de hæret. in decretal. & in* 6. & tandem arctiori vinculo *in Bull. Cœn.*

5. Secunda pœna partim spiritualis, & partim temporalis, est privatio omnis Ecclesiasticæ dignitatis, officij, & beneficij, & inhabilitas ad ipsa, & habetur *in cap. didicimus, cap. pudenda 24. quæst. 1. cap. præter, 32. dist. cap. quo jure, distinct. 6. cap. ad abolendam, cap. excommunicamus* 1. *de hæret. cap. ut commissi, eodem tit. in* 6.

6. Tertia pœna temporalis est, videlicet publicatio bonorum omnium, quibus privantur hæretici à die commissi criminis, & habetur *in l. Manichæos, l. Arriani, C. de hæret. in Authen. Gazaros, & Authen. idem est, C. eodem tit. in cap. Iudæi, 1. q. 4. cap. vergentis, de hæret. cap. cum secundum leges, eodem tit. in* 6. Huic pœnæ annectitur alia similis, quæ est privatio omnis dominij temporalis, jurisdictionis & omnis debiti quod ex fidelitate quocumque titulo illis debebatur, *in cap. ult. de hæret.* Pœna privationis bonorum extenditur etiam ad filios hæreticorum, sic enim bona ab eis auferuntur, ut filij & hæredes maneant perpetuò spoliati, quod antiquo jure non fiebat, sed bona parentum hæreticorum filiis Catholicis tradebantur, ut patet ex *l. Manichæos, l. cognovimus, C. de hæret. Authent. idem est, eodem Cod. cap. Iudæi 1. q. 4.* Sed jure novo fisco applicantur, ut patet ex *Auth. Gazaros, & l. ult. C. de bonis proscriptorum, & cap. vergentis, de hæret. & cap. secundum leges, eod. tit. in* 6.

6. Quarta pœna etiam temporalis est. Quinta, perpetua infamia, *in Authen. Gazaros, C. de hæret. cap. infamis, 6. q. 1. cap. alieni, 2. q. 7. c. infamibus, de reg juris, cap. excommunicamus 1. de hæret. & c. 2. §. hæretici, eodem tit. in* 6. huic pœnæ annexa est inhabilitas ad omnem honorum dignitatem, officium & actionem civilem, ut hæreticus, nec judex, nec testis, nec actor, nec tabellio, neque aliud simile esse possit, quoniam hæc omnia infamibus prohibita sunt, ut habetur *in cap. infamibus, de reg. juris, in 6. & in l. 2. C. de dignitatibus*, & nominatim etiam hæc hæreticis interdicuntur *in l. quoniam, C. de hæret. l. si pupilli, §. videamus, de negot. gest. cap. excommunicamus, 1. de hæret. cap. quicumque. cap. cum secundum leges, eod. tit. in* 6. quæ quidem pœna infamiæ extenditur ad filios & nepotes usque ad secundam generationem, *ex l. quisquis, C. ad leg. Iuliam majestatis*, & ex *cap. Quicumque, & cap. statutum, de hæret. in* 6. quo pacto verò & quousque hæc pœna eos comprehendat, explicat Simanca *tit.* 29. & Covarr. *var. lib.* 2. *cap.* 8.

8. Et ultima tandem pœna est supplicium mortis, quo tandem plectuntur impœnitentes & incorrigibiles, quæ constituta est legibus civ. *in l. Manichæos, l. Arriani, l. quicumque, Cod. de hæret.* & jure Canon. *in cap. ad abolendam, cap. sicut ait, cap. excommunicamus 1. de hæret. & in cap. super eo, & cap. ut commissi, eodem tit. in* 6.

9. His igitur suppositis deveniendum est ad abjurationes & pœnas extraordinarias cuilibet particulari delicto in hoc sacro Tribunali imponendas, quas ego, scit Deus cum quanta diligentia, collegi ex probatissimis authoribus ad sublevandum laborem DD. Inquisitorum, quibus hæc omnia & à me scripta & scribenda humiliter & ex corde submitto.

RESOL. II.

De Iudæis, Mauris, & aliis infidelibus aliqua crimina perpetrantibus, & quibus pœnis supradicti plectendi sunt ?

Et an ultra pœnas sit in aliquibus casibus illis aliqua abjuratio indicenda ?

Et an Iudæi transeuntes ad Saracenos, seu ad alios infideles possint puniri ab Inquisitoribus ? Exp. 4. tract. 7. Resol. etiam 2.

§. 1. NOnnulli sunt casus, in quibus Inquisitores possunt procedere contra Iudæos & infideles non baptizatos, contenti in Bulla Greg. XIII. edita *ann.* 1581. in qua Summ. Pontifex decernit *in* §. 2. ut puniantur ab Inquisitoribus Iudæi & infideles negantes quæ habent communia circa fidem cum Christianis, ut Deum unum, æternum, omnipotentem, creatorem omnium esse, aut id alicui etiam privatim insinuantes, vel §. 3. dæmones invocantes, consulentes, eis immolantes, vel thus & fumigationem offerentes, aut §. 4. verbo, facto, exemplo, aliove modo nefaria hujusmodi docentes Christianos, vel ad ea perducere tentantes ; vel §. 5. Christum purum hominem, aut peccatorem Deive matrem non Virginem, similesve blasphemias hæreticales proferentes ; vel §. 6. auxilio, consilio, opere, favore Christianum à fide ad impias sectas, superstitiones, aut hæresim solicitantes ; vel §. 7. aliquem à fidei, vel Baptismi post ejus declaratam nutu, verbo, facto, aut alio quocumque modo voluntatem retrahentes, dehortantes, impedientes quovis modo : aut §. 8. Hæreticos Apostatásve scienter receptantes, alentes, commeatu juvantes, assotiantes, deducentes, vel deducendos & associandos curantes, defendentes, & quomodolibet auxilium, consilium, favorem deferentes, vel facientes ne ab eis perpetrata investigari queant ; vel §. 9. prohibitos libros deferentes, retinentes, aut divulgantes, vel ad eam rem operam suam conferentes ; vel §. 10. derisioni habentes Christianos, sacram hostiam, Crucem, Christum Dominum consputentes, vel facientes quid simile, ovem, agnum, aut aliud quid Cruci affigentes, aut appendentes ; vel §. 11. Christianas nutrices tenentes, vel cogentes quando communicant uno, aut pluribus diebus effundere lac in cloacas, aut latrinas. In omnibus his casibus, ut diximus, Pontifex præbet authoritatem Inquisitoribus procedendi adversus Iudæos, & alios quoscumque infideles, ut observat etiam Ricciullus *tr. de jure person. & c. lib. 1. cap. 52. num. 7.* Sousa *in Aphor. Inquis. lib. 1. cap. 37. à num. 18. usque ad 27.* Scortiam *in Bull. Pontif. theor. 347.* & alij penes ipsos. Vide etiam circa præsentem quæstionem Azorium *tom. 1. lib. 8. c. 22. q. 12.* Campegium *in addit. ad Zanchinum cap. 36. lit. B.* Simanc. *tit. 35. per tot.* Canteram *in qq. crim. cap. 1. de hæret. n. 72.*

2. Sed deveniendo ad nostrum institutum, quibus pœnis plectendi sint supradicti Iudæi, & infideles talia delicta perpetrantes, tradit Pegna *in direct. Inquis. p. 2. comment. 69.* ubi quatuor pœnas numerat, privationem communionis cum Christianis, pecuniariam, carcerem & verbera, neque ab his putat recedendum. Addit verò quòd si atrox sit scelus à Iudæo, vel alio infideli contra fidem patratum, acrior pœna eis imponi poterit, ac etiam relinqui poterunt Curiæ sæculari : nam quoties pœna relinquitur arbitrio judicantis, si crimen sit ingens, judex arbitrium potest extendere usque ad mortem. Ita Pegna, & post illum Castrus Palaus *in sum. tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 16. §. 6. n. 1.* & Farinacius *de hæres., quæst. 178. num. 146.* & ante illos

illos Calderinus *tract. de hæret. cap.36. n.4.* Repertor. Inquis. *ver. Iudæus*, §. *Sed circa prædicta.* Zanchinus *de hæret. cap.36. n.4.* & *ibi* Campegius.

3. Sed audiamus Sousam *in Aphorism. Inquisit. lib.1. cap.37. num.29.* sic asserentem, Pœna quæ prædictis infidelibus imponi debet, est arbitraria, major, vel minor, pro qualitate delicti videlicet pœna privationis, communicationis cum Christianis, pecuniaria, carceris, verberum, remigandi etiam in perpetuum; trádi præterea possunt Curiæ sæculari, ultimo supplicio puniendi, ex constit. Greg. XIII. Hæc Sousa. Vnde ego olim *anno 1633. die 29. Augusti* consului quemdam Maurum ad triremes per triennium damnandum esse, ex quo pertinaciter in Tribunali S. Officij falsum deposuit ad excusandum alium Maurum jam Christianum factum, qui à dicto Mauro adjutus fugam arripuerat in Africam animo apostatandi, licèt ex pietate DD. Inquisitorum non ad triremes, sed ad verbera fuerit condemnatus. Quòd autem Inquisitores possint specialiter contra Turcas procedere, quando adjuvant, vel consulunt Christianos ad apostandum, docet Eymericus *in director. Inquis. part.2. q.45 n.3.* & Zecchius *in summa tom.1. c.11. de hæret. n.13.* & apertè patet ex Bulla Gregorij XI. quam per extensum ponit Eymericus *loco cit.* & commentariis illustrat Scottia *in Bull. Pontif. epitom.27. theor.73.74.75.*

4. Igitur cùm Iudæi delinquunt in iis, quæ sunt nostræ & suæ fidei communia, certum est Inquisitores posse illos punire. Difficultas est, an ultra pœnas, de quibus *suprà* dictum est, sit in hoc casu illis aliqua abjuratio indicenda? Affirmativè respondeo cum Pegna *in director. par.2. comment.* in hac forma.

5. Ego N. sacro sancta Dei lege posita coram me, & meis manibus tacta, jure me credere corde & ore profiteor, illam veritatem ac fidem, quam lex Dei sacro sancta docet, ac in primis Deum esse invocandum solúmque adorandum, & per consequens detestor eum errorem qui dicit, dæmones esse advocandos, eisque divinos honores tribuendos, aut similia, juxta qualitatem errorum quos adversùs fidem admisit, non enim in tali casu jurat super Evangelia, quibus non credit, nec abjurat hæresim quæ in ipsum non cadit.

6. Et ita in facti contingentia accidit Barcinone *anno 1371.* ubi Episcopus & Inquisitor in die Circumcisionis Dominicæ fecerunt publice abjurare, & sententialiter perpetuo carceri manciparunt quemdam Iudæum convictum & confessum, quòd dæmones invocaverat & sacrificaverat: ut observat Vmbertus Locatus *in praxi inquis. ver. Invocare*, §. *ult.* & ante illum Eymericus *in director. Inquis. part.2. quæst.46. n.16.* qui tunc erat in Aragonia Inquisitor, & dictum Iudæum, prout *suprà*, ipsemet condemnavit.

7. Sed ex dictis oritur pulchra quæstio, an Iudæi transeuntes ad Saracenos, seu ad alios infideles, possint puniri ab Inquisitoribus? Negativè respondet Sousa *in aphor. Inquis. lib.1. c.37. n.27.* Farinacius *de hæresi q.178. n.132.* Decianus *lib.5. c.10. num.34.* & alij. Sed ego contrariam sententiam tenendam esse existimo, quam tuetur doctus Inquisitor Camillus Campegius *in addit. ad Zanchin. de hæret. c.36. lit. B. in fine*, ubi sic asserit: Tandem circa hanc tractationem de Iudæorum delictis per Ecclesiam puniendis, vide adducta per Romanum *in singul. 687.* ubi quærit, an Iudæus convertens se ad ritum Saracenorum, veniat aliqua pœna puniendus? & probat quòd non sit puniendus. Tu verò tene doctrinam directorij *part.2. q.46.* quæ securior esse videtur. Constat autem quòd quam plurima in lege Saracenorum continentur quæ veritati Scripturæ adversantur, quæ & Iudæis & nobis communia existunt. Ideo ex hoc potissimum puniri possunt, quia non licet ab eis discedere; sicut enim puniri debent Iudæi colentes idola, vel sacrificia illis offerentes, aut dæmones invocantes, ita credo eos puniendos esse, si ad aliam sectam transeant, in cujus ritu contineantur contraria his, quæ ipsi Iudæi nobiscum tenent, ut jam dictum est. Ita Campegius: unde contrariam sententiam non posse sustineri post constitutionem citatam Gregor. XIII. manifestum est. Nam in §.2. tribuitur Inquisitoribus potestas contra Iudæos negantes, quæ habent communia circa fidem cum Christianis. Sed Iudæi transeuntes ad sectam Saracenorum, necesse est ut negent multa, quæ habent communia circa fidem cum Christianis, ergo, &c. Ex quo valde miror Sousam alioquin virum doctissimum, & de nostro sacro Tribunali, bene merentem, negativam sententiam docuisse. De Farinacio vero non miror, quia non ita diligenter omnia dubia discutit. Decianus est venia dignus, quia ante constitutionem Gregor. scripsit.

8. Nota etiam Sousam pro sua sententia citare Pegnam *in director. part.2. comment.69.* sed *ibi* Pegna refert tantùm Oldradum, & asserit ejus dicta ob brevitatem non velle expendere, in quibus verbis minimè demonstrat talem sententiam ipsum tenere.

RESOL. III.

De Apostatis, & aliis qui vulgo dicuntur Renegati, *an contra supradictos possint Inquisitores procedere?*

Et de pœnis, & abjurationibus, quas illis in aliquibus casibus imponere debent, agitur.

Et an Inquisitores sine Episcopo possint reconciliare eos, qui vulgo dicuntur Renegati *si sponte ad eos venerint & pœnitentiam postulent?*

Et an judex laicus possit cognoscere de Apostasia, quando agitur de quæstione facti, quod idem dicendum est de hæresi? Ex p.4. tr.7. Res. etiam 3.

§.1. POsse contra supradictos procedere Inquisitores, tradit Filliucius *tom.2. tract.12. c.5. n.145.* ubi sic ait. Inquisitores habent jus inquirendi in eos, qui è Christianis transeunt ad Saracenos, ex *c. contra Christianos, de hæret. in 6.* est enim eadem ratio, quæ de transeuntibus ad Iudæos. Ita ille, & ante illum noster Rojas *de hæret. part.1. n.124.* ubi ita ait. Quamvis *in c. contra Christianos de hæret. in 6.* solummodo dicatur de transeunte ad ritus Iudæorum; idem dicendum est de transeunte ad ritus Saracenorum, quia ex identitate rationis etiam in pœnalibus favore fidei fit extensio, & ita etiam docent Sanctarell. *de hæresi c.2. dub. unic. n.1.* ait enim, Apostatæ à fide dicuntur ij, qui à tota fide Christiana recedentes ad alias Religiones, seu sectas se transferunt, ut ad sectas Turcarum, Paganorum, vel Iudæorum; vide etiam Riccium *in praxi tom.1. resol.423. ver. Renegati*, Zecchium *in sum. tom.1. tit. de hæret. c.11. n.13.* Peyrinum *in privil. Minim. tom.2. constit.9. Pauli V.* §.2. *n.15.* Carrerium *de hæret. n.87.* Vallens. *in part. tit. ad Decretal. lib.5. tit.9. n.2.*

2. Ad pœnas igitur deveniendo quoad abjurationem sic asserit Genuensis *in praxi Archiep. c.68. n.12.* qui abnegarunt fidem Catholicam apud infideles, si sponte reversi petunt reconciliationem Ecclesiæ; tanquam Apostatæ formales abjurant, si fateantur se verè abnegasse fidem; si verò asserunt non habuisse intentionem abnegandi fidem, si pueri sunt, solent abjurare de levi, si majores, de vehementi, & hoc procedit, ut dictum est, si sponte veniant ad Tribunal S. Inquisit. Ita Genuens. & post illum Aloysius Bariola *in aphor. lit. P, ver. pueri*, §.2. Sed magis ample loquitur Pegna *in direct. Inquis. part.2. com.59.* ubi sic ait. In his recipiendis & reconciliandis usu sacri & supremi Tribunalis hæc praxis recepta sùmo judicio esse videtur, si committentes

committentes talia facta spontè compareant, & dicant se non credidisse ita faciendum esse, sed fidem in corde retinuisse, tunc abjurant ut vehementer suspecti, & aliæ pœnitentiæ salutares ipsis imponuntur; quòd si dicant & fecisse & ita faciendum credidisse, abjurant tunc ut formales hæretici, vel Apostatæ, & gravius puniuntur; maximè si spontè, aut nullo inducto metu, aut levi metu incusso hæreticalia, vel apostatica facta commiserunt, quòd si non compareant spontè, & confitentur facta hæreticalia, vel apostatica, pravam autem intentionem negant, tunc super intentione torquentur, ut intelligatur an revera ita crediderint, necne, & si post torturam legitimè adhibitam in negativa persistunt, dicentes se non habuisse pravam intentionem, tunc similiter abjurant, ut vehementer suspecti, & verisimile est eos non habuisse pravam intentionem qui per gravem metum talia commiserunt. Si verò intentionem pravam confitentur, tunc tanquam formales hæretici, vel Apostatæ abjurare compelluntur, & graves item pœnitentiæ imponuntur. Cæterùm ut gravius, vel mitius puniantur, consideranda est qualitas metus illati, & personæ delinquentis, an juvenis, vel vir, an doctus, vel imperitus, an laicus, vel Clericus & Religiosus & similes circumstantiæ quæ delicta solent minuere & augere. Sanè illi, qui cùm non spontè venerint confessi fuerint pravam intentionem & mentis errorem, si reverti voluerint postquam hæresim, vel apostasiam abjuraverint, de jure ad perpetuum carcerem sunt damnandi, *cap. excommunicamus il 2. §. si qui autem, de hæret. in 6.* Ita Pegna *loc. cit.* & post illum Ioseph Sesse *in decis. Aragon. tom. 4. decis. 444. num. 9.* Extra verò abjurationem puniuntur supradicti aliis pœnis arbitrariis DD. Inquisitoribus, videlicet pecuniæ, triremium, fustigationum, &c. ut optimè observat Castrus Palaus *in sum. tom. 1. tract. 4. disp. 7. punct. 1. numero 10.* quæ omnia, ait ipse, observata vidi in publicis actibus fidei, in quibus vehementer suspecti ob aliquos ritus Iudaicos publicè errores abjurarunt, & pœna pecuniaria S. Officij sumptibus applicanda condemnati sunt, alij verò ad exilium. Neque illis fuit impositus saccus pœnitentialis crucibus integrè signatis, sed solùm dimidiatis, qui tamen saccus facta abjuratione illis sublatus fuit. Ita Castrus, quod ultimum est valdè notandum.

3. Non desinam tamen hîc adnotare ea, quæ docet Rojas *de hæret. part. 1. num. 108.* ubi ita ait: Si captus à Sarracenis (ut quotidie vidimus) metu mortis, vel tormentorum fidem Christianam compellitur abnegare, & ad eorum ritus transire, sed corde & animo fidem Catholicam tenet, is neque est hæreticus, neque reconciliandus, sed in loco religioso per aliquod tempus reponendus, & in fide orthodoxa instruendus; præsertim si illo tempore minor ætate erat, quando captus à Sarracenis fuit. Nam majores, ut mihi relatum fuit ab ipsis Sarracenis, ad id non compelluntur. Hæc Rojas.

4. Sed quia, ut ex dictis apparet, potest sæpiùs contingere supradictos reos adducere se apostatasse propter metum, ultra superiùs dicta afferam hic, ea, quæ optimè advertit Ricciullus *in tract. de jure person. &c. lib. 6. cap. 5. num. 7. & seq.* sic enim ait: Quoniam animus intus latet, & Ecclesia non judicat de occultis, meritò in foro exteriori asserens se Christum negasse per vim, sive metum, redditur suspectus de vehementi, vel levi, perpensis conjecturis personarum & negotiorum. Erit quidem vehementi suspectus, si vi, vel metu cessante, nihilominus in negatione fidei perseveravit, quia diuturna continuatio demonstrat actum ex corde processisse. Item si persona sit gravis, veluti Prælatus, Monachus, Theologus, aut alius vir gravis & prudens, & vis vel metus non fuerit mortis, vel tormentorum, sed famæ, vel exilij, fustigationis, carceris, famis, vel alterius generis non cadentis in constantem virum: in his casibus suspicio est ita vehemens, ut merito indici eis possit abjuratio, & similiter si metus fuerit reverentialis. De levi verò erit suspectus, si negatio fuerit facta à personis non bene fidei causam callentibus, & qui verisimiliter scire non poterant; quàm grave delictum sit negare fidem, cujusmodi sunt pueri, fœminæ, rustici & alij, quos minor motus avertit. Diluet autem omnem suspicionem apostasiæ, si statim, vi vel metu cessante doluerit, & pœnitentiam egerit. Ita Ricciullus, & ante illum Pegna *in direct. Inquis. p. 1. comm. 24.*

5. Neque adversùs supradicta facit Eymericus *in direct. p. 2. q. 41.* ubi docet, quòd metus mortis non excusat ab apostasia in foro exteriori; nam, ut optimè observat Pegna *ibi comm. 66. lit. C*, hæc Eymerici sententia videtur vera de juris, ut aiunt, rigore, nonnullis concurrentibus, videlicet ut qui fidem metu mortis abnegat, probè causam fidei intelligat, & peritus sit, ut Theologus, Monachus, vel Episcopus, similésque personæ conspicuæ, quibus eam prædicare quasi ex officio incumbat. Rursus ut eam abnegent, ubi facilè periculum evadere poterant, aut ubi maximè eam profiteri tenebantur, diutiúsque in tali apostasia perdurant, nec statim facta opportunitate revertuntur, & Ecclesiæ reconciliari deposcunt; sive quando non ipsi se ipsos prodiderunt, sed aliorum testimonio legitimè convincuntur, nec metum probant, nec alia, quæ ad sui excusationem adducunt. Sic Pegna. Ex quibus apparet, quod licèt in aliquibus casibus metus excuset, tamen ut hoc efficiat est in judicio ad probandum, & ideo ego olim consului quemdam Græcum apostatam, qui delatus ab aliis ad S. Officium, negabat ex animo apostatasse, sed metu mortis causa, quod cùm plenè non probaret, consului inquam, torquendum esse, & si negaret intentionem, abjurare debere de vehementi, & ad triremes damnari, ut postea factum fuit.

6. Et tandem ponam praxim quæ in sacro Tribunali hujus Regni practicatur regulariter cum Mauris factis Christianis, qui postea cum aliis Mauris ad terras Turcarum fugam arripiunt, nam si in itinere capiuntur, cùm ex dicta fuga & aliis circumstantiis, quæ quasi semper concurrunt in dicto casu, habent contra se violentam præsumptionem apostasiæ, ideo torquentur super intentione, & si postea negent, abjurant adhuc de vehementi, & ad triremes per triennium damnantur.

7. Nota tandem quòd si veri apostatæ abjurant de formali, confiscantur eorum bona, & damnantur ad carcerem perpetuum, & subjacent iisdem pœnis, quibus subduntur hæretici, de quibus *infrà*, ut docet Innoc. *in cap. 1. de apostat. n. 2. & ibi* Hostiensis *n. 2.* Ioan. Andr. *n. 4.* Butrius *n. 7.* Vnde Lorca *in 2. 2. D. Thomæ q. 12. art. 1. disp. 50. n. 3.* asserit apostatam quoad pœnas & omnem processum judicialem, tractandum esse ut hæreticum, & idem tenet Sanctarellus *de hæres. c. 2. dub. unic. n. 6.*

Sed in fine hujus resolutionis discutiam breviter duas quæstiunculas.

8. Quæro igitur primò, an apostatæ à Religione sint puniendi à DD. Inquisitoribus? Negativè respondet Duardus *in Bull. Cœnæ, lib. 2. can. 1. q. 17. n. 32.* & Pegna *in direct. Inquis. part. 2. comm. 4.* ubi observat sacrum Tribunal Inquisitionis Romanæ non solere contra hos inquirere, & ita etiam observatur in Inquisitione Hispanica, & ideo Aloysius Barjola *in aphorism. lit. A, ver. Apostata, §. 3.* sic ait Apostatæ a Religione non puniuntur ab Inquisitoribus ex sola apostasia, nisi

nisi habeant aliquid adjunctum, & ita est praxis Sacr. Inquisitionis de Vrbe. Sic ille. Verùm Michaël Zanardus *in direct. Theol. p.2. prac.1. cap.5.§.19.* ait hos esse de vehementi suspectos de fide in tribus casibus. Primò, si à Religione transeant ad partes hæreticorum cum eis communicantes, eorum conciones audientes, vel aliquo modo eorum impietates authorizantes. Secundò, si habitum lacerent, pedibusque conculcent, & blasphemias contra Religiones evomant, nam similia facere & effutire mali animi indicium est. Tertiò, si aliquid faciunt contra determinationes Ecclesiæ, ut si uxores ducant, vel celebrent, quando nominaliter excommunicati sunt, vel similia alia fecerint quæ magni contemptus signa sunt. Ita Zanardus.

9. Sed in multis ex supradictis casibus non ut Apostatas à Religione, sed ex aliis capitibus adversùs illos procedunt Inquisitores: sicut procedunt adversùs sæculares cum hæreticis communicantes, eorum conciones audientes, binas nuptias contrahentes, &c.

10. Vnde etiam non desunt DD. asserentes posse Inquisitores procedere contra Apostatas à Religione, si per annum in excommunicatione perstiterint negligentes ad Religionem redire, & ita docet Antonius Sanctarellus *de hæresi cap.41. dub.3.* & Laurentius de Peyrinis *in privil. Minim. tom.2. constit.2. Pauli V. §.1. num.13.*

11. Quæro secundò, an Inquisitores sine Episcopo possint reconciliare eos, qui vulgò dicuntur *Renegati*, si sponte ad ipsos venerint, & pœnitentiam postulent? Affirmativè videtur respondendum ex Molina *de just. tom.5. tract.5. disp.28. num.16.* ubi sic ait: Vidi ego in Lusitania cùm Christianus quidam captus à Sarracenis fuisset, atque ut servitutem fugeret sectam Mahometanam fuisset inter illos professus, ad nostram propria sponte aufugisset, reconciliatum fuisse secretò in Tribunali Inquisitionis, ibique abjurasse solis Inquisitoribus, & aliis ministris ejus Tribunalis, ac me, qui illum sui comitatus, præsentibus, neque Ordinarium, aut alium loco illius interfuisse, fortè in simili eventu, in quo nullum dubium intervenire potest, necessaria non erit præsentia Episcopi. Ita Molina adversùs quem insurgit novissimè Castrus Palaus *tract.4. disput.8. punct.13. num.17.* Verùm non solùm in casu supradicto, sed etiam absolutè docet Sousa *in aphor. Inquis. lib.1. cap.3. n.5.* esse usu receptum, Inquisitores indicare abjurationem & purgationem, sine Episcopo. Vnde ego, ubi adest talis consuetudo legitimè præscripta, illam non damnarem; & hæc opinio erit quidem multum plausibilis DD. Inquisitoribus.

Sup. hoc sup. in tr.10. res. 39. §. ult. & lege etiam aliam Res. ejus annot.

12. Et tandem pro coronide hujus resolutionis nota, quòd licèt *in l. hi qui sanctam, C. de apost.* denegatum sit illis reconciliari, tamen ille textus fuit postea correctus à jure Canonico *in d. cap. contra Christianos, & cap. plerique, de consecrat. dist.4. & cap. quidam, de apost.* quicquid asserat Arelatanus *de hæret. notab.44.* & Matthæus de Afflictis apud Rojas *de hæret. part.1. n.291.* & ideo Lorca *in 2.2. D.Th. quæst.12. art.2.* Canus *lib.2. cap.9.* Castrus *lib.2. cap.23.* & Pegna *in annot. ad Lucern. Inquisit. ver. Apostata,* & Simanca *tit.7. num.3.* Barbosa *in l. Titia 35. ff. soluto matrim. n.55. tom.2.* Freytas *in novis addit. de Confess. solicit q.5. n.90.* asserunt apostatam pœnitentem recipiendum esse, quod etiam tradit novissimè Gabriel Pereira *part.2. de manu Regia, cap.74. num.1.* qui tamen, licèt alioqui vir doctus, cautè legendus est, nam in dicto libro multa asserit contra immunitatem Ecclesiasticam, & præcipuè *in cap. cit.* docet, judicem laicum posse cognoscere de apostasia, quando agitur de quæstione facti, quod antea *in par.1. in concord. Joannis 1. art.1. n.175.* dixerat etiam de hæresi. Sed hæc omnia sunt falsa, & contra communem sententiam Doctorum, ita explicantium textum *in cap. ut Inquisitionis, 6. prohibemus, de hæret. in 6.*

Sup. his in tom.9 tr.2.

Res. 194. & in aliis ejus not. & in Res. 157.

RESOL. LV.

De contrahentibus binas nuptias.

Et an hoc delictum Inquisitores cognoscere possint, vel hoc crimen sit mixti fori?

Et an supradicti sint de vehementi, vel tantum leviter suspecti de fide, & quibus pœnis debeant plecti?

Et alia notabilia circa hoc, & circa consulentes binas nuptias in textu hujus Resolutionis discutiuntur?

Et tandem quæritur, an qui sine uxoris licentia in sæculo degentis suspiciunt Ordines sacros, sint supradictis mulctandi pœnis, & habenda sit ratio, cujus nationis sint? Ex p.4. tr.7. Res. etiam 4.

§.1. HOc delictum Inquisitores cognoscere privativè quoad judices laicos, probat Sigismundus Scaccia *de judic. causar. & c. lib.1. cap.12. n.55.* Vnde Antonius Sousa *in aphor. Inquis. lib.1. cap.35. n.18.* Sic ait: Stando in jure communi, culpa contrahentium binas nuptias ad utrumque judicem, Ecclesiasticum scilicet, & sæcularem spectabat, nunc autem ad solos Inquisitores, & extat declaratio à Sum. Pontif. ad Inquisitorum Lusitaniæ. Ita ille.

2. Verùm M. Anton. Genuensis *in praxi Archiep. cap.68. num.13.* sic asserit: Si bigamus est præventus à Curia sæculari, debet remitti ad Curiam Ecclesiasticam (Inquisitorem videlicet) ut rectè notat Farinacius *ubi infrà*, quæ torquet ipsum super intentione, & abjurare, facit deinde tenetur illum remittere ad Curiam sæcularem, quæ ipsum punit pro bigamia; quando verò est præventus à Curia Ecclesiastica, in totum punitur ab ipsa, & non potest ampliùs Curia sæcularis se intromittere, ut habetur ex litteris Congregation. S. Officij, quæ conservantur in Curia. Hæc Genuensis. Ex quibus apparet cautè legendum esse Simancam *tit.40. num.3. & 4.* ubi putat Inquisitores tunc posse procedere adversùs tales bigamos, quando sunt ex genere Mahometano, & quando palàm duas duxerint uxores. Sed adversùs illum, & meritò insurgit Seraphinus Freytas *in addit. ad Acugnam, cap.2. num.32.* & Farinacius *de hæresi, quæst.178. n.71.* Vide etiam Homobonum *in exam. Eccles. p.2. tr.11. cap.7. q.18.* Rojas *singul.98. n.4.* Guttierrez *in qq. Canon. lib.2. cap.8. n.1.* Henriquez *lib.11. cap.2. num.3.* & alios quos citant & sequuntur Bobadilla *in polit. l.2. cap.17. num.152. in glos. lit. A.* & Barbosa *de potestate Episc. p.2. alleg.40. n.44.* unde non est audiendus Simanca.

3. Igitur cùm Inquisitores absolutè & indistinctè procedant adversùs binas nuptias contrahentes, difficultas est an dicti sint de vehementi, vel tantùm leviter suspecti de fide? Esse de fide vehementer suspectos, tradit Piasecius *in praxi part.2. cap.4. art.6. n.9.* & Genuensis *cap.18. num.11.* & alij. Verùm asserunt hos esse tantùm de fide leviter suspectos, Simanca *tit.40. num.8* & alij. Vnde ex diversitate harum opinionum orta est differentia inter stylum Inquisitionis Romanæ & Hispanicæ; nam in Romana Inquisitione supradicti rei tanquam suspecti vehementer de hæresi torquentur, & abjurant de vehementi, ut testatur Naldus *in summ. ver. uxor, num.2.* Riccius *in addit. ad Instit. Canon. lib.4. tit.2.* Farinacius *quæst.178. num.68.* Ricciullus *de jure person. & c. lib.1. cap.11. numero 17.*

junctis

*junctо n.*30. Genuen. *in praxi cap.*68. *num.*13. Pegna *in direct. part.*2. *comm.*81.

4. Hinc Aloysius Barjola *in aphor. lit.V. ver. uxor. §.*2. sic asserens: Si quis aliquam ducat uxorem priore vivente, hoc spectat ad S. Officium, & ex decreto Vrbis confessi, vel convicti præmissa tortura in forma abjurant de vehementi coram Congregatione, & ad remum transmittuntur per quinquennium, vel per septennium pœnitentiis salutaribus injunctis Inquisitorum arbitrio. Ita ille.

5. In nostra verò Inquisitione Hispanica hi abjurant tantùm de levi, ut observat Suarez *de fide disputat.*24. *sect.*2. *n.*4. Emanuel Moura *de incant. opusc.*1. *sect.*3. *c.*3. *n.*8. Sousa *in aphor. Inquisit. lib.*1. *cap.*35. *n.*20. & non torquentur ut observat idem Sousa *de Confes. solic. tract.*2. *cap.*13. *concl.*3. *n.*11. Et ratio est, quia tales ut plurimum præsumuntur contrahere binas nuptias ex luxuria, vel cupiditate lucrandæ dotis; secus autem si rei essent ex provincia infecta hæresis Calvinianæ & Lutheranæ; nam in tali casu abjurarent de vehementi, & ego illos torquerem, nam ex natione infecta oritur contra illos vehemens suspicio de hæresi. Vide Emanuelem Moura *de ensal. sect.*3. *cap.*3. *num.* 9. In supradictis verò unusquisque sequatur praxim Inquisitionis suæ.

6. Quibus verò aliis pœnis supradicti plectantur in nostro Tribunali Hispanico, testatur Salzedo *in addit. ad pract. crim. Diaz cap.*8. *lit.B*, ubi sic ait: Ab Inquisitoribus hoc crimen perpetrantes fustibus cædi solent, cum relegatione ad tempus, ut testatur Simanca *in cathol. instit.* in Enchiridio tamen asserit quod plebeij flagellis cæsi ad triremes condemnantur; si verò nobiles fuerint, aliæ justæ pœnæ imponuntur, & quod ad triremes facienda sit condemnatio, decretum fuit à supremis sacræ Inquisit. Senatoribus. Ita Salzedo, & Humada *in leg.*60. *tit.*6. *p.*1. *ad text. n.*3. qui non assignant tempus triremium, neque pœnas imponendas nobilibus, & etiam mulieribus, sed hoc facit Sousa *in aphor. Inquisit. lib.*1. *cap.*35. *n.*20. sic asserens: Regulariter personæ viles fustigantur, & ad triremes per quinquennium mittuntur. Honestiores verò & mulieres per idem tempus relegantur, aliis autem pœnitentiis spiritualibus impositis. Simanca etiam *tit.*40. *n.*6. docet plebeios per quinquennium damnandos esse ad triremes; & Castrus *ubi infrà*, hoc etiam docet, addens nobiles præter exilium pœna pecuniaria damnari posse.

7. Non desinam tamen hîc adnotare quòd si adsit aliqua præsumptio in favorem rei, nempe quia propter longam absentiam unius conjugis dicebant defunctam esse, loco fustigationis & triremium damnandus est ad exilium & pœnam pecuniariam.

8. Notandum est est etiam hîc supradictas pœnas incurrere consulentem aliquem, ut binas nuptias contrahat, & ita observat Emanuel Moura *de incant. opusc.*1. *sect.*3. *cap.*6. *n.*11. se vidisse in praxi, eadem pœna damnatam matrem consulentem filiam, ut secundò nuberet, ac ipsam filiam; quia non minor contra matrem ita concurrentem suspicio non bene sentiendi de matrimonio insurgebat, quàm contra filiam. Ita ille, quod perpetuò tene menti.

9. Nota etiam supradictos non esse ita puniendos, si antequam testificati sint, seipsos Inquisitoribus detulerunt, sed quibus pœnis in tali casu sint plectendi, docet Castrus Palaus *in summ. tom.*1. *tract.*4. *disp.*8. *punct.*16. §.8. *n.*2. Putarem primò, ait, in carceribus secretis recludendos non esse, dum ejus causa agitur, sed in aliqua particulari domo, ut Compostellæ observatum vidi. Secundò existimarem, etiamsi plebeius sit, flagellis non debere cædi, sed exilio, aliquave pœna pecuniaria condemnari, & idem dicendum de eo qui aliqua apparenti ratione ductus de morte prioris conjugis probat secundùm matrimonium contraxisse. Sic Castrus, & ego.

10. Sed hîc obiter inquirendum erit, an sit denunciandus, & subjiciatur supradictis pœnis, si quis habens vivam uxorem, deveniat ad actum proximum contrahendi cum alia, v.g. faciendo contractum dotis, denunciationis in Ecclesia, &c. Et negativè videtur respondendum per ea, quæ docet Sousa *in aphor. Inquisit. lib.*1. *c.*35. *n.*6. ubi tenet, contrahentem matrimonium cum prima, & sponsalia cum secunda, non esse suspectum de fide, nec posse puniri ab Inquisitoribus, sed ab Episcopo. Verùm Romæ in Sac. Congregatione Sancti Officij supradicti, qui devenerunt ad actum proximum contrahendi secundum matrimonium, abjurant de levi, & puniuntur exilio, vel carceribus, seu aliis pœnis arbitrariis, & priùs torquentur super intentione.

11. Quod quidem in Inquisitione Romana potest procedere, quia ibi polygami abjurant, ut visum est, de vehementi, unde pro attentantibus tantùm polygamiam remanet abjuratio de levi; in Inquisitione autem Hispanica hoc haberet difficultatem, nam cum ibi polygami abjurent de levi, si attentantes tantùm polygamiam de levi etiam abjurent, punitur delictum attentatum, ut delictum consummatum; & ideò in casu occurrenti nescio quid in praxi observandum: unde de optimum esset, si nostri Inquisitores determinationem hujus casus à supremo Hispaniarum Inquisitore exposcerent.

12. Notandum est tamen hîc obiter cum Sousa *loco cit. n.*5. scienter contrahentem binas nuptias esse suspectum de fide, quamvis nullam uxorem carnaliter cognoscat; quod etiam docet Albertinus *de agnoscen. quæst.*23. *n.*49. 55. *& seq. num.* etiam 60. & 66. & Farinacius *de delictis carnis, q.*140. *p.*1. *n.*24. & 30. Secus autem si contraheret sponsalia cum duabus, quamvis eas carnaliter cognoscat, nam in tali casu non erit de fide suspectus, cùm non contrahat matrimonium.

13. Et tandem pro coronide hujus resolutionis.

Nota primo quòd antequam in hoc crimine procedatur ad capturam, præcedere debet plena probatio, ut constet, reum uno eodémque tempore duas uxores habere, & licèt reus seipsum detulerit, nihilominus per legitimos testes delictum probandum est, aut testimonium authenticum de libro Parochi, ubi adscribi solet; testes autem satis est ut dicant, mulierem habitam fuisse pro uxore rei, illúmque eam tractasse, ut communiter solent aliæ uxores tractari; scilicet vidisse, illos euntes ad Ecclesiam, & inde venientes, in una domo simul vivere ut conjuges, &c.

14. Nota secundò, quòd conjugati, qui sine uxoris licentia in sæculo degentis suscipiunt Ordines sacros, sunt supradictis pœnis mulctandi, & habenda est ratio, qualis nationis sit, nam si esset illius, apud quem hæresis Lutheri viget, maxima præsumeretur malitia, & vehemens suspicio, unde ei imponenda esset abjuratio de vehementi, & etiam tortura adhibenda, ut deregeret intentionem. Vide Canteram *cap.*1. *de hæret. num.*71. & Farinacium *quæst.*183. *numero* 71. & *cap.*76.

RESOL. V.

De Clericis sacris Ordinibus, initiatis, & de Religiosis matrimonium ineuntibus?

Et an tales non solum committant sacrilegium, sed sint de hæresi suspecti, & qua pœna puniendi sint?

Et

Et an contrahens matrimonium cum hæretica sit suspectus de fide, & contra illum Inquisitores possint procedere?

Et notatur, quod sicut professi aliam Religionem, sic illi, qui ex Societate Iesu vota biennia emiserunt, si matrimonium postea contraherent, præterquam quod matrimonium est irritum, subjiciuntur supradictis pœnis, & abjurant? Ex p.4. tr. 7. Ref. etiam 5.

§. 1. TAles non solùm committere sacrilegium, sed esse de hæresi suspectos, tradit Emanuel de Moura *de incant. opusc. 1. sect. 3. cap. 3. n. 9.* Ioseph Sesse *tom. 4. decis. 449. n. 3. & 9.* Sousa *in aphor. Inquis. lib. 1. cap. 8. n. 16.* Peyrinus *in privil. Minim. tom. 2. constit. 9. Pauli V. §. 2. n. 20.* Leone *de potest. Confess. p. 1. recol. 22. n. 15. cas. 24.* Rodriq. *in qq. Regul. tom. 3. q. 1. art. 1.* Direct. Inquisit. *p. 2. q. 49. & ibi* Pegna *comm. 74.* Paramus *de orig. Inquis. lib. 3. q. 10. n. 75.* Hieronym. Rodriq. *in compen. qq. Regular. resolut. 93. num. 1.* & alij penes ipsos.

2. Sed difficultas est, qua pœna puniendi sint? Didacus Cantera Inquisitor Murciæ, vir doctissimus, & nunquam satis laudatus, *in qq. crimin. cap. 1. de hæret. num. 71.* sic ait: Certè propter suspicionem credo, quòd fieret instantia, & poneretur ad torturam, & si vinceret remaneret probatio aliqua, abjuraret de levi, & deportaretur ad arbitrium judicis, & si colligeretur maxima malitia & suspicio in fide, abjuraret de vehementi, & ita practicarem. Hæc Cantera cujus doctrinam confirmat opinio Simancæ *in Enchirid. tit. 12. num. 1.* asserentis, Religiosum contrahentem binas nuptias esse vehementer suspectum de hæresi.

3. Verùm hodie stylus nostræ Inquisit. Hispanicæ communiter supradictos non torquet, sed ut observat Castrus Palaus *in sum. tom. 1. tract. 4. disp. 8. pun. 16. §. 8. num. 4.* illos punit eadem pœna, qua puniuntur contrahentes binas nuptias, & graviori ob suspicionem Lutheranæ hæresis. Ordinariè igitur imponerem abjurationem de levi, & ad triremes ad minus per quinquennium damnarem, nisi talis qualitas personæ & circumstantiæ concurrerent, ut etiam necesse fuerit reum torquere, & abjurationem de vehementi imponere, & augere pœnam ad triremes: ut si, v. g. Clericus, seu Monachus esset de provincia infecta Lutheranæ hæresis, & in hoc casu puto sequendam esse opinionem Canteræ & Simancæ *ubi supra*, nam persona redditur suspecta respectu suæ regionis, ut optimè observat Sesse *in decis. regni Arag tom. 4. decis. 452. num. 4.* & alij.

4. Notandum est etiam hîc obiter contrahentem matrimonium cum hæretica esse suspectum de fide, & contra illum Inquisitores posse procedere. Ita Sanctarellus *tract. de hæresi cap. 41. dub. 3. n. 1.* & Cantera *in qq. crim. cap. 1. de hæret. n. 1.* & Glossa *in cap. decrevit, de hæret. in 6.* & *ibi* Io. Andreas *n. 1.* Geminianus *n. 2.* & Francus *num. 1.*

5. Notandum etiam, sicut professi alienam Religionem, sic illi qui in Societate Iesu vota biennij emiserunt, si matrimonium postea contraherent, præterquam quòd matrimonium est irritum, subjiciuntur supradictis pœnis & abjurant.

RESOL. VI.

De retinentibus, & legentibus libros Hæreticorum, Necromanticorum, Pentacula, &c. an sint puniendi tanquam hæretici?

Et an legentes, & tenentes libros Astrologiæ judiciariæ, & libros prohibitos, etiamsi non sint libri hæreticorum, possint ab Inquisitoribus puniri?

Et an Iudei, & alij infideles commorantes in terris Christianorum, qui retinere, habere, legere, vel exemplare, advehere, donare, communicare, vel alienare ausi fuerint Libros, & Codices Talmuticos, Cabalisticos, & alios nefarios, &c. puniendi sunt arbitrio Inquisitorum?

Idem dicendum est de Typographis, & Bibliopolis, seu mercatoribus? Ex p.4. tr. 7. Ref. etiam 6.

§. 1. REtinentes hæreticorum libros & legentes, puniendos esse tanquam hæreticos, docet Carrerus *tract. de hæret. n. 125.* & alij Iurisconsulti, quos refert, & rectè improbat Torreblanca *de Magia lib. 3. cap. 15. n. 31.* Simanca *tit. 38. num. 23.* & Lorca *in 2. 2. D. Thom. q. 11. art. 4. disp. 48. n. 4.* cum aliis communiter. Dicendum est igitur, supradictos esse tantùm suspectos de hæresi leviter, vel vehementer, seu violenter, juxta personarum & facti qualitatem, ut rectè observat Merolla *in disp. Theol. tom. 1. disp. 1. cap. 2. diffic. 6. n. 373.* Sousa *in Bull. Cœn. cap. 2. disput. 16. n. 4.* Azorius *tom. 1. lib. 8. cap. 16. q. 10.* Zecchius *in summ. tom. 1. tract. de hæresi, cap. 11. n. 5.* Paramus *lib. 3. q. 9. n. 147.* Zanchinus *de hæret. cap. 7. num. 7. & seq.* Bursatus *lib. 1. cons. 90. n. 10.* Delrius *in disquis. mag. lib. 5. sect. 17.* Sousa *in aphor. Inquis. lib. 1. cap. 21. num. 37.* & alij penes ipsos. Quoad hoc in to. 3. tr. 6. ex Ref. 49. lege doctr. §. His tamen inter princ. & med. a vers. Vbi post.

2. Sed audiamus doctum Carreram *in qq. crim. c. 1. de hæret. n. 64.* sic asserentem: An libri inventi penes aliquem, probent illum esse hæreticum, & puniatur tanquam hæreticus? Distinguo, aut libri sunt compositi ab illo, in cujus potestate inveniuntur, vel est obnoxius illis libris, quia tenet quòd illi tenent, & tunc videtur, quòd puniatur pœna hæreticorum, quia talis liber probat eos esse hæreticos. Sed in hoc etiam credo, quòd debeat constare, quòd tenet quod libri tenèt, vel aliquam hæresim illorum librorum; & sic non solũ ex eo quòd talis liber inveniatur penes eum, est judicandus hæreticus; aut libri non sunt compositi ab illo, penes quem inveniuntur, nec constat illum esse obnoxium in illis libris, & tunc distingue quòd aut ille, penes quem inveniuntur, est homo bonæ famæ, & non punitur, quia non est suspicio contra eum, aut est malæ opinionis, & ex qualitate ipsius personæ, & librorum procederetur acriùs, vel mitiùs, & posset etiam esse vehemens suspicio contra eum, vel minor. Ita ille, & ante illum Albert. *q. 28. n. 25. & 26.* & Simanca *tit. 40. n. 24.* ubi licèt asserat probabilem esse opinionem illorum, qui aiunt suspectos esse de fide illos, qui libros hæreticorum habent, tamen ipse plurimum arbitrio judicum tribuendum censet, nam ex personarum, & librorum qualitate, aliisque circumstantiis causa cognita, in unaquaque specie, meliùs statuere poterunt.

3. Verùm deveniendo ad pœnas, non desinam hîc apponere verba Pegnæ *in direct. Inquis. part. 2. comm. 3.* sic asserentis: Falchodius & Archidiaconus purgationem talibus inducendam admonent, quam interdum ex causa imponi posse non ambigerem, hoc sit certum, pœnitentiam esse imponendam, nunc acriorem, aliàs verò leviorem pro qualitate, & modo delicti, & delinquentium. Nos aliquando post abjurationem jejunia, orationes, & peregrinationes imponi vidimus. Ita Pegna, qui non asserit quam abjurationem fuisse, sed puto abjurationem de levi, & ita esse in usu deductum, docet Suarez *tract. de fide disp. 24. sect. 2. n. 4.* Videtur enim, ait, fieri abjurationem de levi, si quis legit librum hæreticum. Sic ille. Verùm Merolla *ubi supra*, & Farinacius *de hæresi q. 180. num. 9. in fine*, asserunt supradictos reos abjurare de vehementi, & pro sola retentione hos de levi abjurare testatur Genuensis *in praxi Archiep. cap. 68. num. 12.* ubi sic ait: Servatur in Curia, quod si apud aliquem reperiuntur libri Hæreticorum, Necromanticorum, Pentacula, & similes

scripturæ continentes hæresim, vel apostasiam, & tortus super intentione & complicibus, neget intentionem, & usum, solet pro retentione tantùm abjurare de levi, & ei injungi pœnitentia salutaris, & si sint exteri, expelluntur ex diœcesi arbitrio Curiæ. Ita Genuens. *in cap.* 18. *n.* 14. ideòsi docuerat, ut patet in his verbis. Anno 1599. fuit rescriptum à sacr. Generali Inquisitione urbis, quòd torqueretur super intentione, sive credulitate, & usu quidam Doctor bonæ famæ, qui scienter pensa retinuerat pentaculum, & cùm fuisset tortus, & non confessus, abjuravit de levi pro retentione. Sic ille.

4. Nota tamen, quòd in aliquo casu raro & peculiari ex circumstantiis delicti, & qualitate personæ potest oriri tam vehemens suspicio de hæresi in legentibus, & retinentibus libros hæreticorum, ut sint damnandi ad abjurationem de vehementi, & gravioribus pœnis quàm supradicti plectendi. Sed ut dixi, regulariter hi abjurant de levi in Tribunali Hispanico.

5. Notandum est etiam, quòd Iudæi, & alij infideles commorantes in terris Christianorum, qui retinere, habere, legere, scribere, vel exemplare, advehere, donare, commutare, aut aliàs quomodolibet distrahere, vel alienare ausi fuerint libros & codices Talmudicos, Cabalisticos, & alios nefarios, &c. puniendi sunt arbitrio Inquisitorum pœna amissionis librorum, publicationis omnium librorum, quæ fisco applicanda, sunt, ac etiam aliis gravioribus & corporis afflictivis. Ita ex constit. Clem. VIII. docet Sousa *in aphor. Inquis. lib.* 1. *cap.* 21. *n.* 52. qui citat Farinacium, Pegnam, & Azorium, addens idem dicendum esse de Typographis & Bibliopolis, seu mercatoribus.

6. Non desinam etiam hic adnotare, quod legentes & tenentes libros Astrologiæ judiciariæ, qui de futuris contingentibus fortuitisve casibus & liberis tractant, ab Inquisitoribus puniuntur, & vide novissimè constit. Vrbani VIII. sub die 1. *Aprilis* 1631. Item legentes libros prohibitos ab Inquisitoribus, etiamsi non sint libri hæreticorum, possunt ab ipsis Inquisitoribus puniri. Ita Sousa *in aphor. Inquis. lib.* 1. *cap.* 31. *n.* 45. & 46. Sesse *tom.* 4. *decis.* 464. *n.* 24.

RESOL. VII.

De Confessariis solicitantibus?

Et an Inquisitores possint eos punire tanquam suspectos de hæresi vehementer, vel tantum leviter?

Et in corpore hujus Resolutionis aliqua alia notabilia circa hoc, & circa pœnas, & pœnitentias supradictis imponendas explanantur.

Et tandem advertitur, quòd Confessarius, qui non declarat fœminæ solicitatæ obligationem denunciandi, aut qui ei dicit ad talem denunciationem faciendam non teneri, ab Inquisitoribus pro qualitate culpæ potest puniri?

Et an verò fœmina solicitata denunciationem omittens, ut fautrix sit ab Inquisitoribus punienda? Ex p. 4. tr. 7. Res. etiam 7.

Sup. hoc sup. §. 1. in tr. 9. Res. 92. §. Observent, & lege etiam doctr. aliarum Res. ejus annot.

POsse Inquisitores supradictos punire patet ex constitutionibus Pauli IV. *die* 16. *Aprilis* 1561. Pij IV. *die* 6. *April.* 1564. Clem. VIII. *die* 3. *Decembr.* 1592. & Greg. XV. *die* 30. *Augusti* 1622. Imò hanc facultatem competere Inquisitoribus de jure communi, tenet Sanctarellus *tract. de hæresi cap.* 44. *dub. unic. n.* 2. *in fine*. Sed quicquid sit de hoc, certum est, ut diximus, Inquisitores ex dictis Bullis Pontificiis, posse in Confessarios solicitantes animadvertere, nam ita facientes sunt suspecti de fide, ut probat Peyrinus *in privil. Minim. tom.* 2. *const.* 4. *Greg. XV.* §. 3. *n.* 6. & DD. communiter.

2. Difficultas verò est, an dicti Confessarij sint sic suspecti de hæresi vehementer, vel tantum leviter? esse in suspectos vehementer, tenet Pegna *in direct. Inquis. p.* 2. *comm.* 81. Piasecius *in praxi p.* 2. *c.* 4. *art.* 6. *n.* 10. Aloysius Barjola post Flores Inquis. *tr. de Confes. solic.* Genuensis *in praxi Archiep. cap.* 66. *n.* 2. Madius *de sacr. Ordin. cap.* 27. *n.* 6. & alij. Esse suspectos tantùm leviter, tenet Ioseph Sesse *tom.* 4. *decis.* 449. *n.* 3. & *decis.* 450. *n.* 9. & *decis.* 454. *n.* 6. Sousa *de Confess. solic. tract.* 1. *cap.* 5. *n.* 6. Rodericus Acugna *tract. de Confes. solic. q.* 2. *n.* 20. Castrus Palaus *in sum. tom.* 1. *tract.* 4. *disput.* 9. *punct.* 6. *n.* 1. & alij. Vnde ex hac varietate opinionum, ut *sup.* dictum est de bigamis, orta est diversitas inter praxim Inquisitionis Romanæ, & Hispanicæ, nam Inquisitio Romana, quia putat Confessarios solicitantes esse vehementer suspectos de hæresi, illos torquet, ut patet apud Peyrinum *in privil. Minim. tom.* 2. *const.* 4. *Greg. XV.* §. 3. *num.* 5. Molfesium *in summa tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 24. *num.* 40. & 42. Michaëlem Zanardum *in direct. Inquis. part.* 3. *cap.* 78. *fol. mihi* 490. Genuensem *in praxi cap.* 66. *num.* 1. Madium *de sacr. Ordin. cap.* 27. *n.* 6. & alios. Inquisitio verò Hispanica, quia putat supradictos esse tantùm suspectos leviter, illos non torquet, ut observat Sousa *de Confess. solic. tract.* 2. *cap.* 13. *concl.* 3. *n.* 11. & *in aphor. Inquis. lib.* 1. *cap.* 39. *num.* 64. & 65. Castrus Palaus *in sum. tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 9. *punct.* 11. *n.* 4. Acugna *tract. de Confess. solic. quæst.* 13. *n.* 14. & alij. Deinde ex eadem ratione Inquisitio Romana facit dictos reos, tanquam suspectos de hæresi vehementer, abjurare de vehementi, ut testatur Aloysius Barjola post Flores Inquis. *tract. de Confess. solic.* & *inst.* ponam ejus verba. Sed in nostra Inquisitione Hispanica, tanquam leviter suspecti, abjurant tantùm de levi, ut *infrà* patebit, & docet Sesse *tom.* 5. *decis.* 454. *n.* 5. & Sousa *de Confes. solic. tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 6. unde unusquisque sequatur praxim Inquisitionis suæ. Alias verò pœnas, quibus supradicti plectuntur, determinat novissimè Greg. XV. & sunt, suspensio ab executione Ordinis, privatio beneficiorum & Officiorum quorumcumque, ac perpetua inhabilitas ad illa, privatio vocis activæ & passivæ: si solicitator religiosus sit, exilium, damnatio ad triremes, carceratio etiam in perpetuum & aliæ pœnæ secundùm qualitatem delicti, etiamsi traditio Curiæ sæculari. Ita Pontifex *in sua const.* & hanc ultimam pœnam relaxationis in hoc delicto adhibendam esse tradit etiam Michaël Rausset *in histor. Pontif. jurisd. lib.* 4. *cap.* 13. *n.* 14. Sed audiamus partem epistolæ supremi Senatus Inquisit. Hispan. editæ 1. *Julij ann.* 1580. & directæ Inquisitoribus hujus Regni Hædo, Pegnæ, & Correenero, sic habentis. [Las penas que alos tales delinquentes se acostumbra, imponer suelen ser arbitrarias conforme a la qualidad de los delitos, gravedad y frequencia dellos, y otras circumstancias que puedan mover el usar de rigor, ò moderaçion; advertiendo que en qualquier evento los tales reos han de abjurar de levi, y ser privados perpetuamente de la administraçion del sacramento de la Penitencia a lo menos a mugeres, y quanto à los demas Sacramentos, y predicar, serà arbitrario, y tambien el destierro o reclusion que se les deviere imponer de los lugares donde cometieron los delitos con algunas leguas al deredor. A los Religiosos se les podran dar disciplinas en los Capitulos de sus Monasterios tornandoles à leer en ellos sus sentencias por un Notario del Secreto en presencia del Convento y tan grave podria ser la culpa que se les diesse tambien disciplina en la sala del Tribunal, quando en ella se pronuncia la sentencia en presencia de los Religiosos, y Clerigos que alli assistieren, condenandolos en otras penitencias como son reclusion de donde delinquieron, y suspension, o privacion de sus Ordenes, y de voz activa y passiva, y que sean ultimos en el coro y

huius Ref. & magis latè sup. in tr. 9. ref. 93. & in alio §. ejus not.

Refettorio. A los Clerigos se podran poner de mas de las penas generales arriba dichas de privacion y destierro, otras de reclusion, o privacion, o suspension de beneficio officio, o penas pecuniarias, o disciplinas secretas, ayunos, y oraciones.] Sic ibi.

Sup. contẽto in hoc vers. usque ad vers. & tandem huius §. lege §. 1. & ult. not. seq.

3. Vnde ex his, ut observat Seraphinus Freytas *in addit. ad Acugnam q. 24. n. 50.* cum casus solicitationis Pintiæ contingeret, Confessor qui per multos annos solicitarat, privatus fuit audiendi confessiones facultate, in carcerem detrusus per decennium in Conventu sui Ordinis à Superiore Provinciæ designando, dummodo non esset domus illa, in qua confessiones & solicitationes exercebat, & ante carcerationem, ut fustibus ab omnibus Conventus Religiosis per coronam castigetur, præsentè S. Inquisitiois Notario cum aliquibus jejuniis, & Euchatistiæ abstinentia, certis temporibus. Ita Freytas, & de his pœnis loquens Sousa *de Confes. solicit. tr. 2. c. 15. n. 13.* sic ait: Pœna quæ confessariis de solicitatione convictis, vel confessis imponitur est, quod ab officio Confessarij simpliciter suspendantur, & locum ubi delictum commiserunt, in perpetuum, vel ad tempus non ingrediantur. Imponitur etiam exilij pœna, carceris, reclusionis in aliquod monasterium: ptivantur item Inquisitorum arbitrio administratione aliorum Sacramentorum, & Prædicatoris officio. Sic ille. Et tandem non gravabor etiam hic apponere verba Castri Palai *in sum. tom. 1. tract. 4. disp. 9. punct. 11. num. 2.* ubi sic ait: Causa conclusa vocantur consultores Ecclesiastici, & ex eorum consilio, Inquisitor & Ordinarius proferunt sententiam, illamque reo denunciant, quæ sententia legitur ei postea in secreto Tribunali præsentibus duobus cujusvis Ordinis Religiosis Confessariis, ibique graviter reprehensus abjurat de levi, & de audiendis confessionibus & prædicatione verbi Dei perpetuò privatur, si casus gravis sit, hoc est, si plures solicitavit, & solicitationis effectum est consecutus. Si autem casus ita gravis non est, aliquibus annis privatur ab excipiendis virorum confessionibus, & in perpetuum mulierum, & uno, vel duobus annis in aliquod Monasterium detruditur, quòd si Religiosus sit, præcipitur ut in choro vel refectorio, aliisque locis communibus ultimam sedem habeat, voce activa, & passiva interim privatus; & aliquoties hæc sententia iterum per Secretarium in suo Conventu, præsentibus omnibus Religiosis, legitur, quòd si solicitatio ad plures personas se extendit, & cum illis turpitudines graves commisit, ab omnibus Religiosis post lectam sententiam flagellatur. Ita Castrus. Vide etiam Paramum *lib. 3. quæst. 10. n. 166.* Sed antequam finem huic resolutioni imponam, duo dubia sunt discutienda.

Sup. hoc & seqq. in hoc §. sup. in tr. 9. ref. 92. 5. ult. & hic in §. præterito huius Ref. propè fin. à vers. A los religiosos, & pro parte vocis activæ & passivæ, ibidem paulò inferius, & magis latè sup. in tr. 9. ref. 93. & in alio §. ejus not.

4. Primò, an ab Inquisitoribus debeant solicitantes ad Venerem damnari ad triremes? Negativam sententiam mordicus tenet Seraph. Freytas *in addit. ad Acugnam, 9. 24. n. 43. & 44.* quia ex hac damnatione & publicis pœnitentiis oriretur publicum scandalum, quod in hoc casu maximè evitari debet. Adde quòd indecens est viros Deo dicatos triremibus inter pessimorum sentinam mancipare. Sed contrariam sententiam omnino veram esse puto, maximè post Bullam Greg. XV. & ita tenet Cantera *in qq. crim. cap. 1. de hæret. num. 65.* Ortiz *in sum. cap. 24. n. 11.* & Castr. Pal. *ubi suprà* testatur, se vidisse aliquos ob hoc crimen triremibus addictos, maximè cùm virorum solicitatio fuit, & in Regno Siciliæ hoc etiam servatur in praxi, quando Confessarius plures personas solicitavit, & maximè si solicitatio habuit effectum. Vnde me consulente, fuit quidam Religiosus ad triremes per septennium damnatus, & hoc generaliter servari in praxi Inquisitionis Romanæ testatur Aloysius Barjola *in tract. de Confes. solic.* post Flores Inquisit. ubi sic ait. Hodie tales Confessarij de stylo urbis, sunt suspecti vehementer, hinc compelluntur ad abjurationem de vehementi, & transmittuntur ad remum per quinquennium, aut septennium. Ita ille. Et ita hanc sententiam post constitutionem Greg. XV. docet Freytas in editione novissima *ubi suprà num. 115.* ubi testatur Pintiæ quemdam Confessarium solicitantem fuisse ad triremes damnatum.

5. Secundò quæritur, an Inquisitores possint ad tempus tantùm privare dictos Confessarios ad turpia solicitantes, ne audiant mulierum confessiones? Et affirmativè videtur respondendum, per ea, quæ adducit Riccius *p. 3. collect. 549.* ubi notat, Neapoli Parochum solicitantem suspensum fuisse per annum à cura animarum, & Homobonus de Bonis *in exam. Eccles. p. 1. tr. 5. cap. 16. q. 99.* asserit, ex Tribunali S. Inquisitionis communi praxi supradictos Confessarios ad tempus arbitrio Inquisitorum ab audiendis confessionibus suspendi.

7. Sed in nostro Tribunali S. Inquisitionis Hisp. contrarium observatur in praxi, & ita in quadam epistola supremi Senatus *anno* 1600. directa ad Inquisitores sic habetur: [Y ha parecido advertir os, que siempre que algun solicitante en el atto de la Confession fuere condenado en privaçion de no confessar mugeres no lo sea por tiempo limitado, sino perpetuamente.] & sic etiam habetur in alia epistola supremi Senatus superius adducta; & docet Castrus, & Paramus *loc. cit.* Imò Didacus Cantera *in quæst. crim. cap. 1. de hæret. n. 65.* asserit absolute Confessarium solicitantem ab omnium confessionibus privandum esse in perpetuum; sed hanc opinionem Castrus Palaus *in summ. ubi supr. tom. 1. tract. 4. disp. 9. punct. 11. n. 2.* tunc admittit, quando casus gravis esset, videlicet si plures solicitasset, tunc non solùm à confessionibus mulierum in perpetuum, sed etiam virorum dictum Confessarium privaret: secus autem si casus gravis non sit, quoad confessionem tamen virorum, & ita etiam videtur sentire Paramus *lib. 3. q. 10. n. 166.* ibi, *Debent Confessarij sic delinquentes privari confessionibus saltem mulierum*, &c. Vide etiam Acugnam *tract. de Confes. solic. q. 24. n. 10.*

7. His tamen non obstantibus, in hoc sacro Tribunali Regni Siciliæ observatur, in praxi, ut Confessarij ad turpia solicitantes in omni casu priventur in perpetuum, non solùm à confessionibus mulierum, sed etiam virorum, & hanc opinionem hodie ubique servandam esse puto, stante novissima constitutione Greg. XV. extendentis pœnas illius Bullæ etiam ad Confessarios solicitantes pueros. Et ita etiam docet Antonius Sousa *de Confes. solic. tr. 2. c. 15. n. 13.* ubi docet Confessarium solicitantem esse, suspendendum ab officio Confessarij simpliciter.

8. Et tandem quæro hîc, an hodie in omnibus casibus expressis in dicta Bulla Greg. XV. debeant Confessarij abjurare de levi. Negativam sententiam docet Antonius Sousa *in aphor. Inquis. lib. 1. cap. 34 n. 68.* ubi sic asserit: Abjurant Confessarij solicitantes in sacramentali confessione, aut in actu proximo antecedente, vel consequente, aut quando prætextu confessionis, aut occasione illius solicitant, non tamen abjurant, quando solicitatio fit solùm in confessionario, aut in loco ubi audiuntur confessiones, aut ad ipsas audiendas deputato. Ita ille.

9. Verùm an probabiliter, judicent alij: nam suprà dicti casus, in quibus Sousa asserit Confessarios non debere abjurare de levi, comprehenduntur & includuntur à Greg. XV. *in sua constitut.* ut patet clarè in illis verbis, *sive extra occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocumque ubi confessiones sacramentales audiuntur*, &c. Vnde aliqui putant in omnibus casibus expressis à Greg. XV. in sua Bulla debere Confessarios abjurare secundùm usum nostræ Inquisitionis

Hispaniæ de levi, & subjectos esse omnibus pœnis *supra* expressis pro qualitate personarum, & circumstantiarum delicti.

10. Nota etiam hic quòd Confessarius, qui non declarat fœminæ solicitatæ obligationem denunciandi, aut qui eidem dicit ad talem denunciationem faciendam non teneri, ab Inquisitoribus pro qualitate, culpæ potest puniri, ut habetur *in dicta constit. Greg. XV.* & notat Sousa *in aphor. Inquisit. lib. 1. cap. 34. n. 73.* & Freytas *in novis addit. ad tract. de Confess. solic. q. 21. num. 77.*

Sup. hoc sup. in tr. 9. Ref. 58. §. 1. & 2

11. Non desinam tamen hîc admonere, posse Inquisitores animadvertere in solicitationem præteritam præjudicatam ab Episcopo, ita adversùs Acugnam *q. 3. n. 11.* tenet Emanuel Moura *opusc. 1. de incant. sect. 3. cap. 3. n. 16.* sed Freytas *ubi supra quæst. 3. n. 46.* tenet contrarium, & merito.

Sup. hoc ibidem §. ult.

12. Nota etiam quòd Confessarius solicitator qui non judicatur suspectus, non est remittendus ad suum Ordinarium, sed potest ab Inquisitoribus puniri ut alibi probatum est *in tract. de Confess. solic. resol. 56.* Qui verò testes sufficiant in hoc crimine ad damnandum reum, duos putat Paramus *lib. 3. q. 10. num. 158.* tres verò Ortiz *in summa cap. 24. n. 11.* quatuor exposcit Acugna *de Confes. solic. q. 23. num. 11.* ego tamen puto hoc remittendum esse arbitrio DD. Inquisitorum. An verò fœmina solicitata denunciationem omittens, ut fautrix sit ab Inquisitoribus punienda, Sousa *de Confess. solic. tr. 2. cap. 19.* & Freytas *ubi supra q. 20. num. 28.*

RESOL. VIII.

De blasphemantibus hæreticaliter, an debeant cognoscere Inquisitores cumulativè cum judice Ecclesiastico, & laico, ita ut possit dari locus inter illos præventioni, vel an soli Inquisitores debeant animadvertere?

Et an supradicti sint tantùm suspecti leviter de hæresi, & ideo de levi debeant abjurare?

Et aliqua alia circa supradicta annotantur?

Et etiam explanatur, quænam sint blasphemiæ hæreticales, & quæ secus non. Ex p. 4. tr. 7. Ref. etiam 8.

Sup. hoc sup. §. 1. in tr. 10 Ref. 78.

LIcèt Castrus *de justa hæret. punit. lib. 1. cap. 12.* & Corduba *lib. 1. qq. quæst. 15. notab. 4. ver. in cujus examinatione*, asserant de blasphemiis hæreticalibus cognoscere Inquisitores cumulativè cum judice Ecclesiastico & laico, ut detur inter illos locus præventioni; tamen cùm hoc falsum sit, dico contra blasphemos hæreticaliter, solùm Inquisitores animadvertere, & ita docet Lorca *in 2. 2. D. Th. q. 13. art. 2. disp. 51. n. 10.* Sanchez *in summa tom. 1. lib. 2. cap. 32. n. 36.* Villalobos *in summa tom. 2. tract. 2. diffic. 15. n. 7.* Zanardus *in direct. Theol. p. 1. prac. 1. cap. 11. §. 10.* Turrianus *to. 2. in 2. 2. D. Th. dis. 58. dub. 3.* Direct. Inquis. *part. 2. q. 41.* & *ibi* Pegna *comm. 66.* Albertinus *q. 9. num. 24. & 25.* cum aliis *ubi infra.* Imò Sanctarellus *tract. de blasphemia cap. 8. dub. 1. num. 1.* ex quadam Bulla Julij III. putat Inquisitores esse judices contra omnes blasphemos.

2. Igitur quoad abjurationem supradictorum aliqui, & inter illos Ioseph Sesse *tom. 4. decis. 450. n. 9.* asserunt blasphemum sæpiùs reincidentem, esse solùm suspectum leviter de hæresi, & ideo de levi debere abjurare, & pro hac opinione videtur Rojas *de hæretic. par. 2. n. 176.* & Salzedo *in addit. ad pract. crim. Diaz. cap. 110.* ubi asserunt, sine ulla distinctione, quod blasphemus hæreticalis debet abjurare de levi. Sed hæc opinio ita absolutè prolata aliquibus displicet. Vnde apponam hic ipsa verba Doctorum. Sousa *in Aphoris. Inquis. lib. 1. cap. 19. n. 18.* Sic ait: Blasphemi qui inveniuntur frequenter, & quasi per consuetudinem in lid. Sup. hoc do, vel extra ludum ad levem turbationis motum in vehementem hæreticales blasphemias prorupisse abjurare debent conditione personæ, aliàs levem tantùm abjurant suspicionem. Sed audiamus Michaëlem Zanardum *in direct. Theol. p. 2. prac. 1. cap. 11. n. 10.* ubi ita asserit; Blasphemi in ira semel, bis, & ter, si ira magna fuit, & ex causa justa non solent abjurare, consuetudinarij verò in ira abjurant de levi, & consuetudinarij in ira, & extra iram de vehementi. Sic ille, & ita etiam docet Lazarius *in tract. de blasphemia, q. 6. n. 17.* & doctus Inquisitor Vmbertus Locatus *in praxi Inquisit. ver. Blasphemi, §. 5. & 6.* Eymericus *in direct. Inquis. p. 2. q. 41. n. 5. & 6.* Lælius Zecchius *in sum. tom. 1. cap. 15. n. 3.* & Genuen. *in praxi cap. 78. n. 8.*

3. Nota tamen cum Sousa *in aphor. Inquisit. lib. 1. cap. 19. n. 19.* quòd ut quis dicatur habere in consuetudine blasphemare, requiruntur plures reiterationes, quàm tres. His tamen non obstantibus testatur Inquisitor San Vincente *in manuscriptis cap. 1. §. 3.* reincidentes sæpiùs in blasphemias abjurare tantùm de levi, unde apparet in Inquisitione Hispanica hos blasphemos haberi leviter suspectos de hæresi, ut tenet Sesse *ubi supra*, & ideo abjurant tantùm de levi, ut vult Rojas, & Salzedo *locis cit.* In Inquisitione autem Romana, quia hi habentur vehementer suspecti de hæresi, ideo imponitur eis abiuratio de vehementi, ut testantur Doctores citati; & ideo in casibus contingentibus sequendus est stylus Inquisitionis, in qua quis invenitur. Et sic in Inquisitione Regni Aragonum testatur Sesse *tom. 4. decis. 470. n. 24.* evomentem hanc blasphemiam, [Riniego de Dios y de la Virgen,] abiurasse de levi. Verùm hæc omnia intelligenda sunt, regulariter loquendo, nam aliquando ex qualitate blasphemantis & blasphemiarum, etiam in Tribunalibus Hispaniæ, erit imponenda reo abiuratio de vehementi, & sic in actu publico hujus Regni hoc anno 1633. die 16. Octobr. duo blasphemi, me consulente, de vehementi abiuratunt.

4. Verùm quoad alias pœnas, sic asserit Salzedo *in addit. ad pract. crimin.* Bern. Diaz *cap. 110. lit. A.* Pœna autem quæ imponi solet à DD. Inquisitoribus pro blasphemiis, in quibus cognitionem habent, ea quidem est, quod si blasphemus in fine conditionis fuerit, flagellis cæditur cum publica pœnitentia, in publicóque spectaculo, lingua ferro, vel ligno comprehensa, ad triremes regias pro gravi blasphemia condemnatur. Si verò nobilis, pœna pecuniaria mulctatur, & ad tempus in monasterium detruditur. In aliis autem blasphemiis levioribus Inquisitores solent condemnare blasphemum ut aliquo die festo in Ecclesia, dum divina celebrantur, stet nudo capite sine chlamyde, nudis pedibus sive reste succinctus, dextera proferens ardentem facem, & sacris peractis legitur publicè sententia contra ipsum lata, indicuntur etiam rejunia, precationes, & pecuniaria mulcta solet imponi. Ita Salzedus, & ante illum iisdem hæresis verbis, Simanc. *tit. 8. n. 10. & 11.* ubi asserit quòd post flagella in exilium mittitur. Sed magis frequens est in nostro sacro tribunali pœna triremium. Vide etiam Rojas *de hæret. p. 2. n. 176.* Pegnam *direct. Inquis. p. 2. comm. 66.* & Lazarium *de blasphemia q. 6. n. 20.*

5. Non desinam tamen hîc admonere, quòd ex Castro observat & docet Comitolus *in respons. mor. lib. 4. q. 9. cap. 3.* & Lazarius *ubi supra num. 16.* nempe cum pueriti non debere ab Inquisitoribus, qui non ex credulitate hæretica, sed ex vehementi perturbatione protulit blasphemiam; sed in foro externo turbatio, & commotio minuit delictum, sed non excusat penitus. Et ideo Genuensis, *in praxi Episc. cap. 68. num. 13.* sic ait: Item illis, qui semel dicunt aliqua verba hæreticalia, vel

vel scandalosa, ex ita solet imponi pœnitentia salutaris, & aliquando publica, ut v.g. teneant candelam accensam in Ecclesia tempore Missæ solemnis sine aliqua abjuratione. Ita ille, & hoc à fortiori procedit si signa doloris post blasphemias ostenderit: unde Zanardus *in direct. Theol. p. 3. c. 134. fol. mihi 742. n.* sic asserit. Qui in ira magna, vel in alia vehementi passione bis & ter blasphemaverit, & sedata passione, dolorem de suo crimine ostenderit, pœnitentiis salutaribus punitus sine abjuratione relinquetur. Vnde non assentior Comitolo asserenti blasphemantem ex passione remittendum esse, nam puto in tali casu plectendum salutaribus pœnitentiis, habita ratione blasphemiæ, loci, & personæ, sine tamen abjuratione, nam, ut asserit Albertinus *quæst. 27. n. 6.* & Rojas *de hæret.* calor iracundiæ probatus non excusat blasphemum à tota pœna: nec adversùs hanc sententiam faciunt verba Instructionis Hispalensis *ann. 1550. cap. 4.* ibi: [En blasphemias dichas con enojo no se entremetan los Inquisidores.] nam, ut optimè Rojas *ubi suprà*, ista instructio loquitur de blasphemiis non hæreticalibus. Sed *in tr. de officio & potestate Inquisit.* supradicta verba fusiùs explanata sunt.

6. Notandum est hîc, quod aliquando blasphemi abjurant secretò in domo S. Officij, & sic Sesse *in decis. Regni Aragonum tom. 4. decis. 470. n. 24.* ita asserit. Quidam blasphemus una & alia vice fuit condemnatus ad abjurandum de levi in audientia Tribunalis, & ad exilium 4. annorum.

7. Nota etiam quòd blasphemus sufficienter etiam punitus à judice laico, potest iterum propter suspicionem hæresis ab Inquisitoribus examinari; plenè verò à judice Ecclesiastico examinatus, iterum examinari ab Inquisitoribus non potest, cùm crimen sit mixti fori. Ita Sousa *in aphor. Inquis. lib. 1. cap. 19. n. 24.* qui citat Albertinum.

8. Sed ponam hic obiter pulchram quæstionem, an Inquisitores possint punire vomentem hanc blasphemiam, videlicet *al dispetto de Dio*, de hoc casu olim interrogatus fui ab Illustrissimo Inquisitore Llanes; & videtur negativè respondendum, nam hæc blasphemia non est hæreticalis, ut docet P. Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 1. cap. 5. n. 8.* quia per dicta verba non significatur aliquid fieri posse contra efficacem Dei voluntatem, sed vel significatur voluntas faciendi aliquid, etiamsi Deo displiceat, eodem modo quo displicere potest per antecedentem voluntatem, aut signa, vel certè profertur etiam per modum imprecationis, optando Deo displicentiam, vel tædium de tali re. Ita Suarez. Vnde Io. Rojas *de hæret. p. 2. n. 170.* sic ait. Aliæ blasphemiæ, videlicet *pese à Dios, voto Dio, o despecho de Dios* non sunt hæreticales, quia fidei confessioni non opponuntur, & harum punitio ad judices Ordinarios pertinet. Hæc Rojas. Vide etiam Chapeavillam *de casib. reserv. cap. 19. q. 2.* & Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 2. c. 32. n. 36.* hanc etiam sententiam docentes. Vnde secundùm hanc opinionem, tales blasphemantes non sunt denunciandi Inquisitoribus.

Quævis non plenè sup. hoc, lege tamen sup. in tr. 8. ex Resol. 11. §. 1. & 2.

9. Sed adversùs Suarez supradictam sententiam tenentem insurgit Floronus *de cas. reserv. p. 2. cas. 3. n. 8.* Naldus *in sum. ver. Blasphemia, n. 1.* Igitur, ut notat etiam Sanctarellus *tract. de blasph. cap. 2. dub. 1. n. 3.* Filliucius *de cas. reserv. cas. 3. n. 2.* sensus talis blasphemiæ est quòd omnino debeat fieri quod blasphemans profert, etiamsi Deus sua omnipotentia id nolit, quo modo loquendi derogatur divinæ potentiæ. Itaque secundùm hanc posteriorem sententiam, cui tanquam probabiliori adhæreo, dicendum est posse Inquisitores contra blasphemantes *al dispetto di Dio*, inquirere, & illos punire, cùm talis blasphemia sit hæreticalis, & per consequens sic blasphemantes sunt Inquisitoribus denunciandi, & ideo Lazarius *ubi sup. n. 39.* ex instruct. S. Officij testatur hanc blasphemiam esse hæreticalem; unde ex his à fortiori apparet, quàm falsò dixerit Bald. *lib. 3. cons 476.* Angel. *in l. his verbis, ff. de hæred. instit.* Alexand. ad Bartol. *in l. apud Labeonem, §. ait, prætor, de injur.* Felin. *in proœm. Decret. n. 11.* & alij, huiusmodi verba, videlicet *al dispetto di Dio*, non esse blasphema, & talia verba, videlicet proferentem non esse blasphemum, adversùs quos videndi sunt Gyptius *tract. de cas. reserv. c. 9. cas. 3. n. 12.* Boërius *decis. 301. num. 1.* Gramm. *decis. 50.* Decian. *in tract. crim. lib. 2. lib. 6. cap. 2. n. 4.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. cent. 4. cas. 275. n. 4.* Azorius *tom. 1. lib. 11. cap. 3. q. 2.* Mascard. *de probat. lib. 1. concl. 194. n. 3. & seq.* & alij.

10. Notandum est etiam hic, quòd idem dicendum est de illis verbis, *Rinnego Dio*, nam contra talem blasphemantem procedunt Inquisitores, cùm dicta blasphemia sit hæreticalis, ut tradit Rojas & Suarez *loc. cit.* & alij communiter. Sed difficultas est, si aliquis dicat, *Rinnego Maria Virgine, san Pietro*, &c. & ad hoc dubium negativè respondet Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 2. cap. 32. n. 36.* ubi sic ait: Quando autem de Sanctis renegatur, nil inveni apud DD. an sint blasphemiæ hæreticales hujusmodi verba renegationis; sed existimo non esse, nec de illis cognoscere Inquisitores, ut ab ipsismet accepi. Ita Sanchez.

11. Sed quia sæpiùs dictum est Inquisitores solùm posse inquirere contra blasphemos hæreticales, breviter dicam, quænam sint blasphemiæ hæreticales, quæ non. Dico igitur quòd blasphemia hæreticalis dicitur, quæ hæresim, seu falsitatem contra fidem formaliter, seu virtualiter continet, & significat. Hujusmodi est omnis blasphemia enunciativa, sive affirmando, sive negando aliquid de Deo, quod fides docet, vel etiam tribuendo creaturæ id, quod secundùm fidem soli Deo convenit, vel de his etiam dubitationem aliquam ostendendo. Item ad blasphemiam hæreticalem pertinent nomina quædam convitij Deo attributa, ut si quis eum nominet injustum, &c. nam licet expressè id non affirmetur enunciando & componendo, sed simpliciter ita nominando, nihilominus virtute satis affirmatur quod ita profertur.

12. Blasphemia autem non hæreticalis dicitur omnis illa, quæ non formaliter, nec virtute continet falsitatem quasi speculativam contra fidei veritatem, ut sunt omnes blasphemiæ quæ proferuntur per modum optandi, imperandi, aut imprecandi. Item quæ fiunt nominando aliquid quod in Deo verè reperitur, tamen per modum contumeliæ, & irrisionis, quæ omnia valdè notanda sunt à DD. Inquisitoribus & Qualificatoribus, ut in facti contingentia possint determinare quænam sint blasphemiæ hæreticales, quæ verò pertinentes, vel non pertinentes ad cognitionem & punitionem Tribunalis S. Officij.

13. Notandum est tamen hic obiter contra Decian. *in tract. crim. 5. lib. 5. cap. 37. n. 8.* & alios, posse non solùm Ordinarios, sed etiam Inquisitores infligere extraordinariam pœnam, quando quis joco, vel lubrico linguæ verba sapientia hæresim protulit, & ita docet Pegna *in direct. p. 3. comm. 17.* Farin. *de hæresi q. 179. §. 1. n. 78.* & ad blasphemos pertinet probare se joci causa ea verba protulisse. Ita DD. citati & *suprà* hoc etiam satis probavimus. Vide etiam quando talis casus occurrerit, Rojas *singul. 103.* Simancam *in cathol. instit. tit. 17. n. 23. & seq.* Arelatanum *tr. de hæret. notab. 28.* Gundissalvum *tr. de hæret. q. 1. n. 7. q. 8. n. 6.* Zanchinum *de hæret. c. 7. n. 6.* & alios penes ipsos.

Quod hoc lege sup. in tr. 8. ex Resol. 12. §. ult.

RESOL. IX.

De conspurcantibus, & percutientibus sacras imagines? Et an hoc factum sit hæreticale, & ejus cognitio pertineat

ad aliud faciendum non alienum à potestate dæmonis, nam, ut aiunt, si se dæmoni non subjiciat, nec hæresim miscet, cùm non habeat errorem in intellectu, non erit hæreticus. Sed quamvis hæc ita sint, tamen adversùs illum inquiri poterit tamquam contra vehementer suspectum, ea enim ad apostasiam & infidelitatem pertinent. Hæc Simanca. Sed audiamus Homobonum de Bonis, virum quidem dictum, *in exam. Eccles. part. 1. tract. 7. cap. 3. q. 16.* sic aientem. Si amantes stimulis libidinis agitati dæmones invocant ut illi flectant animum illius, quem amant in turpem amorem, licèt communis videatur circumferri opinio, talem invocationem non sapere hæresim manifestam, præsertim si per modum imperij fiat; verius tamen dicendum videtur hoc scelus ad hæresim magnopere præsumendam pertinere, cùm ridiculum sit dicere quòd dæmones per modum imperij, invocentur ex quo non est super terram potestas, quæ comparetur ei. Sic ille & Farinacius *tract. de hæresi q. 181. §. 3. num. 88.* retractans tacitè quæ dixerat *q. 20. num. 80.* ita ait: Ex his infertur non esse veram conclusionem, licèt à DD. communiter receptam, quòd hæreticale non sit à dæmone per modum imperij petere, ut alienam tentet pudicitiam, cùm hujusmodi instantia fieri non possit per modum imperij, prout DD. contrarij requirunt ad hoc ut cesset hæreticalis qualitas. Et tandem ante omnes hanc sententiam mordicus sustinuit insignis Theologus Bartholomæus Spina *Apolog. 4. contra Ponzinibium*, in qua ex multis aliis rationibus Theologicis probat acerrimè nostram sententiam. Quam etiam confirmat opinio Michaëlis Zanardi, viri quidem docti & Consultoris S. Officij *in direct. Th. part. 3. c. 64. fol. mihi 366.* asserentis, (nota Lector) contra sortilegos non hæreticantes posse Inquisitores procedere tanquam contra suspectos de levi ex amicitia cum pacto implicito saltem cum dæmone, nam sicut subditus contrahens amicitiam cum hoste sui Principis redditur de infidelitate suspectus, ita & qui cum diabolo fœdus, pactum vel amicitiam contrahit, etiam quoad ea, quæ sunt illi propria, vel ad quæ se potest extendere ejus virtus.

9. Remanet ergo difficultas an hi saltem de levi abjurare debeant, vel non? Ex una parte videtur quòd non, quia ubi non est error cũ pertinacia, ibi nulla potest esse hæresis, sed in intellectu istorum non est error, quia solùm credunt quod credere possunt, scilicet dæmonem posse facere quæ ei propria sunt, & ad quæ facienda habet naturalem potestatem, ergo hi abjurare non debent, sed tantùm ratione delicti, scilicet pacti, vel amicitiæ factæ cum dæmone, erunt aliqua pœna extraordinaria puniendi. Ex altera parte videtur quod sint saltem de levi suspecti, quia factum ipsum, scilicet amicitia & recursus ad hostem humani generis saltem suspicionem levem inducit.

10. Huic difficultati (salvo semper Matris meæ S. R. E. judicio, dicerem quòd quidem hi ex facto se reddunt aliqualiter de fide suspectos: at hanc suspicionem in tortura purgare poterunt, ita ut expurgata non sint abjurandi. Hæc omnia Zanardus *loc. cit.* Cujus quidem ultima verba procedunt secundùm stylum Inquisitionis Romanæ, in qua suspecti leviter de fide torquentur & torti abiurant. In nostra verò Inquisitione Hispanica, quia non torquentur, dicendum est supradictos sortilegos non hæreticantes debere saltem abiurare de levi, & eis salutarem pœnitentiam iniungi; sed ad aliud non minus curiosum dubium deveniamus.

Quoad hoc sup. in tr. 10. lege doctr. fol. 105.

11. Quæro igitur an Inquisitores possint punire sortilegũ, qui in sortilegio miscuit Hostiam non consecratam, dummodo super eam sit celebrata Missa? Negativè respondet Ghirlandus *de sortil. q. 10. n. 16. & 17.* Vmbertus Locatus *in praxi Inquis.* & ex recentioribus Torreblanca *de Magia, lib. 3. cap. 8. n. 18.* Farinacius *q. 20. num. 83.* Raphaël de la Torre *in 2. 2. D. Thom. tom. 9. 96. art. 4. disp. 2. sit. de qualificatione superstitionum*, & adducunt rationem, quia tale sortilegium non est hæreticale.

12. Verùm M. Antonius Delrius circa præsentem quæstionem *in disquis. mag. lib. 5. sect. 15. §. dico quinto*, utitur distinctione, & ait, quòd si talis bene sentiat de præsentia Corporis Domini, & transubstantiatione, & non præbuit hanc Hostiam populo adorandam, sed verè aliam, quam elevavit, & consecravit, hanc verò accessoriè tantùm super Altare ad magicos effectus posuit, erit tantùm suspectus de hæresi; si verò illa alia credidit, tunc apertè foret hæreticus, si verò revera non credidit, ista vim aliquam habere ad effectum magicum, non erit suspectus de hæresi, sed extra ordinem puniendus. Hæc ita, si de hac eius intentione constet, nam quamdiu non constat, mihi quidem videtur, de hæresi maximè suspectus. Ita Delrius.

13. Sed ego puto absoluè (& miror viros doctos aliter sensisse) dictum sortilegium esse hæreticale, & ita hanc sententiam docet Scaccia *de judic. &c. lib. 1. cap. 12. num. 34.* & ratio est, ait ille quia in dicto maleficio sortilegus miscuit rem sacram, scilicet celebrationem Missæ super Hostiam, licet non consecratam; igitur erit hoc sortilegium hæreticale, non propter hostiam minimè consecratam, sed propter Missam super ea celebratam. Sed audiamus virum doctum Anton. Sous. *in aphor. Inquis. lib. 1. c. 57. n. 11.* sic asserentem: Censeo sortilegium in quo ponitur, aut quod fit cum hostia consecrata, aut cum aliqua re super quam Sacerdos Missam celebrat, hæresim sapere manifestè, tum ex parte operis, tum quia sacrificium Missæ ordinat ad sacrilegium licèt mediatè, tum etiam præsumitur quòd hoc faciens credit illud vim habere ad maleficium operandum, & hoc ipsum in facto ostenditur. Ergo, &c. & tandem ex Doctoribus nostræ Inquisitionis Hispanicæ præter Sousam docet hanc sententiam Emanuel Moura *de Incant. opusc. 1. sect. 3. cap. 5. n. 29.* ubi refellens Farinacium *ubi supra*, sic ait: Est sacrilegium sapiens hæresim manifestè, Sacerdotem celebrare Missam super hostia non consecrata ad effectum sortilegum, qui dæmonis potentiam non excedat, quia abusus sacrificii Missæ continet abusum etiam Eucharistiæ. Ex quibus apparet supradictum sortilegum quicquid asserant Doctores contrarii, esse puniendum pœnis, de quibus suprà cum abiuratione de vehementi.

14. Et tandem pro fine huius resolutionis nota quòd qui fuit usus sanctiss. sacramento Eucharistiæ in sortilegiis, traditur curiæ sæculari ex ordinatione S. Officii posita in fine operis, iudicialis Inquisitorum, & tradunt Genuensis *in praxi Archiep. cap. 68. num. 10.* Emanuel Moura *de incant. opusc. 1. sect. 3. cap. 5. num. 29.* & alii. Quæ autem superiùs dicta sunt de sortilegis, dicendum est de magis, nam si isti inveniuntur habere errorem in intellectu, sicut & sortilegi puniuntur ut hæretici formales; secus autem abiurant de vehementi, & puniuntur severiter supradictis pœnis pro qualitate personarum & circumstantiis delictorum.

RESOL. XI.

De Laicis, seu Ecclesiasticis non Sacerdotibus audientibus confessionem; & quomodo supradicti puniendi sint, & quomodo debeant abjurare.

Et an Inquisitores adversus predictos possint procedere?

Et an simplex Sacerdos etiam approbatus, suspensus tamen ab audiendis confessionibus non comprehendatur in Decretis

ad Inquisitores ; & quomodo supradicti sint puniendi quoad abjurationem , & alias pœnas ? Ex p. 4. tr. 7. Resol. etiam 9.

Sup. contrò in hoc §. 1. in tom. 1. tr. 5. act. 32. §. ult.

§. 1. HOc non esse factum hæreticale , & per consequens non posse pertinere ad Inquisitores, licèt gravissimum sit peccatum, docet novissimè Torreblanca *in epitome delictorum, sive de magia, lib. 3. c. 8. num. 17.* & ante illum Ghirlandus *de sortil. quæst. 10. num. 12.* Sed summopere mihi displicet virum quidem doctum hæc dixisse, & ideo hanc sententiam reprobat Farinacius *q. 20. num. 68.* Raphaël de la Torre *in 2. 2. D. Thom. q. 96. art. 4. disp. 2.* ubi inter alia sortilegia , sapientia hæresim manifestam ponit hoc , videlicet quando aliqui crucem ac imagines Sanctorum conculcant etiamsi conculcatio, direptio, aut inhonoratio fiat ex iracundia, sapit enim hoc hæresim Lutheranam de imaginibus explodendis. Ita etiam docet Bellochius *in praxi Theol. mor. part. 2. quæst. 1. num. 73.* Ricciús *in praxi tom. 1. resol. 423* Ioseph Sesse *tom. 4. decis. 448. n. 19.* Zecchius *in summ. tom. 1. cap. 11. num. 5.* Carerus *tr. de hæret. n. 49.* Delrius *in disquis. magic. lib. 5. sect. 16. §. Sacerdotes qui causa,* & alij *ubi infrà* Et hoc factum ita esse hæreticum contra Torreblancam patet , ut ejus cognitio pertineat tantùm ad Inquisitores tenet Genuensis *in praxi Archiep. cap. 18. num. 12.* & Lazarius *tract. de blasphemia quæst. 6. num. 14.* testantes ita determinatum fuisse in supremo Regio Consilio Hispaniarum.

2. Verùm quomodo supradicti puniendi sint, quoad abjurationem, Michaël Zanardus *in direct. Theol. p. 3. cap. 64. fol. mihi* 360. sic air : Quamvis aliqui tenuerint hos non debere abjurare, quia Majestatem confitentur, & tantùm ex odio & malo animo offendunt , tamen quia ab indiciis malæ credulitatis non longè recedunt, cùm male videantur de omnipotentia, judicio, & justitia Dei sentire, & id faciunt , quod facere solent, hostes fidei nostræ , ideo eis indicitur abjuratio de levi , vel de vehementi , sed non de formali , si Catholici sint. Ita ille.

3. Quoad alias pœnas apponam hîc verba Simancæ *tit. 27. n. 20. & 21.* sic asserentis : Iudices Ecclesiastici punire illos debent interdum dura & ultrice sententia, quemadmodum Greg. X. *in Concil. Lugdun.* constituit : sæpe etiam pœnitentia publica , vel jejuniis , eleemosynis , & orationibus, vel multa pecuniaria, vel ictibus fustium. Iisdem quoque pœnis Inquisitores uti possunt, sed hoc amplius ad eorum Officium pertinet, ut scire laborent, si fortè intellectus errore pertinaci facinora ista perpetrata sint, quòd si repererint, aut suspicati fuerint , non secus adversùs istos procedent , atque adversùs alios quoslibet hæreticos , vel suspectos. Poterunt igitur Inquisitores tormentis , abjuratione , purgatione canonica & aliis arbitrariis pœnis , uti pertinaces , atque impœnitentes , curiæ sæculari relinquere. Ita ille , & Genuensis *in praxi cap. 18. num. 12.* ubi sic ait : Percutientes, abradentes , aut deturpantes imagines Sanctorum , per Inquisitores puniendi sunt , neque obstat quòd pœna mortis non puniantur prout per judices sæculares punirentur , quia satis est quòd sufficienter puniantur aliis pœnis , nempe fustigationis , triremium, carcerum , infamiæ, exilij , & aliis , quas jus Canonicum admittit. Ita Genuens.

4. Sed nota, Sousam *in aphor. Inquis. lib. 1. c. 42. n. 16.* docere quòd si factum sit publicum, perpetrantem hoc horrendum delictum , sive hæreticalem animum fateatur, sive non tradendum esse Curiæ sæculari ultimo supplicio plectendum, ob facti qualitatem : & si animum hæreticalem fateatur , & misericordiam petat , post reconciliationem ad Ecclesiæ unionem, hoc non obstante, docet item Sousa Curiæ sæculari tradendum esse ; quoniam tantum scelus non potest manere impunitum , & semper potest timeri quòd conversio sit ficta , addit etiam idem Sousa in tali casu torquendum esse super complicibus.

RESOL. X.

De Sortilegis , Divinatoribus , Magis , &c. & de pœnis , quibus supradicti puniendi sunt , & quoad abjurationem.

Et an Inquisitores habeant jurisdictionem contra omnes sortilegos , & maleficos ?

Et in textu hujus Resolutionis aliquæ aliæ difficultates notabiles , & graves circa supradictos quæruntur, & adnotantur. Ex p. 4. tr. 7. Resol. etiam 10.

§. 1. LIcèt de jure antiquo Inquisitores non habeant jurisdictionem nisi super sortilegia, quæ saperent hæresim manifestè ; attamen hodie de jure novo Bullæ Sixti V. cognoscunt contra omnes sortilegos & maleficos, ut notant Scortia *in Bull. Pontif. epitom. 8. theor. 158.* Ioseph. Sesse *tom. 4. decis. 464. num. 8. & seq. & decis. 466. num. 4. & 17.* Azorius *tom. 1. lib. 9. c. 16. q. 4.* Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 2. c. 38. n. 92.* Torreblanca *de magia lib. 3. cap. 9. post num. 48.* Raphaël de la Torre *in 2. 2. D. Th. q. 96. art. 4.* Zanardus *in direct. Theol. part. 3. cap. 64.* Naldus *in annot. pract. super in tabulis de sortileg.* Molfesius *in summ. tom. 1. tract. 11. cap. 7. n. 145.* & iterum Ioseph Sesse *tom. 4. decis. 466. n. 16. & 17.* ubi sic ait : Si non apparet quòd illa quæ admiscentur in sortilegiis , sapiant hæresim manifestè sed est dubium an talia sapiant hæresim , veluti si ad ortum se convertant , vel proferant verba inusitata & in intelligibilia & similia, non se intromittet Inquisitor de jure. Sed hodie per Motum proprium Sixti V. dicti sortilegi subsunt Inquisitoribus. Ita ille ; & Seraphin. Freitas *in addit. ad Acugnam q. 5. n. 35.* sic asserit : Hodie Inquisitores ex constitutionibus Pontificis cognoscunt contra omnes sortilegos & maleficos : adhuc tamen puto , quòd si sortilegia , divinationes, & maleficia hæresim non sapiant , locus erit præventioni inter laicos Inquisitores , jurisdictioque Inquisitorum accumulativè censeatur. Verum Sigismundus Scaccia *de judiciis causarum , &c. lib. 1. c. 12. num 53.* docet , quòd hodie cognitio sortilegiorum privativè spectat ad Inquisitores quoad judices laicos, unde non sunt mixti fori , attenta dicta Sixti V. constitutione , suspicatur tamen Emanuel Moura *de incant. opusc. 1. sect. 3. cap. 1. n. 9.* dictam constitutionem Sixti V. non esse usu receptam saltem in Lusitania, & Azorius *tom. 1. lib. 9. c. 26. q. 4.* dubitat quoque an sit ubique usu recepta ; verum citati DD. loquuntur de dicta constitutione quasi ubique sit usu recepta. Sed an Inquisitores in dubio, sapiátne sortilegium hæresim manifestè, possint se intromittere, ex jure novo constit. Sixti V. clarum est posse. Difficultas est de jure antiquo per c. *accusatus, §. sanè,* quæ observante Sylvestro *verb. resis , num. 4.* non potest intelligi de dubio an factum sit perpetratum , necne , sed in dubio an talia sapiant hæresim. Sed contrarium, jure, ratione, & usu comprobatum est, ut testatur Simanca *tit 30. n. 21.* Pegna *in direct. part. 2. comment. 63.* & doctus Acugna *de Confess. solic. q. 5. n. 13.* quia judex etiam delegatus cognoscit an sua sit jurisdictio ; & si contraria opinio esset sequenda , Inquisitorum cognitio facilè subverti posset , asserente quolibet sortilegia , vel divinationem sapere hæresim manifestè. His suppositis deveniamus ad pœnas supradictorum delictorum.

2. Ideo dico quoad abjurationem , quòd si sortilegia sapiant hæresim manifestè , quia tales significant se

ad aliud faciendum non alienum à potestate dæmonis, nam, ut aiunt, si se dæmoni non subjiciat, nec hæresim miscet, cùm non habeat errorem in intellectu, non erit hæreticus. Sed quamvis hæc ita sint, tamen adversùs illum inquiri poterit tamquam contra vehementer suspectum, ea enim ad apostasiam & infidelitatem pertinent. Hæc Simanca. Sed audiamus Homobonum de Bonis, virum quidem dictum, *in exam. Eccles. part. 1. tract. 7. cap. 3. q. 16.* sic aientem. Si amantes stimulis libidinis agitati dæmones invocant ut illi flectant animum illius, quem amant in turpem amorem, licèt communis videatur circumferri opinio, talem invocationem non sapere hæresim manifestam, præsertim si per modum imperij fiat; verius tamen dicendum videtur hoc scelus ad hæresim magnopere præsumendam pertinere, cùm ridiculum sit dicere quòd dæmones per modum imperij, invocentur ex quo non est super terram potestas, quæ comparetur ei. Sic ille & Farinacius *tract. de hæresi q. 181. §. 3. num. 88.* retractans tacitè quæ dixerat *q. 20. num. 80.* ita ait: Ex his infertur non esse veram conclusionem, licèt à DD. communiter receptam, quòd hæreticale non sit à dæmone per modum imperij petere, ut alienam tentet pudicitiam, cùm hujusmodi instantia fieri non possit per modum imperij, prout DD. contrarij requirunt ad hoc ut cesset hæreticalis qualitas. Et tandem ante omnes hanc sententiam mordicus sustinuit insignis Theologus Bartholomæus Spina *Apolog. 4. contra Ponzinibium*, in qua ex multis aliis rationibus Theologicis probat acerrimè nostram sententiam. Quam etiam confirmat opinio Michaëlis Zanardi, viri quidem docti & Consultoris S. Officij *in direct. Th. part. 3. c. 64. fol. mihi 366.* asserentis, (nota Lector) contra sortilegos non hæreticantes posse Inquisitores procedere tanquam contra suspectos de levi ex amicitia cum pacto implicito saltem cum dæmone, nam sicut subditus contrahens amicitiam cum hoste sui Principis redditur de infidelitate suspectus, ita & qui cum diabolo fœdus, pactum vel amicitiam contrahit, etiam quoad ea, quæ sunt illi propria, vel ad quæ se potest extendere ejus virtus.

9. Remanet ergo difficultas an hi saltem de levi abjurare debeant, vel non? Ex una parte videtur quòd non, quia ubi non est error cũ pertinacia, ibi nulla potest esse hæresis, sed in intellectu istorum non est error, quia solùm credunt quod credere possunt, scilicet dæmonem posse facere quæ ei propria sunt, & ad quæ facienda habet naturalem potestatem, ergo hi abjurare non debent, sed tantùm ratione delicti, scilicet pacti, vel amicitiæ factæ cum dæmone, erunt aliqua pœna extraordinaria puniendi. Ex altera parte videtur quod sint saltem de levi suspecti, quia factum ipsum, scilicet amicitia & recursus ad hostem humani generis saltem suspicionem levem inducit.

10. Huic difficultati (salvo semper Matris meæ S. R. E. judicio, dicerem quòd quidem hi ex facto se reddunt aliqualiter de fide suspectos: at hanc suspicionem in tortura purgare poterunt, ita ut expurgata non sint abjurandi. Hæc omnia Zanardus *loc. cit.* Cujus quidem ultima verba procedunt secundùm stylum Inquisitionis Romanæ, in qua suspecti leviter de fide torquentur & torti abiurant. In nostra verò Inquisitione Hispanica, quia non torquentur, dicendum est supradictos sortilegos non hæreticantes debere saltem abiurare de levi, & eis salutarem pœnitentiam iniungi; sed ad aliud non minus curiosum dubium deveniamus.

Quoad hoc sup. in tr. 10. lege doctr. fol. 105.

11. Quæro igitur an Inquisitores possint punire sortilegũ, qui in sortilegio miscuit Hostiam non consecratam, dummodo super eam sit celebrata Missa? Negativè respondet Ghirlandus *de sortil. q. 10. n. 16. & 17.* Vmbertus Locatus *in praxi Inquis.* & ex recentioribus Torreblanca *de Magia, lib. 3. cap. 8. n. 18.* Farinacius *q. 20. num. 83.* Raphaël de la Torre *in 2. 2. D. Thom. tom. 9. 96. art. 4. disp. 2. sit. de qualificatione superstitionum*, & adducunt rationem, quia tale sortilegium non est hæreticale.

12. Verùm M. Antonius Delrius circa præsentem quæstionem *in disquis. mag. lib. 5. sect. 15. §. dico quinto*, utitur distinctione, & ait, quòd si talis bene sentiat de præsentia Corporis Domini, & transubstantiatione, & non præbuit hanc Hostiam populo adorandam, sed verè aliam, quam elevavit, & consecravit, hanc verò accessoriè tantùm super Altare ad magicos effectus posuit, erit tantùm suspectus de hæresi; si verò illa alia credidit, tunc apertè foret hæreticus, si verò revera non credidit, ista vim aliquam habere ad effectum magicum, non erit suspectus de hæresi, sed extra ordinem puniendus. Hæc ita, si de hac eius intentione constet, nam quamdiu non constat, mihi quidem videtur, de hæresi maximè suspectus. Ita Delrius.

13. Sed ego puto absoluè (& miror viros doctos aliter sensisse) dictum sortilegium esse hæreticale, & ita hanc sententiam docet Scaccia *de judic. &c. lib. 1. cap. 12. num. 34.* & ratio est, ait ille quia in dicto maleficio sortilegus miscuit rem sacram, scilicet celebrationem Missæ super Hostiam, licet non consecratam; igitur erit hoc sortilegium hæreticale, non propter hostiam minimè consecratam, sed propter Missam super ea celebratam. Sed audiamus virum doctum Anton. Sous. *in aphor. Inquis. lib. 1. c. 57. n. 11.* sic asserentem: Censeo sortilegium in quo ponitur, aut quod fit cum hostia consecrata, aut cum aliqua re super quam Sacerdos Missam celebrat, hæresim sapere manifestè, tum ex parte operis, tum quia sacrificium Missæ ordinat ad sacrilegium licèt mediatè, tum etiam præsumitur quòd hoc faciens credit illud vim habere ad maleficium operandum, & hoc ipsum in facto ostenditur. Ergo, &c. & tandem ex Doctoribus nostræ Inquisitionis Hispanicæ præter Sousam docet hanc sententiam Emanuel Moura *de Incant. opusc. 1. sect. 3. cap. 5. n. 29.* ubi refellens Farinacium *ubi supra*, sic ait: Est sacrilegium sapiens hæresim manifestè, Sacerdotem celebrare Missam super hostia non consecrata ad effectum sortilegum, qui dæmonis potentiam non excedat, quia abusus sacrificii Missæ continet abusum etiam Eucharistiæ. Ex quibus apparet supradictum sortilegum quicquid asserant Doctores contrarii, esse puniendum pœnis, de quibus suprà cum abiuratione de vehementi.

14. Et tandem pro fine huius resolutionis nota quòd qui fuit usus sanctiss. sacramento Eucharistiæ in sortilegiis, traditur curiæ sæculari ex ordinatione S. Officii posita in fine operis, iudicialis Inquisitorum, & tradunt Genuensis *in praxi Archiep. cap. 68. num. 10.* Emanuel Moura *de incant. opusc. 1. sect. 3. cap. 5. num. 29.* & alii. Quæ autem superiùs dicta sunt de sortilegis, dicendum est de magis, nam si isti inveniuntur habere errorem in intellectu, sicut & sortilegi puniuntur ut hæretici formales; secus autem abiurant de vehementi, & puniuntur severiter supradictis pœnis pro qualitate personarum & circumstantiis delictorum.

RESOL. XI.

De Laicis, seu Ecclesiasticis non Sacerdotibus audientibus confessionem; & quomodo supradicti puniendi sint, & quomodo debeant abjurare.

Et an Inquisitores adversus predictos possint procedere?

Et an simplex Sacerdos etiam approbatus, suspensus tamen ab audiendis confessionibus non comprehendatur in Decretis

ad Inquisitores ; & quomodo supradicti sint puniendi quoad abjurationem , & alias pœnas ? Ex p. 4. tr. 7. Resol. etiam 9.

Sup. contrò in hoc §. 1. in tom. 1. tr. 5. act. 32. §. ult.

§. 1. HOc non esse factum hæreticale , & per consequens non posse pertinere ad Inquisitores, licèt gravissimum sit peccatum, docet novissimè Torreblanca *in epitome delictorum, sive de magia, lib. 3. c. 8. num. 17.* & ante illum Ghirlandus *de sortil. quæst. 10. num. 12.* Sed summopere mihi displicet virum quidem doctum hæc dixisse, & ideo hanc sententiam reprobat Farinacius *q. 20. num. 68.* Raphaël de la Torre *in 2. 2. D. Thom. q. 96. art. 4. disp. 2.* ubi inter alia sortilegia , sapientia hæresim manifestam ponit hoc , videlicet quando aliqui crucem ac imagines Sanctorum conculcant etiamsi conculcatio, direptio, aut inhonoratio fiat ex iracundia, sapit enim hoc hæresim Lutheranam de imaginibus explodendis. Ita etiam docet Bellochius *in praxi Theol. mor. part. 2. quæst. 1. num. 73.* Ricciús *in praxi tom. 1. resol. 423* Ioseph Sesse *tom. 4. decis. 448. n. 19.* Zecchius *in summ. tom. 1. cap. 11. num. 5.* Carerus *tr. de hæret. n. 49.* Delrius *in disquis. magic. lib. 5. sect. 16. §. Sacerdotes qui causa,* & alij *ubi infrà* Et hoc factum ita esse hæreticum contra Torreblancam patet , ut ejus cognitio pertineat tantùm ad Inquisitores tenet Genuensis *in praxi Archiep. cap. 18. num. 12.* & Lazarius *tract. de blasphemia quæst. 6. num. 14.* testantes ita determinatum fuisse in supremo Regio Consilio Hispaniarum.

2. Verùm quomodo supradicti puniendi sint, quoad abjurationem, Michaël Zanardus *in direct. Theol. p. 3. cap. 64. fol. mihi* 360. sic air : Quamvis aliqui tenuerint hos non debere abjurare, quia Majestatem confitentur, & tantùm ex odio & malo animo offendunt , tamen quia ab indiciis malæ credulitatis non longè recedunt, cùm male videantur de omnipotentia, judicio, & justitia Dei sentire, & id faciunt , quod facere solent, hostes fidei nostræ , ideo eis indicitur abjuratio de levi , vel de vehementi , sed non de formali , si Catholici sint. Ita ille.

3. Quoad alias pœnas apponam hîc verba Simancæ *tit. 27. n. 20. & 21.* sic asserentis : Iudices Ecclesiastici punire illos debent interdum dura & ultrice sententia, quemadmodum Greg. X. *in Concil. Lugdun.* constituit : sæpe etiam pœnitentia publica , vel jejuniis , eleemosynis , & orationibus, vel multa pecuniaria, vel ictibus fustium. Iisdem quoque pœnis Inquisitores uti possunt, sed hoc amplius ad eorum Officium pertinet, ut scire laborent, si fortè intellectus errore pertinaci facinora ista perpetrata sint, quòd si repererint, aut suspicati fuerint , non secus adversùs istos procedent , atque adversùs alios quoslibet hæreticos , vel suspectos. Poterunt igitur Inquisitores tormentis , abjuratione , purgatione canonica & aliis arbitrariis pœnis , uti pertinaces , atque impœnitentes , curiæ sæculari relinquere. Ita ille , & Genuensis *in praxi cap. 18. num. 12.* ubi sic ait : Percutientes, abradentes , aut deturpantes imagines Sanctorum , per Inquisitores puniendi sunt , neque obstat quòd pœna mortis non puniantur prout per judices sæculares punirentur , quia satis est quòd sufficienter puniantur aliis pœnis , nempe fustigationis , triremium, carcerum , infamiæ, exilij , & aliis , quas jus Canonicum admittit. Ita Genuens.

4. Sed nota, Sousam *in aphor. Inquis. lib. 1. c. 42. n. 16.* docere quòd si factum sit publicum, perpetrantem hoc horrendum delictum , sive hæreticalem animum fateatur, sive non tradendum esse Curiæ sæculari ultimo supplicio plectendum, ob facti qualitatem : & si animum hæreticalem fateatur , & misericordiam petat , post reconciliationem ad Ecclesiæ unionem, hoc non obstante, docet item Sousa Curiæ sæculari tradendum esse ; quoniam tantum scelus non potest manere impunitum , & semper potest timeri quòd conversio sit ficta , addit etiam idem Sousa in tali casu torquendum esse super complicibus.

RESOL. X.

De Sortilegis , Divinatoribus , Magis , &c. & de pœnis , quibus supradicti puniendi sunt , & quoad abjurationem.

Et an Inquisitores habeant jurisdictionem contra omnes sortilegos , & maleficos ?

Et in textu hujus Resolutionis aliquæ aliæ difficultates notabiles , & graves circa supradictos quæruntur, & adnotantur. Ex p. 4. tr. 7. Resol. etiam 10.

§. 1. LIcèt de jure antiquo Inquisitores non habeant jurisdictionem nisi super sortilegia, quæ saperent hæresim manifestè ; attamen hodie de jure novo Bullæ Sixti V. cognoscunt contra omnes sortilegos & maleficos, ut notant Scortia *in Bull. Pontif. epitom. 8. theor. 158.* Ioseph. Sesse *tom. 4. decis. 464. num. 8. & seq. & decis. 466. num. 4. & 17.* Azorius *tom. 1. lib. 9. c. 16. q. 4.* Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 2. c. 38. n. 92.* Torreblanca *de magia lib. 3. cap. 9. post num. 48.* Raphaël de la Torre *in 2. 2. D. Th. q. 96. art. 4.* Zanardus *in direct. Theol. part. 3. cap. 64.* Naldus *in annot. pract. super in tabulis de sortileg.* Molfesius *in summ. tom. 1. tract. 11. cap. 7. n. 145.* & iterum Ioseph Sesse *tom. 4. decis. 466. n. 16. & 17.* ubi sic ait : Si non apparet quòd illa quæ admiscentur in sortilegiis , sapiant hæresim manifestè sed est dubium an talia sapiant hæresim , veluti si ad ortum se convertant , vel proferant verba inusitata & in intelligibilia & similia, non se intromittet Inquisitor de jure. Sed hodie per Motum proprium Sixti V. dicti sortilegi subsunt Inquisitoribus. Ita ille ; & Seraphin. Freitas *in addit. ad Acugnam q. 5. n. 35.* sic asserit : Hodie Inquisitores ex constitutionibus Pontificis cognoscunt contra omnes sortilegos & maleficos : adhuc tamen puto , quòd si sortilegia , divinationes, & maleficia hæresim non sapiant , locus erit præventioni inter laicos Inquisitores , jurisdictioque Inquisitorum accumulativè censeatur. Verum Sigismundus Scaccia *de judiciis causarum , &c. lib. 1. c. 12. num 53.* docet , quòd hodie cognitio sortilegiorum privativè spectat ad Inquisitores quoad judices laicos, unde non sunt mixti fori , attenta dicta Sixti V. constitutione , suspicatur tamen Emanuel Moura *de incant. opusc. 1. sect. 3. cap. 1. n. 9.* dictam constitutionem Sixti V. non esse usu receptam saltem in Lusitania, & Azorius *tom. 1. lib. 9. c. 26. q. 4.* dubitat quoque an sit ubique usu recepta ; verum citati DD. loquuntur de dicta constitutione quasi ubique sit usu recepta. Sed an Inquisitores in dubio, sapiátne sortilegium hæresim manifestè, possint se intromittere, ex jure novo constit. Sixti V. clarum est posse. Difficultas est de jure antiquo per c. *accusatus, §. sanè,* quæ observante Sylvestro *verb. resis , num. 4.* non potest intelligi de dubio an factum sit perpetratum , necne , sed in dubio an talia sapiant hæresim. Sed contrarium, jure, ratione, & usu comprobatum est, ut testatur Simanca *tit 30. n. 21.* Pegna *in direct. part. 2. comment. 63.* & doctus Acugna *de Confess. solic. q. 5. n. 13.* quia judex etiam delegatus cognoscit an sua sit jurisdictio ; & si contraria opinio esset sequenda , Inquisitorum cognitio facilè subverti posset , asserente quolibet sortilegia , vel divinationem sapere hæresim manifestè. His suppositis deveniamus ad pœnas supradictorum delictorum.

2. Ideo dico quoad abjurationem , quòd si sortilegia sapiant hæresim manifestè , quia tales significant se

Sup. contẽto in hoc §. sup. in tr. 10. Ref. 105. & 106.

se credere illas res sacras adhibitas in suis sortilegiis, vim habere ad maleficiorum operationem. Ideo de hac credulitate debent diligenter examinari, & si negent, debent torqueri, & si non fateantur, ut vehementer suspecti, per consequens debent abjurare de vehementi. Ita Raphaël de la Torre *in* 2.2. *D. Thom. quæst.* 96. *art.* 4. *diff.* 2. Zanardus *in direct. Theol. part.* 3. *cap.* 64. Delrius *in disquis. mag. lib.* 5. *sect.* 15. §. *Dico tertio.* Scaccia *de judiciis lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 34. Ioseph Sesse *tom.* 4. *decis.* 466. *num.* 9. & Emanuel Moura *opusc.* 1. *de incant. sect.* 3. *cap.* 5. *num.* 32. & ante omnes Pegna *in direct. Inquis. part.* 2. *comm.* 67. & novissimè Genuensis *in praxi Archiepisc. cap.* 8. *num.* 8. ubi sic ait: Si aliquis

Sup. hoc in Ref. 2. ante. præteritæ.

est suspectus vehementer, ut quia admiscuit sacramentalia in sortilegiis, tunc torquetur pro ulteriori veritate super intentione, & si neget adhuc compellitur abjurare de vehementi. Sic ille; & novissimè Emanuel Moura *de incant. opusc.* 1. *sect.* 3. *cap.* 5. *num.* 32. sic

Sup. hoc in duabus Ref. not. 1. hujus §.

asserens: Miscentes in sortilegiis quælibet Sacramenta, sacramentalia, res, orationes, vel verba sacra tanquam hæreticales subiiciuntur Inquisitoribus puniendi pœna condigna, & si negent se credere prædicta Sacra habere vim ad cogendum arbitrium, aut ad alios turpes effectus, aut alium errorem, debent tamen abjurare de vehementi. Ita ille.

3. Verùm quoad alias pœnas supradictis reis imponendas, ita asserit Pegna *in direct. Inquis. part.* 2. *comment.* 67. coërceri possunt anathemate, dignitatum suspensione, verberibus, exilio, carcere, monasteriis, aliisque suppliciis, spectata personarum qualitate infami iuduti mitra in publicum producuntur, aut scalis alligati, cùm vituperatione propè Ecclesiæ fores constituuntur. Ita ille; & ante illum Simanca *tit.* 21. *num.* 23. & novissimè Sesse *tom.* 4. *decis.* 466. *num.* 13. Sed hodie utplurimùm laici ignobiles traduntur triremibus, ut docet ex stylo Inquisit. Rom. Genuens. *in praxi Archiepisc. cap.* 68. *num.* 8. vide etiam Scortiam *in Bull. Pontif. epitome* 58. *theorem.* 258. & in casu occurrenti ne deseras consulere Delrium *in disquis. mag. lib.* 5. *sect.* 16. & Sousam *in Aphor. Inquisit. lib.* 1. *cap.* 58 *à num.* 10. *usque ad* 17. ubi inter alios casus observat quòd Sacerdos, qui celebrat Missam super rebus aptis ad sortilegia peragenda, videlicet super pasta, super calamita (ut accidit his diebus) & his similibus simplicibus, aut mixtis, aut qui vasibus, aut vestibus sacris & his similibus in sortilegiis abutitur, aut qui in celebratione Sacrorum nefandas & turpes preces porrigit, deponitur, privatur beneficiis, & in perpetuum carcerem detruditur; & nota etiam cum eodem quòd si Sacerdos Missas defunctorum celebrat pro viventibus ut moriantur, à sacerdotio privatur, & perpetuo exilio relegatur unà cum eo, qui hoc consuluit, vel fieri mandavit.

4. Nota verò quòd si quicumque sortilegus, etiam hæreticus, & Ecclesiasticus, fateatur in sortilegiis fecisse homicidium (ut his diebus factum fuit) & pœniteat, paratúsque sit corripi, non posse eum Inquisitores tradere Curiæ sæculari, sed debere eum admittere ad reconciliationem, præter Sousam tradit Farinac. *q.* 20. *num.* 105. *& seq.* vide etiam Menoch. *lib.* 1. *cent.* 4. *cas.* 388.

5. Sed notandum est novissimè Greg. XV. *in Bulla edita* 20. *Martij* 1623. mandasse ut constito quòd aliquis pactum cum diabolo fecerit, & à fide apostatando maleficiis, sive sortilegiis unam, seu plures personas ita læserit, ut ex maleficio, vel sortilegio mors sequuta sit, etiam pro primo lapsu Curiæ sæculari tradatur debitis pœnis puniendus; qui verò similiter apostando pactum cum diabolo, ut præfertur, fecerit, & maleficium, seu sortilegium commiserit, ex quo licèt mors sequuta non sit, infirmitas tamen, divortia, impotentia generandi, sive animalibus, frugibus, vel aliis fructibus damnum notabile provenerit, muro claudi, sive carceribus in S. Officio Inquisitionis, ubi illud extitit, fabricandis mancipari debeat. Ita Pontifex *in d. Bulla.*

6. Sed oritur hîc pulchrum dubium, an sit sortilegium sapiens hæresim invocare dæmonem ad tentandam mulierem? Negativam sententiam docent Pegna *in director. Inquisit. part.* 2. *comment.* 68. Scaccia *de judic. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 39. Ghirlandus *de sortil. cap.* 10. Ioseph Sesse *tom.* 4. *decis.* 463. *num.* 11. Riccius *in praxi tom.* 1. *resol.* 424. *num.* 11. Bellochius *in praxi Theol. mor. part.* 2. *quæst.* 9. *num.* 64. Binsfeldius *de malef. leg.* 4. *q.* 2. *concl.* 3. Oldrad. *cons.* 210. Afflict. *in constit. Regni, part.* 1. *rubr.* 1. *num.* 17. Lucerna Inquisit. *ver. dæmones invocare, num.* 2. Torreblanca *de Magia, lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 13. Genuensis *in praxi Archiepisc. cap.* 18. *num.* 11. Locatus *in praxi Inquis. ver. Apostata, num.* 13. & DD. communiter. Vnde secundùm illos dicendum est simplicem invocationem dæmonis sine cultu, seu honore, aut mixtura rerum, vel verborum sacrorum non esse sortilegium hæreticale, maximè si efficiatur verbis imperativis, & non deprecativis, ad sciendum & obtinendum ea, quæ dæmon viribus naturalibus potest scire & præbere; ut tentare pudicitiam mulieris, ad inveniendum thesaurum, ad sciendum an partus futurus (& in utero tamen formatus) sit nasciturus masculus, vel fœmina, ad sciendum dictum, vel factum præteritum, ad impediendum ne ignis filum, vel aliam rem projectam comburat, ad transportandum hominem, vel aliam rem de loco ad locum, ad ligandos sponsos, ad inferendas ægritudines, ad faciendum apparere corpus mortuum vivum per aliquod tempus, ad illuminandum cæcum, non à natura, sed ab impedimento, quod ipse possit subtrahere, ad habendam scientiam per purgationem phantasmatum, & facilitatem sensuum, ad inducendas nebulas, tempestates, ac similia, quæ invenies apud Torreblancam *de Magia, lib.* 3. *cap.* 8. *per totum.*

Sup. hoc supi in tr. 10 Ref. 107. signãter in §. Verum.

7. His tamen non obstantibus (attendas quæso, amice Lector, nec te terreat turba Doctorum) ego contrariam sententiam teneo, & ratio est, quoniam ridicula est illa distinctio quam communiter afferunt adversarij, nempe per modum deprecationis invocationem dæmonis esse sortilegium hæreticale; secus autem si efficiatur per modum imperij; nam tu quis es, qui potes imperativè invocare illum, de quo loquendo Spiritus sanctus apud Iob asseruit non esse potestatem in terra quæ comparetur ei: deinde cùm tibi sit interdictum omne cum dæmone commercium, ut notat Delrius *in disquis. mag. lib.* 5. *sect.* 15. §. *Dico quinto*, quomodo igitur potes eum invocare etiam imperativè? & ideo Raphaël de la Torre *in* 2.2. *D. Thom. quæst.* 95. *art.* 4. *disput.* 1. *asser.* 4. docet pertinere ad societatem dæmoniacam exigere à dæmone sponte occurrente consilium, favorem, aut quodvis officij genus, sive exactio fiat deprecando, sive imperando.

8. Clarè igitur apparet, nostram sententiam omnino tenendam esse, quæ sicut rationibus fulcita, ita Doctorum authoritate non caret, & ideo eorum verba per extensum apponam. Simanca *tit.* 30. *num.* 17. Beatus Augustinus erroneum, ineptum & ridiculum esse censet invocare dæmones per modum imperij, aut eis comminando præcipere, non enim est potestas super terram, sicut Iob dicit, quæ comparetur ei. Cæterùm dæmones ut fatuos irrideant atque decipiant, fingunt se cogi atque timere, sicuti multis Parisiensium decretis declaratum est, & *tit.* 21. *num.* 13. sic ait: Sunt qui dicunt non fore hæreticum eum, qui dæmonem invocaret ad tentandam pudicitiam alicujus mulieris, vel

ad aliud faciendum non alienum à potestate dæmonis, nam, ut aiunt, si se dæmoni non subjiciat, nec hæresim miscet, cùm non habeat errorem in intellectu, non erit hæreticus. Sed quamvis hæc ita sint, tamen adversùs illum inquiri poterit tamquam contra vehementer suspectum, ea enim ad apostasiam & infidelitatem pertinent. Hæc Simanca. Sed audiamus Homobonum de Bonis, virum quidem dictum, *in exam. Eccles. part. 1. tract. 7. cap. 3. q. 16.* sic aientem. Si amantes stimulis libidinis agitati dæmones invocant ut illi flectant animum illius, quem amant in turpem amorem, licèt communis videatur circumferri opinio, talem invocationem non sapere hæresim manifestam, præsertim si per modum imperij fiat; verius tamen dicendum videtur hoc scelus ad hæresim magnopere præsumendam pertinere, cùm ridiculum sit dicere quòd dæmones per modum imperij, invocentur ex quo non est super terram potestas, quæ comparetur ei. Sic ille & Farinacius *tract. de hæresi q. 181. §. 3. num. 88.* retractans tacitè quæ dixerat *q. 20. num. 80.* ita ait: Ex his infertur non esse veram conclusionem, licèt à DD. communiter receptam, quòd hæreticale non sit à dæmone per modum imperij petere, ut alienam tentet pudicitiam, cùm hujusmodi instantia fieri non possit per modum imperij, prout DD. contrarij requirunt ad hoc ut cesset hæreticalis qualitas. Et tandem ante omnes hanc sententiam mordicus sustinuit insignis Theologus Bartholomæus Spina *Apolog. 4. contra Ponzinibium*, in qua ex multis aliis rationibus Theologicis probat acerrimè nostram sententiam. Quam etiam confirmat opinio Michaëlis Zanardi, viri quidem docti & Consultoris S. Officij *in direct. Th. part. 3. c. 64. fol. mihi 366.* asserentis, (nota Lector) contra sortilegos non hæreticantes posse Inquisitores procedere tanquam contra suspectos de levi ex amicitia cum pacto implicito saltem cum dæmone, nam sicut subditus contrahens amicitiam cum hoste sui Principis redditur de infidelitate suspectus, ita & qui cum diabolo fœdus, pactum vel amicitiam contrahit, etiam quoad ea, quæ sunt illi propria, vel ad quæ se potest extendere ejus virtus.

9. Remanet ergo difficultas an hi saltem de levi abjurare debeant, vel non? Ex una parte videtur quòd non, quia ubi non est error cũ pertinacia, ibi nulla potest esse hæresis, sed in intellectu istorum non est error, quia solùm credunt quod credere possunt, scilicet dæmonem posse facere quæ ei propria sunt, & ad quæ facienda habet naturalem potestatem, ergo hi abjurare non debent, sed tantùm ratione delicti, scilicet pacti, vel amicitiæ factæ cum dæmone, erunt aliqua pœna extraordinaria puniendi. Ex altera parte videtur quod sint saltem de levi suspecti, quia factum ipsum, scilicet amicitia & recursus ad hostem humani generis saltem suspicionem levem inducit.

10. Huic difficultati (salvo semper Matris meæ S. R. E. judicio, dicerem quòd quidem hi ex facto se reddunt aliqualiter de fide suspectos: at hanc suspicionem in tortura purgare poterunt, ita ut expurgata non sint abjurandi. Hæc omnia Zanardus *loc. cit.* Cujus quidem ultima verba procedunt secundùm stylum Inquisitionis Romanæ, in qua suspecti leviter de fide torquentur & torti abiurant. In nostra verò Inquisitione Hispanica, quia non torquentur, dicendum est supradictos sortilegos non hæreticantes debere saltem abiurare de levi, & eis salutarem pœnitentiam iniungi; sed ad aliud non minus curiosum dubium deveniamus.

Quoad hoc sup. in tr. 10. lege doctr. fol. 105.

11. Quæro igitur an Inquisitores possint punire sortilegũ, qui in sortilegio miscuit Hostiam non consecratam, dummodo super eam sit celebrata Missa? Negativè respondet Ghirlandus *de sortil. q. 10. n. 16. & 17.* Vmbertus Locatus *in praxi Inquis.* & ex recentioribus Torreblanca *de Magia, lib. 3. cap. 8. n. 18.* Farinacius *q. 20. num. 83.* Raphaël de la Torre *in 2. 2. D. Thom. tom. 9. 96. art. 4. disp. 2. sit. de qualificatione superstitionum*, & adducunt rationem, quia tale sortilegium non est hæreticale.

12. Verùm M. Antonius Delrius circa præsentem quæstionem *in disquis. mag. lib. 5. sect. 15. §. dico quinto*, utitur distinctione, & ait, quòd si talis bene sentiat de præsentia Corporis Domini, & transubstantiatione, & non præbuit hanc Hostiam populo adorandam, sed verè aliam, quam elevavit, & consecravit, hanc verò accessoriè tantùm super Altare ad magicos effectus posuit, erit tantùm suspectus de hæresi; si verò illa alia credidit, tunc apertè foret hæreticus, si verò revera non credidit, ista vim aliquam habere ad effectum magicum, non erit suspectus de hæresi, sed extra ordinem puniendus. Hæc ita, si de hac eius intentione constet, nam quamdiu non constat, mihi quidem videtur, de hæresi maximè suspectus. Ita Delrius.

13. Sed ego puto absoluè (& miror viros doctos aliter sensisse) dictum sortilegium esse hæreticale, & ita hanc sententiam docet Scaccia *de judic. &c. lib. 1. cap. 12. num. 34.* & ratio est, ait ille quia in dicto maleficio sortilegus miscuit rem sacram, scilicet celebrationem Missæ super Hostiam, licet non consecratam; igitur erit hoc sortilegium hæreticale, non propter hostiam minimè consecratam, sed propter Missam super ea celebratam. Sed audiamus virum doctum Anton. Sous. *in aphor. Inquis. lib. 1. c. 57. n. 11.* sic asserentem: Censeo sortilegium in quo ponitur, aut quod fit cum hostia consecrata, aut cum aliqua re super quam Sacerdos Missam celebrat, hæresim sapere manifestè, tum ex parte operis, tum quia sacrificium Missæ ordinat ad sacrilegium licèt mediatè, tum etiam præsumitur quòd hoc faciens credit illud vim habere ad maleficium operandum, & hoc ipsum in facto ostenditur. Ergo, &c. & tandem ex Doctoribus nostræ Inquisitionis Hispanicæ præter Sousam docet hanc sententiam Emanuel Moura *de Incant. opusc. 1. sect. 3. cap. 5. n. 29.* ubi refellens Farinacium *ubi supra*, sic ait: Est sacrilegium sapiens hæresim manifestè, Sacerdotem celebrare Missam super hostia non consecrata ad effectum sortilegum, qui dæmonis potentiam non excedat, quia abusus sacrificii Missæ continet abusum etiam Eucharistiæ. Ex quibus apparet supradictum sortilegum quicquid asserant Doctores contrarii, esse puniendum pœnis, de quibus suprà cum abiuratione de vehementi.

14. Et tandem pro fine huius resolutionis nota quòd qui fuit usus sanctiss. sacramento Eucharistiæ in sortilegiis, traditur curiæ sæculari ex ordinatione S. Officii posita in fine operis, iudicialis Inquisitorum, & tradunt Genuensis *in praxi Archiep. cap. 68. num. 10.* Emanuel Moura *de incant. opusc. 1. sect. 3. cap. 5. num. 29.* & alii. Quæ autem superiùs dicta sunt de sortilegis, dicendum est de magis, nam si isti inveniuntur habere errorem in intellectu, sicut & sortilegi puniuntur ut hæretici formales; secus autem abiurant de vehementi, & puniuntur severiter supradictis pœnis pro qualitate personarum & circumstantiis delictorum.

RESOL. XI.

De Laicis, seu Ecclesiasticis non Sacerdotibus audientibus confessionem; & quomodo supradicti puniendi sint, & quomodo debeant abjurare.

Et an Inquisitores adversus predictos possint procedere?

Et an simplex Sacerdos etiam approbatus, suspensus tamen ab audiendis confessionibus non comprehendatur in Decretis

cretis Pontificum, quamvis confessiones audiat & absolutionem impendat?

Et an si laicus, vel Ecclesiasticus non Sacerdos audiat confessiones, & non absolvat, subdatur panis Pontificiis latis in Bullis Greg. XII. & Vrbani VIII? Ex p.4.tract.7.Resol.etiam 11.

Vide inf. ex Resol. 24. §. Notandum est.

§.1. POsse adversus supradictos Inquisitores procedere patet ex constitutionibus Pauli IV. Gregor.XIII.Sixti V.& Clem.VIII. quas asserunt,& explanant Scortia *in Bulla Pontific. epit. 162. theorem. 403.* Zipæus *in jure Pontificio lib.5.tit.de Clerico non ordinato celebrante.* Francisc. Leo *in thesaur. fori Eccles. par.3.c.4.n.58.* Emanuel de Moura *de incant. opusc. 1. sect.3. cap.3. num.9.* Sanctarellus *de hæresi cap.42. dub. unic. num.5.* Homobonus *in consul. part.1. respons.150. vol.1.* Aldrete *de relig.discipl. lib.2.c.20. n.14.* Batbosa *de potest.Episc.part.3. alleg.110.n.18.* & Sousa *opusc.de solicit.tract.1.c.9.n.1.* & ita confessiones audientes non reconciliantur, etiamsi sint verè pœnitentes,sed traduntur curiæ sæculari, ut patet ex dictis Bullis.

2.Verùm in Inquisitione Hispanica hæc pœna non est hactenus in usu, sed, ut observat idem Sousa *in aphor.Inquis.lib.1. cap.33. juncto cap.32. n.13.* si fictus Sacerdos fuerit laicus, & vilis persona, fustibus cæditur, ad triremes mittitur, & aliquæ spirituales pœnæ ei adduntur;si verò fuerit persona honesta & religiosa damnatur ad triremes; quòd si talis sit qualitatis ut ad triremes mitti non debeat; in exilium mittatur, & si fuerit in aliquo Ordine, ab eo suspendatur toto exilij tempore,quòd si delictum aliquas circumstantias habuerit aggravantes, adduntur aliæ pœnæ secundùm eam qualitatem. Ita Sousa,qui etiam addit, quòd rei hujus criminis debent abjurare de levi, & supradicta quasi omnia confirmat Castrus Palatus *in sum.to.1. tract.4.disp.8.punct.16 §.9.n.2.* Vbi postquam testatus fuit traditionem curiæ sæculari non esse in Hispania usu receptam,sic asserit:Horum pœna arbitraria regulariter est in actu publico abjurare de levi, flagellis cædi, & triremibus addici, & ab ordinibus perpetuò privari. Aliquando hæc pœna minuitur, & in exilium & pecuniam convertitur,tum si delinquens nobilis sit, neque in actu specialis fuit malitia, tum si sit ita rusticus, ut non tam ex malitia quam ex aliquali ignorantia processisse videatur, & ita vidi quemdam adolescentem simplicem,qui annali reclusione & pœna pecuniaria damnatus fuit, eo quòd fingens se Sacerdotem alterius confessionem excepit, ut postea illum irrideret.Hæc Castrus *loc.cit.*quæ omnia desumpsit à San Vincente *in manuscriptis c.19.§.1.& seq.* At malitia verè hujus criminis consistit in abusu Sacramenti,& qui hoc facit,est de fide suspectus,quia facto approbat quod hæretici hujus temporis falsò asseverant,id est, ministros hujus Sacramenti non esse solos Sacerdotes,ut definivit Concil. Floren. *in literis unionis,*& Trident *sess.14.cap.6.*sed etiam alios,& laicos,ut impiè sensit Vviclefus, teste Vvaldense *to.2. cap.135.* & 145. & Martinus Lutherus apud Roffensem *art.13.* Vide Cherubinum *tom.2.constit.21.Greg.XIII. schol.1.* Vnde ex supradictis die 7. Octobris 1633. me consulente Inquisitores hujus Regni Religiosum Subdiaconum,qui plures confessiones excepit,damnarunt ad triremes per septennium cum abjuratione de levi, stante praxi Inquisitionis Hispanicæ, in qua, ut dictum est, supradicti rei abjurant tantùm de levi. Nota tamen quòd in his in uno casu abjurationem de vehementi imponerem,& illos torquerem, quando, v.g. essent de provincia infecta hæresi Lutheri,qui asserebat omnes esse ministros sacramenti Pœnitentiæ, persona enim dicitur suspecta etiam respectu regionis suæ,ut optimè observat Sesse *tom.4. decis.152.n.4.* novissimè procedit Bulla Sanctissimi D.N. Vrbani VIII. in qua etiam minores 25. annis statuitur, si ejusmodi delictum committant, tradi debere Curiæ sæculari.

3.Notandum est tamen hîc,quòd simplex Sacerdos, vel etiam approbatus, suspensus tamen ab audiendis confessionibus, non comprehenditur in supradictis decretis, quamvis confessionem audiat, & absolutionem impendat. Ita Sousa *opusc.de solicit. tract.1.cap.9. n.5.& in aphor.Inquis.lib.1. cap.33.n.26.* & Sanctarellus *de hæresi c.42.dub.unic.n.5.in fine,* cum Acugna *de confess. solic.quæst.13.num.15.*

4. Sed difficultas oritur hîc, an si laicus,vel Ecclesiasticus non Sacerdos audiat confessiones,& non absolvat subdatur pœnis Pontificiis latis in supradictis Bullis?Negativam sententiam *in p.1.tract.4.res.16.*ego ipse adnotavi docere Rodriquez & Sancium, quibus nunc addo Sanctarellum *de hæresi cap.42. dub.un. n.5.* & Acugnam *in tract. de Confess. solicit.quæst.13. n.14.* Verùm non reticeam affirmativam sententiam docere Frextas *in editione novissima de Confess. solicit. quæst.13. num.56.* & Antonium Sousam *in aphor.Inquisit. lib.1. cap.33.n.3.& in opusc.de solicit.tract.1. cap.9. num.3.4. & 7.* ubi probat ad violationem dictorum decretorum sufficere audire confessionem,quamvis absolutio, sive ex indispositione pœnitentis, sive alia de causa non impendatur, & addit etiam non Sacerdotem, qui solùm confessionem generalem audit, non tamen specialem peccatorum, subjici judicio Inquisitorum, licèt mitius puniri debeat, vult etiam quòd qui semel confessionem audiat,aut unum tantùm peccatum,pœna ordinaria puniri debeat.Nota tamen quòd supradicti rei si sint Religiosi,vel sacris Ordinibus initiati,non fustigantur, quod generaliter dictum esse volo pro omnibus aliis dictis.

Quæ hic est sup. in tr. 3. Resol. 85.

RESOL. XII.

De laicis,& Ecclesiasticis non Sacerdotibus Missam celebrantibus.

Et an Inquisitores possint animadvertere adversus tale immane facinus perpetrantes?

Et an supradicti abjurare debeant de levi & de aliis pœnis, quibus puniendi sunt agitur?

Et an ad violationem Bullarum Greg.XIII. Clem.VIII. & Vrbani VIII. sufficiat semel unam Missam celebrare?

Et an si Sacerdos non consecret panem, aut vinum, eo quod sit in peccato mortali,ideo habens inter se Hostiam consecrandam,extrahit è Tabernaculo particulam consecratam,& verba consecrationis profert non super hostiam, quam elevando ostendit populo, sed super eamdem particulam consecratam, an inquam,possit per Inquisitores contra illum procedi? Ex p.4.tract.7. Resol. etiam 12.

Vide inf. ex Resol. 24. §. Notandum est.

§.1. ADversùs tale immane facinus perpetrantes posse Inquisitores animadvertere tradunt Pontifices Greg. XIII. Clem.VIII. *in Bullis de hac re editis,* hic *anno* 1601. ille verò *anno* 1574 Difficultas est quoad nostrum institutum de pœnis.Scortia *de sacrificio Missæ lib.2.cap.6.n.10.*respondet cum Rodriq. *tom.2. quæst.28. art.2.* in jure id non fuisse cautum, quòd veteres Patres non existimaverint quemquam tantum facinus tentaturum; sed ex supradictis Bullis asserit Pontifices decrevisse quòd hujusmodi criminis rei ab Inquisitoribus, Ordinibus Ecclesiasticis,si quos habent degradati tanquam Ecclesiæ misericordia indigni Curiæ sæculari tradantur:& ita etiam docet Peirinus *in privileg. Minim. tom.2. concl.9. Pauli V. §.2. num.22.* Sanctarellus *de hæresi cap.42. dub.un. num.5.* Valens. *in pract. jur.canon.lib.5. tit.28. num.2.*

3.Verùm quoad traditionem Curiæ sæculari dictas

Bullas

Bullas non æsse in Inquisitione Hispanica usu receptas testatur Castrus Palaus *in summ. com. 1. tractat. 4. disputat. 8. punct. 16. num. 2.* & Emanuel de Moura *de incant. opusc. 1. sect. 4. cap. 3. num. 9.* & Sousa *in aphorism. Inquis. lib. 1. cap. 32. num. 12.* ubi observat hanc pœnam traditionis Curiæ sæculari imponendam supradictis, præcepisse etiam D. N. Vrbanum VIII. per epistolam Eminentiss. Cardin. Mellini ad Inquisit. Generalem Lusitaniæ *die 5. Martij, anno 1622.* addit tamen ipse Sousa, post declarationem istam hoc practicari non vidi. Igitur in nostra Inquisitione Hisp. hujus criminis rei abjurant de levi, & pnniuntur iisdem pœnis, quibus diximus puniendos esse in superiori resolutione laicos, vel Ecclesiasticos non Sacerdotes audiendo confessiones. Ita Sousa, & Castrus Palaus *loco cit.* Vnde Acugna *tract. de Confess. solicit. quæst. 13. n. 10.* ait. Conimbricæ in actu publico *anno 1610.* vidisse quemdam de levi abjurasse, qui ad Diaconatum tantùm promotus presbyteratum exercebat, & Seraphinus Freitas ejus additionator *ibidem num. 30.* testatur quòd Pintiæ *anno 1615.* laicus qui Missas celebrare solebat, post per plateas fustigationem ad triremes condemnatus fuit & Emanuel Moura *opusc. 2. de ensal. sect. 3. cap. 3. n. 9.* docet supradictos reos mittendos esse ad triremes, vel perpetuos carceres, vel saltem per plurimos annos, si nempe circumstantia aliqua interveniat, quæ delicti gravitatem, si non à toto, saltem à tanto, justè alleviet & excuset. Sic ille. Novissimè, ut in superiori resolutione dictum est, prodiit Bulla Vrbani VIII. in qua statuitur dictos delinquentes tradendos esse Curiæ sæculari.

3. Nota tamen quòd ad violationem prædictarum Bullarum sufficit semel unam Missam celebrare, non verò si sacerdotalibus vestibus quis induatur celebrare intendens, si postea tamen non celebret, quia de celebrantibus tantum mentionem faciunt. Igitur perfectè hoc crimen committit qui sacerdotalibus vestibus indutus Missam celebrare incipit, quamvis non perficiat, nec verba consecrationis proferat. Ita Sousa *in aphorism. Inquisit. lib. 1. cap. 32. n. 12. & seqq.* ubi etiam notat hoc delictum non esse commissum Inquisitoribus privativè ad Episcopos, sed cumulativè.

4. Notandum est tamen hîc obiter, quòd si Sacerdos non consecret panem, aut vinum, eo quòd sit in peccato mortali, & ideo habens ante se hostiam consecrandam extrahit è tabernaculo particulam consecratam, & verba consecrationis profert, non super hostiam quam elevando ostendit populo, sed super eandem particulam consecratam, potest per Inquisitores contra illum procedi. Et ita determinavit Congregratio sancti Officij Mediolanensis 30. *April. 1627.* ut testatur, & docet Aloysius Bariola *in aphorism. litera S. ver. Sacerdos* §. 12. vide etiam Lucernam Inquisitorum *vers. Sacerdos*, & *ibi* Pegnam *in annotat.*

RESOL. XIII.

De impedientibus Officium S. Inquisitionis.
Et an adversus tales, Inquisitores procedere possint?
Et quomodo, & quibus pœnis supradicti puniendi sint, & an sint suspecti de Fide, & quo pacto debeant abjurare? Ex p. 4. tract. 7. Res. etiam 13.

Sup. hoc sup. §. 1. intr. 10. Res. 20 § ult. & ieqe aliam re ejusnor. & in tom. 9. t. 2. ex Res.

ADversùs tales procedere Inquisitores, patet ex multis Bullis Pontificiis Clem. & Vrbani V. & ex *cap. statutum de hæret. in 6.* & tradit Pegna *in direct. Inquis. part. 2. comm. 79. & part. 3. comm. 83. & 85.* & Sousa *in aphor. Inquis. lib. 1. cap. 5. num. 7.* & circa hoc maximam præbet Inquisitoribus authoritatem Pius V. *in Bulla, Si de protegendis, ita anno 1569.* in qua Pontifex §. 2. 3. & 4. quoscumque & cujuscumque sint sæcularis dignitatis & gradus, qui aliquem ex Inquisitoribus, Advocatis, Procuratoribus Notariis, testibus, accusatoribus, denunciatoribus aliisve ministris S. Inquisitionis Officij offenderint, vel offendere tentarint, tenuerint, dejecerint, perterrefecerint, eorúmque fautores & complices, aut Ecclesias, ædes, carceres, aliásve res sive publicas, sive privatas S. Officij, aut ministrorum invaserint, incenderint, expilaverint, libros, literas, exempla, scripturas aliaque instrumenta diripuerint, aut alio quocumque modo exportaverint, suppresserint, vel etiam inermes fuerint causa ut hæc fierent, vel res, aut personas servari, defendive prohibuerint, vinctum extraxerint, emiserint, capi vetuerint, fugiendi facultatem dederint, receptaverint, occultaverint, aut eadem causa cœrum concursúmque fecerint, etiamsi effectus sequutus non sit, excommunicat ipso facto, reservata Papæ absolutione declarat reos læsæ majestatis, privatos perpetuò dominiis, feudis, honore, dignitate, tradendos sæculari judicio, puniendos bonis rebúsque omnibus fisco, juribúsque applicatis, ut de reis læsæ majestatis, & hæreticis constitutum est. Illud idem de omnibus Ecclesiasticis decernit, & hanc constitutionem novissimè Vrbanus VIII. renovavit.

2. Sed difficultas est, an supradictas pœnas Inquisitores possint inferre in omnes personas? Farinacius *de hæresi quæst. 182. num. 80.* pœnas dictæ Bullæ putat valere contra eos; qui contenta in Bulla admittunt in contemptum & odium S. Inquisitionis Officij: secus si in alia causa, ex qua per claras probationes se feciſſe doceret, & hoc probat ex verbis ipsius Bullæ, ibi, *Nemo autem expurgationem habere*, &c. & etiam hanc sententiam docet novissimè Antonius Sousa *in Aphorism. Inquisit. lib. 1. cap. 28. num. 9.*

3. Verùm contratiam sententiam tenendam esse putat adversus Farinacium, Ioan. Baptista Scortia *in Bull. Pontif. epit. 106. theor. 278.* quia textus Bullæ sic habet. Nemo autem expurgationem habere, aut causam ullam proponere, vel prætendere possit, qui tantum nefas in contemptum, & odium S. Inquisitionis Officij admiserint, nisi contrarium per claras probationes docuerit se feciſſe. In quibus verbis Pontifex non vult eximere ab iis pœnis qui tantum facinus sua natura in maximum contemptum Inquisitionis vergens docuerit se id alia causa, quàm contemptus & odij prædicti Tribunalis feciſſe, sed solùm si doceret se contrarium præstitisse; quare probata quidem actio contraria violationi Inquisitionis eximit à pœnis, sed non diversitas intentionis, ut pote si aliquis hæc commisisset rogatus precibus consanguinei, non formaliter in contemptum S. Officij Inquisitionis. Ita Scortia *loco cit.* qui etiam notat quòd Inquisitores sunt iudices in iniuriis contentis *in dicta Bulla Pij V.* factis contra ipsos, & eorum ministros, per ea, quæ adducit Simanca *tit. 34. num. 29.* Zanchinus *de hæret. cap. 32. num. 1.* & alij. Et advertant etiam DD. Inquisitores quod dicta Bulla Pii V. condita fuit ob publicam utilitatem, unde latè est interpretanda & extendenda, ut benè docet, Aloysius Riccius *in decis. Arch. tom. 1. decis. 74. num. 4.*

4. Non desinam etiam hîc adnotare quòd in dicta constitutione habetur quòd perterrefacientes ministros S. Inquisitionis, denunciatores, testes, &c. subdantur etiam illis pœnis in ea taxatis, sed hæc terrefactio, salvo semper meliori iudicio, ait Michaël Zanardus *in direct. Theol. part. 2. prac. 1. cap. 5. §. 23.* primò debet esse formalis, id est, in actu S. Officii, & circa ea, quæ ad ipsum spectant; & non si propter alias privatas causas inducatur. Secundò, ut talis perterrefactio sit de re

re gravi, possint inducere timorem etiam cadentem in constantem virum, nam de minimis non curat prætor. Tertiò debet esse ab homine valente, & parato verba & minas ad facta deducere. Nam multi minantur, etiam viles & infirmi, sed horum minæ à familia armata Inquisitorum parvipenduntur. Ita Zanardus, qui etiam notat ad infligendas pœnas positas in dicta Bulla, consulendum esse Senatum Cardinalium super negotiis fidei deputatorum. Et Castrus Palaus *in summa tom.1. tract.4. disp.8. punct.19.§.7.n.3.* fatetur pœnam mortis latam in dicta Bulla numquam præcisè imponi, nisi in aliquo casu raro & extraordinario, in quo simul cum defensione hæretici occisio, seu gravis alicujus ministri Inquisitionis vulneratio conjungeretur, tunc enim sic delinquens curiæ sæculari relaxatur esto se fateatur hæreticum esse, & pœnitentiam exposcat, & ad reconciliationem admittatur, & hæc dicta sint in terminis Bullæ Pij V. *Si de protegendis.* Nunc in genere loquendo assero quòd impedientes Officium S. Inquisitionis sunt de fide suspecti, ut probat Campegius *in addit. ad Zanchinum, de hæret. c.20. lit. A. ver. suspicio.* Locatus *in praxi Inquis. ver. suspicio, num.11.* Pegna *in direct. Inquis. part.2. comment.79.* & alij communiter. Sed oritur difficultas, an sint de fide suspecti si impediunt Officium S. Inquisitionis, non ex ejus odio, sed ex consanguinitate cum hæreticis amicitia, pretio, &c. Negativam sententiam tenet Sanctarellus *tract. de hæresi cap.41. dub.3. num.5. in fine.* ubi sic ait: Sunt suspecti de hæresi, qui impediunt Officium S. Inquisitionis, non tamen sunt suspecti, si id faciant amicitia, vel consanguinitate, vel pretio; nam licèt tunc posset procedi contra eos non tamen tanquam suspectos, sed tanquam perturbantes jurisdictionem Officij S. Inquisitionis. Ita Sanctarellus qui citat Bonifacium de Vitalinis, & Zabarellam, quibus ego addo Duardum *in Bull. Cœn. lib.2. con.1. q.33. num.28.* & Bartolam *in aphor. litera I. ver. Impeditores sancti Officij.*

Quoad hoc lege doctr. §. Notandum. resol. not. seq.

5. Sed ego contrariæ sententiæ tanquam probabiliori adhæreo, quam in terminis tuetur Sousa *in aphor. Inquis. lib.1. cap. 28. num. 17.* ubi sic ait: Impedientes Officium S. Inquisit. non in odium fidei, sed propter alias causas, probabile est non dici fautores hæreticorum; oppositum tamen probabilius est. Sic ille. Sed supradictos esse mitiùs puniendos puto, ut dicemus *infrà* de fautoribus hæreticorum.

Infr. in Resol. 21. in ejus §. Notandum est.

6. Verùm his omnibus suppositis, restat inquirere quo pacto impedientes Officium S. Inquisit. debeant abjurare & quibus pœnis puniendi sint? Quoad abiurationem est magna difficultas & ita magna ut Zanardus *in director. Theol. part.2. pr.1. cap.5. §.23.* nihil de hoc voluerit definire; tamen ego puto supradictos debere abjurare in genere impedimentum & fautoriam, pro qualitate suspicionis, ut notat Sousa *in aphor. lib.1. cap.28. num.19.* eo tamen modo quo explicat Pegna *in direct. Inquis. part.2. comment.79. lit.C.* & Duardus *in Bull. Cœn. lib.2. can.1. quæst.33. n.34.* Verum Castrus Palaus *tom.1. tract.4. disp.8. punct.6. §.7. num.1.* putat hanc abjurationem esse debere tantùm de levi, aliàs verò pœnas putat esse debere secundùm arbitrium judicis pro qualitate criminis scilicet pecuniæ, triremis, fustigationis, & similium, à quibus pœnis liberat qui tale delictum commiserunt, ex consanguinitate, vel amicitia. Sed hoc ego non approbo; puto tamen supradictos esse mitius puniendos, & ideo *in l.2. ff. de receptatorib.* receptans consanguineum, non liberatur à pœnis, sed mitiùs punitur.

RESOL. XIV.

De non implentibus pœnitentias.

Et an contra tales rectè procedere possint Inquisitores?
Et an ex tali delicto oriatur non levis suspicio de hæresi?
Et difficultas est quibus pœnis subjiciantur?
Et docetur, quid facere debeant Inquisitores contra nolentes abjurare? Ex p.4. tract.7. Resol. etiam 14.

§.1. EX tali delicto oriri non levem suspicionem de hæresi, quasi conversio antecedens fuerit ficta, concedunt omnes, & ideo contra tales rectè procedere possunt Inquisitores, ut inter alios notat Simanca *in enchir. tit.61. num.7.* Difficultas est, quibus pœnis subjiciantur? Zanchinus *de hæret. cap.10. num.4.* & *ibi* ejus additionator Camillus Campegius *lit. C.* putant supradictos puniendos esse tanquam relapsos, & hoc etiam asseruit (quod nullus author, quem viderim, notavit) Io. Rojas *singul.122. num.3.* ubi sic ait. Dicitur relapsus & pœna relapsorum puniendus qui non adimplet pœnitentiam sibi injunctam per Inquisitores. Sic ille, qui citat Calderinum & Squillantem, quibus tu adde Doctores, quos invenies apud Menochium *lib. 1. consil. 82. num.102.* Riminaldum *lib.2. cons.150.* & vide etiam Bursatum *consil.7. n.34. & 32.* cum Trevisano *lib.2. decis.36.*

2. Sed his non obstantibus negativam sententiam tenendam esse docet Simanca *tit.47. num.77. & tit.48. num.29.* Julius Clarus *lib.5. ver. Hæresis, n.10.* & ejus additionator *lit.F.* ubi citat Riminaldum *loc.cit.* defendentem mulierem de pœna relapsi, cui Inquisitores injunxerant, ne de domo quam sibi pro carcere præfixerant, exiret & exivit sine licentia; & hanc opinionem tenent etiam duo viri doctissimi, Pegna & Canterus, hic *in qq. crim. cap.1. de hæret. num.60.* ille *in direct. Inquis. part.3. comment.146.* & idem etiam docuit Rojas sibi contrarius *de hæret. part.2. n.235.* & novissimè Sousa *in aphor. Inquis. lib.2. cap.26. num.38.* & alij, & hoc verum etiam esse puto, si reus promiserit cum juramento injunctam pœnitentiam servari sub pœna relapsi, ut docet Hippolytus Riminaldus *dicto consil. 150. num.6.7. & 35.* & Menochius *loc.cit.* & alij.

3. Dicendum est igitur, eum qui pœnitentiam non adimplevit, non tanquam relapsum, sed tanquam impœnitentem condemnandum esse pœna arbitraria, ut ieiunij, fustigationis, vel dupliciter pœna ordinaria, ait Cantera *loc.cit.* Hinc ait Sousa *in aphor. lib. 3. cap.29. n.5.* quòd si damnatus ad carcerem perpetuum fugiat etiam si non sponte veniat, sed comprehensus, reconciliandus est, sed maiori pœnitentia profuga afficiendus; quicquid in contrarium asserat Bursatus *lib.1. cons.7. num.4.* Arelatanus *notab.6.* Rojas *singul.23. n.5.* Vide Pacianum *cons.19. num.64.* Zecchium *tom.1. tit. de hæret. cap.1. n.18.* & alios & ego supradictos regulariter damnarem ad triremes per tres, vel quatuor annos.

4. Notandum est tamen, quòd hanc posteriorem sententiam aliqui limitant, nisi pœnitentia imposita de directo contra hæresim detestatam tendat, ut contra ipsam prædicare, cum hæreticis non conversari, &c. Nam in tali casu putant, condemnandum esse reum tanquam relapsum. Ita Riminaldus *lib. 2. cons. 156. num.13.* Menochius *lib. 1. cons. 82. num.107.* Trevisanus *lib.2. decis.36. num.2.* & alij. Verùm Iacobus Simanca *tit. 47. num. 77.* putat etiam in tali casu quòd non adimplens pœnitentiam non habetur pro relapso, sed condemnandum arbitrio Inquisitorum denuò ad maiorem aliam pœnitentiam. Sed ego teneo opinionem affirmativam cum Riminaldo, & aliis, quibus adde Canteram *ubi suprà*, & Sousam *in aphor. Inquis. lib.3. cap.29. num.9.* Nam non facere supradictas pœnitentias, est signum vehemens à iure statutum, approbationis erroris. Ergo contra Simancam, ut relapsus erit in talis puniendus; & ita etiam hanc sententiam

tenet

tenet doctus Inquisitor Vmbertus Locatus *in praxi Inquisit. ver. pœnitentia.*

5. Nota etiam hîc, quòd qui iniunctas pœnitentias non modò non adimplet, sed animo obdurato adimplere recusat, velut impœnitens est iudicandus; & si nolit resipiscere, tradendus est Curiæ sæculari. Idem dicendum est si pœnitentiam impositam propter hæresim probatam recipere renuit. Ita Pegna *part. 3. commen. 146.* Sousa *loc. cit. num. 7.* & alii. Vnde hic infertur decisio illius dubii, nempe quid facere debeant Inquisitores contra nolentes abiurare? Respondeo, quòd abiurare recusans habetur pro convicto, & Curiæ sæculari tradendus est, ex constit. Martini V. sed tunc statim Curiæ sæculari tradendus est, quando aut confessus, aut convictus, aut in hæresi manifestè deprehensus abiurare renuit; si autem non fuerit confessus, vel convictus, tunc non statim Curiæ sæculari tradatur, sed antea excommunicabitur, & in excommunicatione si per annum steterit, tamquam hæreticus condemnabitur & ita docet Vmbertus Locatus *in praxi Inquisit. ver. suspicio, num. 8.* Hippolytus Riminaldus *lib. 4. cons. 395. num 64.* Eymericus *in director. Inquis. part. 2. quæst. 55.* & *ibi* Pegna *comm. 80.* Delrius *in disquis. mag. lib. 5. sect. 12.* & ideo Sousa *in aphor. lib. 2. cap. 40. num 16.* sic ait: Refutans abiurare de levi, non statim est Curiæ sæculari tradendus, sed priùs excommunicetur, & si per annum pertinaciter in excommunicatione persistat, Curiæ sæculari traditur. Sic ille.

RESOL. XV.

De frangentibus carceres, vel inde fugientibus, dum eorum causa agitur? Ex p. 4. tr. 7. Resol. etiam 15.

§. 1. CArceratum pro hæresi si fugiat, pro convicto habendum, & tanquam hæreticum damnandum, tradidit Zanchinus *de hæret. cap. 10. num. 4.* &, quod magis mirum est, *ibi* Additionator Campegius, vir quidem doctus, *in addit. lit. B.* vide etiam Mascardum *de probat. tom. 2. concl. 820.*

2. Sed meritò adversùs Campegium surrexit Simanca *in annot. ad tr. Zanchini cap. 8. & in Cathol. instit. tit. 16. num. 23.* Io. Rojas *de hæret. part. 2. asser. 15.* Pegna *in direct. part. 3. commen. 35.* & novissimè Sousa *in aphor. Inquis. lib. 2. cap. 26. num. 37.* & Ioseph Aldrete *de disciplina tuenda lib. 2. cap. 8. num. 25.* Ratio est, quia in tali casu præsumendum est reum fugisse carceris tædio, aut metu falsorum testium, vel ob timorem tormentorum, & non quia haberet errorem in intellectu; non debet tamen ob dictam fugam impunitus evadere, & ideo ait Sousa *in aphor. Inquis. lib. 2. cap. 26. num. 32.* quòd arbitraria pœna debet puniri, sed non descendit ad aliquod particulare, quod fecit Pegna *loc. cit.* ubi sic asserit. Qui dum custodiretur pro hæresi, è carceribus effugit, consuetudine potius, quàm lege aliqua receptum est, præsertim in Hispania, ut si sit Nobilis, Doctor, Religiosus, aut aliàs honorabilis civis, custodiatur arctiùs, & duriùs puniatur; quod si vilis sit, publicè verberibus flagellandus, & causa hæresis in suo statu permanens tractatur, quamquam & aliis pœnis arbitrariis puniri possunt. In quo mitiùs est cum illis agendum, qui custodis negligentia evaserunt. Ita Pegna, & post illum Paramus *lib. 3. quæst. 4. num. 72. & seq.* & Sesse *tom. 4. decis. 471. n. 6.*

3. Notandum est tamen hîc cum Sousa *num. 37.* Rojas *num. 185.* Pegna, & aliis quòd licèt, ut dictum est, detentus in carcere pro crimine hæresis, si aufugiat, neque pro confesso, neque pro convicto habetur; tamen resultat contra ipsum non solùm ut ait Sousa, indicium ad torturam, sed si non compareat ex tali indicio cum aliis adjuncto, potest citari ad comparendum, & si non compareat, potest condemnari. Vide etiam Sesse *num. 8.*

RESOL. XVI.

De falsis testibus.
Et an supradicti pœna talionis sint condemnandi?
Et quid de filiis, & nepotibus testis falsi?
Et an Inquisitores possint punire, & quibus pœnis, eum qui prece, minis, aut pretio testem corrupit, ut falsò in Sacro Tribunali contra aliquem deponeret? Ex p. 4. tr. 7. Resol. etiam 16.

§. 1. ESse supradictos pœna talionis condemnandos, tenent viri doctissimi, ut Ioan. Rojas *de hæresi part. 2. num. 156.* Antonius Gomez *in leg. Tauri. 83. num. 8.* Zecchius *in sum. tom. 1. & de hæresi cap. 11. n. 14.* & alij, & patet ex constit. Leonis X. qua decretum est, testem falsum qui innocentem opprimere, tanquam hæreticum voluit, Curiæ sæculari tradendum esse, & quidem urget major ratio in hoc crimine, quàm in aliis, ut pœna talionis imponatur, nam in hoc crimine nomina testium non publicantur, unde datur major ansa ferendi falsum testimonium.

2. Verùm his non obstantibus, regulariter contrarium servatur in praxi, tam in Romana, quàm in Hispanica Inquisitione. Vnde rectè Sanctarell. *de hæresi, cap. 39. dub. 3. num. 17.* asseruit, quòd in Tribunali S. Inquisitionis falsi testes non puniuntur pœna talionis, & citat Farinacium, Zanchinum, Campegium, & alios: dixi *regulariter*, quia primam sententiam admittit Sousa *in Aphor. lib. 2. cap. 8. num. 29.* Castrus Palaus *in summ. tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 15. §. 6. n. 6.* & Simanca *tit. 64. num. 90. & 91.* quando ex falsa testificatione reus fuerit combustus; tunc enim putant falsum testem puniendum esse pœna talionis, & sic practicatum fuisse in Inquisitione Lagronensi testatur, quod factum approbo, quia certè teneo illos Inquisitores, ut moris est, consuluisse supremum Inquisitorem Hispaniæ; nam illo inconsulto hoc facere minimè Inquisitores debent, & ideo Salzedus *in addit. ad pract. crimin. Diaz, cap. 93. lit. B.* sic ait: In Romana Curia supremus & Generalis Inquisitionis Senatus, minimè consuevit testes falsos sæculari Curiæ tradere, sed aliis pœnis eos punit; ex quo quando talis casus evenerit, inferiores Inquisitores inconsulto supremo Inquisitionis Senatu, non debent testes falsidicos, qui graviter nocuerint, Curiæ sæculari puniendos relinquere. Itaque si testes falsi de vera & formali hæresi contra aliquem deposuerunt, qui ut hæreticus negativus combustus fuit, & ejus bona fuerunt publicata, si Inquisitores pro tam gravi crimine existimaverint ad condignam punitionem testes sæculari Curiæ tradendos, oportet ut consulant generalem Senatum Inquisitionis, quia tam gravis pœna absque expressa lege Canonica, prætextu cujuslibet opinionis hujus, vel illius Doctoris facilè imponenda non est; quia decretum illud Leonis X. non est ubique receptum, nec voluit quod ut lex universalis observetur; quòd si ipsi propria authoritate eos punire decreverint, pœna perpetui carceris, aut condemnatio ad triremes erit imponenda productis priùs tanti criminis reis in publicum spectaculum. Ita Salzedo.

3. Sed audiamus Sousam *in aphor. Inquis. lib. 2. c. 8. num. 27.* sic asserentem: Testis falsus in crimine hæresis gravius, quàm in aliis criminibus puniendus est; regulariter tamen Curiæ sæculari non traditur, sed producitur in publicum spectaculum ligatis manibus & pedibus, discooperto capite in camisia, fustigatur, ad triremes mittitur, aliisque pœnis plectitur, ut mitra infami,

infami exilio, & carcere, etiam perpetuo. Hæc Sousa. Vnde Aloysius Bariola *in aphor. lit. T, ver. Testes*, § 8. asseruit, quòd ex inveterata consuetudine testes falsi in S. Officio damnantur ad remum. Vide etiam Pegnam *in direct. Inquis. part. 3. comm. 122.* & Simancam *tit. 64. n. 91.* de pœnis supradictorum differentes. Et nota, quòd in omnibus casibus, seu rei Curiæ sæculari tradantur, sive aliis pœnis, ut *supra*, plectantur, minimè abjurabunt, quia in his casibus non cadit abjuratio. Sed quid si testis, pro defensione inquisiti falsum deposuit coram Inquisitoribus, negando hæresim, quam sibi constat commisisse? Respondeo quòd in tali casu testis falsus debet abjurare fautoriam pro qualitate suspicionis, tanquam fautor hæreticorum, & ut plurimum puniendus est pœna extraordinaria fustigationis, v.g. & triremium, vel utraque simul. Ita Castr. Palaus *in sum. tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 15. §. 6. num. 9. & 10.* & ante illum Simanca *tit. 64. n. 90.* ubi sic ait: Inquisitores testem qui falsum testimonium dixit in probatione objectorum, adversùs alios testes, punire non debent pœna talionis, sed extraordinaria aliqua coërcitione, quemadmodum quibusdam Epistolis Senatus S. Inquisitionis plenius continetur. Sic ille.

4. Notandum est tamen hîc obiter, quòd filij & nepotes testis falsi in aliquo atrociori casu forsitan combusti, propter pœnam talionis non eisdem pœnis afficiuntur, quibus filij & nepotes hæreticorum, ut ex pluribus docet Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 2. cap. 27. num. 25.* & Simanca *loco cit. num. 92.* Sousa *numero 31.* & alij.

5. Restat modò discutere, an Inquisitores possint punire, & quibus pœnis eum, qui prece, minis, aut pretio testem corrupit, ut falsò in sacro Tribunali contra aliquem deponeret? Respondeo quòd nemo, quem legerim, advertit, Bertazolium virum doctissimum *vol. 1. consil. 62. per totum*, docere Inquisitores in hoc casu non habere jurisdictionem puniendi, mandantes & corrumpentes testes, ut falsò coram ipsis deponant, & contrarium asserere, ait ipse, esse ab omni veritate alienum. Sed fallitur, vir doctus, nam affirmativam sententiam determinat Leo X. in Bulla edita *die 14. Decembr. anno 1518.* ibi, *aut alium ad falsum deponendum*, &c. & hanc sententiam etiam docet Sousa *in aphor. Inquisit. lib. 2. cap. 8. num. 28.* Iacobus Simanca *tit. 64. n. 96.* Pegna *in direct. p. 3. comm. 122.* Vmbertus Locatus *in praxi Inquisit. in casibus Placentiæ discussis, cas. 5.* & alij communiter. Ratio est clara, quia plus delinquit is, qui testi mandat, vel persuadet ut falsum testimonium dicat, quàm testis ipse, quia nocendi animum prior habet, & alium ad id facinus impellit. Quibus verò pœnis coërcendi sint in tali casu mandantes, & corrumpentes testes, ut falsò deponant, asserò plectendos in iisdem pœnis, quibus ipsimet falsi testes plectuntur, & ideo Sousa *in aphor. Inquis. lib. 2. cap. 8. num. 27.* postquam enumeravit pœnas imponendas falsis testibus, de quibus *supra* dictum est, statim *in num. 28.* ita subjungit. Eadem digni sunt pœna, qui testes pretio, aut minis corrumpunt, & qui hoc fieri mandant. Ita ille. & Simanca *loc. cit.* & ideo in Concilio Bituricensi *cap. 26.* sic habetur. *Et si fortè dejeraverint, aut induxerint alios ad dejerandum partem in superiori parte duarum Crucum (quas portare habent in pectore & inter scapulas) brachium transversale unius, vel circa.* Hæc ibi, in quibus verbis clarè apparet iisdem pœnis plecti testes falsum deponentes, & inducentes eos ad falsum deponendum. Vnde in hoc sacro Tribunali Regni Siciliæ damnavimus Regularem falsum testem, & qui alios ad testificandum falsum corruperat, damnavimus, inquam, ad triremes per decennium cum aliis pœnis, & reum innocentem, si vellet, diximus ducendum esse in publico spectaculo cum honore ferentem ramum palmæ in manu; ut factum est etiam olim, in Inquisitione Conquensi: complices verò supradicti rei, quia erant fœminæ, damnavimus ad fustigationem & ad exilium per sex annos ut in casu simili factum fuit in Inquisitione Galleciæ. [Sin Embargo, ait Inquisitor San Vincente *in manuscript. cap. 23. §. 3.* que en las primeras audiencias, confessasse quien les havia, induzido.

RESOL. XVII.

De Astrologis judiciariis.

Et an contra eos possint Inquisitores Animadvertere?

Et quibus pœnis supradicti rei sint plectendi? Ex p. 4. tr. 7. Res. etiam 17.

§. 1. POsse contra Astrologos judiciarios Inquisitores animadvertere, patet ex constit. Sixti V. & docet Peyrinus *in privil. Minim. tom. 2. constit. 9.* Sup. hoc sup. in tr. 10. Res. 101. signanter in fin. *Pauli V. §. 2. n. 23.* Alphonsus de Leone *in tract. de offic. & potest. Confess. p. 1. recollect. 22. num. 15. cas. 30.* Sousa *in aphor. Inquis. lib. 1. cap. 48. num. 15.* & Scortia *in Bull. Pontif. epit. 140. theor. 361.* quia eorum modus prænunciandi futura est Reipublicæ valde periculosus, & expositus multis superstitionibus, & præsumitur ex occulta societate cum dæmone pendere, nec tales Astrologi excusantur, licèt protestentur se id non affirmare certò, id enim videntur facere ad fraudes tegendas & statutas pœnas vitandas. Vnde non desinam hîc apponere verba Leonardi Lessij, viri doctissimi, *de just. & jure lib. 2. cap. 43. dub. 6. num. 42.* sic asserentis. Si aliquid particulare prædicunt absolutè, v.g. hunc tali morte, hoc tempore, vel loco periturum, hunc futurum Episcopum, furem, & similia, graviter peccant, & sunt puniendi, etiamsi postea dicant se non certò affirmare voluisse, quia alioquin omnes facilè se excusarent & contra judices defenderent. Secundò si prædicunt aliquid, maximè in particulari, cum circumstantiis, quarum non possunt reddere rationem nisi ex regulis Astrologiæ judiciariæ, v.g. quia hora Nativitatis erat talis cœli catastasis, nō sunt excusandi, etiamsi solùm dixerint esse probabile, aut verisimile, quia cùm revera nihil tale ex astris colligi possit, omnis talis prædictio referenda est ad disciplinam malignorum spirituum, & occultam eorum societatem, & sanè pernicioſum est putare regulas illas esse probabiles, cùm eadem ferè incommoda sequantur, & ipsi Astrologi, quos Ecclesia damnat, sæpè non plus dicant, fatentur enim suas prædictiones non esse semper certas, & posse interdum aliter evenire, nihilominus meritò rejiciuntur tanquam impostores, & occulta commercia cum diabolo habentes. Si verò solùm in genere pronuncient, ita ut probabilis ratio reddi possit ex ætate, dispositione corporis, temperamento, consuetudine vitæ, aut aëris affectione, quæ ex siderum concursu, vel aspectu proveniat, non sunt condemnandi. Hæc omnia Lessius, & alij communiter.

2. Quibus verò pœnis supradicti rei sint plectendi, Sousa *in aphorism. Inquisit. lib. 1. cap. 48. n. 15.* sic ait: Astrologus judiciarius de futuris contingentibus à libera hominum voluntate pendentibus aliquid eventurum affirmans, etiamsi id non certò affirmare asserat, ab Inquisitoribus puniri potest Canonicis pœnis, ac etiam aliis secundùm eorum arbitrium, ex Constitut. Sixti V. Vnde in Inquisitione Hispanica quidam Clericus qui prædixit tempus, genus & modum mortis Regis Francorum, ut postea evenit, abjuravit de levi, suspensus fuit ab Ordinibus, & beneficiis privatus, & à tota Hispania exulatus, & alius Clericus etiam eodem tempore abjuravit,

de levi, & fuit reclusus per annum in quodam Monasterio, ei flicta ei etiam pœna pecuniaria. Igitur supradicti si frequenter judiciariam exercent, & maximè cum damno aliorum, merentur in actum publicum exire, ubi abjurent de levi, & in exilium & pœnam pecuniariam condemnentur.

3. Non reticeam tamen hîc adnotare quòd Michaël Zanardus *in director. Inquisit. part. 1. prac. 1. cap. 5. q. 16.* asserit: Astrologus iudiciarius, si tantùm affirmet se credidisse, posse astra nos inclinare, sed non cogere, quamvis subdatur iudicio Inquisitorum quoad investigationem credulitatis, quia ex facto se reddidit suspectum, non tamen debet abiurare, quia rem indifferentem gessit. Ita ille. Sed in hoc DD. Inquisitores accuratè animadvertant, nam cùm tales in Tribunali non torqueantur, interrogati ab Inquisitoribus omnes equidem ad pœnas effugiendas responderent se non credere quòd astra cogere possint. Ideò in casu contingenti remitto me arbitrio DD. Inquisitorum. Novissimè prodiit Bulla Vrbani VIII. quæ omnino videnda est.

RESOL. XVIII.

De insordescentibus per annum in excommunicatione.
Et an tales sint suspecti de hæresi, & quæ pœnitentia sit eis imponenda?
Et an Inquisitores possint procedere tantum contra insordescentes in excommunicatione ex causa Fidei?
Idem dicendum est de fautoribus, defensoribus, & receptatoribus Hæreticorum, ac quoquo modo Officium S. Inquisitionis impedientibus, & recusantibus se purgare.
Ex p. 4. tr. 7. Resol. etiam 18.

§. 1. POsse cum supradictis Inquisitores procedere clarum est, quia tales sunt de hæresi suspecti, ut patet ex Concil. Trid. *sess. 25. cap. 3.* & docet Rojas *singul. 60. num. 2.* Simanca *tit. 27. n. 4.* Fusc. *de visit. lib. 1. c. 29. num. 2.* Azeved. *lib. 8. tit. 5 leg. 1. n. 213.* Sayrus *de cens. lib. 2. cap. 10. num. 10.* Guttier. *in can. 99. lib. 1. cap. 12. num. 20* & alij, quos citat & sequitur Barbos. *in collect. Doct. tom. 2. lib. 5. tit. 7. cap. 15. num. 12.* & Sanctarell. *de hæresi, cap. 4. dub. 4. n. 4.* Vnde cùm supradicti censeantur malè sentire de fide, ex potestate Ecclesiæ interrogandi sunt quid sentiant. Et hanc sententiam veram etiam existimat Castr. Palaus *in summ. tom. 1. tract. 4. disp. 4. punct. 2. n. 5.* cum Farinacio & Menochio, etiam quando dicti insordescentes in excommunicatione fuerint excommunicati ex causa civili, quia contumacia uniformis est, imò maior videtur in causa civili, utpotè leviori, & quæ regulariter minus retardare possit excommunicatum à comparendo.

2. Sed ego contra Castrum contrariam sententiam teneo cum Barbosa *in collect. tom. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 6. num. 6.* ubi sic ait: Contumax in excommunicatione per annum insordescens suspectus habetur de hæresi, beneficiisque privatur, quando esset excommunicatus pro crimine, secus pro causa civili. Ita ille. Cui addo DD. quos affert Sanctarellus *tract. de hæresi, cap. 4. dub. 4. num. 5.* & Sayrus *de cens. lib. 2. cap. 10. num. 4.* Vide etiam Gonzalez *in regul. 8. Cancell. glos. 15. num. 106.* ubi asserit ita decisum fuisse à Romana Rota *in una Segobien. insordescentia 5. Iunij 1598.* coram Seraphino, ubi rejicitur Menochius & Salzedo, quos pro se Castrus citavit.

3. Verùm notandum est, quòd licèt possint, ut dictum est, tamen ex consuetudine Inquisitores non solent procedere contra excommunicatos pro aliis delictis extra hæresim, etiamsi insorduerint in excommunicatione, & ita observat Michaël Zanardus *in director. Thzol. part. 2. prac. 1. cap. 5. § 18. in fin.* Graff. *in decis. part. 1. lib. 4. cap. 14. num. 4* Sigismun. Scaccia *de iudiciis, & c. lib. 1. cap. 98. num. 36.* Zecchius *in summ. tom. 1. tit. de fide, cap. 11. num. 13.* Pegna *in direct. part. 2. comment. 72.* Acugna *de Confess. solic. quæst. 24. num. 65.* & Sousa *in Aphor. Inquis. lib. 2. cap. 27. num. 6.* ubi sic ait: Perseverans per annum in excommunicatione non ex causa fidei, non hæreticus reputatur, sed solùm leviter suspectus, ex consuetudine tamen Romana non procedunt Inquisitores contra hujusmodi excommunicatos. Ita ille. Non desinam tamen hîc adnotare Genuensem *in praxi Archiepisc. cap. 68. num. 8.* asserere Inquisitores contra insordescentes per annum in excommunicatione, non in causis fidei procedere & imponere pœnitentiam salutarem, & abiurationem de levi; sed quidquid sit de hoc, certum est in Inquisitione Hispanica Inquisitores procedere tantùm contra insordescentem in excommunicatione ex causa fidei, & ideo dico quòd talis sic citatus ad respondendum de fide contumax erit, per annum in excommunicatione insordescens, ut hæreticus non verus, sed præsumptus condemnatur. Idem dicendum est de fautoribus, defensoribus, & receptatoribus hæreticorum, ac quoquo modo Officium S. Inquisit. impedientibus, & recusantibus se purgare. Ita Sousa *in Aphor. Inquis. lib. 1. cap. 27. n. 1. & 2.* Pegna *in director. Inquis. part. 3. comment. 172.* Vide textum clarum *in cap. cùm contumacia, de hæret. in 6.* & ratio est, quia, ut ait Eymericus *in direct. part. 3. q. 47.* si quis suspectus est leviter de fide, & ob eam causam citatus ut respondeat, si intra terminum assignatum negligit respondere, illa levis suspicio transit in vehementem: si autem in illa negligentia per annum perseverat, suspicio vehemens transit in violentam, ex *dicto cap. cùm contumacia*, ergo ut hæreticus erit condemnandus. Vide Scacciam *de judic. & c. lib. 1. c. 98. n. 4.* Menoch. *de arbitrar. lib. 2. cas. 374. num. 10.* Farinac. *de hæresi, q. 192. n. 14.* & alios penes ipsos.

4. Nota tamen quòd prædictus excommunicatus ut tanquam hæreticus condemnetur, si facilè capi non potest, debet specificè citari ad respondendum de fide, & ad se purgandum de suspicione ex insordescentia orta, & quamvis citatio una fortè sufficiat in dicto casu, tutius est ut triplex præmittatur. Annus verò debet esse continuus, & toto illo tempore cum potestate comparendi, & incipit à die declarationis, vel sententiæ, vel notorietatis. Si tamen ante annum lapsum moriatur, non condemnatur ut hæreticus, neque eius bona confiscantur, nisi ex testibus esset plenè convictus. Ita Pegna & Sousa *loc. cit.* quibus adde Simanc. *tit. 14. n. 4.* & alios penes ipsos.

RESOL. XIX.

De transferentibus arma, equos, & c. in terras Infidelium, & de pœnis, quibus puniuntur, si animo adjuvandi Infideles, & Hæreticos in bello ad impugnandum Christianos hoc fecerint; secus si lucrandi, & negociandi causa hoc egerint.
Et an adversus supradictos Inquisitores possint procedere?
Ex p. 4. tr. 7. Resol. etiam 19.

§. 1. ADversùs supradictos proceditur in nostra Inquisitione Hispanica. Vnde Cantera *in 99. crim. cap. 1. de hæret. num. 68. in fin.* sic asserit, Inquisitores possunt cognoscere & procedere contra deportantes arma & cibaria prohibita Saracenis. Ita ille, & Bobadill. *in polit. tom. 1. lib. 2. c. 17. n. 69.* refertur. [Que en los Reynos de Aragon procede el S. Officio de la Inquisiçion contra los tales.] Quoad pœnas verò olim hæc facientes abiurabant de levi, modo tamen non est in usu, sed si vilis persona est, fustibus cæditur, sin minus, exilio & pecunia, in ea quantitate, qua equi armati valebant,

valebant, & insuper omnia illa confiscantur ; quòd si jam fuerint transmissa, pœna pecuniaria duplicatur, & quidam Religiosus ob hoc crimen ex Consilio supremi Senatus Hispanici condemnatus fuit in sexcentis scutis, & in annua in suo Conventu reclusione, & suspensione interim ab Officio. Hæc omnia Castrus *in summ. tom. 1. tract. 4. disput. 8. punct. 16. §. 10.* quæ tamen antea notaverat in suis manuscriptis doctissimus Inquisitor San Vincente.

2. Non desinam tamen hîc observare omnia supradicta ritè procedere, quia existimantur tales delinquentes transferre arma & equos, &c. in terras infidelium & hæreticorum, lucrandi & negotiandi causa : secus autem si animo adjuvandi infideles & hæreticos in bella ad impugnandum Christianos hoc facerent : nam in tali casu ex circumstantiis delicti & qualitate personarum tanquam fautores & defensores hæreticorum, &c. possint adversùs tales Inquisitores procedere, & secundùm gradum suspicionis illos torquere & publicè abiurationem imponere, & in alias pœnas condemnare.

RESOL. XX.

De sodomitis, & de pœna qua supradicti debent puniri ?

Et notatur quod non possunt Inquisitores relaxare sodomitas Curiæ sæculari, nisi sint incorrigibiles.

Et an Inquisitores habeant cognitionem nefandi criminis ex Constitutione Pij V. Gregor. XIII. & Bulla Clem. VII.

Et aliqua alia circa supradictos sodomitas. Ex p. 4. tr. 7. Ref. etiam 20.

§. 1. IN Regno Portugalliæ ex privilegio Regis, & ex constit. Pij IV. & Gregor. XIII. Inquisitores habent cognitionem nefandi criminis, ut notat Emanuel Moura *de incant. opusc. 1. sect. 3. cap. 1. num. 16.* Barbosa *de potest. Episc. part. 2. alleg. 40. n. 45.* & Sousa *in aphor. Inquis. lib. 1. cap. 59. num. 10.* quod etiam servatur in Regno Aragoniæ, Valentiæ, & Barcinone, ex Bull. Clem. VIII. ut testatur Castrus Palaus *in summ. tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 12. num. 11.* Henriquez *lib. 13. cap. 24. n. 2. in gloss. lit. P.* Narbona *in recopil. lib. 4. tit. 1. leg. 20. gloss. 8. num. 3.* Salzedus *in addit. ad pract. crim. Bernardi Diaz c. 86.* & alij.

2. Notandum est verò, quoad pœnas ; quòd in tali casu rei non abjurant, neque de levi, ut docet & testatur Emanuel de Moura *de incant. opusc. 1. sect. 3. cap. 1. num. 16.* Sed si fuerint convicti, vel delictum fateantur, Curiæ sæculari in actu publico relaxantur. Ita Castrus Palaus *ubi suprà*, & alij. Si verò delictum fuerit attentatum, & non consummatum, flagellis cæduntur, & ad triremes mittuntur. Nota tamen quòd si quis membrum posuit intus anum, quamvis extrà semen effundat, probabile est esse puniendum pœna ordinaria sodomiæ. Ita Ioseph Sesse *in decis. Regni Aragon. decis. 475. num. 5. tom. 4.* Sed hoc Sousa *in aphor. lib. 1. cap. 59. num. 63.* non intelligit pro uno actu, sed pro actibus hujusmodi repetitis, quia quod deficit ad complementum actus sodomitici, suppletur ex repetitione actuum in fraudem legis.

3. Non desinam tamen hîc adnotare, Freytas *in novis addit. tract. de Confess. solicit. q. 24. num. 136.* docere contra Mouram, non posse Inquisitores relaxare sodomitas Curiæ sæculari, nisi sint incorrigibiles. Sed quia hoc delictum non pertinet generaliter ad omnes Inquisitores, satis est hæc dixisse ; neque enim lædendæ sunt pudicæ aures.

RESOL. XXI.

De fautoribus, defensoribus, & receptatoribus Hæreticorum, &c.

Et an contra tales, ut suspecti de hæresi possint Inquisitores procedere ?

Et quomodo, & quibus pœnis puniri debeant ?

Et inter alia, quæ circa hoc docentur tandem quæritur, an non revelantes Hæreticos puniendi sint tanquam fautores ?

Et an qui favet, & recipit consanguineos hæreticos incidat in pœnam excommunicationis latam in Bullam Cœnæ contra fautores, & receptatores Hæreticorum ? Ex p. 4. tract. 7. Ref. etiam 21.

§. 1. COntra tales ut suspectos de hæresi procedere posse Inquisitores, observat Duardus *in Bull. Cœn. lib. 2. can. 1, q. 33. n. 4.* & DD. communiter ; ea verò quæ dicuntur de fautoribus hæreticorum, ut recte notat Sousa *in aphor. Inquis. lib. 1. cap 25. num. 16.* accommodanda sunt defensoribus & receptatoribus, sicuti è contra.

2. Hoc supposito, quoad abjurationem supradictorum assero quòd cùm incurrant suspicionem levem, vel vehementem pro qualitate circumstantiarum, & indiciorum, prudentes Inquisitores illas perpendendo, faciant illos de vehementi, vel de levi abjurare, ut eis videbitur. Et ideo Pegna *in direct. part. 2. comment. 76. lit. C.* sic asserit. Receptatores hæreticorum abjurationis pœnitentiam patiuntur ob suspicionem hæresis, quam contraxerunt : an autem hæc abjuratio de levi tantùm, vel vehementi fieri debeat, qualitas personarum, & genus receptationis demonstrabunt. Ita ille, qui autem verè fautores hæreticorum inveniuntur, abjurabunt de vehementi, & antea torquendi sunt. Quomodo verò in casibus occurrentibus facienda sit dicta abjuratio docet Michaël Zanardus *in direct. Theol. part. 3. cap. 134. fol. mihi* 740. ubi ait. Abjuratio fautoriæ dupliciter fieri potest. Primò in genere abjurando omnes hæreses, & hoc quando fautor indiscriminatim omnibus favorem tulit. Secundò in singulari, quando is Calvinistis, v. g. & non Lutheranis favit. Sic ille. Sed audiamus Pegnam *in direct. Inquis. part. 2. comment. 79.* ubi sic asserit. In aliquo casu sustineri potest abjuratio generalis, non expressis particularibus erroribus & hæresibus. nam qui generaliter alicui favendo, aut etiam nulli favendo Officium Inquisitionis impedit, in nullam specificam & particularem hæresim videtur consentire, & propterea nullam in specie poterit abjurare, sed in genere dicet se detestari omnem hæresim, cujus suspicionem impediendo Inquisitionis Officium contraxit. In hac tamen difficultate, quæ contemnenda non est, cùm frequenter accidere possit, hoc ampliùs censeo observandum, ut inquiratur à reo qui impedivit Officium Inquisitionis, vel alicui hæretico favit, adhibitis etiam tormentis, si ita causa ejus & conditio postulaverit, an cum eo habeat familiaritatem, & cur ei faveat ; nam si auxilium exhibitum in favorem personæ potius, quàm erroris tendere videatur, sufficiet generalis abjuratio fautoriæ, vel impedimenti eo modo quo dictum est. Quòd si secus res habuerit, & aliqua alia concurrat, ex quibus oriatur suspicio eum, qui exhibet favorem, eos dé illos errores profiteri, quos profitetur ille, cui favet ; tùc præter generalé impedimenti, & fautoriæ abjurationé cogendus videtur ad particulares errores abjurandos. Hæc omnia Pegna doctè ut semper solet, quem novissimè sequitur Duard. *in Bul. Can. lib. 2. can. 1. q. 33. n. 34.* Verùm quoad alias pœnas præter recensitas à Pontifice *in c. excomm. §. credentes, de hær.* quas non incurrunt, nisi

per annum in excommunicatione notati inforduerint, ut notat Palaus *ubi infra, n.* 2. & præter illas, quas enumerat Sanctarellus *tract. de hæresi, cap.* 11. *dub.* 1. *n.* 20. Farinacius *de hæresi, quæst.* 182. & alij penes ipsos; dicti fautores receptatores, & defensores possunt puniri arbitrio Inquisitorum pœnis pecuniariis, exilio, fustigatione, tritemibus, aliisque corporalibus pœnis pro qualitate delicti, & si opus fuerit, usque ad confiscationem bonorum. Ita Castrus Palaus *in sum. tom.* 1. *tr.* 4 *disp.* 3. *punct.* 6. *n.* 4. Sed hanc pœnam confiscationis bonorum, contra fautores hæreticorum, non admittit Farinacius *de hæresi q.* 82. *n.* 55. & Cantera *in qq. crim. cap.* 1. *de hæret. n.* 55. *in fine.* Verùm ego illam admitto, stante constitutione Pij V. *Si de protegendis.* in qua clarè contra supradictos infligitur talis pœna.

Quoad hoc sup. ex ref. 15. lege doctr. §. Non desinam. post med. vers. Sed oritur. & seq.

3. Notandum est tamen hîc, titulum consanguinitatis, vel amicitiæ strictissimæ, non excusare in totum fautores hæreticorum à supradictis pœnis, quæ latitudinem habent; sed debent moderari pro majori, vel minori sanguinis conjunctione, & ita docent DD. quos citat Sousa *in Bull. Cœn. cap.* 2. *disp.* 10. *n.* 4. & sequitur *n.* 6. *in fine*, quibus adde Michaëlem Zanardum *in direct. Theol. part.* 2. *prac.* 1. *cap.* 5. *q.* 22. *in fine.* Vnde Graffius *in decis. par.* 1. *lib.* 4. *c.* 18. *n.* 35. sic ait: Licèt mitiùs puniantur consanguinei, uxores, amici, fratres, patres, filij, & similes personæ receptantes hæreticos sibi conjunctos, non tamen excusantur à tota pœna, & per consequens non sunt penitus immunes à delicto. Ita ille, & hoc patet ex *l.* 2. *ff. de receptator.* ubi iurisconsultus loquens de receptatoribus latronum, sic ait: Eos apud quos affinis, vel cognatus latro conversatus est, neque absolvendos, neque severè admodum puniendos, non enim par est eorum delictum & eorum qui nihil ad se pertinentes latrones recipiunt. Et licèt Repertor. Inquis. *in ver. receptatores*, §. *sed tamen receptantes.* & Paulus Ghirlandus *tract. de sortil. q.* 9. *n.* 2. asserant legem istam locum non habere in receptantibus consanguineos hæreticos, propter criminis immanitatem, & in hanc sententiam videtur inclinare Gundiss. Villadiego *tract. de hær. q.* 16. *in fin.* tamen contrarium tenet communis sententia DD. quos affert & sequitur Duardus *in Bull. Cœn. lib.* 2. *can.* 1. *q.* 29. *n.* 11. & Pegna *in direct. Inquis. part.* 2. *comm.* 81. *lit. B.* ubi optimè observat in casibus occurrentibus consanguineorum, seu conjunctorum rationem habendam esse; nam filius receptans patrem, uxor virum, frater fratrem; levius puniendi sunt, quàm si remotiores, sive alios, non usque adeò conjunctos receptassent, aut defendissent. Vnde rejicitur opinio Simancæ *tit.* 15. *n.* 20. asserentis filium, uxorem & fratrem, receptantes patrem, maritum & fratrem hæreticum, non esse puniendos: nam, ut benè observat Pegna & alij, sunt equidem supradicti levius puniendi, quàm alij conjuncti, non tamen sunt immunes omnino à pœna; quæ omnia supradicta procedunt, etiam in casu dubio, videlicet an favens hæretico consanguineo, vel affini favorem præstiterit ob sanguinis coniunctionem, vel ob crimen hæresis; nam præsumptio facienda est excusans à culpa Ita Castr. Palaus *to.* 1. *tr.* 4. *disp.* 3. *punct.* 5. *n.* 13. qui citat Simancam & Graff. *loc. cit.* Fautores igitur hæreticorum, non ut hæretici sunt, sed quia affines amici, &c. maximè si sint bonæ vitæ, ad summum abiurant de levi & puniuntur leviter exilio, vel multa pecuniaria. Ex his infertur solutio illius quæstionis, an qui favet, recipit, consanguineos, affines hæreticos, incidat in pœnam excommunicationis latam in Bull. Cœn. contra fautores & receptores hæreticorum? Affirmativè respondet Suar. *de fide disp.* 24. *sect.* 1. *n.* 9. Sousa *in Bull. Cœn. cap.* 2. *disp.* 10. *num.* 5. Laym. *lib.* 2. *tract.* 1. *c.* 14. *n.* 5. Sanctarellus *de hæresi cap.* 12. *dub. un. n.* 3. & alij penes ipsos.

Sup. hoc in tom. 9. tr. 13. ex doctrin. ref. 6. signanter in fin §. 1. & ex Ref. 7. §. ult. per tot. signanter inter princ. & med.

4. Verùm ego negativæ sententiæ tanquam probabiliori adhæreo, quam tuetur Lorca *in* 2. 2. *D. Th. q.* 11. *art.* 4. *disp.* 48. *n.* 6. Peyrinus *in privil. Minim. to.* 2. *constit.* 9. *Pauli V.* §. 2. *num.* 7. Scortia *in Bull. Pontif. epit.* 9. *theor.* 27. Megala *in* 3. *p. lib.* 3. *c.* 1. *q.* 2. *n.* 27. Duardus *in Bull. Cœn. lib.* 2. *can.* 1. *q.* 29. & *q.* 31. *n.* 21. Azorius *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 15. *q.* 4. Sanchez *in summ. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 5. & alij penes ipsos. Ratio est, quia ad incurrendam fautoriam, requiritur intentio formalis favendi hæretico, quia hæreticus est, ut colligitur ex *c. accusatus*, §. *Sacerdotes*, *de hæret. in* 6. ibi, *cum non sit dubium eos ipsa facere in favorem hæreticæ pravitatis.*

5. In fine huius resolutionis restat inquirere, an fautores hæreticorum subjiciantur supradictis pœnis, licèt effectus fautoriæ sequutus non fuerit. Vt si, v. g. hæreticum domi recepit ut illum ab Inquisitoribus liberaret, at non potuit, quia delinquentem ibi inquisitores invenerunt? Item quis dedit pecuniam hæretico ut fugeret ne caperetur à ministris Inquisitorum, & hoc non obstante captus est? Quæritur, an in his & similibus casibus quis dicatur fautor hæreticorum, & in pœnas contra eos latas incurrat? Negativam sententiam tenet Sanchez *in summ. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 10. *n.* 9. & novissimè Bonacina *tom.* 3. *in Bull. Cœn. disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 3. *n.* 3. qui malè, ut fæpè facere solet, citat pro se Suarez & Filliucium. Ratio est, quia mandans percuti Clericum, non incurrit in excommunicationem, non sequuta percussione. Ergo &c. Secundò, quia quando aliquis effectus prohibetur sub excommunicatione, & minus principaliter prohibetur mandatum, vel consilium, vel favor, non incurritur excommunicatio ab eo, qui mandavit, vel consuluit, &c. nisi sequuto effectu. Tertiò favor prohibetur hæreticis ne in hæresi foveantur, sed qui non obtinuit effectum favoris, non favet hæretico in sua hæresi, etiamsi intenderit favere. Ergo non erit puniendus ut fautor.

6. At his non obstantibus, affirmativam sententiam tanquam probabiliorem teneo, quam tenet Suarez *de fide disp.* 24. *sect.* 1. *n.* 14 Sayrus & Graffius, quos citat & sequitur Castrus Palaus *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 3. *punct.* 5. *n.* 11. quibus ego addo Megalam *in* 3. *part. lib.* 3. *c.* 1. *q.* 2. *n.* 28 & Duardum *in Bull. Can. lib.* 2. *can.* 1. *q.* 31. *n.* 2. Et probatur primò, quia opinio contraria applicata casibus particularibus, videtur incredibilis, & cótra praxim, ut observat Suarez; nam qui non denunciat hæreticũ, cùm tenetur, excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrit, etiamsi alter denunciet, & consequenter prior non consequitur effectum; & idem est de illo, qui per testimonium falsum hæreticum procuravit liberare, & non potuit, quia per alios testes convictus est. Probatur secundò, quia favor hæretico prohibetur non ut hæresis committatur, sed ne hæresis commissa firmitatem habeat; sed hic effectus semper obtinetur quoties auxilium in favorem hæresis præstatur, saltem pro illo tempore, quo auxilium exhibetur, etiamsi auxilium postea impediatur ergo, &c.

7. Restat modò respondere ad argumenta Sanchez. Dico igitur ad primum cum Suarez quòd procedit, quando mandatum ordinatur ad executionem ejusdem delicti, v. g. homicidij; in nostro autem casu non est ita, nam favor per se non ordinatur ut alter committat hæresim, imò illam supponit, sed ad tuitionẽ hominis hæretici ordinatur, & ideo hoc delictum in suo genere est consummatum, quamvis effectus non sequatur. Ad secundum respondeo cum Duard. & Sayr. *de cens. lib.* 3. *c.* 5. *n.* 4. quòd æque principaliter excommunicantur in Bulla Cœnæ & aliis iuribus hæretici, ac eorum receptatores & fautores in detestationem hæresis. Vnde non rectè adducitur doctrina in argumento contrario adducta. Ad tertium iam patet responsio ex secunda ratione superiùs adducta pro nostra sententia.

8. Et

8. Et tandem discutiendum est hîc, an non revelantes hæreticos puniendi sint tanquam fautores? Affirmativè videtur respondendum ex Deciano *lib.5.c.51. n.25.* & Pegna *in direct.p.2. comm.78.* quia supradictos ut fautores hæreticorum, esse de hæresi vehementer suspectos, docet Alphonsus de Castro *de just.hæret.punit. lib.2.c.23.* Verùm personas nobiles esse tantùm de hæresi leviter suspectas, docet Michaël Zanardus *in direct. Theol.p.3.cap.134. fol.mihi 741.*

9. At his minimè suffragantibus, Antonius Sanctarellus *de hæresi cap.9.dub.un. num.19.* & Suarez *de fide disp.20.sect.4.n.28.* qui citat Simancam, docent supradictam sententiam non esse veram, nisi aliæ adsint circumstantiæ; unde inferunt, supradictos non esse puniendos pœnis latis contra fautores hæreticorum, sed aliis pœnis ad arbitrium DD. Inquisitorum, tanquam inobedientes eorum mandatis, & ideo nisi adsint, ut dictum est, aliæ circumstantiæ, puto supradictos, neque de hæresi suspectos esse, ut præter Sanctarellum & Suarez docet Io. Rojas *singul.3.n.18.* ubi sic ait: Qui non denunciat, vel revelat Inquisitori hæreticum, reputatur suspectus vehementer de hæresi secundùm Alphonsum de Castro, quæ sanè conclusio maximum rigorem in se continet. Sed in hoc casu, meo judicio, sustineri potest, si ultra scientiam & taciturnitatem prædictam cum hæretico conversatur, & ei est nimis familiaris & amicus, & tunc contra non denunciantem violenta oritur præsumptio. Ita Rojas. Vnde ex his à fortiori apparet, ut optimè notat Sanctarellus, falsam esse opinionem Pegnæ *in direct. p.3. comm. 160.* asserentis uxorem non denunciantem maritum hæreticum, esse de hæresi suspectam.

10. Verùm hæc opinio limitanda est in personis quæ ex officio, vel ex speciali præcepto tenentur denunciare, ut familiares, fiscus, testis non deponens contra hæreticum, cùm iustè ab Inquisitoribus interrogatur, &c. Vnde supradictæ personæ non denunciantes hæreticos, sunt de hæresi suspectæ, & tanquam hæreticorum fautores puniendæ. Et ita docet Sousa *in Bull.Cœn.c.2. disp.11.n.6.& seq.* Megala *in 3.p. lib.3. cap.1. q.2. n.31.* Suarez *de fide, disp.14. sect.1. n.6.* Sanchez *in summ. tom.1.lib.2 cap.10.n.15.* & alij penes ipsos. Vide etiam Sesse *tom.4.decis.474.n.17.*

11. Nota tamen quòd Castrus Pal. *tom.1.tr.4.disp.3. punct.5. n.7.* advertit multos Doctores à fautoria hæresis liberare, quando solùm ex speciali præcepto, & non ratione officij, tenetur quis præstare favorem, eo quòd non videatur adversùs iustitiam, sed solùm adversùs fidem peccare in omittendo talem favorem, & ita non esse fautores hæreticorum singulares personas quibus ex officio non incumbit favere, & hæresim extirpare, docet Farinacius *de hæresi, q.182.§.2.n.36.* Tamen hanc sententiam contra Farinacium, & alios puto rejiciendam esse. Vnde Sousa *in aphor.Inquis.lib.1.c.25. n.6.7.& 8.* sic ait: Personæ privatæ si à ministris requirantur ad favorem præstandum contra hæreticos, & cùm possint auxilium præstare omittunt, fautores hæreticorum sunt. Et qui testimonium contra hæreticos ferre nolunt, aut veritatem celant, vel diminutè manifestant, cum ad veritatem dicendam ab Inquisitoribus adstringantur, fautores etiam dicuntur. Hæc Sousa *loc. cit.*

RESOL. XXII.

De revocantibus confessiones?
Et quid de testibus revocantibus suam testificationem?
Sed superest difficultas, an Inquisitores stare debeant secundo dicto, etiam si testis neget hæresim, in primo dicto confessam? Ex p.4.tr.7.Res. etiam 22.

§.1. MIram rem docet insignis Inquisitor Didacus Cantera *in qq.crim.c.1. de hæret.n.70.* nempè, eum qui ex intervallo confessus est, non esse tradendum Curiæ sæculari, si confessionem suam revocavit, licèt de errore non doceat; quia negari non potest, quòdo per hanc revocationem aliquid diminuatur de fide confessionis, nisi saltem constaret ex conjecturis, quòd Confessio fuerit revocata ex malitia. Vnde Iacobus Simanca *tit.13. n.14.* sic ait. In judicio S. Inquisit. quocumque tempore, & modo reus Confessionem revocet, quamvis nec afferat causam probabilem, nec satis idoneam; admittitur tamen ejus revocatio, & sive pro eo, sive contra eum, extremæ confessioni statur; hæc enim est, quæ efficit ut reus pœnitens, sive impœnitens videatur, & hoc jure utimur. Ita Simanca.

2. Sed si hæc opinio esset vera, & sequenda, haberent hæretici securum iter ad effugiendam pœnam debitam, revocando sic suam confessionem, & ideo Trevisanus *lib.2. decis.31.* rectè vocavit impœnitentem illum, qui confessione jam facta illam revocat, non docto de errore; unde in tali casu semper præsumitur dolus, & malitia in reo, & sic evadit pœnas debitas. Igitur contra Cauteram dicendum est, reum revocantem suam confessionem, etiam ante reconciliationem, & non probantem errorem & causam, quare erravit, tradendum esse Curiæ sæculari, & hanc sententiam præter Io. Rojas *de hæret.p.2.assert.25.n.265.* tenet etiam Ioseph Sesse *tom.4.decis.472. n.7.* Antonius Sousa *in aphor.Inquisit.lib.2.cap.48.n.22.* ubi sic asserit. Impœnitens, & negativus censetur, qui hæresim confessus, factam confessionem ante adimpletam pœnitentiam revocat, non probans causam talis revocationis, & nisi resipiscat, tradendus est Curiæ sæculari. Ita ille. Vide etiam Farinacium *de hæresi q.188.n.75.* Verùm non est negandum, quòd si confessio incontinenti in præsentia judicis fuerit revocata, non nocebit confitenti, etiam non probato errore, quia lapsu linguæ & propter errorem præsumitur facta, & incontinenti dicitur revocatio facta, si reus esset adhuc in præsentia judicis; ut notat glos. *in ver. incontinenti, cap. præterea, de testib.* Secus autem intra triduum, ut aliqui voluerunt. Vide DD. citatos.

3. His tamen non obstantibus, in uno casu opinionem Canteræ libenter admitterem, nempe quando reus revocat aliqua non plenè contra illum probata ad excusandos complices affines, amicos, &c. & etiamsi sint plenè probata, dummodo confessus sit & confiteatur adversùs se hæresim consummatam, & alia de quibus non erat testificatus, in hoc enim casu rarò relaxandus erit, quod est valdè notandum pro hæreticis diminutis, & ita docet Inquisitor San Vincente *in manuscr. cap.5.num.3. cap.2 §.6.* & ratio est, quia reus in his casibus præsumitur illas res revocare, vel celare ex metu, vel alia de causa, & non ex malitia; cùm jam adversùs se testificatus sit in re tam gravi, ut est hæresis formalis, &c.

4. Notandum est etiam hîc obiter, quòd qui de hæresi factam confessionem revocat, post adimpletam pœnitentiam ut temerarius puniendus est Inquisitoris arbitrio, & nonnunquam fustibus castigari debet, addita comminatione gravioris pœnæ, si deinceps in eandem temeritatem inciderit; intellige dummodo in revocatione non persistat, nam si persistat, tradendus est ut impœnitens. Ita Sousa *in Aphor. Inquis. lib.1. c.48.n.23.*

5. Sed quia dictum est de reis revocantibus suam confessionem, non injucundum erit, incidenter hîc aliquid dicere de testibus revocantibus suam testificationem. Dico igitur, quòd licèt in aliis causis magis stetur primo dicto testis, quàm secundo, ut inter alios docet Dec. *cons.174.n.7.* at in causis fidei speciale est, ut stetur posteriori dicto testium, quando verisimilius est

ex coniecturis posteriora dicta esse veriora, & apparuerit testes non animi levitate, aut odij fomite, seu corruptione pecuniæ, sed zelo fidei dicta sua velle corrigere, & ita docet Covarr. *lib.2. var. cap.13. num.9.* Paris. *lib.4 consil.2.num.78.* Zanchinus *de hæret.cap.14. num.5.* Direct. Inquis. *part.3. quæst.65.* & *ibi* Pegna *comment.114.* Gundisalvus *de hæret. quæst.13.n.12.* & alij, quæ doctrina vera est, non solùm quando testes deponunt contra se, & contra complices suos, sed etiam quando deponunt contra alios, & ideo Arelatanus *de hæret.notab.13.* sic asserit: Si testis dixerit unũ in iudicio, & postea ex intervallo dixerit aliud in eodem iudicio, statur primo dicto, & non secundo. In crimine tamen hæresis, speciale est fidei favore, ut stetur ultimo dicto, unde quamvis testis primò dixerit aliquem esse innocentem, si postea dicat eum hæreticum, statur ultimo dicto, quamvis utrumque fuerit iudiciale. Ita ille.

6. Sed difficultas est, an Inquisitores debeant stare secundo dicto, etiamsi testis neget hæresim in primo dicto confessam? ego ut verum fatear, mihi non displicet opinio affirmativa Simancæ *tit.64. num.59. & seq.* & M. Antonij Delrij *in disquis. mag. lib. 5. sect.5.* quia in iudicio servanda est æqualitas, neque in tam gravi crimine favorabilior esse debet detectio hæresis, quàm liberatio innocentis, dummodo constet revocationem primi dicti factam esse non levitate, odio, aut pretio, sed zelo Catholicæ fidei, adducta etiam probabili causa revocationis, & correctionis.

7. Verùm his non obstantibus, quia contraria sententia est communis, ideo ab ea non recedo cum DD. citatis, quibus addo Sanctarellum *tract.de hæresi, c.38. dub.unic. num.12.* & Barbosam *in collect. tom.3. lib.5. tit.2.cap.8. num.17.* Dico igitur, quòd Inquisitores stare debent secundo dicto, cùm in secundo dicto testis hæresim, & delictum detegit, non verò si illud neget; cùm tamen in priori dicto hæresim & delictum manifestaverit, nam in tali casu priori, & non posteriori dicto erit fides habenda, quæ omnia prædantur *in cap. accusatus. §. licèt*, ibi *contra & alios complices deponendo junctis verbis præcedentibus tam de se, quàm de aliis super facto hæresis*, &c. Vnde Trevisanus *lib.2.decis.39. num.13* asseruit quòd in causis fidei sancitum est inter duo dicta iurata standum esse dicto, quod fidei favorem concernit.

RESOL. XXIII.

De Dogmatistis, & Hæresiarchis, & de pœnis, quibus supradicti sunt puniendi.

Et an vero in pœnam supradictis sit neganda Eucharistia?

Ex p.4.tr.7. Res.etiam 23.

§.1. HOs non esse tradendos Curiæ sæculari, si signa pœnitentiæ præbeant, tradit Cantera *in quæst.crimin. cap.1. de hæret. num.70.* Pegna *in direct. Inquis. part.2. comment.64.* & alii, ex *cap. ad abolendam, de hæret.* & ex *cap. Berengarius, de consecrat. dist.2.*

2. Verùm affirmativam sententiam tuetur Rojas *de hæret. part.2. num.339.* Simanca *tit.47. num.50. & seq.* Suarez *de fide disp.23. sect.2. num.10.* ubi hanc opinionem probat ex multis rationibus, & in hanc inclinat Lorca *in 2.2. quæst.11. art.4. disp.47. mem.5. num.7.* licèt *in fine*, asserat, quandoque conveniens esse supradictis pœnam mortis indulgere, & ideo hoc prudenti iudicio remittendum esse putat. Sousa tamen *in apposit. Inquis. lib.1. cap.9. num.14.* distinguit, sic enim ait: Si Dogmatista errorem suum postquam ab Inquisitoribus apprehenditur defendat, quamvis postea convertatur, non est recipiendus ad reconciliationem. Si tamen statim convertatur, & veræ conversionis ferè evidentia signa ostenderit, recipi potest. Sic ille. Sint ergo DD. Inquisitores multum cauti ad hanc reconciliationem concedendam, non est enim facilè credendum ex abysso impietatis quem repentè velle discedere. Vnde supradictis majores pœnitentias injungant, & præcipuè carceris irremissibilis, &c. & me consulente numquam tales ad reconciliationem admittant, si signa pœnitentiæ ostendant, quando jam Curiæ sæculari tradendi sunt; vel si Regibus & Principibus, ac eorum filiis persuaserunt errores, vel persuadere conati sunt. An verò in pœnam supradictis sit deneganda Eucharistia, affirmat Covarr. *lib.2. variar. cap.1. num.11.* & Cantera *in qq. crimin. cap.1. de hæret. num.13.* & alicubi est *in praxi.* Verùm ista praxis & talis opinio mihi displicet, unde puto non esse denegandum sacramentum Eucharistiæ Dogmatizantibus, vel Hæresiarchis, si verè pœnitentes sint; & ita docet Barbosa *in collect. tom.3. lib.5. tit.2.cap. 5. n.5.* Sanctarellus *tract. de hæresi, cap.42. dub.un. n.17.* Simanca *tit.63. num.7.* Suarez *de fide, disp.23. sect.2. num.12.* & Sousa *in Aphorism. Inquisit. lib.1. cap.10. num.18.* & colligitur ex *cap. super eo, de hæret. in 6.* nam licèt de relapsis in particulari loquatur, tamen ex identitate rationis ad omnes verè pœnitentes extenditur.

RESOL. XXIV.

De Hæreticis pœnitentibus, & de pœnis, quibus debent puniri.

Et an in aliquo casu veri pœnitentes non sint reconciliandi?

Et pro praxi adducuntur octo casus in textu hujus Resolutionis ex Bulla Clem. VIII.

Et an hæretici, si pœniteant in ipso tabulato tradendi sint Curiæ sæculari?

Et an, qui in tortura cum legitima ratihabitione confitetur delictum, sit ab Inquisitoribus reconciliandus? Ex p.4. tract.7. Res.etiam 24.

§.1. ABiuratio horum est de formali, quoad alias verò pœnas audiamus dictum Io. Rojas *de hæret. part.2. num.197. & seq.* ubi sic ait, Quamvis in omni iudicij parte hæreticorum conversio, & eorum confessio sit admittenda; tamen qui in limine iudicij ante accusationem confitetur, ad carcerem temporalem cum habitu pœnitentiali pro brevi tempore est condemnandus; si verò post accusationem, augenda erit pœna & pœnitentia; qui verò post publicationem testium hæreses confitetur, ad perpetuum carcerem damnandus est, quia præsumitur, quòd meru probationum confitetur, & talis conversio non caret suspicione, & in omnibus casibus supradictis bona publicantur. Ita ille; & Inquisitor San Vincente *in manuse. cap.2.§.14.* sic ait: [Si el Reo confesso antes de la publicaçion se le da dos años, o uno de carçel y aun menos si confiessa en las primeras audiençias,] & loquitur de hæretico formali. Vide etiam Simancam *in Enchir. tit.58. num.7. & in Instit. Cathol. tit.47. num.29. & seq.* Pegnam *in direct. part.3. comment.142.* & alios penes ipsos, & *in cap. excommunicamus, el 2, de hæret.* sic habetur. Si qui autem de prædictis postquam fuerint deprehensi, redire voluerint ad agendam pœnitentiam, in perpetuo carcere damnentur, & *ibi* glossa cum Abbate, Butrio & aliis communiter, & hanc pœnam perpetui carceris observatam fuisse Cremonæ cum quodam hæretico pœnitente, testatur Bossius *tit. de hæret. num.18.* & sic etiam determinat instructio Tolerana *anno 1561. cap.41.* Non nego tamen hunc perpetuum carcerem Inquisitores ex iusta causa mitigare, & solùm ad tempus imponere posse, ut ex multis

DD.

DD. obſervat Caſtr. Palaus *tom.1. tract.4. diſputat.6. punct.1.num.2.* Imò ego obſervo hanc pœnam perpetui carceris ex ſtylo Inquiſit.Rom.in pœnam remi triennalis tranſiiſſe, ut teſtatur ex Farinac Aloyſius Barjola *in Aphor.lit.H.ver.hæretici nec ſponte comparentes*, ſed decepti ſunt ; verùm hoc obſervari in Inquiſitione Hiſpanica teſtatur Io. Rojas Inquiſitor Valentinus *ubi ſupr.part.2.de hæret.n.203.* ubi ſic aſſerit:Hodie verò loco carceris perpetui hæretici ad triremes condemnantur,dummodo debiles,& ſenes non ſint,& hujuſmodi condemnatio ſit non ad minus , quàm ad triennium. Ita ille. Sed ego invenio apud Vmbertum Locatum *in caſib. Inquiſitionis deciſis Placentiæ, caſ.3.* quemdam hæreticum pœnitentem damnatum fuiſſe ad triremes per quinquennium , unde puto hoc remittendum eſſe arbitrio Inquiſitorum. Cùm igitur DD. Inquiſitores hanc pœnam perpetui carceris ante latam ſententiam poſſint mitigare , & ad tempus Imponere, aut in alias extraordinarias pœnas convertere , ut patet *in inſtruct. Hiſpal. anno* 1484. *§.11. & in cap.ut commiſſi , de hæret.in 6.* ibi , *& illorum qui veſtris mandatis* , &c. juncta gloſſ. *& ibid.* Canoniſtæ cum Iulio Claro *lib.1. §. hæreſis , num.8.* Ideo in noſtra Inquiſitione cum Nobilibus , vel aliis ſibi bene viſis perſonis , qui ad triremes damnari non poſſunt, nec debent ; penſatis eorum qualitatibus, circumſtantiis delicti,&c.pœnam carceris cum exilio,deportatione , detruſione in aliquo Monaſterio , vel alia pœna ad tempus commutabunt.Vnde Decianus *lib.5.cap.54. numero 45.* agens de hæreticis pœnitentibus , ſic ait : Pœnitentiæ qualitas & quantitas arbitrio judicis eſt relinquenda , cùm majori pœna digni ſint prudentes , quàm ſimplices, & majori clerici, quàm laici,& majori Prælati, quàm ſubditi,quod ante docuerat Pegna *in direct. part.3.comm.142.* & Campegius *in addit. ad Zanchinum de hæret. cap. 41.* cum Barjola *ubi ſupra.* Adverte tamen cum Rojas *part.2 de haret.n.318.* puberes hæreticos pœnitentes reconciliandos eſſe, ſed in pœnis , de quibus dictum eſt ætati ſubveniendum eſſe. Dixi *ante latam ſententiam* , quia poſtquam reus eſt condemnatus in Inquiſitione Hiſpanica , ex privilegio commutatio , ſeu relaxatio pœnæ ſpectat ad Summum Inquiſitorem. Vide Rojas *ſingul.115. num.5.* Pegna *part. 3. comm.108.* & Simanca *titul.16. num.20.*

2. Notandum eſt tamen hîc cum Sanctarello *de hæreſi cap. 42. dub. unic. num. 5.* Scortia *in Bull. Pontif. epit.10. theor.36.* Genuenſe *in praxi Archiep. cap.58. num.7.* Zanardo *in direct. Theol. p.1. prec.1.cap.5.§.11.* Naldo *in ſum.ver.hæreſis, num.7.* & aliis ex Bulla Clement. VIII. *die 3. Febr. an.* 1603. quòd in aliquibus caſibus etiam veri pœnitentes non reconciliantur.Primus eſt, Miſſas celebrantes non Presbiteri.Secundus, non Presbyteri confeſſiones audientes. Tertius , negantes Trinitatem perſonarum in divinis. Quartus , negantes divinitatem Chriſti Domini. Quintus , negantes Chriſtum conceptum de Spiritu ſancto. Sextus, negantes Chriſti mortem , ut nos redimeret. Septimus , negantes S. Matiæ virginitatem. Octavus , Magiſtratus, ſeu Domini Eccleſiaſtici,vel temporales ſchiſmatici , aut hæretici , ſeu hæreſim , aut ſchiſma excitantes. Sed de primo & ſecundo caſu ſuperiùs diximus.& omnes non eſſe receptos in Inquiſitione Luſitana , teſtatur Souſa *in aphor. Inquiſit. lib. 2. cap.49. num.6.*

Superius in Ref.11 & 12. hujus tract.

3. Sed reſtat hîc inquirere , an hæretici ſi pœniteant in ipſo tabulato , tradendi ſunt Curiæ ſæculari ? Ad hunc caſum ita reſpondet inſtructio Toletana *anno* 1561. *num.64.* [Muchas vezes los Inquiſidores sacan al tablado reos , que por eſtar negativos ſe determinan relaxarlos , y porque en el tablado antes de la ſentençia ſe convierten , y dizen ſus culpas los reciben à reconſiliaçion,y ſobreſeen la determinaçion de ſus cauſas, y pareçe coſa muy peligroſa , y que ſe deve ſoſpechar lo hagan mas por temor de la muerte que con verdadero arrepentimiento , pareçe que ſe debe hazer pocas vezes, y con muy particulares conſideraçiones,] & ad ornatum ſupradictorum verborum videndus eſt Rojas *de hæret. part.2. num. 198. & ſeq.* cum Pegna *in direct. part.3. comm.175.* ubi ſic ait. Plurimum conſiderandum eſt, qualiter recipi debeant hi, qui in tabulato,aut in Eccleſia in publicam fidei actionem ſunt producti , convertuntur , qui potius metu inſtantis mortis , quàm amore veræ pœnitentiæ converti videntur , quamobrem cum negativis hæc rarò fieri debere , & non niſi cum exquiſitiſſimis conſiderationibus , nollem certè unquam in hoc ſacro Tribunali miſericordiam excludere ; verumtamen ubi malitiam perfidorum hujuſmodi contemptor,auderem dicère juſtiſſimè fieri ſi locus miſericordiæ pareret reis donec à carceribus Inquiſitorum educerentur, & poſtea nullo modo audirentur , præſertim cùm tantùm , & tamdiu laboratum ſit in eorum converſione , quia tamen nondum damnationis ſententia eſt promulgata , ideo in hoc crimine uſque ad id tempus locus eſt pœnitentiæ , & propterea ſententia prior tutior eſt , ſed altera fortaſſe juſtior , ſpectata perfidorum iniquitate , & ſera pœnitentia. Hæc omnia Pegna. Itaque ſi in aliquo caſu Inquiſitores viderint ſpecialiſſima converſionis ſigna , poterunt reum ad reconciliationem admittère,quia id videtur pietati & miſericordiæ Eccleſiæ convenire. Vide Decianum *lib.5. cap.39.n.5.* Farinacium *quæſt.193. n.60.* Rojas *ubi ſuprà* , & alios penes ipſos.

4. Non deſinam etiam adnotare id quod obſervat Souſa *in aphor. Inquiſ. lib.2. cap.34. n.8.* ubi ſic ait : Poſt latam ſententiam, & publicatam , an reconciliari hæreticus poſſit , Inquiſitorum determinationi relinquitur; rarò tamen reconciliari debet,maximè jam ſi traditus ſit Curiæ ſæculari.Ita ille , qui citat Pegnam, Decianum,& Farinacium,quod eſt valdè notandum. Verùm oritur etiam hîc aliud dubium , an qui in tortura cum legitima ratihabitione confitetur delictum,ſit à DD.Inquiſitoribus reconciliandus ? negativè olim ſtatutum fuit in inſtruct. Hiſpal. *an.* 1484. *n.15.* ubi ſic habetur. [Si los Inquiſidores con el ordinario juntamente deliberaron de poner el acuſado a queſtion de tormento y en el dicho tormento confeſſare el delito , y deſpues de quitado del dicho tormento ex intervallo conviene à ſaber el dia ſiguiente, o tercero dia ratificare la dicha ſu confeſſion en juizio, eſte tal ſea punido como convinto.] Sic ibi,& ita etiam docuerat Sylvanus *conſ.89.* Sed adversùs illum, & meritò , inſurgit Simanca *in enchirid. tit.58. n.14.* ubi ita aſſerit ; Pluſculum dubitationis habet cùm confeſſio vi adhibita , id eſt, tormentis extorquetur , ſed reus eam ratam habet, ſponte quidem id facit, atque adeò recipiendus eſt , quemadmodum omnium conſenſu receptum , & rectiſſimè uſitatum eſt contra Sylvanum. Ita ille.

5. Vnde meritò id quod præcipiebatur *in ſupradicta inſtructione Hiſpal.* poſtea revocatum fuit per inſtruct. Tolet. *an.* 1561. ubi *num.13.* ſic habetur : [Paſſadas veynte y quatro horas deſpues del tormento ſe ha de ratificar el Reo en ſus Confeſſiones y en caſo que las revoque uſar ſe ha de los remedios del derecho y al tiempo,que el tormento ſe da el notario deve aſſentar la hora,y aſſi meſmo la ratificaçion porque ſi ſe hiziere en el dia ſiguiente no venga en duda ſi es deſpues de las veynte y quatro horas , o antes y ratificandoſe el Reo en ſus confeſſiones y ſatisfechos los Inquiſidores de ſu buena confeſſion,y converſion podranle admitir

à reconciliaçion sin embargo que ayan confessado en el tormento. Dado que en la instruçion de Sevilla del año 1484. en el capit. quinze se dispone que el confitente en el tormento sea havido por convençido cuya pœna es relaxaçion. Pero loque a qui se dispone esta mas en estilo, toda via los Inquisitores deven mucho advertir como reciben à los semejantes y la calidad de heregias que huvieren confessado, y se las aprendieron de otros, o si las han enseñado à otros algunos por el peligro que de lo semejante puede resultar.] Sic ibi & ad confirmationem supradictorum vide Rojas *de hæret. p.2. n.292.* ubi ex aliis juribus & Doctoribus probat, quòd si reus in tortura hæresim confiteatur cum legitima ratihabitione reconciliandus sit; proinde hujusmodi confessio est, ac si libera, & spontanea fuisset.

RESOL. XXV.

De Hæreticis impœnitentibus, & de pœnis, quibus supradicti merentur puniri.

Et explanatur, quid est faciendum de diminuto, qui confitetur de se, non tamen omnes errores? Ex p.4.tr.7. Resol.etiam 25.

§.1. Esse supradictos puniendos pœna mortis, patet ex *cap. ad abolendam, de hæret.* Sed pro tali casu apponam hic verba instruct. Tolet. *anno 1561. n.43.* sic habetur.[Quando el Reo estuviere negativo y le fuere provado legitimamente el delicto de heregia de que es acusado o estuviere herege protervo y pertinaz cosa manifesta es de derecho que no puede dexar de ser relaxado à la Curia y braço seglar. Però en tal caso deven mucho mirar los Inquisidores su conversion para que a los menos muera con conoçimiẽto de Dios, en lo qual los Inquisidores haran todo lo que Christianamente pudieren,] & diligentias faciendas à DD. Inquisitoribus in tali casu optimè tradit Camillus Campegius *in annot. ad Zanchinum de hæret. c.16. lit. A.* si tamen post adhibitas dictas diligentias hæretici pertinaces convertantur, admittuntur ad reconciliationem sicuti alij hæretici non relapsi, quia tamen talis conversio præsumi potest metu mortis facta, perpetuò sunt immutandi; & si sunt in aliquo Ordine, priùs degradentur, & hæc degradatio de jure debet esse realis, attamen secundùm introductam consuetudinem verbalis sufficit, & hæc omnia docet Sousa *in Aphorism. Inquisit. lib.2. cap.46. num.6.* Eadem pœna mortis etiam imponitur, ut patet in verbis dictæ instruct. Tolet hæreticis fictione juris impœnitentibus, ut sunt ij qui legitimis testibus convicti negant hæresim commisisse; quidquid in contrariem asserat Boërius *decis. 341. num.4.* ubi nimis audactet loquitur contra Dominos Rotæ Romanæ, & Iul. Clarus *lib.5. §. hæresis, n.10.* licèt se remittat determinationi Ecclesiæ.

2. Sed affirmativam sententiam esse veram, communis praxis omnium Inquisitorum demonstrat, & illam docent Ioseph Sesse *tom.4. decis.445. num.15.* Lorca *in 2.2. D. Thom. disp.47. num.20.* Albertinus *quæst.8. num.7.& seqq.* cum aliis penes ipsos, non enim indulgenda est venia, ei qui non cognoscit peccatum suum, & potiùs testibus quibus reus convictus est, quàm ipsi reo in proprio facto fides adhibenda est, & ideo instructio Hispal. *anno 1484. n.14.* sic habet. [Si alguno siendo inquirido del dicho delitto de heregia lo negare y persistiere en su negativa, hasta la sentençia, y el dicho delitto fuere cumplidamente provado contra el, como quiera que el tal acusado confesse la fe Catholica, y diga que siempre fue Christiano, y lo es, lo deven y pueden declarar y condenar por herege, pues juridicamente consta del delitto, y el Reo no satisfaçe devidamente a la Yglesia, para que lo absuelva, y con el use de misericordia pues no confiessa su error. Pero en tal caso los Inquisidores deven mucho catar y examinar los testigos, y procurar de saber que personas son, y si depusieron con odio y mal querençia o por otra mala corrupçion y repreguntarles con mucha diligençia y haver informacion de ottos testigos cerca de la conversaçion, y fama, y consciencia de los testigos, que deponen contra el acusado, loqual remitte à sus consciençias.] Sic ibi, quæ omnia in casu occurrenti diligenter in hoc sacro Tribunali à DD. Inquisitoribus observantur. Sed hæc opinio limitatur, quando reus in negativa præsisteret, & præsumeretur oblivio. Ita Albertin. *q.34. n.52.* Rojas *de hæret. p.1. num.84.* Sed difficultas est, quando oblivio præsumatur; Pegna *in direct. Inquis. part.2. comment.59.* putat non præsumi in factis arduis. Vide instruct. Hispal. *anno 1484. §.13.* ibi, [especialmente en cosas y actos graves y señalados, &c.] & in atrocibus, & horrendis etiam post longum tempus, & idem dicendum est de factis, aut dictis solitis & consuetis, licet ardua non sint, & in iis quæ semper delinquentes comitantur. In cæteris verò causis, quæ insignes & arduæ non sunt nec solitæ & consuetæ, neque delinquentem comitantur, decennio regulariter reputatur oblivio, nisi aliter Inquisitoribus visum fuerit, pensata delicti & personarum circumstantiarúmque qualitate. Ex quibus infertur confitentem diminutum, & negativum esse Curiæ sæculari tradendum, & ideo Sousa *in aphor. Inquis. lib.2.c.48.num.11.& seq.* sic ait: Diminutus qui confitetur de se, non tamen omnes suos errores, nec omnes complices revelavit, tradendus est Curiæ sæculari, dummodo circa illa non præsumatur oblivio, & diminutio plenè probetur. Si diminutio verò non plenè probetur, & considerabilis sit ac non modica, danda est reo tortura juxta probationis qualitatem. Diminutus similiter censetur, qui non confitetur omnes qualitates, quæ respiciunt veram & formatam hæresim; & item, qui non confitetur tempus errorum, quando oblivio nullo modo præsumitur, sed malitia. Circa tempus à parte ante facilè saltem regulariter præsumi potest oblivio, complicum oblivisci posse reum præsumendum est si remoti sint, & cum quibus semel, vel rarò conversabatur, præsertim si confitetur de consanguineis, & propinquis. Item sit confiteatur præcipuos errores, aut circumstantias & qualitates illorum, minores verò taceat, præsumi potest oblivio. Hæc omnia Sousa. Vide Sesse *ubi infra, & decis.445. num.16. & decis.446.* Verùm Io. Rojas *de hæret. part.2. num.242.* putat reum qui alios complices, vel omne delicti tempus non revelat, non esse diminutum, quia non est verisimile, quòd qui delictum suum ingenuè confitetur partem temporis, cum sit res minoris momenti, occultet, vel alios hæreticos non manifestet. Ita Rojas, & post illum Sesse *tom.4. decis.453. num.7.* & quoad manifestationem complicum observat Castrus Palaus *tom.1. tract.4. disput.6. punct.2. numero 5.* de illo, qui omnes suos errores fateretur, recusat tamen manifestare aliorum errores, quorum convincitur habere notitiam, existimare aliquos non esse ut impœnitentiam, existimare aliquos non esse ut impœnitentem hæreticum damnandum, quia ex hac occultatione solùm convincitur fautor hæreticorum esse, non autem verus hæreticus. Ergo non debet ut verus hæreticus, & impœnitens condemnari; & ita asserit Castrus se audivisse in Inquisitionibus Castellæ practicari, & propter hanc caulam torqueri. Sed ipse putat talem ut hæreticum impœni

impœnitentem posse damnari. Vide Suarez *de fide, disp. 23. sect. 2. num. 6.* Paramum *lib. 3. quæst. 9. n. 193. & seq.* Simancam *tit. 48. n. 27. & 28.* cum aliis penes ipsos, Et tandem non desinam hic apponere verba Didaci Canteræ *in qq. crim. cap. 1. de hæret. n. 57.* ubi sic ait: Vt quis relaxetur ex diminutionibus, est valdè considerandum quòd sint multum claræ, & constet quòd ex malitia hæreticus non vult dicere & declarare illud, in quo est diminutus, & ideo in consil. supr. Inquisitionis, maxima cum maturitate fuit mandatum, quòd propter diminutionem nemo capiatur, (puto corrigendum esse *nemo damnetur*) sine consultatione ipsiusmet Consilij, Ita Cantera, quem sequitur Freytas *in editione noviss. de Confess. solic. quæst. 22. num. 57.* ubi *num. 58.* pro praxi circa præsentem materiam sic ait: Aut diminutio est minima, quia diminutus non in totum satisfacit testificationi; & tunc admittendus est ad misericordiam, nec torquendus. Aut est diminutio maxima, & legitimè probata,, & tunc torqueri potest præmissa supremi Consilij consultatione. Ita ille, qui etiam *num. 60.* addit, quòd Doctores dum de diminutis agunt,, comprehendunt, & explicant etiam in complicibus; dum verò agunt de relaxandis diminutis, exemplificant & restringunt se ad diminutos, circa errores & hæreses de quibus convincuntur, & ideò sentiunt hunc, vel illum complicem omittere, nisi sit Magister, pertinere ad minorem diminutionem, unde cautè Inquisitores in his se gerere debent. Hæc Freytas, quæ valdè sunt notanda.

RESOL. XXVI.

De Hæreticis relapsis.

Et an Inquisitores debeant illos admittere, si sponte redeant, & pœnam mortis relaxare?

Et an Inquisitores possint damnare aliquem tanquam relapsum, qui post abjuratam hæresim redditur de secundo lapsu vehementer suspectus?

Et an supradictis relapsis danda sit Eucharistia?

Et notatur, quod datur casus in quo relapsus ex misericordia iterum reconciliatur? & quod non possunt Inquisitores tradere Curiæ sæculari relapsum, inconsulto Supremo Senatu? Ex part. 4. tract. 7. Resol. etiam 26.

Quoad hoc inf. lege §. ult. Ref. 33.

§. 1. SVppono si relapsi sponte redeant, Inquisitores debere illos admittere, & pœnam mortis relaxare. Ita Menochius *lib. 1. cons. 82. num. 168.* Pegna *in direct. Inquis. part. 3. comm. 12.* Vmbertus Locatus *in praxi Inquis. ver. abjurare num. 4.* & alij, quidquid in contrarium asserat Rojas *de hæret. part. 2. num. 32.* Ille verò dicitur sponte comparere & redire, qui in judicio non prævento comparet coram Inquisitoribus, nam si hæreticus relapsus timet, ne ab aliquibus apud Inquisitores accusetur, vel facilè id prævidere potest, tunc non dicitur sponte redire ad Ecclesiam, sed potiùs ex metu, & tunc relaxandus est Curiæ sæculari. Ita Paramus *lib. 3. q. 4. n. 12.* Barbosa *in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 7. cap. 9. num. 21.* Sanctarellus *tract. de hæresi cap. 42. num. 17.* Decianus *lib. 5. cap. 56. n. 12.* & alij. Sed praxis observat, ut ad relapsos pœnitentes mittantur duo, vel tres Ecclesiastici viri, qui eos in fidei veritate confirment, ad patientiam exhortentur in morte, quæ excusari non potest, ex *cap. ad abolendam, §. illos quoque, de hæret.* tunc recipiant Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, ut dicemus, & post duos, vel tres dies Curiæ sæculari tradantur. Cæteros verò casus in quibus aliquis dicatur relapsus, non est nostrum inquirere, illos per extensum ponit Sanctarellus *tract. de hæresi cap. 42. dub. un. per tot.*

2. Solùm hîc in gratiam curiosorum quæro, an Inquisitores possint damnare tanquam relapsum, qui post abjuratam hæresim redditur de secundo lapsu vehementer suspectus? negativè respondet Rojas *de hæret. part. 2. num. 333.* Sanctarellus *tract. de hæresi capite 42. dub. unic. num. 9.* Trevisanus *lib. 2. decis. 37. per totam*, Suarez *de fide disp. 24. sect. 2. num. 7.* & hanc opinionem servari in Inquisitione Lusitana, testatur Sousa *in aphorism. Inquisit. lib. 2. cap. 45. num. 3.* quæ opinio procedit, quando vehemens suspicio oritur ex actu plenè probato, ex quo talis resultat præsumptio, non verò quando solùm ex defectu plenæ probationis. Non desunt tamen DD. quos citat & sequitur Castrus Palaus *tract. 4. disp. 6. punct. 2. num. 9.* assentes affirmativam sententiam, & tenentes supradictum esse relapsum, & afficiendum pœnis latis contra relapsos. Et ideo ego observo (nemine hoc advertente) apud Didacum Canteram *in quæst. crimin. capo. de hæret. numero 58.* quòd in Consilio supr. Inquisitionis fuit practicatus quidam casus, ex quo apparet, quòd si quis sit primò realiter hæreticus, & reconciliatus, licèt secundò sit præsumptus hæreticus, & sit lapsus præsumptus, debet judicari relapsus. Verùm, quia casus ille fuit particularis; ego adversùs Castrum non recederem à prima sententia negativa, quam etiam Farinacius *q. 195. §. 1. n. 18.* asserit servari per Inquisitores Italiæ. Nota verò, quòd relapsi antequam relaxentur torquendi sunt in caput alienum, si adsit semiplena probatio, quòd deliquerint cum complicibus, & si relapsus est in aliquo ordine constitutus, priùs est realiter degradandus ab Episcopo, & postea tradendus curiæ sæculari. Ita Sousa *in aphor. lib. 2. cap. 45. n. 20.* qui *n. 18.* docet etiam supradictis relapsis dandam esse Eucharistiam, quidquid in praxi alibi observetur. Et tandem.

3. Nota quòd datur casus in quo relapsus ex misericordia iterum reconciliatur, quem vide *supra in cap. 1. quæst. 8.* Non posse autem Inquisitores tradere relapsos Curiæ sæculari inconsulto Supremo Senatu, statuitur *in instruct. Toletana anno 1561. n. 66.* & tradit Molina *de just. tr. 5. disp. 8. n. 14.*

Sup. hoc in §. not. præteritæ.

RESOL. XXVII.

De hæreticis absentibus, & de pœnis supradictis ferendis?

Et notatur, quod in crimine hæresis prò absente citato Procurator comparens admittitur, ut defensor innocentiæ, dummodo res sit dubia, & reus sit tantum de hæresi suspectus?

Et an Inquisitores, si post annum contumaces compareant, debeant illos audire, etiam quoad bona eorum confiscata?

Et aliqua alia circa bona eorum, quæruntur, & notantur. Ex p. 4. tr. 7. Ref. etiam 27.

§. 1. DEprehensus in hæresi confessione propria facti evidentia, vel testium legitima productione, si se absentet, & legitimè citatus non compareat, tradendus est Curiæ sæculari tanquam verus hæreticus contumax, & impœnitens; citandus est tamen in tali casu peremptoriè ad omnia & singula judicij acta ut infra triginta dies compareat, aliàs quòd sua causa usque ad finalem sententiam judicabitur: in singulis autem edicti terminis fiscalis libellum accusatoris edat, & cùm terminus fuerit elapsus, ad sententiam publicam proceditur, & ejus statua comburitur. Si verò non sit de hæresi convictus, sed solummodo invenitur leviter de hæresi suspectus, citandus est ad modum explicatum, addita excommunicatione,

ut

ut comparet; ipsius autem non comparentis contumaciam accuset fiscalis, & per litteras, seu libellos agravatorios, quibus denuncietur ejus contumacia, & tunc post annum non comparentem declarent illum Inquisitores hæreticum. Hæc omnia Sousa *in aphor. Inquis. lib.2. cap.49. n.2.5.& 6.* Simanca *tit.46.* Pegna *in direct. p.3. comm.49.& 91.* Farinacius *quæst.190.§.12. num.21.* & alij.

Sup. hoc sup. in tr.10. Res. 124.

2. Sed hîc oritur pulchrum dubium, an Inquisitores, si post annum absentes contumaces compareant, debeant illos audire etiam quoad bona confiscata? Affirmativè respondet Scaccia *de judic. & c. lib.1. cap.98. num.34.* & Farinacius *de hæresi quæst.85. numero 109.* ubi testatur in Inquisitione Romana servari quod quandocumque contumaces sponte compareant, semper audiuntur, & quoad personam & quoad bona.

3. Verùm contrarium observatur in Inquisitione Hispanica quoad bona, nisi de ejus innocentia, vel legitimo impedimento constiterit, & ita tenet Simanca *tit.2. num.21.* Paramus *lib.3. quæst.4. num.47.* Pegna *in direct. part.3. comm.49.* Io. Rojas *singul.145. num.5.* Sanchez *in sum. tom.1. lib.2. cap.20. num.27.* & Sousa *in Aphor. Inquis. lib.2. cap.49. n.7.* ubi sic ait: Qui elapso anno contumaciter in excommunicatione perseveravit, etiamsi coactus & post combustam ejus statuam comparuerit, audiendus est quantum ad excusationem criminis, & probationem innocentiæ, non verò ad hoc ut bona recuperet, nisi vel de innocentia ejus, vel de justo impedimento legitimè concilietur præmissa abjuratione prout juris fuerit, nisi sit relapsus. Ita ille. Et rationem quare tales non audiantur quoad bona, tradit Sanchez *ubi suprà*, quia quando bona ob contumaciam hæretici absentis publicantur, elapso jam anno transeunt in rem judicatam, & ideo non est mirum si postea reus comparens circa illa non audiatur.

4. Notandum est tamen hîc obiter cum Simanca *tit.52. num.4.* Farinacio *q.185. §.7. n.98. & 99.* Sousa *ubi suprà, num.11* quòd in crimine hæresis pro absente citato Procurator comparens admittitur, ut defensor innocentiæ, commodo res si dubia, & sit tantùm de hæresi suspectus. Nam si verè sit hæreticus, ac de ejus hæresi in processu constet, tunc non admittitur ut defensor, sed tantùm ad excusandam contumaciam, & allegandas absentiæ causas, propter quas aliquando Inquisitores solent prorogare terminum ad comparendum, & ita Castrus Palaus *tract.4. disp.8. punct.16. §.3. num.2.* testatur in Inquisitione Compostellana *anno* 1619. ex decreto supremi Senatus fuisse prorogatum terminum cuidam reo per quatuor menses.

5. Nota etiam quòd bona absentium in tertium possessorem translata, licèt de rigore juris sequestrari non debeant, si tamen paulo ante citationem fuga præcessit, probabique facilè possit quæ bona sint, sequestrari debent, & ita responsum fuit à supremo Inquisitionis Senatu Inquisitoribus Galleciæ *anno* 1620.

6. Sed etiam non est omittenda hic celebris illa quæstio, an bona supradictorum reorum, propter contumaciam debeant ab Inquisitoribus publicari à die quo testes deponunt illos in hæresim incidisse, vel potiùs à die qua per sententiam contumaces declarantur? Olim mordicus sustinebam, talem confiscationem bonorum debere fieri à die latæ sententiæ in contumaciam delicti, ex rationibus quas adducit Gabriel Quemada *in quæst. fiscalibus, quæst.8. per totam.* Sanchez *in summ. tom.1. lib.2. cap.22. num.35.* Vasquez *in 1.2. quæst.96. art.5. disp.170. toto cap.3.* Molina *de justit. tom.1. disp.95.* Henriquez *lib.13. cap.56. num.2.* Avila *de cens. part.1. dub.7.* & Simanca *tit.9. num.26.* ubi sic ait: Bona ejus, qui deficit in purgatione, aut propter contumaciam damnatus est, non publicantur nisi ab eo die, quo hæreticus esse præsumitur, non autem à tempore, quo testes aiunt illum fuisse hæreticum, atque hæc opinio benigna interpretatione recepta est. Sic ille. Sed licèt, ut dixi, hanc sententiam olim mordicus sustinebam, attamen modo contrariam probabilissimam esse puto, quam novissimè tuetur Farinacius, quem citat & sequitur Castrus Palaus *tract.4. disp.5. punct.22. num.2.* quibus ego addo Azorium *tom.1. lib.5. cap.7. quæst.2. & lib.8. cap.12.9.2.* Sayrum *in Clavi Regia lib.3. cap.9. num.30.* Menochium *consil.185. num.8.* Peregrinum *de jure fisci lib.5. tit.1. num.176.* & Lessium *lib.2. cap.29. dub.8. num.64.* & ita in praxi observatum fuisse in Inquisitione Galleciæ, hoc approbante supremo Inquisitionis Consilio, testatur Inquisitor San Vincente *in manuscript.* quod est valdè notandum pro casibus occurrentibus.

RESOL. XXVIII.

De hæreticis defunctis, & quomodo contra supradictos debeant Inquisitores procedere; & quonodo & quando, & in quibus casibus, & circumstantiis eorum bona fisco sint applicanda, & aliqua alia circa supradicta notantur. Ex p.4. tr.7. Res. etiam 28.

§.1. Licèt omnia crimina morte extinguantur, ex *l. defuncto, ff. de publicis judiciis*; non tamen crimen hæresis extinguitur, & ideo contra hæreticum post mortem possunt DD. Inquisitores procedere, ut affirmant Doctores, quos citat & sequitur Sanctarellus *de hæresi cap.27. dub.1. numer.12.* Igitur formato processu si hæresis est plenè probata, hæreticus mortuus damnandus est, & ejus bona fisco sunt applicanda, etiamsi devenerint in manus tertij possessoris, & si ejus ossa à Catholicis possunt distingui, exhumanda sunt, & ejus statua comburenda. Si tamen non probetur ejus delictum, neque speretur brevi probandum, tunc erit absolvendus, nam supervenientibus novis probationibus quæ cùm prioribus junctis hæresim plenè probent, poterit sic absolutus condemnari, ut notat optimè Pegna *in direct. part.3. comment.92.* qui etiam optimè notat quòd dum causa hæretici movi agitur, bona ejus non sunt sequestranda à tertiis possessoribus, non enim debent in casu dubij illorum usu privari; & ideo *in instruct. Tolet. anno* 1561. *n.81.* habentur hæc verba. [Aunque la probança contra el difunto sea bastante y evidente no se ha de hazer sequestro de bienes porque estan en poder de terceros possedores, &c.

2. Notandum est tamen hîc quòd hæreticus defunctus condemnari non potest nisi priùs citatis filiis, vel hæredibus, sive præsentibus, sive absentibus, sive certis, sive incertis, & illis danda est copia indiciorum & accusationum; sic statuitur *in instruct. Tolet. anno* 1561. *num.61.* ibi. [Notificar se ha la acusacion del fiscal à los hijos o herederos del difunto, &c.] & ita etiam docet Pegna *ubi suprà*, cui addendus est Decianus *in tract. crim. lib.5. cap.57. n.8.* qui filij & hæredes non tenentur per se comparere, sed sufficit si per procuratorem comparent, ut notat Simanca *in cathol. instit. tit.43. num.3.* Imò ego puto contra Rojas *singul.39.* quòd quilibet è populo volens defendere hæreticum defunctum, admittendus sit, neque ob id dici potest hæreticorum defensor, & ita docet Gundisalvus *de hæret. quæst.12. n.9.* Simanca *in enchir. tit.62. n.8.* & alij *ubi suprà*.

3. Adver

3. Advertant etiam DD. Inquisitores quòd procedere non debent contra memoriam defuncti priusquam de illius hæresi planè constiterit per legitimas probationes, quæ ad condemnationem sufficiant, & ita intelligenda est instructio Toletana *anno* 1561. *numero* 61. ubi dicitur, [Quando se huviere de proceder contra la memoria de algun difunto haviendo la probança bastante, &c.] quæ verba ut advertit Io. Rojas *de hæret. part.* 2. *num.* 30. disponunt plenam probationem requiri, ut adversùs defunctum hæreticum procedatur, videlicet si duo legitimi testes existant, & ita tenet Simanca *in cathol. institit. tit.* 18. *num.* 12. Pegna *ubi suprà*, quicquid asserat Decianus *in tract. crim. l.* 5. *cap.* 57. *num.* 6. & 9. cum aliis. Hinc infertur quòd si pendente processu mortuus fuerit inquisitus, ejus memoria damnari non poterit, nisi aliunde ejus hæresis plenè & concludenter probata fuerit, & ita ex Simanca & Deciano notat Farinacius *de hæresi quæst.* 197. *num.* 99. Item de hæresi suspecti post mortem damnari non possunt, quia non sunt hæretici, & ita habetur expresè *in c. accusatus*, §. *si vere, de hæreticis in* 6. & docet Simanca *in cathol. institit. tit.* 4. *n.* 5.

4. Sed nota hîc duos casus, in quibus quis damnari potest tanquam hæreticus post mortem. Primò, si in carcere existens se ipsum interemit, quia talis mors est quædam hæresis confessio, nam præsupponitur ex conscientia criminis se interfecisse, nec de illa pœnitere voluisse. Ita Gundissalvus *de hæret. quæst.* 22. *num.* 1. Simanca *in cathol. institit. tit.* 18. *num.* 31. & alij. Secundò quando hæresis est probata sufficienter ex eo quòd probetur extitisse quis contumax per annum in excommunicatione saltem ob causam fidei. Ita Iul. Clar. *lib.* 1. §. *hæresis*, *n.* 19. Decian. *in tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 57. *num.* 6. & alij. Quando autem damnatur hæreticus defunctus, ejus ossa exhumanda sunt, si fortè ab aliis possunt distingui, & cum ejus statua comburenda, ut observat ex multis Farinac. *quæst.* 197. *n.* 91. & 94. & forma sententiæ desumenda est ex Pegna *in direct. part.* 3. *comment.* 93. *circa finem.*

5. Sed restat discutere difficilem quæstionem, quando videlicet Inquisitores ex lapsu temporis non possunt procedere adversùs hæreticum defunctum? De hac quæstione agit Rojas *singul.* 50. & alij penes ipsum, quibus adde Zanchinum *de hæret. c.* 24. *n.* 5. & *ibi* Campegius *lit. B.* aliqui recentiores, vt Ferdinand. de Castro Palao *in oper. mor. tom.* 1. *tr.* 4. *disp.* 8. *punct.* 16. §. 7. *n.* 16. putant spatium 40. annorum sufficere, ut Inquisitores adversùs hæreticum defunctum non possint procedere, quia ex *cap. fin. de præscript.* jus confiscandi bona hæreticorum 40. annis præscribitur.

6. Verùm mihi contraria sententia placet, quam tuetur Pegna *in director. Inquis. part.* 3. *comment.* 92. Simanca *in cathol. institut. tit.* 18. *num.* 14. Covarr. *in* 4. *Decret. part.* 2. *cap.* 6. *num.* 16. Graffius *in decis. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 12. & Sanchez *in sum. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 22. *n.* 42. ubi docent quòd nullo temporis spatio præscribitur actio procedendi per DD. Inquisitores contra hæreticum defunctum ad ejus memoriam damnandam, & statuam comburendam, & ad text. *cap. fin. de præscript.* quem adducit Castrus, respondeo, quòd ibi tantùm agitur de præscriptione, quoad sola bona hæreticorum, ita nostram sententiam adversùs Castrum & alios tenet novissimè doctus Acugna Archiep. Bracharensis *in decretum Gratiani part.* 1. *dist.* 23. *cap.* 14. *n.* 6. ubi tamen notat, quòd contra fautores & receptatores hæreticorum jam mortuos, non potest accusatio reflecti, sicuti neque contra suspectos de hæresi, sed tantùm contra hæreticum defunctum.

7. Notandum est tamen hîc obiter contra gloss. *in l. Manichæos, ver subire, C. de hæret.* Bartolum *in l.* 2. *C. de Apostat.* & alios, bona hæreticorum non præscribi à possessoribus spatio quinque annorum, quod falsum est, etiamsi applicanda essent fisco sæculari, ut malè sentit Covarruvias *ubi suprà*, Quesada *in qq. fiscal. quæst.* 16. *concl.* 2. & 3. Gomez *lib.* 3. *var. cap. ult. num.* 5. & alij, nam ut *suprà* dictum est, ad præscriptionem bonorum hæreticorum ex *cap. fin. de præscript. in* 6. requiruntur 40. anni, & in præscriptione circa bona hæreticorum, standum est juri Ecclesiastico, & & non civili, & ita docet Sanctarellus *de hæresi c.* 22. *dub.* 2. *n.* 8. & Doctores superiùs citati, qui etiam observant conditiones necessarias ad dictam præscriptionem. Vide etiam Azorium *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *quæst.* 16. Molinam *de just & jure, tom.* 1. *disp.* 73. Gundissalvum *de hæret. q.* 22. Sylvestrum *ver. hæreticus* 1 *n.* 14. Tabienam *eodem ver. n.* 12. gloss. *in d. cap. fin. de præscr. ver. hæretici*, & *ibi* Domin. *in* §. *si post mortem*, *n.* 4. Abbat. *in cap. cum nobis, eodem tit. n.* 8. & *ibi* Felinum *num.* 15. cum aliis penes ipsos.

RESOL. XXIX.

De Schismaticis, & de pœnis contra supradictos imponendis agitur.

Et quæritur, an sit in jure irregularitas inflicta contra Schismaticos? Ex parte 4. tractatu 7. Resolut. etiam 29.

§. 1. TRibus ferè modis, ut observat optimè Lorca *in* 2. 2. *D. Thom. quæst.* 40. *art.* 1. *sect.* 3. *disp.* 48. *num.* 5. generatim potest schisma committi: uno per separationem à membris, & non à capite, ut si Hispani in spiritualibus & actibus Religionis Christianæ nollent communicare cum Italis, qui modus schismatis rarus est. Altero, recedendo à solo capite, & non à membris, qui modus faciliùs contingere potest. Tertiò recedendo simul à capite & à membris, qui evenit dum is, qui se separat ab obedientia Pontificis, se etiam separat à communicatione eorum, qui eum ut verum Pontificem sequuntur. Recessus autem à Summo Pontifice potest contingere adhuc tripliciter. Primò negando obedientiam vero Pontifici. Secundò instituendo & sequendo Pseudo Pontificem. Tertio exercendo actus Pontificiæ potestatis sine authoritate Pontificis. Ex his omnibus modis committitur peccatum schismatis, & ferè omnes in diversis Canonibus juris tanquam schismata reprobantur. Nam in Bulla Cœnæ damnantur, ut schismatici qui se subtrahunt ab obedientia Rom. Pontificis, & *in c. licet, de elect.* damnatur Pontifex intrusus, & qui ei adhæret, & *in cap. nec licuit, dist.* 17. & *cap. de Liguribus* 24. *quæst.* 1. censentur schismatici qui Synodos congregant sine Romani Pontificis authoritate, & *in cap. non furem* 7. *quæst.* 1. qui invadit Episcopatum. De schismate autem quo aliquis se separat à sola unitate membrorum, nulla fit mentio in jure, quia, ut dixi, hoc genus schismatis nunquam solet accidere.

2. Hoc supposito deveniendo ad pœnas ex doctrina Menochij *de præsumpt. lib.* 5. *præsumpt.* 6. *num.* 24. quem sequitur Castrus Palaus *tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 4. *punct.* 6. *n.* 19. Schismatici sunt de hæresi vehementer suspecti, & ideo si hæc doctrina esset sequenda, illorum abjuratio deberet esse de vehementi. Verùm hæc opinio Castri Palai ita generaliter prolata mihi non placet, ideo assero cum Sousa *in Aphor. Inquis. lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 13. quòd schismatici non hæretici regulariter de hæresi leviter tantùm sunt suspecti, pro temporis tamen diuturnitate, qua in schismate perseverarunt, vehementem suspicionem incurrere possunt, quam abjurare tenentur. Ita ille, & ante illum Duardus *in Bull. Cœn. lib.* 2. *can.* 1. *quæst.* 156. *num.* 12. & Pegna *in direct. part.* 2.

part.1.comment.73. Igitur supradicti ex consideratione diuturnitatis temporis, circumstantiarum & personarum aliquando vel leviter, vel ut vehementer de hæresi suspecti abjurabunt & si errorem habuerint in intellectu, abjurabunt ut hæretici de formali.

3. Nota tamen quod supradicti non solùm suspicionem hæresis levem, vel vehementem, ut dictum est, abjurare debeat, sed etiam schisma. Forma verò schismaticorum abjurationis debet esse, ut observat Sanctarellus *tract.de hæresi cap.* 43. *dub.*1. *num.*16. & alij penes ipsum, juxta dispositionem *d.quoties cordis* 1. *q.*7. Sed quoad alias pœnas Castrus Palaus *tom.* 1. *tract.*6. *disp.*4. *punct.*6. *num.*20. asserit supradictos posse puniri pœna pecuniaria, exilio, carcere, triremibus, & si pertinaces existunt, tradendos esse Curiæ sæculari; & hæc omnia docet etiam Sousa *in aphor.Inquis.lib.*3. *c.*27. *n.*7. Item ut videre potes apud Sanchez *in summ. tom.*1. *lib.*2. *c.*36. *a n.*10. & alios penes ipsum, puniuntur supradicti. Primò pœna amissionis jurisdictionis. Secundò excommunicationis latæ sententiæ. Tertiò inhabilitatis ad beneficia Ecclesiastica acquirenda, etiam post schismatis pœnitentiam. Quartò privationis ipso jure beneficiorum ante schisma adeptorum, Vide etiam alias pœnas contentas in constitut. nostri Pauli I V. edita *anno* 1559. quam commentariis illustrat Scortia *in Bull. Pontific. epit.* 72. *theor.* 182. *& seqq.* & Duardus *in Bull. Cœn. lib.*2. *can.* 1. *quæst.*57. *num.*13.

4. Notandum est tamen hîc contra Pegnam *in direct.part.*2. *comment.*73. Duardum *in Bull. Cœn. lib.*2. *q.*56. *n.*5. & alios non esse in jure irregularitatem inflictam contra schismaticos, nam *in c.quia diligentia, de elect.* quod pro se adducit Pegna, nihil asseritur de irregularitate, sed solùm de inhabilitate ad beneficia. Et ita nostram sententiam tenet Suarez *de cens. disp.* 43. *sect.*2. *n.*7. & alij. In uno casu tamen schismaticos esse irregulares dicendum est, quando nimirum schisma esset publicum, sed in tali casu essent irregulares irregularitate generali, quæ ex quovis crimine notorio digno depositione oritur, quæ cessat ablata infamia per contrariam pœnitentiam, & ita observat Sayrus *de censur. lib.*7. *cap.*12. *n.*16. *ver.*3. *junctο ver. Primus est de hæresi*, & Bonacina *in Bull. Cœn. disp.*1. *q.*2. *punct.*5. *n.*13.

Sup. hoc sup. in tr. 5. Resol. 46. §. ult cur. fim. ad lin. 4.

5. Notandum est etiam hic cum Coninch *in* 2.2. *D. Thom. disp.*30. *dub.*5. *num.*48. ex Cajetano *in* 2.2. *quæst.*39. *art.*1. *in fine, & in summ. ver. schisma*, ut quis sit schismaticus, non sufficere quòd in re aliqua particulari nolit obedire Pontifici, quia ipsi videtur nimis difficilis: aut contra suum honorem, temporalem commoditatem, aut quia putat Pontificem non posse sibi similia præcipere, aut similem ob causam, modò agnoscat eum esse Superiorem & caput Ecclesiæ. Nam ad schisma requiritur inobedientia conjuncta cum quadam rebellione, qua quis vult se omnino subtrahere à subjectione ejus quem novit certo esse Pontificem, aut saltem nullam habet probabilem rationem dubitandi, an alter sit verus Pontifex; si vero dubitet probabiliter, an sit verè, aut validè à Cardinalibus electus, non esset schismaticus, si ei nollet subjici. Vide etiam Valentiam *tom.*3. *disp.*3. *q.*15. *punct.*1. *prop.*3. & Bonacinam *in Bulla Cœ. disp.*1. *q.*2. *punct.*5. *num.*3. Et hæc dicta sufficiant circa pœnas delictorum in particulari; tamen pro complemento materiæ hujus tractatus necessariam esse existimo discussionem aliquorum dubiorum in praxi sæpiùs occurrentium quæ infra scripta erunt.

RESOL. XXX.

An Inquisitores possint unire duas semiplenas probationes ad damnandum reum pœna ordinaria? Ex p.4. tr.7. Resol. etiam 30.

§.1. NEgativè respondet Antonius Sousa *in aphor. Inquis. lib.*2. *cap.*5. *n.*10. Castrus Palaus *tom.*1. *tract.*4. *disp.*8. *punct.*10. *n.*7. Anton. Quevedo *de indiciis & tortura part.*1. *cap.*6. *n.*2. Simanca *in cathol. institit. tit.*51. *n.*5. *& in enchir. tit.*34. *n.*3. Pegna, Farinacius & alij penes ipsos; & ratio est, quia cum quælibet semiplena probatio in suo ordine diversa sit, non potest cum alia conjungi. Sed his non obstantibus, affirmativam sententiam in favorem fidei tenendam esse docent duo præstantissimi Inquisitores, Io. Rojas *singul.*88. *n.*16. & Vmbertus Locatus *in praxi, ver. testis*, quia cùm utraque semiplena probatio ad eumdem finem tendat in causis hæreticorum, potest cum alia conjungi; & hanc sententiam novissimè tenet Ioseph Sesse Consultor S. Officij *in decis. regni Aragon. tom.*4. *decis.*477. *n.*24.

2. Verùm ego tunc huic sententiæ libenter adhærerem, quando simul cum duabus semiplenis probationibus, essent alia indicia, & ita tenet Doctiss. Inquisitor Didacus Cantera *in quæst. crimin. cap.*2. *de prob. per testes, quæst.*5. *num.*2. qui citat Ripam. Vnde concordantur supradictæ sententiæ contrariæ, nam prima negativa procedit quando tantùm adsunt duæ semiplenæ probationes; secunda verò affirmativa procedit, quando cùm semiplenis probationibus concurrunt alia indicia. Sed hodie regulariter praxis Inquisitionis Hispanicæ absolutè sequitur opinionem negativam, & non damnat hæreticos ad pœnam ordinariam, ex duabus semiplenis probationibus, etiam si adsint alia indicia.

RESOL. XXXI.

An Inquisitores possint condemnare reum hæreticum ad pœnam ordinariam, si adsunt tantum testes singulares? Et quid, si testes de eadem hæresi sint concordes, sed eam quisque audivit in vario loco, & diverso tempore, an dicti testes sufficiant ad condemnandum reum pœna ordinaria? Ex p.4. tr.7. Resol. etiam 31.

Sup. hoc in n.

§.1. AFfirmativam sententiam docet Anton. Gomez *var.tom.*3. *c.*12. *num.*12. Zanchinus *in tract.de hæret. c.*16. *n.*6. cum aliis, quos citat Rojas *de hæret. part.*2. *assert.*6. *n.*139. & ratio est, quia omnes hæreses connexæ sunt & invicem colligatæ, ut patet *in cap. excommunicamus* 1. *de hæret. cap. accusatus, eodem tit. in* 6. & secundùm hanc sententiam ad probandum, quòd Cajus sit hæreticus satis est, si testes singulares contra illum testificentur de diversis hæresibus prolatis ab eo diverso in loco & tempore, ut si v.g. aliquis testificet audivisse Cajum mense Ianuario in tali loco negantem in Hostia consecrata esse Corpus Christi, alius dicat in diverso loco & tempore Cajum negantem Mariam matrem Dei esse Virginem, &c.

2. At his non obstantibus, contrariam sententiam tenendam esse puto, quam tuentur DD. quos citat Rojas *loc. cit. n.*134. quibus ego addo Didacum Cantera *in qq. crimin. cap.*2. *de vera Confess., num.*17. Zanardum *in direct. Confess. part.*3. *c.*111. *n.*11. Azorium *tom.*3. *lib.*13. *cap.*27. *q.*7. Flores de Mena *var. qq. lib.*3. *q.*22. *n.*45. Aragon. *in* 2.2. *D. Thom. q.*70. *art.*2. Sanctarellum *tract.de hæret. c.*39. *dub.*1. *num.*4. Morlam *in empor. juris, part.*1. *tit.*11. *in pralud. n.*51. Sayrum *in Clavi Reg. lib.*12. *cap.*21. *n.*16. Mirandam *de ordin. judic. q.*23. *art.*4. *concl. unic. in fin.* Menochium *vol.*2. *consil.* 149. *num.*17. & 44. Ignatium de Villar *in Sylva resp. lib.*1. *resp.*15. *num.*38. & ratio est, quia per testes singulares nulla species hæresis est plenè probata,

probata, nam ex pluribus diversis numquam resultat unum integrale, ut patet *in l. sancimus, § si quis autem C. de donat. & in leg. usuræ, C. de usuris*, & plura imperfecta non faciunt unum perfectum, ut habetur *in l. unic.* quæ ita summatur, *Cod. qui tutel. n. se excus.* Non est tamen negandum, ut optimè observat Cantera *loc. cit.* quòd ex testibus singularibus posset fieri probatio, ut daretur aliqua pœna extraordinaria, vel aliqua tortura & ita etiam docet Scaccia *de judiciis tom. 2. lib. 2. cap. 9. dub. 10. num. 527.* Sed cùm hæc omnia vera sint, difficultas est an si testes de eadem hæresi sint concordes, sed eam quisque audivit in vario loco & diverso tempore, an inquam dicti testes sufficiant ad condemnandum hæreticum pœna ordinaria?

Sup. hoc in Res. 1. not. præteritæ §. Dico octavo

Affirmativam sententiam docet doctus Simanca *in enchir. tit. 37. n. 8. & in instit. cathol. tit. 64. n. 77.* contra quem insurgit novissimè Freytas *in addit. ad tract. de Confess. solic.* Rodericus Acugna *q. 22. n. 25.* & alij penes ipsum, cum Flores de Mena *var. qq. lib. 3. quæst. 22. n. 45.* Scaccia *loc. cit.* & Ioannes Rojas, qui *in tract. de hæresi part. 2. n 145.* periculosam vocavit hanc sententiam Simancæ. Verùm illam sequuntur Salicetus *in l. testium, cap. de testibus, num. 26.* Conradus Brunus *lib. 4. de hæret. cap. 9.* & ex neotericis Hippolytus Riminald. *lib. 1. cons. 7.* & Leonard. Lessius *de justit. & jure lib. 2. c. 30. dub. 4. num. 33.* ubi sic asserit. Si duo de eadem hæresi asserta deponunt, & solùm in tempore discrepent, plenè probant, quia in substantia delicti conveniunt, & quamvis non sit idem numero actus, tamen quia est idem numero significatum, habetur pro eodem actu, imò discrepantia temporis interdum facit ad majorem fidem. Ita Lessius. Vnde patet nimis rigide contra Simancam loquutum fuisse Rojas: nam licèt ejus opinio sit probabilior, tamen opinionem Simancæ non periculosam, sed probabilem esse puto, & ideò novissimè illam mordicus defendit Sousa *quæst. unic. de testib. singul. sect. 2. num. 11. post aphor. Inquis.* & tanquam probabilem etiam admittunt Ioseph. Aldrete *de relig. discipl. tuend. lib. 2. cap. 3. n. 29.* & Anton. Sanctarellus *tr. de hæres c. 39. dub. 1. n. 6. in fine*, & post hæc scripta inveni eamdem opinionem Simancæ docere etiam Miranda *de ordine jud tom. 1. q. 17. art. 8. conclus. 5.* & Villalob. *in sum. to. 2. tract. 17. diff. 3. n. 6.* ubi ita ait: [Por testigos singulares no se puede provar que uno es herege, mas, el maestro Arag *in 2. 2. q. 79. ar. 2.* Saca dos casos. El primero es, quando los testigos concuerdan en la heregia, y discuerdan en el tiempo, o lugar, porque en este caso, seria como el ladron que mostro la cosa, que havia hurtado à diferentes personas en diferentes tiempos y lugares. El segundo caso es quando los testigos singulares caminan à un fin y son muchos y fide dignos, que entonçes se le puede dar entero credito.] Ita ille: & hæc dicta sufficiant pro defensione Simancæ, licèt ego, ut dixi, contrariam sententiam teneam, quam etiam novissimè tenet Paulus Layman *in theolog. moral. lib. 3 sect. 5. tract. 6. c. 4. n. 5.* Dico igitur quod etiamsi reus pluribus testibus singularibus idoneis urgeatur adhuc ordinaria pœna puniri non poterit; & ideo si in negativa persistat per aliquod temporis spatium est expectandum & inquirendum, an testes per omnia concordes haberi possint. Sed priùs torquendus, qui si nihil confiteatur, abjuret de vehementi, tum ad triremes, vel carcetem perpetuum damnetur, nec Curiæ sæculari tanquam negativus relaxari poterit, & hæc omnia docet etiam Pegna *in direct. Inquis. part. 3. comm. 121.* & Scaccia *de jndic. lib. 2. cap. 9. dub. 10. num. 527.* & Castrus Palaus *tract. 4. disp. 8. punct. 15. §. 4. n. 16.*

3. Nota tamen, quod ex diversitate supradictarum opinionum orta est differentia inter stylum Inquisitionis Hispan. & Inquisitionis Lusitaniæ: nam in Inquisitione Hisp. hæretici nunquam damnantur ad pœnam ordinariam, ex testibus singularibus; secus autem in Inquisitione Lusitana, ut notat Sousa *in quæst. unic. de testibus sing. post aphor. Inquis.* & ideo Fernand. *in exam. Th. mor. part. 1. c. 19. §. 10. n. 19.* licèt crimen hæresis Iudaismi, Lutheranismi, &c. sufficienter probatur per plures actus singulares tendentes ad eumdem finem, atque ideo testes de his criminibus singulariter testificati verè habentur concordes, & probat usus Inquisitorum in nostra Lusitania; quia aliter non latis provideretur bono communi; poterit enim unus hæreticus totam inficere urbem, & Iudæus cum singulis judaizare, neq; tamen convinci. Oppositam sententiam sequuntur Inquisitores in Hispania. Ratio eorum est, quia nulla species perfectè probatur nisi in aliquo singulari individuo. Ita Fernand. Verùm in Tribunali Inquisitionis hujus Regni Siciliæ observatur suus Inquisitorum Hispaniæ, & ita etiam observat praxis Inquisitionis Rom. ut notat Freyt. *in tr. de Conf. solic. q. 22. n. 24.* ut patet apud Farin. *q. 64. n. 218. in fin.* & apud Masc. *lib. 2. conc. 856. n. 25. & 26.* & ita docet Freyt. *ubi supr. in editione noviss. n. 64.* ubi probat circa præsentem quæstionem omnes alias Inquisitiones sequi debere stylum Inquisitionis Romanæ, & non damnare reum ad pœnam ordinariam ex testibus singularibus.

RESOL. XXXII.

An reus hæreticus malæ vitæ, & famæ possit puniri ab Inquisitoribus ex duobus tantum testibus contestibus tamen, & idoneis? Ex p. 4. tr. 7. Res. etiam 32.

§. 1. Videtur prima facie respondendum negativè, quia, ut docet Acugna *de Conf. solic. q. 23. n. 7.* & alij penes ipsum, testes quorum nomina non publicantur respectu rei, non sunt idonei, & omni exceptione majores. Sed in Tribunali SS. Inquisitionis nomina testium non manifestantur reo. Ergo, &c. Minor patet ex praxi, & major probatur quia delatus non potest per ignorantiam testium, de quibus nomina nescit, adversùs eos aliquid objicere. Ergo non erunt testes omni exceptione majores, & ita hanc sententiam docet ex neotericis Octavus Spathar. *in praxi Reg. tr. 7. c. 14. n. 2.* Eymeric. *in dir. Inquis. p. 3. q. 71.* Alber. *& agnosc. prop. hær. q. 34. n. 3.* & alij penes Farin. *tr. de hær. q. 88. §. 3. n. 56.* quibus adde Barb. *in collect. tom. 3. lib. 5. tit. 2. c. 5. n. 5.*

2. Verùm ego contrariam sententiam teneo, quam tuetur Didacus Cantera *in quæst. crim. c. 1. de hær. n. 61.* Io. Simanca *in enchir. tit. 34. n. 5. & in instit. tit. 51. n. 8. & tit. 64. n. 36.* Gundisalvuus *tract. de hæret. q. 13. n. 9.* & alij, quos novissimè citat & sequitur Anton. Sanctarell. *tr. de hær. cap. 39. dub. 2. n. 12.* quibus adde Torreblanca *de magia lib. 3. cap. 17. n. 70.* Lessium *lib. 2. c. 30. dub. 4. n. 33.* & ratio est quia cùm in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum, & nullo jure ab hac regula excipiuntur ij, qui de hæresi debent damnari? ergo justè per duos testes condemnabuntur, & hanc sententiam velut communem sequitur etiam Iul. Clar. *in pract. lib. 5. §. hæresis, n. 20.* & eam usu esse receptam in Tribunalibus Inquis. testatur Pegna *ubi infra.* Nec contra sententiam nostram faciunt DD. pro opinione negativa citati. Nam, ut observat Farinac. *loc. cit. n. 18.* concordandi sunt, ut videlicet loquantur, quando testes non sunt omni exceptione majores, & sic testimonium duarum fœminarum non sufficiet ad condemnandum hæreticum; vel dic melius, quòd DD. contrarij loquuntur in casu quando delatus est vir alioquin bonæ famæ, secus autem si esset malæ famæ, & ita Io. Rojas *de haret. part. 2. num. 103.* sic ait. Ego non auderem in tam gravi crimine duobus tantùm legitimis testibus quempiam condemnare nisi delatus esset malæ opinionis & famæ, vel alia adminicula contra eum

concurrerent, quo casu communis DD. opinio esset tenenda? Ita Rojas, & alij.

3. Restat modò respondere ad argumentum contrarium supradictum, ad quod respondeo cum Ioseph. Aldrete *de relig. discipl. tuen. lib. 1. cap. 14. n. 13.* & aliis, quòd in sacro Inquisitionis Tribunali diligentia DD. Inquisitorum supplet abundanter id quod defensionis, in testium nominibus supprimendis, admittitur.

4. Claudam igitur hoc quæsitum cum verbis doctiss. Francisci Pegna *in direct. Inquisit. comm. 20.* sic asserentis. Non possumus diffiteri liberum esse judicibus fidei, & ob communem sententiam, & ob jura duos solùm testes idoneos in quavis causa postulantia, & ob communem usum sacri Tribunalis Inquisitionis, ad voces duorum testium idoneorum, reum hujus criminis condemnare. Negativa sententia valdè benigna est & secura, quæ tunc potissimum non esset contemnenda, quando reus insignis probitatis communiter haberetur, & integræ famæ & incorruptæ vitæ; tunc enim non esset incongruum, aut differre supplicium, donec fortè aliæ accederent conjecturæ & probationes; aut mitiùs punire, & hac etiam ratione videntur loquuti hujus opinionis assertores. Ita Pegna. Vnde reus malæ vitæ & famæ potest puniri à DD. Inquisitoribus tanquam hæreticus ex delatione duorum testium, dummodo sint contestes, & omni exceptione majores, & ità præter DD. citatos tenet etiam Malleus maleficarum *tom. 1. p. 3. q. 2.* & hæc dicta sint in rigore loquendo, nam hodie praxis nostræ Inquisitionis Hispanicæ, regulariter non damnat quoscumque hæreticos ad pœnam ordinariam, nisi per tres testes contestes idoneos.

RESOL. XXXIII.

An Inquisitores possint damnare reum, ut publicè abjuret de levi?

Et an abjuratio de vehementi, quamvis fieri debeat publicè, & in loco publico, possit tamen ex rationabili causa fieri non publicè, sed secreto?

Et notatur, quod ætas necessaria ad abjurationem in masculis est 14. annus, & in fœminis 12.

Et advertitur, quod si supra dicti reconcilientur ex hæresi formali propter eorum confessionem, & postea relabantur, ex misericordia, consulto Supremo Consilio Inquisitorum, videntur admittendi pro illa vice, non obstante relapsu? Ex p. 4. tr. 7. Res. etiam 33.

Sup. hoc in Res. not. seq. signatèr cursim in §. Sed licet ad lin. 6. vers. & quod leviter.

§. 1. NEgativam sententiam docet Sanctarell. *tr. de hæresi, c. 41. dub. 2. n. 4.* Sigismund. Scaccia *de judic. caus. & c. lib. 1. c. 59. n. 10.* Pegna *in direct. Inquis. p. 2. comm. 40.* Barbosa *in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 7. c. 9. n. 12.* & Rojas *singul. 1. n. 26.* ubi sic ait: Secunda differentia quæ est inter abjurationem de vehementi, & de levi est respectu loci; nam abjuratio de vehementi fit solemniter in conspectu totius populi, sed de levi in domo Episcopi, vel coram Inquisitoribus. Ita ille, & ante omnes Simanca *tit. 1. n. 24.*

2. Verùm hæc sententia ita absolutè prolata (pace tantorum virorum) mihi non placet, & hodie praxis S. Inquis. Hispan. in aliquibus casibus, ut patet, est in contrarium: nam contrahentes binas nuptias abjurant de levi, & tamen publicè: idem etiam faciunt aliquando blasphemi, legentes libros hæreticorum, Astrologi judiciarij, &c. ut *infrà* suis locis patebit. Vnde libenter adhæreo sententiæ Eymerici, qui pro sua sententia male citat Rojas, *in direct. Inquis. p. 3. n. 161.* ubi docet quòd reus si est suspectus publicè, debet etiam publicè abjurare de levi; si autem non, abjurabit in Audientia secreta Inquisitorum, secundùm quod apud plures, vel pauciores suspectus fuerit de hæresi. Igitur in casibus contingentibus, hoc remittendum puto arbitrio DD. Inquisitorum; & ideo Sousa *in aphor. Inquis. lib. 2. c. 40. n. 5.* loquens, de abjuratione levi, sic ait. Hæc abjuratio aliquando fit publicè, aliquando verò secretè, secundùm quòd culpa publica, vel occulta fuerit, prout Inquisitoribus videbitur. Ita ille.

3. Nota etiam quòd licèt abjuratio de vehementi, Sup. hoc debet fieri publicè, & in loco publico, ut diximus, & in ea docet Riminald. *lib. 6. cons. 186.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. cas. 322. n. 1.* & constat ex *cap. ad abolendam, §. præterea, de hæret.* & *ibi* Butrius *n. 6.* Socin. *n. 8.* & Ananias *n. 12.* & ex Bulla Martini V. tamen aliquando, ut optimè notat Pegna *in direct. Inquis. p. 3. comm. 40. n. 161.* rationabilis causa potest suadere, ut abjuratio de vehementi efficiatur etiam non publicè, sed secretò. Ætas verò necessaria ad abjurandum in masculis est 14. annus, in fœminis 12. ut patet ex Consil. Tolet. *c. 11.* & Bituricensi *cap. 31.* Non desinam tamen hìc apponere verba instr. Vallisolet. *anno* 1488. §. 12. sic asserentis. [Los menores de edad de discreçion assi hombres como mugeres no sean obligados à abjurar publicamẽte salvo del pueblo de los dichos años de discretion, que son doze en embra, y catorçe en varon, y que assi se entienda el capitulo de las ordenaciones de Sevilla, que en esto dispone, y que siendo mayores de los dichos años, abjuren de loque hizieren en menor edad, siendo doli capaces.] Quæ verba ut observat Paramus *lib. 3. q. 4. n. 17.* & ante illum Pegna *in direct. p. 3. comm. 40. n. 162.* indicare videntur pueros ante ann. 14. & fœminas ante 12. posse abjurare, non tamen publicè, si doli capaces fuerint. Sed ego puto, hanc sententiam rarò à DD. Inquisitoribus in praxi deducendam esse, & ideo Sousa *in aphor. lib. 2. c. 40. n. 4.* sic ait Masculi ante 14. annum, fœminæ verò ante 12. non abjurant, nisi rarò, etiamsi sint doli capaces. Ita ille, & Pegna *loc. cit.*

4. Advertendum est tamen, quòd supradicti si reconcilientur ex hæresi formali propter eorũ confessionẽ, & postea relabãtur, ex misericordia consulto supremo Inquis. Consilio videntur admittendi pro illa vice, non obstante relapsu, iterum ad reconciliationem, & ita tenet Inquisitor San Vincente *in manusc. c. 9. §. 3.* ubi sic ait: [Si el ralapso esta convencido de la relapsia por testigos, haviendo sido la primera vez solo convencido por su confesion, aunque en rigor deve ser relaxado, se deve atender mucho a la edad y capacidad del Reo, al tiempo de la primera reconciliacion, pues por los menos siendo de los que abjuraron los errores, que tuvieron menores las mugeres de doze y los hombres de quatorçe años, conforme a la instruçion de Valladolid, ibi doli capaces, pareçe que se deve usar con ellos de misericordia, admitiendo los segunda vez à reconciliaçion consultando siempre al Consejo.] Sic ille. Cujus opinio deservit *supra proximè cap. 26. de relapsis.*

Sup. nu. in hoc §. sup. n. figurae §. sit.

RESOL. XXXIV.

An Inquisitores debeant punire tanquam hæreticum, facientem ritus hæreticales, seu proferentem verba hæreticalia, & negantem intentionem? Ex p. 4. tr. 7. Res. etiam 34.

§. 1. EGo more meo breviter, & clarè colligã aliqua ex probatissimis Authoribus. Dico igitur, quod Io. Rojas *de hæret. p. 1. n. 276. & seq. & n. 583. & seq.* Albertin. *de agnosc. q. 8. n. 12. q. 32. n. 17. q. 34. n. 57.* & alij, asserunt quod si quis confessus, vel convictus, dicat se ritus hæreticales fecisse, sed neget intentionẽ, ut hæreticus puniendus est, & ideo relaxandus Curiæ sæculari, tanquam hæreticus negativus. Verùm his non obstantibus, Didacus Cantera *in qq. crim. rubr. de hæret. cap. 1. dub. 6. n. 69.* concludit, quòd licèt de rigore juris supra

Sup. in tra Res.

supradicta sententia sustineri possit, ejus tamen opinio est quòd si reus, sive confessus tantùm, sive convictus & confessus, de facto hæreticali intentionem neget, non relaxandus tanquam hæreticus, sed super intentione torquendus est. Et ita hanc sententiam tenet etiam Peg. *in direct. Inquis. p.2. comm.59. §. quod si non compareant sponte* Lazar. *de blasph.q 6.n.13.* & Iacob. de Grassis *in decis.p.1.lib.2.c.5.n.15.* Lapus & Card. penes Canteram *ubi supra*, qui mordicus tenet negatiuam sententiam, & respondet ad argumenta Rojas.

2. Sed quid dicendum, si non agatur de factis hæreticalibus, sed tantùm de verbis? Rojas *ubi supra, de hæret. part.1.n.302.303.& 306.*cum Albertino *de agnoscend. q.36.n.18.q.8.n.12.& q.34.n.52.& 53.* & alij putant, quod si aliquis confitetur non facta, sed verba hæreticalia protulisse & negat intentionem, is non tanquam hæreticus relaxandus est, sed quia est de hæresi suspectus, potest super intentione torqueri. Vide etiam Decianum *in tract.crim.lib.5.c.36. n.19.* Pegnam *in direct. Inquis. part.3.q.61.comm.110.* & alios. Igitur supradicti DD. distinguunt inter facta & verba hæreticalia, & ideo putant confitentem se fecisse facta hæreticalia, & negantem intentionem, relaxandum esse tanquam hæreticum; confitentem verò se dixisse verba hæreticalia, & negantem intentionem, torquendum esse tanquam de hæresi suspectum; & ita in specie sentit iterum Albertinus *de agnoscend. q.36. n.18.*

3. Advertant tamen Lectores, quòd doctus Simanca varius sibi videtur, & contrarius in hac quæstione, nam *in cath.instit.tit.65.n.52.* asserit absolutè & sine ulla distinctione torquendũ esse reum, qui confessus fuerit se dixisse, aut fecisse aliquid hæreticum, si neget intentionem hæreticam, & antea *tit.13.n.16.& in enchir. tit.29.n.8.* contrarium docet, nempe quòd qui facto, aut verbis hæresim committit, ut hæreticus puniendus est, quamvis recta intentione id fecisse juraverit.

4. Sed quid ego sentio in hac quæstione, dicam breviter. Opinionem Canteræ & aliorum asserentium quòd in verbis & in factis, si reus neget intentionem, sit tantùm torquendus, puto probabilem esse, quando reus ipse confitetur delictum, & negat intentionem; secus autem si non solùm confiteatur delictum, sed de illo sit convictus & ita hanc sententiam tenet novissimè Torreblanca *de magia lib.3.c.5.n.49.* Farinac. quem citat & sequitur Castrus Palaus *tract.4. disp.4.punct.3. n.17.* Igitur negantem intentionem, & ritus hæreticales facientem, si testibus esset convictus puto tanquam hæreticum negativum relaxandum esse; quia aliter aperiretur via omnibus hæreticis vitandi condemnationem, nam omnes se excusarent, dicendo absque intentione verba hæreticalia dixisse, & facta præstitisse; & hæc opinio hodie regulariter servatur saltem in nostris Tribunalibus Inquisitionis Hispanicæ, ut testatur Ioseph Sesse *in decis. Regni Aragon.tom.4. decis.441. n.3. in fine.*

RESOL. XXXV.

An Inquisitores possint superveniente probatione reum absolutum iterum examinare, & condemnare?

Sed difficultas est, an reo in pœnam extraordinariam condemnato ob defectum probationis, si superveniant novæ probationes possint illum Inquisitores in pœnam ordinariam condemnare?

Et an verò indicia supervenientia sint conjungenda cum indiciis, ex quibus reus prius fuerat tortus? Ex p.4. tr.8. Res. etiam 35.

Sup. hoc sup. in tract.10. Res.76.

§.1. LIcèt in aliis criminibus, post sententiam absolutoriam non liceat reum absolutum iterum de eodem crimine examinare, inquirere, & punire; attamen in favorem fidei contrarium dicendum est in causa hæresis in qua sententia absolutoria nunquam transit in rem judicatã, ut latè probant Sousa *in aphor. Inquisl.2.c.37.n.31.* Rojas *de hær.p.2.n.384.* Simanca *in cathol.inst.tit.60.n.13.* Pegna *in direct.Inquis.p.3.comm. 37.& 92.* Scaccia *de judic.l.1.c.93.n.2.& 3.* & ita determinavit Pius V. *in Bull.edita an.1567.* & hæc opinio procedit contra Repertor. Inquis. *ver. absolutio*, & *ibi* Mandosium *in addit. lit.E*, etiam si reus fuisset absolutus de eadem hæresi tanquam innocens, ut optimè notat Scaccia *loc. cit.* & ideo *in instruct. Hispalen. anno 1484.n.3.* sic habetur. [Item acordaron y ordenaron, que los que fueren presos por este delito que no sean fatigados en las carceles, en la dilaçion del tiempo, que luego se haga el processo con ellos, porque no haya lugar de quexarse y no se detengan à causa de no haver entera provança, pues que es causa que quando sobreviene probança se puede de nuevo agitar no obstante la sentençia, que fuere dada.] Sic ibi. Hinc infertur cum Ferdinando de Castro *in oper.mor.tom.1.tract.4.disp.8. punct.11. n.10.* in causa hæresis, probationes supervenientes conjungi posse cum præcedentibus insufficientibus, & ob quarum insufficientiam absolutus fuit reus ab instantia judicij. Vide Pegnam *in director. part.3.comm.92* & Simancam *in cathol.inst.tit.18.n.12.*

2. Sed difficultas est, an reo in pœnam extraordinariam condemnato ob defectum probationis, si superveniant novæ probationes, possint illum Inquisitores in pœnam ordinariam condemnare? Lucas de Peña & Iacobus Bellovisо apud Rojas *ubi infrà*, affirmativam sententiam tenent; alij verò asserunt, quòd si pœna extraordinaria non fuit executioni mandata, tunc reus pœna ordinaria puniri potest, superveniente legitima probatione; secus si mandata sit executioni; & ita docet & observatum esse in Hispania in Sacr. Inquisit. Tribunali testatur Ferdinandus de Castro *ubi suprà in oper.mor.tom.1. tract.4.disp.8. punct.11.n.11.* Igitur secundùm Castrum, si pœna sit executioni mandata, in casu tali censet nullo modo posse puniri reum pœna ordinaria, sed à pœna ordinaria detrahendum, quantum arbitraria importat; nam alioquin reus puniretur gravius, quàm mereretur, & in hanc sententiam inclinat Rojas *de hæret. part.2.num.392.* licèt loquatur cum verbo *forsitan*, & in hac quæstione difficili & ambigua, discipuli potius quàm Magistri officio fungi velit. Verùm ego absolutè & sine ulla formidine existimo tenendam esse opinionem Castri Palai, quam tenet etiam novissimè Anton. Sousa *loco infrà citando, num.8.* ubi sic ait. Condemnatus propter hæresim, aut suspicionem illius in pœnam arbitrariam ex defectu probationis, si plena probatio supervenerit, puniti debet pœna ordinaria, dummodo prima pœna adimpleta non fuerit; si autem adimpleta sit, compensetur in secunda. Ita ille, qui optimè tamen *n.9.* limitat supradictam sententiam in casu quo pœna ordinaria delicti sit capitalis, nam prima pœna etsi corporalis, non minuet secundam; nec secunda compensabitur cum prima, sed tota ordinaria imponi potest, cùm talis pœna divisibilis non sit.

Sup. hoc in Res. not. præteritæ, §.2. à lin.5.

3. Et tandem non desinam hîc adnotare ea quæ etiam observavit apud eumdem Sousam *in aphorism. Inquisit. lib.2. cap.37. num.7.* ubi ita ait. Abjurata vehementi hæresis suspicione, si dentur novæ probationes non plenè convincentes novorum lapsuum, post dictam abjurationem commissorum, de juris rigore tales probationes conjungi possunt cum præcedentibus, ad unam constituendam probationem, cùm sententia non transeat in rem judicatam, hactenus tamen hoc practicari non vidi. Ita Sousa, quod est valde notandum. An verò indicia supervenientia sint conjungenda cum indiciis ex quibus reus priùs fuerat tortus, videant Domini Inquisit. omnino Prosperum Farinac.

ix addit. ad ejus opera post lib.3. Consilior. ad q.4. n.29. fol. mihi 6. col.1. ubi sic ait : Si quis fuit absolutus ex eo quòd in tortura perstiterit , & tunc sine dubio indicia quæ per torturam fuerunt purgata , & sublata , nullam vim habent, mortua sunt, nec propterea conjungi possunt cum alijs supervenientibus indiciis, aut probationibus ; secus si tortura non illata reus fuit absolutus, ex eo quod in judicium contra ipsum deducta non sufficiebant ad condemnandum. Tunc enim imperfecta probatio primæ instantiæ , conjungitur cum superveniente probatione, secundùm veram, communem & usu receptam sententiam , de qua est Bart. Host. Abb. Felin. Alex. & Alciat. *in locis per eum relatis* , testatur Simanca *Cathol. instit. tit.18. rubr. de defunctis, n.20.* Et hanc declarationem bene nota , quia (ni fallor (alibi eam non reperies in specie positam , sæpè habui in facto, & sic, ut *supra*, judicavi, & communiter judicatum vidi. Ita Farinacius *loco citato.*

RESOL. XXXVI.

Quænam pertinacia sufficiat ad constituendum hominem hæreticum , non solum in foro interno , sed etiam externo ?

Et supponitur nullam esse hæresim sine pertinacia ?

Et an ignorantia crassa , & supina excuset ab hæresi, & quid de affectata ?

Et an sit censendus hæreticus pertinax vir simplex admonitus ab Inquisitoribus , vel Episcopo , si adhuc in suo errore persistat ? Ex p.4.tr.7. Res. etiam 36.

Sup. hoc, quod hic supponitur, & up. in tr. 8. quamvis recitativè ex Res. 29. lege §. 1. & 2.

§.1. SVppono nullam esse hæresim sine pertinacia , ex D. Thom. 2.2. q.11. *art.2. ad 3.* Augustino *epist.162.* quo clarè habetur *in cap.dixit Apostolus 24. q.3. cap. ir Ecclesia, eadem quæst. & causa* , & expresè *in Clem.un. de summ.Trinit. & fide Cathol.* & colligitur ex aliis juribus, ut ex *cap.damnamus, de summ. Trinit. & cap. cum contumacia, de hæret.in 6. & cap.excommunicamus, de hæret.* & patet ex definitione ipsius hæresis, quæ dicitur error voluntarius contra aliquam fidei veritatem cum pertinacia assertus ab eo qui fidem recepit. Sed difficultas quæ multorum torsit ingenia , consistit in declarando quænam sit ista pertinacia sine qua nullus est hæreticus.

2. Prima opinio est ferè omnium Theologorum asserentium ad pertinaciam sufficere quòd sciens quis aliquid esse de fide , deliberatè illud non credat , sed ut quis animadvertat suam opinionem esse contrariam sensui Ecclesiæ Catholicæ, & tamen neglecta authoritate Ecclesiæ persistat in sua opinione. Ita Becanus *in 2.2. cap.14. quæs.2. concl.3. num.10.* Scottia *in Bull. Pontif. epit.4. theor.8.* Turrianus *tom.1. in 2.2. disp.55. dub.2.* Vasquez *in 1. 2. quæst.76. art.7. disp.126. cap.3.* Valentia *tom. 3. disp.1. quæst. 11. punct. 1.* Sanchez *in summ. tom.1. lib.2. cap.7. num.4.* Azorius *tom.1. lib.8. cap.9. quæst.1.* Castrus Palaus *tom.1. tract.4. disputat.3. punct.2. num.1.* Coninch. *de fide disp.18. dub.7.n.78.* Filliucius *tom.2. tract.22. cap.6.n.153.* Layman. *lib.2. tract.1. cap.13. num.2.* Reginaldus *tom.1. lib.9. cap.14. num.224.* Pesantius, Malderus, Sylvius, Bañez, Aragon, & Cajetanus *in 2.2. quæst.11. artic. 2.* cum aliis penes ipsos.

3. Secunda opinio est aliquorum Iurisperitorum non peritè asserentium, minimè esse hæreticum pertinacem, si quis priùs non fuerit admonitus. Ita Alciat. *in l.2. C. de sum.Trin. & fid.Cathol.n.3.* ubi sic ait : Pertinacia est, quæ hominem hæreticum facit, quapropter si quisquam in Trinitate non rectè sentiat, nisi admonitus persistat , hæreticus non est. Sic ille , & inter Neotericos hanc sententiam docet Menoch. *vol.2. cons. 149. n.49.* ubi sic ait: Vt quis dicatur hæreticus pertinax debet constare quòd fuit monitus, & instructus de veritate, & quòd ea instructione spreta persistat in eadem opinione, & citat pro hac sententia Lupum, & Turrematam, quibus addi potest Palatius Rub. *in alleg. in mat. hæres. §.3. per tot.* Vnde D. August. *de Civit. Dei, lib.8. cap.51.* relatus *in cap. qui in Ecclesia 24. quæst.3.* sic ait: Qui in Ecclesia Dei morbidum aliquid pravumque sapiunt , si correcti, ut sanum rectúmque sapiant, resistunt contumaciter , sua pestifera dogmata emendare nolunt, sed defendere persistunt , hæretici sunt. Et *in Clem.un. de summ. Trinit.* Pontifex definit hæreticum censendum esse qui defendere pertinaciter præsumpserit quòd anima rationalis non sit forma corporis humani.

4. Tertia opinio fœdere distinctionis supradictas pugnantes opiniones conciliat, ait enim primam opinionem procedere in foro interiori, secundam verò in foro exteriori. Ita Petrus de Aragon. *in 2.2.q.11. art.1. concl.2.* & Sanctarellus *de hæret.cap.1. dub.4.n.18. in fin.* & favet Tannerus *in 2.2. D.Th. disp.1. q.8. dub.5. n.91. & 94.* Verùm si hæc distinctio admittenda esset, paucos hæreticos puniret Tribunal S. Inquisit. cum periculo reipubl. quia omnes hæretici se defenderent, dicendo quòd non fuerint admoniti , & ideo primam sententiam non solùm in foro interiori, sed etiam exteriori puto amplectendam esse. Vnde Lorca *in 2.2. D. Th.q.11. art.2. disp.41 n.8.* sic ait : Per se, & ex natura rei non est necessaria admonitio , ut homo hæreticus sit pertinax, nam in his quæ manifesta sunt, qui errat ex electione & deliberatè , etiamsi à nullo speciatim admonitus sit, & priusquam admonitus sit pertinax , est etiam hæreticus.

5. Quare non rectè Alciatus, & quidam alij dicunt neminem censendum esse pertinacem , nisi eum , qui admonitus persistit in errore , quia sine speciali admonitione potest esse electio erroris contra Ecclesiam & si quæ admonitio necessaria est , ipsa notorietate doctrinæ fit , quemadmodum in excommunicationibus à jure lex ipsa sufficienter admonet, ut subsit contumaciæ quæ ad excommunicationem requiritur. Nec solùm in foro animæ , sed etiam in foro externo potest decerni pertinacia sine aliqua monitione prævia. Hæc Lorca doctissimè , ut semper solet. Vnde Paramus *de orig. Inquis. lib.1. tit.1. cap.4. num.5.* ait : In usu & more Ecclesiæ positum esse eum hæreticum decernere, qui errore imbutus fuerit à se damnato, quamvis nulla præierit commonentis eum vox , & ideo Paulus Garsia *in ordine processandi in S. Officio fol.11. à tergo*, sic ait. [Cada y quando que el Reo confessare haver tenido y creydo errores, se le ha de preguntar si sabia y entendia que la Yglesia Catholica Romana tenia lo contrario de lo que el creia , de manera que bastantemente satisfaga a lo que toca à la pertinacia que es lo que haze herege consumado.] Sic ibi. Sed audiamus Simancam *tit.48. num.7. & 8.* sic asserentem. Adnotatu dignum est quòd quicumque credit aliquam propositionem veram esse , cujus contrariam sciat esse catholicam, hoc solo consummatus hæreticus pertinax est. Nec audiendi quidam, quorum in numero est Alciatus , qui putant neminem hæreticum pertinacem esse , qui non habet animum obstinatum , & admonitus non persistit, nam pertinacia quæ consummatum facit hæreticum , non est obstinatio sola , sed quilibet etiam verus consensus contrarius cognitæ veritati Ecclesiæ Catholicæ. Accedit etiam ratio viva quidem & spirans, quia sacra Scriptura, & Ecclesiastica definitio , quibus fides Catholica continetur, plus operatur, & potest, quàm sexcentæ judicis admonitiones , & quàm mille prohibitiones juris humani. Sines igitur is , qui contradicit legitimis hominum admonitionibus , pertinax est, & qui facit contra prohibitionem legis humanæ, ipso facto incidit in excommunica

municationem, quæ nonnisi præcedentibus admonitionibus ferri solet, & legis authoritas pertinacem haberi facit quemlibet legis transgressorem; sic etiam qui contra Scripturam sacram, aut Ecclesiæ Catholicæ definitionem sciens errat, hoc solo sine alia admonitione pertinax hæreticus est. Ita Simanca, & tandem hanc sententiam docet novissimè Merolla *in disp. Theol. tom. 1. disp. 1. cap. 2. dub. 12. n. 181.* sic asserens. Infertur non requiri ad pertinaciam, ut quis de suo errore scienter admisso moneatur, & ipse adhuc persistere velit, sed sufficere si scienter erret contra id quod ab Ecclesia definitum esse cognoscit. Sic ille, & hanc opinionem tenet etiam Suarez *de fide disp. 19. sect. 3. num. 8.* & Ricciullus *tract. de jure person. &c. lib. 5. c. 2. num. 10.* ex quibus firmata satis remanet nostra sententia adversùs Sanctarellum, Alciatum, Menochium, & alios, nisi quis eos benignè intelligendos esse dicat, in casu quo hæreticus esset rudis & simplex, vel etiam sagax & doctus, quando relaxandus esset brachio sæculari; in his enim casibus concedimus, prætermittendam esse admonitionem. Sed quia, ut optimè advertit Becanus *tom. 3. in 2. 2. cap. 14 quæst. 2. num. 13.* ex doctrina superiùs allata sequitur, quòd nemo est hæreticus nisi sit pertinax in suo errore, & nemo est pertinax, nisi qui advertit se sentire contra Ecclesiam: ergo qui hoc ignorat, nec pertinax, nec hæreticus est. Ideo videtur hîc discutiendum necessariò quænam ignorantia excuset ab hæresi, & per consequens à pertinacia.

6. Suppono igitur ignorantiam culpabilem, seu voluntariam esse duplicem, una est affectata, quando quis ex industria vult aliquid ignorare, altera est crassa & supina, quando quis non ex industria & proposito, sed ex quadam negligentia ignorat ea quæ potest & debet scire; prior est directè & formaliter voluntaria, posterior indirectè & virtualiter, utraque tamen vincibilis & culpabilis, hoc supposito.

7. Prima opinio asserit ignorantiam crassam, & supinam, non excusari ab hæresi, & per consequens à pertinacia. Ita Lorca *in 2. 2. D. Thom. q. 11. artic. 2. disp. 41. num. 15.* Sotus *in 4 dist. 22. quæst. 2. artic. 3. post 3. concl. cas. 1.* Sayrus *de cens. lib. 1. cas. 14. n. 15.* Toletus *lib. 1. cap. 19. n. 2.* Felinus *in cap. 1. de hæret. n. 2.* Ancharanus *n. 5.* Boërius *n. 2.* Io. Andreas *n. 2.* & alij. Et ratio est, quia ignorantia culpabilis non excusat ab aliis peccatis: ergo nec ab hæresi: nam sicut homicidium semper est peccatum, sive fiat ex scientia, sive ex ignorantia culpabili, ita error circa fidem semper erit peccatum hæresis, sive scienter, sive ignoranter fiat modò ignorantia fuerit culpabilis.

8. Secunda opinio tenet nullum errorem contra fidem ex ignorantia vincibili etiam crassa commissum, esse hæresim. Ita Zumel *in 1. 2. quæst. 76. art. 4. disp. 1. paulò ante 1. concl.* Cano *de loc. Theol. lib. 12. cap. 9.* Castrus *de justa hæret. pun. lib. 1. cap 9.* & alij, quos citat & sequitur Merolla *in disp. Theol. tom. 1. disp. 1. cap. 2. dub. 12. num. 177.* quia de ratione hæresis est, ut quis erret in fide, sciens se credere, & opinari contra communem sensum Ecclesiæ. Sed qui habet crassam ignorantiam, circa communem sensum Ecclesiæ, non errat, sciens se credere, & opinari contra communem sensum Ecclesiæ: ergo non est hæreticus. Deinde quando quis ignorat se sentire contra suum Magistrum, non censetur esse pertinax, aut derogare authoritati Magistri, ergo, &c.

9. Tertia opinio, cui tanquam probabiliori adhæreo, docet non solùm ignorantiam crassam & supinam, sed etiam affectatam excusare ab hæresi. Ita hanc sententiam tenet Azorius, Aragon, Bañez, Suarez, Coninch, quos citat, & sequitur Castrus Palaus *tom. 1. tract. 4. disput. 3. punct. 2. num. 3.* quibus ego addo Pesantium *in 2. 2. quæst. 11. art. 1. disp. 1. concl. 1.* Becanum *tom. 3. in 2. 2. cap. 14. quæst. 2. num. 16.* Sanctarellum *tract. de hæresi. cap. 1. dub. 5. num. 23.* Ricciullum *tract. de jure person. & c. lib. 5. cap. 7. n. 13.* Ledesmam *in summ. tom. 2. cap. 6. concl. 4. diffic. 2.* & Vasquez *in 1. 2. disp. 126. cap. 2.* quicquid in contrarium affectant Valentia *tom. 3. disput. 1. quæst. 11. punct. 1. diffic. 4. ad 1. arg.* Zumel *in 1. 2. quæst. 76. art. 4. disp. 1.* Canus *de loc. Theol. lib. 11. cap. 9.* & alij.

10. Dico igitur primò, quòd ignorantia affectata potest duobus modis accidere, primò ex tædio addiscendi tantùm, ut si quis vult aliquid ignorare, quia tædet illum discere, & hoc modo error in rebus fidei non est hæresis, quia qui sic errat, non offendit authoritatem Ecclesiæ tanquam pertinax, & incredulus, licèt offendat Deum tanquam culpabiliter ignorans; ergo ipsius peccatum non est hæresis, aut pertinacia, sed ignorantia. Secundò potest contingere affectata ignorantia ex falsa opinione contra Ecclesiam, quia quis putat parvi momenti esse ea quæ in Ecclesia creduntur, & proponuntur, & hoc modo est hæreticus, quia ex illa falsa opinione affectaret ignorantiam.

11. Restat modò respondere ad argumentum primæ sententiæ. Dico igitur esse disparem rationem inter hæresim, & alia peccata, quia de ratione hæresis est pertinacia: at nemo in rebus fidei est pertinax, nisi sciat, & advertat se sentire contra Ecclesiam; quare qui hoc ignorat, non est pertinax, & consequenter non hæreticus; at verò pertinacia non est de ratione aliorum peccatorum, ac propterea cùm committuntur alia peccata, non requiritur in peccante, ut advertat se delinquere contra legem Dei, sed satis est si advertat, vel possit ac debeat advertere.

12. Notandum est tamen quòd omnia supradicta intelligenda sunt in foro interiori, nam in foro externo & judiciali errans in fide, si alleget ex ignorantia erasse, non creditur si error commissus sit in his, quæ quis ex officio scire tenetur, vel quæ passim & communiter illius qualitatis sunt. Vnde Sacerdotes & alij viri docti errantes in articulis fidei & præceptis Decalogi, ex malitia præsumuntur errare, & non ex ignorantia. Ita Sousa *in aphor. Inquis. lib. 1. cap. 12. n. 14.* & Castrus Palaus *tom. 1. tract. 4. punct. 2. num. 5.* qui citat Menochium, Farinacium, Decianum, & alios. ego tamen adducam pulchrum locum Albertini *q. 30. num. 37.* ubi sic ait: Si sumus in casu quòd aliquis negaret articulum divulgatum, vel contentum in Symbolo, quem tenetur explicitè & distincte credere, tunc ex eo est præsumptio violenta contrà eum quòd veritatem illius non ignorat, sed quòd illum asserit, scienter & non ignoranter, ideo pertinax hæreticus est judicandus, quamvis dicat se paratum corrigi.

13. Ex his consideratur, an bene dixerit Io. Lupus *in alleg. hæres.* ubi tenet, negantem assertionem Catholicam apud Catholicos divulgatam non esse hæreticum, si paratus est corrigi, quia ut sentio non bene loquitur, quia illa divulgatio inducit contra illum præsumptionem quam dixi, ex quo ille accusatus de hæresi cum Christianis communiter conversabatur, Ecclesias intrabat, & de his pertinentibus ad fidem Catholicam sæpè audivit prædicantes. Ita ille. Sed audiamus Simancam *tit. 28. n. 13.* sic asserentem. Nullus Christianus excusari potest prætextu ignorantiæ, si erraverit in articulis fidei, vel in præceptis Decalogi, vel in aliis veritatibus divulgatis, & quas quilibet scire debet, sed longè magis inexcusabiles sunt peritiores & acutiores. Non est tamen negandum cum Pegna *in direct. Inquis. p. 2. comm. 1.* Sanctarell. *de hæret. cap. 1. dub. 6. n. 29.* Io. Lopez *in alleg. §. 4. 5. & 7.* Palaeo Rubeos *in alleg. in mat. hær. §. 4.* Deciano *lib. 5. cap. 39. n. 11.* Armilla *ver. hæresis num. 1.* Sylvestro *ver. hæresis num. 1.* & aliis. Supradicta limitanda esse cum aliquibus cum

quibus probabiliter præsumitur, quòd non verè & perfectè sciebant Catholicas veritates, ut v. g. quia simplices erant ut multi laici & rustici homines, aut quia dogma non erat de articulis fidei, qui in Ecclesia solent solemnizatissima isti arbitrio judicis debent puniri, & non ut formaliter hæretici, sed tanquam suspecti de hæresi, debent abjurare, & quamvis glossa *in cap. schisma 24.q.1. ver. magis, & ver. ignorantia.* Albertin. *in rubr. de hæret. in 6.q.13.n.13. & 24.* hanc limitationem non admittant, tamen intelligendi sunt de illis viris idoneis & simplicibus qui non sunt parati corrigi ab Ecclesia, ut notat Angelus *ver. fides, num.6.* Tabiena *eodem ver.n.7.* & Sanctarellus *loc.cit.* Ex his Inquisitoribus San Vincente *in manuscript. cap.2.§.16.* ita rectè asseruit. [Algunas proposiciones ay que aunque sean formalmente hereticas dichas por personas ignorantes de poca capacidad pusilanimes llebadas de malencolia y falta de instrucion, que por estas y otras causas parece que no se puede reputar, ni presumir vehemente que sean hereges, si no erraticas, y ansi confessando haverlas dicho, y que no sabian eran contra loque tiene la Yglesia, negando la pertinacia y dando alguna razon natural, que les movio à dezir y creer dichas proposiciones como una muger de quinçe años que io conoçi que dixo, que no creya que nuestra Señora pudiesse quedar virgen despues de haver parido, y otra que dixo que la Sanctissima Trinidad era una buena vieja y que no pudia creer que nuestro Señor estuviesse en la hostia, porque no podia caber en ella, y ansi suele darseles algunas penitençias ligeras, o absolverles ad cautelam, o abjurar de levi, y algunas veces no siendo tanta la ignorançia podria haver abjuracion de vehementi.]

14. Sed quia dictum est aliquando ad constituendum hominem hæreticum necessariam esse admonitionem, ut v. g. quando laicus, vel rusticus simplex errat ex ignorantia, restat pro complemento hujus disputationis inquirere, an in tali casu censendus sit hæreticus pertinax, si talis vir simplex admonitus ab Inquisitoribus, vel Episcopo adhuc in suo errore persistat.

15. Prima opinio negat & asserit, non satis esse ad pertinaciam de qua loquimur, si quis admoneatur de suo errore admissus, non solùm à viris gravissimis, sed etiam ab Inquisitoribus & Episcopo, nam si talis semper existimet suam opinionem non esse adversus sensum Rom. Ecclesiæ, & ipsos Inquisitores & Episcopum decipi, non est verus hæreticus pertinax. Ita Valentia *tom.3. disput.1. quæst.11. punct.1. diffic.4.* Torres *de Trin. q.32. art.4. in part. comm.* Salas *in 1. 2. tract.13. disp.7. sect.7. n.53.* Saytus *de cens. lib.3. cap.4. num.17.* Sanchez *in sum. tom.1. lib.2. cap.7. num.25.* Sanctarell. *de hæret. cap.1. dub.6. num.28.* & alij penes ipsos, & ratio est, quia, ut sæpiùs dictum est, nisi qui credat se opinari contra Ecclesiæ doctrinam, non est hæreticus pertinax.

16. Secunda opinio affirmat, ita Bartol. *in l. tutor, §. tutores, num.1. ff. de suspectis tutor.* Rebuffus *in Bull. Cœn. excomm.1. art.1. ver. hæreticos.* Vgolinus *in Bull. Cœn. part.2. cap.1.§.1. num.10.* Pegna *in direct. Inquisit. part.1. comment.26.* Duardus *in Bull. Cœn. libro 2. can.1. quæst.25. num.4.* Farinacius *de hæret. quæst.169. num.10.* Simanc. *tit.48. à num.18.* Albertinus *quæst.30.* & alij.

17. Tertia opinio distinguit, & asserit negativam sententiam procedere in foro interiori; sequendam verò affirmativam in foro exteriori, ut patet *in cap. ad abolendam, de hær.* ita Merolla *in disp. Theol. to.1. disp.1. tract.2. n.183.* Suarez *de fide disp.19. sect.3. n.21.* Vasquez *in 1.2. tom.1. disp.126. cap.3. n.7.* & Lorca *in 2.2. D. Th. quæst.11. art.2. disp.41. n.20.* & ego huic tertiæ sententiæ tanquam probabiliori adhæreo, licet Castrus Palaus *tom.1. tract.4. disp.3. p.2. n.6.* asserat opinionem affirmativam tenendam esse non solùm in foro exteriori, sed etiam interioti. Sed contra Palaum non est recedendum à negativa sententia quoad forum interius; secus autem, ut dictum est, quoad exterius, in quo errantes ab Inquisitoribus, Episcopo, vel ab alio viro docto ab illis ad hoc deputato admoniti & non resipiscentes censendi sunt, & damnandi tanquam hæretici; & ratio est, ut optimè advertit Lorca, quoniam ad judicium cujuscumque causæ & cujuscumque hæretici non oportet Ecclesiam congregare, neque Sum. Pontificem adire, & oportuit esse peculiares judices, quorum judicio causa finiatur, præsertim cùm hi prudenti semper & maturo examine procedant, nec nisi in certis & manifestis sententiam proferant. Ita ille, & ego, & hæc dicta sufficiant circa præsentem quæstionem, in qua omnia satis explicata videntur quæ constituunt hominem hæreticum pertinacem in foro fori & poli.

RESOL. XXXVII.

In imponendis pœnis quando discrepant Inquisitores, & Ordinarij, quid faciendum?

Et notatur, quod est differentia inter Inquisitionem Romanam, & Hispanam; nam in Inquisitione Romana postquam concorditer Episcopus, & Inquisitores imposuerunt delinquenti aliquam pœnam possunt cumulative eam minuere; in Hispania vero ex privilegio Summi Pontificis Supremus Inquisitor habet potestatem minuendi, & relaxandi pœnas.

Et an hodie Inquisitores in depositione Crucis signatæ, vulgo dictæ San Benito, *minime dispensare possint?* Ex p.4. tract.7. Res. etiam 37.

§.1. AD hoc dubium ita respondet Sanctarellus *de hæresi c.40. dub.2. num.13.* Quando Inquisitor & Episcopus dissentiunt, tunc consulendus est Romanus Pontifex, ex *cap. per hoc de hæret. in 6.* ubi dicitur. In qua sententia ferenda si non convenerint, per utrosque negotium sufficienter instructum ad Sedem Apostolicam remittatur. Ita textus *ibi*, & Sanctarellus, quod etiam novissimè docuit Barbosa *in collect. tom.3. lib.5. tit.2. cap.17. n.15.* ubi sic ait. Notandum quòd discordantibus Inquisitore, & Episcopo in prolatione sententiæ, seu in alio actu quem quisque solus expedire non potest, debent Sedem Apostolicam consulere. Ita ille, & ante omnes Vmbertus Locatus *in praxi Inquisit. ver. Tortura, §. sed pone quod Episcopum.* Sed hoc procedit in Inquisitione Romana, secus autem servatur in Hispanica, in qua ex privilegio Sedis Apostolicæ, quando Episcopi & Inquisitores in aliquo discordant, non ad Summum Pontificem, sed ad supremum Inquisitionis Senatum causa instructa recurrendum est; ut notat Simanca *tit.25. num.5.* ubi sic ait: Si Episcopus & Inquisitores concordes non fuerint in pronunciando, tunc remittenda est causa instructa ad Apostolicam Sedem. Sed hoc in Hispania longè aliter fit, nam eùm Episcopi & Inquisitores non sunt concordes, remittitur causa instructa ad Senatum sacræ Inquisitionis. Ita ille & post illum Molina *de just. tract.5. disp.28. num.14.* ubi *in fine* ita asserit. Postquam hæc scripsi, à fide dignis accepi, id quod de recursu ad supr. Senatum Inquisitoremque Generalem, quando Ordinarius & Inquisitores discordant, authoritate literarum Apostolicarum fuisse in hoc Regno sancitum. Neque sanè aliter id sibi Generales Inquisitores usurpassent, in Episcoporum præjudicium, quàm Apostolica authoritate. Hæc Molina, qui citat Rojas & Pegnam, quibus ego addo Freytam *in editione novissima de Confess. solic. quæst.15. num.20.* & ideo in

Instruct.

Instruct. Tolet. *ann.* 1561. *num.* 66. sic statuitur. [En todos los casos que huviere discrepancia de votos entre los Inquisidores y Ordinario, o alguno dellos en la definicion de la causa, o en qualquier otro auto, o sentécia interlocutoria se deve remitir la causa al Consejo] Sic ibi, quod etiam observatur in quibuscumque appellationibus. Vnde Bariola *in florib. Inquisit. part.* 2. *comment.* 31 §. 12. sic asserit: Ab Inquisitore & ab Episcopo, ad Rom. Inquisitionem appellatur, vel ad Papam, in Hispania à privatis Inquisitoribus ad Generalem Regnorum Inquisitorem, quod etiam notavit Martinus Real *in allegat. pro jur. sancti Officij, conclus.* 1. *num.* 108. ubi sic ait. [Desta Inquisiçion de Sicilia y de las demas de España se va en grado de apelacion, o por via de recuso, o agravio al Inquisidor General, y Consejo de la General Inquisiçion en virtud de Privilegios Apostol. de las demas Inquisiçiones de Italia, se recurre a la sacra Congregaçion de la universal Inquisiçion por disposiçion de derecho.] Ita ille, & ante illum Pegna *in direct. Inquisit. part.* 3. *comment.* 21. *nam.* 116. & Paramus *de orig. Inquis. lib.* 3. *quæst.* 4. *num.* 101. & ideo *in dicta Instruct. Tol. ann.* 1561. *num.* 84. ita habetur. [Si en algun caso pareciesse a los Inquisidores, que deven otorgar la apelaçion en las causas criminales de los Reos que estan presos, deven embiar los processos al Consejo.] Sic ibi, & hæc praxis fundata est in privil. Pontif. & in particulari Clem. VII. ut patet in ejus Bulla data Romæ 16. *Iunij anno* 1525.

2. Verùm quia in hoc Regno Siciliæ adsunt tres Inquisitores, & Episcopus cum illis, quid faciendum si inter eos in judicando oriatur aliqua differentia? Ad hoc dubium respondet Simanca *tit.* 60. *cap.* 10. sic enim ait: Cùm Inquisitores dissentiunt, & causa in senatu S. Inquisitionis definitur, sententiæ subscribere omnes debent etiam ij qui contrariam, vel diversam opinionem tuebantur. Quòd si fortè in provincia quapiam tres Inquisitores sint, & unus eorum cum Episcopo, vel ejus Vicario sentiat, alij autem duo Inquisitores ab eis dissentiant, remittenda est causa ad Senatum. Si vero duo Inquisitores cum ordinario consentiant, sententia protinus ferenda est, non expectato judicio Senatus. Ita Simanca.

3. Notanda est etiam hîc obiter alia differentia inter Inquisitionem Romanam, & Hispanam. Nam in Inquisitione Romana postquam concorditer Episcopus, & Inquisitor imposuerunt delinquenti aliquam pœnam possunt cumulativè illam minorare, ut docet Bariola *in aphor. lit. P. ver. Pœna* §. 15. ubi sic ait. Pœna delinquentibus in S. Officio minorari potest per Ordinarium, & Inquisitores, ex *c. commissi. de hær. in* 6. Hodie ex decr. Vrbis de mandato Vrban. VIII. id fieri non potest, nisi cumulativè, id est, consentiente Episcopo, & Inquisitore. Ita ille. Vnde non est ampliùs amplectenda opinio Zanchini *tract. de hæret. cap.* 21. *numero* 2. asserentis, Inquisitores circa laicos posse mitigare & mutare pœnam petito consilio Episcopi, licet non obtento consensu; secus verò circa Clericos; nam debet requirere consilium, & expectare consensum, non, inquam hæc opinio est amplectenda ampliùs, nam ex dicto decreto Vrb. VIII. Inquisitoribus denegatur potestas minorandi pœnas sine consensu Episcopi. Sed hæc omnia procedunt in Inquisitione Romana non autem in Hispana, ubi ex speciali privilegio Sum. Pontif. solus supr. Inquisitor habet potestatem minuendi, & relaxandi pœnas delinquentibus impositas, ut testatur Rojas *singul.* 155. *num.* 5. & *part.* 2. *de hæret. n.* 210. & *num.* 382. ubi sic ait, De jure comm. Inquisitoribus vel unà cum Prælatis permissum erat mutare, seu mitigare sententias in hæreticos jam prolatas, ex *c. ut commissi. §. necnon, de hæret. in* 6. quod sanè hodie aliter statutum est per instruct. Hispalen. *cap.* 7. & Tolet. *cap.* 9. nam ad solum Gen. Inquisitorem id dispensationis genus hodie pertinet. Ita ille, & hoc etiam observat Simanca *tit.* 16. *num.* 20. Pegna *in direct. part.* 3. *comment.* 108. & 141. Farinacius *de hæret. quæst.* 186. *num.* 79. & alij. Vnde hodie Inquisitores in depositione Crucis signatæ vulgò dictæ *San Benito*, minimè dispensare possunt, sed hoc ad Supr. Inquisitorem spectat, ut ex Simanca notavit Pegna *ibi suprà in comment.* 108.

RESOL. XXXVIII.

An Inquisitores in imponendis panis teneantur sequi vota Consultorum?

Et aliqua alia quæruntur, & notantur contingentia inter consultores, & Inquisitores.

Et in calce hujus Resolutionis alium casum decisum invenies pro Consultoribus tantum. Ex p. 4. tract. 7. Resol. etiam 38.

§. 1. QVod consilium Consultorum sit petendum, patet ex textu *in cap. fin. ad med. de hæret. in* 6. & *in cap. ut commissi*, §. *advocandi eodem titulo. & lib.* Sed difficultas est, an in tali casu vota Consultorum sint decisiva, ita ut illa teneantur Inquisitores sequi? In Inquisitione Lusitana vota Consultorum esse decisiva testatur Sousa *in aphorism. Inquisit. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 14. & *lib.* 2. *c.* 36. *num.* 9. & hanc opinionem affirmativam absolutè tenet Albertinus *quæst.* 26. *conclus.* 15. Homobonus de Bonis, *tract. de statibus part.* 1. *cap.* 8. & Michaël Zanardus *in director. Theol. part.* 2. *pr.* 1. *cap.* 6. *quæst.* 42. asserit esse periculosum, & reprehensione dignum, Inquisitores in tribus casibus à voto Consultorum discordare. Primò, quando cum Consultoribus consentit Episcopus. Secundò quando omnes Consultores sunt in uno voto. Tertiò, quando major pars consentit in innocentiam Inquisiti; & etiam absolutè Decianus *lib.* 5. *cap.* 24. *numero* 10. tenet, quòd Inquisitores tenentur sequi peritorum consilia.

2. His tamen non obstantibus (sententiam contra me ipsum proferendo puto vota nostra in sacro Tribunali non esse decisiva, sed tantùm consultiva, & ita servari in Inquisitione Hispanica, patet ex Instruct. Tolet. *anno* 1561. *num* 66. ubi sic statuitur. [En todos los casos que huviere discrepancia de votos entre los Inquisidores, y Ordinario, o alguno dellos en la definicion de la causa, o en qualquier otro voto, o sentençia interlocutoria, se deve remitir la causa al Consejo; pero donde en los suso dichos, estuvieren conformes, aunque los Consultores discrepen, sean major numero, se execute los votos de los Inquisidores, y ordinario.] Ita ibi in quibus verbis clarè determinatur, vota peritorum esse tantùm consultiva; & ita etiam tenet Aloysius Bariola *in aphor. lit. V, ver. vota Consultorum.* Barbosa *in Collect. tom.* 3. *lib.* 5. *tit.* 2. *cap.* 12. *num.* 8. Cenedo *Collect.* 27. *num.* 2. *in* 6. *Decretal.* Tabiena *ver. Inquisitor. n.* 12. Lucerna Inquis. *ver. Advocatus*, 4. & *ibi* Pegna *in annotat.* Zecchius *in sum. tom.* 1. *tit. de hæret. c.* 11. *num.* 14. Rojas *de hæret. 1. n.* 409. & *part.* 2. *num.* 166. Simanca *tit.* 41. *num.* 14. Burfatus *lib.* 1. *consil.* 90. *num.* 36. & 49. Trevisanus *lib.* 2. *decis.* 35. *num.* 1. Spina contra Ponzinibium *Apol.* 3. *cap. ult.* Verùm ego puto, cum Pegna *in director. Inquisit. part.* 3. *comment.* 127. non esse tutum si Inquisitores sunt Theologi, discedere à Consultorum suffragiis, quod etiam asserit Bariola *ubi suprà.*

3. Sed major difficultas est, an Inquisitores licèt non teneantur sequi vota Consultorum, teneantur tamen advocare illos, ita ut sententia sine eis prolata, sit invalida? & affirmativè videtur respondendum

quia in casu nostro petere consilium peritorum, requiritur prò forma; ea verò deficiente, actus non subsistit, ut patet *in c. dilecta, de rescript.* Vnde dixit gloss. celebris *in cap. non est, de consuet. in 6.* quod si sententia proferenda est, ut alterius consilio, si eo non expectato proferatur, non valet sententia, neque opus est appellatione, & *in cap. cum in veteri, de elect.* imitatur electio ob omissum consilium & idem habetur *in cap. novit, de his quæ sunt à Prælato*; & hanc sententiam tenet Mosla *in empor. juris, tit. 12. quæst. 10 num. 2.* & in terminis hanc opinionem mordicus docet Castrus Palaus *tract. 4. disp. 8 punct. 11. num. 4.* ubi probat sententiam latam ab Inquisitoribus non vocatis Consultoribus esse invalidam.

4. Verùm contra Palaum posset aliquis dicere, quòd si aliunde habenti potestatem mandatur consilium peti, ob illius omissionem non debet censeri actus nullus, ut tenet Sylvester *ver. consilium, quæst. 1. & 3.* Panormitanus *in cap. ex parte, de constit. circa finem*, Salas *de legibus, disp. 14. sect. 10. num. 43.* & alij, quia in tali casu præsumitur consilium mandari, ut rectè actus præstetur, non, ut validè; sed hoc accidit in casu nostro: nam, ut patet *in dicto cap. fin.* Bonifacius VIII. præcepit Inquisitoribus, ut in sententiis adhiberent peritorum consilia, qui tamen Inquisitores antea ab aliis Pontificibus, & præsertim ab Vrbano IV. & Clem. IV. ut docet Mosconius *de majest. militan. Eccles. part. 1. cap. 11.* & Zanardus *in direct. Theolog. p. 1. 2. pr. 1. cap. 6. quæst. 6.* potestatem sententiandi contra hæreticos sine voto Consultorum habebant. Ergo, &c.

Sup. hoc sup. in tr. 10. Ref. 38. §. 1. propè fin. à vers. Securus autem. & in Ref. 9. §. 1.

5. An verò Inquisitores teneantur adhibere consilium peritorum in captura? respondet Sousa *in Aphorism. Inquis. lib. 2. cap. 26. num. 16.* ubi sic ait. Quando adsunt sufficientes probationes ad capturam, petat Fiscalis ab Inquisitoribus, ut reus comprehendatur, qui de peritorum consilio quid opus sit deliberent, quamvis sine eorum consilio id facere possint. Ita ille, & ante illum Pegna *in direct. part. 3. comment. 17.* unde *in Instruct. Tolet. anno 1561. num. 3.* sic habetur. [Los Inquisidores vista la informaçion juntamente, y no el uno, sin el otro, si estuvieren ambos presentes acuerden la prision, y parece seria mas justificada se comunicasse con los Consultores de aquella Inquisicion si buenamente se pudiere hazer y pareçiere à los Inquisidores conveniente y necessario.] Sic ibi, & in hoc casu loquutus est textus *in cap. ut commissi, de hæret. in 6.* ubi datur facultas Inquisitoribus vocandi peritos, prout expedierit, quasi tacitè insinuans non esse vocandos, si judicatum fuerit non expedire; quod est valdè notandum, ut iste textus concordetur cum alio textu *in cap. fin. §. jubemus, eodem titulo*, ubi in sententia ferenda, ut *suprà* visum est, jubetur Inquisitoribus Consultores omnino vocare.

6. Et tandem pro coronide hujus resolut. notandum est hîc obiter in ordine ad praxim, quòd in aliquibus Inquisitionibus consuetudo obtinuit, ut nomina testium Consultoribus non manifestentur; nisi in aliquo speciali casu, ut notat Aioysius Bariola *in aphorism. lit. T. ver. Testis, §. 8.* Honoratus Figuerola *in notis marginalibus ad Zanchinum ubi infrà.* Michaël Zanardus *in direct. Theolog. p. 2. cap. 6. quæst. 42.* Pegna *in direct. Inquisit. part. 3. comment. 129.* & hanc opinionem tenet Campegius *in addit. ad Zanchinum. tract. de hæret. cap. 15. lit. A.* & novissimè Castrus Palaus *ubi suprà num. 3.* & suprà dicta consuetudo, ut opinor, introducta fuit in favorem fidei, ad alliciendum testes, ut faciliùs, & securiùs contra hæreticos deponerent, cùm scirent eorum nomina non solum reis, sed etiam neque Consultoribus manifestari.

7. Verùm praxis nostræ Inquisitionis Hispanicæ contrarium observat, & ideo Consultoribus manifestantur nomina testium, quòd expresè habetur *in cap. statuta, §. jubemus de hæret. in 6* & *ibi* Ancharanus *num. 1. in fine*, & ita docet etiam Sousa *in aphorism. Inquisit. lib. 2. cap. 6. num. 76.* & Eymericus *in director. Inquisit. part. 3. quæst. 80.*

8. Nota etiam, teste Honorato Figuerola *in notis marginalibus ad Zanchinum de hæretic. cap. 15. in addit. lit. A.* quod aliquarum Inquisitionum usus comprobat, ut Consultoribus summa tantùm processus manifestetur. Sed in nostra Inquisitione Hispanica, ut observat Paramus *de origine Inquisit. lib. 3. q. 4. n. 56.* per extensum à Secretario S. Officij Consultoribus totus processus legitur, & ita statuitur *in Instruct. Toletana anno 1561.* ubi *num. 40.* sic habetur. [Puesta la causa en este estado los Inquisidores iuntaran con sigo al Ordinario y consultores del santo Oficio à los quales comunicaran todo el processo, sin que falte cosa sustançial del.] Ita ibi. quod etiam determinatur *in dicto cap. final. §. jubemus, de hæret. in 6.* Vide etiam Eymericum *in director. Inquisit. part. 3. quæst. 79.* & *ibi* Pegna *comment. 128. cum Lucerna Inquisitor. §. 21.* & Zanardo *ubi infrà*, & quia in hac resolutione incidit sermo de Consultoribus, nō desinā hîc adnotare cum Michaële Zanardo *in direct. Theol. part. 2. præcept. 1. c. 6. q. 42.* quòd dum Consultores de causis fidei auditis inter se discurrunt non audientibus aliis, qui non sunt Consultores, quamvis de his discurrant extra Congregationem, non incurrunt pœnas violati secreti, imò postquā publicatus est processus, & lecta sententia, possunt dicere votum quod in dicta causa dederunt, quia agitur de re jam publicata; potest tamen hoc esse peccatum, quando alij devenirent in cognitionem illorum, qui contra delinquentes votarunt, & sic orirentur rixæ, odia, &c. licèt quo ad hoc ultimum opinio Zanardi non videatur amplectenda. Et hæc dicta sufficiant circa præsentem tractatum, salvo semper meliori judicio & censura Eminentissimorum Dominorum meorum Cardinalium Inquisitorum Generalium in sancta Vniversali Inquisitione Romana, & supremi fidei Quæsitoris Sanctæ Inquisitionis Hispanicæ.

TRACTA

TRACTATVS XIII.
IN QVO AD PEDEM LITERÆ CONTINENTVR,
DECRETA ET CONSTITVTIONES RECENTIORVM PONTIFICVM
ad Tribunal Sancti Officij spectantes:

Vt habentur, in fine part. 4. Secundum Ordinem. R. P. Dianæ.

LECTORI BENEVOLO.

CVM Doctissimus Franciscus Pegna in fine Directorij Inquisitorum, litteras Apostolicas ad sanctum Officium pertinentes, posuerit: visum est & mihi, in tui commodum, Decreta, & Bullas posteriores aliorum recentiorum Pontificum, ad eandem materiam spectantes, hic simul in unum collectas proponere, eas præsertim, quæ in his tractatibus à me sunt advocatæ.

DECRETVM
S. D. N. PP.
VRBANI VIII.

Feria 5. die 14. Aprilis 1633.

IN Generali Congregatione sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico montis Quirinalis coram sanctissimo Domino nostro D. Vrbano divina providentia Papa VIII. ac Eminentissimis & Reverendissimis Dominis sanctæ Romanæ Ecclesiæ adversùs hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus à sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SANCTISSIMVS Dominus noster sedulò incumbens, ut ea, quæ salubriter Apostolicis decretis, & constitutionibus statuta, & ordinata sunt, præsertim quæ ad sanctum Officium Inquisitionis contra hæreticam pravitatem pertinent, inviolabiliter observentur, &

& omnimodam sortiantur executionem, districtè mandat; & præcipit, ut omnes Superiores cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, etiam de necessitate exprimendæ Regularis, aut cujusvis alterius instituti, etiam quantumvis exempti, & privilegiati, teneantur sub pœna privationis Officij, ac vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrenda, aliisque arbitrio Sanctitatis suæ infligendis in perpetuum semel saltem in anno, id est, feria sexta post Octavam Assumptionis beatæ Mariæ Virginis in publica mensa, vel in Capitulo ad hoc specialiter convocato; & insuper in quocumque Generali, ac Provinciali Capitulo, Conventu, Dieta, vel alio quovis nomine nuncupato Capitulari congressu, suos subditos, ac Religiosos commonere de injuncta omnibus observantia, & executione earumdem Apostolicarum constitutionum, & decretorum, ad S. Officium Inquisitionis adversùs hæreticam pravitatem continentium, ac præsertim.

Iulii III. constit. 1. incipit, *Licet à diversis*, contra impedientes Inquisitores hæreticæ pravitatis in eorum Officio, aut in causis Inquisitionis se ingerentes, eorúmque complices, & fautores: & contra ipsos Inquisitores admittentes laicos ad criminis hæresis cognitionem. Et Pij V. constit. 82. incipit, *Si de protegendis*, contra occidentes, verberantes, dejicientes, aut perterrefacientes, quemvis ex ministris S. Officij Inquisitionis, vel Episcoporum id munus in sua diœcesi, vel provincia, obeuntium, seu accusatorem, denunciatorem, aut testem, in causa fidei quomodocumque productum, vel evocatum: necnon contra diripientes, expugnantes, invadentes, incendentes, expilantes, alióve exportantes alicujus prædictorum bona, libros, litteras, auctoritates, exemplaria, regesta, protocolla, exempla, scripturas, aliáve instrumenta, sive publica, sive privata, ubicumque posita, eorúmque complices, & fautores; & contra effringentes carcerem, vel custodiam publicam, vel privatam, extrahentes, vel emittentes victum, prohibentes capiendum, captúmve eripientes, recipientes, occultantes, seu facultatè effugiendi dantes, seu id fieri jubentes, eorúmque complices, & fautores, etiam effectu non secuto, nullatenus excusandos, nisi claras tantummodo probationes in contrarium adducentes, & contra intercedentes pro præfatis delinquentibus: inflictis contra quemlibet prædictorum pœnis, quæ damnatis ex primo capite legis Iuliæ majestatis, eorúmque filiis, irrogantur: & oblata revelantibus impunitate.

Pii IV. constit. 91. incipit, *Cùm sicut nuper*, contra Sacerdotes, qui pœnitentes mulieres in actu sacramentalis confessionis ad inhonestos actus provocare, & allicere tentant, & solicitant. Et Gregor. XV. constit. 34. incipit, *Vniversi Dominici gregis*, ampliativæ circa hujus criminis probationes, & extensivæ contra Confessarios, qui personas (quæcumque illæ sint) ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis, quomodolibet perpetranda in actu sacramentalis confessionis, sive ante, sive post immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis, vel extra occasionem confessionis in confessionario, aut alio in loco, ad audiendam confessionem electo, solicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint. Et contra Confessarios non monentes eos, quos sciunt ab aliis Confessariis solicitatos esse, ut Inquisitoribus, vel Ordinariis solicitantes denuncient, vel docentes eos ad ita denunciandum non teneri.

Gregorii XIII. constit. 22. incidit, *Officij nostri partes*, de jurisdictione Inquisitorum hæreticæ pravitatis in eos, quid ad ordinem Presbyteratus non promoti, Missas celebrant, & sacramentaliter confessiones audiunt. Clem. VIII. constit. 81. incipit, *Etsi alias*, declaratoriæ pœnæ contra eos infligendæ per judices laicos, prævia eorum degradatione. Et Sanctitatis suæ constit. 79. incipit, *Apostolatus Officium*, extensivæ ad minores 25. annis, dummodo vigesimum ætatis annum compleverint.

Sixti V. constit. 17. incipit, *Cæli, & terræ creator*, contra exercentes artem Astrologiæ judiciariæ, & alia quæcumque divinationum genera, libróve harum artium legentes, vel tenentes. Et Sanctitatis suæ constit. 113. incipit, *Inscrutabilia judiciorum Dei*, extensivæ ad alia, & cum gravioribus pœnis.

Clem. VIII. constit. 42. incipit, *Cùm sicut*, contra Italos, ne extra Italiam proficiscantur ad loca, in quibus liber, & publicus cultus, sive usus Catholicæ Religionis non existat, minúsque in eis locis habitent. Et Greg. XV. constit. 28. incipit, *Romani Pontificis*, contra hæreticos, ne in locis Italiæ, & insularum adjacentium quovis prætextu commorentur, & contra eorum fautores, & receptatores.

Pavli V. constitut. 26. incipit, *Romanus Pontifex*, revocatoriæ facultatum Superioribus quorumcumque Ordinum, & Religiosorum quoquo modo concessarum, cognoscendi causas suorum subditorum ad Officium Sanctæ Inquisitionis quomodolibet pertinentes.

Ejusdem constitut. 97. incipit, *Regis pacifici*, innovatoriæ constitutionum à Sixto IV. & Pio V. de conceptione Beatæ Mariæ Virginis editarum: impositionis majorum pœnarum in transgressores, à locorum Ordinariis, & hæreticæ pravitatis Inquisitoribus puniendos. Et

Gregorio

Gregorio XV. constitut. 29. incipit, *Sanctissimus Dominus noster auditis*, ampliativæ, & declaratoriæ prohibitionis asserendi, Beatam Mariam Virginem conceptam esse in peccato originali.

Gregor. XV. Constitut. 27. incipit, *Romanus Pontifex in specula*, revocatoriæ quarumcumque concessionum vivæ vocis oracula factarum. Et Sanctitatis suæ Constit. extensivæ ad quoscumque quantumvis privilegiatos, & exemptos, incip. *Aliàs fel. rec. Gregor. Papa XV. sub dat. Romæ 20. Decembris* 1631.

Ejusdem Constit. 40. incip. *Apostolatus officium*, & Sanctitatis suæ constit. 114. incip. *eo modo*, revocatoriæ licentiarum quarumcumque legendi, & habendi libros prohibitos.

Sanctitatis suæ Constitut. 37. incipit, *Sanctissimus Dominus noster solicitè animadvertens*, de imaginibus nondum à Sede Apostolica canonizatorum, vel beatificatorum cum radiis, splendoribus, aut laureolis, non proponendis: tabellis, aut luminaribus ad eorum sepulchra non opponendis: eorúmve gestis, miraculis, revelationibus, beneficiorum impetrationibus, non publicandis, aut imponendis.

Pariter Sanctitatis suæ Const. 50. incip. *Sanctissimus Dominus noster pro debito sui Pastoralis officij*, de libris ubicumque compositis, de quacumque materia tractantibus, ab his, qui leguntur in statu Ecclesiastico, non transmittendis aliò, ut imprimantur, sine Vicarij, & Magistri sacri Palatij in Vrbe, vel extrà jam sine Ordinarij, & Inquisitoris, aut ab eis Deputatorum licentia.

Et ejusdem Sanctitatis suæ Constit. sub dat. Romæ die 5. Novembris 1631. incipit, *Cùm sicut accepimus*, quòd Constitutiones Apostolicæ in concernentibus fidem Catholicam, & Sanctæ Inquisitionis Officium hactenus editæ, & imposterum etiam super quacumque alia re edendæ, omnes Regulares quomodolibet privilegiatos comprehendant, nisi in edendis illi specialiter excipiantur.

Et insuper iidem Superiores teneantur curare, & efficere, ut hujus decreti exempla aliquo in loco apud eos publico affigantur, & affixa conserventur, ita ut ab eisdem subditis Religiosis omnibus videri, ac legi commodè queant. Déque hujusmodi commonitione publico documento statim certiorem facere Congregationem sanctissimæ Inquisitionis in Vrbe. Et ita mandat, & præcipit Sanctitas sua.

Ioannes Antonius Thomasius, sanctæ Romanæ,
& universalis Inquisitionis Not.

Anno millesimo sexcentesimo trigesimo tertio, Indictione prima, Pontificatus S. D. N. D. Vrbani divina providentia Papæ Octavi, die verò septima mensis Iunij supradictæ literæ, sive decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Principis Apostolorum, ac in acie Campi Floræ, ut moris est, per me Alexandrum Labinium, Prælibati Sanctissimi D. N. Papæ Cursorem.

Sequuntur Constitutiones relatæ in suprascripto Decreto.

Contra impedientes Inquisitores hæreticæ pravitatis in eorum Officio, aut in causis Inquisitionis se ingerentes. Et contra ipsos Inquisitores, admittentes laicos ad criminis hæresis cognitionem.

Iulius Episcopus, servus servorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

Licèt à diversis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, etiam per speciales Constitutiones in corpore juris insertas, fuerit ritè, & salubriter sancitum, atque decretum, ut sæculi Potestates, & Domini temporales, ac Provinciarũ, civitatum, terrarum, & locorũ quorumcumque Rectores, quibuscumque dignitatibus, vel officiis, aut nominibus censeantur, Diœcesanis Episcopis, & Inquisitoribus hæreticæ pravitatis in ipso Inquisitionis negotio faveant, & assistant, nemóque ex prædictis Potestatibus, Dominis, & Rectoribus, eorúmque Officialibus de crimine hæresis, cùm merè sit Ecclesiasticum, quoquomodo cognoscat, vel judicet, neque Diœcesano Episcopo, vel Inquisitori ipsius Inquisitionis negotio incumbenti se opponere, aut ipsum aliquarenus impedire, vel impedientibus auxilium, aut favorem scienter dare audeat, perpetuæ damnationis sententia in eos, qui contra prædicta fecerint, promulgata, quam si per annum animo sustinuerint pertinaci, ex tunc velut hæretici condemnentur; usque adeò tamen in omnibus ferè, non solùm Italiæ, verùm etiam aliis Provinciis, civitatibus, terris, & locis, complurium laicorum, ut accepimus, mundanæ gloriæ processit ambitio, vel sacrorum Canonum inscitia, vel Ecclesiasticæ disciplinæ contemptus, ut animarum suarum perniciem, atque interitum,

rum, Diœcesanos Episcopos, & Inquisitores à Sede Apostolica institutos Inquisitionis officium exercentes, alij subjustitiæ prætextu, ne ulli scilicet fiat injuria, impedire; alij verò sub pietatis colore, ut fontes scilicet severiùs puniantur, se ipsis Diœcesanis Episcopis, & Inquisitoribus adjungere, & unà cum eis de ipso hæresis crimine cognoscere, processus formare, formatósque suo judicio submittere non erubescant.

§. 1. Cui sanè morbo jam nimis latè progredienti, solitam, ac salutarem Ecclesiæ medicinam pro nostra pastorali solicitudine afferre cupientes, sæculi Potestates, Dominos temporales, ac Provinciarum, civitatum, terrarum, & locorum Rectores supradictos, necnon quascumque alias sæculares personas, tam privatas, quàm publico quovis munere fungentes, requirimus, & monemus, ac eis in Iesu Christi Redemptoris nostri (cujus vices, licèt immeriti, gerimus in terris) nomine præcipimus, ne Diœcesanos Episcopos, & Inquisitores ipsos in suo Inquisitionis negotio, ullo modo impediant, seu perturbent; neque se in hæresis crimine cognoscendo, vel judicando, quovis etiam assistentiæ, & favoris colore, causa, vel occasione (nisi quatenus ab ipsis Diœcesanis Episcopis, aut Inquisitoribus, spontanea, & libera eorum voluntate fuerint requisiti) se ingerant: ordinationes, provisiones, & leges quascumque, de ipsius criminis cognitione latas sacris Canonibus obsistentes, & Ecclesiasticam jurisdictionem impedientes sine mora abrogent, & deleant, prout etiam eas omnes invalidas fuisse, & esse decernimus, & declaramus, ac ex nunc pro abrogatis, & deletis haberi volumus, & mandamus.

§. 2. Qui monitis his nostris non obtemperaverint, quive scienter in prædictis consilium, auxilium, aut favorem dederint, noverint se, non solùm per sacras dictorum Prædecessorum nostrorum constitutiones, verùm etiam per hanc nostram sanctionem, sive sententiam, & declarationem perpetuò duraturam (quam auctoritate Omnipotentis Dei, ac Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra in ipsos non obtemperantes, quacumque illi præfulgeant dignitate, in his scriptis proferimus) communione fidelium, & omnium Ecclesiasticorum Sacramentorum perceptione privatos, ac maledictionis, ac execrationis æternæ vinculo ligatos; anathematisque, & majoris excommunicationis mucrone percussos, ita ut nemo unquam in præmissis delinquens, nisi à nobis, successoribusque nostris canonicè intrantibus, etiam prætextu quarumcumque facultatum, concessionum, & gratiarum, etiam Confessionalium nuncupatarum, etiam à nobis, & à dicta Sede hactenus emanatarum, vel imposterum emanandarum, specificam, & expressam, ac alias, quàm per verba generalia, de præsentibus nostris litteris mentionem non facientium, præterquam in mortis discrimine, absolvi possit.

§. 3. Quibus etiam censuris ipsos Diœcesanos Episcopos, & Inquisitores subjacere volumus, si laicos secum quomodocumque de ipso crimine cognoscere, aut judicare permiserint.

§. 4. Vt autem præmissa omnia, ad eorum, quorum interest, notitiam deducantur, nullúsque de eis ignorantiam justè prætendere possit, volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quòd præsentes litteræ per aliquos cursores nostros, aut Notarios publicos in Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & Ecclesiæ Lateranen. ac Cancellariæ Apostolicæ valuis, necnon acie Campi Floræ, ut moris est, publicentur, earum exemplo, in singulis valuis, & acie hujusmodi affixo, & dimisso; nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1551. quintodecimo Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

Lecta, & publicata fuit die Veneris sancti in Capella Sanctitatis suæ, dum divina celebrarentur Officia.

Contra offendentes statum, res & personas sanctissimi Officij Inquisitionis hæretica pravitatis, eorúmque filios, necnon complices, & fautores.

PIVS Episcopus, servus servorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

SI de protegendis cæteris omnibus Ecclesiæ ministris, quos in fidem, & clientelam nostram à Domino recepimus, cura nobis quotidiana insidet, quanto majore studio eam nos solicitudinem capessere necesse est, ut qui in sacro Inquisitionis hæreticæ pravitatis Officio versantur, sub tutela inviolatæ auctoritatis hujus Sedis periculorum omnium expertes, quæque munera ad exaltationem fidei Catholicæ exequantur.

§. 1. Cùm

§.1. Cùm itaque hujus generis impiorum vis quotidie magis invalescat, qui omnibus malis artibus prædictum officium subvertere, ministrosque functionibus disturbare moliuntur, eò jam nos detrusit necessitas, vt nefariam, & sceleſtam illorum audaciam acerbiore castigationis verbere reprimamus.

§.2. Hac igitur generali constitutione de Fratrum nostrorum consilio sancimus, vt quicumque sive privatus, sive cuncta civitas, sive populus, sive Dominus, Comes, Marchio, Dux, vel potiore titulo illustris, quemvis ex Inquisitoribus, Advocatis, Procuratoribus, Notariis, aliisve ministris prædicti Officij, vel Episcoporum id munus in sua Diœcesi, aut Provincia obeuntium, seu accusatorem, denunciatorem, aut testem in causa fidei quomodocumque productum, vel evocatum occiderit, verberaverit dejecerit, seu perterrefecerit.

§.3. Quive Ecclesias, ædes, aliásve res, sive publicas, sive privatas officij, aut ministrorum, expugnaverit, invaserit, incenderit, expilaverit, aut libros, literas, auctoritates exemplaria, regesta, protocolla, exempla, scripturas, aliáve instrumenta, sive publica, sive privata ubicumque posita combusserit, deripuerit, seu interverterit; seu ex incendio, aut direptione, aut alio quocumque modo, illa exportaverit, seu qui in conflagratione, expugnatione, aut direptione, etiam inermis, sive capiendi, sive comburendi, sive supprimendi causa fuerit, sive res, aut personas, servari, defendive prohibuerit.

§.4. Quive carcerem aut aliam custodiam, seu publicam, seu privatam effregerit, vinctúmque extraxerit, seu emiserit, capiendum prohibuerit, captúmque eripuerit, occultaverit, seu facultatem effugiendi dederit, seu jusserit id fieri, qui cœtum, concursumvè fecerit, sive vt aliquid prædictorum fieret, manus accommodaverit, sive aliàs auxilium, consilium, aut favorem, publicè, vel occultè, in quolibet, prædictorum scienter præstiterit, licèt nemo occisus, nemo verberatus, nemo extractus, emissus, vel ereptus, nihil expugnatum, nihil effractum, succensum, direptúmve, nullum denique damnum re ipsa sit secutum: nihilominus is sit anathemate præsentis Canonis auctoritate ligatus, idem quoque læsæ Majestatis reus, dominio, dignitate, honore, feudo, ac quocumque alio beneficio temporali, & perpetuo eo ipso privatus sæcularis judicis arbitrio relinquatur, qui de eo illas ipsas pœnas exigat, quæ damnatis primo capite dictæ legis per constitutiones legitimas irrogantur, bonis, rebúsque omnibus fisci juribus applicatis, vti etiam est de damnatis hæreticis, per sanctiones canonicas constitutum, ejus filij paterna infamia subjecti, omnis, & cujuscumque hæreditatis, & successionis, & donationis, & legati, sive propinquorum, sive extraneorum omnino sint expertes, eisdem præterea portæ nunquam pateant dignitatum.

§.5. Nemo autem expurgationem habere, aut causam vllam proponere, vel prætendere possit, qui tantum nefas in contemptum, & odium hujus Officij admiserit, nisi contrarium per claras probationes docuerit se fecisse. Quod porrò de prædictis, eorúmque filiis statuimus, illud idem de omnibus Clericis, & Presbyteris sæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam exemptorum Regularibus, & quacumque etiam Episcopali, & majori dignitate præditis, ac etiam privilegio quomodocumque suffultis, decernimus exequendum, ita vt ipsi beneficiis, & officiis omnibus Ecclesiasticis præsentium auctoritate privati, per judicem Ecclesiasticum, hæreticorum more degradentur, demum potestati sæculari traditi, pœnis prædictis laicorum instar subjiciantur.

§.6. Pontificum tamen causis nobis, & successoribus nostris reservatis, ut re quæsita, & nobis renunciata, contra eos ad depositionem, & alias pœnas prædictas procedamus, vti criminis atrocitas videbitur postulare.

§.7. Quicumque autem pro talibus veniam petere, aut aliàs intercedere tentaverint, in easdem illas pœnas, quæ in hæreticorum fautores à sacris constitutionibus inferuntur, ipso facto se noverint incidisse.

§.8. Verùm si quis etiam hujusmodi criminum conscius, vel affinis, sive Religionis studio sive pœnitentia ductus, rem adhuc incognitam retexerit supplicio liberetur.

§.9. Cæterùm eam omnium, & quarumcumque absolutionum à prædictis criminibus, nec non habilitationum, & restitutionum, etiam ad famam, & honores, ita deinceps habendam optamus, ut successores nostri nullas, nisi saltem semestri post cujusque assumptionem ad hujus dignitatis fastigium excurso, ac precibus apud supremum Officium Inquisitionis hic institutum verificatis concedant. Decernentes omnes, & quascumque hujusmodi absolutiones, habilitationes, & restitutiones, quæ precibus sic non verificatis de cætero fient, nemini prorsus prodesse, sed nec præsentibus nisi toto ipsarum tenore ad verbum inserto, & gratia ex certa Romani Pontificis scientia facta, & propria manu subsignata, vlla in parte derogari, nec denes hujusmodi nullius prorsus fore roboris, & momenti.

§.10. Iubemus igitur, vniversos, & singulos Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos,

& cæteros Ecclesiarum Prælatos, per universum Orbem constitutos, ut per se, vel alium, seu alios, præsentes litteras, aut earum exempla in suis quibusque Provinciis, civitatibus, diœcesibus, & locis solemniter publicari, & quantum in se est, firmiter observari procurent, contradictores quoscunque, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, appellatione postposita compescendo, ipsasque censuras, & pœnas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

§. 11. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 12. Volumus autem, ut præsentium exempla, etiamsi impressa edantur, eaque Notarij publici manu, & cujuscumque Curiæ Ecclesiasticæ, vel Prælati sigillo obsignata, eandem illam prorsus fidem ubique locorum faciant, quam ipsæ præsentes facerent, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 13. Cæterùm omnes Orbis terrarum Principes, quibus gladij sæcularis potestas ad malorum vindictam est permissa, per eam, quam se tueri promiserunt fidem, obtestamur, ita suas quisque partes, sive præstando ministris prædictis auxilio, sive in criminum post Ecclesiæ sententiam animadversione, interponere, ut eorum quoque præsidiis ministri ipsi tanti officij munus pro Dei æterni gloria, & Religionis incremento feliciter exequantur, amplissimum à Domino præmium recepturi, quod fidei prædictæ assertoribus in æternæ Beatitudinis consortio præparavit.

§. 14. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ sanctionis, legationis, statuti, decreti, jussionis, obtestationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum, &c.

Dat. Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1569. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno quarto.

Ego PIVS V. Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas.

F. Cardinalis Pisanus Episcopus Hostien.
Io. Card. Moronus Episcopus Portuen.
Christophorus Madruvius Episcopus Prænestin.
Otho Card. Truchses Episcopus Albanen.
A. Card. Farnesius Vicecanc. Episcopus Tusculan.
Io. Baptista Cicada Episcopus Sab. Card. S. Clem.
Ego Ph. Card. à Burdisera.
Ego Antonius. Card. Granuelanus.
Ego Franciscus Card. Pacecus.
Ego Hieronymus Card. de Corrigio.
Ego Io. Franciscus Card. de Gambara.
Ego Nicolaus Card. de Sermoneta.
Ego Ind. de Avalos Card. Aragona.
Ego M. Antonius Card. Columna.
Ego Ptolomæus Card. Comensis.
Ego P. Card. de sancta Cruce.
Ego Z. Card. Delphinus.
Ego Hu. Card. S. Sixti.
Ego Iulius Card. Vrbinus.
Ego Fulvius Card. Perusinus.
Ego Io. Riccius Card. Politianus.
Ego Scipio Card. Pisarum.
Ego Iacobus Card. Sabellus.
Ego Aloysius Card. Cornelius.
Ego Alexander Card. Cribellus.
Ego Guido Card. Vercellus.
Ego Gulielmus Card. Sirlerus.
Ego F. Michaël B. Card. Alex. Camer.
Ego Hieronymus Card. de Claravalle.
Ego Ludovicus Card. Madrutius.
Ego Innocentius Card. de Monte.
Ego Hieronymus Card. Simoncellus.

Ego

Ego Ferd. Card. de Medicis.
F. Cardinalis Alciatus.
Io. Paulus Cardinalis ab Ecclesia.
A. Cardinalis Carafa.

Inquisitorum hæreticæ pravitatis facultas, procedendi contra Sacerdotes, qui mulieres pœnitentes in actu Confessionis, ad actus inhonestos provocare, & allicere tentant.

PIVS Papa IV.

Ven. Fratri Archiepiscopo Hispalensi, in Regni Hispaniarum hæreticæ pravitatis Inquisitoris generali.

CVm sicut nuper, non sine animi nostri molestia, accepimus, diversi Sacerdotes in Regnis Hispaniarum, atque etiam in eorum civitatibus, & diœcesibus curam animarum habentes, sive eam pro aliis exercentes, aut aliàs audiendis confessionibus pœnitentium deputati, in tantam proruperint iniquitatem, ut Sacramento pœnitentiæ in actu audiendi confessiones abutantur, nec illi, & qui id instituit Domino Deo, & Salvatori nostro Iesu Christo injuriam facere vereantur: mulieres videlicet pœnitentes ad actus inhonestos, dum earum audiunt confessiones, alliciendo, & provocando, seu allicere, & provocare tentando, & procurando, ac loco earum per Sacramentum hujusmodi Creatori nostro reconciliationis, graviori peccatorum mole eas onerando, & in omnibus Diabolo tradendo, in divinæ majestatis offensam, animarum perniciem, & Christi fidelium scandalum non modicum.

§. 1. Nos in animum inducere nequeuntes, quòd qui de fide Catholica rectè sentiunt, Sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis injuriam faciant, fraternitati tuæ, de cujus eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimum in Domino confidimus, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus per te, vel per alium, seu alios à te deputandum, seu deputandos contra omnes, & singulos Sacerdotes dictorum Regnorum, ac illarum civitatum, diœcesum de præmissis quomodolibet diffamatos, tam sæculares, quàm quorumvis etiam exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subjectorum Ordinum Regulares, cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existant, tam super præmissis, quàm fide Catholica, & quid de ea sentiant diligenter inquiras, & juxta facultatem tibi contra hæreticos, aut de hæresi quovis modo suspectos à Sede Apostolica concessarum continentiam, & tenorem procedas, ac culpabiles repertos, juxta excessuum suorum qualitatem, prout juris fuerit punias, eos etiam, si & prout juris fuerit faciendum, debita præcedente degradatione, seculari judicis arbitrio puniendos tradendo.

§. 2. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiarum, & Monasteriorum, necnon Ordinum quorumlibet, quorum ipsi Sacerdotes fuerint, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam motu proprio, aut aliàs quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis, quibus omnibus eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, & hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 16. Aprilis 1561. Pontificatus nostri anno 2.

Confirmatio, & ampliatio Constitutionis Pij IV. editæ contra Sacerdotes in confessionibus sacramentalibus pœnitentes ad turpia solicitantes.

GREGORIVS Papa XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

VNiversi Dominici gregis curam, quamquam immeriti, cœlesti dispositione gerentes, sedulò invigilare tenemur, ut ab omnibus pravis contagiis conservetur immunis, multòque

majori studio providere ut omnis pestis ab iis avertatur, quibus alios sanandi officium est commissum, ne quòd Evangelica scripta nos admonent, sale infatuato, non sit in quo saliatur, & ad nihilum prosit ultrà, nisi ut mittatur foras; & conculcetur ab hominibus. Quoniam autem à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris quibusdam in locis provisum fuit, ut impium, ac nefandum scelus, quòd non solùm inter Christi fideles non esse, sed nec etiam nominari, debet, procul ab iis arceatur, videlicet, ut aliquis Sacerdos ad sacras audiendas confessiones deputatus, sacrosancto Pœnitentiæ sacramento, solicitando pœnitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigat, & ex cœlesti Medico infernalis veneficus, ex patre spirituali proditor execrabilis animarum reddatur: idcircò nos ea, quæ his perniciosissimis Diaboli insidiis arcendis certis locis salubriter constituta sunt, ut nullibi desiderentur, quantum ex alto conceditur providen. duximus. Aliàs siquidem à fel. rec. Pio Papa IV. prædecessore nostro emanarunt litteræ tenoris subsequentis, videlicet, Pivs Papa IV. Venerabili fratri Archiepiscopo Hispalen. in Regnis Hispaniarum hæreticæ pravitatis Inquisitori Generali. Cùm sicut nuper, non sine animi nostri molestia, accepimus, diversi Sacerdotes in Regnis Hispaniarum, atque etiam in eorum civitatibus, & diœcesibus curam animarũ habentes, sive eam pro aliis exercentes, aut aliàs audiendis confessionibus pœnitentium deputati in tãtam proruperint iniquitatem, vt sacramento Pœnitentiæ, in actu audiendi confessiones, abutantur, nec illi, & qui id instituit, Domino Deo, & Salvatori nostro Iesu Christo injuriam facere vereantur, mulieres videlicet, pœnitentes ad actus inhonestos, dum earum audiunt confessiones, alliciendo, & provocando, seu allicere, & provocare tentando, & procurando, ac loco earum per Sacramentum hujusmodi Creatori nostro reconciliationis, graviori peccatorum mole eas onerando, & in manibus Diaboli tradendo, in divinæ Majestatis offensam; & animarum perniciem, Christi fidelium scandalum non modicum. Nos in animum inducere nequeuntes, quòd qui de fide Catholica rectè sentiunt, Sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis injuriam faciant, fraternitati tuæ, de cujus eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimum in domino confidimus, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus per te, vel per alium, seu alios à te deputandum, seu deputandos, contra omnes, & singulos Sacerdotes, dictorum Regnorum ac illarum civitatum, & diœcesum de præmissis quomodolibet diffamatos, tam sæculares, quàm quorumvis etiam exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subjectorum Ordinum Regulares cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existant tam super præmissis, quàm super fide Catholica, & quid de ea sentiant, diligenter inquiras, & juxta facultatem tibi contra hæreticos aut de hæresi quovis modo suspectos à Sede Apostolica concessarum continentiam, & tenorem procedas, ac culpabiles repertos juxta excessuum suorum qualitates, prout juris fuerit, punias, eos etiam, si, & prout de jure fuerit faciendum, debita præcedente degradatione, sæcularis judicis arbitrio puniendos tradendo. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiarum, & Monasteriorum, nec non Ordinum quorumlibet, quorum ipsi Sacerdotes fuerint, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis etiam Motu proprio, aut aliàs quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus eorũ tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice duntaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque cõtrariis quibuscumque. Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 16. Aprilis 1561. Pontificatus nostri anno secundo. Igitur, ut literæ prædictæ perpetuis futuris temporibus, & ubique locorum inviolabiliter observentur, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, ac de consilio, venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium contra hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum, præinsertas litteras hujusmodi, ac omnia singula, in eis contenta, Apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque omnibus, & singulis inviolabilis, Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, illasque non solùm in prædictis Regis Hispaniarum, sed in quibusvis Christiani Orbis partibus firmiter, & inviolabiliter observari præcipimus, & mandamus. Ac præterea, ne in futurum de pœna his deliquentibus imponenda, & de modo contra eosdem procedendi ab aliquo dubitari possit, statuimus, decernimus, & declaramus, quòd omnes, & singulos Sacerdotes tam sæculares, quàm quorumvis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subjectorum Ordinum, institutorum, Societatum, & Congregationum Regulares cujuscumque dignitatis, & præeminentiæ, aut quovis privilegio muniti existant, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu sacramentalis confessionis sive ante, vel pòst immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis hujusmodi, etiam ipsa confessione non sequuta, sive extra occasionè confessionis in confessionario, aut in loco quocumque ubi confessiones sacramentales audiantur, seu

seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, solicitare vel provocare tentaverint; aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint, pravitatis Inquisitores, & locorum ordinarios omnium Regnorum, Provinciarum, civitatum, dominorum, & locorum universi Orbis Christiani, in suis quemque diœcesibus, & territoriis, per has nostras litteras, etiam privativè, quoad omnes alios, specialiter, ac perpetuò judices delegamus, ut super his contra prædictos simul, vel separatim in omnibus, prout in causis fidei juxta sacrorum Canonum formam, necnon Officij Inquisitionis hujusmodi constitutiones, privilegia, consuetudines, & decreta diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumstantiis, suspen. ab executione Ordinis, privationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa; necnon vocis activæ, & passivæ, si Regulares fuerint; exilij, damnationis ad triremes, & carceres, etiam in perpetuum absque ulla spe gratiæ, aliásque pœnas decernant: eos quoque si pro delicti enormitate graviores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curiæ sæculari puniendos tradant. Dantes etiam facultatem venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, Ecclesiæ Dei tam pernicio sum remaneat, ob probationum defectum impunitum (cùm difficilis sit probationis) testibus, etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis, delictum probatum esse arbitrio suo judicandi, & Curiæ sæculari, ut præfertur, reum tradendum esse pronunciandi. Non obstantibus omnibus, quæ dictus Prædecessor in suis litteris prædictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Mandantes omnibus Confessariis, vt suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, vt suprà solicitatos, moneant de obligatione denunciandi solicitantes, seu, vt præfertur, tractantes, Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis prædictis, quòd si hoc officium prætermiserint, vel pœnitentes docuerint, non teneri ad denunciandum Confessarios solicitantes, seu tractantes, ut suprà; iidem locorum Ordinarij, & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant. Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra, ubique habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ, quódque eædem præsentes litteræ, seu illarum exempla ad valvas Basilicarum S. Ioannis Lateran. ac Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ affixæ omnes ita arctent, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 30. Augusti 1622. Pontificatus nostri anno secundo.

Iurisdictio Inquisitorum hæreticæ pravitatis in eos, qui ad Ordinem Presbyteratus minimè promoti, Missas celebrant, & Pœnitentiæ Sacramentum ministrant.

GREGORIVS Papa XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

OFficij nostri partes sedulò præstare tenemur (vt dubia, quæ variis Doctorum opinionibus, hinc inde diversa sentientibus agitantur, ad jurisdictionem sanctissimi Officij Inquisitionis hæreticæ pravitatis pertinent, nostræ declarationis oraculo (provt ratio ipsa suadere videtur) dilucidentur, vt nulla cuiquam dubitandi occasio in posterum relinquatur.

§. 1. Ad aures nostras siquidem nuper pervenit, multos esse, qui dubitent, an contra eos, qui in sacro Presbyteratus ordine non constituti, Missas celebrare, confessiones audire, ac absolutionem impartiri, ac si fuerint, per Officium Sanctissimæ Inquisitionis hæreticæ pravitatis in Hispaniarum Regnis institutum, & illius Inquisitores procedendum, vel etiam animadvertendum sit, ac hi, qui talia patraverint, per Inquisitores prædictos puniri debeant. Nam etsi multorum sententia affirmetur, prædictum delictum ab Inquisitoribus plectendum esse, hisce præsertim temporibus, quibus hæretici temerè audent proferre, etiam sæculares eorum Sacramentorum ministros esse posse, non desunt tamen hi, qui contrariæ adhærent opinioni. Vnde plerumque per eorumdem Regnorum Inquisitores, diversa feruntur in hujusmodi causis suffragia.

§. 2. Nos itaque, vt omnis difficultas, dubitatióque tollatur, animadvertentes, eos,

qui Presbyteratus ordine non sunt insigniti, & se in administrandis dictis Sacramentis ingerunt, facto Catholicam veritatem impugnare, quæ solos Presbyteros ministros eorumdem Sacramentorum constituendo, illis dumtaxat, quibus eadem munera congruere existimavit, committi voluit, eorum, qui in Presbyteratus Ordine non constituti Missas celebrant, ac confessiones, audiunt, ut præfertur, cognitionem, & punitionem etiam ad Inquisitionis officium, & Inquisitores ante dictos pertinere, & quod hujusmodi delicti ratione, adversùs eos inquirere, procedere, ac culpabiles repertos punire, officium, & Inquisitores prædicti valeant Apostolica auctoritate præsentium tenore, perpetuò declaramus, & diffinimus.

§. 3. Et ita ab omnibus, & singulis Ordinariis, & delegatis judicibus, sublata eis, & eorum cuilibet quavis alia judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & diffiniri debere, irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon juribus municipalibus, legibus Regnorum prædictorum, pragmaticisque sanctionibus, ac statutis, & consuetudinibus civitatum, & locorum quorumcumque dictorum Regnorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis forsan per nos, ac quoscumque alios Romanos Pontifices Prædecessores nostros, sub quibusvis verborum formis, & insolitis clausulis, irritantibúsque, & aliis Decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, seu de Apostolicæ potestatis plenitudine; vel ad supplicationem Regum, Ducum, & aliorum Principum concessis, & confirmatis, quibus omnibus illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus. Cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris, die 6. Augusti anno à Nativitate Domini 1174. Pontificatus autem nostri anno 3.

Quòd Inquisitores hæreticæ pravitatis, & locorum Ordinarij, eos, qui ad Presbyteratus Ordinem non promoti, Missas celebrant, vel Sacramentum Pœnitentiæ ministrant, prævia degradatione, Curiæ sæculari debitis ab ea plectendis pœnis tradant.

CLEMENS Papa VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ET si aliàs fel. rec. Paulus Papa IV. Prædecessor noster ad nefariam, & sacrilegam quorundam hominum temeritatem coërcendam, qui cùm ad sacrum Presbyteratus Ordinem minimè promoti sint, Sacerdotis tamen auctoritatem sibi temerè assumentes, Missarum celebrationem usurpare, & Sacramentum Pœnitentiæ ministrare præsumunt, decrevit, hujusmodi delinquentes à Sanctæ Inquisitionis judicibus tradi debere Curiæ sæculari, debita animadversione puniendos.

§. 1. Etsi postea fel. rec. & item. Sixtus Papa IV. etiam Præcessor noster, prædictum Pauli IV. decretum innovari, ac seriò observari mandaverit, eò tamen dictorum hominum prorupit audacia, ut prætextu ignorationis hujusmodi decretorum, ac pœnarum contra ipsos, ut præfertur, inflictarum, illis se minimè subjacere, & obnoxios esse putent, ac propterea se ab eisdem liberari, & absolvi posse prætendant.

§. 2. Nos igitur animadvertentes, hujusmodi perditos, & nefarios homines ad sacrum Presbyteratus Ordinem non promotos, Missarum celebrationem usurpare præsumentes, non solùm actus idololatriæ, saltem extrinsecè, seu per externa, & visibilia Religionis, & pietatis signa exercere, sed etiam quantum in ipsis est, efficere, ut Christi fideles, qui credunt, eos ordinatos esse, & ritè conficere Sacramentum Eucharistiæ, idololatriæ crimen ignoranter incurrant, purum videlicet panem, & vinum, tanquam verum Christi Domini nostri corpus, & sanguinem, eisdem adorandum proponentes. Confessiones autem audientes, non solùm Sacramenti Pœnitentiæ dignitatem contemnere, verùm etiam Christi fideles decipere, dum scilicet iniquè sibi assumunt gradum sacerdotalem, & auctoritatem absolvendi à peccatis, magno cum periculo, & scandalo plurimorum.

§. 3. Propterea, ut gravissima hæc scelera committentes, posthac debito supplicio puniantur. Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac matura deliberatione, déque Apostolicæ potestatis

testatis plenitudine, S. Inquisitionis judicium conscientiæ consulere, & ne in futurum de pœna hisce delinquentibus imponenda dubitari possit, providere volentes, supradictorum prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, hac perpetuò valitura Constitutione decernimus, atque statuimus, ut quicumque non promotus ad sacrum Presbyteratus Ordinem, repertus fuerit Missarum celebrationem usurpasse, vel Sacramentalem confessionem audivisse à judicibus Sanctæ Inquisitionis, vel locorum ordinariis tanquam Ecclesiæ misericordia indignus à foro Ecclesiastico abjiciatur, & ab Ordinibus Ecclesiasticis, si quos habuerit, ritè degradatus, statim Curiæ sæculari tradatur, per judices sæculares debitis pœnis plectendus.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac in Conciliis etiam generalibus editis, etiam in corpore juris clausis. Quibus omnibus, & singulis, illarum tenores pro sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Vt autem hujusmodi constitutionis ignorantia de cætero allegari, aut prætendi nunquam possit, atque præsentes litteræ omnibus innotescant, Volumus, illas ad valuas S. Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de urbe Basilicarum, & in acie Campi Floræ more solito publicari, & affigi, atque iis inde amotis earumdem exempla etiam impressa ibi affixa relinqui, factâque hujusmodi publicatione, omnes, qui in Vrbe post mensem, qui verò extra eam, & citra montes, post quatuor menses, qui demum ultra montes fuerint, post decem menses à die publicationis præsentium computandos afficere, & arctare, ac si eorum cuilibet personaliter intimatæ fuissent.

§. 6. Ac præterea mandamus earumdem præsentium litterarum exemplis etiam impressis, & manu Notarij publici subscriptis, & sigillo Officij sanctæ Romanæ Inquisitionis, vel alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem haberi, quæ hisce præsentibus haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 1. Decembris 1601. Pontific. nostri anno 10.

Ampliatio Constitutionis à Clemente VIII. contra non promotos ad sacrum Presbyteratus Ordinem, sacramentales confessiones audientes, aut Missam celebrantes, Curiæ sæculari prævia degradatione tradendos editæ, ad omnes etiam minores vigintiquinque annis, dummodo vigesimum ætatis annum compleverint.

VRBANVS Papa VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

APostolatus officium, cui meritis, licèt imparibus, disponente Deo præsidemus, à nobis postulat, ut quantum nobis ex alto conceditur, delinquendi fiduciam compescamus, in iis præsertim, quorum eò sacrilega processit audacia, ut sub beneficio minoris ætatis, Apostolicis constitutionibus confoveant in delictis, quorum statutis pœnis se idcirco jactant, minimè subjacere. Aliàs si quidem à felicis recordationis Clemente Papa VIII. Prædecessore nostro emanarunt literæ tenoris sequentis, videlicet.

CLEMENS Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Et si aliàs felicis recordationis Paulus Papa IV. Prædecessor noster ad nefariam, & sacrilegam quorumdam hominum temeritatem coërcendam, qui cùm ad sacrum Presbyteratus Ordinem minimè probati sunt, Sacerdotis tamen auctoritatem sibi temerè assumentes, Missarum celebrationem usurpare, & Sacramentum pœnitentiæ ministrare præsumunt, decrevit, hujusmodi delinquentes à Sanctæ Inquisitionis judicibus tradi debere Curiæ sæculari, debita animadversione puniendos, & postea fel. record. Sixtus Papa V. etiam Prædecessor noster prædictum Pauli Papæ IV. decretum innovari, ac serio observari mandaverit; eò tamen dictorum hominum prorupit audacia, ut prætextu ignorationis hujusmodi decretorum, ac pœnarum contra ipsos, ut præfertur, inflictarum, illis se minimè subjacere, & obnoxios esse putent, ac propterea se ab eisdem liberari, & absolvi posse prætendant. Nos igitur animadvertentes, hujusmodi perditos, & nefarios homines ad sacrum Presbyteratus Ordinem non promotos Missarum celebrationem usurpare præsumentes, non solùm actus idololatriæ, saltem extrinsecè, seu per externa, & visibilia Religionis, & pietatis signa exercere, sed etiam (quantum in ipsis est) efficere, ut Christi fideles,

qui credant, eos ordinarios esse, & ritè conficere sacramentum Eucharistiæ, idololatriæ crimé ignoranter incurrant, purum videlicet panem, & vinum, tanquam verum Christi Domini nostri Corpus, & Sanguinem eisdem adorandum proponentes, Confessiones autè audientes, non solùm sacramenti Pœnitentiæ dignitatem contemnere, verùm etiam Christi fideles decipere, dum scilicet eisque sibi assumunt gradum sacerdotalem, & auctoritatem absolvendi à peccato magno cum periculo, & scandalo plurimorum. Propterea ut gravissima hæc scelera committentes, posthac debito supplicio puniantur; Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac matura deliberatione, déque Apostolicæ potestatis plenitudine, S. Inquisitionis judicum conscientiæ consulere, & ne in futurum de pœna hisce delinquentibus imponenda dubitari possit, providere volentes supradictorum Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, hac perpetuò valitura constitutione decernimus, atque statuimus, ut quicumque non promotus ad sacrum Presbyteratus Ordinem repertus fuerit, Missarum celebrationem vsurpasse, vel sacramentalem confessionem audivisse, à judicibus sanctæ Inquisitionis, vel locorum Ordinariis, tanquam Ecclesiæ misericordia indignus, à foro Ecclesiastico abjiciatur, ab Ordinibus Ecclesiasticis, si quos habuerit, ritè degradatus, statim Curiæ sæculari tradatur, per judices sæculares debitis pœnis plectendus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac in Conciliis etiam generalibus editis, etiam in corpore juris clausis. Quibus omnibus, & singulis, illarum ten. pro sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, specialiter, & expressè derogamus; cæterisque contrariis quibuscumque. Vt autem hujusmodi constitutionis ignorantia de cætero allegari, aut prætendi nunquam possit; atque vt præsentes literæ omnibus innotescant, volumus, illas ad valuas S. Ioannis Lateranen. & Principis Apostolorum de vrbe Basilicarum, & in acie Campi Floræ more solitò publicati, & affigi, atque iis inde amotis, earumdem exempla, etiam impressa, ibi affixa relinqui factáque hujusmodi publicatione, omnes, qui in vrbe post mensem, qui verò extra eam, & citra montes, post quatuor menses, qui demùm vltra montes fuerint, post decem menses à die publicationis præsentium computandos, afficere, & arctare, ac si eorum cuilibet intimatæ fuissent personaliter. Ac præterea mandamus, earundem præsentium literarum exemplis, etiam impressis, & manu Notarij publici subscriptis, & sigillo Officij Sanctæ Romanæ Inquisitionis, vel alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eamdem prorsus fidem haberi, quæ hisce præsentibus haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die prima Decembris 1601. Pontificatus nostri anno decimo.

Cùm autem, sicut accepimus, nonnulli privilegio minoris ætatis nimis temerè confisi, & legum indulgentia freti, pœnas à D. Clem. prædecessoris nostri constitutione in hujusmodi delinquentes statutas parvipendere præsumant; Nos detestantes, & quantum in nobis est, cohibere volentes impiam, ac nefariam horum temeritatem, qui atrocissimo hoc scelere Catholicam veritatem, quæ solos Presbyteros dictorum Sacramentorum ministros esse docuit, facto impugnat, negotio hujusmodi in Congregatione venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Generalium Inquisitorum coram nobis habita maturè discusso, inhærentes constitutioni prædictæ, aliisque decretis per fel. rec. Paulum IV. & Sixtũ V. Pontif. Rom. Prædecessores nostrôs contra similia perpetrantes editis, eaque etiam ad effectum prædictum maturâ deliberatione, déque Apostolicæ potestatis plenitudine ampliantes, & extendentes hac nostra perpetuò valitura constitutione statuimus, & decernimus, ut de cætero perpetuis futuris temporibus, & qui imposterum ad sacrum Presbyteratus Ordinem promotus, Missam celebrare, aut sacramentalem Confessionem audire præsumpserit, ætate minori annis viginti quinque non excusetur, quo minus eidem Clementis constitutioni subjiciatur, dummodo vigesimum suæ ætatis annum compleverit, ipseque non promotus sic delinquens, nulla habita consideratione præfatæ minoris ætatis, sive laicus, sive Clericus sæcularis, aut cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, etiam de necessitate exprimendæ regularis, aut cujusvis alterius instituti, etiam quantumvis exempti & privilegiati, nobisque, & Apostolicæ Sedi immediatè subjecti, necnon militiarum quarumcumq; etiam sancti Ioannis Hierosolymitani fuerit, tradatur Curiæ sæculari pœnis debitis plectendus, sicq; & non aliter per quoscumque sanctæ Inquisitionis judices, & Inquisitores, etiam Generales Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & locorum Ordinarios (sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate) judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Quocirca omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, in virtute sanctæ obedientiæ, districtè præcipiendo, mandamus, quatenus statutum, decretum, & constitutionẽ hanc nostrã inviolabiliter observent, & observari faciant. Non obstantibus constitutionibus,

constitutionibus,& ordinationibus Apostolicis,ac in Conciliis etiam generalibus,editis etiam in corpore juris clausis, necnon legibus,statutis, decretis, consuetudinibus,& privilegiis ad favorem minorum vigintiquinque annis,quomodolibet,& ubicumque locorum editis,ac aliàs in ipsorum favorem facientibus,Apostolica etiam confirmatione,ac juramento,seu quavis firmitate alia roboratis.Quibus omnibus,& singulis illorum ten.præsentibus pro sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes,specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.Volumus autem harum litterarum publicationem,& affixionem fieri juxta formam in prædicta Clementis constitutione præscriptam,easque publicatas,& affixas omnes intra urbem, & extrà,tam citra, quàm ultra montes, & mare, post tempus in ipsa Clementis constitutione præfixum arctare,& afficere,ac si cuilibet personaliter intimatæ fuissent. Mandamus pariter,ut earumdem transumptis, etiam impressis, manúque Notarij publici subscriptis, & sigillo Officij Sanctæ Romanæ Inquisitionis,vel alicujus personæ, in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem quæ præsentibus hisce adhiberetur, fides adhibeatur.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 23. Martij 1628. Pontificatus nostri anno 5.

M. A. Maraldvs.

Contra exercentes artem Astrologiæ iudiciariæ, & alia quæcumque divinationum genera, librosque legentes.

Sixtvs Episcopus, servus servorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

Cœli, & terræ Creator Deus, quem unum Omnipotentem corde credimus ad justitiam, & ore confitemur ad salutem, etsi homini, quem imaginem,& similitudinem suam creavit, mentem dederit, quæ non solùm divino fidei lumine illustrata, mysteria illa cognosceret, quæ humanam intelligentiam superant, sed etiam naturæ suæ vi, magno licèt cum labore, præclara multa investigaret, atque intelligeret, tamen ut superbum animal homo non altum saperet, sed timeret, & immensam conditoris sui majestatem humi stratus veneraretur, sibi soli eorum, quæ eventura sunt, scientiam, & futurarum rerum cognitionem reservavit. Solus enim ipse, cujus oculis omnia nuda, & aperta sunt, & ad intimas hominum cogitationes penetrat, & consequentes eorum actiones intuetur, solus ipse, qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt, omnia præsentia, & ante oculos posita habet, solus denique omnia, & singula quæcumque, totius temporis decursu, & sæculorum ætatibus futura sunt, ab omni æternitate novit, & admirabili providentia disposuit, quæ non modo humanæ mentis imbecillitas ignorat, sed nec dæmones ipsi præsentire possunt. Quare idolorum in futuris annunciandis falsitatem, & imbecillitatem, eorum, qui eis cultum adhibebant vanitatem irridet Spiritus sanctus apud Isaïam illis verbis: *Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dij estis vos*; & in novo Testamento Christus Dominus,Discipulorum suorum de futuris eventibus paulò cupidiùs inquirentium, interrogationem gravi illa responsione retudit, qua etiam omnium fidelium suorum curiositatem coercuit, *Non est vestrum scire tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Nec verò ad futuros eventus, & fortuitos casus prænoscendos (futuris eventibus ex naturalibus causis necessariò, vel frequenter provenientibus, quæ ad divinationem non pertinent,dumtaxat exceptis)ullæ sunt veræ artes, aut disciplinæ, sed fallaces, & vanæ improborum hominum astutia,& dæmonum fraudibus introductæ,ex quorum operatione,consilio,vel auxilio omnis divinatio dimanat,sive quòd expresè ad futura manifestanda invocentur, sive quòd ipsi pravitate sua,& odio in genus humanum,occultè,etiam præter hominis intentionem se ingerant, & intrudant vanis Inquisitionibus futurorum,ut mentes hominum pernicios vanitatibus,& fallaci contingentium prænunciatione implicentur,& omni impietatis genere depraventur. Quæ quidem ipsis cognita sunt,non divinitate aliqua,nec vera futurarum rerum scientia, sed naturæ subtilioris acumine, & aliis quibusdam modis, quos hominum obtusior intelligentia ignorat. Quamobrem dubitandum non est,in hujusmodi futurorum contingentium,& fortuitorum eventuum Inquisitione,& præcognitione,Diaboli operationem se fallaciter immiscere, ut sua fraude, ac dolis, miseros homines à via salutis avertat & laqueo dánationis involuat.Quæ cùm ita sint,nonnulli hæc fideliter,& religiosè,ut debent,nõ intendẽtes,sed curiosa sectãtes, graviter Deũ offendũt, errãtes ipsi & alios in errorẽ mittẽtes.tales in primis sũt Astrologi,olim Mathematici,& Genethliaci,& Planetarij vocati,qui vanã,falsãmq; syderum,& Astrorũ scientiã profitẽtes,divinæq;

dispositionis

dispositionis ordinationem, sub tempore revelandam prævenire audacissimè satagentes, hominum nativitates, seu genituras, ex motu syderum, & Astrorum casu metiuntur, ac judicant futura, sive etiam præsentia, & præterita occulta, atque ex puerorum ortu, & natali die, sive quavis alia temporum, & momentorum vanissima observatione, & notatione, de uniuscujusque hominis statu, conditione, vitæ cursu, honoribus, divitiis, sobole, salute, morte, itineribus, certaminibus, inimicitiis, carceribus, cædibus, variis discriminibus, aliisque prosperis, & adversis casibus, & eventibus prægnoscere, judicare, & affirmare temerè præsumunt, non sine magno periculo erroris, & infidelitatis; cùm Sanctus Augustinus præcipuum Ecclesiæ lumen, eum qui hæc observat, qui attendit, qui credit, qui in domum recipit, qui interrogat Christianam fidem, & Baptismum prævaricasse affirmet, ut illos meritò Apostolus arguat, atque increpet illis verbis: Dies observatis, & menses, & tempora, & annos, timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis. Hi igitur levissimi, & temerarij homines in miserandam animarum suarum ruinam, grave fidelium scandalum, & Christianæ fidei detrimentum, futuros rerum eventus, & quæcumque prosperè, vel adversè obventura sunt, ac actus humanos, ea denique, quæ ex libera hominum voluntate proficiscuntur, Astris, syderibúsque adscribunt, eisque eam facultatem, vim, seu virtutem, & efficaciam tribuunt significandi futura, & ad prægnita ita inclinandi, ut sic omnino, nec aliter eventura sint, atque ob eam causam de iis rebus omnibus judicia facere, prognostica, prædictiones, & prægnitiones sibi assumere, & palàm venditare non dubitant, quibus pauci rudes, & imperiti, aliique nimis creduli, & imprudentes tantam fidem præstant, vt ex hujusmodi judiciorum & prædictionum præscripto, aliquid certò esse credant, aut sperent, quorum sanè, & mendacium Magistrorum temeritas, & infelicium discipulorum credulitas magnopere deploranda est, qui vel divinis litteris admoniti non intelligunt hominis præstantiam, cui cœli, & stellæ, & clarissima cœli sydera, Sol, & Luna, Deo ita disponente, non imperant, sed inserviunt; sic enim Moyses populum Dei, ut hunc errorem caveret, prænonebat. Ne fortè elevatis oculis ad cœlum, videas solem, & lunam, & omnia astra cœli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt; sed quid sydera mirandum est homini servire? nonne nobilissima intelligentia Angeli ipsi omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis? nam rationales oves ita diligit Deus, ut non solùm Episcopos, quemadmodum à S. Ambrosio scriptum est, ad tuendum gregem ordinaverit, sed etiam Angelos destinaverit. Præclarè etiam S. Hieronymus: Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab actu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum. Quòd si Angeli homines custodiunt, quid adversùs Angelorum custodiam, & tutelam astra moliri, aut efficere poterunt, quæ cum ipsis Angelis nullo modo sint comparanda; nec sanè hoc loco prætereúnda est eximij Ecclesiæ Doctoris, & Beatissimi Pontificis magni Gregorij sententia, qui Priscillianistas hæreticos unumquemque hominem sub constitutionibus stellarum nasci putantes magno rerum & verborum pondere confutat, Absit, inquit, à fidelium cordibus, vt aliquid esse fatum dicant, vitam quippe hominum solus hanc conditor, qui creavit, administrat, neque enim propter stellas homo, sed stellæ propter homines factæ sunt, & si stella fatum hominis esse dicitur, ipsis suis ministeriis subesse homo perhibetur. Vtinam insani homines hæc saperent, & intelligerent, ac Dei monitis obtemperarent in Levitico dicentis. Non declinetis ad magos, nec ab Ariolis aliquid scisscitemini, vt polluamini per eos. Neque enim quæ Christiana, & vera pietas repellit, ac damnat, tanto studio investigarent, iisdemque miserè se decipi, atque irretiri paterentur. Sunt etiam inanes quidam homines, & curiosi, vel impij, & irreligiosi, qui futurarum, & occultarum aliarum rerum notitiam adeò anxiè habere studeant, vt ab eadem prænoscenda, & investiganda in divinæ legis offensionem multipliciter incurrant. Alij enim Geomantiæ, Hydromantiæ, Aeromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chyromantiæ, Necromantiæ, aliisque sortilegiis, & superstitionibus, non sine dæmonum saltem occulta societate, aut tacita pactione, operam dare, seu illis, ac sortibus illicitis taxillorum, granorum triticeorum, vel fabarum jactu, uti non verentur. Alij verò aliquas pristinæ, & antiquatæ, ac per Crucis victoriam prostratæ idololatriæ reliquias retinentes: quibusdam auguriis, auspiciis, similibúsve signis, & vanis observationibus ad futurorum divinationem intendunt; alij autem sunt, qui cum morte fœdus ineunt, & pactum faciunt cum inferno, qui similiter ad occultorum divinationem, ad inveniendos thesauros, vel ad alia facinora perpetranda, etiam expressa cum Diabolo pactione facta, in manifestam suarum perniciem animarum nefarias magicæ artis incantationes, instrumenta, & veneficia adhibent, circulos, & diabolicos characteres describunt, dæmones invocant, aut consulunt, ab eis responsa petunt, aut accipiunt, eis preces, & thuris, aut aliarum rerum suffimenta, seu fumigationes, aliave sacrificia offerunt, candelas accendunt, aut rebus sacris, vel Sacramentis, aut sacramentalibus

sacrilegè

sacrilegè abutuntur, adorationis, genuflexionis, aut quævis alia impietatis obsequia præstant, cultum venerationémve tribuunt, aut annulum, vel speculum, aut parvas phialas sibi fabricant, aut fabricari curant ad dæmones in eis alligandos, seu includendos, ut putant, ad responsa ab ipsis inde petenda, aut habenda. Alij præterea etiam in corporibus obsessis, vel lymphaticis, & phanaticis mulieribus dæmones; de futuris, vel occultis rebus, aut factis exquirunt, ut meritò ab eis, quos Dominus in Evangelio tacere imperavit, vanas, mendacésque referant responsiones. Alij quoque præstigiatores, frequentiùs verò mulierculæ quædam superstitionibus deditæ, in phialis, seu vasculis vitreis aqua plenis, vel in speculo accensis candelis, etiam benedictis sub nomine Angeli sancti, & alibi Diabolum omnium malorum fautorem supplices adorantes, vel in unguibus, aut palma manus, quandoque etiam oleo perunctis eundem omnium fallaciarum Architectum orant, ut similiter futura vel occulta quævis spectra, & apparentes imagines, seu phantasticas visiones, sibi ostendat, aut ab eodem Patre mendacij Diabolo aliis incantationibus, aut variis superstitiosis observationibus futurorum occultorum hujusmodi veritatem, quærunt, & hominibus prædicere contendunt. Quorum omnium, quos suprà enumeravimus, consimilis impietas parem exitum habet, nimirùm quòd Dæmonis præstigiis, ac dolis, tum qui divinant, tum qui divinationem expetunt illusi, ac delusi miserrimè reperiuntur. Itaque cùm futuros eventus in seipsis considerare antequam fiat, sit Dei proprium, illud necessariò consequitur, ut Astrologi, & alij prædicti, qui hujusmodi futura prænuntiare, aut prænoscere quocumque modo, nisi Deo revelante, audent injustè, atque impudenter, quod Dei est, sibi assumant, & usurpent; sic fit, ut dum ab eis, quod solius est creatoris, perperam creaturis tribuitur divina majestas graviter lædatur, fidei integritas violetur, animabus pretio Christi Sanguine redemptis, pestis, atque exitium importetur.

§. 2. Et licèt jam pridem regulis Indicis librorum prohibitorum ex decreto sacri generalis Trid. Conc. confecti, illud inter cætera constitutum fuerit, ut Episcopi diligenter providerent, ne hujusmodi Astrologiæ judiciariæ libri, tractatus, indices; legerentur, vel haberentur, qui de futuris contingentibus, successibus, fortuitisve casibus, aut iis actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certò aliquid eventurum affirmare audent, permissis tamen judiciis, & naturalibus observationibus, quæ navigationis, agriculturæ, sive medicæ artis juvandæ gratia cõscripta fuissent, libros verò omnes, & scripta Geomantiæ, Hydromantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, sive in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicæ, prorsus rejici, & aboleri curarent: Non tamen errorum, corruptelarum, delictorum, & abusuum prædictorum extirpationi, usque adeo provisum est, quin etiam adhuc in nonnullis locis, & apud plurimos curiosiùs vigeant, cùm valdè frequenter, detectis Diaboli insidiis; divinationum, sortilegiorum, & variarum superstitionum omnia plena esse in dies deteganter.

§. 3. Nos igitur, qui pro nostro Pastoralis officij munere fidei integritatem inviolatam conservare debemus, & animarum saluti prospicere, quantum divina gratia adjutrice possumus ex paternæ charitatis visceribus optamus, damnantes, & reprobantes omne genus divinationum, quæ Diabolo auctore, ad fidelium deceptionem à prædictis curiosis, vel perditis hominibus fieri solent. Cupientes præterea sanctam illam Christianæ Religionis simplicitatem, præsertim ubi agitur de summa Creatoris Dei potestate, sapientia, & providentia ab omni errroris labe, integram atque incorruptam, ut par est, retineri. Volentes quoque prædictæ falsæ credulitati ac hujusmodi illicitarum divinationum, & superstitionum, detestabili studio, & execrandis flagitiis atque impuritatibus occurrere; ut de Christiano populo meritò dici possit, quod de antiquo, Dei populo scriptum est. Non est augurium in Iacob, neque divinatio in Israël. Hac perpetuò valitura constitutione, Apost. auctoritate statuimus, & mandamus, ut tam contra Astrologos, Mathematicos, & alios quoscumque dictæ judiciariæ Astrologiæ artem, præterquam circa agriculturam: navigationem, & rem medicam imposterum exercentes, aut facientes judicia, & nativitates hominum, quibus de futuris contingentibus, successibus, fortuitisque casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid eventurum affirmare audent, etiamsi id se non certò affirmare asserant, aut protestentur, quàm contra alios utriusque sexus, qui sustentur, & docent aut discunt, quive hujusmodi illicitas divinationes, sortilegia, superstitiones, veneficia, incantationes, ac præmissa detestanda scelera, & delicta, ut præfertur, faciunt, aut in eis se quomodolibet intromittunt, cujuscumque dignitatis, gradus, & conditionis existant, tam Episcopi, & Prælati, Superiores, ac alij Ordinarij locorum, quam Inquisitores hæreticæ pravitatis, ubique gentium deputati, etiamsi in plerisque ex his casibus antea non procedebant, aut procedere non valebant, diligentiùs inquirant, & procedant, atque in eos severiùs Canonicis pœnis, & aliis eorum arbitrio animadvertant.

§. 4. Prohibentes, omnes, & singulos libros, opera, & tractatus hujusmodi judiciariæ Astrologiæ,

Astrologiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, Artis magicæ, aut in quibus sortilegiá, veneficia, auguria, auspicia, execrabiles incantationes, ac superstitiones continentur, ac vt suprà in memorato Indice interdictos sub censuris, & pœnis in eo contentis à quibuscumque Christi fidelibus legi, aut quomodolibet retineri, sed illos Episcopis, & Ordinariis locorum, vel Inquisitoribus prædictis præsentari, & consignari debere. Eumihilominus eadem auctoritate statuimus, & mandamus, vt contra scienter legentes, aut retinentes libros, & scripta hujusmodi, seu in quibus talia continentur, similiter iidem Inquisitores liberè, & licitè procedant, ac procedere, & pœnis condignis punire, & coërcere possint.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Vt autem præsentes nostræ litteræ ad communem omnium notitiam faciliùs deducantur, jubemus, illas in valvis Basilicarum S. Io. Lateran. & Principis Apostolorum de Vrbe, ac in acie Campi Floræ affigi, seu appendi, eisque detractis, ipsarum exempla etiam impressa eisdem in locis affixa relinqui.

§. 7. Et insuper universis, & singulis venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, locorum Ordinariis, & Prælatis, necnon Inquisitoribus hæreticæ pravitatis ubilibet constitutis per hæc committimus, & virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, vt per se, vel alium, seu alios easdem præsentes litteras, postquam eas receperint, seu earum notitam habuerint, in suis, & singulis Parochialibus Ecclesiis, dum in eis populi multitudo ad Divina convenerit, deinde verò semel in anno, & quoties eis expedire videbitur, vulgari sermone publicent, aut publicari faciant.

§. 8. Quia verò difficile foret præsentes litteras ad singula quæque loca, in quibus de eis fides facienda erit, deferri, volumus ut earum transumptis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, ac parvo sigillo S. Romanæ, & vniversalis Inquisitionis, aut alicujus Prælati, vel Curiæ Ecclesiasticæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra ubique locorum, adhibeatur, quæ eisdem originalibus litteris adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1585. Nonis Ianvarij, Pontific. nostri anno 1.

Contra Astrologos iudiciarios, qui de statu Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, seu vita Romani Pontificis, aut eius consanguineorum iudicia facere, necnon eos, qui illos desuper consulere præsumpserint, cum innovatione similis constitutionis Sixti Papæ V.

VRBANVS Episcopus, servus servorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

INscrutabilis judiciorum Dei altitudo non patitur, vt humanus intellectus tenebroso corporis carcere constrictus, super astra se extollens, arcana in sinu divino recondita, & ipsis Beatissimis spiritibus ignota, nefaria curiositate, non solùm explorare, sed etiam tanquam explorata in Dei contemptum, Reipublicæ perturbationem, & Principum periculum arroganti, & pernicioso exemplo vendicare præsumat.

§. 1. Hinc est, vt quamvis civilibus, Canonicisque sanctionibus, ac novissime fel. record. Sixti Papæ V. Prædecessoris nostri constitutione desuper edita Astrologorum, Mathematicorum vaticinatorum, & aliorum, qui eventura divinare, seu prædicere audent, quósque uti homicidas, & maleficos antiquitas æstimavit, illorum potissimum, qui de summa Reipublicæ, vel Principis salute judicia ferre præsumerent, ars, professio, sive exercitium gravibus pœnis inhibita esse noscantur. Attamen, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filij propriæ pusillitatis obliti, ac lenitate forsan, vel conniventia, & audentiores facti vanámque fatidicorum æstimationem aucupantes, in deplorandam animarum suarum perditionem, gravéque Christi fidelium scandalum, etiam de Reipublicæ, & Principum incolumitate; illis solicitudinem, homínibus verò inquietis rerum novandarum occasionem ea ratione inferre satagentes, prognostica, & prædictiones verbo, vel etiam scripto edere non erubescunt.

§. 2. Nos itaque pernicioſis hujusmodi ausibus quantum nobis ex alto conceditur obviam ire, ac quos Dei respectus in officio non continet, pœnarum gravitate, & severioris disciplinæ fræno

fræno coërcere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, déque Apostolicæ potestatis plenitudine, constitutionem per præfatum Sixtum Prædecessorem desuper, ut præfertur, editam Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, confirmamus, & innovamus.

§. 3. Et insuper omnibus, & quibuscumque laicis cujuscumque sexus, conditionis, status, gradus, qualitatis, & dignitatis etiam Marchionalis, vel Ducalis existentibus, qui de statu Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, sive de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis, ejúsque vsque ad tertium gradum inclusivè consanguineorum Mathematicos, ariolos, auspices, vaticinatoresve nuncupatos, vel alios Astrologiam judiciariam exercentes, seu alias quomodolibet profitentes, de cætero consuluerint, si desuper eorum judicia, prognostica, prædictiones, seu præcognitiones, etiam sibi oblatas receperint, illisve quomodolibet vsi fuerint, vel illas penes se scienter retinuerint, aut alicui ostenderint, necnon iisdem Mathematicis, ariolis, aruspicibus, vaticinatoribus, sive aliis Astrologiam judiciariam, seu quamlibet artem divinatoriam quomodolibet profiteri; qui indicia, prognostica, seu præcognitiones, & prædictiones super præmissis, etiamsi id non certò se affirmare protestentur, fecerint, sive à se, vel ab aliis jam facta, seu factas in posterum penes se similiter retinuerint, vel alicui dederint, seu ostenderint, aut de eis quovis modo etiam improbando scripto, vel verbis tractaverint, nedum excommunicationis majoris latæ sententiæ, sed etiam vti læsæ Majestatis reis, vltimi supplicij, ac confiscationis omnium bonorum etiam Romanæ Curiæ officiorum, ac devolutionis quarumcumque civitatum, castrorum, & locorum jurisdictionalium, & feudalium.

§. 4. Clericis quoque, & Presbyteris, aliisque personis Ecclesiasticis, tam sæcularibus, quàm cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, seu instituti, vel militiarum quarumcumque, etiam Hospitalis sancti Ioan. Hierosolymitani, aliisque quomodolibet exemptis, ac nobis, & Apostolicæ Sedi immediatè subjectis, Regularibus vtriusque sexus, ultra prædictas, etiam privationis beneficiorum, & dignitatum, ac officiorum Ecclesiasticorum, etiam Monasteriorum, Priouatuum, Præceptoriarum, ac aliorum quorumcumque, & inhabilitatis perpetuæ ad illas imposterum obtinendas, ita quod personæ Ecclesiasticæ prævia illarú digradatione Curiæ sæculari tradantur puniendæ; in Episcopali, verò, Archiepiscopali, Metropolitana, Primatiali, Patriarchali aut quacumq; alia etiam Superiori Ecclesiastica vel mundana quantumvis sublimi, excellente, & speciali nota digna, etiam suprema constitutis dignitate, easdem excommunicationis, ac privationis etiam regiminis, & administrationis Ecclesiarum, & aliorum quorumcumque beneficiorum, & dignitatum quantumvis ampliſſimarum, & Patriarchali majorum, ac officiorum suorum, & inhabilitatis pœnas ipso facto incurren. Apostolica auctoritate tenore præsentium infligimus, & imponimus.

§. 5. Cognitionem autem causarum hujusmodi quoad personas Ecclesiasticas, tam sæculares, quàm regulares, in vrbe nostra, & illius districtu ad dilectos filios nostrum Vicarium in spiritualibus generalem, nec non ejusdem vrbis Gubernatorem, ac causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Auditorem generalem, & eorum quemlibet insolidum; extra verò vrbem, & districtum prædictum in Provinciis, nobis, & Apostolicæ Sedi subjectis ad S. R. E. Cardinales in eisdem Provinciis de latere Legatos, & Prolegatos, ac Præsides in dignitate Ecclesiastica constitutos, pro tempore existentes, in aliis verò omnibus, & singulis Provinciis, Regnis, civitatibus, oppidis, castris, & locis, tam sub nostra, & dictæ Sedis, quàm cujusvis alterius Principis ditione comprehensis, privativè quoad omnes etiam Superiores Religiosorum, ipsisque Superioribus penitus exclusis, ad Ordinarios locorum, vbilibet verò locorum etiam ad hæreticæ pravitatis Inquisitores spectare volumus.

§ 6. Mandantes dilectis filiis nostris, & dictæ Sedis de latere Legatis, & eorum Vicelegatis, & Præsidibus prædictis nunc, & pro tempore existentibus, necnon venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis singulis, videlicet in suis civitate, & diœcesi, & quoad loca intra fines alicujus diœcesis, non tamen de diœcesi existentia ipsarum diœcesum, intra quarum fines eadem loca exstiterint; quo verò ad ea, quæ extra fines alicujus diœcesis constunt, vicinioribus eorumdem locorum Ordinariis, ac etiam Inquisitoribus prædictis quatenus ad instantiam cujusvis fisci, vel denunciatoris, ac etiam ex eorum officio causarum hujusmodi cognitiones suscipientes, prævia etiam avocatione à quibusvis aliis suprà non expressis, nec à nobis specialiter delegatis in causis ipsis modo præmisso procedant, omnibus juris, & facti remediis opportunis, invocato etiam auxilio brachij sæcularis.

§. 7. Inhibentes insuper Decanis, & Capitulis Ecclesiarum Cathedralium, Metropolitanarum, & Patriarchalium, necnon quorumvis Ordinum, & locorum Regularium, Societatum, & Institutorum, ac etiam Hospitalis prædictorum Superioribus, Conventibus, & Fratribus, quantumvis exemptis, ne sub privationis beneficiorum, & officiorum, quorumcumque per eos

respectivè obtentorum, ac similiter inhabilitatis ad alia in futurum obtinenda, vocisque activæ, & passivæ, necnon excommunicationis latæ sententiæ eo ipso incurrendis pœnis, Ordinarios locorum, necnon Legatos, seu Vicelegatos, aliósque prædictos in causis hujusmodi procedentes quoquomodo impedire, molestare, seu perturbare audeant, vel præsumant, ac etiam mandantes, vt quoties ad id fuerint requisiti, Religiosos ipsos, etiamsi alicujus loci Regularis Superiores actu fuerint, Ordinariis, Legatis, seu Vicelegatis, ac aliis prædictis, seu quibus idem mandaverint, consignent cum scripturis, & actis, si quæ facta fuisse reperiantur.

§. 8. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque judices, Ordinarios, delegatos, & Commissarios, ac etiam Cameræ Apostolicæ Clericos, Præsidentes, necnon causarum Palatij Apostolici, & Curiæ ejusdem Cameræ Generalem, Auditores, ac S.R.E. Camerarium, & alios Cardinales etiam de latere Legatos, necnon Vicecamerarium, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate vbique judicari, & diffiniri debere, irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

§. 9. Non obstantibus constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon nostra in numero Septuagesima, & aliis Cancellariæ Apostolicæ Regulis, ac Provinciarum, Regnorum, civitatum, terrarum, oppidorum, locorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, Militiarum, Hospitalium, etiam B. Ioannis prædictorum, aliorúmque Religiosorum, & piorum locorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis eisdem, Provinciis, Regnis, civitatibus, terris oppidis, locis, Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, & militiis prædictis, & aliis piis locis, ac illorum Vniversitatibus, Capitulis, Superioribus, & personis in contrarium, forsan quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum inferréntur, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 10. Volumus autem, quòd præsentes litteræ in valvis Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, ac Cancellariæ Apostolicæ, necnon in acie Campi Floræ publicentur, & affigantur, quæ postquam sic affixæ, & publicatæ fuerint, quoscumque, tam in statu nostro temporali, quàm extra eum, vbique locorum perinde arctent, & afficiant, ac si vnicuique nominatim, & personaliter intimatæ fuissent.

§. 11. Quódque earum exemplis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra, vbique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 12. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, innovationis, inflictionis, impositionis, inhibitionis, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1651. Kalend. Aprilis Pontific. nostri anno octavo

---

Qui Itali extra Italiam non habitent in locis, vbi liber, & publicus cultus, sive usus Catholicæ Religionis non existat.

CLEMENS Papa VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

CVm, sicut non sine magno animi nostri dolore accepimus, quamplures Christi fideles ex diversis Italiæ partibus, eorum Patriis, vbi vera, & Sancta Catholica, & Apostolica Religio viget, & publicè prædicatur, discedentes, abeant in longinqua loca, vbi non solùm hæreses impunè grassantur, sed quod pejus est, Catholicæ Religionis vsus publicè interdicitur, & prohibetur, quo fit, vt personæ ibi permanentes, etiamsi Catholicæ sunt, cogantur tamen contra

eorum

eorum pia desideria, sacrosanctæ Missæ sacrificio, aliisque divinis Officiis, ac sanctorum Sacramentorum perceptione in suarum animarum discrimen diutius carere.

§. 1. Quare nos, his, & aliis malis, & periculis inde provenientibus, quantum cum Domino possumus obviare cupientes, hac nostra in perpetuum valitura constitutione statuimus, & ordinamus, vt de cætero nullus Italus, sive mercator, sive cujusvis alterius conditionis, vel status existat, quovis quæsito colore, prætextu, vel ingenio audeat habitare, vel domicilium tenere in civitate, oppido, seu loco, vbi aliqua Ecclesia cum Parocho, vel Pastore, seu Sacerdote Catholico non existat, in qua liberè, & sine omni periculo palàm, publicè celebrari, & audiri possint sacrosanctæ Missæ, & alia divina Officia, & conciones, ac Sacramenta Ecclesiastica ministrari, mortuorum corpora sepeliri, & cætera fieri, juxta Ritum S. Romanæ Ecclesiæ.

§. 2. Vtque iidem Itali abstineant à matrimoniis cum hæreticis mulieribus, & ab hæreticorum sepulturis, filios suos de sacro fonte levari per hæreticos non permittant, nec ipsi vicissim hæreticorum filios, nisi per Catholicum Sacerdotem Catholico more baptizentur, levare præsumant, Medicorum quoque hæreticorum opera, necessitate cessante, & vbi adsit copia Catholici Medici idonei non vtantur.

§. 3. Cùm verò Itali prædicti ex Italia recedunt ad morandum, seu inhabitandum in partibus prædictis, id significent suis Ordinariis, vel Inquisitoribus locorum, à quibus seriò admoneantur, vt in eis perpetuò Catholicam, & Orthodoxam fidem constanter retinentes, & profitentes, piam, & Catholicam vitam ducant, Dominicos, & festos dies, abstinentias, & sacra jejunia ab Ecclesia præcepta religiosè colant, atque omnem hæresim, & errorem hæreticos, schismaticos, & ab Orthodoxa fide aberrantes fugiant, & evitent, ac ut saltem singulis annis de eorum sacramentali peccatorum confessione, & sanctissimæ Eucharistiæ perceptione per eos facta, fidem, seu testimonium ipsis Ordinariis, vel Inquisitoribus in Italiam transmittant, ad quod & nos dictos Italos tenore præsentium teneri, & obligatos esse decernimus, & mandamus.

§. 4. Quòd si quis propriæ salutis immemor, contra præmissa facere præsumpserit, possit adversùs eum per locorum Ordinarios, & Inquisitores hæreticæ pravitatis, vti de hæresi suspectum procedi.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, vt earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsismet præsentibus haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 26. Iulij 1596. Pontificatus nostri anno 5.

Contra hæreticos in locis Italiæ, & Insularum adiacentium quovis prætextu commorantes, eorúmque fautores.

GREGORIVS Papa XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmani Pontificis B. Petri Apostolorum Principis successoris munus exigit, vt pro incumbente Dominici gregis cura, & solicitudine Prædecessorum suorum constitutiones, eas præsertim, quæ ad sacrosanctæ fidei Catholicæ conservationem pertinent, quò suum perpetuum sortiantur effectum, & inviolabiliter observentur, innovet, & extendat provt rerum, & temporum qualitatibus debitè compensatis conspicit in Domino salubriter expedire. Aliàs si quidem à fel. record. Clemente Papa VIII. Prædecessore nostro emanarunt litteræ tenoris sequentis, videlicet.

Clemens Papa VIII. Ad futuram rei memoriam. Cùm sicut non sine magno animi nostri dolore accepimus, quamplures Christi fideles ex diversis Italiæ partibus, eorum Patriis, vbi vera, & sancta Catholica, Apostolica Religio viget, & publicè prædicatur, discedentes, abeant in longinqua loca, ubi non solùm hæreses impunè grassantur, sed quod pejus est, Catholicæ Religionis vsus publicè interdicitur, & prohibetur, quo fit, ut personæ ibi permanentes, etiamsi Catholicæ sint, cogantur tamen contra eorum pia desideria sacrosanctæ Missæ Sacrificio, aliisque divinis Officiis, ac sanctorum Sacramentorum perceptione in suarum

animarum discrimen diutiùs carere. Quare nos his, & aliis malis,& periculis inde provenientibus,quantum cum Domino possumus,obviare cupientes hac nostra in perpetuum valitura constitutione statuimus,& ordinamus, vt de cætero nullus Italus,sive mercator,sive cujusvis alterius conditionis sit,vel existat,quovis quæsito colore,prætextu,vel ingenio audeat habitare,vel domicilium tenere in civitate,oppido, seu loco,vbi aliqua Ecclesia cum Parocho, vel Pastore, seu Sacerdote Catholico non existat, in qua liberè, & sine omni periculo palàm, & publicè celebrari, & audiri possint sacrosanctæ Missæ, & alia divina Officia, & conciones, ac Sacramenta Ecclesiastica ministrari,mortuorum corpora sepeliri,& cætera fieri juxta Ritum S.R.E. vtque iidem Itali abstineant à matrimoniis cum hæreticis mulieribus, & ab hæreticorum sepulturis, filios suos de sacro fonte levari per hæreticos non permittant,nec ipsi vicissim hæreticorum filios, nisi per Catholicum Sacerdotem Catholico more baptizarentur, levare præsumant. Medicorum quoque hæreticorum opera, necessitate cessante, & vbi adsit copia Catholici Medici idonei, non vtantur. Cùm verò Itali prædicti ex Italia recedunt ad morandum, seu inhabitandum in partibus prædictis id significent suis Ordinariis, vel Inquisitoribus locorum à quibus seriò admoneantur, vt in eis perpetuò Catholicam, & Orthodoxam fidem constanter retinentes, & profitentes, piam, & Catholicam vitam ducant, Dominicos & festos dies, abstinentia & sacra jejunia ab Ecclesia præcepta religiosè colant, atque omnem hæresim, & errorem, Hæreticos, Schismaticos, & ab Orthodoxa fide aberrantes fugiant, & evitent, ac vt saltem singulis annis de eorum sacramentali peccatorum confessione, & Sanctissimæ Eucharistiæ perceptione per eos facta, fidem, seu testimonium ipsis Ordinariis, vel Inquisitoribus in Italiam transmittant, ad quod & Nos dictos Italos tenore præsentium teneri, & obligatos esse decernimus, & mandamus. Quòd si quis propriæ salutis immemor contra præmissa facere præsumpserit, possit adversùs eum per locorum Ordinarios, & Inquisitores hæreticæ pravitatis, vti de hæresi suspectum procedi. Non obstantibus constitutionibus,& ordinationibus, Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, vt earumdem præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ ipsismet præsentibus haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die 26. Iulij 1595. Pontificatus nostri anno quinto.

Nos inviolabili dictarum Clementis literarum, & in eis contentorum quorumcumque observationi, quantum nobis ex alto conceditur,per amplius providere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, déque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura constitutione easdem Clementis Prædecessoris literas, cum omnibus, & singulis in eis contentis, tenore præsentium approbamus, & confirmamus: illásque innovamus,ac inviolabiliter observari mandamus. Insuper,ne vllus hæreticus in locis Italiæ, & Insularum adjacentium, neque etiam subcommercij, & mercimonij aut alio quovis prætextu domicilium contrahere, seu domum apertam habere propriam, vel conductam, aut gratis concessam, seu habitare, aut morari possit, earumdem tenore præsentium prohibemus, ac respectivè statuimus, & ordinamus. Contra prohibitioni autem ac statuto, & ordinationi nostris hujusmodi non parentes,seu contravenientes,cujusvis,status,gradus,Ordinis,dignitatis,tam Ecclesiasticæ,quàm sæcularis existentes,juxta formam juris procedatur,& puniantur. Et simili modo eos, qui hæreticos prædictos receptaverint, eisque modo contra præsentium literarum tenorem, favorem opem, seu auxilium præbuerint, vti fautores, & receptatores hæreticorum puniri, sicque per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam S.R.E.Cardinales,& de latere Legatos(sublata eis,& eorum cuilibet quavis aliter judicandi,& interpretandi facultate,& auctoritate)vbique judicari, & diffiniri debere; ac irritum,& inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter,vel ignoranter contigerit attentari,authoritate & tenore prædictis decernimus, & declaramus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, & extrà, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ: vel ostensæ: quódque eædem præsentes post duos menses à die illarum publicationis computandos, omnes, & singulos, ad quos spectat, arctent; & afficiant, perinde ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 2. Iulij 1622. Pontificatus nostri anno secundo.

S. Card. S. Svsannæ.

Revocatio

Revocatio facultatum Superioribus quorumcumque Ordinum, & Religiosorum quoquo modo concessarum, cognoscendi causas suorum subditorum, ad Officium S. Inquisitionis hæreticæ pravitatis, quomodolibet pertinentes.

PAVLVS Episcopus, servus servorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex ea interdum, quæ Prædecessoribus suis temporum, & rerum qualitate id tunc exposcente, proinde pro hæresum extirpatione sancita sunt, novis emergentibus rationibus revocat, & immutat aliaque desuper disponit, & ordinat provt in Domino salubriter conspicit expedire.

§. 1. Dum siquidem fel. rec. Pius Papa IV. Prædecessor noster sua perpetuo valitura constitutione statuit, ordinavit & declaravit, quod ex tunc deinceps in omnibus Christiani Orbis partibus Inquisitores hæreticæ pravitatis, tam Generales, quàm in quibusvis Provinciis, civitatibus, oppidis, terris, & locis pro tempore deputati particulares, contra omnes quorumcumque Ordinum, etiam exemptorum, etiam Mendicantium Professores, & Religiosos, ac etiam alios quoscumque quovis modo privilegiatos, & exemptos, de hæresis crimine quomodolibet suspectos, aut culpabiles, dummodo ab eorundem Professorum, & Religiosorum Superioribus, vel Prælatis in causis hujusmodi præventi non fuissent, juxta facultates Officij Inquisitionis ipsius pravitatis inquirere, & procedere, ac culpabiles, & delinquentes repertos, secundùm Canonicas sanctiones castigare, atque punire possent, & valerent, ac aliàs provt in litteris ipsius Pij Prædecessoris, latiùs continetur.

§. 2. Cùm autem rerum vsu compertum sit, occasione præventionum hujusmodi nonnulla interdum impedimenta orta esse, quominus causæ hujusmodi ea, qua decet diligentia, cognoscantur. Nos de consilio venerabilium Fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, contra pravitatem generalium Inquisitorum illa de medio tollere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia nostra ac matura deliberatione, hac nostra etiam perpetuò valitura constitutione omnia, & quæcumque privilegia indulta, facultates, & concessiones Generalibus, Superioribus, & Prælatis quorumcumque Ordinum, sive Mendicantium, sive Clericorum Regularium, cujusvis Ordinis, & instituti, etiam in dicta constitutione non expressorum, & quantumvis exemptorum, & quocumque nomine nuncupentur per dictum Pium, ac quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, & Sedem Apostolicam concessa approbata, & innovata, quantumvis etiam longissimo tempore observata; causàs ad dictum Officium quovis modo spectantes cognoscendi, & terminandi seu in illis quoquo modo se intromittendi, quorum omnium, & singulorum tenores etiamsi de illis specialis, & expressa mentio habenda esset, præsentibus pro planè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, Apostolica authoritate tenore præsentium perpetuò cassamus, revocamus, & abolemus, ipsisque Generalibus, Superioribus, & Prælatis, vt de cætero quovis quæsito colore, vel prætextu prætensionis, vel consuetudinis, & præscriptionis immemorabilis, seu cognoscendi, an delationes hujusmodi calumniosæ sint, necne in eisdem causis, tam motis, quàm movendis, quoquo modo se intromittere, se immiscere, denunciationes recipere, testes examinare, processus conficere, causas ipsas cognoscere, definire, vel terminare minimè audeant, seu præsumant, simili auctoritate districtiùs inhibemus.

§. 3. Volentes, & expresè mandantes, ut ipsi Religiosi possint, & debeant omnes, etiam Ordinum hujusmodi professores de hæresi suspectos, Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum vicinioribus liberè denunciare, absque eo, quòd Superiores prædicti personas denunciandas, & causas perquirere, vel quoquo modo id impedire, vel retardare audeant, seu præsumant.

§. 4. Insuper omnes, & quascumque causas ad dictum Officium quomodolibet spectantes, & pertinentes, coram Generalibus, Superioribus, & Prælatis hujusmodi in quibuscumque locis existentibus, ac contra quoscumque Religiosos, vt perfertur, exemptos, motas, & pensenti reperiuntur, ipsius pravitatis Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum vicinioribus terminandas committimus.

§.5. Præterea ipsis Generalibus, Superioribus, & Prælatis pari auctoritate præcipimus, atque mandamus, ut omnes processus, & acta causarum hujusmodi Inquisitoribus, seu Ordinariis prædictis respectivè remittant, & consignent, necnon Professores, Fratres, & Religiosos supradictos, quos hæresis labe infectos, vel suspectos, etiam in visitatione esse noverint absque alia consultatione cum propriis Superioribus facienda, eisdem Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum vicinioribus respectivè denuncient.

§.6. Quòd si Generales, aliique prædicti præsentibus literis non paruerint, eos omnes privationis quarumcumque dignitatum, seu Prælaturarum; vel officiorum suorum Ordinum, ac vocis activæ, & passivæ, perpetuæque inhabilitatis ad easdem, necnon contra fautores hæreticorum, & impeditores officij statutas, & inflictas pœnas, aliásque censuras Ecclesiasticas, etiam excommunicationis majoris latæ sententiæ, à quo non nisi à nobis, vel à Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo, absolutionis beneficium valeant obtinere, eo ipso incurrisse.

§.7. Necnon præsentes litteras, licèt Generales, Superiores, & Prælati prædicti, aut quieumque alij quavis auctoritate, dignitate, vel officio, seu honore fulgentes in præmissis quomodolibet interesse habentes, vel habere prætendentes ad hoc vocati non fuerint, semper, & perpetuò validas, & efficaces existere, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac de omnibus inviolabiliter observari, sicque per quoscumque judices, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, sublata, eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus.

§.8. Non obstantibus ad prædicta, quibusvis aliis ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinum, & Institutorum quorumcumque juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate aliqua roboratis, statutis, conditionibus, Privilegiis quoque, indultis & litteris Apostolicis, etiam Mare magnum, vel aliàs quomodolibet nuncupatis, eisdem Ordinibus, eorúmque Generalibus, Superioribus, & Prælatis, ac personas etiam per quoscúmque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Sedem prædictam, & per nos quovis modo concessis confirmatis, & iteratis vicibus approbatis & innovatis, quibus, ac aliis omnibus, quæ præsentibus quómodolibet obstare possent, etiamsi de illis, eorúmque totis tenoribus, specialis, specifica, & expressa, ac individua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores pro plenè, & sufficienter præsentibus expressis, & totaliter insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, & specialiter, expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.9. Vt autem præsentes litteræ ad omnium notitiam deducantur, neve aliquis ignorantiam earum prætendere, aut contra eas se excusare valeat, illas in valvis sancti Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum, Basilicarum de urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, ac acie Campi Floræ de more affigi, & publicari, earúmque exempla inibi affixa dimitti, ac post publicationem hujusmodi omnes, & singulos, quos concernunt, & concernent in futurum, perinde arctent & afficiant, ac si eorum cuilibet personaliter intimatæ fuissent.

§.10. Quódque earum transumptis etiam impressis Notarij publici manu subscriptis, & sigillo alicujus Prælati, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem in judicio, & extra, ubique gentium, & locorum adhiberi volumus, & mandamus, quæ eisdem originalibus litteris adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ, & nihilominus ut ad majorem notitiam singulorum & quorumcumque, Religiosorum prædictorum præsentes deveniant etiam volumus & in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus Generalibus, Superioribus, & Prælatis prædictis, ut in primis proximis futuris Capitulis, seu Congregationibus Provincialibus vel Generalibus cujuscumque Provinciæ, tam in Italia, quam extra, præsentes nostras litteras legi, & publicari faciant, & procurent.

§.11. Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ 1606. Kal. Septembris Pontificatus nostri anno secundo.

Innovatio

Innovatio constitutionum à Sixto IV. & Pio V. de Conceptione B. Mariæ Virginis, editarum, Impositioque maiorum pœnarum in transgressores, à locorum Ordinariis, & hæreticæ pravitatis Inquisitoribus puniendos.

PAVLVS Papa V.

Ad perpetuam rei memoriam.

REgis pacifici, quanquam nullo nostro merito divina dispensatione vices gerentes in terris, ex muneris nostri debito, pacis, & concordiæ inter Christi fideles, præsertim Ecclesiasticas personas, quæ aliis in viam pacis dirigendis, & in unitate spiritus continendis sunt præpositæ, conservationi sedulò invigilare cupientes, ea, quæ à Prædecessoribus nostris Roman. Pontif. ad scandalorum semina tollenda salubriter constituta sunt, cum hostis antiqui insidiis, qui ab initio dissidia serere cœpit, minimè observari, aut variis modis eludi dignoscuntur, ut inviolata serventur, opportunis remediis, quantum cum Domino possumus, providemus.

§. 1. Olim siquidem per felicis recordationis Sixtum Papam Quartum Prædecessorem nostrum, accepto, quòd nonnulli diversorum Ordinum Prædicatores in suis sermonibus ad populum publicè per diversas civitates, & terras affirmare non erubuerant, & quotidie prædicare non cessabant, omnes illos, qui tenebant, aut asserebant, gloriosam, & immaculatam Dei genitricem absque originalis peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse hæreticos, ejusdémque immaculatæ Conceptionis officium celebrantes, audientésque sermones illorum, qui eam sine hujusmodi macula conceptam esse affirmabant, graviter peccare; sed prædictis Prædicationibus non contenti, confectos super eisdem suis assertionibus libros in publicum ediderant, ex quorum assertionibus, & prædicationibus non levia scandala in mentibus fidelium exorta erant, & majora meritò exoriri formidabantur in dies, idem Sixtus Prædecessor hujusmodi temerariis ausibus, & perversis assertionibus, & scandalosis, quæ exinde in Dei Ecclesia exoriri poterant, obviare volens, hujusmodi assertiones prædictorum eorumdem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præsumerent, eos, qui crederent, aut tenerent eandem Dei Genitricem ab originalis peccati macula in sua Conceptione præservatam fuisse, propterea alicujus hæresis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare, aut hujusmodi officium Conceptionis celebrantes, seu hujusmodi sermones audientes alicujus peccati reatum incurrere, utpotè falsas; & erroneas, & à veritate penitus alienas, editosque desuper libros prædictos id continentes, quoad hoc reprobavit, & damnavit, ac statuit, & ordinavit, quòd Prædicatores verbi Dei, & quicumque alij, cujuscumque status, gradus, aut Ordinis, & conditionis essent, qui ausu temerario præsumerent in eorum sermonibus ad Populum, seu aliàs quomodolibet affirmare, hujusmodi sic per eum improbatas, & damnatas assertiones veras esse, aut dictos libros pro veris legere, tenere, vel habere, excommunicationis sententiam eo ipso incurrent, à qua ab alio, quàm à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, nequirent absolutionis beneficium obtinere. Similique pœnæ, & censuris subjecit eos, qui ausi essent asserere contrariam opinionem, tenentes videlicet, Gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, vel peccatum incurrere mortale, cùm nondum id esset à Romana Ecclesia, & Apostolica Sede decisum.

§. 2. Hanc verò Sixti Prædecessoris nostri constitutionem Oecumenica Tridentina Synodus postea innovavit.

§. 3. Ac deinde felicis recordationis Pius Papa V. etiam Prædecessor noster, statuit, ordinavit, & mandavit, quatenus nemo cujuscumque Ordinis, vel dignitatis existeret, in popularibus concionibus, vel ubicumque promiscua virorum, & mulierum multitudo convenire solet, de hujus controversiæ alterutra parte disputare rationibus, vel Doctorum auctoritate, asserendo propriam sententiam, & contrariam refellendo, vel impugnando, aut de hac ipsa quæstione cujusvis pietatis, aut necessitatis prætextu vulgari sermone scribere, vel dictare præsumeret; qui contrafaceret, suspensionis pœnam à divinis absque nova declaratione ipso facto incurreret: si modò esset in sacris constitutus, & quocumque præterea gradu, sive dignitate, vel administratione fungeretur, illis omnibus foret ipso jure privatus, & ad eadem, vel similia munera obtinenda, vel obeunda, perpetuæ inhabilitatis censuræ, ipso etiam facto obnoxius foret: super quibus nisi à Romano Pontifice, pro tempore existente, dispensari, sive absolvi non posset,

& nihilominus aliis pœnis, si opus foret, à proprio Prælato pro delicti mensura infligendis subjectus esset, provt subjecit.

§. 4. Cæterùm quamdiu per Apostolicam Sedem altera pars diffinita non esset, oppositáque sententia condemnata, liceret viris doctis in publicæ Academiæ disputationibus, sive Generalium, aut Provincialium Capitulorum; vel vbi aliàs interessent, qui rem capere possent, nec scandali vlla subesset occasio, de illa quæstione differere, & argumentis vtramlibet partem asserere, vel impugnare. Dum tamen neutra veluti erronea prædicaretur, servarentúrque illa omnia, quæ à dicto Sixto Prædecessore statuta sunt, quorum singula etiam quantum ad alias pœnas dexit innovanda, & innovavit, provt in Sixti, & Pij Prædecessorum litteris desuper confectis plenius continetur.

§. 5. Verùm licèt hæc providè statuta sint, nihilominus, sicut accepimus, nonnulli in diversis Christiani Orbis partibus, intermissatis quæstionibus nimis intenti, dissensionum hujusmodi, jampridem Ecclesiæ disciplinæ vigore recisa germina coalescere procurant; indéque contentiones, & rixæ non sine Dei offensa, & scandalo plurimorum exortæ sunt, & graviores in dies, ne exoriantur, periculum est nisi à nobis opportunè provideatur.

§. 6. Quamobrem Motu proprio, non ad alicujus nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, constitutionum Sixti, & Pij Prædecessorum hujusmodi veriores tenores præsentibus pro expressis, & ad verbum insertis habentes, easdem constitutiones Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, & etiam quoad earum pœnas quascumque, etiam absolutionis reservationem innovamus, & inviolabiliter ab omnibus, etiam Regularibus cujuscumq; ordinis tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus personis, cujusvis status, gradus, Ordinis, & conditionis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quàm sæcularis, etiamsi specialis specifica, & individua earum esset necessario facienda mentio, & observari præcipimus, & mandamus, donec à Romana Apostolica Sede hujusmodi controversia fuerit diffinita.

§. 7. Ac præterea, si quis quovis modo contravenerit, præter supradictarum constitutionum pœnas respectivè ipso facto incurrendas, etiam concionandi, publicè legendi, seu docendi, & interpretandi facultate, ac voce activa, & passiva in quibuscumque electionibus eo ipso absque alia declaratione privatus existat. Necnon ad concionandi, & publicè legendi, docendi, & interpretandi perpetuæ inhabilitatis pœnas similiter ipso facto incurrat, absque alia declaratione, à quibus non nisi à nobis ipsis, vel successoribus nostris Romanis Pontificibus pariter absolvi, seu super iis dispensari possit, & nihilominus aliis pœnis nostro, & eorumdem Romanorum Pontificum successorum nostrorum arbitrio infligendis, subjiciatur, provt eum subjicimus per præsentes.

§. 8. Et contra hujusmodi transgressores, etiam Regulares cujusvis Ordinis, & instituti, etiam quomodolibet exemptos, & alias quascumque Ecclesiasticas, & sæculares personas cujuscumque status, gradus, Ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quàm sæcularis, vt præfertur, tam Episcopi, & Prælati, Superiores, aliique Ordinarij locorum, quàm hæreticæ parvitatis vbique locorum deputati Inquisitores procedant, & inquirant, atque in eos severè animadvertant. Nos enim iis, & eorum cuilibet, contra eosdem transgressores procedendi, & inquirendi, ac pœnis coërcendi, & puniendi liberam facultatem, & auctoritatem iisdem auctoritate, & tenore tribuimus, & impartimur, eósque ut præfertur, procedere, inquirere, & punire præcipimus, & mandamus.

§. 9. Non obstantibus omnibus iis, & singulis, quæ tam Sixtus, quàm Pius Prædecessores prædicti in suis litteris hujusmodi voluerunt, non obstare. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 10. Et ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quòd præsentes litteræ, seu illarum exempla, ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ affixa, omnes ita arctent, & afficiant, perinde, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent.

§. 11. Quódque præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 6. Iulij 1616. Pontificatus nostri anno 12.

Ampliatio

Ampliatio, & declaratio prohibitionis asserendi B. Mariam Virginem conceptam fuisse in peccato originali.

IN Generali Congregatione sanctæ Romanæ, & vniversalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico in Monte Quirinali coram Sanctissimo Domino nostro D. Gregor. Divina providentia Papa XV. ac Illustrissim. & Reverendissim. DD. S. R. E. Cardinalibus adversùs hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus à sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Feria 3. die 24. Maij anno à Nativitate Domini nostri Iesu Christi 1622.

SANCTISSIMVS D. N. auditis votis Illustr. & Reverendiss. DD. Cardinalium contra hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum Decretum alias editum à fel. rec. Paulo V. ejus Prædecessore, tenoris sequentis, videlicet:

Sanctissimus D. N. post longam, & maturam discussionem, auditis votis Illustriss. & Reverendiss. DD. Cardinalium contra hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum, re accuratè, ac diligenter perpensa providè considerans, quòd quamvis in constitutione fel. rec. Sixti IV. super Conceptione B. V. Mariæ. pro submovendis inter Christi fideles scandalis, rixis, & contentionibus edita, à sancta Tridentina Synodo innovata, & deinde in alia constitut. san. mem. Pij V. super eadem re, quas similiter Sanctitas sua innovavit cum quibusdam provisionibus, & adjectionibus pœnarum pro efficaciori earum observatione; relinquatur vnicuique libera facultas tenendi, & etiam asserendi vtramque partem, quod scil. fuerit, vel non fuerit concepta cum peccato originali, dum tamen neutra, veluti erronea, aut hæretica damnetur; nihilominus ex occasione assertionis affirmativæ in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & actibus publicis, quod eadem B. Virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriuntur in populo Christiano cum magna Dei offensa, scandala, jurgia, & dissensiones. Propterea volens hujusmodi scandalis, ex debito sui muneris providere, decrevit, & præcepit, ac præsentis decreti virtute mandat, & præcipit omnibus, & singulis cujusvis Ordinis, & instituti Regularibus. & aliis quibuscumque, tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus personis cujusvis conditionis, status, gradus, Ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quam sæcularis, etiam si specialis, specifica, & individua earum esset necessariò mentio facienda, vt imposterum, donec articulus hujusmodi à sancta Sede Apostolica fuerit diffinitus, vel per Sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & aliis quibuscumque actibus publicis asserere, quòd eadem B. Virgo fuerit concepta cum peccato originali, contrafacientes autem eadem Sanctitas sua voluit, & declaravit subjacere debere, & subjecit censuris, & pœnis contentis in supradictis constitutionibus suorum Prædecessorum, & sua, ipso facto incurrendis. Per hujusmodi tamen prohibitionem Sanctitas sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei vllum prorsus præjudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu, & terminis, in quibus de præsenti reperitur, præterquam quoad supra disposita. Vlteriùs sub eisdem censuris, & pœnis mandans, quòd negativam opinionem, videlicet, quòd non fuerit concepta cum peccato originali, in prædictis publicis actibus asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent. Insuper voluit, & expressè mandavit, vt extra hos casus expressos publicorum actuum, in reliquis omnibus supradictæ constitutiones firmæ, & illæsæ remaneant, & exactè observentur, perinde ac si præsens decretum non emanasset. Et ita decrevit, & mandavit vbique inviolabiliter observari: non obstantibus in hac parte supradictis constitutionibus, & aliis omnibus in contrarium facientibus, &c.

Hoc suo præsenti decreto ex eisdem causis evitandi scandala, dissensiones, atque discordias in Populo Christiano, quæ pari ratione oriri possunt, & vt accepit, in aliquibus Regionibus jam ortæ sunt ex sermonibus privatis occasione assertionis affirmativæ, extendit, & ampliavit etiam ad privata colloquia, & scripta; mandans, & præcipiens omnibus, & singulis supradictis, ne de cætero (donec articulus hujusmodi à Sede Apostolica diffinitus, vel per Sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum) neque etiam in sermonibus, & scriptis privatis audeant asserere, quòd eadem B. Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmative aliquo modo agere, seu tractare, exceptis tamen, quibus à sancta Sede Apostolica fuerit super hoc specialiter indultum. Per hoc tamen Sanctitas sua non intendit reprobare hanc opinionem; nec ei ullum prorsus præjudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu, & terminis, in quibus reperitur, præterquam quoad in supradicto fel. rec. Pauli V. & hoc suo Decreto dispositа; eademque Sanctitas sua voluit, & expressè mandavit, vt in reliquis

reliquis omnibus, vbi hujusmodi decretis non adversantur, constitutiones Sixti IV. Alex. VI. & Pij V. ac Pauli V. ejus Prædecessorum super Conceptione B. V. firmæ, & illibatæ remaneant, ac exactè observentur, perinde ac si hujusmodi decretum non emanasset. Et insuper eadem Sanctitas sua cum sancta Romana Ecclesia de Beatissimæ Virginis Conceptione festum solemniter, & Officium celebret, omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis, tam sæcularibus, quàm cujusvis Ordinis, & Instituti Regularibus mandat, ac præcipit, vt in sacrosancto Missæ sacrificio, ac divino Officio celebrandis, tam publicè, quàm privatim, non alio, quàm Conceptionis nomine vti debeant. Contravenientes autem Sanctitas sua voluit, & declaravit subjacere debere, & subjecit censuris, & pœnis contentis in supradictis Constit. ac præfato decreto suorum prædecessorum ipso facto incurren. Et ita decrevit, & mandavit vbique inviolabiliter observari non obstantibus in hac parte Constitut. supradictis, decreto præfato Pauli V. Consuetudinibus etiam immemorabilibus, necnon omnibus, & singulis, quæ Prædecessores prædicti voluerunt non obstare; ac aliis quibuscumque in contrarium facientibus. Volens, & decernens pro observatione, & executione præsentis Decreti, & omnium in eo contentorum, quòd contra hujusmodi transgressores, etiam Regulares cujusvis Ordinis, & Instituti, etiam quomodolibet exemptos & alias quascumque Ecclesiasticas personas cujuscumque status, conditionis, gradus, Ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quam sæcularis, tam Episcopi & Prælati Superiores, aliique Ordinarij locorum, quàm hæreticæ pravitatis, vbique locorum deputati Inquisitores procedant, & in eos severè animadvertant, tribuens eis, & eorum cuilibet liberam facultatem, & auctoritatem contra eosdem transgressores procedendi, ac pœnis coërcendi, & puniendi. Voluit demum, ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit, quòd præsens decretum, seu illius exempla ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de vrbe, & in acie Campi Floræ affixa omnes ita arctent & afficiant, perinde, ac si vnicuique personaliter intimata fuissent, quódque præsentium transumptis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

ANDREAS DE PECTINIS, S. Rom. & vniversi. Inquisitionis Notarius.

Revocatio quarumcumque concessionum vivæ vocis oraculo factarum, exceptis oraculis factis S. R. Ecclesiæ Cardinalibus, & eorum manu firmatis.

GREGORIVS Papa XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex in specula militantis Ecclesiæ divina providentia constitutus, gratias, & indulta à se, & Prædecessoribus suis concessa justis interdum suadentibus causis, juxta creditum sibi Pastoralis officij debitum moderatur, aut revocat, provt rerum, & temporum qualitatibus debitè pensatis conspicit in Domino salubriter expedire. Itaque Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, déque Apostolicæ potestatis plenitudine: omnia, & singula indulta, facultates, privilegia, gratias, & concessiones quascumque spirituales, & Ecclesiasticas tam ad forum interius quàm ad exterius spectan. ac tam ad supplicationem partium, quàm motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus à Sede Apostolica, quæ tamen vivæ vocis oraculo hactenus quandocumque, & qualitercumque ex quavis, etiam de necessitate exprimenda, causa, quibusvis Collegiis, Capitulis, Ordinibus, tam mendicantium, quàm non mendicantium, Societatibus, etiam Societati Iesu, ac Congregationibus quibuslibet sive eorum & earum respectivè Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, Generalibus, vel Provincialibus, quocumque nomine nuncupatis, Superioribus etiam quomodolibet exemptis, aut Sedi prædictæ immediatè subjectis, cujuscumque dignitatis, præeminentiæ, aut quovis privilegio munitis, non tamen ad supplicationem Regum concessas, in iis videlicet quæ non sunt sortita effectum, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac revocata, cassa, sublata, abrogata, & annullata, viribúsque, & effectu vacua perpetuò fore, & esse, neque imposterum cuiquam suffragari posse, vel debere, neque aliquem iis de cætero vti vllo modo posse, etiamsi expressa, & specifica mentio, etiam de verbo ad verbum de iis facienda esset, decernimus, & declaramus firmis tamen, & in suo robore permanen. omnibus, indultis, & aliis concessionibus prædictis, vivæ vocis oraculo S.R.E. Cardinalibus ad ipsorum, vel aliorum quorumcumq; favorem

propria

propria S.R.E Cardinalium manu firmatis, pro ipsis, vel aliis factis, & de quibus iidem S.R.E. Cardinales testimonium in scriptis præbuerunt. Decernentes præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quòd quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui jure, vel in controversiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adversùs illas quodcumque jus, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; sicque per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos & Nuncios (sublata eis, eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate) judicari, & diffiniri, debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan. præmissis, ac quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis, Ordinibus, Societatibus, & Congregationibus prædictis, eorúmque Præpositis Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, & aliis Superioribus prædictis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritan. & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes) illis aliàs in suo robore permansuris) hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, & extra illud, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ, quódque eædem præsentes litteræ, seu illarum exempla, ad valvas Basilicarum S. Ioannis Lateran. ac Principis Apostolorum de vrbe, & in acie Campi Floræ affixæ, omnes ita arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 2. Iulij 1622. Pontificatus nostri Anno secundo.

S. Card. S. Svsannæ.

Extensio constitutionis fel. mem. Gregorij Papæ XV. revocatoriæ concessionum vivæ vocis oraculo factarum.

Vrbanvs Papa VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Alias felicis recordationis Gregorius Papa XV. Prædecessor noster, vt subnascentibus jugiter variis difficultatibus, & abusibus ex privilegiis à Sede Apostolica vivæ vocis oraculo sæpenumero concessis obviam iret, constitutionem edidit tenoris subsequen. videlicet.

Gregorivs Papa XV. Ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex in specula Militantis Ecclesiæ divina providentia constitutus, gratias, & indulta à se, & Prædecessoribus suis concessa justis interdum suadentibus causis, juxta creditum sibi Pastoralis Officij debitum moderatur, aut revocat, provt rerum, & temporum qualitatibus debitè pensatis conspicit in Domino salubriter expedire. Itaque Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, déque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula indulta, facultates, privilegia, gratias, & concessiones quascumque spirituales, & Ecclesiasticas, tam ad forũ interius quam ad exterius spectan. ac tàm ad supplicationem partium, quàm motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus à Sede Apostol. quæ tamen vivæ vocis oraculo hactenus quandocumq; & qualitercumque ex quavis, etiam de necessitate exprimenda causa, quibusvis Collegiis, Capitulis, Ordinibus tam medicantium, quàm non medicantium, Societatibus, etiam Societati Iesu, ac Congregationibus quibuslibet, sive eorum, & earum respectivè Præpositis, Decanis Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus Generalibus, vel Provincialibus, quocumque nomine nuncupatis; Superioribus etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi prædictæ immediatè subjectis, cujuscumque dignitatis, præeminentiæ, aut quovis privilegio munitis non tamen

ad

ad supplicationem Regum concessas, in iis videlicet, quæ non sunt sortita effectum, tenore præsentiū revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac revocata, cassa, sublata, abrogata, & annullata, viribúsque, & effectu vacua perpetuò fore, & esse, neque imposterum cuiquam suffragari posse, etiamsi expressa, & specifica mentio, etiam de verbo ad verbum de iis facienda esset, decernimus, & declaramus, firmis tamen & in suo robore permanen. omnibus indultis, & aliis concessionibus prædictis, vivæ vocis oraculo S. R. E. Cardinalibus ad ipsorum, vel aliorum quorumcumque favorem propria S.R.E. Cardinalium manu firmatis, pro ipsis, vel aliis factis, & de quibus iidem S.R.E. Cardinales testimonium in scriptis præbuerunt; decernentes, præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quòd quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, ad hoc vocati & auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu aliquo quocumque defectu notari, impugnari, redargui jure, vel in controversiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adversùs illas quodcumque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus, sortiri, & obtinere; sicque per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Nuncios (sublata eis, eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate) judicari & diffiniri debere ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan. præmissis, ac quibusvis constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, Indultis, & litteris Apostolicis, Ordinibus, Societatibus, & Congregationibus prædictis, eorúmque Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, & aliis Superioribus prædictis sub quibuscumque tenoribus, & formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritan. & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, ad verbum insertis habentes (illis aliàs in suo robore permansuris) hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, & extra illud, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ, quódque eædem præsentes litteræ, seu illarum exempla, ad valvas Basilicarum S. Ioannis Lateranensis ac Principis Apostolorum de vrbe, & in acie Campi Floræ affixæ, omnes ita arctent, & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 2. Iulij 1622. Pontificatus nostri anno secundo.

CARD. S. SVSANNÆ.

Cùm autem experientia rerum magistra compertum sit concessiones, & gratias vivæ vocis oraculo, etiam à S.R.E. Cardinalibus obtentas, & ipsorum manu firmatas sæpè ab his, in quorum favorem emanarunt, minus Canonica interpretatione extendi & perperam in disciplinę Ecclesiasticæ detrimentum executioni demādari: idcircò quantū cum Domino possumus his, & aliis malis occurrere volentes Motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deq; Apostolicæ potestatis plenitudine, & de consilio nonnullorum venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, quibus negotium hujusmodi maturè discutiendum commisimus, omnia, & singula privilegia, facultates, licentias, & gratias quascumque per Summos Pontifices Prædecessores nostros, ac per nos vivæ vocis oraculo, & S.R.E. prædictæ Cardlnalium quorumcumque manu firmata, quibuscumque Generalibus, cæterisque Superioribus, & personis cujusvis Ordinis, Congregationis, Institūti, & Societatis, sive sæcularibus, sive Regularibus, vel etiam ipsis Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Societati Iesu, aut ejus Clericis, seu Presbyteris, aliisque prædictis, quacumque de causa, etiam de necessitate exprimenda, occasione, prætextu, vel colore, etiam intuitu, contemplatione, seu ad instantiam Imperatoris, Regum, Principum quorumcumque, aut aliàs quomodolibet concessa, illorum tenores præsentibus, pro expressis habentes tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac de cætero revocata, cassa, sublata, abrogata, & annullata, viribúsque, & effectu vacua esse, fore, nullisque prorsus deinceps suffragari posse, nec debere declaramus. Præterea, vt præsentes litteræ omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, quanto citiùs innotescant, omnibus, & singulis Generalibus, & aliis quocumque nomine nuncupatis

nuncupatis Superioribus, quorumcumque Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis Iesu, & institutorum, sub excommunicationis, ac privationis Officiorum, & dignitatum, necnon vocis activæ, & passivæ pœnis ipso facto incurrendis, præcipimus, & mandamus, vt infra tres menses proximos à die publicationis præsentium computandos, omnes, & singulos Provinciales eorumdem suorum Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis Iesu, & Institutorum de eisdem præsentibus litteris certiores faciant, earundémque præsentium exemplaria illis transmittant, qui quidem Provinciales sub eisdem pœnis teneantur singulis Superioribus Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, domorum, & locorum Regularium præcipere, vt easdem præsentes subditis suis, vt moris est, publicent. Decernentes præsentes litteras etiam ex eo, quód quicumque in præmissis interesse habentes, vel habere prætendentes ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, redargui, in jus, vel controversiam vocari, aut ad viam, & terminos juris reduci, sive adversus illas quodcumque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, sicque per quoscumque Iudices, Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apost. Audit. (sublata eis, & eorũ cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate) judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si quid secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præinsertis litteris hujusmodi, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolic. & quatenus opus sit, etiam regula nostra de non tollendo jure quæsito, privilegiis quoq; indultis, & litteris Apostolic. eisdem Card. ac Ordinibus, Congregat. institutis, & Societatibus, eorúmq; Superioribus quocumq; nomine nuncupatis, sub quibuscumque verborum formis, & ten. ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisq; efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrariũ præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorúmq; totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum omniũ tenores præsentibus pro plenè, & sufficiẽter expressis habentes, specialiter, & expresè derogamus, cæterisq; contrariis quibuscumque. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiã impressis, manu alicujus Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus vbique fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ, quodq; eædem præsentes litteræ, sive illarum exẽpla ad valvas Basilicarum prædictarum, & in acie Campi Floræ hujusmodi similiter affixa, omnes, quos concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac si vnicuiq; personaliter intimata fuissent.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 20. Decembr. 1631. Pontific. nostri anno nono.

M. A. Maraldvs.

Die, & anno supradicto affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicarum S. Ioannis Lateranen. & Principis Apostolorum, ac in acie Campi Floræ, aliisque locis solitis, & consuetis, vt morũ est, per me Andream Scalamum, Sanctiss. D. N. Papæ Cursorem.

Romæ ex Typographia Reverendæ Cameræ Apost.

Revocatio licentiarum quarumcumque legendi, & habendi libros prohibitos.

Vrbanvs Papa VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Apostolatus Officium nobis, nullo licet meritorum suffragio, divina providentia commissum postulat, vt ad vigilantiæ nostræ partes propensiùs intendamus, per quæ Religio Catholica, vbi divina gratia illæsa viget, conservetur, & vbi restitutione indiget, reparetur.

§. 1. Quapropter, cùm librorum prohibitorum lectio magno sinceræ fidei cultoribus detrimento esse noscatur, & sicut accepimus, nimis excessiva sit, hujusmodi libros legendi, licentiarum copia, nos vt huic malo maturè occurratur, & in posterum quàm cautissimè licentiæ hujusmodi concedantur, quantum cum Domino possumus, providere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, déque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes & singulas licentias legendi, & habendi libros quoscumque ob hæresim, vel falsi dogmatis

suspicionem, seu per constitutiones Apostolicas, etiam ratione Astrologiæ judiciariæ, vel aliàs quomodolibet prohibitos, quibuscumque personis laicis, & Ecclesiasticis, tam sæcularibus, quàm Regularibus cujuscumque Ordinis, Societatis, & instituti existentibus, ac quacumque dignitate, etiam Ecclesiastica fulgentibus, cujuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, & præeminentiæ, etiam speciali nota, & mentione dignis, ac per litteras Apostolicas ad tempus, seu ad vitam, & aliter quomodocumque, ex quacumque causa, tam in forma, quàm aliter quomodocumque à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, seu à quibuscumque aliis à nobis, vel ab eis facultatem, & auctoritatem habentibus, non tamen à nobismetipsis per litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, seu chirographum manu nostra signatum, concessas earum tenores præsentibus pro expressis, & insertis habentes, hac nostra perpetuò valitura constitutione, revocamus, cassamus, & annullamus, ac pro revocatis, cassis, & annullatis haberi, nullique suffragari.

§. 2. Quin immò libros, per licentias hujusmodi permissos legentes, aut habentes pœnas in sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, & Indicibus librorum prohibitorum contentas incurrere volumus, & declaramus.

§. 3. Decernentes, vt præsentes litteræ postquam in valvis Basilicarum sancti Ioannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ, necnon in acie Campi Floræ affixæ fuerint, infra duo citra Montes, vltra verò Montes, infra quatuor menses ex tunc proximos, omnes, & singulos, ad quos spectat, arctent, & afficiant perinde, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent: quódque dictis duobus, & respectivè quatuor mensibus durantibus ij, qui libros prohibitos hujusmodi habuerint, eos ad Episcopum, seu Inquisitorem, qui illos quantò citius comburere debeat, deferre; quique aliquos similes libros prohibitos habere sciverint, eos denunciare teneantur, neque de cætero similes licentiæ, nisi à Congregatione S. Officij, dum singulis hebdomadis coram nobis habetur, vel ab aliis per nos etiam in eadem Congregatione specialiter deputandis concedantur.

§. 4. Ac quòd earundem præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 2. Aprilis 1631. Pontificatus nostri anno octavo.

Diffinitio quoad Imagines nondum à Sed Apostolica Canonizatorum, vel Beatificatorum cum radiis, splendoribus, & laureolis proponendas, vel tabellas, & luminaria ad eorum sepulchra apponenda, & cum attestationibus desuper præponendis, recipienda, & asservanda, sive eorum, miracula in imprimendis libris enarranda.

Feria 5. die 13. Martij anno à Nativitate Domini nostri Iesu Christi 1625.

SAnctissimus D.N. solicitè animadvertens abusus, qui irrepserunt, & quotidie irrepere non cessant in colendis quibusdam cum Sanctitatis, aut martyrij fama, vel opinione defunctis, qui etsi neq; canonizationis, neq; beatificationis honore insigniti sint ab Apost. Sede, eorum tamen imagines in Oratoriis, atque Ecclesiis, aliisque locis publicis, ac etiam privatis, cum laureolis, aut radiis, seu splendoribus proponuntur, miracula, & revelationes, aliaque beneficia à Deo per eorum intercessiones accepta, in libris rerum ab ipsis gestarum enarrantur, & ad illorum sepulchra, tabellæ, imagines, & res aliæ ad beneficia accepta testificanda, & lampades, & alia lumina apponuntur. Volénsque proinde hujusmodi abusibus pro debito Officij Pastoralis occurrere (re etiam cum Illustr. & Reverend. DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem in vniversa Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus communicata, & maturè considerata, ac discussa) declaravit, statuit, & decrevit, ne quorumvis hominum, cum Sanctitatis, seu martyrij fama (quantacumque illa sit) defunctorum imagines, aliaque prædicta, & quodcumque aliud venerationem, & cultum præferens, & indicans, in Oratoriis, aut locis publicis, seu privatis, vel Ecclesiis, tam sæcularibus, quàm Regularibus, cujuscumque Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis, aut Societatis apponantur, antequam ab Apostolica Sede canonizentur, aut Beati declarentur, & (si quæ apposita sunt) amoveantur, provt eas statim amoveri mandavit.

Ac pariter imprimi de cætero inhibuit libros eorundem hominũ qui Sanctitatis, sive martyrij fama,

fama, vel opinione (vt præfertur) celebres è vita migraverint, gesta miracula, vel revelationes, seu quæcumque beneficia tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, atq; approbatione Ordinarij, qui in iis recognoscendis Theologos, aliosque pios, ac doctos viros in consilium adhibeat, & ne deinde fraus, aut error, aut aliquid novum, ac inordinatum in re tam gravi committatur, negotiũ instructum ad Sedem Apostol. transmittat, ejúsque responsum expectet. Revelationes verò, & miracula, aliáq; beneficia supradicta, quæ in libris horum hominum vitã, & gesta continentibus, hactenus sine recognitione, atque approbatione hujusmodi impressæ sunt, nullo modo approbata censeri vult, mandatque sua Sanctitas.

Ad horum hominum sepulchra, vetuit etiam, ac inhibuit, tabellas, atque imagines ex cera, aut argento, seu ex alia quacumque materia, tam pictas, quàm fictas, quàm exculptas, appendi, seu affigi, & lampades, sive alia quæcumque lumina accendi sine recognitione ab Ordinario omninò (prout supra) facienda, Sedique Apostolicæ referenda, ac probanda.

Declarans, quòd per supra scripta præjudicare in aliquo non vult, neque intendit iis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, virorúmque sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarij coluntur.

Vt autem præmissa diligentiùs observentur, vniversis, & singulis, tam Ordinariis, quàm hæreticæ pravitatis Inquisitoribus districtè præcipit, vt in sua quisque diœcesi, aut Provincia sedulò pervigilet, ne sine approbationibus prædictis, imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, revelationes, ac beneficia prædicta publicentur; aliáve contra superiùs disposita, fiant: transgressores verò, si Regulares fuerint, privationis suorum officiorum, ac vocis activæ, & passivæ, necnon & suspensionis à divinis; si verò Clerici sæculares, privationis pariter suorum officiorum, suspensionis à Divinis, & ab administratione Sacramentorum, exequutioneque suorum Ordinum respectivè, aliisque arbitrio prædictorum ordinariorum, seu Inquisitorum pro modo culpæ infligendis pœnis plectendos. Qui autem libros impresserint, aut imagines pinxerint, scripserint, seu quoquo modo effinxerint, vel formaverint, cæterique artifices circa præmissa qualitercumque delinquentes, prædicta omnia amittant, & insuper pecuniariis, aliisque etiam corporalibus pœnis, juxta criminis gravitatem, eorundem ordinariorum, seu Inquisitorum arbitrio afficiantur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Et ne præmissorum ignorantia possit ab aliquo prætendi, voluit, vt Decretum hujusmodi, seu illius exemplum ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum vrbis, ac in acie Campi Floræ affixum, omnes perinde arctet, atque afficiat, ac si vnicuique personaliter intimatum fuisset; quódque præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Postmodum verò idem Sanctiss. D. N. à quibusdam revocari in dubium accepit, an tabellas, & imagines, quas in posterum offerri contigerit, recipere, & antea oblatas conservare liceret; Sanctitas sua, quæ tantummodo voluit, occurrendo abusibus, qui irrepere videbantur, certiorem parare viam ad eorum in terris gloriam, quorum sanctimoniam divinæ Clementiæ placuerit admirandis operibus illustrare; re priùs cum Illustr. & Reverend. DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus communicata, præsenti Decreto declaravit. Quòd sicut nunquam prohibuit, nec suæ intentionis fuit prohibere oblationem, receptionémque tabellarum, & imaginum hujusmodi, ita vt nulli deinceps hæsitationi locus relinquatur, statuit in præsentiarum, & decernit, vt quoties ad aliquam Ecclesiam, aut Oratorium, locúmvè alium publicum sæcularem, seu Regularem tabellas, & imagines, aliudve simile quispiam detulerit, ac intercessione hominum inter Sanctos, vel Beatos non adscriptorum, quamvis cum Martyrij, vel Sanctitatis fama demortuorum, optata se impetravisse dixerit, liceat Ecclesiasticis personis, Ecclesiarum, locorúmve prædictorum curę Præpositis tabellas, & imagines, sive pictas, sive ex quavis materia factas, atq; alia quæcumq; collatæ gratiæ fidem facientia simul cum deferentis, aliorúmque, qui conscij fuerint attestationibus recipere, atque approbantibus Ordinariis, ad quos referre statim omnia teneantur, in secreto aliquo, seorsim ab Ecclesia loco custodire, ibidémque jam amota collocare, & asservare, vt si quando Dominus talium virorum merita beatificationis, seu canonizationis honore in terris decorare voluerit, extent hujusmodi Sanctitatis qualescumque probationes, Apostolicæ Sedis judicio tunc examinandæ, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Prohibitio, ne degentes in statu Ecclesiastico mediatè, vel immediatè Sedi Apostolicæ subiecto libros ab eis ubicumque compositos de quacumque

materia tractantes, absque Cardinalis Vicarij, & Magistri sacri Palatij in Vrbe, & extra eam absque Ordinarij, & Inquisitoris loci licentia deferant, aut imprimendos transmittant.

Feria 5. die 18. Septembris 1625.

IN Generali Congregatione S. Romanæ, & vniversalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctiss. D.N.D. Vrbano divina providentia Papa VIII. ac Illustr. & Reverendiss. DD.S.R.E. Cardinalibus, adversùs hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus D. N. pro debito sui Pastoralis Officij corrigere volens abusus nonnullorum in statu Sedi Apostolicæ mediatè, vel immediatè subjecto existentium, qui libros à se compositos extra præfatum statum absque vlla Ordinariorum, & Inquisitorum loci, vbi degunt, approbatione imprimendos transmittunt; statuit, & decrevit, vt in posterum nemo in statu prædicto degens, cujusvis conditionis, gradus, Ordinis, & dignitatis existat, libros de quavis materia tractantes, & vbicumque compositos audeat aliò deferre, vel mittere imprimendos sine expressa in scriptis approbatione Illustr. & Reverendiss. D. Cardinalis S.D.N. Vicarij, & Magistri S. Palatij, si in vrbe, si verò extra vrbem existat, sine Ordinarij, & Inquisitoris loci illius, sive ab iis deputatorum facultate, & licentia operi præfigenda: libros autem, quos contra præsentis decreti tenorem imprimi contigerit, præter alias pœnas arbitrio suæ Sanctitatis infligendas, absque alia declaratione ex nunc prohibet, & pro expressè prohibitis haberi, vult, & mandat. Contrariis quibuscumque non obstantibus, &c.

Ioan. Ant. Thomasius S. Rom. & univers. Inquisitionis Not.

Sanctissimi D. N. Vrbani Papæ VIII. declaratio, quod Constitutiones Apostolicæ in concernentibus fidem Catholicam, & S. Inquisitionis Officium hactenus editæ, & in posterum etiam super quacumque alia re edendæ, omnes Regulares quomodolibet privilegiatos comprehendant, nisi illi in edendis specialiter excipiantur.

VRBANVS Papa VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

CVm sicut accepimus, sancti Benedicti, Cistercien. Præmonstraten. S. Antonij de S. Antonio Viennen. Societatis Iesu, ac aliorum forsan Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum Regularium Professores vigore, seu prætextu privilegiorum, & indultorum sibi, dictisque Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & institutis, ab hac sancta Sede Apostolica, tam per viam meræ concessionis, quàm communicationis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, déque Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam consistorialiter concessorum in constitutionibus generalibus à nobis, & dicta Sede hactenus editis, & de cætero edendis se minimè comprehendi prætendant, nisi de eis specialis, specifica, individua, & expressa mentio fiat.

§. 1. Nos, qui inter gravissimas, multiplicésque Apostolatus nostri curas in eam præcipuo, ac peculiari studio jugiter incumbimus, vt extirpatis hæreticarum pravitatum erroribus, Catholica fides vbique gentium conservetur, & propagetur, ambiguitates, & dubia de medio tollere, & opportunæ dispositionis ministerio providere volentes, vt tot, tantæq; constitutiones generales à Nobis, & hac sancta Sede, & præsertim ad favorem fidei Catholicæ, illiúsq; propagationem, & Officij S. Inquisitionis contra hæreticam pravitatem editæ, & de cætero edendæ, sublatis quibuslibet exceptionibus, subterfugiis, & impedimentis ad majorem Dei gloriam, sanctæque Matris Ecclesiæ exaltationem debitum, vt par est, sortiantur effectum, necnon quorumcumque privilegiorum, gratiarum, & indultorum, dictis Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam quantumlibet extraordinariis, & cautelis quomodolibet, & ex quacumque causa concessorum, etiamsi in corpore juris clausa sint, tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in eis tradita observata inserti forent, eisdem præsentibus pro expressis habentes Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, déque Apostolicæ potestatis plenitudine.

§. 2. Quod quævis generales constitutiones, dispositiones, & ordinationes Apostolicæ per Nos, & quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros in concernentibus fidem Catholicam,

tholicam, illiúsque propagationem, S. Inquisitionis officium præfatum, præsertim quod ea, quæ in Congregationibus S. Officij, & propaganda fide coram nobis tractari solent, hactenus editæ, omnes, & singulos, tam S. Benedicti, Cistercien. Præmostraten. S. Antonij de S. Antonio Viennen. & Societatis Iesu præfatorum, quàm quorumcumque aliorum Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum Professores omninò comprehendant, perindè, ac si præfati, & alij, quantumlibet privilegiati in eis nominatim expressi fuissent, edendæ verò in posterum per nos, & Romanos Pontifices successores nostros, tam in favorem præfatæ fidei Catholicæ, illiusque propagationis, & S. Officij Inquisitionis præfati, quàm super quacumque alia re, negotio, seu materia, constitutiones, dispositiones, & ordinationes hujusmodi similiter omninò comprehendant præfatos eorundem Ordinum, Constitutionum, Societatum, & Institutorum Professores, nisi in edendis constitutionibus hujusmodi specialiter, & expresè excipiantur, etiam si ipsi privilegiati forent magis speciali nota & expressione digni, eisque privilegia, gratiæ, & indulta, à Sede Apostolica præfata, etiam sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis, etiam Motu, scientia, ac de potestatis plenitudine similibus, & consistorialiter, etiam contemplatione, vel ad instantiam Imperatoris Regum, & aliorum Principum, tam per viam meræ concessionis, quàm communicationis, & aliàs quomodolibet concessa respectivè sint, quorum, seu quarum vigore, vel prætextu sint excepti, seu se minimè comprehendi prætendant, in constitutionibus generalibus, vel aliis non facientibus plenam, & expressam eorum mentionem.

§. 3. Præsentes verò litteras, omniáque, & singula in eis contenta, etiam ex eo, quòd Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum hujusmodi Professores, vel alij quicumque in præmissis interesse habentes, seu quomodolibet habere prætendentes ad hoc vocati, & auditi, ac causæ propter quas eædem præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, seu aliàs justificatæ non fuerint, vllo vnquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quovis, etiam quantumvis substantiali defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari nullatenus posse, neque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, pro tempore quomodolibet faciendi comprehendi.

§. 4. Sed semper ab illis exceptas, sempérque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, dictæque Sedis Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§. 5. Non obstantibus regula nostra de jure quæsito non tollendo, ac quibusvis aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon tam S. Benedicti, Cistercien. Præmonstraten. S. Antonij de S. Antonio Viennen. & Societatis Iesu præfatorum, quàm quorumcumque aliorum Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, & privilegiis necnon præfatis, & quibusvis aliis privilegiis, indultis litteris Apostolicis, etiam Mare magnum, & aliàs quomodolibet nuncupatis eisdem Ordinibus, Congregationib. Societatibus, & Institutis, eorúmque Superioribus, bonis, rebus, monasteriis, locis regularibus, & personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma, ad hoc servanda foret, illorum omnium & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ, quódque eædem præsentes litteræ, seu illarum exempla ad valvas Basilicarum S. Ioannis Lateran. ac Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ affixa, omnes ita arctent, & afficiant,

ac si vnicuique personaliter intimata fuissent. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 5. Novembris 1631. Pontificatus nostri anno nono.

M. A. MARALDVS.

Sequuntur decreta, & aliæ Bullæ ad eandem materiam S. Inquisitionis spectantes.

De Iudæorum flagitiis, in quæ hæreticæ pravitatis Inquisitores animadvertere possunt.

GREGORIVS Episcopus, servus servorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

ANtiqua Iudæorum improbitas, quæ divinæ bonitati semper restiterunt, tanto execratior consistit in filiis, quanto ipsi ad cumulandam patrum suorum mensuram in Dei filio repudiando, ejusque in mortem nefariè conspirando, gravius deliquerunt, qui propterea suis effecti majoribus nequiores, propriis sedibus expulsi, atque in omnes dispersi orbis terrarum regiones, servitutique perpetuæ mancipati, non majorem in cujusquam ditione clementiam, quàm in Christianorum Provinciis, maximè verò in Apostolicæ pietatis gremio invenerunt, quæ pro eorum conversione laborans, eos misericorditer excepit, atque in cohabitatione vna cum filiis suis sustinuit, ad veritatis lumen allicere pio semper studio conata est, rebúsque ad vitam necessariis, juvit, injuriis, & contumeliis prohibuit, multis denique beneficentiæ suæ privilegiis circummunivit. Illi verò nullis beneficiis mansuefacti, nihilque de suo pristino scelere remittentes, Dominum nostrum Iesum Christum in cœlo triumphantem adhuc in Synagogis suis, & vbique persequuntur. Christi quoque membris infensissimi non desinunt in Religionem Christianam horrenda facinora quotidie magis audere.

§. 1. Quibus nos, ne pietatis nostræ puritas polluatur, aut à fœdis mancipiis Christo, Christianorúmve nomini impunè illudatur, obviare volentes statuimus, ac etiam declaramus, Inquisitores hæreticæ pravitatis liberè procedere posse in omnibus causis, & casibus, qui sequuntur.

§. 2. Si quis Iudæus at infidelis in iis, quæ circa fidem cum illis nobis sunt communia, veluti Deum vnum, & æternum, omnipotentem, Creatorem omnium, visibilium, & invisibilium, & similia non esse asseruerit, prædicaverit, vel privatim alicui insinuaverit.

§. 3. Si dæmones invocaverit, consulveritve, aut eorum responsa acceperit, ad illósve Sacrificia, aut preces ob divinationem, aliámve causam direxerit, aut quid eis immolaverit, vel thuris, alteriúsve rei fumigationes obtulerit, aut alia quævis impietatis obsequia præstiterit.

§. 4. Si Christianos verbo, facto, vel exemplo, aut alio quovis modo nefaria hujusmodi docuerit, vel ad ea perpetranda perduxerit, aut perducere attentaverit.

§. 5. Si Salvatorem, & Dominum nostrum Iesum Christum purum hominem, vel etiam peccatorem fuisse, Matremve Dei non esse Virginem, & alias hujusmodi blasphemias, quæ per se hæreticæ dici solent, in Christianæ fidei ignominiam, contemptum, aut corruptionem impiè protulerit.

§. 6. Si cujusvis eorum opera, auxilio, consilio, vel favore aliquis Christianus à fide desciverit, quámque semel susceperat abnegaverit, vel ad Iudæorum, seu aliorum infidelium ritus, cæremonias, superstitiones, vel impias sectas transierit, vel redierit, seu in hæresim aliquam inciderit, aut qui, vt Christi fidem abneget, seu in hæresim incidat, opem, consilium, auxilium, vel favorem quomodocumque præstiterit.

§. 7. Si quis Cathecumenum, vel quemcumque ex Iudæis, aut infidelibus Deo inspirante ad fidem Christianam venire volentem, post declaratam nutu, verbo, facto, aut quocumque alio modo ejus voluntatem à fide, vel fidei institutione, aut à sacri Baptismi susceptione retrahere, avertere, vel dehortari, aut ne ad fidem veniat, néve regenerationis lavacro abluatur, quovis modo impediverit.

§. 8. Si quis apostatas, hæreticósve scienter domi suæ receptaverit, aluerit, commeatu juverit, seu quovis modo eis cibaria vbicumque præbuerit, aut dona, vel munera dederit, vel miserit, aut de loco ad locum deduxerit, seu associaverit, vel deducendos, seu associandos curaverit, aut sumptus ministraverit, duces, comitésve illis adjunxerit, vel ne ab eis perpetrata deprehendi, aut investigari queant, fecerit, quique dictos apostatas, aut hæreticos scienter aliquo

quo modo receptaverit, occultaverit, defenderit, aut eis opem, consilium, auxilium, vel favorem quomodolibet præstiterit.

§.9. Si libros hæreticos, vel Thalmucidos, aut alios Iudaicos quomodolibet damnatos, aut aliàs prohibitos tenuerit, custodierit, vel divulgaverit, vel i quæcumque loca detulerit, aut ad eam rem operam suam accommodaverit.

§.10. Si Christianos deriserit, redemptionisque nostræ hostiam salutarem in ara Crucis immolatam, Christum Dominum ludibrio, & despectui habens, quandocumque, maximè verò in sacro Paraseeves die agnum, sive ovem, aut quid aliud Cruci affixerit, aut appenderit, in eámve conspuerit seu quodcumque contra ipsam fecerit.

§.11. Si nutrices Christianas contra sacrorum Canonum statuta, diversorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum sanctiones adhuc retinuerit, aut eas retinens, die qua sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, lac vno, vel pluribus diebus in latrinas, vel cloacas, vel alia loca effundere coëgerit.

§.12. In quibus casibus vniversis, & singulis omnes prædictæ prauitatis Inquisitores omnium Regnorum, Provinciarum, civitatum, dominiorum, & locorum vniversi Orbis Christiani Iudices in suis quique locis perpetuò delegamus; vt super his contra Iudæos, atque infideles quoscumque, simul, vel separatim, provt in causis fidei juxta sacrorum Canonum formam, necnon Officij Inquisitionis hujusmodi constitutiones, diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo, vel aliquibus horum flagitiorum excessibus culpabiles repererint, in eos pro culpæ modo ac etiam pro criminum numero, vel multiplicatione, aut consuetudine delinquendi flagra, remigia, etiam perpetua, rerum quoque publicationes, exilia, aliaque atrociora decernant, & aliàs de eis exempla edant, quæ sceleratos illos deterreant ab hujusmodi flagitiis in posterum admittendis.

§.13. Nos enim venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Inquisitoribus generalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Prælatis, ac etiam aliis prædictis Inquisitoribus in virtute sactæ obedientiæ districtè præcipimus, & mandamus, vt præsentes nostras in civitatibus, & locis cuique subjectis publicare, & juxta illarum tenorem procedere, illásque debitæ exequutioni mandare procurent.

§.14. Decernentes irritum, & inane quicquid secus per quoscumque, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.15. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon exemptionibus, privilegiis, immunitatibus, commeatibus, in fidem publicam receptionibus, & tolerantiis, prædictis Judæis, & aliis infidelibus, maranis, & apostatis, tam in dominis, terris, & locis nostris, & Sedi Apostolicæ, mediatè, vel immediatè subjectis, quàm alibi vbicumque Regnorum, Provinciarum, dominiorum, gentium & locorum commorantibus, vel in ea, ex quibusvis Regnis & partibus, tam fidelium, quam infidelium confluentibus, eorúmque judicibus, Advocatis, & defensoribus quacumque auctoritate, potestate, & dignitate fungantur, etiam ad instantiam Imperatoris, Regum, Ducum, & quorumvis aliorum principum, tam per fel. rec. Paulum tertium, decimo Kalend. Martij, & Iulium etiam tertium Non. Decembris, tertio anno sui cujusque Pontificatus, quàm etiam quoscumque alios anteriores, & posteriores Romanos Pontifices, ac nos, & Sedem Apostolicam, ejúsque Legatos, ac etiam Cameram Apostolicam, sub quibuscumque tenoribus, & formis ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam Motu proprio, & aliàs quomodocumque hactenus concessis, confirmatis, & innovatis, atque in posterum concedendis, confirmandis, & innovandis, quæ omnia, etiamsi de illis, illorúmque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua mentio, aut aliqua alia forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, ac si ad verbum insererentur præsentibus pro plenè expressis habentes, harum serie specialiter, & expressè revocamus, & omnino abolemus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.16. Volumus autem præsentes in locis vrbis consuetis de more publicari, & eorum exemplis impressis, manu Notarij publici, & sigillo sanctæ Romanæ, & vniversalis Inquisitionis, vel personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem vbique tam in judicio, quàm extra illud adhiberi, quæ adhiberetur, eisdem præsentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1581. Kalend. Iunij, Pontificatus nostri anno decimo.

Anno à Nativitate Domini 1581. *Indictione* 9. *die verò* 10. *mensis Iunij, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. Gregorij divina providentia Papæ XIII. anno decimo, retro-*

scriptæ litteræ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ sancti Ioannis Lateranen. Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, ac etiam ad valvas septi Hebræorum, per nos Petrum Aloysium Gaytam, & Nicolaum Tagliettum Apostolicos Cursores.

ANTONIVS LVDOVICVS Magister Cursorum.

Contra Hebræos tenentes, legentésque libros Thalmudi, & alios hactenus damnatos, aut blasphemias, & contumelias in Deum, & Sanctos continentes.

CLEMENS Episcopus, servus servorum Dei,
Ad perpetuam rei memoriam.

CVm Hebræorum malitia novas in dies excogitet fraudes, quibus pernicioſa volumina, libróſque impios, ac planè deteſtabiles, tum antiquitus damnatos, tum recens conſcriptos in vulgus proferat.

§. 1. Nos & ipſis exitiale, & Chriſtiano populo periculoſum rati, hanc eorum nequitiam conniventibus oculis tolerare, ac pro noſtro Paſtorali officio opportunum huic malo remedium adhibere volentes, adducti exemplo complurium Romanorum Pontific. Prædeceſſorum noſtrorum præſertim fel. rec. Gregor. IX. Innoc. IV. Clem. IV. Honorij IV. Ioan. XXII. Iulij III. & Greg. XIII. qui ſæpius impium illud Thalmudi nuncupatum, & alia ſimilia reprobata, & deteſtanda ſcripta, & volumina damnarunt, & retineri prohibuerunt, ſeu aliàs ex Chriſtiani Orbis Provinciis, & Regnis pio zelo exterminarunt, omnes, & ſingulas eorumdem Prædeceſſorum ſuper hoc editas litteras, quarum tenores præſentibus volumus pro expreſſis haberi harum ſerie approbantes, & innovantes.

§. 2. Atque illis hæc addentes, omnibus, & quibuſcumque vniverſitatibus Hebræorum, eorúmque ſingulis tam in temporali S. R. E. ditione, quàm etiam extra eam vbivis locorum, & in quibuſvis Chriſtiani Orbis partibus conſtitutis perpetuò prohibemus, ne quoſvis libros, & Codices impios Thalmudicos, ſæpè dãnatos, vaniſſimos Cabaliſtos, atq; alios nefarios à Prædeceſſoribus noſtris prohibitos, & condemnatos, necnon opera, commentaria, tractatus, volumina, & ſcripta quæcumque, tã lingua Hebraica, quàm quavis alia hactenus conſcripta, aut verſa, edita, & impreſſa, ac in poſterum conſcribenda, aut vertenda, edenda, vel imprimenda, continentia, ſeu continentes, tacitè, vel expreſsè, hæreſes, vel errores contra ſacras veteris legis, & Teſtamenti ſcripturas, necnon contumelias, impietates, blaſphemias, contra Deum, ſanctiſſimam Trinitatem & Salvatorem noſtrum Dominum Ieſum Chriſtum, ejúſq; ſanctam Chriſtianam fidem ac beatiſſimam ipſius Genitricem ſemper Virginem Mariam, & beatos Angelos, Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, alióſque ſanctos Dei, ſacratiſſimam Crucem, Sacramenta novæ legis, ſacras imagines, & ſanctam Catholicam Eccleſiam, & Sedem Apoſtolicam, ac contra Chriſti fideles præſertim Epiſcopos, Sacerdotes, & alias Eccleſiaſticas perſonas atq; etiam contra nuper ad ejuſdem Chriſti fidem converſos, ac Neophytos, & aliàs contra Religionem Catholicam, vel in quibus etiam impudicæ, & obſcœnæ narrationes memorantur; etiam ſub prætextu, quòd expurgata fuerint, vel donec expurgentur, ſive quòd de novo typis excuſa fuerint, mutatis nominibus, vel etiam ſub obtentu, ſeu tolerantia, aut permiſſione, vt prætendunt, Secretarij, aut cujuſvis perſonæ Sacr. Conc. Trid. aut Indicis librorum prohibitorum per rec. mem. Pium Pap. IV. Prædeceſſorem noſtrum editi, vel cujuſvis Indulti Apoſtolici, aut licentiam per S. R. E. Card. etiam Legatos, aut Camerarium, ſeu Cameram Apoſtolicam, vel Nuncios etiam cum poteſtate Legati de latere, aut locorum Ordinarios ſeu Inquiſit. hæreticæ pravitatis forſan quomodolibet conceſſæ, aut quovis alio quæſito colore, legere, habere, vel retinere, emere, vel vendere, aut evulgare nullo modo audeant, vel præſumant.

§. 3. Omnes verò, & quaſcumque facultates, litteras, permiſſiones, indulta, tolerantias, legendi, tenendi etiam ad tempus certum, vel incertum, vel ad effectus prædictos, & ſub ſimilibus, vel aliis prætextibus quæcumque, vt præfertur prohibita ſcripta, volumina, libros, & alia ſupradicta quibuſvis Iudæis, in genere, vel in ſpecie, à Prædeceſſoribus noſtris, & dicta Sede Apoſtolica, ſeu ejus Legatis, etiam de latere, vel Nunciis, aut Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, aut locorum Ordinariis, vel quibuſvis aliis quavis dignitate, & auctoritate fungentibus, etiam S. R. E. Card. ejuſq; Camerario, ſeu Camera prædicta, ſub quibuſvis verborum formis, & conceptionib. & quibuſvis etiam derogatoriarum, derogatoriis clauſulis, ac vim contractus inducentibus, irritantibúſque & aliis decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia déque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſeu ad quorumcumque Principum etiam Regali, Ducali, vel alia quacumque præeminentia fulgentium inſtantiam, vel eorum intuitu conceſſas, auctoritate, & tenore præmiſſis

præmissis, revocamus, irritamus, & annullamus, ac pro revocatis, irritis, & penitus infectis in perpetuum habere volumus.

§.4. Districtiùs inhibentes, tam quibuscumque ex prædictis, quavis auctoritate, & facultate suffultis, personis, ne hujusmodi licentias, tolerantia indulta quoquomodo concedere, quàm Iudæis, ne illis sic per præsentes revocatis, aut post hac forsan de facto concedendi vti, aut earum prætextu, seu aliàs quomodolibet libros prædictos retinere, legere, deferre, emere, vendere, aut de novo edere præsumant.

§.5. Quinimo si quos ad præsens habent, eos statim intra decem dies Romæ in Officio S. Romanæ vniversalis Inquisitionis, extra Vrbem verò intra duos menses à die publicationis præsentium numerandos locorum Ordinariis, seu Inquisitoribus hæreticæ pravitatis à quibus postmodum absque alio mandato nostro, nulla interposita mora comburantur, exhibere, tradere, & consignare omnino teneantur, & debeant.

§.6. Præcipientes tam ipsis Iudæis, quàm quibuscumque Typographis, Bibliopolis, seu mercatoribus, & aliis quibuscumque Christi fidelibus etiam cujuscumque status, gradus, Ordinis, vel conditionis existentibus, sub pœnis amissionis librorum & publicationis omnium bonorum, fisco ejus Principis in cujus ditione libri reperti fuerint applicandorum, ac aliis etiam gravioribus, & corporis afflictivis arbitrio diœcesani, ac etiam Inquisitoris, si inibi fuerit, statuendis, ac moderandis, necnon quoad Christianos, etiam excommunicationis majoris latæ sententiæ vnumquemque contrafacientem eo ipso incurrendæ, ne hujusmodi libros, & alia scripta superiùs prohibita, vt præfertur retinere, habere, legere, edere, typis excudere, seu imprimere, describere, vel exemplare advehere, emere, vendere, donare, commutare, aut aliàs quomodolibet distrahere, vel alienare.

§.7. Néve quisquam, etiam sub prædictis, & aliis pœnis contra favorem fautores Apostatarum à fide & hæreticorum à sacr. Canon. & Constitutionibus Apostolicis inflictis, ipsis Hebræis, pro habendis, scribendis seu imprimendis hujusmodi libris, vel vndecumque afferendis, seu transvehendis; aut pro eorumdem legendorum licentia de cætero impetranda opem, consilium, auxilium, vel favorem præstare, aut impendere quoquomodo audeat.

§.8 Quocirca venerabilibus Fratribus nostris tam S.R.E. Cardinalibus adversùs hæreticam pravitatem in toto terrarum Orbe generalibus Inquisitoribus, quàm etiam Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque locorum Ordinariis, & Inquisitoribus quibuscumque ejusdem hæreticæ pravitatis, in quibusvis Regnis, Provinciis, & Civitatibus pro tempore existentibus per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, & eorum singuli in civitatibus, terris, & locis, vbi Iudæi commorantur, tam in eorum Synagogis, & locis publicis, quàm privatis domibus, & Officinis, & aliàs vbique locorum, etiam apud Bibliopolas Christianos prædictos sic prohibitos libros, & scripta per se, vel alium, seu alios ab eis deputandos diligentissimè perquirant, & contra eos, qui super retentionem hujusmodi culpabiles reperti fuerint, ad prædictarum, & aliarum, etiam graviorum eorum arbitrio pœnarum executionem procedant. Contradictores necnon inobedientes quoscumque, eisve auxilium, consilium, vel favorem præstantes per opportuna juris vel facti remedia appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

§.9. Non obstantibus præmissis, necnon constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis dictis Hebræis, eorúmve vniversitatibus sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis, in genere, vel in specie quomodolibet concessis, etiam sæpius approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi aliàs pro illorú sufficienti derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus, specialis, specifica, & individua mentio habenda, seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores hujusmodi, necnon formas, & decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis, quoad reliqua in suo robore permansuris, ad effectum præmissorum specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1599. Prid. Kalend. Martij, Pontificatus nostri anno secundo.

Anno à Nativit. Domini 1593. *Indict.* 6. *die vero Sabbathi* 3. *mensis Aprilis, Pontif. Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis divina providentia Papæ* VIII. *anno ejus secundo, retroscripta litteræ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt in valvis Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, in Acie Campi Floræ, & in platea nuncupata Iudæorum relictis in eis copiis affixis per nos Io. Baptistam Bagno, & Franciscum Baron. S. D. N. Papæ Cursor.*

BAPT. PRESSIVS Mag. Curs.

Innovatio

Innovatio constitutionis fel. rec. Pauli Papæ IV. contra negantes Trinitatem, aut Divinitatem IESV CHRISTI, aut eius conceptionem de Spiritu sancto, aut eius mortem, ut nos redimeret, aut virginitatem Beatissimæ semper Virginis DEI Genitricis Mariæ.

Adiecta forma in publicatione eiusdem constitutionis servanda, ne de cætero illius ignorantia à quoquam quovis prætextu possit allegari.

CLEMENS Papa VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

DOminici gregis divina prouidentia nobis, licèt meritis imparibus commissi, solicitudo postulat, vt Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum constitutiones, quæ præsertim ad fidei Catholicæ integritatem conservandam, & impios homines, ac pravarum hæresum assertores debitis pœnis plectendos pertinent, innovemus; ne qui hujusmodi errorum labe infecti sunt earumdem constitutionum, & pœnarum in eis inflictarum ignorationem vllo modo prætendere, aut quavis ratione excusare posse præsumant. Cùm itaque fel. rec. Paulus Papa IV. Prædecessor noster, ad quorumdam hominum iniquitatem coërcendam, qui non solùm diversas hæreses profiteri, sed etiam ipsius fidei fundamenta negare præsumebant, suóque exemplo multos in interitum animæ trahebant quadam sua perpetuò valitura constitutione, quæ incipit, *Cùm quorumdam hominum prauitas*; vt hujusmodi homines à suis erroribus intra certum eis tunc præfixum tempus resipiscerent, paterna monitione, & requisitione, necnon ipsorum resipiscentium à quibuscumque censuris, & pœnis Ecclesiasticis, & temporalibus plenissima absolutione sanciverit, vt quicumque tam eatenus lapsi fuissent, & intra tempus præfixum non resipuissent quàm qui in posterum prolaberentur in hos errores, aut eorum aliquem, qui nimirum asseruissent, dogmatizassent, vel credidissent Deum omnipotentem non esse trinum in personis, & incomposita omninò, indiviſáque vnitate substantiæ, & vnum vnamet simplici Divinitatis essentia, aut Dominum nostrum Iesum Christum non esse verum Deum ejusdem substantiæ per omnia cum Patre, & Spiritu Sancto, aut eundem secundùm carnem non esse conceptum in vtero Beatissimæ, sempérq; Virginis Mariæ de Spiritu sancto sed sicut cæteros homines ex semine Ioseph, aut eundem Dominum, & Deum nostrum, Iesum Christum non subiisse acerbissimam Crucis mortem, vt nos à peccatis, & ab æterna morte redimeret, & Patri ad vitam æternam reconciliaret, aut eandem beatissimam Virginem Mariam non esse veram Dei Matrem, nec perstitisse semper in virginitatis integritate, ante partum scilicet, in partu, & perpetuò post partum, pro subversis, & relapsis in hæresim haberi, & vt relapsi Curiæ sæculari tradi, & per ipsam Curiam debitis pœnis in relapsos statutis puniri possent in omnibus, & per omnia, perinde, ac si verè, & realiter, in hæresim relapsi essent, & eos relapsos esse constaret, provt in prædicta constitutione sub datum Romæ apud S. Marcum septimo Idus Augusti, Pontificatus sui anno primo edita plenius continetur. Eò tamen hujusmodi impiorum hominum prorumpit temeritas, vt prætextu ignorationis hujusmodi constitutionis, ac pœnarum in eadem constitutione inflictarum, se illis minimè subjacere, nec obnoxios esse putent, ac propterea se ab eisdem pœnis liberari, & absolvi posse prætendant. Nos igitur animadvertentes (vt idem quoque Paulus Prædecessor benè animadvertit) hujusmodi errores tam graves, ac nefandos existere, vt illi, qui in eos incidunt, nullam prorsus excusationem habeant, sed subversi potius, & immanes, quàm hæretici meritò dici possint, propterea, vt illi debita animadversione omninò puniantur, nec à præfatis erroribus vlla excusatione de cætero se tueri valeant, Motu proprio, & ex certa scientia ac matura deliberatione nostra, déque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura constitutione, dicti Pauli Prædecessoris vestigiis inhærentes, ac ejus constitutionem prædictam quoad pœnas in ea contentas innovantes, ac perpetuò confirmantes, & approbãtes, supradictos omnes & singulos, qui hactenus in similes errores, aut eorum aliquem lapsi sunt, aut in posterum prolabentur, attenta dictorum errorum gravitate, & enormitate, cujuscumque dignitatis, gradus, ordinis, vel conditionis existant, nulla illis etiam ignorantiæ supradictę constitutionis excusatione suffragante pro subversis, & relapsis in hæresim haberi, & tanquam relapsos Curiæ sæculari tradi, ac per eandem Curiam debitis pœnis in relapsos statutis puniri posse, auctoritate Apostolica tenore præsentiũ perpetuò statuimus. Non obstantibus omnibus illis, quæ prædictus Paulus Prædecessor voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Vt autem hujusmodi constitutionis ignorantia de cætero allegari, aut prætendi nunquam possit, atque vt præsentes omnibus

omnibus innotescant, volumus illas ad valuas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, & in acie Campi Floræ, more solito publicari, & affigi, atque iis inde amotis earundem exempla, etiam impressa, ibi affixa, relinqui, factàque publicatione hujusmodi, omnes qui in Vrbe post mensem, qui verò extra eam, & citra montes, post quatuor menses, & qui demum vltra montes fuerint, post decem menses, à die publicationis hujusmodi computandos, perinde afficere, & arctare, ac si eorum cuilibet personaliter initimatæ fuissent. Et nihilominus, vt ipsæ præsentes literæ eo notiores fiant, & omnibus magis innotescant, necnon pro potiori cautela volumus, ut Inquisitores contra hæreticam pravitatem, in iis ciuitatibus, terris, & locis, in quibus constituti sunt; vbi verò hujusmodi Inquisitores non sunt locorum Ordinarij, publicationem præsentium, vt infra dicitur, fieri curent, ac proptera vniversis, & singulis venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorũ Ordinariis, necnon dilectis filiis Inquisitoribus præfatis contra hæreticam pravitatem vbilibet constitutis, per easdem præsentes committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, vt per se, vel alium, seu alios hasce nostras litteras, postquam earum exemplum receperint, seu earum notitiam habuerint, semel aut pluries prout eis magis expedire visum fuerit, ipsi quidem Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi. Episcopi, & alij locorũ Ordinarij in eorũ cathedralibus, & majoribus respectivè Ecclesiis civitatũ, oppidorum, & locorum quorumcumque, eorum diocesum, vbi Inquisitores fuerint, ipsimet Inquisitores in eisdem Ecclesiis, dum in ejs major populi multitudo ad Divina convenerit solemniter publicent, & publicari auctoritate nostra mandent & faciant. Cæterùm, quia difficile foret easdem præsentes ad singula loca, vbi opus esset deferri, volumus, & simili auctoritate decernimus, vt earũ transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarij publici subscriptis, & sigillo alicujus Inquisitoris contra hæreticam pravitatem, vel cujuscumque personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem vbique in judicio & extra fides habeatur quæ ipsismet literis haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscat. die 3. Febr. 1603. Pont. nostri anno vndecimo.

M. Vestrius Barbianus.

In Nomine Domini amen. Anno à Nativitate ejusdem Domini nostri Iesu Christi, millesimo sexcentesimo tertio, Indictione prima, die verò decima quarta mensis Februarij Pontificat. Sanctissimi in Christo Patris, & D.N.D. Clementis divina providentia Papæ VIII. anno ejus duodecimo retroscriptæ litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Ecclesiæ sancti Ioannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ, relictis ibidem copiis impressis affixis per nos Augustinum Braccherium, & Catherinum Menandi Apostolicos Cursores.

P. Aloysius Peregrinus Magister Cursorum.

Decretum Clementis Papæ VIII.

Quo confirmantur litteræ Pauli Papæ IV. & Pij IV. contra Confessarios solicitantes pœnitentes in Confessionibus.

IN nomine Domini, Amen. Per hoc præsens publicum decretum instrumentum cunctis pateat euidenter, & sit notum, quod in generali Congregatione Officij S. Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis habita coram Sanctissimo D. N. D. Clemente Papa VIII. ac Illustrissimis, ac Reuerendiss. DD. Iulio Antonio Sanctorio S. Bartholomæi in insula S. Seuerinæ, Petro S. Hieronymi Illyciorum Deza, Dominico S. Chrysostomi, Pinello: Fratre Hieronymo Bernerio S. Mariæ supra Mineruam Asculano: Fratre Constantio S. Petri, in Monte Aureo Seruano, & Paulo S. Cæciliæ Sfondrato nuncupatis, titulorum præsbyteris, S.R.E. Cardinalibus, in vniversa Republica Christiana, aduersùs hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus. In negotio S. Inquisitionis Hispaniarum super litteris fel. rec. Pauli Papæ IV. & Pij Papæ IV. facultatis procedendi contra Presbyteros seculares, & Regulares in sacramentis Pœnitentiæ, seu in actu confessionis sacramentalis, solicitantes mulieres pœnitentes ad impudicitiam, seu peccata carnis, Inquisitori Generali Hispaniarum, aliàs concessæ, an priuatè, vel cumulatiuè quoad Superiores Regularium dicta Inquisitio, contra hujusmodi delinquentes procedere possint. Sanctiss. D.N. re diligenter, ac maturè discussa auctoritate sua Apostolica declarauit, & decrevit, declarat, & decernit circa hujusmodi facultatem procedendi nihil esse attendendum, aut innovandum, sed Inquisitionem prædictam, in omnibus Regnis, & Prouinciis sibi subjectis ea judicialiter vti posse, & debere, sicut in aliis causis ad Sanctiss. Inquisit. Officium pertinentibus, vti hactenus fecit, etiam privatiuè quoad Superiores Regularium cujusuis Ordinis, & Congregationis, etiamsi Mendicantium existant, ipsósque Regulares non eximi ab onere deferendi, seu denuntiandi hujusmodi delinquentes eidem sancto Officio, quemadmodum in aliis casibus, & causis S. Inquisitionis,

in

in quibus alij Christi fideles de iure tenentur, sed ad ipsum, sicut alias teneri, & obligatos esse. Et ita Sanctitas sua declaravit, atque perpetuò servandum esse statuit omni melioti modo, & forma quibus potuit, potestque, & debet, latum, datum, & pronunciatum fuit supradictum Decretum per supradictum Sanctiss. D.N.D. Clementem Papam VIII. pro Tribunali sedentem in solio Majestatis suæ, in Generali Congregatione dicti S. Officij, habita Romæ in Palatio Apostolico apud S. Petrum, anno à Nativitate Domini nostri Iesu Christi 1592. die verò tertio mensis Decembris Feria 5. Pontificatus prælibati D. N. Clementis divina providentia Papæ VIII. anno primo, ibidem præsentibus Reverendissimo Patre Fratre Vincentio, Ordinis Fratrum Prædicatorum Episcopo Agnetino: & Reverendissimo Patre D. Anselmo Dandino Cæsanatensi IV. D. utriusque Signaturæ ejusdem S.D.N. Papæ Referendario, dictique S. Officij Prælatis, & Consultoribus testibus, ad prædicta omnia, & singula, vocatis, habitis, specialiter, atque rogatis.

Ex Ludovico Paramo de Origine Sancti Officij, quæst. 10. de solicitantibus, propè finem, &c.

Constitutio adversùs maleficia, seu sortilegia committentes.

GREGORIVS Papa XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

OMnipotentis Dei Salvatoris nostri, qui vt hominem à laqueis Diaboli liberaret, Crucem subire dignatus est, vices, quamquam immeriti, gerentes in terris, in id summo studio, juxta creditum Nobis desuper Apostolicæ servitutis officium, incumbimus, vt gregem Dominicum inæstimabili pretio redemptum, adversus Sathanæ fraudes defendamus, ejusdem officij partes desuper interponendo, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Sané nonnulli suæ conditionis obliti, & solemnis sponsionis ab iis factæ, cùm in Christi gregem per sacrum regenerationis lavacrum adsciti fuerunt, Sathanæ, cui renunciarunt, artibus, maleficiis, superstitionibus, ac nefariis inventis operam dare non verentur, quinimò Magistrum imitantes, qui capitali odio, quo humanum genus prosequitur hominibus insidiari nunquam cessat, proximum variis modis lædere, animas verò suas perdere, non timent. Quapropter, vt tam exitiosa scelera à Christi fidelibus arceantur, gravioribus pœnis vindicanda duximus. Motu itaque proprio, & ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, déque Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium decernimus, præcipimus, & mandamus, vt constito, quòd aliquis pactum cum Diabolo fecerit, & à fide apostatando, maleficiis, sive sortilegiis, vnam seu plures personas ita læserit, vt ex maleficio, vel sortilegio mors secuta sit, etiam pro primo lapsu, Curiæ sæculari tradatur, debitis pœnis puniendus; qui verò, similiter apostatando, pactum cum Diabolo, vt præfertur, fecerit, & maleficium, seu sortilegium commiserit, ex quo licèt mors secuta non sit, infirmitas tamen, divortia, impotentia generandi, sive animalibus, frugibus, vel aliis fructibus damnum notabile provenerit. Muro claudi sive, perpetuis carceribus in sancto Inquisitionis officio, vbi illud existit fabricandis, mancipari debeat: qui verò similium delinquentium notitiam habuerint, eos Episcopo, sive Inquisitori denunciare teneantur. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarij publici subscriptis & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides vbique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ; quòdque eædem præsentes, postquam in valvis Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, ac Principis Apostolum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ, necnon in acie Campi Floræ affixæ fuerint, omnes, & singulos, ad quos spectat, arctent, & afficiant, perinde ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 20. Martij 1623. Pontificatus nostri anno tertio.

S. CARD. S. SVSANNÆ.

Anno à Nativitate Domini nostri Iesu Christi 1623. Indictione sexta, die verò vigesima tertia mensis Martij, Pontificatus Sanctissimi D.N.D. Gregorij Divina providentia Papæ XV. anno ejus tertio, retroscriptæ litteræ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum S. Ioannis Lateranen. Principis Apostolorum de Vrbe, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, per me Bernardinum Brandimartem Latinum Apostolicum Cursorem, &c.

Illustrissimorum,

Illustrissimorum, & Reverendissimorum DD. Cardinalium Inquisitorum Generalium præceptum.

De hæreticis, seu de hæresi suspectis sancto Officio propalandis.

OCtavius Episcopus Prænestinus Bandinus, Carolus tit. S. Cæsarei Madrutius, Ioan. Garsia tit. SS. Quatuor coronatorum Millinus, Fabricius tituli S. Augustini Verallus, Gaspar tit. S. Crucis in Hierusalem Borgia, Fr. Fœlix Centinus tit. S. Anastasiæ Asculanus, Scipio Cobellutius tit. S. Susannæ, Fr. Desiderius Scaglia tit. S. Clementis de Cremona, Ludovicus tit. S. Laurentij in Damaso, Ludovisius Presbyteri, & Ludovicus S. Adriani Diaconus de Lavalette nuncupati, miseratione Divina S. R. E. Cardinales in vniversa Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Inquisitores Generales à sancta Sede Apostolica specialiter deputati.

Vniversis, & singulis Christi fidelibus, tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus utriusque sexus, cujusvis status, gradus, Ordinis, conditionis, & præeminentiæ existentibus, & quacumque dignitate, & auctoritate, etiam maxima fulgentibus, harum serie, ac tenore auctoritate nostra, & hujusmodi nostri officij, qua fungimur in hac parte, præcipimus, & mandamus, quatenus infra duodecim dies proximè computandos, quorum primos quatuor immediatos pro secundo, & ultimos quatuor pro tertio termino, & peremptorio, ac trina monitione canonica assignamus, omnes, & singulos hæreticos, seu de hæresi quomodolibet suspectos, de quibus notitiam habuerint, debeant Nobis, vel Rev. Commissario nostro, quoad habitantes in Vrbe, quo verò ad alios extra Vrbem, & ubivis locorum degentes, Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis, vel eorum Vicariis generalibus, sub excommunicationis majoris latæ sententiæ pœna, quam in contrarium facientes ipso facto incurrant, judicialiter propalare, cujus excommunicationis majoris absolutionem S. D. N. Papæ, & Nobis reservamus. Certificantes hujusmodi conscientiæ suæ immemores, ac dictam excommunicationis pœnam contemnentes, quod contra ipsos, tanquam contra hæreticorum fautores, aliàs, prout meliùs visum, & juris fuerit procederur. Ideò, &c. Dat. in nostra, & Officij Sanctæ Romanæ universalis Inquisitionis Congregatione, die 3. Ianvarij 1623.

Oct. Episc. Prænestin. Card. Bandinus.
C. Card. Madrutius.
Ioan. Garsia Card. Millinus.
F. Card. Verallus.
G. Card. Borgia.
Fr. Fœlix Card. Asculanus.
S. Card. S. Susannæ.
Fr. D. Card. de Cremona.
L. Card. Ludovisius.
L. Card. de Lavalette.

Andreas de Petrinis, S. Romanæ, & universalis Inquisit. Not.

Decreta in diversis Congregationibus Sanctissimi Officij Romæ facta.

Quod Portugenses, seu Lusitani Portugalliam, seu Lusitaniam habitantes, & inde in Italiam venientes, si reperiantur iudaizare, condemnentur tanquam apostatæ à fide, die vltima Aprilis 1566.

IN Congregatione coram S. D. N. & Reverendiss. D. Card. Inquisitoribus generalibus, S. D. N. Paulus Papa IV. mandavit, statuit & ordinavit, quòd constito legitimè quoscumque Portugenses, seu Lusitanos in Portugalha, seu Lusitania permansisse, & inde discessisse, & in Italiam venisse, ubi reperiantur esse Iudæi, sive judaizare, condemnentur tanquam apostatæ à fide, prout de jure similes apostatæ condemnari, & puniri debent, non obstante, quòd fuerint expositi torturæ, seu tormentis, quæ sustinendo negaverint se fuisse baptizatos, vel Christianè vixisse,

aut Christiana opera egisse, vel sacramenta Ecclesiastica percepisse. Cùm jam pro liquido,& clarè à S. Sede compertum sit,& habeatur à sexaginta annis, vel circà, quòd nullus Hebræus toleratus fuerit habitare in Lusitania, seu Portugallia, nisi fuerint baptizati, & vixerint Christianè, & ita servàti mandavit, statuit, & ordinavit.

Quod hæreticorum beneficia vacent à die commissi criminis, die 18. Julij 1556.

IN Congregatione facta coram præs. Sanctiss. Domino, & Reverendissimis Cardinalibus Inquisitoribus Generalibus, idem Sanctissimus Dominus noster, qui suprà, considerans, quòd hæreticorum beneficia à die commissi criminis hæreseos vacent, & quòd multi hæretici id scientes, & in suis hæresibus manentes, ut eos quos optant, successores habeant, in favorem aliorum resignent, vt saltem per clausulas generales, quæ in ipsis resignationibus de stylo ponuntur jus aliquod in beneficiis hujusmodi acquirant, iis providere volens, statuit, & decrevit, quòd ex prædictis resignationibus nullum jus etiam per dictas clausulas ipsis resignatariis acquiratur, immo beneficia hujusmodi hæreticorum à die commissi criminis specialiter dispositioni suæ Sanctitatis reservavit, ita vt si non fiat mentio de hujusmodi crimine per illum commisso, etiam dispositiones per ipsum Sanctissimum Dominum factæ nullius sint roboris, vel momenti. Quæ omnia extendi voluit etiam ad præteritas resignationes quæ tempore commissi criminis, hæreseos, vel citationis hæreticis factæ suum plenarium effectum sortitæ non fuerint.

Contra instituentes novas Religiones, die 16. Julij 1556.

PRælibatus S. D. N. ratificavit capturam Io. Francisci Raymondi Mutinen. Congreg. S. Pauli & Barnabæ Civ. Mediolani, & commisit Reverendiss. D. Cardinalibus Inquisitoribus generalibus, sive R. D. Commissario facultatem procedendi, seu procedi, faciendi in futurum contra quascumque personas volentes instituere, seu instituentes novam Religionem cujuscumque status, gradus, & conditionis existant, & de contentis in titulo, seu titulis de Religiosis domibus, & de constituentibus novam Religionem, Monasteria, vel alia quæcumque loca pia, quòd possint dicti Reverendissimi Cardinales, seu dictus Reverendissimus Commissarius ea revidere, & corrigere, ac omnia alia, & singula in præmissis facere, quæ eis respectivè videbuntur juri consona.

Pro votantibus in sancto Officio, die 29. Aprilis 1557.

A præsato Sanctissimo Domino decretum invenimus, vt infrà.

CVm in Congregationib. quæ in causa hæresis, ita Domino disponente, coram nobis fiunt intervenire pro majori parte soleant nonnulli Clerici, tam sæculares, quàm Regulares in Sacris, & Sacerdotio ac in Episcopali, & Archiepiscopali, vel alia majori dignitate forsan constituti, ac deinceps intervenire potuerunt, ac etiam nonnulli ex venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinales nobiscum in judicando assistant, & sæpenumero contingit, vt per discursum casuum contingentia, etiam ad casus non minus forsan enormes, ac etiam minus enormes, quàm hæresim sapientes in eisdem Congregationibus tam præteritis, quàm futuris, ijdem Clerici, & in Sacris, & Sacerdotio, ac Episcopali, Archiepiscop. vel alia majori dignitate constituti, ac ijdem venerabiles Fratres nostri S.R.E. Card. votum, seu sententiam eorum ex qua mutilatio mẽbri, seu sanguinis effusio etiam ad mortem naturalem secuta fuerit, seu in posterum sequetur, dixerint, seu etiam dicere parati existunt. Nos sæcuritati, ac tranquillitati eorum mentis, & conscientiæ occurrere volentes, vt iidem Clerici, etiam in Sacris, & Sacerdotio, ac quacumque dignitate etiam Episcopali, Archiepiscopali, vel quacumque majori prædicti, etiam venerabiles Fratres nostri Cardinales, qui in judicando nobis assistunt, non solùm in causis hæreseos, sed etiam in quacumque causa criminali, quæ in dictis Congregationibus coram nobis tractata fuerit, & tractabitur, votum, & sententiam eorum, non solùm quoad quæstiones, & torturam, ipsis reis pro delictis quibus pro tempore inquisiti, accusati, seu denunciati fuerint, sed etiam ad condignam pœnam, & mulctam etiam vsque ad mutilationem, seu sanguinis effusionem, ac vsq; ad mortem naturalem inclusivè absq; alicujus censuræ, vel irregularitatis incursu, dicere, & eisdem Congregationibus interesse, & immiscere possint, licentiam, & facultatẽ concedimus, ac quoad præterita

præterita, si aliquam forsan irregularitatem incurrissent, cum omnibus prædictis dispensatus, non obstantibus constitutionibus, &c.

Idem confirmavit S. D. N. Pius Papa V. extendique voluit ad omnes Inquisitores, eorumque Vicarios, Commissarios, & Consultores.

Contra sine Ordinibus celebrantes, die 20. Maij 1557.

PRælibatus S. D. N. statuit, & decrevit, quòd quicumque non habens Sacerdotium, & Ordinem Presbyteratus, ausus fuerit Missam celebrare, absque aliqua disputatione, tradatur Curiæ sæculari puniendus.

Ne Ordinarij conferant beneficia propter hæresim vacantia, die 29. Septembris 1558.

SAnctissimus D. N. qui suprà in Congregatione S. Officij mandavit omnibus Ordinariis, & quibuscumque aliis, ne se intromittant in conferendis beneficiis vacantibus, vel vacaturis propter hæresim, sed illorum collationem sibi, suisque successoribus reservavit. Ad idem facit quod sequitur.

Sanctissimus D. N Pius Papa V. considerans beneficia hæreticorum à die commissi criminis eo ipso vacare, & multi hæretici id scientes, & in suis hæresibus manentes, vt eos, quos optant successores, habeant in favorem aliorum resignant, vt saltem per clausulas generales, quæ in ipsis resignationibus de stylo ponuntur, jus aliquod in beneficiis hujusmodi acquirant, iis providere volens, & statuit, & decrevit, quòd ex prædictis resignationibus nullum jus, etiam per dictas clausulas ipsis resignatariis acquiratur, imò beneficia hujusmodi hæreticorum à die commissi criminis specialiter dispositioni suæ Sanctitatis, suorúmque Successorum reservavit, ita vt si non fiat mentio de hujusmodi crimine per illum commisso, etiam dispositiones per suam Sanctitatem factæ, sint nullius roboris, vel momenti. Quæ omnia extendi voluit etiam ad præteritas resignationes, quæ tempore commissi criminis hæreseos, vel citationis ipsis hæreticis factæ suum plenarium effectum sortitæ non fuerint.

Contra abutentes Sacramentis, die 17. Februarij 1559.

SAnctissimus D. N. Paulus Papa IV. in Congregatione S. Officij commisit, quòd omnes qui audiverunt confessiones non existentes in Sacris, & celebrantes Missas, non existentes etiam in Sacris, & abusi sunt sacratissimo Altaris Sacramento, tradi debeant brachio sæculari.

Die 2. Septembris 1562.

ILlustrissimi Cardinales Inquisitores generales decreverunt, quod per quantamcumque gratiam factam, vel fiendam quibusvis, aliàs hæreticis, non intendant eos restituere, vt possint confessiones aliquorum sæcularium audire.

Idem confirmatum fuisse, reperitur in actis S. Officij, sub die 15. Novembris 1565. cum additione, seu declaratione, quòd illi, qui abjurarunt aliàs secretè, vel publicè, aut aliàs quomodocumque, non admittantur ad audientiam Confessionum sæcularium.

Testium nomina publicari non debent, die 14. Maij 1566.

ILlustrissimi Cardinales Inquisitores generales in Congregatione ordinaria decreverunt dari debere nuda testium dicta, provt eo vsque observatum fuit, absque nominum publicatione, aliarúmque circumstantiarum, propter quas posset deveniri ad ipsorum testium notitiam. Et quoad responsiones testium super rei interrogatoriis pariter decreverunt non esse dandas, si ex illarum publicatione deveniretur in notitiam, quinam fuerint testes ipsi.

Regulares recurrentes ad S. Officium, vt in eo testimonium perhibeant, non graventur à suis Superioribus, die 17. Augusti 1567.

SAnctissimus D. N. Pius Papa V. in generali Congregatione S. Officij, consulens libertati ipsius S. Officij, & idemnitati recurrentium ad illud, vel in eo testimonium perhibentium statuit, & decrevit, ut Regulares quorumvis, etiam Mendicantium Ordinum personæ, quæ pro tempore ad Officium S. Inquisitionis pro quocumque negotio recurrerint, seu confugerint, vel in eo testimonium perhibuerint veritatis, aut aliàs quomodolibet deposuerint, nequaquam à suis Superioribus per quinquennium continuum à die recursus, seu depositionis hujusmodi molestari, vel ex quacumque causa, vel excessibus prætensis personarum illarum, & debitis propterea pœnis; seu pœnitentiis eisdem imponendis, nisi ipsi Illustrissimi Cardinales Inquisitores generales certiores facti fuerint, vel eis aliter clarè notificatum, & ab ipsis Cardinalibus desuper responsum fuerit.

De torquendis reis pro finali veritate habenda, & super complicibus, die 28. Julij 1569.

INhærendo decretis aliàs per felic. recordat. Paulum Papam IV. Sanctissim. Dominus noster Pius Papa V. decrevit omnes, & quoscumque reos convictos, & confessos de hæresi pro vlteriori veritate habenda, & super complicibus fore torquendos arbitrio Dominorum Iudicum.

Decretum Clementis VIII. quòd in causis ad S. Inquisitionem hæretica pravitatis spectantibus Iudices, & Officiales gratis omnia expedire debent.

SAnctissimus D. N. volens, ac intendens providere, vt causæ, & negotia quovis modo spectantia ad S. Inquisitionem cognoscantur, & expediantur omni, qua decet, integritate, amotis, quibusvis sordibus, ac pecuniariis solutionibus; statuit, & decrevit, vt imposterum omnes Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, ac quivis Ecclesiarum Prælati, seu Inferiores Ordinarij, eorúmque vicarij, & officiales, in causis, & negotiis S. Officij, pro examine testium principalium reorum, pro sportulis sententiarum, pro quovis Decreto, seu actu seu quacumque expeditione nihil omninò exigant, & recipiant etiam à sponte dantibus, sed gratis omnia expediant.

2. Ac eorum Secretarij, Cancellarij, & Notarij pro scripturis processuum, informationum, seu repetitionis testium fisci, quas mittunt ad sanctam, & vniversalem Inquisitionem Romanam, nihil penitus exigant, sed gratis illas mittant.

3. Insuper mandavit omnibus supradictis, eorúmque vicariis, & officialibus, vt cum aliquid eis significatur nomine supradictæ Inquisitionis, quamprimum litteris rescribant, & negotia injunctæ exequutioni demandent.

4. Et hoc Decretum, tam ipsi Prælati inviolabiliter observent, quàm ab aliis observari curent, & ejus exemplaria in eorum Cancellariis affixa retineri, vt omnibus innotescat, & in Archiviis registrari faciant, sub pœna indignationis S. D. N. & aliis arbitrio Sanctitatis suæ infligendis.

5. In generali Congregatione S. Romanæ & vniversalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico, apud S. Petrum, coram S. D. N. ac Illustriss. & Reverendiss. DD. S. R. E. Cardinalibus, adversus hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus. Nonis Ianvar. anno à Nativitate Domini nostri Iesu Christi, &c.

Quintilianus Adrianus Notarius.

Decretum de Regularibus pœnitentiatis in S. Officio.

FEria quinta prima Octobris 1626. in generali Congregatione S. R. & vniversalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram S. D. N. D. Vrbano, divina Providentia Papa VIII. ac Illustriss. & Reverendiss. DD. S. R. E. Card. in vniversa Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus generalibus à S. Sede Apost. speciali deputatis.

Sanctissimus D. N. justis de causis animum suum moventibus, decrevit, & statuit, vt imposterum

rum Regulares omnes cujusvis Ordinis Religionis, Societatis, & instituti, quibus pro delictis ad S. Inquisitionis officium spectantibus, pœnitentiæ genus aliquod impositum fuerit (salutaribus pœnitentiis exceptis) eo ipso ad omnes Religionis suæ gradus, & officia inhabiles censeantur, & deinceps (etiamsi pœnitentiæ tempus expleverint, vel gratiam receperint) ad illa tamen promoveri nullatenus possint, nisi priùs obtentâ à S. D. N. vel ab hac sacrâ Congregatione coram SS. habenda, speciali, & expressa rehabilitationis gratia. Aliàs promotio quælibet nulla sit, & promoventes ipsi privationem suorum officiorum, ac præterea vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrant, ad quæ restitui, nisi ab eodem S. D. N. vel ab eadem S. Congregatione coram SS. habenda, non possint. Præsens autem Decretum omnibus Religiosorum Superioribus intimari mandavit idem S. D. N.

Thom. de Federicis S. Romanæ, ac vniversl. Inquisitionis Notarius substitutus de mandato.

† *Loco sigilli.*

Decretum de non imprimendis libris.

Feria 5. die 18. Septembris 1625.

IN generali Congregatione S. Romanæ, & vniversalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram S. D. N. Vrbano divina providentia Papa VIII. ac Illustriss. & Reverendiss. DD. S. R. E. Card. adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus generalibus, à S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus D. N. pro debito sui Pastoralis Officij corrigere volens abusus nonnullorum in statu Sedi Apostolicæ mediate, vel immediatè, subjectos existentium, qui libros, à se compositos extra præfatum statum absque vlla Ordinariorum, & Inquisitorum loci, vbi degunt, approbatione imprimendos transmittunt, statuit & decrevit, vt imposterum nemo in statu prædicto degens, cujusvis conditionis, gradus ordinis, & dignitatis existat, libros de quavis materia tractantes, & vbicumq; compositos audeat aliò deferre, vel mittere imprimendos, sine expressa in scriptis approbatione Illustriss. & Reverendiss. D. Cardinalis S. D. N. Vicarij, & Magistri S. Palatij, si in Vrbe, si verò extra Vrbem existat, sine Ordinarij, & Inquisitoris loci illius, sive ab iisdem deputatorum facultate, & licentia operi præfigenda; libros autem, quos contra præsentis Decreti tenorem imprimi contigerit, præter alias pœnas arbitrio suæ Sanctitatis infligendas, absque alia declaratione ex nunc prohibet, & pro expresè prohibitis haberi vult, & mandat. Contrariis quibuscumque non obstantibus, &c.

Ioan. Ant. Thomasius S. Rom. & vniversl. Inquisitionis Notarius.

Breve S. D. N. PAVLI Papæ V. concessionis Indulgentiarum, pro Cruce signatis; Inquisitoribus hæreticæ pravitatis eorúmque Vicariis, Consultoribus, Officialibus, cæterisque sancti Officij Ministris, & servientibus, vbique locorum constitutis.

PAVLVS Papa V.

Ad perpetuam rei memoriam.

CVm inter cæteras, quæ in Ecclesia Dei hactenus institutæ reperiuntur, Christi fidelium Confraternitates, illa ad Dei omnipotentis gloriam, & orthodoxæ fidei conservationem; & propagationem satis vberes fructus attulisse, & in dies afferre dignoscatur, quæ licèt in varias partes dispersa sub Cruce signatorum vocabulo, seu S. Petri Martyris invocatione ad assistendum hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, auxiliúmq; quando, & quoties opus esset in Catholicæ fidei negotiis adversus hæreticos, etiam vita ipsa præstandum, jam pridem instituta existit. Nos paterna sollicitudine, vt eadem Cruce signatorum Confraternitas majora suscipiat incrementa, quo specialibus privilegiis decorata, & cœlestis gratiæ donis adjuta fuerit, providere volentes, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus & singulis Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, qui eandem Confraternitatem pro tempore ingredientur, & in ea vbicumq; locorum describentur, seu recipientur, die primo eorum ingressus, & receptionis hujusmodi, si Sanct. Euchar. Sacrament. sumpserint, necnon tã ipsis, quàm ad præsens existentib. prædictę Confraternitatis Confratribus

etiam verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione, si id commodè fieri potuerit, refectis, vel saltem contritis eorum articulo pium nomen Iesu corde, si ore non potuerint, invocantibus: insuper dictis Confratribus similiter pœnitentibus, & confessis qui aliquam ex Ecclesiis, vel Capellis, seu Oratoriis ipsius Confraternitatis, in exaltationis S. Crucis ac S. Petri Martyris festis diebus, seu eorum aliquo, à primis vesperis vsque ad occasum Solis cujuslibet dierum hujusmodi quolibet anno pro tempore devotè visitaverint, & ibi pias ad Deum preces pro S.R.E. ac fidei Catholicæ fœlici statu, & exaltatione, hæresúmque extirpatione, Romani Pontificis salute; & inter Christianos Principes servanda pace concordia, & unione effuderint, quacumque festivitate prædicta id pro tempore fecerint, si similiter dictum sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumpserint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, Apostolica authoritate tenore præsentium concedimus, & elargimur. Præterea eisdem confratribus pariter pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis qui aliquam ex Ecclesiis, vel Capellis seu Oratoriis prædictis in Inventionis ejusdem sanctæ Crucis, & Nativitatis Domini nostri Iesu Christi, ac Annunciationis, & Assumptionis B. Mariæ Virginis, necnon omnium Sanctorum festivitatibus, à primis similiter vesperis vsque ad occasum Solis dierum festivitatum earumdem devotè etiam visitaverint, & vt suprà oraverint, quo dierum festivitatum hujusmodi id egerint, necnon etiam qui pro hæreticorum capturis, vel illis captis tutò deducendis associando, seu aliàs operam præstiterint, aut Processionibus juxta eorum statuta, seu aliàs de locorum Ordinariorum licentia quandocumque faciendis, seu publicis, vel privatis eorumdem hæreticorum abjurationibus quandocumque & vbicumque faciendis, seu eorum conversioni, & in fide Catholica instructioni incubuerint, vel ad conciones, seu prædicationes, quæ contra illos fiunt, audien. ac denique ad illos, eorúmque fautores, receptatores, & defensores impugnandos accesserint, seu in præmissis Inquisitoribus auxilium, consilium, vel favorem præstiterint, quo die præmissa, vel aliquod præmissorum egerint, quadraginta annos de injunctis eis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis auctoritate, & tenore præmissis misericorditer in Domino relaxamus in forma Ecclesiæ consueta, quodq; iidem Confratres singulis anni diebus quinque altaria, si totidem ibi fuerint, aut saltem vnum Ecclesiæ loci, in quo ipsos pro tempore morari contigerit, devotè visitando, ac genibus flexis Psalmum, vnum, vel quinquies Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam recitando, easdem Indulgentias, & peccatorum remissiones, quas consequerentur, si eo die Ecclesias, vbis. in quibus stationes habentur, visitaverint, consequantur, similiter auctoritate, & tenore præmissis concedimus, & indulgemus, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Decernentes nostræ intentionis existere quòd præmissæ Indulgentiæ, & gratiæ tam singulis Inquisitoribus, & eorum vicariis, quàm Consultoribus, cæterisque Officij Inquisitionis hæreticæ pravitatis Officialibus, Ministris, & servientibus, vbilibet commorantibus, & etiam in dicta Confraternitate minimè descriptis, muneri tamen suo, prout quemlibet respectivè concernit, fungentibus, & aliàs præmissa peragentibus concessæ sint, & censeantur. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac regula nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, cæterisque in contrarium quomodolibet faciendis.

Datum Romæ apud S. Marcum, sub Annulo Piscatoris, die 29. Iulij 1611. Pontificatus nostri anno septimo.

S. Cobellvtivs.

Confirmatio Constitut. Pij Papæ V. & Gregor. XIII. prohibentium quasdam Theologorum sententias, & opiniones. Necnon prohibitio libri, cui titulus, Augustin. Cornelij Iansenij, olim, Ipren. Episcopi, excusi Lovanij, Typis Iacobi Zezeri, anno 1640. aliorúmque operum, ac libellorum, occasione dicti libri, variis in locis, & variis idiomatibus impressorum.

Vrbanvs Episcopus, servus servorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

INEminenti Ecclesiæ militántis Sede, meritis licet imparibus, constituti, sedulò meditamur, vt quæ, ad fidei Catholicæ conservationem, à prædecessoribus nostris providè statuta, & ordinata sunt, firmiter perpetuò observentur; & cùm opus sit, nostræ auctoritatis munimine confirmentur. Dudum siquidem à fel. rec. Pio Papa V. prædecessore nostro emanavit

Constitutio

Constitutio tenoris subsequentis, videlicet. Pius Episcopus servus servorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Ex omnibus afflictionibus, quas in hoc loco a Domino constituti, tam luctuoso tempore sustinemus, ille animum nostrum præcipuè excruciat dolor, quòd Religio Christiana tantis jam pridem turbinibus agitata, novis quotidie propositis opinionibus conflictetur, Christique populus antiqui hostis suggestione dissectus, in alios, atque alios errores passim, & promiscuè deferatur: Quantùm verò ad nos attinet, totis viribus conamur, vt illæ, simul atque prosiliunt, penitùs opprimantur: Magno enim mœrore afficimur, quòd plerique, spectatæ alioqui probitatis, & doctrinæ, in varias sententias, offensionis, & periculi plenas, tum verbo, tum scriptis prorumpunt; deque eis etiam in Scholis, invicem controversantur; cujusmodi sunt sequentes. Nec Angeli, nec primi Hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia. Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritorium. Et bonis Angelis, & primo Homini, si in statu illo perseverasset vsque ad vltimum vitæ, felicitas esset merces, & non gratia. Vita æterna Homini integro, & Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt. In promissione facta Angelo, & Homini continetur naturalis justitiæ constitutio, qua pro bonis operibus, sine alio respectu, vita æterna justis promittitur. Naturali lege constitutum fuit homini, vt si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset. Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera: sed juxta modum loquendi Scripturæ sacræ non rectè vocantur gratia; quo fit, vt tantùm merita, non etiam gratia debeant nuncupari. In redemptis per gratiam Christi, nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum. Dona concessa homini integro, & Angelo, forsitan, non improbanda ratione, possunt dici gratia; sed quia secundùm vsum sacræ scripturæ, nomine gratiæ, ea tantum munera intelliguntur, quæ per Iesum Christum malè merentibus, & indignis conferuntur, ideo neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet. Solutio pœnæ temporalis, quæ peccato dimisso, sæpè remanet, & corporis resurrectio, propriè non nisi meritis Christi adscribenda est. Quòd piè, & justè in hac vita mortali, vsque in finem, conversati, vitam consequimur æternam, id non propriè gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ, justo Dei judicio, deputandum est; neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantùm ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali, constitutum est, vt justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur. Pelagij sententia est. Opus bonum, extra gratiam adoptionis factum non est Regni Cœlestis meritorium. Opera bona à filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quòd fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantùm ex eo, quòd sunt conformia legi, quódque per ea præstatur obedientia legi. Opera bona justorum non accipient in die Iudicij extremi ampliorem mercedem, quàm justo Dei judicio mereantur accipere. Ratio meriti non consistit in eo, quòd qui benè operatur habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum sanctum; sed in eo solùm, quòd obedit divinæ legi. Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate. Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt, esse necessarium ad rationem meriti, vt homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum. Opera Cathecumenorum, vt fides, & pœnitentia ante remissionem peccatorum facta, sunt vitæ æternæ meritoria, quam vitam ipsi non consequentur, nisi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur. Opera Iustitiæ; & temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis non traxerunt majorem valorem. Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam. Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium Divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis. Cùm Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli. ad Romanos 2. Gentes, quæ legem non habent naturaliter, quæ legis sunt, faciunt, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus. Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio, dono quodam supernaturali, & gratuito, supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, vt Fide, Spe, & Charitate Deum supernaturaliter coleret. A vanis, & otiosis hominibus, secundum insipientiam Philosophorum, excogitata est sententia, quæ ad Pelagianismum rejicienda est, hominem ab initio sic constitutum, vt per dona naturæ superaddita, fuerit largitate conditoris sublimatus, & in Dei filium adoptatus. Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio. Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valet. Pelagianus est error, dicere quòd liberum arbitrium valet ad vllum peccatum vitandum. Non soli fures ij sunt, & latrones, qui Christum, Viam, & Ostium veritatis, & vitæ negant; sed etiam quicumque aliunde, quàm per ipsum in viam Iustitiæ (hoc est ad aliquam justitiam) conscendi posse docent, aut tentationi vlli, sine gratiæ ipsius

adjutorio resistere hominem posse, sic vt in eam non inducatur, aut ab ea non superetur. Charitas perfecta, & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Cathecumenis, quam in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum. Cathecumenus justè, rectè, & sanctè vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demum percipitur. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur, vt auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur, vt beatificator, vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris litteris, & plurimis veterum testimoniis, excogitata. Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola Philosophia, per elationem præsumptionis humanæ, cum injuria Crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua, per Spiritum sanctum in corde diffusa, Deus amatur. Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, libere tamen fit. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati. Is libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in scripturis, sed solùm nomen libertatis à peccato. Iustitia, qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum quæ est operum Iustitia, non autem in gratia aliqua animæ infusa, qua adoptatur homo in filium Dei, & secundum interiorem hominem renovatur, ac Divinæ naturæ consors efficitur, vt sic per Spiritum sanctum renovatus, deinceps bene vivere, & Dei mandatis obedire possit. In hominibus pœnitentibus, ante Sacramentum absolutionis, & in Cathecumenis ante Baptismum, est vera justificatio; seperata tamen à remissione peccatorum. Operibus plerisque, quæ à fidelibus fiunt, solùm vt Dei mandatis pareant, cujusmodi sunt, obedire parentibns, depositum reddere, ab homicidio, à furto, á fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia, & vera legis justitia, non tamen iis obtinent incrementa virtutum. Sacrificium Missæ non alia ratione est Sacrificium, quàm generali illa, qua omne opus, quo fit, vt Sancta Societate, Deo homo inhæreat. Ad rationem, & diffinitionem peccati non pertinet voluntarium; sec diffinitionis quæstio est, sed causæ, & originis. Vtrum omne peccatum debeat esse voluntarium; vnde peccatum originis verè habet rationem peccati sine vlla relatione, ac respectu ad voluntatem, à qua originem habuit. Peccatum originis est, habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eó quòd non gerit contrarium voluntatis arbitrium; & ex habituali voluntate dominante fit, vt parvulus discedens sine regenerationis Sacramento, quando vsum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & Legi Dei repugnet. Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto Non concupisces. Concupiscentia, sive lex membrorum, & prava ejus desiderla, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia. Omne scelus est ejus conditionis, vt suum authorem, & omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio. Quantum est ex vi trangressionis, tantum meritorum malorum à generante contrahunt, qui cum minoribus nascuntur vitiis quàm qui cum majoribus. Difinitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falsò tribuitur Augustino, cum Pelagij sit. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis tunc nascitur. In peccato duo sunt; actus, & reatus; transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus, sive obligatio ad pœnam; Vnde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione, propriè reatus peccati dumtaxat tollitur; & ministerium Sacerdotum solùm liberat à reatu. Peccator pœnitens non viuificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed à solo Deo, qui pœnitentiam suggerens, & inspirans, viuificat, eum & resuscitat, ministerio autem Sacerdotis solúm reatus tollitur. Quando per eleemosynas, aliaque pœnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioqui essemus, saltem aliqua ex parte redemptores) sed aliquid facimus; cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, & communicatur. Per passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non propriè redimuntur nostra delicta; sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impertiuntur, vt digni simus, qui pretio sanguinis Christi á pœnis pro peccatis debitis, liberemur. Illa Doctorum distinctio, Divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad præceptorum operum substantiam tantùm; altero quantum ad certum quendam modum, videlicet secundùm quem valeant operantem perducere ad regnum æternum (hoc est ad modum meritorum) commentitia est, & explodenda. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quiá ex objecto, & omnibus circustantiis rectum est, & bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt) vel quia est meritorium Regni æterni, eò quod fit à viuo Christi membro per Spiritum charitatis, rejicienda est.

Sed

Sed & illa distinctio duplicis justitiæ, alterius, quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem, alterius, quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, qua Divinæ Legis justificatio impleatur, similiter rejicitur. Item, & illa distinctio duplicis vivificationis; alterius, qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentia, & vitæ novæ propositum, & inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius, qua vivificatur, qui verè justificatur, & palmes vivus in Vite Christo efficitur, pariter commentitia est, & scripturis minimè congruens. Nonnisi Pelagiano errore admitti potest vsus aliquis liberi arbitrij bonus, sive non malus, & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit, & docet. Sola violentia repugnat liberati hominis naturali. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod necessario facit. Infidelitas purè negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est. Justificatio impij fit formaliter per obedientiam Legis, non autem per occultam communicationem, & inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos faciat implere legem. Homo existens in peccato mortali sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem; & charitas, etiã perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis. Per contritionem; etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctã, non remittitur crimen, extra casum necessitatis, aut martyrij, sine actuali susceptione Sacramenti. Omnes omnino Justorum afflictiones, sunt vltiones peccatorum ipsorum; vnde, & Iob, & Martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt. Nemo, præter Christum, est absque peccato originali; hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesq; ejus afflictiones in hac vita, sicut, aliorum Justorum fuerunt vltiones peccati actualis, vel originalis. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut, & alij habitus pravi. Motus pravi concupiscentiæ, sunt, pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto, Non concupisces: Vnde homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur præceptum, Non concupisces, quamvis transgressio in peccatum non deputetur. Quandiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Satisfactiones laboriosæ Justificatorum, non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam. Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio. Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse à Deo creari, & institui sine Justitia naturali. Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respectivè, ac quæcumque super iis verbo, scriptoque emissa, præsentium auctoritate damnamus, circumscribimus, & abolemus; deque eisdem, & similibus posthac, quoquo pacto, loquendi, scribendi, & disputandi, facultatem quibuscumque interdicimus. Qui secus fecerint, ipsos omnibus dignitatibus, gradibus honoribus, beneficiis, & officiis perpetuò privamus, ac etiam inhabiles ad quæcumque decernimus, vinculo quoque anathematis eo ipso innodamus, à quo, nullus Romano Pontifice inferior, valeat ipsos, excepto mortis articulo, liberare. Cæterùm, vt jam commoti his de rebus tumultus, & contracta odia faciliùs comprimi possint, simulque animarum saluti plenius consulatur, Dilecto filio nostro Antonio tituli Sancti Bartholomæi, in Insula Presbytero Cardinali Grãvelano nuncupato, per Apostolica scripta mandamus, vt ipse, quid ad perpetuam dictarum sententiarum, & scripturarum abolitionem, quid ad arcenda hujusmodi proloquia, & disputationes, quid denique ad vnionem, & pacem cum communi omnium, & Ecclesiæ Catholicæ satisfactione componendam, facto opus sit, in primis diligenter expendat deinde in iis omnibus, quæ pro communi salute, tranquillitate, & honore optimum judicaverit, salva semper Ecclesiæ prædictæ vnitate, etiam per alium, seu alios, fide, doctrina, & religione præstantes, ocyus exequatur, faciatque, quidquid decreverit, inviolatè ab omnibus observari, Contradictores quoslibet per censuras, & pœnas prædictas, cæteraque juris, & facti remedia opportuna appellatione postposita, compescendo; Invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachij sæcularis: non obstantibus, quod forsitan aliquibus ab Apostolica sit Sede Indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem; Et quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, Indulgentiis, & litteris Apostolicis, specialibus, vel generalibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus præsentium impediri valeat quomodolibet, vel differri; & de quibus, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ damnationis, circumscriptionis, abolitionis, interdicti, decreti, & mandati, privationis, & innodationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum

Datum Romæ apud S.Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1567. Kalendis Octobris: Pontificatus nostri anno 2.

Deindeque piæ mem. Gregorius Papa XIII. etiam prædecessor noter, intellecto per eum, non sine animi sui dolore, non defuisse tunc temporis aliquos Theologos, tum studiosos tum professores, qui articulos in prædicta Constitutione damnatos asserere & pertinaciter defendere pergerent; pro officij sui munere eorundem temeritatem, atque audaciam ad totius Ecclesiæ periculum pertinentem, minime contemnendam, & dissimulandam censuit; sed ad coërcenda hujusmodi ingenia, per aliam suam Constitutionem sub datum quarto Calendas Februarij anno incarnationis Dominicæ 1579. Pontificatus sui anno 8. editam, Pij prædecessoris constitutionē prædictam sua quoque auctoritate confirmauit. Articulosque ibidem comprehensos iteratò damnauit; & ne quis, hac in re constantem Sedis Apostolicæ voluntatem, ac sententiam ignorare posset, suam huiusmodi comfirmationis Constitutionem, altera Pij V. comprehensa, publicauit, & promulgauit. Postea recoll. mem. Paul. Pap. V. similiter prædecessor noster, ad tollēda scandala, & dissensiones, quæ in Ecclesia Catholica oriebantur occasione editionis librorum, & operum de Auxiliis tractantium, in Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis, sub die 1. Decembris Anni Domini 1611. coram ipso habita, decreuit, vt scriberetur Nuntiis Apostolicis, quod notificarent, & ordinarent, Superioribus Religionum, & Vniuersitatibus studiorum, & Ordinariis eorum Nuntiaturæ, ne sinerent imprimi in materia de Auxiliis, etiam sub prætextu commentandi S. Thomam, aut alio modo, & qui vellent de hac materia scribere, & imprimere, prius mitterent Tractatus, & Compositionem ad dictam Sanctam Vniversalem Inquisitionem; & in executionem mentis dicti Pauli prædecessoris, eiusdem Decreti tenor omnibus prædictis per Nuntios respectiuè fuit legitimè intimatus; Successiuéque ne contra prædictum Decretum aliquid attentari contingeret, sed scandala, & dissensiones omnino cessarent, Nos in alia Generali Congregatione dictæ Sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis, Feria quinta die 22. Maij. Anno Domini 1625. per aliud Decretum nostrum, ipsum Pauli prædecessoris Decretum confirmauimus, & innouauimus; ac omnibus, & singulis cuiusuis Religionis, Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, etiam de necessitate exprimendæ, Regularibus, & aliis quibuscumque tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus personis cuiuscumque status, conditionis, gradus, ordinis, & dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quàm sæcularis, ne imposterum auderent imprimere, vel quoquo modo in lucem edere libros, tractatus, vel compositiones, ex professo, vel incidenter, aut prætextu commentandi D. Th. vel quemlibet alium Doctorem, aut alia quauis occasione, prætextu, vel modo, de materia Auxiliorum Diuinorum tractantes, sine expressa, & speciali licentia à nobis, in Congregatione S. Officij prædicta, obtinenda, donec aliud in hac materia á Sede Apostolica foret ordinatum, districtè præcepimus, & mandauimus; & vt huiusmodi nostrum Decretum inuiolabiliter obseruetur, voluimus, & declarauimus, contrauenientes, pœnas priuationis Dignitatum, & Officiorum suorum, vocis activæ, & passiuæ, facultatis concionandi, publicè legendi, docendi, & interpretandi, ipso facto, absque alia declaratione, incurrere, & nihilominus aliis etiam pœnis nostro, & successorum nostrorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis, subiacere; librosque, quos ex tunc deinceps, contra dicti nostri Decreti tenorem edi contingeret, absque alia declaratione, tanquam expressè prohibitos haberi; & Impressores, præter amissionem librorum; pecuniarijs, aliisque corporalibus pœnis iuxta criminis grauitatem teneri. Nouissimè tandem accepto per nos in Oppido (Ciuitate nuncupato) Louanienſi, quosdam assertos Cornelij Iansenij olim Episcopi Iprensis, executores ex testamento in lucem edi curasse librum, cui titulus, Augustinus, ex professo continentem, & tractantem materiam de Auxiliis, nulla penitùs petita, vel obtenta à dicta Congregatione licentia illum imprimendi; eiusque operis occasione Patres Societatis Iesu, nonnullas in Ciuitate Antuerpien, de eadem materia tractantes Theses, pariter absque licentia eiusdem Congregationis, imprimi curasse; opinionesque Iansenij in prædicto libro contentas oppugnasse; rursusque nonnullas alias, orationes, scripturas, Epistolas, Theses que in calce infrascripti Decreti nostri, tunc registratas, tam pro dicti libri Iansenij, quàm Thesium à Patribus Iesuitis editarum defensione impressas fuisse, non solùm contra prædictorum Decretorum prohibitionem, sed etiam in graue scandalum, & offensionem Ecclesiæ Catholicæ: Nos vt malis huiusmodi imminentibus quanto citius occurreretur, & ne imposterum vllus auderet dictis Decretis *contraire*, per aliud Decretum in alia plena, & generali Congregatione eiusdem Sanctæ Romanæ, & vniversalis Inquisitionis coram Nobis die prima Augusti proximè prætereriti habita, inhærendo prioribus Decretis à Paulo prædecessore, & à nobis, vt supra editis, pro tunc dictū librum Iansenij, cui titulus: Auguſt. Louanij impressum, necnon Theses à Patribus Societ. Iesu Antuerpiæ in lucē editas; aliasq; scripturas in calce posterioris nostri Decreti huiusmodi registratas, jam vigore anteriorum supradictorum Decretorum prohibitas, de novo prohibuimus, ac pro prohibitis omninò haberi voluimus; Mandavimusque sub pœna excommunicationis,

cationis, ipso facto incurrendæ, ne quis cujuscumque status, gradus, conditionis,& qualitatis, etiam speciali, & specialissima nota dignæ, librum,& Theses prædictas, aliasque scripturas, vt supra, absque dictæ Sedis licentia in dicta Congregatione S.Officij obtinenda, retinere & legere posset.Mandauimus insuper omnibus,& singulis,cujusvis Religionis, Ordinis, & Dignitatis, Abbatiali, Episcopali, Archiepiscopali, & Patriarchali, dignitate suffultis, Collegiis, & vniuersitatibus, sub prædictis,vt supra, excommunicationis, ipso facto incurrendæ, Interdicti Ecclesiastici, respectiuè, aliisque,arbitrio nostro, pœnis infligendis, etiam corporalibus, ne in posterum auderent imprimere, nec quoquomodo in lucem edere libros,tractatus,compositiones,ex professo, vel incidenter, etiam sub prætextu commentandi Divum Thomam, seu in Philosophicis, agendi de concursu causæ primæ cum secunda, præsertim defendendi, aut impugnandi librum dicti Iansenij,cui titulus, Augustinus, vel Theses Patrum Societatis Iesu, aliasque scripturas in calce dicti posterioris nostri Decreti, vt præfertur, registratas, & prohibitas, aut alia quavis occasione, vel modo de materia Auxiliorum diuinorum, seu de gratia,& libero arbitrio tractantes, sine expressa licentia à nobis in dicta Congregatione S.Officij obtinenda, donec aliud in hac materia à Sede Apostolica prædicta foret ordinatum. Absolutionem verò à prædicta excommunicatione, necnon interdicti suspensionem, & relaxationem Nobis, & dictæ Congregationi reservauimus; Non obstantibus quibuscumque priuilegiis, etiam Sanctæ Cruciatæ, Iubilæi (etiam generalis) & facultatibus Missionariorum, ac aliis à dicta Sede emanatis,seu emanandis, quibus omnibus in hac parte derogauimus: Voluimusque ea omnia suum plenarium sortiri effectum,omnesque contrafacientes,vt supra, ligare,nec quemquam excusari posse, etiam sub prætextu, quod anteriora Decreta Pauli prædecessoris, & nostra, aliàs,vt præfertur edita, non forent in Prouinciis intimata vel vsu recepta. Irritum quoque,& inane decreuimus quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingeret attentari; Contrariis quibuscumque non obstantibus. Et ne præmissorum ignorantia posset ab aliquo prætendi, voluimus, vt posterius nostrum Decretum hujusmodi, seu illius exemplum, ad valuas Basilicarum S. Ioannis Lateran. & Principis Apostolorum de Vrbe,& in acie Campi Floræ, affixum, omnos ita arctaret, & afficeret, ac si vnicuique personaliter intimatum foret. Nota vero librorum, & scripturarum prohibitarum, in calce posterioris Decreti nostri hujusmodi registratum, hæc est. Liber cui titulus, Augustinus, impressus Louanij Typis Iacobi Zezeri Anno 1640.& Parisiis 1641. Theses Theologicæ de Gratia, libro arbitrio,& Prædestinatione, Antuerpiæ apud Ioannem Meursium anno 1641. Cornelij Iansenij Iprensis Episcopi, &c.Laudatio Funeralis dicta à R.Fratre Ioanne à Lapide &c. Louanij,Typis Bernardini Marij, &c. Epistola idiomate Hispano, All'Eminent. y Reuerend. Señor Cardinal de la Cueua de la Congregacion de la S.Inquisicion,por el P.Pedro Biuero de la Compañia de Iesus Predicador del Señor Cardenal Infante; Dat in Bruxellas 16.Henero 1641.Memoriale idiomate Hispano Cardinali Infanti Hispan.incip.Serenis.Señor,& finis,Como es V. Cathol.Real. A.Libellus, cui titulus, humilis, & supplex querimonia Iacobi Zegers Typogr. Louan. aduersus Libellum R.P. S.I. Regiæ Capellæ Bruxell. Concionatoris & Theses PP. Societatis, Louanij apud Iacobum Zegers,Anno 1641.primæ, secundæ,& tertiæ,editionis. Memoriale ad Eminentissimum Cardinalem de la Cueua,circa querimoniam friuolam Iansenianam,&c.contra Theses Theologicas, & libellum supplicem &c.ejusdem de eodem tela ingesta,& regesta. Theologicæ,Apologeticæ.& Miscellaneæ aduersus doctrinã Cornelij, &c.sub prætextu querimoniæ Typographi Louaniensis editionis secundæ,&c.Antuerpiæ apud Ioannem Meursium anno 1641.Libellus, cui titulus, Augustini Hipponensis, & Augustini Iprensis, de Deo omnes saluare volente, &c. Homologia,&c.Louanij apud Iacobum Zegers anno 1641.Epistola Liberti Fromundi,& Henrici Caleni Louanij 16.Iunij 1641.R.P.Societatis Iesu Louan. incip. Theses vestras, Epistola Professorum S Thomæ Colleg.Societ.Iesu Louan. Liberto Fromundo,& Henrico Caleno,incipien.Gratias agimus &c.Epistola,cui titulus,Petrus Biuerus Doctoribus Iansenianis &c.Ad rem, Ad rem,&c, incipiens Ad rem. Amici, &c. Somnium Hipponense,,siue de Controuersiis, &c. Relatore Phyletimo S.T. Baccal. Formato Parisiis anno 1641. Insuper omnes alij libri,Opuscula,Epistolæ,Orationes, Theses,&c. aliaque omnia tam edita hucusque, quàm imprimenda;tam contra, quàm pro Cornelio Iansenio,ac Patribus Iesuitis. Cum autem ex diligenti,& matura, ejusdem libri, cui titulus Augustinus,lectione, postmodum compertum fuerit,in eodem libro multas ex propositionibus à prædecessoribus nostris olim vt præfertur, damnatas, contineri, & magno cum Catholicorum scandalo, & auctoritatis dictæ Sedis contemptu, contra præfatas damnationes, & prohibitiones defendi Nos huic malo, in scandalum totius Reipublicæ Christianæ, & Fidei Catholicæ perniciem, vertenti, opportunum remedium adhibere volentes; Constitutionis Gregorij, ac Pauli prædecessorum prædictorum nostrorum, nec non Decretorum hujusmodi totos, & integros tenores, ac Datas etiam veriores præsentibus pro totaliter expressis, & insertis habentes, motu proprio, & ex certa scientia nostra,

ac

ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac perpetuò valitura Constitutione ejusdem Pij, & Gregorij prædecessorum, hujusmodi Constitutiones prædictas, omniaque, & singula in eis contenta, Apostolica auctoritate tenore præsentium, perpetuò confirmamus, & approbamus; librumque prædictum, cui titulus est, Augustinus, Articulos, opiniones, & sententias in dictis Constitutionibus reprobatas, atque damnatas; vt à nobis compertum est, continentem, & renovantem; aliaque omnia opera præsentibus nostris subinserta, quæ aliis sub posteriori Decreto nostro prædicto registratis, per præsentes addimus, atque adjungimus, eadem auctoritate per præsentes omninò prohibemus, ac prohibitis haberi volumus; & mandamus. Iubentes insuper sub omnibus pœnis, & censuris in prædicta Constitutione Pij prædecessoris, contentis (à quibus, nullus Romano Pontifice inferior, excepto mortis articulo, absolvere contra facientes possit) ne quis cujuscumque conditionis, & qualitatis sit, etiam speciali; & specialissima nota, & expressione dignus, de prædictis, vt supra, damnatis, & in prædicto libro contentis, aliisque (vt infrà) subinsertis, Articulis, Opinionibus, sententiis, libellis, orationibus, scripturis, Epistolis, Thesibus, quoquo pacto loqui, scribere, & disputare audeat, librumque, & alia prædicta penes se retinere, vel legere præsumat; Remanente nihilominus, in reliquis in suo robore posteriori Decreto à nobis in sacra suprema, & vniversalis Inquisitionis Congregatione, vt præfertur, edito; Decernentesque sic, & non aliàs in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Interpretes, Doctores, Academias, Vniversitates, & studia generalia, aliasque personas; Iudices Ordinarios, delegatos, mixtos, etiam Nuntios nostros, & Sedis prædictæ, sublata eis, & eorum cuilibet, qualibet, aliter judicandi, & interpretandi, ac glossandi, & decidendi facultate, & auctoritate, vbique judicari, & definiri debere; Irritumque & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel imposterum contigerit attentari. Non obstantibus, omnibus, quæ in dicto nostro posteriori decreto voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque Opera verò addita aliis, in calce posterioris nostri Decreti, vt præfertur, registratis, & prohibitis (sunt, sequentia, videlicet, Liberti Fromundi sacræ Theologiæ Doctoris &c. Brevis Anatomia hominis, Lovanij apud Iacobum Zegers, &c. anno 1641. Conventus Africanus, sive disceptatio judicialis apud Tribunal Præsulis Augustini, &c. narratore Artemidoro Oneirocritico, A Roüen, chez Nicolas de Montagne anno 1641. Memorial au Roy incipiens Jean Iansenius Chanoine, &c. finiens, contra ista duo Decreta Summorum Pontificum, &c. Item attestatio notorialis, &c. incipiens, Ego infra scriptus, & finiens, Petrus Mintaert Notarius. Approbatio sub nomine nonnullorum Theologorum ex variis Religionibus, tam Ordinum Monachalium, quàm Mendicantium, necnon Archiepiscopi Philippensis aliorumve Theologorum Clericorum Sæcularium, Doctrinæ Cornelij Iansenij in dicto libro Augustinus, contentæ, incipiens. Quid censendum sit de doctrina in opere Reverendiss. D. Cornelij Iansenij Episcopi Iprensis fæl. mem. nuncup. Augustinus, contenta patebit ex subsequentibus attestationibus Doctissimorum virorum in Belgio, & alibi existentium, &c. finiens: Et me publico, & Apostolico, ac dictæ Vniversitatis Notario, & Scriba jurato, Quod attestator, Petrus Mintaërt Notarius. Vt autem præsentes nostræ litteræ, omniaque, & singula in eisdem litteris, ut supra contenta ad omnium notitiam deducantur, nec illarum ignorantia ab aliquo allegari possit, volumus easdem præsentes nostras litteras, seu earum transumptum, etiam impressum (cui manu Notarij publici subscripto, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munito, plenam vbique locorum, & tam in judicio, quam extra illud fidem adhiberi decernimus) in Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe & Cancellariæ Apostolicæ Valvis, atque in acie campi Floræ per aliquos ex Cursoribus Palatij Apostolici publicari, & affigi earumque copiam inibi affixam dimitti, publicationemque, affixionem, & copiæ affixæ, dimissionem hujusmodi in Regnis, Provinciis; Civitatibus, Oppidis, & locis requiri, aut expectari debere, omnesque, & singulos perinde arctare, & afficere, ac si vnicuique nominatim, ac personaliter intimatæ, atque præsentatæ fuissent. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, additionis, adjunctionis, prohibitionis, jussionis, Decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. Romæ apud S. Petr. Anno Incarn. Dom. 1641. pridie 9. Mart. Pontif. nostri anno 19.

E. DAT. Visa de Curia P. Gentilis. F. Morolus.

Anno à Nativ. D. N. I. C. 1643. Indictione 11. die verò 19. Iunij, Pontific. SS. in Christo, Patris, & D. N. D. Vrbani Divina Providentia Papæ VIII. Anno ejus 20. supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ, atque in acie Campi Floræ, vt moris est, per me Ioan. Baptistam Riccium ejusdem SS. D. N. Papæ, ac S. Inquisitionis Cursorem.

Romæ ex Typographia Cam. Apost. 1641.

INDEX
RERUM NOTABILIUM,
huius Tomi Quinti.

Prima Littera indicat Tractatum, Secunda Resolutionem, Tertia Paragraphum, Quarta Paginam.

A

Abbas.

ABBATEM Regularem si Religiosus percuteret, quis debet eum absolvere ab excommunicatione, maximè si percussio sit gravis, vel enormis? Tract.2. Res.77. §.1. & seqq. pag.167

Abbates conferentes Tonsuram, vel minores Ordines aliis, quam suis subditis Regularibus an incurrant suspensionem. t.3.r.27.§.1.p.180

Abbates conferentes Ordines minores Novitiis non sunt suspensi, quamvis peccent. ibid.§.3

Abbates concedendo dimissorias Novitiis an incidant in suspensionem? t.3.r.28.§.1. ibid.

Abbas in casibus, in quibus tonsuram,& minores Ordines conferre possit,an valeat dispensare in interstitiis? t.3.r.45.§.3.p.190

Ubi docetur, quod in receptione Ordinum minorum nulla requiruntur interstitia. ibid. §.2

* Vide verb. *Examinare.*

Abbatissa.

Qui cum Abbatissa loquitur, an incidat in excommunicationem latam ab Episcopo contra colloquentes cum Monialibus? t.1.r.87.§.5.p.61

Abiurare, Abiuratio, &c.

Post abiurationem, & pœnitentiam an Clericus, qui lapsus est in hæresim, possit exercere susceptos Ordines; dummodo obtineat dispensationem saltem ab Episcopo. t.5.r.50.§.3.p.228

Qui abiurare de vehementi ab Inquisitoribus cogitur pro suspectione de hæresi, an sit irregularis. t.5.r.51.§.1. ibid.

Abiurare an debeat Confessarius, qui metu deliquit in sollicitatione. t.9.r.60.§.2.& seq.p.402

Abiurare quo pacto debeant Confessarij sollicitantes in confessione. t.9.r.88.§.1.p.413

Si abiuravit Confessarius confessus propter sollicitationem alterius, si perseverat sollicitando, an sit denunciandus propter præteritam sollicitationem. t.9.r.90. §.1.p.414

Abiurare de levi an debeat Confessarius sollicitans in Confessionario sine ulla tamen occasione confessionis? t.9.r.91.§.1.ibid.

Et quid, si paulo ante,vel paulo post confessionem Confessarius sollicitavit pœnitentem. §.3

Ex abiuratione propter sollicitationem an Confessarius Regularis remaneat inhabilis ad officia Religionis. t.9.r.93.§.1.p.416

Et an dictus Regularis non possit rehabilitari nisi per Pontificem,vel Illustrissimos Inquisitores Sacræ Congregationis. ibid. §.2

Qui abiuravit de vehementi,vel de levi an possit admitti ab Inquisitoribus ad audiendas confessiones. tract. 10. r.83. §.1. p.447

Abiurantes Regulares de levi, an reddantur inhabiles ad gradus, & Dignitates Religionis. ibid.§.3

Ex abiuratione de vehementi non incurritur irregularitas. ibid. §.4

Abiurare reos publicè, vel secreto, quando Inquisitores debeant hoc facere. t.10. r.93.§.2.p.450

Ubi pro praxi aliqui casus.

Abiurationem propter infamiam an Inquisitores indicere possint. t.10.r.94.§.1.p.451

Iudices Episcoporum an Ordinari possint, t.5. r.90. §.2. p. 251
Inter iudicem Ecclesiasticum, & laicum an detur præventio contra procurantes abortum, tract.6.r.16. §.1. p. 290
Et si reus est Ecclesiasticus, an tradendus sit Curiæ sæculari. ibid.
Si iudicem Ecclesiasticum quis inducat pecunia,ut iustitiam in causa,spirituali ministret,an hoc ad simoniam pertineat? Et quid in causa alias sæculari.t.7.r.15.§.4. p.318
Quando iudices Romanæ Curiæ accipientes munera incidant, vel non incidant in pœnas latas in Bulla Gregor. XIII. de Datis, & Promissis aliqui casus proponuntur in praxi. t.7.à ref.48.usque ad 58. inclusivè, à p.343. ad 349
Quando verò teneantur acceptum restituere.t.7.r.51.§.4. p.346
Qui prædictis iudicibus aliquid dat, vel promittit, ut causam expediant, an incidat in pœnas dictæ Bullæ. t.5.r.57. per totam p.348
Ad iudices delegatos citramontanos non spectant pœnæ dictæ Bullæ. t.7.r.58.§.4.p.349
Contra iudices laicos an Inquisitores procedere possint, si remissius agant cum hæreticis sibi relictis, & pœnam mortis per ignem non imponant? t.10.r.17.§.1. p.423
Et quid est agendum, si iudices laici nollent exequi sententiam ab Inquisitoribus latam contra hæreticum? t.10.r.18. per totam p.424
Iudex laicus an à suo Superiore legitimo, & non ab Inquisitoribus compellendus est, ut hæreticum morti tradat. t.10.r.19. per totam,ibid.
Iudicibus non remittere, ut reum puniant, sed remittere eum simpliciter,an Inquisitores possint. t.10.r.66. per totam p.441
Per iudicem Ecclesiasticum est infligenda excommunicatio, contra laicos disputantes de fide. t.10.r.77.§.3. p.445
Iudices competentes an sint Inquisitores super reconciliatos, qui Hispano sermone *Sambenitados*, vocantur. t.10. r.88. per totam p.448
Iudicibus sæcularibus an Inquisitores debeant tradere lamias, & striges propter cædes infantium.t.10.r.111. §.1.p.457
* Vide verb. *Actum. Apostasia. Appellatio. Assistere. Blasphemantes. Carceratus. Capitulum. Sede vacante. Declaratio. Ecclesiasticus. Familiares. Responsor casus. Sententia.*

Iudicare. Iudicium.

Si in iudicium vel extra testes excommunicati deponant, quodnam peccatum committant. t.1.r.112. §.2. in fine. p.74
In iudicio an excommunicatus possit respondere, vel cogatur respondere per Procuratorem. t.1. r.117. per totam p.75
* Vide verb. *Actor. Iurisdictio. Ius. Iuramentum. Iurare, &c.*

Iuramentum. Iurare, &c.

Iuramentum, quod exigitur ab excommunicato ante absolutionem excommunicationis, quo sensu intelligatur. t.1.r.184.§.2. in fine.p.108
Iuramentum de parendo &c.an præstandum sit semper in absolutione excommunicationis maioris,& si omittatur quando debet præstari, an absolutio sit nulla. t.1. r.185.per totam p.108
Iuratoriam cautionem saltem præstare Confessario an teneatur excommunicatus,si satisfacere de præsenti non possit. t.1.r.186.§.1.ibid.
Et an hoc intelligendum sit pro foro exteriori, nam in foro pœnitentiali, deficiente possibilitate pœnitentis, propositum eius firmum tantum valet? ibidem §.2
Iuramentum, quando ab Episcopo non est exigendum, ut absoluti à censura Canonis teneantur adire Pontificem.t.2.r.65.per totam p.160
Sed semper iuramentum exigendum est ab Episcopo se præsentandi Sedi Apostolicæ, qui ab illo absolvitur à percussione enormi Clerici ob temporale impedimentum. t.2.r.72.§.6.p.165
Si iurare Minister Sacramenti aliquem faciat se tibi daturum pecuniam in pretium illius, & ut omnino tali pacto dat,an talis pecunia possit dari sine simonia.t.7. r.14.§.1.p.315
Et in tali casu iurans an possit uti æquivocatione, & restrictione tantum in mente retenta? ibidem §.3. p.316
Et quid, si Minister petat me iurare coram aliis? ibid.
Et an necessitas recipiendi viaticum homini iam confesso, vel non habenti peccatum mortale sit causa sufficiens ad hoc. ibid. §. post medium.
De Confirmatione, & Extrema Unctione non videtur esse eadem ratio. ibid. in fine.
Et quid de Baptismo, si adultus est in extrema necessitate,illius,& dubitat, an sufficientem contritionem habeat. ibid.§.5.p.317
Si sub iuramento promissum sit secretum sollicitationis, an teneatur,qui talem sollicitationem scit, illam denuneiare.t.9.r.68.§.2.& seqq.p.405
Iurare an sufficiat,ut socij criminis fidem faciant,contra nominatos, vel opus sit,ut ab Inquisitoribus torqueantur ad deponendum, t.11.r.10.per totam.p.482. & 483
* Vide verb. *Blasphemus. Ignorantia.*

Iurisdictio.

Iurisdictionem an validè possit exercere excommunicatus toleratus, t.1.r.23. §.1.p.14

Et dictus excommunicatus iudicium exercens an peccet mortaliter? t.1.r.24. §.1. ibid.
Iurisdictionem contentiosam exercere in subditum extra suam Diœcesim an possit Episcopus, quando causæ cognitio non vertitur ... effectus confertur in suam Diœcesim? t.1.r.98.§2.p.66
Iurisdictionem exercere an possint Prælati Regulares in suos subditos in quocumque territorio sint, ibid.§.12. pag.67
Et an locum non habeant, quando Prælati Regulares Iurisdictionem cum territorio habent? ibidem. in fin. dicti §.
Si iurisdictionem habens in censuris præsens sit, an simplex Sacerdos possit ab illis moribundum absolvere? t.1. r.205.§.2.p.118
Si quæ ad iurisdictionem fori externi pertinent, excommunicatus, & suspensus exercent, an incurrant irregularitatem? t.5.r.17.§.5.p.213
Iurisdictio Inquisitorum an sit Ordinaria, vel delegata? t.10.r.1.§.1.p.419
Iurisdictio Inquisitorum, etiam si concessa fuerit cum clausula usque ad beneplacitum, non expirat, nec cessat morte concedentis t.10.r.2.§.1. ibid.
Et quid, si unam causam Inquisitor non inceperit ante mortem concedentis? ibid.
Et quid de iurisdictione Vicarij, Commissarij, aut alterius delegati per mortem Inquisitoris concedentis ibid.
Iurisdictio Inquisitorum an concessa sit cumulativè, vel privativè t.10.r.3.§.1.p.420
Iurisdictio Inquisitorum Hispaniæ in Ordine ad eorum ministros est etiam privativa? ibid. §.3
Si iurisdictionem impendentia Inquisitorum aliqua statuta, vel Decretum Magistratus fecerint, an Inquisitores possint cogere illos, ut illa revocent? tr.10.r.16. §.1.p.423
Iurisdictionem in causis criminalium, & Civilium suorum familiarium an Inquisitores Hispaniæ habeant? Et non solum in familiares suos, sed etiam in uxores eorum viventibus maritis, sed etiam mortuis donec in viduitate permaneant? t.10.r.22.per tot.p.425
Iurisdictionem an habeant Inquisitores contra omnes sortilegos, Divinatores, Magos, & maleficos? t.12. r. 10. §.1.p.510
* Vide verb. *Ecclesiasticus. Episcopus. Familiares. Iudex. Ius.*
Si ad ius proprium defendendum, & non per modum iudicij excommunicatio fertur à Prælato, an requiratur monitio? t.1.r.4.§.5.p.2
Si iure naturali, aut divino leges Civiles non sint prohibitæ, nusquam obligant ad pœnam spiritualem, quamvis contineant pœnam gravem corporalem? tr.1.r.12. §.1.p.9
Si à iure lata sit censura, an pueri statim post usum rationis illam incurrant? t.1.r.108. §.2.p.72
Si ius suum excommunicatus petat in iudicio, an sit peccatum mortale ex obiecto? t.1.r.115.§.2. p.75
Iure ipso an pœnam incurrant, qui excommunicatis vitandis Sacramenta ministrant? tract.1.ref.128. §.4. pag. 80
De iure quinam sint testes privilegiati? tr.1. r.161. §. 1. pag. 94
Omnes personæ, quæ in iure sunt expressæ declarantur, quæ excusantur adire Pontificem pro absolutione ob enormem Clerici percussionem? tract. 2. ref.62. §.1. pag.159
A iure suspensio lata, quæ est censura, si reservata non sit Pontifici an possit tolli ab Episcopo? Idem est de Parocho, & Confessario approbato? tract.3.ref.9.§.1. & seq. pag.172
Et si reservata sit Pontifici, modo delictum sit occultum, an Episcopus possit eam dispensare? ibid.§.2. p.173
Quid iuris de puero, qui in anno quinto suæ ætatis fuit promotus ab Episcopo ad primam Tonsuram ubi alia contingentia in dicto casu t.3.r.34.§.1.p.181
Iure ipso suspensus manet, qui ausus fuerit matrimonialiter coniungere, aut benedicere alienos Parochianos, sine licentia proprij Parochi? tract.3. ref.62.§.3. pag. 197
In aliquo casu à iure non expresso an irregularitas incurratur? t.5.r.8.§.1.p.210
Si in iure non sit clarè expressa irregularitas, an communis opinio Doctorum possit illam introducere? t.5.r.9. §.1. ibid.
Idem est de quibusdam censuris, v.g. suspensionis propter susceptionem Ordinis per saltum, ibid.
Si iure aliquo generali irregularitas fertur, an illam Episcopi incurrant. t.5.r.10.§.1. ibid.
Ex iuris infamia an incurratur irregularitas: Ubi aliqui casus pro praxi. t.5.r.38. §.1. & 2.p.223
Et quid, si crimen est occultum. tract. 5. resol.39. §.1. ibid.
Ex iure annexa est infamia multis criminibus, & personis, de quibus plura ad incurrendam irregularitatem ex illis tract. 5. resol. 54. §. 1. & seqq. p. 229. & 230
Ubi quod iuris infamia dupliciter incurritur? §. 5. p. 230
Et quomodo iuris infamia auferri, & dispensari possit. ibid. §.7
Ex iure Canonico, Civili, & ex iure novo Sixti V. & Greg.XIV. de pœnis procurantium abortum. t.6.r.3. 4. & 5. p.285. & 286
Iuris positivi crimen, & simoniæ pœnas an Pontifex incurrat. t.7.r.1.§.3.p.306
Non iure naturali, sed positivo simonia obligat, ad restitutionem. t.7.r.6.§.5.p.311
Ut iuris pœnas simoniacus incurrat, an opus sit simoniam esse completam ex parte utriusque. t.7.r.7. §.1. ibidem.
Qui iure Ecclesiastico, & humano simoniam prohibitam committunt, non incurrunt pœnas latas in simoniacos. ibid. §.2
Ubi aliqui casus pro praxi.
Et an dicta simonia subiaceat restitutioni. Ubi aliqui casus excipiuntur. t.7.r.8. per tot. p.312
De iure divino non est simonia, sed humano in redimendis vexationibus ad beneficium, &c. Pro quo aliqui casus in praxi. t.7. à r.39. usque ad 43. inclusivè à p. 338. ad 340
A iure nulla imponitur pœna Sacerdoti, qui figillum confessionis frangit, quam de facto incurrat. tract.10. r.80.§.2.p.446
* Vide verb. *Adulter, Beneficium, Bulla Cœnæ, Crimen, Defendere, Dimissoria, Dominus, Eligere, Episcopus, Emere, Factum, Ignorare, Infidelis, Iniustè, Opinio probabilis, Permutare, Probabiliter.*

Iustitia.

Ex iustitia quinam teneantur obstare percussioni Clerici. t.2.r.23.§.4.p.138
Ex iustitia an Pastores Ecclesiarum teneantur cum periculo vitæ tempore pestis consulere vitæ spirituali subditorum fidelium, ne sine Sacramento Pœnitentiæ moriantur. t.6.r.42.§.5.p.303
Pro iustitia obtinenda, auferenda, vel differenda, vel post obtentam iustitiam dantes, promittentes, accipientes, & accipientes munera in Curia Romana, vel statu Ecclesiastico, an incurrant pœnas Bullæ Greg. XIII. de Datis, & Promissis. t.7.à ref.47. usque ad 58. inclusivè, à p.343. ad 349
* Vide verb. *Homicidium. Mutilatio.*

Rerum Notabilium.

L

Laborantes.

Laborantes quartana, morbo Gallico, &c. an sint ab Inquisitoribus torquendi t.11.r.29.§.7.p.494

Labor. Laborare.

Laborare potest quis in Monasteriis Regularium, & Monialium exemptarum in diebus festis de præcepto Episcopi loci. t.1.r.86.§.3. in fine p.59

Pro labore interno functionis spiritualis an possit quis aliquid accipere sine labe simoniæ: Et quid pro labore externo, v.g. iter agere, unius leucæ ad dicendum Sacrum, expectare ad unam, vel alteram horam ad celebrandum, &c. t.7.r.15.§.3. & seq. p.317

Laicus.

Laici, si absque contemptu Agnos Dei tangant, an peccent. t.1.r.76.§.3.p.50

Laicus an possit absolvere à censuris moribundum excommunicatum, qui signa aliqua contritionis non dedit. t.1.r.208.§.3.p.119

Et si talis moribundus signa contritionis dedit, an talis absolutio à laico largita sit valida? tract.1.r.209.§.1. ibid.

Ubi, quid est faciendum in dicto casu præter prædictam absolutionem à laico datam.

Laicus an possit absolvere moribundum ab interdicto personali? tract.1.resol.210.§. *Nota*, cursim ad lin.4. p.120

Laico potest Pontifex concedere facultatem, ut absolvat ab excommunicatione in articulo mortis. tr.1. res.214. §.2.p.122

Laicus non interdictus si sine vi, aut scandalo audiat Officia divina, præsertim Missam in loco interdicti, an peccet mortaliter. t.4.r.3.§.2.p.198

Laicum ad serviendum Missæ an Sacerdos possit accipere tempore interdicti, deficiente Clerico? Et in dicto casu an possit celebrare cum duobus laicis Ministris. t.4.r.8. per tot.p.200

Laicus celebrans Missam, aut solemniter baptizans, aut Sacramentaliter absolvens an incurrat irregularitatem. t.5.r.22.§.1.p.216

Stando in opinione, quod laicus non potest in articulo mortis, absente Sacerdote, infirmum communicare, an si hoc faciat, incurrat irregularitatem. t.5.r.23.§.1. ibid.

Laicum, qui cum stola, & superpelliceo concionem habuit in Ecclesia tanquam Diaconus, an incurrat irregularitatem. ibid.§.5.p.217

Laicus, qui sine necessitate confessionem Sacramentalem audivit, an sit irregularis, si illam revelet. tract.5.r.30. §.1.p.220

Si laicus occultè ponat se in loco confessionibus deputato, & inter confessionem fœminæ illam sollicitet, an sit denunciandus? t.9.r.84. per tot.p.412

An saltem quia dictus laicus simulat se Sacerdotem, quamvis fœminam non absolvat, si illam sollicitavit, sit denunciandus. t.5.r.85. per tot. ibid.

De laicis audientibus confessiones. Et quomodo puniendi sint. Et an Inquisitores aduersus eos procedere possint. t.12.r.11.§.1.p.513

Et si laicus audiat confessiones, sed non absolvit, an subdatur pœnis Pontificiis latis in Bullis Greg. XIII. & Urbani VIII. ibid.§.4

Idem est in omnibus de supradictis laicis Missam celebrantibus ubi latè, & notabilia. tract.12.resol.12.§.1. ibid.

* Vide verb. *Accusator. Bulla Cruciata. Captura. Clericus. Consuetudo. Correctio. Disputare. Eucharistia. Fugere. Magister. Missam audire. Missam celebrare. Patronus. Protestatio. Verbum.*

Lamia.

In lamiarum causis an soli Inquisitores procedere possint? vel an simul cum Episcopo, & in causis hæreticorum, contra lamias debeant Inquisitores procedere? tract.10. r.110. per tot.p.456

Si lamiæ se sponte detulerint, etiamsi à nostra fide aberrassent, & ex animo apostatassent, an admittantur ad reconciliationem, etiam bis, & ter, neque earum bona confiscantur, neque habitus pœnitentialis eis imponitur. t.10.r.111.§.4.p.457

* Vide verb. *Iudex.*

Laqueus.

Qui laqueo suspensus inuenitur, non est statim privandus sepultura Ecclesiastica. t.1.r.72.§.5.p.48

Qui laqueo se suspendit, & impeditus ab aliis non moritur, an maneat irregularis. t.5.resol.59. per totam. p.232

* Vide verb. *Iudex.*

Latinus.

* Vide verb. *Episcopus.*

Latro.

* Vide verb. *Clamare.*

Lectio.

* Vide verb. *Legere.*

Lector.

* Vide verb. *Lex Medicina.*

Lectus.

* Vide verb. *Communicatio Ciuilis.*

Legatus à latere.

Si Legatum adire potest impeditus adire Papam pro absolutione reservatæ Papæ, an teneatur adire prædictum Legatum, vel possit absolvi ab Episcopo. t.1.res.196. §.13.p.114

Legatis Summi Pontificis, an Inquisitores subsint. t.10. r.5. per totam. p.421

Legens. Legere. Lectio. &c.

Legens Adonem Marini an sit denunciandus S. Officio. t.9.r.99.§.1.p.418

Legere libros hæreticorum an Inquisitores possint. t.10. r.137.§.1.p.467

Ubi, quod Urbanus VIII. derogavit omnes licentias legendi libros hæreticos, & omnes alios prohibitos, & hodie hanc potestatem solum Sacra Congregatio concedit.§.4.p.468

Legendi libros hæreticorum an Inquisitores licentiam præbere possint. t.10.r.138.§.1.ibid.

Ubi, quod solus Pontifex talem licentiam præbere potest, unde neque Collegium Cardinalium Sede Apostolica vacante prædictam licentiam præbere potest.

Si ad legendos libros ab Inquisitoribus prohibitos aliquis privilegiatus ab Inquisitoribus in Regno Siciliæ, an possit uti hoc privilegio in alio territorio, verbi gratia, in Regno Castellæ? tract.10.r.141. per totam p.469

Legere libros prohibitos an quis possit securus, quod nocumentum non accipiet ex eorum lectura? tract.10. r.243.§.1.p.470

Legentes libros prohibitos ab Inquisitoribus, etiam si hæresim non contineant, peccant, & in censuram incurrunt. t.10.r.144.§.18. in fine p.472

Legi an possint sine incursione excommunicationis libri hæreticorum, si unum, aut alterum contineant errorem, & ille omnino deleatur? tract.10.r.145.§.5. p.473

Et quid, si diversi sint tomi eiusdem authoris hæretici, & unus tantum hæresim contineat, reliqui vero non contineant hæresim, an solum ille, qui hæresim continet, sit prohibitus sub censura in Bulla Cœnæ Domini? ibid.§.6

In lectione librorum hæreticorum an detur parvitas mate-

materiæ ad incurrendam censuram Bullæ Cœnæ.t.10. r.146.§.1.p.473
Si quis legerit unam paginam libri hæretici,an possit illum Confessarius absolvere ? Et quid,si legantur duæ, vel tres lineæ , in quibus legens certo novit contineri hæresim ? ibid.§.2.& seq.
De legentibus, & retinentibus libros hæreticorum,Necromanticorum Pentacula , & libros Astrologiæ iudiciariæ,& alios libros prohibitos etiam si non sint libri hæreticorum,an possint puniri ab Inquisitoribus.t.12. r.6.p.505.per totam.
Legentes , & retinentes libros , & Codices Talmudicos, Cabalisticos , & alios nefarios , &c. an puniendi sint arbitrio Inquisitorum,ibid.§.5.p.506
* Vide verb. *Bulla Cœnæ. Bulla Cruciatæ. Episcopus. Generalis.*

Lenitas.

* Vide verb.*Defectus*

Lenocinium.

Si ad lenocinium Confessarius sollicitet in confessione pœnitentem,an sit denunciandus. t.9.r.74. per totam. p.408

Leue.

* Vide verb. *Denunciare , Parvitas materiæ , Præceptum. Suspicio.*

Lex.

Legum Civilium lectorem audientes Sacerdotes etiam Regulares in domibus suis an incidunt in excommunicationem.t.1.r.73.§.1.p.48
Et quid , si in Scholis publicis leges civiles audiant,quatenus conducunt, vel conducere possint ad notitiam Canonum.ibid.§.3
Et an hoc intelligatur in foro interiori , nam in foro exteriori semper præsumuntur excommunicati ? ibidem §.4
Et an Diaconi , & Subdiaconi non comprehendantur sub dicta prohibitione,nisi sint personati.ibid.
Quoad leges omnes Episcopales Monasteria Monialium, Regularium sunt loca exempta non solum ratione personarum , sed etiam loci per se , ideo potest quis in dictis Monasteriis laborare in diebus festis, non servare ieiunia, & præcepta eiusdem Episcopi ; & hoc idem est de omnibus aliis legibus Episcopalibus.t.1.ref.86. §.3. post medium p.59
Legis mens magis est attendenda , quam verba. t.1.r.87. §.3. ad medium.p.60
Lex quantumcumque pœnalis non extenditur ex ratione identitatis ad alium similem casum.tract.1.ref.90.§.2. pag.62
Et si communiter lege Canonica peccatum , & crimen occultum irregularitatem non pariat , ab ea tamen lege excipitur homicidium,& peccata,quibus annexa est censura.t.5.r.137.§.2. & seq. p.275
* Vide verb. *Dubium. Finis. Ignorantia.Ius. Opinio probabilis. Occultum.*

Liber.

Liber Catholicorum cum explanatione hæreticorum, & Commentariis,an sint prohibiti.t.10.r.142.per totam. p.469
Non solum libri hæreticorum damnantur , qui continent falsam doctrinam , sed etiam minimè de Religione tractantes , ut sunt Diabolici , Rethorici,& Grammatici,&c.t.10.r.143.§.4.p.470
Libros hæreticos retinentes non sunt absolvendi à Confessariis.t.10.r.144.§.18.p.472
* Vide verb. *Bibliotheca. Bulla Cœnæ.Bulla Cruciatæ. Iudex. Legere.*

Licentia.

Licentia testandi concessa Episcopo non est restringenda ad primam vicem.t.1.r.89. §.3.in fine.p.62
Qui sine licentia uxoris in sæculo degentis susceperint Ordines sacros , quibus mulctandi sint pœnis ? Et an habenda sit ratio cuius nationis sint.t.12.resol.4.§.14. p.504
* Vide verb. *Bulla Cruciatæ. Cancellarius. Clericus.Colloquutio. Ingredi. Ius. Legere.*

Litera.

* Vide verb. *Bulla Cœnæ.*

Locus.

In loco delicti prohibitus celebrare , an possit celebrare, v. g. in Ecclesiis Patrum Capuccinorum , & Carmelitarum prope urbem existentibus. t.4.r.6. per totam. p.199
* Vide verb. *Abiuratio , Laicus , Lex , Missam audire.*

Loquentes. Loqui.

Loquentes sæculares cum Monialibus Regularibus subiectis,an incidant in censuram ab Episcopo latam contra loquentes cum Monialibus , quia alloquutio fit in loco exempto?t.1.r.85. §.1. in fine.p.58
Et quid , si non fuisset vetitus accessus , vel additio , ad Moniales , sed tantum loquutio.t.1.r.86. §.1. in fine. pag.59
* Vide verb. *Collocutio. Colloquentes.*

Ludens. Ludere.

Si contra ludentes ad azardum lata sit censura statuto Episcopi, an ludens cum Episcopo,qui statutum edidit incurrat censuram , quamvis Episcopus in pœnas dicti statuti non incidat.t.7.r.1.§.1.p.305
Ludere preces cum alio pro pretio temporali , an liceat alicui , & an adsit periculum simoniæ.t.7.resol.16.§.1. p.318
Qui ludit ludo prohibito , si habet animum non solvendi , vel solutum repetendi , non potest lucrari , secus in ludo licito , quia & si cogitet non solvere , potest tamen lucrari , quia ad solvendum potest cogi.ibid.§. *Nota hic.* & seq.
Cogentes ad ludum debent restituere , quod lucrentur, secus autem qui ab ipsis lucrantur. ibid.§.*Et tandem.* p.319
* Vide verb. *Immemor.*

Luxuria.

In luxuriæ peccato an detur parvitas materiæ.t.9.r.18. §.1.in fine.p.390

M

Magia. Magicus.

In Magia an detur parvitas materiæ ? t.8.ref.9.§.1. p.356
Ubi , an possit fieri ut aliqui actus Magici excusentur à mortali ratione ignorantiæ.

Magister.

Magister percutiens Clericum discipulum per laicum, an incidat in censuram ? tract.2.resolut.13.per totam. pag.130
Et quid , si per se ipsum Magister percutiat dictum discipulum Clericum.t.2.r.15.§.2.p.131

Magistratus.

Contra Magistratus an Inquisitores procedere possint, eorum mandatis non obedientes.t.10.r.15. per totam. p.423
* Vide verb. *Auxilium. Delictum,Iurisdictio.*

Magus.

De Magis , & quibus pœnis puniendi sint.t.12.r.10.§.1. p.510

Maioratus.

* Vide verb. *Bona temporalia.*

Malefactor.

* Vide verb. *Clamare.*

Rerum Notabilium.

Maleficus.

De Maleficis,& quibus pœnis ab Inquisitoribus puniendi sint ? t.12.r.10.§.1.p.510

* Vide verb. *Bulla Cruciatæ.*

Malitia.

Præter malitiam contra Religionem, an contineat malitiam impietatis percussio Clerici Superioris Ecclesiastici,vel Regularis?t.2.r.6.per tot.p.126

Mancipium.

* Vide verb. *Servus.*

Mandans, Mandatum,&c.

Mandantes percutere Clericum turpiter agentem cum matre , filia , sorore,vel uxore,an incurrant censuram? t.2.r.17.§.6.p.133

Mandantes percutere Clericum , an incurrant censuram? t.2.r.26.§.1.p.140

Et quid , si mandatum non sit expressum , sed tacitum? ibid.§.2

Mandans an incurrat censuram , si mandatarius excedit fines mandati,v.g.si mandaret,ut quis Clerico iniuriam verbalem inferret , & mandatarius excesserit faciendo illi iniuriam personalem?&c.ibid.

Mandantes percussionem Clerici , si ante percussionem eos pœniteat,an incidant in censuram? tr.2.res.29.§.1. pag.142

Et supponitur non posse revocare mandatum?ibid.§.1.& seq.pag.142

Et si post mandatum moriatur mandans,antequam Clericus percutiatur, an incurrat censuram? ibid.§.7.p.143

Mandans aliquem verberare modo cauto , & prudenti,& cum ministro fideli,& ille eum occidat , an mandans incurrat irregularitatem?t.5.r.70.per tot.p.238

Mandans Confessario, ut sollicitet per se pœnitentem,an sit denunciandus?t.9.r.76.§.1.p.409

Si quis mandans facere aliquid , non incurrit censuram latam contra facientem, unde si excommunicatio fertur in eum , qui occidit , vel furatur , non ligat mandantem occidere,aut furari ? ibid. §.1. multò post medium p.410

* Vide verb. *Bona temporalia. Comprehendere. Dubius. Homicidium. Notoriè. Præceptum. Restituere. Revocare.*

Manifestare.

Manifestare an liceat ubique locorum reum à Fidei Quæsitoribus publicè damnatum?t.10.r.131.§.1.p.464

Ubi, quod hoc non est peccatum neque contra iustitiam, neque contra charitatem,neque contra misericordiam, secluſa parva intentione.§.2

* Vide verb. *Crimen Revelare.*

Manus.

* Vide verb. *Digitus.*

Maritus.

Maritus quando possit percutere Clericum turpiter inventum cum uxore , & quando vero incidat in censuram,aliqui casus ? t.2.r.16.17.& 18. ubi latè.p.132. & seqq.

Maritus , qui dum immoderata copula cum uxore prægnante coit,illique fœtus animati abortum causat,non incurrit irregularitatem , & secus de adultero,vel fornicatore.t.5.r.111.§.6.p.262. & in tract.6. res.34.§.1. pag.298

Maritus , si uxorem verberasset , unde illa furore percita abortum feciſſet.an incurrat pœnas abortus ? t.6.r.34. §.3. ibid.

Maritus an teneatur denunciare uxorem hæreticam.t.9. r.9.§.1.p.382

Et quid , si uxor perpetrasset alia crimina extra hæresim? t.9.r.11.§.1. & seqq. ibid.

* Vide verb. *Adulter. Adulterium. Bigamia.Communicatio Civilis. Coniuges. Matrimonium. Vir. Vxor.*

Masculus.

Masculos Confessarius sollicitans in confessione , an sit denunciandus.t.9.r.79.per tot.p.410

Masculus 14.annum habens , si reconciliantur ex hæresi formali propter eius confessionem , & postea relabitur, ex misericordia,consulto Supremo consilio Inquisitorum,videtur admittendus pro illa vice, non obstante relapsu.t.12.r.33.§.4.p.530

* Vide verb. *Abiurare, Adolescens, Mulier, Puer.*

Mater.

Mater , quæ procuravit abortum,an incurrat excommunicationem Sixti V.t.6.r.35.§.1.p.298

* Vide verb. *Correctio Coniux. Fœmina. Maritus. Matrimonium. Medicamentum. Vir. Vxor.*

Matrimonium.

In matrimonij causa an excommunicati possint esse testes.t.1.r.112.§.3.p.74

Matrimonium contractum per Procuratorem excommunicatum an sit validum : tract.1.r.113.§.2.in fine. ibid.

Matrimonio clandestino Sacerdos assistens an incurrat post Concilium Trid.suspensionem triennalem,de qua *in cap.ult.§.final. de Clandest. desponsat.* t.3.res.62.§.1. p.196

Ubi , an suspensus ab officio, quia interfuit matrimonio clandestino, non sit suspensus à beneficio.§.4.p.197

Ubi etiam , quid vigore Concilij Trid.sess.24.c.1. de Matrim. Parochus , vel alius Sacerdos, etiam Regularis, qui ausus fuerit matrimonialiter coniungere,aut benedicere alienos Parochianos,absque licentia proprij Parochi,ipso iure suspensus manet.§.3

Et an in hoc casu cesset pœna excommunicationis contra Religiosos matrimonia solemnizantes secundum declarationem Cardinalium,ibid.

Si matrimonio durante etiam non consummato quis præsumit sacros ordines suscipere, an incurrat irregularitatem.t.5.r.15.§.ult. ad med.p.212

Si matrimonio Parochus excommunicatus assistat , an incurrat irregularitatem.t.5.r.17.§.5.p.213

Qui matrimonio assistit tanquam Parochus , cum Parochus non sit,an incurrat irregularitatem. t.5.r.24.§.4. p.218

Post matrimonium ratum , si in copula viro seminante mulier non seminaverit,idque partibus constet,an possint Religionem ingredi , sitque probabile, quod per professionem matrimonium solvatur , atque adeo pars in sæculo relicta possit aliud matrimonium inire t.5. r.153.§.2.p.284

Si in matrimonij Sacramento Sacerdos fœminam sollicitat , an incurrat pœnas Pontificias de sollicitatione? t.9.r.63.per tot.p.402

Si matrimonium contrahant Clerici sacris Ordinibus initiati , & Religiosi etiam Societatis Iesu postquam vota biennia emiserunt,an non solum committant sacrilegium , sed sint suspecti de hæresi , & qua pœna puniendi sunt.t.12.r.5. fere per totum, p.505

Matrimonium contrahens cum hæretica an sit suspectus de hæresi , & contra illum possint Inquisitores procedere.ibi.§.4

* Vide verb.*Clericus.Communicatio Civilis.Ignorantia.Licentia. Maritus. Religiosus.Vir.Vxor.*

Mavrus.

* Vide verb. *Abiuratio. Crimen.*

Mediator.

* Vide verb. *Beneficium. Electio.*

Medicamentum.

Medicamentum, aut Pharmacum an liceat præbere directe intendens ad fœtus nondum animati eiectionem, etiam quando non potest aliter matri succurri. tract.6. r.36.§.4.in fine.p.300

Medi-

Medicamentum an possit sumere mulier experta periculum mortis in partu, ut sterilis evadat, & non concipiat. t.6.r.37.per tot.p.300
Medicamentis uti indirecte ex quibus sequendus sit abortus fœtus inanimati liceat mulieri grauidæ, quando pro eius salute nullum aliud suppetat remedium. t.6.r.38.§.1.ibid.
Et quid in dicto casu, si fœtus est animatus. t.6.r.39.§.1.p.301
Et an idem sit, quando medicamentum applicandum æqualiter tenderet ad salutem matris, ac ad fœtus abortum. t.6.r.40.§.1.ibid.
Cum medicamentum prorsus dubium sit, num auxilium ad mortem sit illaturum, an adhuc possit adhiberi, si salus infirmæ omnino desperata est, ibidem §.3. p.302
Et an in dicto casu Maritus tale medicamentum adhibere, & applicare teneatur? ibidem §.1. in fine. pag.301
Medicamenta dicta non adhibere an mater teneatur cum periculo ipsius vitæ, ut fœtus baptizetur, si adsit spes, ut possit ita fœtus in lucem prodire? tract.6.r.41.§.1. p.302
Et in tali casu an Medicus peccet contra charitatem talia medicamenta applicando, & mulier assumendo. ibid.
Et tali medicamento non adhibito valdè probabile esset utrumque moriturum; eo vero adhibito probabile esset matrem saltem posse conservari, an tali casu possit adhiberi? ibid.§.2
Et quid, quando mater probabiliter timet esse in statu peccati mortalis, an teneatur abstinere à supradictis medicamentis, ut fœtus baptizetur, si speratur fœtum in lucem edendum. t.6.r.42.§.1.ibid.
Et quid, si mater esset moraliter certa de sua vita spirituali. ibid.§.5.p.303
Medicamentum, ut asserunt sympaticum, an licitum sit in absentia infirmi vulnerati apponere eius sanguini, & an tali medicamento utentes sint denunciandi? Et an Inquisitores, & Episcopi debeant illud à suis Diœcesibus eliminare? tract.10. resolut.109. per totam, p.455
* Vide verb. *Mulier.*

Medicina.

Medicinam Sacerdotes etiam Regulares audientes in domibus suis an incidant in excommunicationem? t.1. r.73.§.1.p.48
Et quid de Diacono, & Subdiacono nisi sint personati, vel in Scholis publicis medicinam audiant? ibidem §.4.
Medicinam exercere quando possint Clerici in Minoribus, Beneficiarij, Subdiaconi, Diaconi, Sacerdotes, Religiosi, & Monachi, & non incurrant irregularitatem, morte sequuta, & quando verò illam incurrant? Pro quibus varij casus proponuntur in praxi. t.5.r.71. 72.73.& 74.ubi late à p.238.ad 241
* Vide verb. *Indulgentia. Medicus.*

Medicus.

Medico Clerico perito an liceat dare consilium, quod fiat minutio sanguinis, dummodo ipsemet illam non faciat. t.5.r.73.§.1.p.240
Medicus effectus Clericus an possit sine peccato mortali exercere artem medicinæ, vel an sit eis interdictum tale exercitium. t.5.r.74.§.1.p.241
Medicus, qui non impedit mortem infirmi, cum possit, an sit irregularis: t.5.r.133.§.1.in fine.p.274
Si Medici incuria vulneratus vulnere, non lethali mortuus est, an incurrat irregularitatem? t.5.r.136.per totam.p.275
* Vide verb. *Medicamentum.*

Membrum.

* Vide verb. *Abscindere. Mutilare.*

Mendacium.

Mendacium an præbeat indicium Inquisitoribus ad torturam. t.11.r.15.§.1.p.486

Mendicantes.

* Vide verb. *Facultas.*

Mens.

Si mente hæreticus externus non negat fidem, non incurrit censuram, ideo potest absolvi in foro conscientiæ à quolibet Confessario? tract.8. resolut.5. §.3. pag.354
* Vide verb. *Lex.*

Mensa.

* Vide verb. *Communicatio Ciuilis.*

Mentale.

Mentalis simonia an inducat pœnas simoniæ, quæ ad restitutionem obligent. t.7.r.23.§.1.p.323
Hæreticus purè mentalis excommunicationem non incurrit t.8.r.5.§.2.p.354
Mentalis hæreticus non indiget Inquisitorum absolutione t.10.r.93.§.4.in fine.p.450

Metropolitanus.

Metropolitanus an possit in casibus sibi permissis absolvere ab excommunicatione, non obstante, quod Episcopus illam reservat Summo Pontifici? Ubi aliqui casus pro praxi. t.1.r.198.per tot.p.115
* Vide verb. *Appellare.*

Metus.

Per metum excommunicatio lata an sit nulla; Idem est de absolutione excommunicationis. t.1.r.20.per totam pag.13
Si metu reverentiali Parentes suadent puellis intrare in Monasterium Monialium an incurrant excommunicationem Concilij Trident. *Sess.25.c.18* t.1.r.81.§.6. pag.54
Qui per metum cadentem in virum constantem recipit Ordines ab Episcopo vitando, an incurrat suspensionem. t.3.r.32.§.2.p.181
Si per metum cadentem in virum constantem mulier cogitur sumere potionem, ex qua abortus sequatur, an excusetur ab excommunicatione? tract.6. ref.55.§.6. p.309
Metus an excuset Confessarium à pœnis contra sollicitantes? t.9.r.60.§.1.p.402
Qui metu peccat, pœnam extraordinariam non effugit, ibid.§.5
* Vide verb. *Abiurare.*

Ministrare. Ministratio. Sacram.&c.

Licet ministret validè Sacramenta excommunicatus excommunicatione minori, an peccet tamen in eius administratione. t.1.r.182.§.2.p.106
Ministrans Sacerdos Extremam-Unctionem, si non habet licentiam, an incurrat irregularitatem, Idem est, si excipit confessiones, si non habet licentiam confitendi. t.5.r.27.per tot.p.220
* Vide verb. *Communicatio Ciuilis, Diaconus, Dispensare. Iurare. Ius. Laicus. Sacramentum. Subdiaconus. Vsuricum.*

Minister iustitiæ, & alij Ministri.

Qui cum ministris Summi Pontificis de illius consensu expresso, vel tacito faceret aliquid ex prohibitis in Bulla Greg.XIII. de Datis, & Promissis, an in pœnas dictæ Bullæ incidat. t.7.r.59.§.4.p.349
Ministri S. Inquisitionis immunes sunt ab irregularitate propter sententiam mortis latam contra hæreticos, t.10.r.17.§.4.p.424
* Vide verb. *Accipere. Defectus. Donum. Homicidium. Iurisdictio. Ius. Mutilatio.*

Minorare.

Minorare in Inquisitione Romana possunt Inquisitores, &

& Episcopus cumulativè pœnam, quam concorditer imposuerunt delinquentes; in Hispania verò ex privilegio Pontificis Supremus Inquisitor habet potestatem minuendi, & relaxandi pœnas? tr.12.t.37. §.3. pag.535

Minor.

Minor 14. annorum an sit ab Inquisitoribus torquendus. t.11.r.29.§.1.p.493

* Vide verb. *Abiuratio. Curator. Testis.*

Minutio sanguinis.

* Vide verb. *Medicus. Venæ sectio.*

Missam audire.

Missam non audiendo excommunicatus in diebus festivis, si negligens sit in obtinenda absolutione excommunicationis, an peccet contra præceptum.t.11.r.129. §.1. p.80

Et si dictus excommunicatus non audiat Missam per annum, si postea obtenta absolutione excommunicatio confiteatur, an teneatur se accusare, quod peccaverit toties contra præceptum. ibid. §.3

Ne Missam eandem quis audiat simul cum excommunicato, prohibetur, sed præter excommunicationem poterit excusari à mortali, si careat inductione, & cooperatione, & fiat absque contemptu, & scandalo. t.1. r.136.§.2.p.82

Si Missam audiat laicus non interdictus in loco interdicto sine vi, & scandalo, an peccet mortaliter.t.4.r.3. §.2.p.198

Missam audire Sacerdotis interdicti personaliter an licitum sit alicui non interdicto? tract.4.r.14. per totam p.202

Missæ auditionis tempus, an quis prævenire teneatur, si timet, quod quando obliget præceptum, opportunitas non erit. t.9.r.21.§.2. p.386

Ad Missam audiendam non est admittendus hæreticus, causa pendente. t.10.r.55.§.4.p.437

* Vide verb. *Assistere. Communicatio Civilis. Dubitare. Hæreticus.*

Missam celebrare.

Missam celebrans Sacerdos in Ecclesia à se interdicta an sit irregularis. t.1.r.2.§.1. in fine. p.1

Missa offerri an possit pro illo, qui mortuus est in duello cum signis contritionis, sepulto tamen extra Ecclesiam. t.1.r.66.§.4.p.44

Missa applicari an possit pro excommunicato non denunciato, si ostendit signa contritionis, aut mortuus est in iis. ibid.

Missæ Sacrificia, an liceat offerre pro excommunicatis toleratis. t.10.r.137.§.1.p.82

Missæ Sacrificium an possit applicari pro excommunicato iam per contritionem iustificato, ante obtentam absolutionem. t.1.r.139. per totam. p.83

In *Memento* Missæ an possit Sacerdos orare pro excommunicatis etiam denunciatis? tract. 1. res. 140. §. 3. pag. 84

Si Missam celebret excommunicatus excommunicatione minori, an sit irregularis. t.1.r.182.§.4.p.107

Missæ an possint celebrari pro defuncto absoluto ab excommunicatione ante mortem à laico. t.1. r.211.§.1. & seqq. p.120

Missam celebrare tempore interdicti, omissa una circunstantia ex requisitis *in cap. Alma mater*, ut v.g. apertis ianuis, &c. an sit peccatum mortale? t.4. r. 5. per totam p.199

Missam celebrare an licitum sit coram personis interdictis? t.4.r.7.§.1.p.200

Et si persona interdicta expelli non potest, quid est faciendum? ibid.§.2

Si Missam celebret intra Ecclesiam interdictus ab eius ingressu an irregularitatem incurrat. t.4.r.15.§.1. in fine. p.203

Missam celebrare in cœmeterio an possit interdictus ab ingressu Ecclesiæ? t.4.r.18. per tot. p.204

* Vide verb. *Clericus, Degradatus, Diaconus, Dispensatio, Ecclesia, Ecclesiasticus, Episcopus, Hermaphroditus, Laicus, Locus, Sacrificium.*

Moderamen. Moderatum.

Moderamen iustæ defensionis, & inculpatæ tutelæ in quo consistit, relinquitur arbitrio prudentis viri. t.2. r.22.§.3. post med. p.138

Moderatæ defensionis excessus in quibus casibus consistat. ibid.

Modus.

Quem modum torquendi reos Inquisitores debent habere cum reis, & quomodo de tormento ignis ad pedes adhibito. t.11.r.35. per tot. p.497

* Vide verb. *Correctio. Mandans. Processus.*

Monachus.

Qui Monachum initiatum prima Tonsura percutit, an duas censuras incurrat. t.2.r.54.§.6.p.157

Monachi Benedictini an incurrant suspensionem, si non utantur habitu præscripto *in Clem.1. Si quis autem, de stat. Monach.* t.3. r.29. per tot. p.180.

* Vide verb. *Correctio. Medicina.*

Monasterium.

* Vide verb. *Accedere, Cambium, Clausura, Cogere, Dos, Ingredi, Ingressus, Insidere, Lex, Mutuum.*

Monere.

* Vide verb. *Beneficiarius. Clericus.*

Monialis.

Moniales exemptas colloquentes cum subditis Episcopi non potest Episcopus punire.t.1.r.86.§.2.post medium pag. 59

Monialis sumens venenum, ut fœtus moriatur, an incurrat censuram? tract.2. res.32.§.1.& seqq.pag.144. & 145

Monialis, quæ sumit potionem, venæ sectionem, vel pugnis se cædit ad abortum faciendum, ut postea sequutus est, an incidat, non solum in pœnas Bullæ Sixti V. sed etiam in censuram *cap. Si quis suadente, &c.* t. 2. r.48.§.1.p.153

Et quid de propinante Moniali potionem pro abortu faciendo sequuto effectu? tract. 2. res. 47. §.1. in fine ibid.

Moniales non comprehenduntur, si censura feratur sub nomine personarum Ecclesiasticarum, tract.4.r.24.§.2. pag. 206

Monialis impotens adire Inquisitores, an satisfaciat per Epistolam missam ad Inquisitorem denunciando Confessarium sollicitantem. t.9.r.12.§.2. p.383

* Vide verb. *Clausura. Dos. Mulier. Novitia. Puella.*

Monitio.

Monitio an requiratur necessario in censura ferenda.t.1. r.4. §.1.p.2

Monitio an requiratur ad valorem aliarum censurarum, ut suspensionis, interdicti, &c. ibid. §.4

Sine monitione trina censura non solum est illicita, sed invalida. Ubi multa pro praxi dictæ quæstionis.t.1.r.5. §.1.p.3

* Vide verb. *Ius.*

Monitorium.

Ex monitorij vi an pueri impuberes revelare teneantur? t.1.r.130.§.2.p.73

Ex monitorij vi an testes privilegiati teneantur revelare crimen sui coniuncti, etiam si non adsint alij testes. t.1. r.161.§.1.p.94

Et quid, si casus pertineat ad Tribunal S.Inquisitionis? ibid. in fine dicti §.

Ex monitorij vi non revelantes v. g. furtum, &c. an

teneantur restituere damna inde sequuta. t.1.r.163.§.1. pag.95
Ex monitorij vi quando quis teneatur revelare scripturas. t.1.r.165.§.1.p.96
Ubi explicantur aliquæ circumstantiæ, quæ contingere possunt in prædicto casu.§.1.& seqq.
* Vide verb. *Amicus, Benefactor, Detegere, Edictum, Furtum.*

Morbus.

* Vide verb. *Infirmus. Laborantes. Medicamentum.*

Mors.

* Vide verb. *Dubium.*

Mortuus.

Mortuum Clericum percutientes an incurrant censuram? t.2.r.35.per totam,p.145

Mulier.

Mulier Nobilis,quæ fuste,vel alapa percussit Clericum ad venerem illam incitantem, an incidat in censuram?t.2. r.19.§.1.p.134
Et quid, si tantum verbis Clericus eam tentaret,vel aggrederetur.ibid.
Mulieres cuiusvis status sint, & conditionis, & multo magis Moniales,Conversæ,& Novitiæ possunt absolvi ab Episcopo ex quacumque percussione Clerici sine onere præsentandi se Sedi Apostolicæ? t.2.r.69. §.1. p.162.& in res.73.§.2.p.165
Sed pro percussione enormi status personæ, & veritas negotij prius est intimanda Romano Pontifici antequam absolutio censuræ impendatur ab Episcopo supradictis mulieribus. t.2.r.69.§.2.p.162
Mulier, quæ erumpente natura ipsa in masculum transivit an possit sacris Ordinibus initiari,inconsulto Summo Pontifice? t.5.r.61.§.1.p.234
Mulier an incidat in excommunicationem, vel casum reservatum per Episcopum, cui insciæ,& ignoranti amator medicamentum,& potionem tribuit,ut abortus sequeretur, etiam si post sumptionem potionis rem illi amator aperiret, & ipsa facto gauderet, atque illud ratum haberet. t.6.r.29.§.1.p.296
Idem est, si postquam fuisset monita de procuratione abortus illum nollet impedire, cum tamen posset.ibidem §.2.
Qui mulieri propinat remedia sterilitatis, ut impotens fiat ad generandum,an incidat in censuram Bullæ Sixti V. de abortu? Et quomodo hic casus hodie damnetur?t.6.r.31.§.1.p.297
Quando mulier gravida parata est se occidere ad infamiam vitandam,an licitum sit suadere illi abortum. t.6.r.46.per totam p.304
* Vide verb. *Coniux, Fœmina, Hermaphroditus, Maritus, Mater, Matrimonium, Medicamentum, Metus, Potio, Puella, Vir, Vxor, Vxoratus.*

Munus.

* Vide verb. *Dare. Officiales.*

Murus.

* Vide verb. *Insidere.*

Musicus.

Musici, qui in Ecclesia Divina Officia canunt,an aliquid temporale accipere possint sine labe simoniæ? tr.7. r.15.§.1.p.317

Mutare. Mutatio.

Mutatio vultus rei an faciat contra illum indicium ad torturam? t.11.r.15.§.3.p.486
* Vide verb. *Homicidium. Reus.*

Matilare. Mutilatio.&c.

Qui mutilavit alterius pollicem, an sit irregularis? t.5. r.64.§.1.p.235
Qui mutilatus fuit culpa sua ab alio, etiam si membrum sit occultum,& non impediat usum Ordinis, an sit irregularis.t.5.r.65.§.1.p.236
Si alij mutilant in bello justo, an cæteri alij milites assistentes in bello irregularitatem incurrant?t.5.r.99.§.3. pag.255
Dubius an mutilaverit non est irregularis.t.5.r.103.§.2. pag.257
Qui mutilationem non impedit,quam ex justitia teneretur impedire, ut minister justitiæ, an fiat irregularis? t.5.r.133.§.1.p.274
* Vide verb. *Abscissio, Consilium, Consulere, Inebriare.*

Mutuare. Mutuum.

Mutuare aliquid cum pacto, ut ille,qui recipit mutuum, conferat Officium, aut Ecclesiasticum beneficium,an non solum sit usura, sed simonia? tract.7. ref.19.§.1. pag.520
Et quid, quando aliquis v.g. quantum in se est, confert beneficium, sed solemnitate aliqua hoc ipsum postea debet perficere? ibid.§.3
* Vide verb. *Bellum. Bona temporalia.*

N

Narrare.

* Vide verb. *Bulla Cœna. Revelare.*

Naufragantes.

* Vide verb. *Bona temporalia, Bulla Cœna, Subripientes.*

Negans. Negare.

Si Neget testis hæresim in primo dicto confessam,an Inquisitores debeant stare secundo dicto talis testis.t.12.r.22.§.6.p.522
* Vide verb. *Fides Catholica, Pœna.*

Negligens. Negligentia.

* Vide verb. *Diligentia, Excommunicationis absolutio. Homicidium.*

Neophitus.

Neophitus aliquis quanto tempore iudicandus sit talis, ut ratione irregularitatis non possit etiam minores Ordines recipere; an post decem annos à suo Baptismo non sit amplius irregularis? tract.5. ref.47.§.1. pag.227
Et in tali casu non dispensatur in irregularitate, sed declaratur irregularitatem cessasse.ibid.

Nepotes.

Nepotes testis falsi in Tribunali S.Inquisitionis deponentis, quibus pœnis puniendi sunt? tract.12.ref.16.§.4. pag.517
* Vide verb. *Filius. Hæreticus.*

Nobiles.

Nobiles in S.Officio Inquisitionis an sint levius torquendi?t.11.r.29.§.8.p.494
* Vide verb. *Carcer. Fugere. Mulier.*

Nomen.

Sub nomine Clerici in odiosis non veniunt Religiosi, ideo interdicto Clero, non censentur interdicti Religiosi? t.2. r.51.§.1.in fine,& §. seq.p.154
Sine nominibus testium datis reo, & copia indiciorum an Inquisitores possint torquere reum? t.11.r.28. per totam p.492
* Vide verb. *Gratia. Persona.*

Notitia.

* Vide verb. *Dubium.*

Rerum Notabilium.

Notorié. Notorietas. Notorium.

Ad notorietatem per evidentiam facti requiritur, ut sciatur saltem evidenter à decem personis in oppido parvo, & à pluribus aliis in magna civitate. t.2.r.51.§. ult. ante medium.p.155

Ut factum notorium dicatur, quot testes requirantur in percussione Clerici?ibid.§.ult.ante med.

Notorius percussor Equitis Ierosolymitani, D.Iacobi Alcantaræ, Calatravæ, &c. vel Religiosi alterius Religionis Ordines non habentium, an sit vitandus ante iudicis sententiam? ibidem §. ultim. in principio.

Qui notoriè & publicè percussit Clericum, an sit statim vitandus ante iudicis sententiam. t.2.r.56. per totam p.157

Et quid de notoriè mandante vel consulente percussionem Clerici.t.2.r.57.§.ult.p.158

Et quid de notoriè habente ratam percussionem Clerici? ibid.

Nouitia. Nouitius.

Novitius, si maneat extra Conventum cum habitu suæ Religionis, & licentia Superioris, an gaudeat privilegio Canonis.t.2.r.39.§.1.p.148

Novitium Equitum D. Iacobi, Alcantaræ, Calatravæ, &c. percutientes, an incidant in censuram Canonis. t.2.r.50.§.1.per tot.p.153

Novitia Monialis an possit absolvi ab Episcopo ex quacumque percussione alteri Moniali,vel Conversæ, aut Clerico facta.t.2.r.73.§.2.p.165

Novitium an possint Prælati Regulares absolvere ab excommunicatione incursa propter percussionem Clerici ante ingressum Religionis factam? t.2.r.79.§.1. p.168

Et quid, si prædictam censuram Canonis Novitius incurrerit anno probationis, modo non sit percussio enormis.ibid.

Et si talis Novitius absolutus ab ista, vel quavis alia censura postea egrediatur à Religione,an in illas reincidat. ibid.§.2.p.169

Novitij an comprehendantur, si censura interdicti feratur sub nomine personarum Ecclesiasticarum.t.4.r.24. §.2.p.206

* Vide verb. *Abbas. Correctio.*

Numerus.

Numerus testium supplet eorum defectus, etiam quoad effectum, quod censeantur omni exceptione maiores? t.10.r.74.§.3.p.444

Nuntius Apostolicus.

Si Nuntium adire potest impeditus adire Pontificem, pro absolutione reservata, an teneatur Nuntium adire,vel possit absolvi ab Episcopo? tract.1. r.195.§.1.& seqq.p.112

Contra Nuntium Sedis Apostolicæ an Inquisitores procedere possint; t.10.r.10.per tot.p.422

Nuptiæ.

De nuptiis binis contrahentibus.Et an hoc delictum Inquisitores agnoscere possint, vel sit crimen misti fori. Et an supradicti sint de vehementi, vel tantum leviter suspecti de fide, & quibus pœnis puniri debeant.t.12. r.4.§.1. & seqq.p.503

Ubi aliqua alia notabilia circa supradictos, & circa consulentes eis binas nuptias.

* Vide verb. *Licentia, Officium Diuinum.*

Nutus.

Qui nutibus loquitur cum Monialibus an incidat in censuram latam ab Episcopo contra colloquentes cum Monialibus.t.1.r.88.§.3.p.61

Obedire.

Obedire an teneatur subditus Superiori præcipienti iuxta opinionem probabilem? tr.1.tes.31. §.14. pag.20

* Vide verb. *Obligatio.*

Obligare. Obligatio. &c.

An obligent semper ad mortale' præcepta, & mandata Episcoporum sub pœna excommunicationis, &c. t.1. r.12.§.1.p.9.

Ab obligatione obediendi Superioribus excommunicatis an subditi absolvantur? tract.1. resol.25. §.2 in fine. pag.15

Obligatus ad ratiocinia an possit ordinari ante rationem redditam, etiam deserto officio? tract.3.resol.90.§.3. pag.451

Et quid ante solutionem debiti relicti ex Officio, vel administratione? Et quid, si fideiussorem reddat? ibid. & in §.4

Obligatio non est restituendi pretium acceptum pro collatione Sacramentorum.t.7.r.6.§.5.p.311

Non obligat simonia ad restitutionem iure naturali, sed positivo.ibid.

Non obligat lex in casu particulari,cessante pro illo fine legis.t.10.r.144.§.1.p.470

* Vide verb. *Bona temporalia. Bulla Pontificia. Confessarius. Indulgentia. Ius. Pœna. Suspensio.*

Oblitus. Obliuio. &c.

Qui ex oblivione naturali omittit recitare Horas Canonicas, non tenetur restituere fructus? t.1.r.32.§.1. pag.21

Oblivio naturalis impedit reservationem censuræ invincibilis,quæ est annexa casibus Pontificiis.t.1.r.35.§.1. pag.22

Oblitus pœnitens censuræ exigentis satisfactionem, an remaneat absolutus per generalem absolutionem collatam à Confessario habente potestatem,etiam si non habuisset intentionem ab illa absolvendi. t.1.r.188. §.1.pag.109

* Vide verb *Immemor.*

Occidens. Occidere. Occīsio.&c.

Occidens puer impuber aliquem, an contrahat irregularitatem? t.1.r.108.§.4.p.72

Occidere Petrum mandans, si mandatarius occidat Ioannem non incurrit mandans irregularitatem ortam ex homicidio voluntario? tract.2. resolut.35.§.2.in fine; pag.146

Quis occidere Petrum iam determinatus erat, sed ex consilio citius illum occidit, an talis consulens irregularitatem incurrerit.t.5.r.107.§.1.p.259

Ut occideret Caium, quis mandavit Petro, sed si Caius occidit Petrum,an mandans incurrerit irregularitatem; Et in dicto casu an Episcopus possit dispensare cum mandante.t.5.r.113.per totam. p.264.

Si occisor sciatur, & cognitus sit, si plures non ex consilio, sed ex repentina rixa percusserunt aliquem, an omnes fiant irregulares, vel solus ille, qui vulnus lethale inflixit ex quo mortuus est.t.5.r.17. per totam p.65

Si occiditur aliquis cum armis traditis à Titio, an Titius sit irregularis.t.5.r.120.per tot.p.267

